
NOPLIA
CERDOTAL


37
22 G
17


37
22 G
17

Digitized by Google

37
22 6
17

Digitized by Google

Digitized by Google

PANOPLIA SACERDOTALIS:

SEV

DE VENERANDO SACERDOTVM HABITV:

EORVMQVE MVLTIPLICI MVNERE AC OFFICIO IN ECCLESIA DEI,

LIBRI XIV.

DVAS IN PARTES DIGESTI.

Cum duplici Appendice. 1. De inuocatione Chriſti. 2. De Euchariſtiæ adoratione.

Auctore ANDREA DV SAVSSAY, *I. V. Doctore, S. Sedis Apoſt. Protonotario, nec non Officiale Pariſienſi, & Vicario generali Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D. Pariſ. Archiep.*



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographi, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis:
Et GABRIELIS CRAMOISY.

M. DC. LIII.
Cum Priuilegio Regis, & Theologorum Approbatione.

Ego pro eis ſanctifico meipſum : vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.
Ioan. 17. 19.



Hic qui manet in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum : ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Heb. 7. 24. 25.

VERBO INCARNATO,

DOMINO NOSTRO

IESV CHRISTO,

VERO DEO ET HOMINI:

ÆTERNI PATRIS

VNIGENITO:

MARIÆ

BENEDICTÆ MATRIS,

AC

VIRGINIS PERPETVÆ

SOLI FILIO;

VNICOQVE

DEI ET HOMINVM

MEDIATORI:

SACERDOTI IN ÆTERNVM,

FVTVRORVM BONORVM

PONTIFICI,

ANIMARVM NOSTRARVM PASTORI

AC

EPISCOPO:


IMMORTALI ECCLESIÆ SPONSO,

SVPREMOQVE

CAPITI.

SEPTEM SACRAMENTORVM
AVCTORI.
BONORVM OMNIVM
LARGITORI.
CHRISTIANI SACERDOTII
FVNDATORI,
AC
PRINCIPI SACRATISSIMO,
SVPER OMNIA
TREMENDO,
ADORANDO,
DILIGENDO:

ANDREAS DV SAVSSAY
INDIGNVS EIVS SERVVS,
AC PRESBYTER,
TAMQVAM VILIS VERMICVLVS,
AD PEDES
DIVINÆ EIVS MAIESTATIS
ADVOLVTVS:
HANC PANOPLIAM SACERDOTALEM,
IN PERENNE
SVMMI CVLTVS AC VENERATIONIS
MONIMENTVM,
DICAT, OFFERT, CONSECRAT.



SANCTISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO, D.
INNOCENTIO X.
PONTIFICI MAXIMO.

SCITE *& præclarè, Tertullianus pridem ſcripſit,* BEATISSIME PATER, Chriſtum chariſsimo diſcipulorum ſuorum (PETRO) communicare de figuris ſuis nomen affectâſſe. *Grande verbum! eiuſmodi tamen, quod non de vno tantùm nomine, ſed cæteris paſſim titulis Domini, veriſſimum eſſe tota codicis Euangelici ſeries teſtatur. Petrus à petra illa dicitur, quæ* Lapis eſt angularis, faciens vtraque vnum: *quæque illum poſt ſe præcipuum militantis Eccleſiæ fundamentum collocauit.* Filius columbæ, *hic ipſe Petrus ab eo appellatur, quem Dei Patris vnigenitum,*

Lib. 4. contra Marcion. c. 15.

ã iij

immortali fidei præconio fuerat confeſſus. Accipit ab eo qui habet claues vitæ & mortis, claues regni cælorum. Paſcendas oues ſuſcipit ab illo bono Paſtore, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis. *Audit ab ipſo, mirabilis huius amicitiæ commercium:* Simon, ſume ſtaterem de ore piſcis, & da eis pro me, & te. *Mòxque* (*poſt reuecta de morte & inferno trophæa:*) Tu me ſequere. *Poſthabitô eo etiam diſcipulo, quem reliquis Apoſtolis, teneriori amoris affectu, diligebat: ſequi verò ſic voluit illum Dominus, vt* (*quemadmodum idem Tertullianus ait*) ſuæ paſſioni adæquaret; *quæ fons eſt ipſius Chriſti gloriæ, & totius noſtræ felicitatis. Sed properantem vlteriùs, hic mentis meæ progreſſum effuſiorem ſiſto, plura dicturum ſiquidem intercipit Leo Magnus nomine, ſed meritô ac dignitate maximus, dum hoc vno verbo, omnia Petri priuilegia complectitur:* Petrum aſſumpſit Dominus in indiuiduæ vnitatis conſortium: adeo vt quæ ſibi erant poteſtate propria, eidem voluerit eſſe participatione communia.

Serm. in anniverſ. aſſump. ſuæ, & ſerm. 2. in natali SS. App. Petri & Pauli. Vide etiam S. Amb. ſerm. 47. & epiſt. 80.

Hæc cùm apud me perpenderem, SANCTISSIME PONTIFEX, *poſt adorata ipſo in operis huius limine, diuina Chriſti veſtigia: ſubinde mihi ad ſacros T. S. pedes (quorum venerationem nuper defendi polemico tractatu) continuô ardore pietatis accidendum exiſtimaui, tam*

debiti honoris deferendi cauſâ (qui propter diuinas, quas in terris geris Petri locô vices, in Chriſtum ipſum redundat) quàm Apoſtolicæ promerendæ benedictionis ſtudiô, ac deſideriô neceſſarij præſidij conſequendi.

Paucis ab hinc annis duplicem Panopliam, publicum in lumen emiſi: prima, Epiſcopalis fert titulum: altera, Clericalis. Cùm priorem aggrediebar, nihil minus quàm de ſecunda elaboranda cogitabam; ſed quæ prima erat, mox ſequentem peperit, eruditorum amicorum hortatu, qui profuturum (vt cenſebant) opus, imperfectum fore, ideóque minùs gratum & vtile, ſine illo additamento, arbitrabantur. Horum aſſiduis monitis, quin & importunis efflagitationibus cùm ſatisfeciſſem, me immunem iam meritò ab omni eiuſmodi onere iudicabam: cùm illi iterùm vrgentiori poſtulatu, tertiam hanc ipſam tractationem (quam natiuum aſſerebant vtriuſque complementum) inſtantiùs exigere cœperunt: nec ab impulſu deſtiterant, donec hanc Panopliam meis ex manibus (vt præmaturum fœtum, ex maternis viſceribus) extorſerunt. Cùm hoc enixu laborarem (arduum enim mihi opus erat, propter magnitudinem argumenti, mearúmque virium imbecillitatem) in 1. Reg. 4.1. 5.1. 7.12. lapidem adiutorij, *Petri videlicet ſedem, oculos ſpei meæ defixi: ſub cuius vmbra, omnis defugit infirmitas, tutáque manet puſillorum*

Chriſti fidelium ſimplicitas ac innocentia. Proprium eſt Sedis huius toto orbe mirabilis (*vt* Variarum lib. 11. Ep. 2. *quondam Caſſiodorus, ad Ioannem II. ſcribebat*) ſuos paterno affectu tegere cultores: *Recurrendum igitur mihi eſſe duxi, ad hanc refugij domum, quæ reuera* mons eſt excelſus cer- Pſal. 103. 18. uis: petra refugium herinaciis: *timidis ſcilicet ac inualidis lepuſculis, metuentibus ſibi ab inuidorum inſidiis, vel à palam aduerſantium incurſu. Res hic mihi paſſim vertitur cum apertis hoſtibus Eccleſiæ, ſcilicet acerrimis Chriſtiani cùm ſacrificij, tum Sacerdotij impugnatoribus. Hos, Petri gladio (quem tu* SANCTISSIME PATER, *tenes, & quò vis euibras) facilè profligatos iri, ſuum ſi in patrocinium me ſuſceperit ſuprema auctoritas tua, minimè diffido.*

Sed fortè, ex aduerſo nonnihil mihi negotij quidam fidei domeſtici faceſſent, quòd dum Sacerdotale munus accuratiùs ediſſero, iúſque & decorum eius ſcrupuloſiùs exigo, ad lancem & pondus tabernaculi, ardentiori (vt dicent) pietatis æſtu, quàm iuſto prudentiæ moderamine, rem perſequar mihi ad tractandum propoſitam. Et verò ſæpè contigit Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindicibus, vt plerisque non placeant: ideóque cum myſtica illa ſponſa meritò vicem ſuam doleant; cuius querula quidem ſed Cant. c. 1. 5. *amica vox erat:* Filij matris meæ pugnauerunt contra me. *Subiratè ſiquidem fratres ſuos*, filios

lios matris *ſuæ appellabat, quibus pio Zelo, ſed ſine felle indignabatur. Abſit verò vt vel illis meis fratribus, qui laborem ac ſtudium meum minùs probaturi ſunt, ſequiori motu animi ſuccenſeam: quorum pro vtilitate & gloria, tot hactenus ſudoribus exæſtuaui. Caeterùm alicubi forſitan impegi, potiùs incitatiori mentis, non ſatis firmæ, vel irradiatæ impetu, quàm malo quouis conſilio. Si quis igitur hoc ſolo nomine me damnandum putet,* Eccleſiæ Cæſarem appello. *Petri enim opus eſt, claudum, porrectâ dextrâ, erigere: inſontes verò tametſi à mundi ſapientibus impetitos, ſua defenſione tueri.*

At ne tanto præſidio niti poſſim, erunt alij fortaſſe, qui interponant obicem, minuti à me Apoſtolici honoris, hoc ipſo criminantes, quem impræſentiarum elicio, obſeruantiæ cultu: quòd nempe trium Panopliarum poſtremam ordine, & ipsâ inſcriptione fortaſſis non præcipuam, tuæ auſus ſim offerre Sanctitati: TIBI *enim* SVMMO DEI SACERDOTI, *non ſerotina ſpicilegia, ſed frugum omnium hæreditatis Domini primitias, ab omnibus Clericis, vt olim Aaroni & eius ſucceſſoribus à Leuitis, deberi cauſabuntur. Hoc equidem non inficior; at oratos illos duntaxat velim, vt rationum momenta, quæ me permouerunt, in Patronorum huius trini operis aſſignando delectu, æquâ ſanctuarij librâ expendere*

non grauentur. Sanè Panopliam Clericalem, illuſtri Clerico: ſed magno Præſuli, Epiſcopalem nuncupaui. Cæterum, vt candidè dicam, optimo iure, tua vtraque erat. Clericalis, ipſomet titulô Clericatûs, cuius tu pater, ſummúſque moderator es. Inter præclaros enim titulos, quibus toto terrarum orbe praemines, ſplendidum hoc elogium Eugenio tuo, ſuóque, ſanctus Bernardus perappoſitè pridem adſcripſit: Conſidera, *inquit*, oportere te eſſe formam iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, doctorem Gentium, Chriſtianorum ducem, amicum ſponſi, ſponſæ paranymphum, Cleri ordinatorem, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum diſpenſatorem, orbis lumen. *Cuinam igitur æquiori iure, quàm* tibi MAXIME PONTIFICVM, *liber ille, qui tractat* de Clericorum Tonſura & Habitu, recta inſtitutione, & Canonica diſciplina, *dedicandus erat?*

Sed verò Panoplia Epiſcopalis maiori adhuc ratione tuæ competebat Beatitati. Quis neſciat etenim Romanum Pontificem, Oecumenicum Chriſti vicarium, vnicúmque Petri Apoſtolorum Principis hæredem, ſummum eſſe apicem totius Eccleſiaſticæ dignitatis, ac etiam poteſtatis? ideóque Pontificem Maximum, Patrum Patrem, Patriàrcharum Epiſcopum. Principi igitur Epiſcopalis corona mu-

nus ipſum Panopliæ Epiſcopalis, iure omnium præcipuo debebatur. Quid ergo cauſa eſſe potuerit, non nemo forſitan perquiret cur vtramque illam Panopliam, Clericalem & Epiſcopalem proferens in publicos vſus, ad alios patronos declinauerim? vna certè, nec leuis vt reor, momenti (quæ ſcilicet inſtar multarum eſſe videtur) tunc interceſſit ratio: videlicet quòd opus à me hactenus inceptum ſacræ Panopliæ triplicis, hac deficiente (quæ Sacerdotalem apparatum continet) integrum adhuc & abſolutum non conſtabat. Nec ſibi verò, nec ſui populi Principi, vult Deus, imperfecta munera præſentari; Si offeratis *(inquit)* claudum, aut languidum, nonne malum eſt? Offer illud Duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi faciem tuam ſuſceperit? *Petrus ſanè pretium agri non integrum, (quod ad pedes eius deferebatur) iuſtô iudiciô recuſauit: nec tutum igitur, nec decorum mihi eſſe cenſebam, offerre Petri ſucceſſori, laboris mei dimidiatum opus: at donec coronis hæc adiiceretur, (quam plerique, fere ab ipſo primæ Panopliæ exitu exigebant) ſuperſedendum exiſtimaui.* *Malach. 1. 8.*

Nunc verò, hac abſoluta triade, ſingulari Dei beneficio: cùm opus extet integrum, id tibi, BEATISSIME PATER, *ſummo & abſoluto vniuerſalis Eccleſiæ Pontifici, triplici coronato diademate, arbitratus ſum, non prorſus incongruè, poſſe conſecrari: vt pote vniuerſi Ordinis Eccleſiaſtici capiti,*

generali animarum Epiſcopo, ſummóque omnium Chriſti Sacerdotum Antiſtiti.

Hæc verò tria ſibi (vt reor equidem) cohærent ad amuſſim: Sacerdotium enim eſt Epiſcopatûs baſis, & Clericalis officij ſcopus atque perfectio: inferiorum autem Ordinum nullus eſt, qui eò non tendat, vt ad genuinum ſui cuiuſque gradûs complementum. Cæterùm ipſe Epiſcopatus, tametſi apex Sacerdotij, ſubſiſtere nequit, niſi hoc fulcimento ſuſtentetur. Nam vt Presbyteratus Baptiſmum, ſic Presbyteratum Epiſcopatus neceſſariò ſupponit. Vnde fit, vt ſi quis ſacro lauacro non tinctus, in ordinem Presbyteratûs irrepſerit, expers ſit Sacerdotij: & qui ambit Epiſcopatum, ſi conſecrationem pontificiam ſuffuretur, prætermiſſa Presbyterali ordinatione, merum ſine re nomen recipiat. Quamobrem ſancti Patres non minùs conſtanter Romano Antiſtiti, SVMMI SACERDOTIS, *quàm* SVMMI PONTIFICIS, *&* SACERDOTIS SACERDOTVM, *quàm* EPISCOPI EPISCOPORVM, *titulum detulerunt, ac etiam aſſeruerunt. Quamuis enim Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, non tantùm gradu honoris, ſed etiam extenſione poteſtatis: Sacerdotio tamen velut radici inſitus eſt, quòd per Presbyteratum confertur. Huc ſpectans ſanctiſſimus Martyr & Epiſcopus Cyprianus ſedem Petri pro centro habebat,* vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt. *Siquidem vt*

Epiſcopi Galliarum ſcribebant dudum ad ſanctum Leonem, non ſolùm ab hoc fonte ſacro-ſancta Religionis origo dimanat, ſed & totius Sacerdotij defluit plenitudo. Eſt enim Romanus Pontifex (vt Orientis Archimandritæ ſcribebant ad Martinum I.) Sacerdotum Sacerdos, diuinitus omnibus præeminens; *vt qui ſit Pater Patrum, & Aaron Euangelicus, à quo omnis tam Epiſcopalis, quàm Sacerdotalis vnctio decurrit*, ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron: & ſicut ros qui defluit in montem Sion, *à ſumma vſque ad imam oram eius veſtimenti, ſeſe diffundit. Hoc ſolerter agnoſcebant Patres Triburienſis Concilij, nec minùs ſplendidè profitebantur:* In memoriam *(aiebant)* Beati Petri Apoſtoli, honoremus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem: vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.

Horum itaque ſanctorum Patrum veſtigia ſequens, tibi, BEATISSIME PATER, *ſummo Sacerdotum apici,* HANC PANOPLIAM SACERDOTALEM *(nam cæteræ iam ad throni tui gradus infimos, fauente Deo, peruenerunt) pro debito primitiarum cultûs & obſeruantiæ, venerabundus offero; & tanquam ipſius* BEATI PETRI *ſacro-ſanctis obtutibus atque veſtigiis, expoſitam Apoſtolico tuo conſpectui, ſupremæque au-*

ẽ iij

ctoritati lubens ſubiicio: qua vbique Gentinm Preſbyteris, fratribus meis, veri Sacerdotis ideam exprimere conatus ſum, ad formam diuinæ inſtitutionis, & normam canonicæ diſciplinæ, à Te Sanctiſſimiſque Tuis Deceſſoribus (non minùs ſuſpiciendis omnium virtutum exemplis, quàm ſacris decretis) adæquatè præſcriptam. Vt in hac imagine, tanquam in nitido ſpeculo; quam ſequi debent, vitæ & doctrinæ rationem, perſpiciant: vnáque videant

Coloſſ. 4. 17. miniſterium quod acceperunt à Domino, vt impleant illud: *ſicque* induantur iuſtitiam, *vt*

Pſal. 131. 9. *inde* Sancti exultent: *cùm ſcilicet eos conſpexerint,* ſicut luminaria *hoc in mundo ſplendeſcere, nec non vt veros decet Dei Sacerdotes, laborare* in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,

Epheſ. 4. 12. ad Sanctorum conſummationem. *Quatenus Tu ſummus & vniuerſalis ouium & agnorum Paſtor, in*

Matth. 25 31. *die illa, qua* iuſtus iudex in ſua maieſtate apparebit, ad reddendum vnicuique ſecundùm ipſorum opera; *poſſis illos in eius conſpectum ſi-*

Iſa. 8 18. *ſtere, iubilúmque hunc propheticum occinere:* Ecce ego & pueri quos mihi dedit Dominus. *Sanè, tunc enim ſi fideles inueniantur, eos gratanter Dominus virtutum, de manu tua ſuſcipiet,*

Matth. 20. 8. *dicens Angelis ſuis:* vocate operarios, & reddite illis mercedem, incipientes à nouiſsimis vſque ad primos. TIBI *verò, quem constituit ſuper vniuerſam familiam ſuam, pro fideli*

diſpenſatione, multiplicem coronam, ſacro etiam illo quo fulges diademate, longè ſplendidiorem ac ſolidiorem, iuſto iudicio retribuet, PETRI*que* cuius fidem & ſedem tenes, *& tam dignè munus exequeris, faciet in regno ſuo, poſt diuturnum & felicem huius vitæ decurſum, ſeſſionis & gloriæ, perpetuas in æternitates, participem.*

SANCTITATIS TVÆ

Seruus humillimus, & obſequentiſſimus,
ANDREAS DV SAVSSAY Officialis Pariſienſis.

PROLOGVS

AD LECTOREM CATHOLICVM.

INSTITVTI mei rationem, iam duabus præfatiunculis, quæ in limine vtriuſque Panopliæ, Epiſcopalis & Clericalis proſtant, Tibi, ERVDITE LECTOR (quantum res tunc ferebat) cùm primùm euulgabantur, aperui. Quapropter minus hîc neceſſarium videtur, te vel aliquantula prælocutione remorari: maximè cùm ſponſionis meæ fidem, hæc ipſa PANOPLIÆ SACERDOTALIS, quam ante biennium promiſeram, plenè liberet exhibitio: quæ ſi diutiùs protelata fuerit quàm volebam, & plerique deſiderabant: publici muneris, hoc eſt oneris grauiſſimi, quod variis titulis ſuſtineo (vt cuique palam eſt) conſideratio, memet nonnihil apud te, & quoſuis æquitatis amantes excuſabit. Tametſi non exigui operis conſtructio, ampliórque diuerſæ texturæ ſeries, ac ipſius multiplicis argumenti, quod hîc tractatur, difficultas, etiam in cauſa fuerit, cur non ita promptè hæc Panoplia prodierit in publicum lumen. Sed ſeriorem exitum, copioſior accuratiórque eiuſdem Tractatûs elucubratio compenſabit, quam vel in ſubiuncta huic præmonitiunculæ Synopſi programmatum cuiuſque libri vtriuſque partis, & ſingulorum capitum, ſectionúmque totius Operis, facile fuerit tibi diſpicere. At erit fortaſſis quòd quiſpiam obiiciat, *actum me agere*, dictíſque iam ab aliis, me toto hoc contextu penitùs immorari. De Epiſcopis enim ac Clericis, & qui hos & illos connectunt ac fulciunt, Sacerdotibus (in quibus, poſt Epiſcopos, religio conſtat) pro ſuſcepto inſtituto me tractare, de quibus iampridem innumeri Scriptores Eccleſiaſtici, ac Neoterici plerique, quaſi agmine facto, non oſcitanter diſſertârunt. Id verò poſtremum nequaquàm abnuero: At nihilominùs planè inficior prius aſſertum. Scitè monebat dudum Vincentius Lerinenſis Eccleſiaſticum quemuis dictatorem, *vt noua nuſquam diceret, ſed vetera diceret noue;* nihil enim pridem dictum eſt, aut etiamnum dicitur, quod priùs non fuerit dictum. Verùm hoc me Axioma non fugit; ideóque San-

Sanctis Patribus, & rerum ſacrarum, rituúmque interpretibus nitor paſſim, quorum vt veneranda nomina ſuſpicio maximè, ſic lubens ſequor placita; quemadmodum tota hac commentatione fit inſpicienti perſpicuum. Sed quæ priſci Eccleſiæ Didaſcali ſuo tempori congruenter (quoad ritus, nam dogmata ſunt ſemper immutabilia) docuerunt, noſtræ huic ætati propiùs accommodata profero, additis pleriſque diſſertationum titulis, quos veteres auctores, ac recentiores etiam, nequidem attigerunt, inſuper verò diſcuſſis non paucis controuerſiis, quas noui excitârunt heterodoxi; necnon variis exactiùs expenſis quæſtionibus, à Theologis pleriſque ſcholaſticis, ſacrorúmque Canonum enucleatoribus, ſiue tuendæ fidei, ſiue vindicandæ causâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, antehàc agitatis. Denique intermixta, vbi res quæ vertebatur, exigebat, inſigniũ aliquot exemplorum luce, quæ tempora pepererunt, diuerſo euentuum humanorum ſucceſſu. Verumenimuerò quis neget, quamuis pro vnico operis inſtituto, ſolis ſacræ antiquitatis veſtigiis inhærere voluiſſem: nihilominùs poſt meſſem ſpicilegium, poſt vindemiam racemationes, poſt dubiam cœnam analecta, poſt cæſam ſyluam recidiua nonnulla ſupereſſe? Patenti experimento, pie Lector, id quàm verum ſit (attentiùs ſi hanc Panopliam, ſeu Apparatum Sacerdotalem perlegeris;) comperies: próque tua benignitate, errata quæ mihi paſſim exciderunt, tot diſtracto curis, laboribúſque fatigato, lubenter, vt ſpero, condonabis. Inſignis illius dicti, priſci ſapientis, te enim exiſtimare non poſſum immemorem, *Vſuuenire, apud prudentes viros, cordatóſque, vt ſit in alienis operibus, iudicatio ſemper reſecatior, in rebus ſubitariis* (quales mei ſunt vtplurimùm literarij fœtus) *venia prolixior.*

OPERIS SYNOPSIS.

PRIMÆ PARTIS PANOPLIÆ SACERDOTALIS

LIBER PRIMVS.

De Amictu. à pag. 1. ad 13.

CAP. I. DE *nomine Amictûs.* pag. 1

CAP. II. *An ſuperhumerale, vel Ephod, idem ſit quod Amictus.* 2

CAP. III. *De Mitella, ſeu ornato Amictu Eccleſiaſtico.* 4

CAP. IV. *De vſu Amictûs ſacri.* 4

CAP. V. *De modo Amictûs aſſumendi.* 5

CAP. VI. *De Amictûs myſtica & morali theoria.* 8

LIBER II.

De Podere, ſeu Alba, vel linea tunica talari. 13. ad 34.

CAP. I. ETYMOLOGIA *nominis.* 13

CAP. II. *De Antiquitate vſûs tunicæ lineæ talaris, ſeu Albæ in Eccleſia.* 14

CAP. III. *An Camiſia, ſeu camiſium, apud Eccleſiaſticos ſcriptores, idem ſit quod poderis, ſeu Alba: id eſt linea tunica talaris, ſeu ſuperlicium, vel rochetum?* 16

CAP. IV. *De tunicæ talaris, ſeu Sacerdotalis, Albæ ſcilicet, materia, lino & byſſo, eorúmque diſcrimine.* 19

CAP. V. *An ex alia materia, vel byſſo, fas ſit in ſacrificio, diuinis miniſtris contextam Albam gerere?* 20

CAP. VI. *Cur potiùs ex lino, quàm lana, talaris tunica Sacerdotalis contexitur?* 21

CAP. VII. *De forma Albæ & Amictûs Sacerdotalis.* 22

CAP. VIII. *De colore niueo Albæ, ſeu de candore talaris tunicæ Sacerdotalis.* 23

§ I. *Candidus color deſignat* Innocentiam. *ibid.*

§ II. Libertatem. 24

§ III. Pacem. 25

§ IV. Nuptias Agni. 26

§ V. Martyrum gloriam. 27

§ VI. Gaudium Beatorum. 29

COROLLARIVM, *De Albæ myſtica origine, & tropologico vſu.* 31

LIBER III.

De Zona qua Sacerdos indutus, vt operetur ſacris, præcingitur, vel quiuis aſſiſtens tremendo ſacrificio Clericus. à pag. 34. ad 62.

CAP. I. DE nomine *Zonæ, cinguli, & balthei.* 34
CAP. II. *De Balthei, Cinguli, & Zonæ differentia.* 35
CAP. III. *De materia & forma.* 36
CAP. IV. *De profano vſu Zonæ, balthei, cinguli &c. huiuſque variis nominibus & acceptionibus.* 39
CAP. V. *De vſu ſacro: ſcilicet memorato in ſacris Scripturis, & à Sanctis priuatim vſurpato.* 43
ARTIC. I. *De Cincturæ varia nuncupatione, & diuerſo vſu in Scripturis ſacris memorato.* ibid.
ARTIC. II. *De Sanctorum Zonis,* 44
§ I. *De Zona Domini.* ibid.
§. II. *De Zona Beatiſſimæ Deiparæ Virginis.* 45
§. III. *De Zona S. Ioannis Baptiſtæ.* 48
§. IV. *De Cingulis S. Petri.* 50
§. V. *De S. Pauli Zona & ſemicinctiis.* 51
§. VI. *De S. Polycarpi viri Apoſtolici zona.* 53
§. VII. *De Cingulis, ſeu zonis veterum Monachorum in Palæſtina, Africa &c.* 54
§. VIII. *De S. Gregorij zona.* ibid.
CAP. VI. *De zona, ſeu cingulo Sacerdotali.* 55
CAP. VII. *De zonæ ſacræ myſtico & morali ſignificatu.* 58

LIBER IV.

De Manipulo. à pag. 62. ad 73.

CAP. I. DE nomine *Manipuli.* 62
CAP. II. *De materia.* 64
CAP. III. *De forma.* ibid.
CAP. IV. *De vſu Manipuli & abuſu.* 65
CAP. V. *De morali & myſtica Manipuli ſignificatione.* 69

LIBER V.

De Stola ſacra. à pag. 73. ad 100.

CAP. I. QVID *Stola apud veteres; & quibus iam olim eiuſdem vſus competebat.* 73
CAP. II. *Iuonis Carnotenſis de Stola, ſententia excutitur, aſſerentis hunc ornatum non fuiſſe in vſu apud priſcæ legis Sacerdotes.* 74
CAP. III. *An Stola noſtra, quæ*

diſtincta veſtis eſt à Podere, ſeu tunica linea talari, fuerit in vſu ab ipſa Apoſtolorum ætate? 75

CAP. IV. *De forma Stolæ vſualis apud veteres.* 77

CAP. V. *De forma Stolæ ſacræ, & an idem ſit ornatus cum Orario? déque multiplici genere Orarij, ac Stolæ.* 78

CAP. VI. *De nomine Orarij.* 81

CAP. VII. *De materia Orarij, & eius ab orali Pontificio, diſcrimine.* 83

CAP. VIII. *De vſu Stolæ, ſeu Orarij, in Eccleſia Dei, Apoſtolicæ ætati coæuo, abhincque perpetuo, tam apud Græcos, quàm Latinos: eiuſdémque neceſſitate, diſtricto Eccleſiæ præcepto innixa.* 85

CAP. IX. *De Stolæ myſtico ac morali ſignificatu.* 89

CAP. X. *De Sanctorum per Stolam Sacerdotalem & Leuiticam, miris operationibus.* 93

§. I. *Ex Actis S. Clementis I. Metenſis Epiſcopi, relatis à S. Antonino, p. 1. tit. 6. c. 26. & Petro Exquilino, lib. 10. Catalogi SS. c. 113.* 94

§. II. *Ex actis S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis, qui ætate compar fuit S. Silueſtro Papæ, auctore Fortunato Epiſcopo.* ibid.

§. III. *Ex actis S. Mauri Abbatis & Leuitæ, Diſcipuli S. Benedicti, à Fauſto eius æquali & ſocio conſcriptis, & à Bonifacio Papa probatis, cap. 2.* 95

§. IV. *Ex Francorum hiſtoria, de ſtola S. Vincentij Archidiaconi & Martyris. Ado Vienn. in Chronico, ætate 6. ſub an. D. 527.* 96

§. V. *Ex Actis Antiquiſſimis SS. MM. Iuliani, Celſi, Antonij, & Socc. qui Antiochiæ, tempore Diocletiani paſſi ſunt 8. Ianuarij die, cap. 13.* 97

§. VI. *Ex Actis MSC. SS. MM. Fructuoſi Epiſcopi Taraconenſis, Augurij & Eulogij Diaconorum, qui ſub Valeriano & Galieno coronati ſunt.* ibid.

§. VII. *Ex Actis S. Valerij Diaconi, in Martyrologio Gallicano relatis die 22. Octob.* 98

§. VIII. *Ex Geſtis S. Huberti Epiſcopi Leodienſis, ibidem relatis die 3. Nouemb.* ibid.

Item ex nomenclatura Sanctorum Galliæ medicorum, qui dona opitulationum habent, & contra diuerſos morbos, aduerſóſque caſus patrocinantur. ibid.

§. IX. *Ex Actis S. Leonis Papæ IX. antea Epiſcopi Tullenſis, quæ Wibertus Archidiaconus conſcripſit, lib. 1. c. 4.* 99

LIBER VI.

De Caſula. à pag. 100. ad 143.

CAP. I. VARIIS nominibus plerumque res eaſdem apud Eccleſiaſticos Auctores deſignari. 100

CAP. II. *De Penulæ, Planetæ, & Caſulæ vocabulis.* 101

CAP. III. *De Antiquitate Caſulæ, ſeu Planetæ, aut Penulæ Sacerdotalis.* 102

CAP. IV. *An myſticæ veſtis Sacerdotalis, ſub Penulæ vocabulo, Apoſtolus ſcribens ad Timotheum, meminerit.* 105

CAP. V. *Caſulam, ſeu planetam à S. Petro geſtatam fuiſſe Antiochiæ, cùm ibi Pontificatum ſummum ageret, ante ſuum in Occidentem progreſſum.* 109

CAP. VI. *Ioannis Caluini obiectiones contra Caſulam S. Petri diſcutiuntur.* 110

CAP. VII. *Apud veteres, nomine veſtis Sacerdotalis, intellectam fuiſſe Planetam, ſeu Caſulam: & viciſſim ipſam Sacerdotalem veſtem deſignari.* 118

CAP. VIII. *Caſulam, ſeu Planetam, inter Panopliæ Sacerdotalis partes potiori loco priſcos ſacrorum rituum interpretes Latinos recenſuiſſe.* 119.

CAP. IX. *Græcis Sacerdotibus diuina*

obeuntibus, caſula etiam, ſeu planeta eſt in vſu: ideóque ab eorum Interpretibus ſacrorum rituum ſacros inter ornatus connumeratur. 121
CAP. X. De materia Caſulæ, ſeu planetæ. 122
CAP. XI. De forma Caſulæ Sacerdotalis. 125
CAP. XII. De vſu Caſulæ Sacerdotalis. 131
CAP. XIII. Caſulam approbatam à Deo, nonnullis gratiæ ſuæ ſpectatis teſtimoniis &c. 132
ARTIC. I. De Caſula, ſeu veſte Sacerdotali, quam S. Hildephonſus Toletanus Præantiſtes, ſingulari gratificatione à Beatiſſima Virgine accipere promeruit. 133
ARTIC. II. De Caſula data à B. Virgine S. Bonito Epiſcopo Aruernenſi, ſeu Claromontano, in ſignum ſibi gratæ eius pietatis & puritatis. 135
ARTIC. III. Eodem munere honoratum fuiſſe S. Thomam Cantuarienſem ab eadem ſanctiſſima Virgine Dei-genitrice Maria, ad triumphalis eius agonis honorificationem. 138
CAP. XIV. De Caſulæ morali ſignificatione. ibid.
CAP. XV. De Planetæ, ſeu Caſulæ myſtica theoria. 140

LIBER VII.

De Cappa, ſeu Pluuiali. à pag. 143. ad 157.

CAP. I. CAPPA vnde dicta? Pluuiale itidem? 143
CAP. II. Cappæ variæ ſpecies. 144
CAP. III. De differentia Cappæ, & Caſulæ, ſeu Pluuialis & Planetæ, diuerſáque illarum forma & vſu. 145
CAP. IV. Diuerſæ itidem Cappæ Eccleſiaſticæ ſpecies: Cardinalitia, Epiſcopalis, & Papalis. 146
CAP. V. Extra ſacrificium, Cappa in Officiis Eccleſiaſticis vſitatior eſt ornatus, íſque non nuperus. 148
CAP. VI. In dedicatione Eccleſiarum, Pontifex Conſecrator, non caſula vtitur, ſed tantùm Cappa, ſeu pluuiali. 151
CAP. VII. Petri Molinæi Caluiniſtæ miniſtri petulantia, impiáque dicacitas circa Dei Patris imaginem, in Eccleſia Catholica pio vſu acceptam, Cappa Sacerdotali, & regali corona triplici inſignitam, caſtigatur. 153
COROLLARIVM ex Petro Bleſenſi, ſerm. 41. habito in ſynodo, dum Archidiaconi officio fungebatur. Seu, Parænesis Spiritus S. ad Sacerdotem, diuina myſteria celebrantem, de Panoplia Sacerdotali. 155

APPENDIX

De Cappa pueri Ieſu, ſeu de veſte puerili Domini Seruatoris, quæ in Argentoilo Monaſterio aſſeruatur. 157. ad 182.
CHARTA Epiſcoporum interioris Franciæ, de ipſa veſte Domini, in eiuſdem Eccleſiæ Argentoilienſis hierogazophylacio ab antiquis temporibus repoſita & honorata. 157
NOTÆ ET OBSERVATIONES in Authenticum præſignatum, continent paragraphos 19. vſque ad digreſſiunculam ſequentem. à pag. 158. ad 163
DIGRESSIVNCVLA Polemica contra Caluinum. de veſte Domini quæ iam pridem apud idem Argentolium digna cum veneratione ſeruatur. 163
CONTINVATIO NOTARVM à §. 20. ad 44. incluſiuè. à pag. 168. ad 182.
COROLLARIVM. 180. 181

LIBER VIII.

De ſancto Calice. à pag. 182. ad 281

CAP. I. *De nomine calicis, & eius origine, ac significatu.* 182

CAP. II. *Antiqui nummi, ſeu ſicli Hebraïci, myſticæ ad formam calicis figuræ, & inſcriptionis elucidatio, urnæ inſuper in qua manna ſeruabatur, ad formam calicis effictæ (figurâ in alio ſiclo expreſſâ) deſcriptio.* 184

CAP. III. *De materia & forma Calicis, quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo vſus eſt, déque loco, quo is nunc vſque obſeruatur.* 186

CAP. IV. *An Calices fuerint paſſim vitrei in primitiua Eccleſia, ſtata lege, vſúque paſſim recepto?* 189

ARTIC. I. *An id ſtatuerit Zepherinus Pontifex?* ibid.

ARTIC. II. *Alicubi vitreos calices, quin etiam chryſtallinos fuiſſe in vſu circa ſæculum 4. Eccleſiæ, & infra.* 191

CAP. V. *Num lignei Calices, vſu fuerint ab Eccleſia pridem recepti? vbi obiter etiam de corneis.* 195

CAP. VI. *Aureos & argenteos calices vſitatos in Eccleſia primitiua, etiam furente aduerſus fideles ethnica ſuperſtitione; poſtmodum verò conſtanti ritu fuiſſe aureos, argenteos, vel ſaltem ſtanneos; abrogatis quibuſcumque ligneis, vitreis, cupreis, &c.* 197

CAP. VII. *Gemmatos fuiſſe dudum quoſdam Calices.* 199

CAP. VIII. *Calices pretioſos iam olim Deo offerri conſueuiſſe, ad altaris celebrandum venerabile myſterium.* 201

CAP. IX. *Calices recenſeri inter præcipua Eccleſiarum ornamenta, & religiosè ſeruari, atque pro ſacra pompa ad altare maius appendi, & oſtentari in ſolennioribus feſtis.* 202

CAP. X. *Sacro ritu conſecratos calices, non poſſe ſine ſacrilegij piaculo temerari; plexóſque non ſemel viſione diuina eorumdem, & cæterorum vaſorum ſacrorum violatores.* 205

ARTIC. I. *De Calicis Euchariſtiæ conſecrandæ dedicandi, propria conſecratione, à ſolo Epiſcopo facienda ordinario iure: extraordinario autem à ſimplici Sacerdote, Papæ auctoritate ſuffulto.* ibid. & ſeq.

ARTIC. II. *Conſecratos Calices ſolenni Eccleſiæ ritu, reuerenter à piis ſemper ſeruatos: at econtrà impiorum fuiſſe iam olim morem eos deprædari, profanare, diripere: ſed vt plurimum non ſine vindicatiua Dei iuſtitia patenti indicio.* 207

CAP. XI. *An Calicis benedictio ſeu conſecratio ſit immobilis, quamdiu integer perſeuerat, quacumque ex materia ſit conſecratus.* 211

CAP. XII. *A quibuſnam Calix licitè poſſit contrectari?* 213

CAP. XIII. *An pœna aliqua canonica immineat Sacerdoti, diuina myſteria celebranti in vaſe non conſecrato?* 216

CAP. XIV. *De vnitate Calicis in altari, vbi obiter obſeruatur, pluries in vna eadémque Eccleſia, eodem die ſacrificium Euchariſtiæ fuiſſe oblatum à diuerſis Sacerdotibus, ſub ipſis primis Eccleſiæ ſæculis: Et variæ ſpecies calicum recenſentur tam ratione materiæ & formæ, quàm denominationis & vſus.* 217. & ſeq.

ART. I. *De vnitate Calicis in Miſſa.* 217

ARTIC. II. *Varias referens calicum ſpecies & denominationes.* 221

§ I. *Calix ſanctus.* ibid.

§ II. *Calix miniſterialis.* 223

§ III. *Calix præcipuus.* 224

§ IV. *Calix pendentilis.* 225
§ V. *Calix fundatus.* 226
§ VI. *Calices maiores.* ibid.
§ VII. *Calix aureus.* ibid.
§ VIII. *Calices gemmei.* 227
§ IX. *Calices argentei.* ibid.
§ X. *Calix argenteus deauratus.* 228
§ XI. *Calices Baptiſmi & Pœnitentiæ.* 229
§ XII. *Calix reticulatus.* ibid.
§ XIII. *Calix catenatus.* ibid.
§ XIV. *Calix anſatus.* ibid.
§ XV. *Calix tetragonus.* 230
§ XVI. *Calix imaginatus.* ibid.

CAP. XV. *De poſitione & ſitu* Calicis *ſancti in altari.* 231

CAP. XVI. *Miſcellanea de* Calice. 234. & ſeq.

§ I. *Ex Calice ſancto ſanguinis Domini inſtillandi in os infantium, mos fuit primitiuæ Eccleſiæ: quem inſigni miraculo illuſtratum refert S. Cyprianus in celebri ſermone* de lapſis. ibid. &c.

§ II. *Calicem ſanctum non manu, ſed ore dumtaxat laïci, etiam ſummates contingebant.* 236

§ III. *Quotidiano miniſterio, calice ſcilicet & patena parua, cum Euangeliorum codice ad collum appenſo, ſeruatus fuit à naufragio S. Maximus diſcipulus S. Martini, deinde Abbas Cainonenſis in diœceſi Turonenſi*, ex Gregor. Turon. de gloria Conff. c. 22. ibid.

§ IV. *Subdiaconus acetum ſupponens in ſancto calice pro vino, diuinitus detegitur.* Ex eod. Greg. Turon. ibid. c. 65. 237

§ V. *Anathema ſcriptum aduerſus Pyrrhum Conſtantinop. Antiſtitem, Monothelitarum hæreſeos anteſignanum, à Theodoro Papa: intincto calamo in ſancto calice, & pretioſo liquore Dominici ſanguinis vice atramenti, ad ſacrorum apicum exarationem infuſo.* ibid.

§ VI. *In Calicem S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis, ſacrificantis, ſpecioſa gemma cælitus immiſſa.* 238

§ VII. *S. Leo ſummus Pontifex, diuinitùs euocatus ab Epiſcopatu Tullenſi, ad ſummum Eccleſiæ principatum, quot annis ſeſſurus eſſet in ſede Apoſtolica, & aliquot eius ſucceſſores: per ſymbolum aureorum calicum quos B. Petrus ipſi apparens, in manus dedit, accepit myſticum indicium.* ibid. & ſeq.

§ VIII. *Henricus II. Imperator, tam graui morbo affectus, vt ipſi vix adhuc in pectore vitalis halitus ſupereſſet: repente ſanatus eſt à S. Laurentio ſibi apparente, & è calice aureo, aquam refrigerantem ſuper eum aſpergente.* 239

§ IX. *Victore II. celebrante, toxicô imbutus calix, in quo conſecratus erat ſanguis Domini, de more vt adoraretur, leuari non potuit ab ipſo Pontifice: vnde veneficus hypodiaconus confeſtim arreptus à dæmone, reatum ſuum fateri compulſus eſt; Pontiféxque fide ſubnixus, à præparato ſibi veneno, diuina virtute euaſit.* 240

§ X. *In Calicem iniectis Cardinalium ſchedulis, electionis Pontificis Romani fieri ſcrutinium: ita enim habet cæremoniale Romanum, approbatum ſpeciali decreto, à Gregorio XV. Pont. Max. Conſtitut. 19. edita anno 1621. quæ incipit,* Decet Romanum Pontificem. 241

§ XI. *Rex Francorum Chriſtianiſſ. in die conſecrationis ſuæ Rhemis, communicat poſt miſſæ ſacra ſolennia, ad ſummum altare, de manu Archiepiſcopi Rhemenſis, ſub vtraque ſpecie: Etenim poſt ſumptum ſub ſpecie panis adorandum Corpus Domini, itidem ſumit ſanguinem, ab Archiepiſcopo ſibi exhibitum in* Calice ſancto, *quo communicauit ipſe Pontifex cum miniſtris.* 243

§ XII. *In Regali Monaſterio S. Dionyſij in Francia, Miniſtri Altaris, Diaconus & Subdiaconus communicant ex ſpeciali priuilegio, cum Abbate, vel alio Sacerdote celebrante, corpus & ſanguinem Domini ſub vtraque ſpecie, hauſto de ſancto calice ipſo ſanguine ſacro per canulam auream conſecratam, Papali ſcilicet more, de quo conſtat in cæremoniali Romano.* Ex Antiqq. Abbatiæ S. Dionyſ. Iac. Dublet. l. 1. c. 48. 244. & ſeq.

§ XIII. *S. Philippi Nerij mira circa ſanctos Calices deuotio.* 246

§ XIV. *Calix ſanguine Martyrum imbutus, ab Angelo oſtenſus eſt in ſignum perſecutionis Anglicanæ Eccleſiæ, futuræque eius pacis, cùm impletus fuerit, indicium.* ibid. & ſeqq.

§ XV. *Hoſtia quæ conſecratur feriâ 5. in Cœna Domini, ad Communionem Sacerdotis in die Paraſceues (quâ ex præſanctificatis tantùm licet diuinis participare) non in vaſe ſolari, ſed in* ſancto Calice *aſſeruari debet.* Ex Manuali ſacrarum Cæremon. iuxta ritum S. R. E. part. 5. c. 9. 248. & ſeqq.

§ XVI. *Calices eſſe indicia Sacerdotij, didicit cœleſti viſu, Sancta Lidevvigis virgo, quæ ſub Eugenio IV. vita admirabilis curſum feliciter conſummauit.* Ex lib. 1. vitæ eius, ſub finem. 251

CAP. XVII. *Quæſtio, de ſignis quæ fiunt ſuper calicem ſanctum, déque eius eleuatione, & repoſitione, ab Iuone Carnotenſi, & Micrologo diſcuſſa.* 252

CAP. XVIII. *In forma conſecrationis Calicis Domini, cur potiùs quàm in conſecratione Panis Euchariſtiæ, dicitur,* Myſterium fidei; *cùm duæ ſpecies non conficiant niſi vnum idémque ſacramentum.* 254

CAP. XIX. *De arcanis Calicis, & tropologia; ſeu de diuerſis Calicibus in ſacra Scriptura deſignatis, eorúmque tam bona, quàm mala ſignificatione.* à pag. 256. ad 268

ARTIC. I. *De Calicis, in diuinis litteris myſtica moralíque theoria, in bono ſenſu.* 256

§ I. *Calix hæreditatis.* ibid.

§ II. *Calix inebrians, quàm præclarus!* 257

§ III. *Calix aquæ & ignis, qui & intellectus & ſapientiæ.* 259

§ IV. *Calix mixtus.* ibid. & ſeq.

§ V. *Calix ſalutaris, ſeu ſalutis.* 260

§ VI. *Calix paſſionis, ſeu Martyrij.* ibid. & ſeq.

§ VII. *Calix benedictionis.* 262

§ VIII. *Calix Domini.* 263

ARTIC. II. *De Calicis ſequiori, in Scriptura ſacra, ſignificatione.* 264

§ I. *Calix iræ Dei.* ibid.

§ II. *Calix furoris Domini.* 265

§ III. *Calix dexteræ Domini, id eſt potentiæ, peccatores punientis.* ibid.

§ IV. *Calix inebriationis.* 266

§ V. *Calix ſoporis.* ibid.

§ VI. *Calix Dæmoniorum.* ibid.

§ VII. *Calix Babylonis, ſeu abominationis.* 267

§ VIII. *Calix ignominiæ, mœroris, atque triſtitiæ.* ibid.

CAP. XX. *Arcana quædam ſacri Calicis ex Scriptura, Patribus & Theologis, ac hiſtoria Eccleſiaſtica.* 268

ARTIC. I. *Prophetia Iacob, de ſanguine vuæ.* ibid.

ARTIC. II. *Cur Paſſionem ſuam & memoriale mortis ſuæ, poculum ſcilicet ſanguinis ſui, Chriſtus D. Calicis nomine inſignierit.* 269

ARTIC. III. *Calix plenus mixto, iuſtitiæ & miſericordiæ Dei hieroglyphicum.* 270

ARTIC. IV. *Calix ſanguinis Domini, ſymbolum etiam diuinæ iræ, & gratiæ.* ibid.

ARTIC. V. *In ſancto Calice, myſterium lateris Chriſti in cruce percuſſi repræſentatur.* 271. & ſeq.

ARTIC. VI. *De Communione intincta; probatáne, vel damnata fuerit?* 274

ARTIC. VII. *In ſancto Calice eſſe vinum quod lætificat cor hominis.* 278

ARTIC. VIII. *De lacteo Calice, ſeu vino quod germinat virgines.* 279

LIBER IX.

De Patena ſacri Calicis. à pag. 281. ad 300.

CAP. I. PATENA *quid & vnde dicta?* 281

CAP. II. *Patenæ conſecratæ, in ſacrificio Euchariſtiæ vſus ſolennis.* 282

CAP. III. *De vſu patenæ in adminiſtratione corporis Domini.* 284

CAP. IV. *De Patenæ & Pyxidis differentia, patenarúmque, etiam quoad vſum Euchariſtiæ, diuerſitate; vbi etiam de Columbis aureis, aut argenteis, ciboriis pretioſis, in quibus ſuper altare Corpus Domini reponi ad cultum conſueuerat.* 285

De

De Columbis argenteis, auréiſque, in quibus recondebatur Corpus Domini. 286

De turriculis, ſeu turribus pretioſis, in quibus reponi itidem conſueuerat. 287

De ciboriis etiam pretioſis. 288

CAP. V. *De Patenis chriſmalibus.* 290

CAP. VI. *Patena, quaſi thalamus eſt Corporis Christi è cruce depoſiti, in ſancto die Paraſceues.* 292

CAP. VII. *Exhibito Corpore Domini ſuper Patenam, S. Bernardus Dæmonem expellit, & Guillelmum Pictauiæ Comitem, Deo & Eccleſiæ rebellem proſternit, & conuertit.* ibid. & ſeq.

CAP. VIII. *De myſteriis Patenæ ſacræ, ex priſcis interpretibus Eccleſiaſticorum rituum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* 295

CAP. IX. *De myſteriis Patenæ, ritu Græco, ſecundùm theoriam S. Baſilij; nec non etiam Syriaco more, & iterum Latino vſu.* 296

CAP. X. *De Patenæ myſteriis iuxta ordinem diuini officij Gothici Muſtarabum.* 297

CAP. XI. *De Myſtico ritu patenæ apud Indos.* 299

COROLLARIVM *de patena.* ibid.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS PARS ALTERA.

De multiplici Sacerdotum munere ac officio in Eccleſia Dei.

LIBRI V.

Ex Pontificali Rom. tit. de Ordinatione Preſbyteri, in admonitione ad Ordinandos.

Sacerdotem oportet OFFERRE, BENEDICERE, PRÆESSE, PRÆDICARE, ET BAPTIZARE. à pag. 301. ad 865

LIBER PRIMVS.

De officio Sacerdotis, quatenus ad offerendum Deo ſacrificium ordinatur, ſeu de munere offerendi. à pag. 305. ad 542.

CAP. I. CORPVS *& ſanguinem Domini, eſſe id ſacrificium, quod in Miſſa propriè offertur & ſacrificatur.* 305

ARTIC. I. *Vnicum, & proprium noui Teſtamenti ſacrificium eſſe Christi Corpus & ſanguinem, nec aliâ potuiſſe hoſtiâ legem gratiæ conſecrari & propagari. Ad quam oblationem, legis antiquæ omnia ſacrificia, vt ad rem vmbræ, ad archetypum figuræ, ferebantur, & in ea conſummantur.* 306

ARTIC. II. *Propter eximiam hoſtiæ dignitatem, quæ à Sacerdotibus noui Teſtamenti iugiter immolatur, iiſdem, & inferioribus altaris miniſtris, perpetuam continentiam fuiſſe iniunctam.* 315

CAP. II. *De obiecto ſacrificij Christiani, videlicet, quòd Deo vni & trino, ſolique debetur & offertur.* 322

CAP. III. *De miniſtro huius ſacrificij. vbi demonſtratur, quòd licèt Christus ſit qui præcipuè illud offert, tamen Sacerdos propriè quoque id offerat, ſed Christi nomine, cuius vices gerit, & perſonam repræſentat.* 330

CAP. IV. *Quo enucleatiùs agitur de ipſo Sacerdotali Miniſtro.* 332

ARTIC. I. *Sacerdotem Deo offerre ut Chriſti Miniſtrum, itidémque populo fideli diſpenſare ex officio, hoſtiam ſalutarem.* ibid. & ſeq.

ARTIC. II. *Vicem Chriſti gerit ſummi Sacerdotis, Epiſcopus ac Presbyter, in hoc ſacrificio.* 335

ARTIC. III. *Sacerdos in noui æternique Teſtamenti ſacrificio perſonam Domini induit.* 337

ARTIC. IV. *Sacerdotem celebrantem diuina myſteria, verè eſſe omnipotentiæ Chriſti organum.* 343

CAP. V. *Qualiter Sacerdos offerre debet, vt dignè & fructuosè ſuo officio defungatur.* 346

ARTIC. I. *Sacrificium Euchariſtiæ eſt mundè offerendum.* 349

§ I. *De cordis & manuum Offerentis munditia.* ibid.

§ II. *De confeſſione à Sacerdote Miſſam celebraturo præmittenda.* 351

ARTIC. II. *Rectè.* 361

DIGRESSIVNCVLA *aduerſus Petrum Molinæum, intentionem Sacerdotum Miſſæ ſacrificium celebrantium, ad turpe lucrum & pudendum commercium, impudenti calumniâ detorquentem.* 362

ART. III. *Legitimè.* 371

DIGRESSIVNCVLA *De Canone Miſſæ.* 372 & ſeq.

CAP. VI. *Sacerdotem acceptius Deo ſacrificium offerre non poſſe, quàm ſi Chriſtum offerentem in ipſa ſui immolatione imitetur.* 384

ARTIC. I. *Sacerdos offerendo Chriſti corpus & ſanguinem, eius non tantùm præceptum implere debet: ſed & exemplum ſequi, vt ſuum ſacrificium ſit plenum & perfectum.* ibid.

ARTIC. II. *Chriſti exemplo offerat Sacerdos incruentam hoſtiam, in odorem ſuauitatis.* 385

ARTIC. III. *Sacerdos offerendo incruentum Miſſæ ſacrificium, paſſionem Domini potiſſimùm imitetur.* 389

ARTIC. IV. *De ipſa ratione, modóque imitationis mortis & paſſionis Domini, quibus vti debet Sacerdos celebrando incruentum Miſſæ ſacrificium.* 392

§ I. *Imitandum ante omnia, feruens Chriſti deſiderium.* ibid.

§ II. *Agonia Chriſti, contritio Sacerdotis.* 394

§ III. *Chriſtus in procinctu ſuæ Paſſionis confortatus fuit ab Angelo: opem angelicam Sacerdos tremenda myſteria celebraturus imploret, quâ indiget plurimùm.* 396

§ IV. *Sanctorum etiam ſuffragiis poſtulet adiuuari, cùm & Chriſtus qui paſſionem ſuam ab oratione incepit, Petrum, Iacobum & Ioannem orare & vigilare ſecum voluerit; ad præbendum exemplum expetendæ Sanctorum comprecationis, quando ſacrificium Deo eſt offerendum.* 399

§ V. *Imprimis glorioſæ ſempérque Virginis Mariæ Genitricis Dei ſuffragia imploranda ſunt à Sacerdote.* 401

§ VI. *Chriſtum ſeſe totum hoc in ſacrificio (vt in cruce) æterno Patri offerentem Sacerdos celebraturus potiſſimùm imitetur.* 405

PVNCTVM I. *Quæſtio celebris, de re in qua conſiſtit ſacrificij Miſſæ formalis ratio.* 406

PVNCTVM II. *Conſecratio & oblatio Sacerdotis Miſſæ ſacrificium celebrantis.* 409

CAP. VII. *Pro quibuſnam Miſſæ ſacrificium offerri poteſt?* 415

ARTIC. I. *De Sanctis in cœlo beatis.* 416

ARTIC. II. *De fidelibus defunctis in purgatorio detentis.* 420

ARTIC. III. *De Damnatis.* 426

ARTIC. IV. *De infidelibus & impiis.* ibid. & ſeq.

ARTIC. V. *De Iudæis incredulis.* 429

ARTIC. VI. *De Hæreticis & ſchiſmaticis.* 432

ARTIC. VII. *De Excommunicatis atque induratis peccatoribus.* 434

ARTIC. VIII. *De fidelibus viuentibus, ſeu populo ſancto Dei.* 436

CAP. VIII. *Quo fine Miſſæ ſacrificium offerendum eſt.* 440

ARTIC. I. *Miſſæ ſacrificium offertur præſertim ad Deum colendum ſummo obſequio & honore.* ibid.

ARTIC. II. *Idem offertur ad Deum placandum, & peccata noſtra expiandum.* 445

DIGRESSIVNCVLA POLEMICA *pro vero Eucharistiæ ſacrificio, eóque propitiatorio.* contra Petrum Molinæum. 448

ARTIC. III. *Hoc ipſum ſacrificium impetratorium eſſe.* 472

ARTIC. IV. *Eſſe etiam ſacrificium laudis & gratiarum actionis.* 470

CAP. IX. *De loco ſacrificij.* 474

ART. I. *ſeu* Diſceptatiuncula, *de altarium antiquiſſimo vſu in Eccleſia: materia, forma, fine, ſitu, ſingularitate, & pluralitate* aduerſus Petrum Molinæum, Caluiniſtarum rigidiorum in Gallia anteſignanum. 475

§. I. *An altaris nomen, pro primordiali menſæ vocabulo, ſenſim irrepſerit?* ibid.

§. II. *An altaria, primis Eccleſiæ ſæculis fuerint tantùm lignea.* 478

§. III. *De forma altaris, atque fine ad quem erigitur: ac itidem de ſitu.* 482

§. IV. *Quod etſi plerumque vnum, tamen plura iam olim in Eccleſia altaria erant.* 483

ARTIC. II. *An in omni loco, ritè & canonicè ſacrificari poſſit?* 488

§. I. *An Miſſæ ſacrificium poſſit in naui, ſupra mare, vel ſuper flumen celebrari?* 489

§. II. *De Altari portatili.* 492

CAP. X. *De legitimo ſacrificij Miſſæ celebrandi tempore.* 496

ARTIC. I. *Vtrum omni die liceat Sacerdotibus, diuinum Miſſæ ſacrificium celebrare?* ibid.

ARTIC. II. *An ſint aliqui dies, quibus vetitum ſit lege aliqua, diuinâ, vel Eccleſiaſticâ, offerre incruentum Miſſæ ſacrificium.* 497

§. I. *De feria 5. in Cœna Domini.* ibid.

§. II. *De Feria 6. in Paraſceue.* 499

§. III. *De Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ.* 501

ARTIC. III. *De hora Canonicè præſcripta, ad ritè celebrandum venerabile Miſſæ ſacrificium.* 503

CAP. XI. *De Sacerdotali debito offerendi: ſeu, de obligatione ſingulorum Presbyterorum Miſſæ celebrandi ſacrificium, ex officio Ordinis.* 508

ARTIC. I. *Quô diſcutitur quæſtio ſcitu non indigna, num Presbyter ſit Sacerdos?* ibid. & ſeqq.

ARTIC. II. *An Sacerdos quilibet teneatur ex officio, ſaltem aliquoties in anno, Miſſæ ſacrificium celebrare?* 520

§. I. *Vtrum omnis Sacerdos ad celebrandum quotidie teneatur.* 521

§. II. *An liceat Sacerdoti, plures miſſas eodem die, præter diem Natalis Domini, celebrare.* 523

§. III. *An vera ſit eorum opinio, qui Sacerdotem volunt, celebrando aliquoties venerabili Miſſæ ſacrificio, nullo iure aſtringi.* 525

PVNCTVM I. *Præceptum dari peremptorium, quo ſinguli Sacerdotes, Miſſæ ſacrificium, aliquoties ſaltem celebrare obligantur.* 526. & ſeq.

PVNCTVM II. *Præceptum illud obligare ſub peccato mortali.* 533

PVNCTVM III. *Num ſufficiat Sacerdoti, ad muneri ſuo, præceptóque ſatisfaciendum, de celebrando aliquoties ſaltem, venerabili Miſſæ ſacrificio, ſi ter vel quater tantùm in anno, hoc munus diuinum exequatur.* 535

PVNCTVM IV. *Qua ratione Sacerdos legitimè excuſari poteſt: non ſolùm à quotidiana, ſed etiam à frequenti adeò celebrationis obligatione.* 538

LIBER II.

De Munere Benedicendi. à pag. 542. ad 639

CAP. I. DIVERSA *verbi* Benedicere, *acceptio; ſecundùm ſacram Scripturam.* 542.

CAP. II. *Ordinari Sacerdotem ad benedicendum.* 543
CAP. III. *Primarium eſſe munus Sacerdotis, Deo benedicere.* 546
CAP. IV. *Sacerdotem benedicere populo, vice Chriſti.* 549
CAP V. *De iis perſonis, quibus ex officio Presbyter benedicit.* 550
ARTIC. I. *De Catechumenis adultis, & regenerandis infantibus.* ibid.
ARTIC. II. *De Energumenis.* 551
ARTIC. III. *De Pœnitentibus.* 552
ARTIC. IV. *De Coniugio copulandis.* ibid.
ARTIC. V. *De Lectoribus, ſacras Lectiones in diuino officio recitantibus.* 554
ARTIC. VI. *De Diacono, Euangelium in venerabili Miſſæ ſacrificio pronunciante.* 555
ARTIC. VII. *De Populo, venerabili Miſſæ ſacrificio aſſiſtente.* 557
ARTIC. VIII. *De Infirmis.* 560
CAP. VI. *De rebus, quas in ſubſidium humani generis, in ordine ad ſalutem animæ, vel corporis ſanitatem, Sacerdos benedicit.* 563
ARTIC. I. *De benedictione rerum inanimatarum in genere.* ibid.
ARTIC. II. *De benedictione Aquæ.* ibid.
§. I *De benedictione aquæ Baptiſmalis.* ibid. & ſeq.
§. II. *De Aqua piaculari, quæ benedicta vulgò dicitur, ea ſcilicet quæ cum ſalis permixtione, diebus Dominicis, in Parochiis, à propriis earum Sacerdotibus benedicitur.* 564
ARTIC. III. *De benedictione ſalis.* 566
ARTIC. IV. *De benedictione ignis.* 569
ARTIC. V. *Benedictio incenſi.* 570
ARTIC. VI. *Benedictio panis in Miſſa parochiali.* 573
ARTIC. VII. *Benedictio vini, lactis, & mellis.* 575
ARTIC. VIII. *Benedictio olei.* 576
ARTIC. IX. *Benedictio Cerei Paſchalis.* 579
ARTIC. X. *Benedictio Cereorum & Candelarum in feſto Purificationis intemeratæ Virginis ſanctiſſimæ Dei-genitricis Mariæ.* 583
ARTIC. XI. *Benedictio Cinerum, feriâ 4. in capite Ieiunij.* 586
ARTIC. XII. *Benedictio palmarum, ſeu ramorum, Dominicâ quæ Paſcha reſurrectionis Chriſti proximè antecedit, ſolito more à Sacerdote peragenda.* 589
ARTIC. XIII. *Benedictio agni in Paſcha.* 593
ARTIC. XIV. *Benedictio ouorum & caſei in ſolemnitate Paſchali.* 594
ARTIC. XV. *Benedictio vuæ, fabæ, frumenti, & nouarum frugum.* ibid.
ARTIC. XVI. *Benedictio ad quodcumque comeſtibile.* 595
ARTIC. XVII. *Benedictio Menſæ.* 597
ARTIC. XVIII. *Benedictio ſegetum.* 600
ARTIC. XIX. *Benedictio noui putei.* 601
ARTIC. XX. *Benedictio nouæ domûs, & cuiuſlibet loci.* 602
ARTIC. XXI. *Benedictio nauis.* 605
ARTIC. XXII. *Benedictio campanæ, ſeu tintinnabuli.* 606
ARTIC. XXIII. *Benedictio thalami coniugalis.* 608
ARTIC. XXIV. *Benedictio ſepulchri.* 609.
§. I. *De Benedictione ſepulchri Sanctorum, ſeu loculi, aut arculæ, cui ſacra eorum reliquia, ad ſeruandum debito cum honore, in altaris meditullio reconduntur.* ibid.
§. II. *De Benedictione ſepulchri fidelium.* 610
ARTIC. XXV. *Benedictio cuiuſcumque rei, ad hominis ſubſidium vtilis.* 612
CAP. VII. *De abſolutione Sacramentali, quam Patres* pœnitentiũ benedictionẽ *appellabant.* ibid.
CAP. VIII. *De modo vtendi poteſtate, quâ Deo reconciliantur pœnitentes, per abſolutionis & benedictionis Sacerdotalis officium.* 615
INSTRVCTIO CONFESSARIORVM, *ſeu, Methodus ad ritè pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum.*
à S. Carolo Borromæo, tit. S. Praxedis Cardinale, ac Mediolanenſi Archiepiſc. in ſuorum gratiam Italicè conſcripta, deinde verò à Religioſis doctiſque viris Latinè reddita. *à pag.* 618. *ad* 639

LIBER III.

De officio Præſidendi. à pag. 639. ad 667

CAP. I. SACERDOTIVM, *eſſe ordinem principantem.* 639
CAP. II. *Altari Sacerdotem præeſſe.* 642
CAP. III. *Sacerdotis proprium eſſe officium præeſſe ſacris.* 647
CAP. IV. *De Præfectura animarum, quibus præſidet proprius Sacerdos.* 648
ART. I. *Debitum gregis erga Paſtorē.* ibid.
ARTIC. II. *Officium Paſtoris erga gregem ſuum.* 650
§ I. *Sollicitudo Paſtoris.* 651
§ II. *Prudentia.* 653
§ III. *Patientia.* 659
§ IV. *Amor Dei.* 661
CAP. V. *Paſtoris officium eſſe, ouibus ſuis, bonorum operum exemplis præire.* 663

LIBER IV.

De Officio Prædicandi. à pag. 667. ad 831

CAP. I. QVANTA *dignitas ſit, prædicare verbum Dei?* 667
CAP. II. *Euangelicæ prædicationis, Epiſcopum præcipuum eſſe diſpenſatorem.* 672
ARTIC. I. *Quo iure, & quibus rationum momentis, Epiſcopus ad id muneris obligatur?* ibid.
ARTIC. II. *An caſus, cauſæque aliquot legitimæ ſubſint, quibus Epiſcopus fiat actualis huius obligationis expers?* 685
CAP. III. *Presbyteris etiam ius prædicationis competere, tam inſtitutione diuinâ, quàm vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu & perenni vſu.* 689
CAP. IV. *Obiectiones cum ſolutionibus.* 698
ARTIC. I. *De obligatione prædicandi, quâ Presbyteri animarum regimini præfecti, ipſo hoc titulo obſtringuntur.* 700
CAP. V. *De ætate legitima Prædicatoris Euangelici.* 705
CAP. VI. *An iuuenilis ætas, ex dictis, omnino à ſtudio & officio prædicationis excludatur.* 710
CAP. VII. *De auxilio diuino, ante omnia expetendo Sacerdoti, vt prædicationis officium piè & feliciter aggrediatur.* 713
CAP. VIII. *Opem Beatiſſimæ Virginis Dei-genitricis deuotè poſtulandam eſſe, etiam publicè, iuxta piam iam olim receptam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem.* 716
ARTIC. I. *Sanctiſſimam ipſam Virginem, Apoſtolorum & Euangeliſtarum Magiſtram verè extitiſſe.* ibid. & ſeq.
ARTIC. II. *Prædicatorum eſſe quoque opitulatricem: & hinc pium morem exortum, vt à ſalutatione Angelica conciones ſuas auſpicentur.* 719
CAP. IX. *De morali eius diſpoſitione, qui accedit ad prædicandi verbi diuini miniſterium.* 721
ARTIC. I. *Concionatori vitia prius iugulanda in ſeipſo, quàm in populo inſectanda.* ibid.
ARTIC. II. *An Concionator, qui extra ſtatum gratiæ prædicat verbum Dei, mortalis culpæ incurrat reatum.* 723
ARTIC. III. *Non ſolùm ſceleris purum, ſed virtute præſtantem, & pietate conſpicuum Prædicatorem eſſe oportet.* 725
ARTIC. IV. *Concionatorem, quatuor virtutibus Cardinalibus, præditum eſſe debere.* 727
§ I. *De iuſtitia.* ibid. & ſeq.
§. II. *De fortitudine.* 731
§ III. *De Prudentia.* 736

PVNCTVM I. *De 8. virtutis Prudentia, Concionatori neceſſariis actibus.* 737

ACTVS I. *Terrena deſpicere, Deique imprimis quærere gloriam, & propriam ac populi ſalutem.* ibid.

ACTVS II. *Diuinarum & humanarum rerum coniungere notitiam: vicibúſque alternis meditationi & actioni immorari.* 738

ACTVS III. *Mala cauere, & bona eligere.* 741

ACTVS IV. *Media ad finem rectè eligere & oſtendere, vt bonus finis qui intenditur, obtineri poſſit.* 743

ACTVS V. *Veri finis cognitio & vſus.* 745

ACTVS VI. *Præteritorum recordatio, conſideratio præſentium, & futurorum præuiſio.* 750

ACTVS VII. *Moderatio linguæ.* 751

ACTVS VIII. *Non alta ſapere, ſed humilibus conſentire, & ad audientium captum, ſermonem contemperare.* 752

§ IV. *De Temperantia.* 753

ARTIC. V. *De reliquis virtutibus Concionatori neceſſariis.* 756

CAP. X. *De Sede, ſeu Cathedra Prædicatoris.* 758

CAP. XI. *De ſcientia Prædicatoris.* 762

CAP. XII. *De Eloquentia.* 768

ARTIC. I. *An Apoſtoli, & ſignatim ſanctus Paulus, expertes fuerint facultatis Eloquentiæ.* ibid.

ARTIC. II. *Quibus legibus & documentis Apoſtolus Paulus, in Timotheo ſuo, prædicatorem Euangelicum inſtituerit.* 770

CAP. XIII. *De rectè dicendi docendique ratione à SS. Eccleſiæ Patribus, ſacro Concionatori tradita & præſcripta.* 772

§ I. *Ex S. Cypriano, tract. de Oratione Dominica, in ipſo exordio.* ibid.

§ II. *Ex Origene, hom. 3. in cap. 13. Ezechiel.* 773

§ III. *Ex S. Baſilio, in Moralibus c. 23.* ibid.

§ IV. *Ex S. Gregorio Nazianz. Orat. 1.* inter initium & med. *vbi oſtendit quàm ſit difficile rectè concionari.* ibid. & ſeq.

§ V. *Ex S. Ioan. Chryſoſtomo, homil. 30. in Acta.* 775

§ VI. *Ex S. Ambroſio, Enarratione in Pſal. 118. Octonario X I.* ibid.

§ VII. *Ex eodem, in 1. Cor. 1. ad illa verba Apoſtoli,* Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. 776

§ VIII. *Ex S. Hieronymo, epiſt. quæ eſt ad Nepotianum.* ibid.

§ IX. *Ex S. Auguſtino, lib. 4. de doctrina Chriſtiana.* 778

§ X. *Ex S. Gregor. Magno, in Paſtorali part. 1. cap. 8.* 779

Ibid. *part. 2. cap. 4.* ibid.

Ibid. *cap. 6. in fine.* ibid.

Ex eodem, ſuper Ezechielem. ibid.

Ex eodem in Moralibus. ibid.

Ex eodem in libros Regum. 780

Ex eodem homil. 30. ſuper Euangelia. ibid.

Ex eodem in iam citato Paſtorali. ibid.

Ex eodem in homiliis. ibid.

Ex eodem in Moralium libro 20. cap. 1. ibid.

Idem lib. 9. Moral. c. 1. ibid.

§ XI. *Ex S. Bernardo, in ſerm. 18. ſuper Cantica.* 780. & ſeq.

CAP. XIV. *Spiritu compunctionis, magis quàm dictionis elegantia poſſe concionatorem, auditores ſuos commouere; ideóque potiſſimùm in eo deſiderari gemitum Columbæ, & vocem turturis.* 782

ARTIC. I. *De vi & modo Eloquentiæ ſacræ.* ibid. & ſeq.

ARTIC. II. *De ſpiritu compunctionis, ſine quo eloquentia concionanti parum proficit.* 785

ARTIC. III. *De gemitu columbæ, eiuſque ſimplicitate, aliiſque proprietatibus à Concionatore imitandis.* 786

ARTIC. IV. *De voce turturis, ciuſque à columba, multiplici differentia, & Concionatoris tam myſtica, quàm morali cum turture conformitate.* 789

CAP. XV. *De ſubiecto, ſeu materia propria prædicationis.* 795

ARTIC. I. *De materia ipſa in genere.* ibid.

ARTIC. II. *Scripturam ſacram, librum eſſe Sacerdotalem, à Chriſti miniſtris ſedulò meditandum, ſingulariter profitendum, & ſolidè ac perſpicuè prædicandum.* 797

§ I. *Sacra Scriptura liber eſt Sacerdotalis.* ibid.

§ II. *A Concionatore ſedulò meditandus.* 799

§ III. *Vnicè profitendus.* 804

§ IV. *Solidè ac perſpicuè prædicandus.* 805

CAP. XVI. *De Scripturæ Sacræ excellentia ac multiplici vtilitate.* 807. & ſeq.

CAP. XVII. *De doctrina SS. PP. à Prædicatore, vigili ſtudio veſtiganda, atque in concione inſtanter & honorificè Chriſtiano populo proponenda.* 816

CAP. XVIII. *Vti licere ſacro Concionatori humanæ litteræ apparatu: ſed quaſi adminiculo duntaxat, verbo Dei, & traditioni Eccleſiæ, doctrinæque PP. adhærenti, tamquam fundamentali principio.* 819

CAP. XIX. *De modo & forma legitimè prædicandi, Concionatoribus à ſacris Conciliis præſcripta.* 823

ARTIC. I. *Ex Concilio Oecumenico Lateranenſi, ſub Innocentio III. c. 3. cuius titulus eſt.* vt excommunicentur qui ſine licentia prædicant. ibid.

ARTIC. II. *Ex Concil. item Lateranenſi incepto ſub Iulio II. at verò abſoluto ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi de officio veri Prædicatoris.* ibid.

ARTIC. III. *Ex Concilio Prouinciali Senonenſi Pariſiis celebrato, Præſide Antonio à Prato, Cardin. tit. S. Anaſtaſiæ & Archiep. Senon. anno 1528. ſedente Clemente VII.* 825

ARTIC. IV. *Ex Concil. Colonienſi, ſub Hermanno Archiepiſcopo, celebrato ſub Paulo III. an 1536. Pars 6. eſt tota* de diſſeminatione verbi Dei. ibid.

ARTIC. V. *Ex Oecumenico Concil. Tridentino, ſeſſ. 5. ſub ipſo Paulo III. in decreto de reform. c. 2.* 826

ARTIC. VI. *Ex Concill. Gallicanæ Eccleſiæ poſt Concil. Trid. celebratis.* 827

CAP. XX. *Regulæ breues, ſed peraptæ ad rectè prædicandum, verbi Dei Concionatoribus præſcriptæ, à S. Carolo Boromæo S. R. E. Tit. S. Praxed. Cardinale & Legato, Mediolanenſi Archiep. & promulgatæ in ſua prouinciæ primis Comitiis, primo ſcilicet Concil. Mediol. ſub tit.* de prædicatione verbi Dei. 829

LIBER V.

De Miniſterio Baptiſmi. à pag. 831. ad 861

CAP. I. *An Chriſtus Baptiſmi ſit miniſter primus & principalis.* 831

CAP. II. *Sitne ita neceſſarium, miniſtrum baptiſmi eſſe hominem, vt Angelus hoc Sacramentum conferre non poſſit?* 835

CAP. III. *Epiſcopum eſſe primum & principalem miniſtrum ordinarium baptiſmi.* 837

CAP. IV. *Presbyterum eſſe etiam ordinarium & legitimum miniſtrum huius Sacramenti.* 840

CAP. V. *Diaconum eſſe ſubſidiarium miniſtrum baptiſmi.* 843

CAP. VI. *De inferioribus Clericis, vtrum ius quoddam habeant ſui ordinis titulò, conferendi baptiſmum?* 845

CAP. VII. *De laïcis: Num eis in-*

ſtante neceſſitate, abſente Epiſcopo, vel Sacerdote (quibus ex officio munus baptizandi competit;) num & Diacono; ac inferioribus Clericis, baptiſmum miniſtrare liceat? 846
CAP. VIII. *Mulieribus an liceat, in caſu neceſſitatis baptiſare.* 849
CAP. IX *De Hæreticis baptiſmum miniſtrantibus.* 851
CAP. X. *De Baptiſmo collato ab infidelibus, cum recta intentione ſeruatâ formâ, & materiâ legitimè adhibitâ.* 854
CAP. XI. *De intentione Miniſtri.* 855
CAP. XII. *De ieiunio olim à ſacris Eccleſiæ Miniſtris, baptiſmum conferentibus, obſeruato: & ſobrietate ab iis qui etiamnum illum adminiſtrant, ſtudiosè colenda.* 856
CAP. XIII. *De linitione chriſmatis in vertice baptiſmi candidatorum, ſeu infantium, ſeu adultorum, à Preſbytero facienda.* 857
CAP. XIV. *Parænesis ad Sacerdotem, baptiſmum ex officio miniſtrantem.* 861

AVCTOR LECTORI

ſuper ſequentes appendices. 864

APPENDIX PRIOR.

De Chriſti inuocatione & adoratione, necnon totius diuinæ Trinitatis ſupremo cultu in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Contra Petr. Molinæum Miniſtrum Caluiniſtam. à pag. 865. ad 880

ART. I. *HOrrendam eſſe Molinæi impoſturam, quòd Carthaginenſis Concilij III. Patres prohibuerint, can. 23. Chriſtum Dominum in altari inuocari ac etiam adorari.* 865
ARTIC. II. *Nouas hæreſes in Arianiſmum vergere, ſicque Molinæum de Sacramentaria ſecta, in Arianam impietatem ſenſim eſſe delapſum.* 870
ARTIC. III. *Chriſto Domino, vt Deus eſt verus cum Patre & Spiritu ſancto, iure ſacrificium Euchariſtiæ offerri.* 872
ARTIC. IV. *Spiritui ſancto idem offerri pariter venerabile ſacrificium: proinde & toti indiuiduæ Trinitati.* 873
§. I. *De Spiritu ſancto.* ibid.
§. II. *De ſancta & indiuidua Trinitate.* 877

APPENDIX ALTERA.

De Adoratione Corporis Domini in ſacro-ſancto altaris Myſterio.

Contra Molinæum. 880. ad 929

§ I. *DE teſtimonio S. Dionyſij Areopagitæ.* 881. & ſeq.
§ II. *De teſtim. S. Cyrilli Hieroſolymit.* 887. & ſeqq.
§ III. *De teſtim. S. Gregorij Nyſſ.* 892. & ſeq.
§ IV. *De teſtimonio SS. Ambroſij & Auguſtini.* 894. & ſeq.
§ V. *De teſtimonio S. Hieron.* 898. & ſeq.
§ VI. *De teſtimonio S. Ioan. Chryſoſtomi.* 900. & ſeqq.
§ VII. *De teſtimonio Theodoreti.* 905. & ſeqq.
§ VIII. *De teſtimonio S. Hieronymi iterum, cuius auctoritate abutitur Molinæus.* 913. & ſeqq.
§ IX. *Molinæum falsò criminari SS. PP. Auguſtinum & Hieronymum, quòd fuerunt auctores diſtinctionis ſæpiùs ab ipſo inductæ & inculcatæ: videlicet, inter Chriſti corpus verum & naturale, & corpus ſacramentale ſeu repræſentatiuum, quod in Euchariſtia tantùm eſſe Molinæus ipſe contendit.* 916. & ſeqq.
§ X. *Diſtinctionem illam falſiſſimam eſſe & pernicioſiſſimam.* 920. & ſeqq.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

PANO-

PRIMÆ PARTIS PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER PRIMVS.

DE AMICTV.

CAPVT I.

De nomine Amictus.

AMICTVS generatim ſumitur in ſacris litteris pro omni indumento, totóque habitu corporis. hinc Pſalm. 103. 6. *Sicut veſtimentum amictus eius* Thren. 4. 2. *Amicti auro primo*, id eſt auro textili puriſſimo induti: ſic & 2. Mach. 3. 26. *apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu.* Similiter in nouo Teſtamento legimus Heb. 1. 12. *velut amictum mutabis eos*, &c. Id eſt velut veſtimentum quod induitur & exuitur ſine corporis vlla læſione aut immutatione, Apoc. 7. 9. Beati cum Chriſto regnantes, à dilecto eius diſcipulo triumphantes conſpecti ſunt, *amicti ſtolis albis*, *& palmæ in manibus eorum.* Ibidem 10. 1. apparuit Angelus, *amictus nube* 12. 1. *Mulier amicta ſole* 18. 16. Sponſa *amicta byſſo.* Sed quid plura? totus ſummi Sacerdotis apparatus amictus nomine continetur, Eccleſ. 50. 12. *in aſcenſu altaris ſancti, dedit gloriam, ſanctitatis amictum.*

Verùm in Panoplia Sacerdotali, nouæ Legis amictus, pro ſpeciali parte ſacri veſtitus vſurpatur, ſcilicet pro veſte illa linea quam primùm Sacerdos capiti imponit & humero inicit ſacrum facturus. Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 40.* *Eſt primum*, inquit, *veſtimentum noſtrum, quo collum vndique cingimus.* Cuius etiam, diſſerentes de ſacerdotali habitu, expreſſim meminerunt Rupertus Abbas Tuitienſis

lib. 1. de diuinis officiis c. 19. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. p. 4. Alexander Alenſis part. 4. q. 26. Innocentius III. lib. 1. Myſter. Miſſ. c. 35. Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. Gemmæ animæ, ſeu de antiquo Miſſæ ritu c. 201. S. Bonauentura in expoſitione myſter. Miſſæ; Durandus Rationalis lib. 3. c. 12. & recentiores paſſim.

Reperitur & apud Latinos veteres amiculum memoratum, idque Reginarum fuiſſe *regillum.* quanquam S. Iſidorus Originum lib. 19. c. 25. cuius titulus eſt, *de palliis fœminarum*, ſequiorem in partem amiculum accipit: *Amiculum eſt*, inquit, *meretricum pallium lineum. Hoc apud veteres matronæ in adulterio deprehenſæ induebantur, vt in tali amiculo potiùs quàm in ſtola polluerent pudicitiam. Erat enim hoc apud veteres ſignum meretriciæ veſtis: nunc in Hiſpania honeſtatis.* Hæc S. Iſidorus. Ceterum Cardin. Baronij hîc verba non ineptè referri poſſunt, quæ habet in notis Martyrologij ad diem 7. Maij (ad Natalem Flauiæ Domitillæ in ipſo fine) *Amiculum* (ait) *dictum eſſe pallium lineum quod vſui erat meretricibus, quo & amiciebantur matronæ in adulterio deprehenſæ, Iſidorus teſtatur: Verùm amiculum pro omni velaminis genere frequentiùs vſurpatum reperi.* Idque diis datum, illud Valerij Max. inſinuat, *detracto etiam Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, iniectóque ei laneo pallio;* Vnde etiam licet elicere fuiſſe pallij genus; nam auctore Feſto, genus veſtimenti eſt à circumiectu dictum. Certè amictus, amictorium, & amiculum, ſi vocis originem ſpectemus à verbo amicio prodeunt, quod veſtire & operire ſonat. Quia tamen ancipitis ſignificationis erat amiculum, cùm bono & malo ſignificatu ſumi poſſet, abſtinuit prudenter Eccleſia ab hoc nomine in deſignatione veſtis ſacerdotalis: Et quamuis amictorium neutiquam malè audiat, tamen quia indicat veſtimentum puellare, candidum & ſubtiliſſimum ex lino, quo ſolet puellarum pectus operiri, vt ex Martiale in diſtichis conſtat: vti idcircò Eccleſia noluit hoc nomine, ſed maluit opertorium capitis Sacerdotis *amictum* nuncupare, cuius ſignificatio tam in ſacris quàm in profanis litteris paſſim quid honeſtum innuit, nec vnquam vergit in rei cuiuſpiam indecentis pronam acceptionem. Atque hactenus de nomine.

CAPVT II.

An Superhumerale, vel Ephod, idem ſit quod amictus?

PROMISCVE Rituales auctores nonnulli, iam olim amictum ſacerdotalem pro humerali ſiue ſuperhumerali acceperunt. Quin Alcuinus amictus non meminit hoc nomine; at ſuperhumeralis dumtaxat, titulo *de ſingulis veſtibus*: verùm hîc de humerali presbyterorum non agit, at de Ephod ſeu ſuperhumerali Hebraïci Sacerdotis. At titulo ſequenti, quo de Epiſcopalibus diſſerit indumentis. *Poſt ſandalias*, inquit, *in Eccleſiæ veſtimentis ſequitur ſuperhumerale, quod fit ex lino puriſſimo.* poſteà ſcribit de podere, ſeu alba; *poſteà*

ſequitur poderis, ait, *quæ vulgò alba dicitur.* Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu c. 201. *Hinc* (*poſt* lotionem manuum) *humerale, quod in lege Ephod, apud nos amictus dicitur, ſibi imponit.* Sanctus Hieronymus ep. 128. ſignatim ait: *Vbicumque in Exodo, ſeu in Leuitico, ſuperhumerale legitur, ſciamus apud Hebræos Ephod appellari: hoc autem eſſe Pontificis veſtimentum in quadam epiſtola ſcripſiſſe me memini;* Videlicet in epiſtola ad Fabiolam de veſte Sacerdotali. Ex recentioribus, La Cerda c. 51. Aduerſariorum ſacrorum nu. 18. paucis multa complexus, *Amictus*, inquit, *humerale & ſuperhumerale, idem omnino ſunt*, Non tamen mentem aperit circa præſentem quæſtionem: An ſcilicet idem ſit cum Ephod Hebræorum? Honorius præfatus id diſertè aſſerit. Diſcutienda eſt igitur eiuſmodi opinio: ex cuius examine, lemmatis huius tota deciſio pendet. Ceterùm huic dirimendæ confert plurimum diatriba noſtra inſerta lib. 5. part. 1. Panopliæ Clericalis c. 5. quo de ſacris conferendæ Tonſuræ ritibus tractantes, diſquirimus, *num ſuperlicium, vel ſuperpelliceum Eccleſiaſticum idem ſit cum Ephod veteris legis?* vbi hoc problema negatiuè reſoluimus: Tametſi verò videar ibidem annuiſſe iis qui eandem eſſe rem Ephod cum amictu exiſtimant; attamen, ea demum opinio mihi attentiùs meditanti, non eſſe vera viſa eſt: Tum quòd Ephod illud proprium ſolius eſſet Pontificis, amictus verò omnium altaris miniſtrorum commune ſit indumentum: tum quòd amictus ſit ex lino, Ephod autem ex auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto & byſſo retorta contextum eſſet, Exod. 28. Ceterùm non materia tantùm, ſed & forma longè differt Ephod ab amictu. Eleganter Sanctus Hieronymus ep. 128. ad Fabiolam, de veſte Sacerdotali, Ephod ſeu ſuperhumerale priſci Pontificis deſcribit: *Auri laminæ*, inquit, *id eſt bracteæ, mira tenuitate tenduntur, ex quibus ſecta fila torquentur, cum ſub tegmine trium colorum hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum ſtamine byſſino efficitur palliolum miræ pulchritudinis, perſtringens fulgore oculos, in modum caracallarum, ſed abſque cucullis.* Quid quæſo hoc cum ornatu commune habet noſter Sacerdotalis amictus? Verùm ſuprà ſignata diſſenſio facilè conciliari poteſt, ſi dicamus, reuera hunc ipſum noſtrum amictum nihil affinitatis habere cum Ephod veteris Pontificis, ſed nonnihil conuenire cum Ephod ſimplici, cuius vſus ceteris Sacerdotibus conceſſus erat: *Aliud eſt enim* (ait ſanctus Hieronymus vbi ſuprà) *Ephod, ex quatuor coloribus, id eſt hyacintho, byſſo, cocco, purpura, & ex auro habere contextum, quod omnis ſcriptura teſtatur ſacrum quoddam eſſe, & ſolis conueniens Pontificibus: Aliud in ſimilitudinem ſacerdotum ſimplex & lineum.* Sicut igitur amictus noſter ſimplex lineus prorſus differt à ſplendido illo ſuperhumerali pontificio, quod ſolius ſummi Sacerdotis proprium erat; ita perſimilis haud abs re cenſeri debet ſimplici illi totóque lineo humerali, quod ſecundi ordinis Sacerdotibus pridem erat in vſu. Idem geſtatum fuiſſe à Samuële, quin & Dauide, S. ipſe Hieronymus inſinuat. *Nec ſtatim occurrat*, inquit, *quod Samuel, qui Leuita fuit, ſcribitur in regnorum primo, habuiſſe ætatis adhuc paruulæ, Ephod-bad, id eſt ſuperhumerale lineum: cum Dauid quoque ante arcam Domini idem portaſſe referatur.*

CAPVT III.

De Mitella, ſeu ornato Amictu Eccleſiaſtico.

AMICTVM quidem omnibus ſacris miniſtris cum alba conceſſum, ſunt plerique qui velint mitræ loco fuiſſe, mitellámque ideo etiam appellatum. Cui opinioni fauet Eccleſiæ Pariſienſis mos perantiquus, etiamnum perdurans, quo Sacerdos cum miniſtris ſacris operando myſteriis, amictum cum ſtola ſic ornatum gerit, vt ſupra ipſum videre ſit ex holoſerico, vel textura aurea, aliáve pretioſa materia, opificio caſulę, vel dalmaticarum conſimili aſſutam plagulam, decenter verticem cooperientem, & frontem ſacri Myſtæ adumbrantem, vt non abs re ad inſtar infulæ cuiuſdam impoſita ad decorum augendum ſacri miniſterij, videri poſſit. Perſimilis ornatus ſuper vtriuſque manicæ extremitatem intextus, atque in albæ, quam *paratam* vocant, antica ac poſtica parte extrema conſertus, non modicam conciliat myſtici apparatus decentiæ venuſtatem. Nec modò in Cathedratica, iámque Metropolica Baſilica mos hic iampridem inualuit: in eiuſdem vrbis præcipuis Eccleſiis Collegiatis ac Parœcialibus huc vſque perſeuerat; imò in aliis Galliarum Cathedraticis aliiſque inſignibus templis idem hodiéque ſeruatur: quem acceptum eſſe à peruetuſta Maiorum theoria patenti indicio ſunt antiquæ Sacerdotum & Pontificum imagines, eorum tumulis inſcriptæ vel parietibus appictæ. Ceterùm amictus ornatu vſos pridem Romanos, teſtis eſt Virgilius 3. Æneidos, vbi ait:

Purpureo velare comas adopertus amictu:

Non huic tamen acceptum habent Chriſtiani Sacerdotes amictum ſuum, vt ex præmiſſis perſpectum eſt.

CAPVT IV.

De vſu Amictus ſacri.

NON ſemper Sacerdos & quiuis miniſter ſacro vtitur amictu. At nunquam induit albam quin priùs amictum ſibi imponat. hinc phraſis illa frequens in Rituali Romano, Tit. *de Benedictionibus*, in ritu benedicendi & imponendi primarium lapidem, &c. *Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola*, &c. Hæcque alia, cùm reconciliaturus eſt Eccleſiam: *Tunc procedat indutus amictu, alba, cingulo, ſtola*, &c. & in reconciliatione Cœmeterij violati: *Adhibitis aliis Sacerdotibus & Clericis indutis ſuperpelliceis, in ſacriſtia, aut alio decenti loco, veſtitur amictu, alba*, &c. Et in Pontificali Romano, Tit. de Confirmandis: *Pontifex infantes, pueros, vel alios*, ſacri baptiſmatis vndâ perfuſos confirmare

volens *paratus* ſupra rochetum, vel ſi ſit religioſus, ſupra ſuperpelliceum *amictu, ſtola pluuiali*, &c. Et Tit. de ordin. Subdiaconi, Archidiaconus vocat ceteros ordinandos, &c. quibus accedentibus ordinat eos, videlicet Diaconandos, *paratos amictu, alba, cingulo & manipulo, ſtolam in manu ſiniſtra, dalmaticam ſuper brachium dextrum, & candelam in manu dextera tenentes contra cornu Epiſtolæ altaris faciebus altari verſis: & presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola in modum Diaconi*, &c. Et in conſecratione electi in Epiſcopum: *Item paramenta omnia pontificalia coloris tempori & officio Miſſæ conuenientis, videlicet ſandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, ſtola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus pontificalis, baculus paſtoralis, & manipulus.* Item de benedictione Abbatis. *Deinde vadit electus ad capellam ſuam, in qua paratus amictu, alba, cingulo & ſtola, in modum Preſbyteri, ac pluuiali*, &c. Perplures poſſent rubricæ ſacrorum eiuſmodi rituum annotari, ſed ne Lectori moueatur faſtidium, lubens has prætereo, præſertim cùm ex his quæ expreſſæ ſunt, haud difficilè ceteræ coniici poſſint, in Pontificali ſparſim deſcriptæ, quæ cum iis nonnihil habent (ſaltem in genere) affinitatis.

CAPVT V.

De modo amictus aſſumendi.

MODVS hic in Miſſali Romano ſub Titulo, *Ritus celebrandi Miſſam*, hac ſerie legitur præſcriptus, *Ac primùm accipiens amictum circa extremitates, & chordulas, oſculatur illum in medio, vbi eſt crux, & ponit ſuper caput, & mox declinat ad collum, & eo veſtium collaria circumtegens, ducit chordulas ſub brachiis, & circumducens per dorſum ante pectus reducit & ligat: tum alba induitur caput ſubmittens*, &c. Sanè omnes huius praxis myſticæ ſunt particulæ, ſi ſeriò conſiderentur.

Et 1. quidem non ab alio ſumit amictum Sacerdos, ſed illum ſibimet imponit: quia ſcilicet ſpontaneus debet ad ſacrificium tremendum accedere, quemadmodum Chriſtus non coactus cruentum crucis ſacrificium immolauit, imò vt ait Propheta (Iſa. 53.) *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Ad quæ verba Prophetica, piè & eleganter S. Bernardus, ſer. 3. de Purificat. B. Virginis, *Oblatus eſt*, inquit, *non quia homo meruit, non quia Iudæus præualuit, ſed quia ipſe voluit. Voluntariè ſacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea ſalute, non pro tua neceſſitate: ſed quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? ille obtulit pro nobis hoſtiam pretioſiorem quam habuit, nimirum quia pretioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus quod poſſumus, optimum quod poſſumus offerentes illi, quod ſumus, vtique noſmetipſi: ille ſemetipſum obtulit. Tu quis es, qui te ipſum offerre cuncteris? quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere?*

2. Statuit rubrica, vt Sacerdos accipiens amictum circa extremita-

tes & chordulas (ſcilicet vt ab vtroque extremo commodè poſſit humeris ſuperiniici,) oſculetur illum in medio vbi eſt crux. Videlicet ad innuendum quòd prima cogitatio Sacerdotis ad Chriſti cruentum ſacrificium recolendum accedentis oblatione incruenta, debeat eſſe ipſius Dominicæ Paſſionis ſeria meditatio, quemadmodum monuit Apoſtolus 1. Cor. 11. dicens, *Mortem Domini annunciabitis donec veniat*, &c. Crux verò eſt paſſionis ipſius proprium & ſpeciale ſignaculum, quam oſculari, eandem colere, ſuauiari, & eximio ſit proſequi amoris & honoris affectu. Quem in ſenſum hic referri debet noſtra hæc animaduerſio lib. 5. Panopliæ Epiſcopalis, pag. 352. in marg. ad illa verba. Impropriam igitur eſſe locutionem, magiſque abuſiuam, ſi ipſa manuum deoſculatio aliis quàm Sacerdotibus (quorum manus ſacratæ ſunt) à quoquam Chriſtiano tribuatur. Huc non ineptè retuleris illud ſancti Ambroſij, *Oris oſculum, eſt pietatis pignus*, lib. 6. hexam. c. 9. Nam & oſculari & adorare plerumque promiſcua ſunt: Etenim apud Latinos adorare, eſt ad os admouere, premereque oſculis & amore & reuerentia. Plinius hinc lib. 28. c. 2. *Inter adorandum*, ait, *dexteram ad oſculum referimus*. videndus & Minutius in Octauio. Apud Hebræos idem vſus fuit: Conſulendi ſacri Interpretes ad illud Iob, *Si oſculatus ſum manum meam ore meo.* Praxis fauet Eccleſiaſtica circa crucis cultum: hactenus enim crucem oſculari & adorare pari obſeruantia in Eccleſia vſitatum fuit, vnde ſolemni eius adorationi, eiuſdem oſculatio reperitur paſſim fuiſſe annexa. Ex veteri ordine Rom. Cæremoniali, & Pontificali, hoc planè liquet, communique Latinæ Eccleſiæ more, Græcorum nec alius vſus etiam cùm Imperio potirentur, reuera fuit. Curopalata lib. de Offic. aulæ Conſtantinopolitanæ, vbi de officio Matutino magnæ Dominicæ Paſchatis. *Protopapa*, inquit, *& Archidiacono ſiſtentibus in prothyris Tribunalis, hoc quidem Euangelium, illo verò crucem ferente, ingreditur Imperator & primùm quidem oſculatur Euangelium & crucem.* Et rurſum quidem vbi agit de luſtratione & menſtrua benedictione Imperatoris: *Accipiens*, ait, *Protopapas crucem ab Archidiacono ponit eam ſuper frontem Imperatoris dicitque preces: deinde Imperator oſculatur crucem, & omnes qui circumſiſtunt acclamant* πολυχρόνιον, *ad multos annos; Poſteà Protopapas crucem quidem dat Archidiacono, vrceolum verò à protopſalte accipiens, benedictionémque* (ſeu materiam benedictionis) *digitis vt mos eſt attingens, circumcingit frontem & oculos Imperatoris; dum autem benedictionis ex ampulla fit particeps, omnes iterum clamant, ad multos annos.* Hæc aliáque plura notatu digna iam memoriæ conſignauimus, in opuſculo ſcilicet pro ritus defenſione deoſculationis pedum ſummi Pontificis c. 4. Vbi maximè notanda veniunt verba hæc Nicolai I. ſua in reſponſione ad Bulgaros c. 7. & 8. *Igitur crucem Domini, paſſionem eius venerantes oſculamini, & pro eius amore, ſi neceſſitas exigit eadem cogitatione armamini.* Quod documentum par eſt, vt Sacerdos ſacris operaturus menti incutiat; nam vt mortis Domini recordetur, in ſacræ Liturgiæ prolegomenis admonetur, dum aſſumit amictum, illum in medio vbi crux eſt, deoſculari.

3. Sequitur in formula, *Et ponit ſuper caput*: Non ſcilicet vt caput ip-

ſum obnubilet, ſed iugo ſe Domini volens ſubiiciat, capútque quod animæ ſedes eſt crucis ſalutifero communiat ſigillo: inſignia S. Auguſtini verba huc ſatis aptè referri poſſunt ex ſerm. 177. de tempore circa med. *Tulit Dauid baculum in manu ſua, & exiit contra Goliath. Et in illo quidem tunc figuratum eſt, quod in Domino Ieſu Chriſto completum eſt; Venit enim verus Dauid Chriſtus qui contra ſpiritualem Goliath, id eſt contra diabolum pugnaturus, crucem ſuam ipſe portauit. Videte fratres vbi Dauid Goliath percuſſerit. in fronte vtique, vbi crucis ſignaculum non habebat, ſicut enim baculus typum crucis habuit, ita etiam & lapis ille de quo percuſſus eſt, Chriſtum Dominum figurabat.* Super caput igitur Sacerdos diuinum opus aggrediens amictum inicit cruce ſignatum, vt hoc Domini charactere ſe quaſi galea communiat, ſimúlque præcipuo inſigniat ornatu. Pulchrè vt aſſolet Chryſoſtomus, in demonſtratione, quòd Chriſtus Deus eſt, tom. 5. *Crux quæ olim maledictionis, abominationis & extremi ſupplicij ſymbolum erat, diadematibus & coronis clarior facta eſt, neque enim ſic coronatur caput aurea corona, ac cruce ornatur, quæ omni cultu eſt dignior.* Succinit huic ori aureo præcipuus doctor Eccleſiæ (S. Auguſt. in Pſ. 54. ad v. 1.) *Attende*, inquit, *gloriam crucis ipſius, iam in fronte regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultauerunt: effectus probauit virtutem; domuit orbem non ferro, ſed ligno; ligno inquam, quod inimicis, contumeliis dignum viſum fuerat.*

4. *Et mox declinat ad collum & eo veſtium collaria circumtegens, &c.* Scilicet vt imitatione Iacob tegumento eiuſmodi nuda colli protegat, patriſque quam ambit benedictionem myſtico hoc ſibi concilict amictu.

5. *Et ducit chordulas ſub brachiis:* Chordulæ illæ geminæ ſunt, quæ ſub duobus brachiis inflectuntur: Vt quid? rurſus S. Bernardum (vbi citatur ſuprà §. 1. huius capitis) obſecro audiamus: *Quis mihi tribuat*, inquit, *vt oblationem meam dignetur maieſtas diuina ſuſcipere? duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico, vtinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre? bonum enim mihi longéque glorioſius atque vtilius eſt, vt tibi magis offerar, quàm deſerar mihi ipſi, nam ad me ipſum anima mea conturbatur, in te verò exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur.*

6. *Et circumducens per dorſum*, ad pondus peccati excutiendum, & onus ſubeundum pœnitentiæ; iuxta illud Dauid, *quoniam ego in flagella paratus ſum*, Pſ. 37. vel potiùs ad refricandam Chriſti in nos charitatis memoriam, de quo Iſaias ait, *Poſuit Dominus in eo iniqui-* c. 53. *tatem omnium noſtrûm; Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & liuore eius ſanati ſumus;* Seu vt Watablus vertit, *& in liuore eius nobis medicatum eſt.* hoc eſt (ſcitè ait Scholiaſtes non poſtremus) pretioſum pharmacum, quod non ex herbarum ſuccis, non ex adipe beſtiarum, non ex alieno corpore & ſanguine, ſed ex cruore proprio Chriſtus confecit; hoc pharmacum in ſacramentis à ſe inſtitutis recondidit. Inde enim Sacramenta iuſtificandi ſanandique animæ morbos vim habent, ſcilicet ex liuore, ſanguine, & vulneribus ipſius Domini, quæ rectè Propheta nuncupat, *fontes ſaluatoris.* At ij omnes in Euchariſtiæ ſacrificio pariter ac ſacramento tanquam in ſcaturigine continentur:

per quod ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur, in hoc enim totus exiſtit Chriſtus; In reliquis verò ſacramentis virtus tantùm ex eo participata. Vide S. Thomam opuſc. 57.

7. *Ante pectus reducit & ligat.* Pulchrè Origenes hom. 5. in Leuit. obſeruat victimarum pectuſculum cum armo dextro fuiſſe propriam portionem Sacerdotis, iuxta iſtud diuinum pragmaticum Leuitici 7. 34. *Pectuſculum enim eleuationis & armum ſeparationis tuli à filiis Iſraël, & dedi Aaron ſacerdoti, & filiis eius lege perpetua ab omni populo Iſrael;* Notat enim ſolerti quo ſolet acumine, pectuſculum ſymbolum fuiſſe fidei, ſanæ doctrinæ, & cordatæ ſapientiæ, ſicut armum dextrum fortitudinis: *Quod ergo*, ait, *Sacerdotis pectus aut quale? plenum ſit ſapientia, plenum ſcientia, plenum omni diuina intelligentia, imò plenum Deo; quale brachium? multa ſollicitudo, labor, vigiliæ, quibus conuertat peccatorem, qui proinde offerat hoſtiam ſalutaris, &c. In qua hoſtia pars ſacerdotis efficitur pectuſculum, vt ſit indicium quòd pectus & cor, quod antè malè cogitabat, ſacerdotis labore conuerſum, recepit bonas cogitationes, &c.* Hæc porro ne defluant Sacerdoti, neceſſe ipſi eſt, eaſdem aſtringere firmo continentiæ nexu.

CAPVT VI.

De Amictus ſacri myſtica & morali theoria.

OMNES Eccleſiaſticos ordines gradatim ad altare aſcendere, inque ſacerdotio terminari, extra quod non datur progreſſus, quia poteſtas conſecrandi Euchariſtiam, in omnibus quæ auctoritatem ſpectant ordinis, prorſus eſt ſuprema: Et doctrina eſt ſancti Dionyſij, & conſtans eſt Theologorum ſententia. Actus ſacerdotij proprius ſacrificium eſt. nullum porrò in Eccleſia aliud eſt reale ſacrificium, quàm hoc ipſum quod in ſe continet omnes differentias hoſtiarum, mortiſque Chriſti vnicum eſt mnemoſynon. Alio loco oſtendiſſe meminimus * ſic paſſionem Domini in Miſſa celebrari, ſeu, vt ait Apoſtolus, *annunciari*: vt expreſſum, viuúmque & animatum eius ſit ſimulachrum.

* *Infrà Parte 2. lib. 1.*

1. Porro velatum fuiſſe Chriſtum patientem cùm colaphizaretur, res eſt ex Euangeliorum teſtimoniis prorſus perſpicua, *Expuerunt in faciem eius* (ait S. Matthæus c. 26.) *& colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes, Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.* At niſi Chriſtus fuiſſet velatus, ineptum planè fuiſſet ſic eum interrogare, qui enim apertis fuiſſet oculis æquè ac qui percutiebant, ipſos alaparum notare impactores facilè potuiſſet. Verùm S. Marcus citra omnem ambiguitatem Chriſtum fuiſſe velo coopertum pronunciat, ne percuſſores animaduertere, faciéque diſtinctos nomine vel figura ire poſſet deſignatum: *Et cœperunt* (ait c. 14. 65.) *conſpuere eum & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei Prophetiſa: & miniſtri alapis eum cædebant.* Adæquatè ſiquidem Chriſtus primorum parentum

Gabriel Biel. ſup. can. Miſſ. lect. 11. Soto ad 4. ſent. diſt. 23. q. 2. art. 4.

rentum noxam eluit, quamuis acerbitate & patientiæ merito eandem longè exſuperârit. Peccauit primùm Eua generis humani non tam genitrix, quàm peremptrix, exitioſo oculorum veritam in arborem coniectu: *Vidit mulier* (inquit diuinus hiſtoriographus) *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit, deditque viro ſuo*, Geneſ. 3. 6. Quæ expendens acuta mente verba theodidactus Bernardus; de gradibus humilitatis gradu 1. *Quid Eua, inquit, tuam mortem tam intentè intueris? quid illò tam crebrò vagantia lumina iacis? quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos inquis, tendo, non manum. Non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam. Hoc etſi culpa non eſt, culpæ tamen indicium eſt. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, blandè alloquitur: blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit, nequaquam, inquiens moriemini: auget curam, dum excitat gulam: acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem: Offert tandem prohibitum & aufert conceſſum; porrigit pomum & ſubripit paradiſum: haurit virus peritura & perituros paritura.* Hoc oculorum Euæ virus vt expurgaret Chriſtus peccati deſtructor, auctórque gratiæ, ſua in paſſione velari voluit ſuáque lumina premi, vt nos oculorum vagos doceret vibratus cohibere. In cuius rei memoriam ſacerdos diuina celebraturus velo amicitur, Chriſti effigiem patientis vt ipſo amictu referat. Attigiſſe mihi videtur hanc obſeruationem Rupertus Abbas lib. 1. de diuinis officiis c. 19. his verbis, *Sacerdos in ſacrificio altaris, capitis ſui, ſcilicet Chriſti, cuius membrum eſt, perſonam gerens, quodàm amictu caput ſuum obnubit.*

Sed hîc obiici poſſe videtur diuinum ad Ezechielem oraculum; *Amictu ora non velabis.* 24. 17. maximè in lege Euangelica, qua in morte Chriſti oriente, velum Templi ſciſſum eſt, *Nimirum* (ſicut ait pereleganter S. Leo ſerm. 8. de paſſione Domini) *vt ſancta ſanctorum ab indignis pontificibus recederent, & figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur.* Euacuatur enim in Chriſto (ait Apoſtolus 2. Cor. 3. 14.) velamen quo Moſaicæ legis priſcum fœdus obtectum erat. Quod ſpectans acuto intellectu Sugerius Abbas S. Dionyſij, in templi huius regalis vitrearum feneſtrarum ſitu depingendum Moyſem velo obductum iuſſit, cui vt lumen Chriſti gratiæ pateat, detrahit Paulus Apoſtolus velamentum, hac ſubiuncta myſtico ſimulachro epigraphe, pio magis quàm eleganti verborum contextu expreſſa.

Quod Moyſes velat, Chriſti doctrina reuelat:
Denudat legem, qui ſpoliat Moyſem.

Verùm indutus amictu ſacro caput ſacerdos, huic myſticæ theoriæ non repugnat, ſiquidem non obnubit vultum, nec tegit oculos illo amictu; facie quinimò prorſus diſcooperta ſacris operatur, ſic ipſo amictu diſpoſito, vt poſtica pars capitis à vertice in humeros circumtecta ſit, antica prorſus libera ab omni obnubilatione: adeò vt in memoriam Dominicæ paſſionis deferat quidem retro velamentum, ſed verò ob Euangelij ſplendorem facie omnis experte obicis, per-

ſpicuáque prorſus appareat : quod præfatus Rupertus ſe quoque aſſecutum meditatione ſua loco deſignato inſinuat : *Sacerdos*, inquit, *quodam amictu caput ſuum obnubit, donec ſuper os caſulæ illum reuoluat, &c.*

II. Amictum inſuper eſſe *ſymbolum magni ſacramenti pietatis, quod manifeſtatum eſt in carne:* Id eſt filij Dei Incarnationis, ſeu abſconditæ diuinitatis in carne & per carnem, id eſt humanitatem, reuelatæ, auctor eſt Innocentius III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ c. 35. quo ſic eloquitur : *Amictus autem quo Sacerdos caput ſuum obnubit, illud ſignificat quod in Apocalypſi deſcribitur* c. 10. *Angelum Dei fortem deſcendiſſe de cœlo, amictum nube. Et in Iſaia, ecce Dominus aſcendet ſuper nubem candidam: Veniens autem ad ſaluationem mundi Dei filius, magni conſilij angelus, amictus eſt nube dum diuinitatem abſcondit in carne. Nam caput viri Chriſtus, caput Chriſti Deus : hoc ergo carnis latibulum amictus ſacerdotalis ſignificat; Quod illam per ſyndonem* (aliàs *orale*, de quo idem Innocentius eodem lib. c. 53.) *expreſſius deſignatur, qua ſummus Pontifex caput obducit. Et pulchrè quidem quod per calceamentum pedum hoc ipſum per amictum capitis deſignatur; quia diuinitas in carne latuit, & per carnem innotuit. Nam cùm notus eſſet in Judæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius; in Idumæam extendit calceamentum ſuum, & ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.* Myſticam eandem rationem de amictu tradunt Rupertus Tuitienſis lib. 1. de diuinis officiis, c. 19. Durandus in Rationali lib. 3. c. 12. Et alij ferè paſſim rituum ſacrorum interpretes cap. 1. huius tractatus deſignati.

III. Latentis etiam Chriſti in Euchariſtia (cuius myſterium celebrare aggreditur ſacerdos dum ſacras veſtes induit) amictum quem primum ſibi imponit ſymbolum eſſe, haud abſimili ratione dici poteſt: In hoc ſiquidem myſterio ſub ſpeciebus panis & vini, totus Chriſtus exiſtit, realiter quidem, at tamen inuiſibiliter; adeò vt his inuolucris obductus, nec ab Angelo poſſit videri, multo minùs ab homine, mole carnis adhuc grauato; cùm enim hoc myſterium ſit Sacramentum fidei, ad hócque inſtitutum vt humanum intellectum captiuum per fidem adducat in obſequium Chriſti; neceſſe erat vt ſigno ſic & re conſtaret, vt ſigna conſpicua eſſent: res verò ſub hoc realiter exhibita, prorſus tamen lateret, quo exerceretur fides, eóque maior fieret, quominus eſſet ſenſibus ſubnixa, quin & quo magis carnalis ſenſus ſibi aduerſari & humanam obluctari rationem experiretur. Id notat & docet ſanctus Thomas opuſc. 57. *Accidentia* (inquit) *ſine ſubiecto in hoc Sacramento exiſtunt, vt fides locum habeat, dum viſibile inuiſibiliter ſumitur ſub aliena ſpecie occultatum.* Et plura quidem deliteſcere ſub velo ſpecierum ſenſibilium in Euchariſtia, quàm in Incarnationis myſterio, rectè idem monet S. Thomas in orat. quæ incipit *Adoro te deuotè latens deitas*, &c. Enimuerò, quum Chriſtus in carne apud homines verſabatur, ſolus homo patebat, at latebat Deus : ad quem ideo Iſaias (c. 45. 15.) acclamat *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Saluator.* At in Sacramento altaris Deus ſimul & homo latet: quem ideò S. Dionyſius ſic adorat, vt itidem oret, velamen illud ſacramentale parumper remouere velit, quo ſaltem in momento viſi-

bilis appareat oculis cupidis maieſtatis eius conſpiciendæ, & vtroque intuitu externo, internóque adorandæ: *O diuiniſſimum*, inquit, *& ſacroſanctum Sacramentum, obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, & perſpicuè nobis fac appareas; noſtróſque ſpirituales oculos ſingulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.* de Eccleſ. hierarch. c. 3.

IV. *Amictus eſt organi diuinæ laudis ornatus.* Hoc Amalarius docet lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 40. *Amictus eſt*, inquit, *primum veſtimentum noſtrum, quo collum vndique cingimus*, in collo eſt namque vox: *Porro hoc quod continet omnia (id eſt homo) ſcientiam habet vocis*, ſcilicet non modò rationis vſum, at ſcientiam & officium laudationis diuinæ; ad hoc enim homo creatus eſt, ait ſapienter S. Irenæus, *vt eſſet organum diuinæ glorificationis.* Miſſa verò laudis ſacrificium eſt. Huc ſpectans S. Auguſtinus in Pſ. 49. v. 23. ad hæc verba, *ſacrificium laudis honorificabit me, & ibi via qua oſtendam illi ſalutare Dei. Quod eſt autem* (ſubdit) *ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vnde Deo maiores reddendæ ſunt gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cuius vmbra fuerunt omnia priorum genera ſacrificiorum.*

V. Per amictum (inquit præfatus Amalarius) *intelligimus cuſtodiam vocis*, de qua Pſalmiſta dicebat, *dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Et alibi, *pone Domine cuſtodiam ori meo*; in iſto itaque primo veſtimento, vocis caſtigatio adumbratur.

VI. Amictus, quia ſuper humeros circumquaque diffunditur, operum fortitudinem deſignat, quemadmodum Innocentius III. docet lib. 1. myſter. Miſſæ c. 50. *Lotis*, inquit, *manibus*, (ſacerdos) *aſſumit amictum, qui ſuper humeros circumquaque diffunditur, per quem operum fortitudo ſignificatur.* Humeri quippe fortes ſunt ad opera peragenda, ſecundùm illud Patriarchæ, *Suppoſuit humerum ad portandum, & factus eſt tributis ſeruiens*, Geneſeos 49.

VII. Hugo à S. Victore Eruditionis Theologicæ lib. 1. c. 45. Tom. 3. amictum vult eſſe ſignaculum ſpei; *In humerali ſpes*, inquit, *æternorum intelligitur.* Rationem autem huius dictaminis non aliam aſſignat, quàm hanc Pauli Apoſtoli vocem, *Et galeam ſalutis aſſumite:* ſed hæc verba potiùs timorem, quàm ſpem indicant; ideo munimus ſiquidem caput, ne vllo ictu lædatur: quamobrem Eccleſia, quæ citata verba Apoſtoli in ipſa amictus aſſumptione vſurpat, hunc in modum iubet ſacerdotem precari; *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus.*

VIII. Aptiùs idem Hugo cuſtodiam ſenſuum (paulò infrà) per amictum ipſum intelligit. *Caput*, ait, *cooperimus, vt omnibus ſenſibus, quorum plenitudo in capite eſt, ſpe æternorum, Deo ſeruiamus.*

IX. Idem Hugo etiam iugum Domini per amictum exponit; *humeros*, inquit, *quibus onera portantur, eo velamur, vt iugum Domini patienter ferre doceamur.*

X. Per amictum denique etiam reor linteum illud, ſeu ſudarium deſignari, quo Chriſti iacentis in ſepulchro, fuit caput inuolutum;

de quo Ioannes c. 20. de ſeipſo loquens; *Et cùm ſe inclinâſſet, vidit poſita linteamina: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & vidit linteamina poſita & ſudarium quod fuerat ſuper caput Ieſu, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* Scilicet vt non perturbatè & feſtinanter id factum eſſe, ſed decenter & percommodè, vt reſurrectionis diuina ſapientia & virtute factæ eſſet ſignum. Cæterùm aurea S. Gregorij verba de hoc ſudario, quo obuelatum fuerat Chriſti caput in ſepulchro, hîc referenda exiſtimo: *Quid eſſe fratres credimus* (ait hom. 22. in Euangelia) *quod ſudarium capitis Domini cum linteaminibus non inuenitur in monumento? niſi quia Paulo atteſtante, caput Chriſti Deus, & diuinitatis incomprehenſibilia Sacramenta ab infirmitatis noſtræ cognitione diſiuncta ſunt, eiúſque potentia creaturæ tranſcendit naturam? Et notandum quòd non ſolùm ſeparatim, ſed & inuolutum inueniri dicitur in vnum locum: linteum enim quod inuoluitur, eius nec initium nec finis aſpicitur: Rectè ergo ſudarium capitis inuolutum inuentum eſt, quia celſitudo diuinitatis, nec cœpit eſſe nec deſinit, nec per initium naſcitur, nec termino coanguſtatur: Bene autem additur in vnum locum, quia in ſciſſura mentium Deus non eſt; Deus quippe in virtute eſt & vnitate, & illi habere eius gratiam merentur, qui ſe ab inuicem per ſectarum ſcandala non diuidunt. Sed quia ſolet per ſudarium laborantium ſudor detergi, poteſt etiam ſudarij nomine exprimi labor Dei, qui in ſe quidem ſemper quietus atque incommutabilis permanet, ſed tamen laborare ſe denuntiat, cum duras hominum prauitates portat, vnde per Prophetam dicit* (Hier. 6.) *laboraui ſuſtinens: Deus autem dum apparuit in carne, laborauit ex noſtra infirmitate. Quem laborem paſsionis eius dum increduli viderunt, eum venerari noluerunt, quem enim videbant carne mortalem, dedignati ſunt credere immortalem eſſe diuinitate. Vnde etiam Hieremias ait* (Thren. 3.) *reddes eis vicem Domine iuxta opera manuum ſuarum, dabis eis ſcutum cordis laborem tuum. Ne enim prædicationis ſpicula eorum corda penetrarent, dum paſsionis eius laborem dedignati ſunt, quaſi eundem laborem illius pro ſcuto tenuerunt, vt eo ad ſe tranſire eius verba non permitterent, quo eum laborare vſque ad mortem viderunt. Quid autem nos, niſi capitis noſtri membra ſumus? Per linteamina igitur corporis laborum ligamenta ſignantur, quæ nunc electos omnes, id eſt eius membra conſtringunt. Sudarium ergo quod ſuper eius caput fuerat, ſeorſim inuenitur: quia ipſa redemptoris noſtri paſsio, longè à noſtra paſsione diſiuncta eſt: quoniam ipſe ſine culpa pertulit, quod nos cum culpa toleramus: ipſe ſponte morti ſuccumbere voluit, ad quam nos venimus inuiti.* Hactenùs S. Gregorius ſolerter & doctè.

Cæterùm Serarius in rebus Moguntiacis ex MS. veteri narrat ſanctam Bilhildem, accepiſſe à Cunigunde principe fœmina, *Sudarium quo Chriſti Domini caput & facies in ſepulchro tecta fuiſſent:* Eiúſque partem alibi notat ſeruari Moguntiæ in altò Virginum Monaſterio, & quotannis poſtridie Paſchatis ex ambone quodam facibus prælucentibus explicari, & populo monſtrari. Atque hactenùs ſatis de ſacerdotali Amictu.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER SECVNDVS

DE PODERE, SEV ALBA, vel linea Tunica talari.

CAPVT I.

Etymologia nominis.

PODERIS nomen ter tantùm in ſacris literis legitur. Eccleſiaſtici 27. v. 9. *Si ſequaris iuſtitiam apprehendes illam, & indues quaſi poderem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in ſempiternum.* Sap. 18. 24. de Aaron ſummo ſacerdote; *In veſte poderis quam habebat totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia, in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, magnificentia tua in diademate capitis &c.* Apoc. 1. 13. *Vidi ſimilem filio hominis veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.*

Lineæ tunicæ talaris quoad nomen frequentior in diuino Codice mentio occurrit: quæ erat prima veſtis Sacerdotalis, eáque communis tam inferioribus ſacerdotibus, quàm ipſi Pontifici, ſicut videre eſt Exod. 28. 4. & 40. 29. 5. 8. 39. 27. Leuit. 6. 10. 13. 10. 5. 16. 4. 2. Eſd. 7. 76. &c. Idem eſt verò talaris tunica & poderis; vnde Septuaginta quoties tunica linea & talaris memoratur, ſemper ποδήρη appellant, id eſt tunicam vſque ad pedes demiſſam. Huc ſpectans Iſidorus originum lib. 19. c. 21. *Poderis*, inquit, *eſt tunica Sacerdotalis linea, corpori aſtricta vſque ad pedes deſcendens, vnde & nuncupatur; πόδας enim Græci pedes dicunt.*

Sciendum imprimis ex Ioſepho lib. 3. antiq. c. 8. & S. Hieronymo in epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, duplicem fuiſſe tunicam Sacerdotalem apud Hebræos; vnam communem omnibus ſacerdotibus, alteram propriam Pontificis: Hæc hyacinthina erat,

de qua aliàs opportuniùs; Illa verò erat linea, vt pote contexta ex byſſo, dicebatúrque Hebraicè כתנת, hoc eſt linea, linum enim *Chethon* Hebraicè nominatur: hæc adhærebat corpori, támque arcta erat, ſtrictíſque manicis, vt nulla omnino in veſte eſſet ruga; tam longa, vt vſque ad pedes deſcenderet, vnde & ποδήρης dicebatur.

Albæ nomen nuſquam reperitur in Scripturis ſacris: Occurrit verò paſſim in Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui de amictu Sacerdotali tractauerunt, eodem ſignificatu, quo linea, talaris tunica, vel ποδήρης. Alcuinus de diuinis offic. c. Quid ſignificent veſtimenta? *Poſtea* (inquit) *ſequitur Poderis, quæ vulgò alba dicitur.* Sic quoque Amalarius Fortunatus de Eccleſ. off. lib. 2. c. 18. inſcripto, *de Alba*; Rhabanus Maurus lib. de ord. Antiphon. c. 16. cuius eſt titulus *de Podere*, id eſt de tunica linea: ita & Iuo Carnotenſis in ſermonibus de rebus Eccleſiaſticis: ſynodali ſermone, quo tractat de ſignificatione indumentorum Sacerdotalium; *Hæc veſtis byßina* (inquit) *Græcè ποδήρης, id eſt talaris appellatur, quia à collo vſque ad talos extenditur, & ita eſt arcta & membris corporis contemperata, vt ſua forma teſtificetur, Sacerdotem nihil habere diſſolutum, nihil remißum, ſed ad omne opus bonum eſſe expeditum.* Rupertus de diuinis offic. lib. 1. c. 20. de alba, & Innocentius III. Myſteriorum Miſſ. lib. 1. c. 36. eodem titulo, denique recentiores paſſim. Ex quibus planè liquet poderem, tunicam lineam talarem, & Albam penitus eandem rem eſſe, quæ variis vocabulis deſignatur. Tunica hæc enim linea dicitur ποδήρης, quòd talaris ſit; alba verò à colore, quia byſſina eſt & tota candida. Atque hactenùs de nomine.

CAPVT II.

De antiquitate vſus tunicæ lineæ talaris, ſeu albæ in Eccleſia.

VT ſcitu dignum, ſic doctis in rebus Eccleſiaſticis compertum eſt, S. Iacobum Apoſtolum, dictum fratrem Domini, non aliis vſum veſtibus, quàm lineis, quo amictu ſacris operabatur. Quod igitur ſimplici tantùm ſindone vteretur, inde factum vt ad eius imitationem ſucceſſores Hieroſolymitani Epiſcopi, haud circumſpectè induti ſubinde inceſſerunt, ſed ſimplici candida veſte: licèt eiuſdem Eccleſiæ Clerici ſericis aliíſque ſplendidis veſtibus vti conſueuiſſent. Verùm non ſola ſindone in ſacris vſum, at podere Sacerdotali, B. Iacobum inſignem, diuina myſteria celebrâſſe argumento eſt ipſa eius poderis ſeu talaris tunica, vel ſtola linea, quam ſubinde miſit munere pretioſo S. Ignatio Conſtantinopolitano Patriarchæ, Theodoſius ſanctæ ciuitatis Archiepiſcopus, provt patet ex eius ad ipſum Ignatium, ſynodica recitata in VIII. ſynodo generali Act. 1. quæ cætera inter ſic habet. *Inter ea ſperans penes ſacratißimam & ſolertißimam affectionem tuam impetrare quæ cordi ſunt, poderem, & ſuperhumerale cum mitra, pontificalem ſtolam S. Iacobi Apoſtoli & fratris Domini primi Archiepiſco-*

porum (ſcilicet Hieroſolymitanæ Sedis,) *qua anteceſſores mei Patriarchæ, circumamicti ſemper in Sancta Sanctorum ingrediebantur ſacerdotio fungentes &c. qua & ego indutus ſum, eandem gerens tuo deſiderabili & honorabili mihi capiti, ex amore & dilectionis gratia tranſmiſi &c.* Poderem igitur geſſit S. Iacobus, & poſt eum Hieroſolymitani Epiſcopi?

Sed & S. Stephanum, qui vt teſtis eſt vir Apoſtolicus Ignatius, in ſacris Iacobo miniſtrauit, ſicut Linus Petro, & Timotheus Paulo, ſtola ſeu tunica candida, vt pote linea, vſum in diuino officio patenti argumento eſt, ipſa eius ſtola ſeu tunica linea, quam Hieroſolymis acceptam à Macario præſule S. Helena Veſuntionem inſigni dono tranſmiſit ad Siluestrum huius vrbis Epiſcopum, prout obiter ex monimentis Eccleſiæ Veſuntionenſis in Panoplia Epiſcopali meminimus lib. 6. c. 3. fuſiúſque enarramus in Commentariis Martyrologij noſtri Gallicani, ad tertium Nonas Auguſti, qui dies ipſius B. Protomartyris inuentioni ſacer eſt.

Inſigne eſt S. Hieronymi teſtimonium, morem eſſe Eccleſiaſticum, vt Epiſcopi, Sacerdotes & miniſtri ſacris operantes, albis operimentis ſint induti, lib. 1. dialog. aduerſ. Pelagianos. *Vnde adiungis* (ait) *gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam; ſi Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint;* Concilium Carthaginenſe IV. celebratum anno 398. Anaſtaſio I. Papa ſedente can. 41. diſertis verbis ſtatuit, *vt Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis, alba vtatur.* S. Chryſoſtomus in cap. 6. Matth. hom. 83. candidiſſimæ tunicæ, hoc eſt albæ, ſeu poderis meminit, qua ſacri induti myſtæ diuina munera diſpenſabant, *Idcirco vos Deus tanto* (inquit) *voluit honore decorare, vt hæc diligentiſſimè diſcernatis, hæc eſt dignitas veſtra, hæc ſtabilitas, hæc corona; non quia tunicam induti candidiſſimam per Eccleſiam ambuletis.* Narbonenſe Concilium quod anno 589. ſub Pelagio II. S. Gregorij anteceſſore conſedit, albæ gerendæ non modò à ſacratis miniſtris, at inferioribus etiam Clericis tempore incruenti ſacrificij expreſſam facit mentionem: *Hæc maximè pro Dei timore* (ait illa ſynodus) *& modo diſciplinæ canonicæ elegimus cuſtodienda vel tenenda; vt dum miſſa celebratur, nullus Preſbyter, aut Diaconus abſque aliqua infirmitate dum miſſa perficitur: de altario egredi audeat: Nec Diaconus aut Subdiaconus certè, vel Lector antequam Miſſa conſummatur, alba ſe præſumat exuere.* Romæ tamen aliquandiu poſtea mos iſte adhuc receptus non erat, vt infra Diaconum quiſpiam Clericus albâ inſigniretur. S. Gregorius hoc primus priuilegiũ indulſit Subdiaconis, vt lineas tunicas portarent, *vnde ergo* (inquit lib. 7. ep. 64. ad Ioannem Syracuſanum) *habent hodie Subdiaconi, lineis vt in tunicis procedant? niſi quia hoc à matre ſua Romana Eccleſia perceperunt.* Ambiguum eſſe reor ſi verba hæc vitæ S. Fulgentij à quodam eius diſcipulo ſcriptæ ad Felicianum Epiſcopum c. 18. de podere ſeu tunica linea talari ſacra intelligenda ſint. *Sua autem continentiæ Deo teſte fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat, & in tempore ſacrificij mutanda eſſe potiùs corda quàm veſtimenta dicebat.* Probabilius tamen eſt dicta eiuſmodi de tunica Eccleſiaſtica accipienda eſſe, quàm

Tom. 2. p. 565.

de vſuali dumtaxat, ſiquidem idem auctor paulò antè geſſiſſe caſulam ſanctum hunc Epiſcopum meminit, at quæ pretioſa non eſſet nec ſuperbi coloris, idque ex humilitatis ſtudio: veriſimile autem non eſt illum geſſiſſe caſulam, & albam inter ſacrificandum non geſtaſſe; nec obſtat quod ipſe in illa dormiret, quandoquidem monaſtico more id faciebat; *nec ita* (ait auctor) *factus eſt Epiſcopus vt eſſe deſiſteret monachus, ſed accepta Pontificis dignitate, profeſſionis præteritæ ſeruauit integritatem:* Vnde ſubiungit narrator, *Orario quidem ſicut omnes Epiſcopi nullatenus vtebatur, pelliceo cingulo tanquam monachus vtebatur.* At qui orarium excipit, id eſt ſtolam; albam non excipit, quam poſtea expreſſè meminit ab eo geſtatam, in qua non tantùm dormiret, ſed etiam ſacrificaret.

Exciderat hîc penè mihi perantiqua S. Silueſtri Papæ effigies, quam expreſſam ex vetuſtiſſimo codice membraneo lib. 1. Panopliæ noſtræ Clericalis c. 8. protulimus. In qua ſanctiſſimus ipſe Pontifex ſacro in apparatu conſpicitur, podere, ſeu tunica talari linea indutus, quæ dalmaticæ ſupponitur, ſuper quam iniecta caſula ſeu planeta cernitur Sacerdotalis. Eſt porrò codex ille liturgicus ad vſum Leodienſis Eccleſiæ à ſeptingentis circiter annis exaratus, quemadmodum colligitur ex characteribus & nominibus Sanctorum in Kalendario conſignatis, in quo nullus eſt qui ante annum milleſimum honoribus ſacris celebratus non fuerit: Nec dubium quin ipſe Codex ex antiquioribus fuerit deſcriptus, proinde & expreſſæ in eo ſacræ imagines ex magis vetuſtis exemplaribus deprompteæ. Cæterùm hîc etiam obſeruare iuuat in Concilio Rhemenſi can. 4. apud Burchardum, ex antiqua Eccleſiæ politia diſertè prohiberi Preſbyteris *abſque amictu, alba, ſtola, manipulo & caſula Miſſam celebrare.*

CAPVT III.

An Camiſia, vel Camiſium, apud Eccleſiaſticos ſcriptores idem ſit quod poderis ſeu alba, id eſt linea tunica talaris, ſeu ſuperlicium aut rochetum.

ISIDORVS promiſcuè ſumenda eſſe, poderem & tunicam Sacerdotalem lineam cum camiſia, ſe cenſuiſſe inſinuat, loco ſuperiùs deſignato, vbi poſtquam deſcripſit poderem, ſeu tunicam ipſam talarem lineam, immediatè ſubiungit, *Hæc vulgò camiſia vocatur.* Cuius nominis vim expendens eodem loco, c. 22. ſub finem, *Camiſias vocamus* (inquit) *quod in iis dormimus in camis, id eſt in ſtratis noſtris.* Idémque alio loco, *Cama eſt breuis lectus & circa terram, Græcè enim* χαμαὶ *humi dicunt. Græci enimuerò dicunt Camas, ſiue potiùs Camenas dixerunt ſtrata humilia & lectulos humi propiores, quòd homines veluti* χαμαὶ *iacerent.* Hîc tamen vix ſibi Iſidorus conſtare videtur: ſi enim camiſia

tunica

tunica eſt illa linea interior, aliàs dicta ſubucula, ſeu induſium, ſeu interula in qua dormimus in ſtratis: alia eſt igitur à podere ſeu tunica Sacerdotali linea, qua induti ſacris Eccleſiaſtici myſtæ operantur: Quod & agnouiſſe videtur ipſe Iſidorus, ſiquidem cùm poderem retuliſſet ſub inſcriptione de veſte Sacerdotali, camiſiam ſubinde collocauit ſub titulo, de veſtium cæterarum nominibus.

Sed conciliationi huius difficultatis locus patet ex diſtinctione camiſiæ ſacræ, & vſualis ſacra ab vſuali tulit, propter formæ ſimilitudinem, vocabulum. hoc nos docet ſanctus Hieronymus ſcribens ad Fabiolam de veſte Sacerdotali; Vbi enim tractat de podere, ſeu linea tunica talari Sacerdotum legalium; fuiſſe ſtrictam ait, & corpori adhærentem, ſimilémque militum camiſiis, quæ ſic aptæ membris & aſtrictæ erát corpori, vt nihil militares exercitationes impedirent. Succinit B. Hieronymo Alcuinus lib. de offic. diu. c. de ſingulis veſtibus hoc tenore, *Tunica linea veſtis erat interior, quam camiſiam dicimus, vel ſupparum; hæc ſtricta dicitur quoniam adhærebat corpori, & ita erat ſtrictus manicis vt nulla ei omninò ruga ineſſet, ſicut ſolent milites habere tunicas lineas, ſic aptas membris, vt expediti ſint dirigendo iaculo, tenendo clypeum, librando gladium, qualem & Ioab habuiſſe legitur ſtrictam ad menſuram habitus corporis ſui, pro qua nunc Sacerdotes & Clerici albas habent.* Igitur iudice Alcuino camiſia & alba identificantur, ſimúlque ipſa alba quæ ad camiſiæ formam contexta eſt, nihil differt à podere, ſeu linea tunica talari.

Verùm nodus hæret in eo quod camiſiam, ſeu vt loquitur camiſam & ſupparum itidem promiſcua eſſe ſuperiùs aſſeuerat. At ſupparum & alba apud nos multùm differunt; nam ſupparum Gallicè *ſurplis*, ſeu *ſurpelis*, eſt forma veſtis Eccleſiaſticæ lineæ, latis profuſiſque manicis, atque ab humeris ad genua tantùm protenſa, quæ extra ſacrificium geſtari ſolet à Sacerdotibus & miniſtris, in choro & extra, vbi Eccleſiaſtico aliquo munere (præter Euchariſtiæ conſecrationem) funguntur: Sed alba eſt tunica talaris ab humeris ad pedes vſque defluens, ſtrictis manicis; ſine qua altaris myſterium non licet Sacerdoti celebrare, nec eidem ſolemniter miniſtrare, Diacono, vel Subdiacono fas eſt, quemadmodum aliàs citatis canonibus oſtendimus.

Cæterùm apud Anaſtaſium in vita Benedicti III. recenſeri comperimus camiſias albas ſigillatas holoſericis cum chryſoclauo. Caſaubonus ad illud Lampridij in Alexandro, *In linea autem aurum mitti etiam dementiam indicabat, cùm aſperitati adderetur rigor:* Iure, ait, damnatas ab Alexandro lineas auro clauatas propter aſperitatem & rigorem, & propterea ſe valde mirari, cur apud Anaſtaſium legantur *camiſiæ auro clauatæ*, quas ait, non ad vſum comparatas, ſed ad ornatum ædium ſacrarum.

Verùm nihil aliud illæ camiſiæ fuerunt, quàm lineæ tunicæ ſacrificantium, & ad vſum ſacrorum, non ad ornatum templorum: in quibus auri rigor & aſperitas non erat geſtantibus incommoda, cùm ſuper alias veſtes, nempe communes iniicerentur; ſecùs tempore Alexandri, cùm lineæ nudis carnibus admouerentur, quas auri rigor & aſperitas lædebat.

Vide Octauium Ferrarium, de re veſtiaria lib. 3. c. 5.

Vulgare fuit prouerbium apud Gallos non ita diu exoletum, *Vous eſtes fille de Cheualier, vous âuez la chemiſe dorée*: mos enim erat apud primariæ nobilitatis fæminas, aurum camiſiis intexere in ſuperiori orificio circa collum, & brachiorum commiſſuram, ſeu manus & brachij iuncturam: quo ornatu depictas pleraſque heroinas ſuperioris ſæculi, Pariſiis in Regia & magnatum ædibus licet conſpicere. At quoad camiſias albas, ſigillatas holoſericis cum chryſoclauo, quarum meminit Anaſtaſius, harum adhuc ſupereſſe veſtigium in Galliæ maioribus & Collegiatis, quin & Lutetiæ in inſignioribus parœcialibus Eccleſiis, in quibus ſolennioribus feſtis, Sacerdotes & ſacri miniſtri induti albis paratis, vt vocant, ſacra myſteria celebrant: obſeruâſſe meminimus, in Panoplia Epiſcopali lib. 1. inſcripto de mitræ antiquitate, c. 3. his verbis, quæ quòd ad rem, quam tractamus illuſtrandam conferant, hîc non ſuperuacaneum viſum eſt retexere. *Pariſienſis Eccleſiæ mos perantiquus etiamnum perdurat, quo Sacerdos cum miniſtris ſacris operando, amictum cum alba ſic ornatum gerit, vt ſupra ipſum videre ſit, ex holoſerico vel textura aurea, aliáve pretioſa materia opificio caſulæ vel dalmaticarum conſimili aſſutam plagulam decenter verticem cooperientem & frontem ſacri myſtæ adumbrantem, vt non abs re ad inſtar infulæ cuiuſdam impoſita ad decorum augendum miniſterij videri poſſit.* Perſimilis ornatus ſuper vtriuſque manicæ extremitatem intextus, atque in albæ, quam paratam vocitant, antica & poſtica parte extrema conſertus non modicam conciliat myſtici apparatûs decentiæ venuſtatem. Nec modò in cathedratica, iámque Metropolica Baſilica mos hic iampridem inualuit, in eiuſdem vrbis præcipuis Eccleſiis collegiatis & parœcialibus huc vſque perſeuerat; imò in nonnullis Galliarum cathedraticis, aliíſque inſignibus templis idem hodiéque ſeruatur, quem acceptum à peruetuſta maiorum theoria, indicio ſunt antiquiſſimæ Sacerdotum ac Pontificum imagines eorum tumulis inſculptæ, vel parietibus appictæ.

Cæterùm hîc haud opus videtur de ſupparorum, ſeu ſuperliciorum ab alba dicrimine diſſertare, cùm in Panoplia Clericali nuper edita, ex profeſſo de eiuſmodi veſtis Eccleſiaſticæ origine, vſu, materia, forma, eiuſdémque non modò à linea tunica talari, ſed etiam ab Ephod, ſeu ſuperhumerali Hebræorum ſacerdotum, differentia, accuratè ſcripſerimus, nec palato ſapiat, crambem, vt aiunt, recoquere.

CAPVT IV.

De tunica talaris Sacerdotalis, albæ ſcilicèt materia, lino & byſſo, eorúmque diſcrimine.

PROMISCVAS eſſe res byſſum & linum nonnulli ſunt qui cenſeant: at differunt profectò, vt genus & ſpecies, nihil enim aliud eſt byſſus quàm ſpecies ſubtiliſſimi & candidiſſimi lini; optimum linum eſt enim byſſus, 1. propter miram tenuitatem. 2. propter eximium candorem & ſplendorem. 3. propter denſam filorum neruoſitatem & æqualem texturam. Huiuſmodi linum quacunque ex prouincia ſit, byſſus erit. Olim pretioſiſſimum erat; nam Achaica byſſus, auri pondere vendebatur; ſed Pauſanias ait Iudaïcam byſſum fuiſſe Achaica meliorem & præſtantiorem. Delrio in Geneſim, byſſum in veteri Teſtamento celebratam (Geneſ. 41.42. Exod. 28.39. 39.27. 1. Paralip.15.27.2. Paralip. 5.12.3. Eſd.3.6. Eſther. 1. 6.) & in nouo Teſtamento apud Lucam 19.16. & in Apoc. 19. 4. & 14. nihil aliud fuiſſe quàm linum naſcens in Ægypto & Palæſtina, in plantæ cuiuſdam folliculis (ſimilibus folliculis papauerum) indéque fieri telam omnium tenuiſſimã, ſubtiliſſimam, candidiſſimam. Mirum quod addunt, illam inſtar amianti igne non conſumi, ſed purgari, vnde & Plinius byſſum hanc comparat albeſto lapidi, qui ardet, & non comburitur, ſed purgatur: Háncque etiamnum notam eſſe Venetis, eſſéque telæ noſtræ Cameracenſi candore & ſubtilitate perſimilem, in eo tantùm illa præſtantiorem, quòd noſtra flammis iniecta conſumitur, illa verò flammis non cedat.

Audiendum tamen hîc reor Hieronymum Prado, qui in Ezechielem, ad c. 16. v. 10. ſic ſcribit: *Byſſus eſt linum candidiſſimum & molliſſimum, ſiue eſt lanugo arboris, quæ medium quid eſt inter lanam & linum: nam origine eſt linum, mollitie verò eſt lana, & texta linum refert, ait Pollux: eſt inquam lanugo arboris nuci incluſa, quam vulgò goſſypium vel xylon, Flandri & Galli,* coton, *vocant, ex qua fit tela goſſypina aut byſſina in Ægypto & Palæſtina, & etiamnum fit in Creta, Sicilia, & Hiſpania.* Ita ex Polluce & Plinio lib. 10. c. 1. Prado vbi ſuprà; qui pergit vt euincat non omnem byſſum eſſe linum, ſed ex lana aliquando confici: dicit itaque hanc lanuginem putà goſſypium, ſiue byſſum tinctam fuiſſe colore aliquando purpureo, illámque vocari purpuram Exod. 25. aliquando ianthino, túmque ibidem vocari hyacinthum; aliquando coccineo, túmque vocari coccum: byſſum verò eſſe & vocari quando nullo colore tingitur, ſed natiuo ſuo candidiſſima æquè ac molliſſima eſt. Probat verò ſuam perſuaſionem ex Deut. 22. 11. vbi vetatur ne tela fiat ex lana & lino. Ergo in cortinis tabernaculi & ſacris veſtibus, non potuit lana lino intexi, ac conſequenter byſſus hæc tabernaculi, non fuit linum, ſed lana ſiue goſſypium. Secundò, quia (inquit) ſi byſſus fuit linum, lana inde confecta non fuiſſet terſa & pura, nec enim fila ex lino ita bibunt ſuccum hyacinthi vel purpuræ, vt luceant: ita au-

tem bibit lana ſiue goſſypium, quod colore ſaturatum ſplendeſcit. Verùm byſſum à goſſypio diſertè Plinius diſtinguit lib. 19. c. 1. Et locus Exodi indicatus argutias Pradi planè retundit & refutat; ſiquidem textus ſic habet: *Hæc autem ſunt, quæ* (Domino oblata) *accipere debetis, aurum & argentum & æs, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum.* byſſus igitur res à præſignatis diuerſa erat. Clariùs id patet Exod. 26. 31. *Facies velum de hyacintho, purpura, coccóque bis tincto & byſſo retorta.* Et infrà, *Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto & byſſo retorta, opere plumarij.* Igitur hyacinthum, purpura, & coccus bis tinctus, erat lana his coloribus imbuta; nam & Apoſtolus Hebr. 9. coccinum tabérnaculi diſertè appellat *lanam coccineam* v. 19. Byſſus verò natiuo candore ſplendens linum erat ſelectum, pretioſum, optimum, de quo rectè ideo Ioannes Fungerus in Etymologio trilingui; *byſſus eſt*, inquit, *genus candidiſſimi lini ex quo fiebant veſtes ſubtiliſſimæ. Hebraicè* בוץ bus, idem quod בד bad, linum candidiſſimum, hinc Græci & Latini *βύσσος, βύσσινος*, byſſus, byſſinus ab Hebræa voce.

Nec obſtat quod obiicit Prado, Deut. 22. 11. *Non indueris veſtimento quod ex lana, linóque contextum eſt.* Siquidem aliud eſt veſtimentum vſuale & priuatum; aliud verò ſacrum & myſticum; in cultu tabernaculi multa à Deo præcipiebantur, quæ in cæteris vſibus prohibebat. Nam alioquin quòd byſſus linum ſit, liquidò patet ex 2. Regum c. 6. v. 14. vbi de Dauide legimus, *erat accinctus Ephod lineo.* At linum iſtud fuiſſe byſſum ex 1. Paralip. planè conſtat c. 15. v. 17. vbi res eadem ſic recenſetur; *Porrò Dauid erat indutus ſtola byſſina.*

His ita diſcuſſis, duæ quæſtiunculæ hoc loco dirimendæ oriuntur circa materiam albæ, ſeu talaris tunicæ Sacerdotalis:

1. An non liceat ex lana vel ſerico albam contextam gerere in miniſterio altaris?

2. Cur potiùs ex lino quàm lana, tunica eiuſmodi talaris contexta in diuino myſterio gerenda ſit.

Eas igitur ſuo ordine expendamus.

CAPVT V.

An ex alia materia quàm lino, vel byſſo, fas ſit in ſacrificio, diuinis miniſtris contextam albam gerere?

RABANVS Maurus lib. 1. inſtitut. Clericorum c. 33. vbi de expanſione ſindonis, ſeu corporalis ſuper altare diſſerit: *Quod* (inquit) *ex lino puro textum eſſe debet, & non ex ſerico vel purpura, neque ex panno tincto, ſicut à Silueſtro Papa inſtitutum inuenimus, quia in Euangelio legitur ſindone munda inuolutum eſſe à Joſepho corpus Saluatoris, & ſudarium capitis eius poſt reſurrectionem Domini, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeorſum inuolutum inueniri.* Hæc Rabanus; ſed ſtatutum Silueſtri quod memorat, in eius decretis non inuenitur.

Id potiùs ex inſtitutione manâſſe reor Euſebij Pontificis, qui immediatè ante Miltiadem Silueſtri prædeceſſorem, S. R. E. præſidebat; huius enim decretum ea de re refert hac ſerie Burchardus lib. 3. c. 99. *Hoc inter cætera prædicta conſultu omnium conſtituimus, vt ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumat, ſed in puro lineo ab Epiſcopo conſecrato, terreno ſcilicet lino procreato atque contexto, ſicut corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, in ſindone linea munda ſepultum fuit.* Recitatur totidem verbis ab Iuone part. c. 134. & recenſetur à Gratiano de conſec. diſt. 2. c. *Conſulto.* Verùm de talari tunica Sacerdotali expreſſas ſanctiones eiuſmodi non habemus; nullum enim reperi canonem, qui hanc ex lino duntaxat fieri præciperet, alia ex textura confectam prohiberet. Sed nomen albæ iam diu in Eccleſia vſurpatum pro podere, ſeu talari tunica, ſatis denotat materiæ qualitatem, vſúſque Eccleſiæ perennis tanta conſtantia ab omni antiquitate obſeruatus, vim legis inducit. Vnde Gloſſa *albis* in Clement. *Ne in agro*, §. *rurſus* ſic habet, *Albis: non ponitur pro colore, ſed pro veſte ſacra, de qua ſequitur verſus.*

Dicitur vrbs Alba, veſtitur Preſbyter alba.

CAPVT VI.

Cur potiùs ex lino quàm lana, talaris tunica Sacerdotalis contexitur?

NON modò apud Hebræos ſub lege Dei, ſed etiam apud Gentiles, præſertim Ægyptios, tunica byſſina vel linea erat religionis ſymbolum, erátque ſacerdotum myſtica veſtis; vnde Apuleius in apologia de lineo textu: *Sacerdotalis*, inquit, *eſt veſtitus & amictus.* Et Herodotus lib. 2. n. 46. Sacerdotes Ægyptij veſtem tantùm lineam gerunt, nec aliam eis induere fas eſt. Apud Chriſtianos eundem morem cum religione natum ſuperiùs oſtendimus: hîc porro non expendimus rationes quæ à colore lini, candore nimirum deriuantur, de quibus infrà etiam ſub titulo de colore ſumus dicturi, at tantùm cauſas quaſdam iſthic ibimus indagatum, quæ intrinſecam lini naturam, vt pote materiam ipſam ſpectant, & à quibus conuenientia quam quærimus indicatur. Vna hæc ratio videtur præcipua, videlicet quòd linum aptè ſignificet ſacerdotum ſanctimoniam. 1. quòd ſit mundiſſimum; tum quia multò meliùs detergit ſordes, quàm lana, tum quia lauari ſæpe poteſt, quod vix lana patitur, ſine graui coloris & materiæ detrimento. 2. quia lana, & ſericum tingi & fucari poſſunt, at linum ſimplicitatis amans, tincturam omnem & fucum reſpuit: Eſt ergo ſymbolum animi ſimplicis & candidi, qui omnem fictionem reſpuit, qualis debet eſſe in Sacerdote fides, candor, ſimplicitas, integritas, & morum innocentia. 3. Linum licèt tenue, neruoſum tamen eſt & robuſtum, adeò vt apros in eius retia ſe induentes concidat; tales debent eſſe nerui, & robur Sacerdotis. 4. Linum, vt ſcitè Plinius ait,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſemper iniuriâ fit melius; ſic vera ſanctitas ſacerdotum aduerſis probatur, quin ſi vera ſit, creſcit & augetur. Iniuriæ quas linum tolerat donec ad optatum candorem & ſplendorem perueniat, plurimæ ſunt, & certè non leues, ſcilicet euelli ſolet, ſiccari, macerari fluuio, iterum ſiccari, tundi malleo ſtupario, decorticari, ſcindi ſpata lignea, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebro in ſilice ex aqua, texi & tundi clauis. Hinc linum eſt optimum patientiæ & conſequenter ſanctitatis (*nam patientia opus perfectum habet*, Iacob. 1. 4. & ipſa eſt, ait S. Ambroſius, *perfectio charitatis*) ſymbolum. Has ob cauſas Apoſtoli lineam albam in ſacris, Aaronis imitatione retinuerunt.

Lib. 5. Com. in Luc. c. 6.

CAPVT VII.

De forma albæ & amictus Sacerdotalis.

IN Appendice Manualis ſacrarum Cæremoniarum iuxta ritum S. R. E. ſub titulo, de forma & menſuris Eccleſiaſticæ ſupellectilis &c. præcipuè ad Miſſam congruentibus iuxta regulam præſcriptam à S. Carolo in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ ad totius Eccleſiæ vtilitatem, in lib. 1. & 2. inſtructionum fabricæ & ſupellectilis Eccleſiaſticæ promulgatarum in prouinciali Concilio Mediolanenſi III. à ſancta Sede Apoſtolica confirmato; Albam hac forma & menſura efficiendam reperimus; Alba è tela linea ſit, longè producta
„ cubitos quatuor, latè ſexdecim ac paulò ampliùs circumquaque pa-
„ teat; manicas habeat longitudine ſeſqui cubitali, hoc eſt cubito cum
„ dimidio, latitudine ab humeris pene cubitali, quæ vſque ad manus
„ ſenſim anguſtiùs ducantur: in ſumma veſte & in extremis manicis
„ aliquid ſit dumtaxat acu paululum ac tenuiter elaboratum, nimius
„ enim labor in iis ornandis vanitatem ſapit & leuitatem.

Cæterùm quia amictus eſt albæ appendix, operæ pretium videtur hîc eius etiam formam ex iiſdem inſtitutionibus exprimere; Amictus
„ è tenui tela ſit longitudine circiter cubitorum duorum; latitudine ve-
„ rò ſeſqui cubitali: in duobus angulis eius anterioribus aſſuantur funi-
„ culi commodè longi vt reduci ante pectus queant, & cum iis fieri
„ nodus, in medio crux acu pingatur vnciarum duarum, longè ab ex-
„ tremitate, digitis duobus in parte ſuperiori: extremitates illius, præter-
„ quàm ex ea parte quæ collum ambit, aliquo modeſto opere ornari poſſunt. In Gallia noſtra fiunt in quatuor angulis amictus, quatuor foramina, vt funiculi in duobus apponantur, & poſteà iidem in aliis reponantur, quando ſcilicet vna ora ipſius amictus aliquam maculam contraxerit è collo ſacerdotum. Item crux in medio ipſius pingitur acu, non ad oram, ne fortè maculæ in oſculo ipſius aliquam nauſeam celebraturis pariant. Hæc ad verbum exſcribere placuit, vt hîc ſuo loco tam albæ, quàm amictûs propria forma atque dimenſio, à cupido quoque obſeruatore Eccleſiaſticæ inſtitutionis conſpiceretur.

CAPVT VIII.

De colore niueo Albæ: ſeu de candore talaris tunicæ Sacerdotalis.

IN Panoplia noſtra Clericali parte 2. lib. 4. c. 6. de colore albo & candido, eiúſque tam naturalibus proprietatibus, quàm myſticis & tropologicis ſignificationibus ſcripſimus accuratè. Quamobrem hoc videtur ſuperuacaneum, quæ iam abundè tractáuimus, hîc quaſi de nouo retexere. Verùm ſupereſt adhuc aliqua diſſerendi ſeges, adeo vt nec me pudeat ſubiungendis quibuſdam additamentis hîc parumper immorari; nec lectori fore faſtidioſum cenſeam hæc analecta perluſtrare, cùm à dictorum repetitione quæ ſuppetiarum vice additurus ſum, ſint penitus aliena: quamuis à communi lemmate nullatenus diſſona reperientur. Vt igitur cum ordine progrediamur, albi coloris ſeu candidi ſignificationes quaſdam quæ præcipuè ad mores, myſticáſque theoriàs ſpectant, hîc breuem per ſeriem recenſere aggrediemur.

§. I.

Candidus color deſignat Innocentiam.

CANDOR lucis eſt, vt nigror tenebrarum; lux verò iuſtitiæ eſt amica, tenebræ verò ſcelerum: hinc illud Euangelicum, *qui malè facit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* Celebris mos fuit apud Ethnicos, vt rei criminis, atrati prodirent; ſic inceſſit Lentulus Prætor conſpirationis in Rempublicam Romanam poſtulatus. Econtrà non ſine diuina prouidentia effectum, vt Chriſtus noſtræ ſalutis parens, ab Herode remiſſus ſit ad Pilatum candida veſte indutus; quod etſi per ludibrium ab impio Rege actum fuerit, tamen Pilatus prudenter pro teſtimonio Chriſti innocentiæ accepit: *Nullam cauſam* (ait ad Sacerdotum principes Luc. 23.) *inueni in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes, nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei.* Mira eſt perennéque memoratu digna S. Hieronymi de nigro colore paſſim in ſcripturis pro labe, & reatu ſumpto, animaduerſio: Ad hæc enim verba Amos prophetæ, *Nunquid non & vos filij Æthiopum eſtis mihi filij Iſraël* c. 9. Sic maximus ille Eccleſiæ Doctor commentatur, *in omnibus ſcripturis Æthiopes dicuntur, qui penitus in vitia demerſi ſunt.* Quid quòd fictus candor, ſub quo nigror latet, pro velamento nequitiæ, etiam in ſacris literis accipi ſoleat? hinc hypocritas Dominus aſſimilat ſepulchris dealbatis: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris*

Ioan. 3. 20.

parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos, à foris quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Matth. 23. 27. Cygnus ab altari Domini proſcribitur, ne offeratur in ſacrificium: imò Dei populus eius vſu, eſúque interdicitur, Leuit. 11. 18. Deut. 14. 16. Nec alia ratio, quàm quod hypocriſis latentiſque (ſub ſpecie candoris) atræ nequitiæ ſymbolum eſſe videtur: ſub plumis ſiquidem candidiſſimis cutem nigerrimam gerit. Abſit hoc à Sacerdote; in quo maximè requirit Apoſtolus, vt ſit impollutus & innocens, quin & *irreprehenſibilis & ſine crimine.* At ſi ſtola candida coopertus ad diuina myſteria accederet, intus verò haberet nigram animam, atrámque, ſeu vt aliàs idem Apoſtolus ait, *cauterizatam conſcientiam:* tantum abeſt vt idoneus foret *offerre Deo dona & munera pro peccatis;* quin potiùs audiret à Domino, *Ne offeras vltra, ſacrificium fruſtrà: incenſum tuum abominatio eſt mihi.* Chriſtus ſummus æternúſque Sacerdos, per Spiritum ſanctum obtulit ſeipſum immaculatum Deo, in odorem ſuauitatis. Ad hunc archetypum Sacerdos qui Chriſti ipſius in altari vices gerit, ſeſe componere debet: Curare igitur, enitique pro virili in conſpectu Dei ſine macula apparere, amictus lumine, ſicut veſtimento, nec ſolùm externo candore nitens, at magis interno ſplendore, & decore. Cùm emundaret ſancta Iudas Machabæus, elegit ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei, 1. Machab. 4. Nec enim ſufficit, ait Chryſoſtomus, hom. 83. in Matth. vt Sacerdotes & cæteri religionis miniſtri in Eccleſia albam, & ſplendentem tunicam circumeant induti, at multo magis oportet vt interno animi candore & conſcientiæ pùritate coram Deo appareant fulgentes, *Omnes candidatos* (ait Seneca ad Lucullum, ep. 3.) *viros bonos* dicamus: Qui enim petebant magiſtratum, idcirco candidati prodire ſolebant in publicum, vt integritatem, probitatémque ex colore omnium puriſſimo præ ſe ferrent. Meminerint Sacerdotes ad altare ſe offerre (vt loquitur S. Ambroſius) *ſacrificium virginitatis.* Par eſt eos igitur Angelica puritate nitere, nam ſemper eſt Angelis cognata virginitas.

Iſai. 1.

§. II.

Libertatem.

IN manumiſſione albam veſtem dari ſolitam, innumera veterum teſtimonia declarant: inter quæ illuſtre hoc mihi ſemper viſum eſt Tertulliani lib. de reſurrect. carnis. *Veſtis albæ nitore, & aurei annulli honore, & patroni nomine & tribu, meritáque famulus libertate donatus honoratur.* Chriſtus in vltima cœna Euchariſtiæ myſterium inſtituens Apoſtolos ſuos (quibus, vt docet S. Auguſtinus in Pſal. 44. Epiſcopi, & Presbyteri ſucceſſerunt) Sacerdotes conſecrauit, tum verò etiam manumiſit, *Iam,* inquit, *non vos dicam ſeruos, ſed amicos. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* De altari participare licet etiam fidelibus laïcis,

ſed

ſed non aliter quàm præſidentium manu, fas eis eſt Euchariſtiam ſumere. At Sacerdotes non ſolùm ſumunt, ſed etiam dant cæteris munus diuinum. Prætereà hoc eorum ſingulare priuilegium eſt, vt Iuo & Burchardus ex canonicis ſanctionibus notant, vt ſuper altare communicent, quod nec Regibus vmquam fuit conceſſum. *Alba* igitur induuntur, vt manumiſſi à Chriſto ſummo imperatore, omniúmque Regum Domino, atque in conſortium ſacræ dignitatis aſſumpti, reliqua à vulgi turba dignoſcantur. Pulchrè hîc iterum Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem, ad hæc Apoſtoli verba, *qua libertate Chriſtus nos manumiſit.* Nónne cum conſtituit manumiſſorem, qui fuit Dominus? alienos enim ſeruos nec *alba* manumiſit. Grande profectò priuilegium cum Sacerdotio confertur, vt qui hoc honore nobilitatur à Domino, manumiſſus non modò ſit, ſed manumittendi alios ſiue per baptiſmum, ſiue per abſolutionem ſacramentalem, ſiue denique per ſacram ordinationem, ius & auctoritatem ipſa conſecratione recipiat. Spectauit huc Ambroſius, initio lib. 9. in Lucam. *Non poterat pullus qui ligatus erat, ſolui niſi iuſſu Domini. Soluit eum manus Apoſtolica, talis actus, talis vita, talis gratia. Eſto talis & tu, vt poſſis ligatos ſoluere.* Gal. 4. 31.

§. III.

Pacem.

CONSTAT album colorem ad pacem ſignificandam magno vſui fuiſſe: hinc Æneas apud Virgilium lib. 3. ex candore equorum qui in conſpectu Italiæ apparuerant, pacis omen fecit. Pacem peti vel nunciari candido ſigno vel veſte, pleriſque exemplis videre licet apud Homerum, Cæſarem, Liuium, Ammianum, Tacitum, & alios priſcos ſcriptores. Porro ex poſteris, ſed præcipuis, Genebrardus lib. 4. Chronographiæ, ſub annum 1495. narrat Tamerlanem illum, cui bellorum gloria Magni nomen peperit: vbi prælium hoſtibus oſtenderet, tria ſigna per tres continenter dies ſuſtuliſſe; alterum candidum, quo pacis & deditionis dabat optionem; nigrum alterum, quo luctuoſum pœnitentiæ exitum & triſte ſupplicium minabatur: tertium denique coccineum, quo cruentum bellum oſtentabat igni ferróque miſcendum. Quo die Chriſtus reſurgens à mortuis pacem ſuis Apoſtolis nunciauit, apparuit ad eius tumulum, iam trophæum deuictæ mortis, Angelus in ſtola candida: quæ erat partæ iam pacis à Chriſto & ſalutis inſtauratæ indicium. Sacerdos Angelus Domini exercituum eſt, accedit ad altare, vt incruento quod oblaturus eſt, ſacrificio diuinam placet iram, miſericordiam verò nobis conciliet; vnde in candido, hoc eſt pacifico habitu, diuinis ſeſe ſiſtit obtutibus, rogaturus quæ pacis ſunt, votíſque potitus, hanc in Dei nomine populo ſupplicanti gratiam annunciat, *Pax*, inquit, *Domini ſit ſemper vobiſcum;* mutuóque affectu vicem ei populus rependit, dicens, *Et cum Spiritu tuo*, &c. Antiquiſſimus eſt profectò hic in Eccleſia ritus, ad quem S. Gregorius Nazianzenus reſpiciens, orat. 3. de pace, *In principio pax*, inquit, *amica, non re dumtaxat,*

ſed nomine quoque ipſo iucunda, quam nunc populo dedi & recepi. Mutua eſt enim doni illius, quod omne donum ſuperat, ádprecatio; vnde Hildebertus in Carm. de off. Miſſ. ait de Sacerdote.

Implorat pacem, qua fit vterque quod alter,
Concordéſque velint, atque ſequantur idem.

§. IV.

Nuptias Agni.

COLOR apparatus ſponſæ, candor eſt. Miſſis procul profanis nuptiis, de ſponſæ agni connubiali ornatu hoc audiuit cœleſte præconium S. Ioannes Apoc. 17. 7. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido.* Certè in Euchariſtia Chriſtus ſua cum Eccleſia coniugalis amoris fœdera concelebrat. Vnde S. Ambroſius ad illa verba Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui; Sponſa*, inquit, *ſacramenta miratur & optat, dum ait, Oſculetur me oſculo oris ſui; Ore enim diuinum hoc munus ſumitur, & per tam admirabile caſti amoris commercium vnionis Chriſti cum Eccleſia myſterium peragitur;* ſublimi id acumine Apoſtolus inſinuat, Epheſ. 5. *Nemo*, inquit, *carnem ſuam vnquam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam; ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius:* Per illud ſcilicet ſacroſanctum myſterium, de quo Chriſtus ipſemet ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Ad has igitur celebrandas nuptias, vnionis ſcilicet connubiale fœdus, nimirum membrorum inter ſe, & corporis cum capite, Sacerdos vice Chriſti diuinis operaturus ad altare procedit, ideóque candida fulget veſte, quæ eſt nuptialis amictus, ne ſcilicet ſi atratus prodiret, repulſam pateretur, dicente Domino, *Amice quomodo huc veniſti non habens veſtem nuptialem?* Feſtiuè pridem Sidonius Apollinaris quoſdam ſui temporis irridebat, qui neſcio quo nouitatis pruritu contra mores receptos paſſim omnia præpoſterè factitabant, *Nam libenter incedunt* (inquit) *armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Eccleſias, pullati ad nuptias;* nimirum contra omnium penè gentium conſuetudinem, ſiquidem albus color nuptiis aſſignatur: hinc illud Theodorici Regis apud Caſſiodorum, lib. 4. Variarum, epiſt. 1. circa med. more gentium ſuſcepiſſe pretia deſtinata, *equos argenteo, colore veſtitos, quales eſſe decuit nuptiales.* Quo ex more, non ſine ſale, tyrones illos militiæ ſæcularis ſugillat Ioannes Sariſberienſis, Polycratici lib. 6. cap. 4. ſub finem, qui ad bella procedebant, quaſi ad nuptias dealbati: Pari nomine ac iure illos cum Sidonio perſtricturus, *qui pullati procedebant ad nuptias;* oſtendens eos (ait hoc ipſo Sidonij citato loco Petrus Venerabilis lib. 5. ep. 16.) in tantùm moribus & actu confuſos, vt apparatum funereum nuptiali, nuptialem funereo, peruerſo ordine permutarent.

Epiſt. 7. lib. 5.

Extat apud me proceſſus Criminalis (vt áiunt) à Senatu Rothomagenſi, ſupremo decreto regij Conſiſtorij ad noſtrum Tribunal Ec-

cleſiaſticum remiſſus, in quo de execrando magiæ ſcelere agitur; exſcriptæ rei geſtæ cùm acta perlegerem, inter horrenda quæ in magorum nocturnis cum dæmonibus conuenticulis ſacrilegia fiunt, id præ cæteris annotaui: quòd tremendum Miſſæ ſacrificium ſoleant æmulari, impia ſacrorum Eccleſiæ rituum imitatione; diabolus enim (vt ſcitè pridem ait Tertullianus) eſt ſimia Dei: ſed quia itidem perpetuò diuinis placitis aduerſatur (ſemper enim contendit *vias Domini ſubuertere rectas*), in ipſa ſacrilega diuinorum myſteriorum æmulatione, affectata contrarietate delectatur. hinc eſt quod pſeudomyſtæ qui nefanda ſacra horrendis modis peragunt, veſtibus quidem Sacerdotalibus vtuntur; at caſulis ſine cruce; lineis verò talaribus tunicis, non albis ſed nigris; inferorum ſcilicet copiis (quarum duces ſunt principes tenebrarum) peraptè congruenti colore. Vulgare eſt dictum Zuinglij, de ſpiritu à quo ſe doctum nocturnis colloquiis fatebatur: *Ater autem an albus fuerit*, (inquit) *nil memini:* Sed profectò ater erat, qui verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, meridiana luce clariora, terræ explicationis caligine obſcurare miſerum illum apoſtatam, magnum illud pietatis ſacramentum abolitum ire meditantem, tam infauſta ſuggeſtione edocuit.

Pulchrè Anaſtaſius Synaita lib. 6. Hexameron: *Byſſus* (inquit) *pluſquam nix refulget, idcircóque eſt ſymbolum lucis, quæ procedit ex luce verbi Dei.* In diuina actione Sacerdos (ait magnus Doctor Ambroſius) *non ſuis verbis, ſed ſermonibus vtitur Chriſti*, cuius verba ſunt verba lucis, eloquia veritatis. At econtrà verba diaboli ſunt verba mendacij. Decet igitur magos infernales ſymmyſtas, verba diaboli in execrandis ſuis myſteriis deprompturos, atratos & pullatos prodire. At verò Chriſti Sacerdotibus, qui filij ſunt lucis & operarij veritatis, candor proprius eſt, tam in veſte myſtica, quàm in ore & pectore. Hos decet ſanè priſci ipſius apophthegmatis eſſe memores, *Byſſinis vtendum verbis cum principe*, id eſt oportere cum eo apertè & manifeſtè loqui; verè, ſincerè, candidè; ſiquidem in byſſo ſubobſcurum nihil & vmbroſum apparet, ſed alba & candida omnia. Albatus igitur & candidus prodeat Sacerdos ad ſacrificium, in quo verba Dei prolaturus, & cum ipſo Deo collocuturus eſt. *Vide Plutarch. in Apophthegmat.*

§. V.

Martyrum gloriam.

ET *ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat. Et exercitus qui ſunt in cælo, ſequebantur eum, in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo:* Haud obſcurum cuiquam eſſe poteſt quis ſit dux ille cœleſtis, quem ſupernus exercitus triumphali apparatu decoratus ſequitur: propriis enim cohoneſtatur titulis, *Rex Regum & Dominus dominantium.* Sed ambigi poteſt, quinam illi milites ſunt, qui cum eo triumphant niueo candore micantes? Verùm Chriſtus ipſe rem aperit, dum ait, ibidem, *qui vicerit* (prout *Apoc. 19.*

iſti ſcilicet pugiles vicerunt) *veſtietur veſtimentis albis*. Turba eſt igitur hæc inclyta Martyrum, quam ſpeculator ipſe gloriæ cœleſtis Ioannes ingenti cum lætitia & admiratione conſpexit: *Vidi* (inquit) *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omni tribu &c. Stantes in conſpectu Dei, & induti erant alba veſte, & palmæ in manibus eorum.* At cùm abluiſſe ſtolas ſuas dicantur *in ſanguine agni*, quî fieri poteſt vt nihilominus dealbati prodeant? numquid ſanguis candidus eſt ſicut lac, vt dealbare poſſit? nónne per ſe cruentat & potiùs quod tingit purpurat, quàm nitere facit? ita quidem: verùm hoc ſanguinis agni proprium eſt, vt quod lauat, non modò expurget, ſed nitidum candidúmque efficiat. Nec modò hoc præſtat agni illius ſalutaris cruor, qui propitiatio fuit mundi, at pro eo effuſus in pugna fidei, ſpei, & charitatis, ſanguis, pugiles ipſos non cruentat, ſed miro fulgentes honore, nitore & candore reddit, iiſdémque confert immortalis gloriæ candidam. Appoſitè ad hæc Tertullianus in aureo opuſculo, quod conſcripſit de militis Chriſtiani corona. *Totus* (inquit) *de Apoſtolo armatus & de martyrij candida, laureâ meliùs coronatus, donatiuum Chriſti in carcere expectat.* Et S. Cyprianus lib. de lapſis, fere ab initio, *Adeſt militum Chriſti cohors candida, qui perſecutionis vrgentis ferociam turbulentam, ſtabili congreſſione fregerunt.* Et S. Auguſtinus lib. 2. de fide ad Catechum. *In iſto ſanguine dum ſancti martyres ſtolas ſuas lauerunt, candidas eas fecerunt.* Quamobrem ipſe cum Catechiſta ſuo Ambroſio, de Martyrum coronis & triumphis Deo gratias agens, rectè concinit, *Te Martyrum candidatus laudat exercitus.*

Apoc. 7.

Cæterùm in Miſſa non modò *mors Domini annũciatur*, ſed commemoratur ibidem mors Sanctorum eius *in conſpectu Dei pretioſa*; hinc S. Hieronymus, *martyrum ſepulchra*, *Chriſti* vocat *altaria*. Hinc Sacerdos ſacrificium inchoaturus, altare in medio oſculatur, vbi martyrum veneranda pignora ſunt condita, *Oramus te*, inquit, *Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hîc ſunt, vt indulgere digneris peccata mea.* Hinc in ipſo canone ante & poſt conſecrationem ſacra illorum nomina commemorat, de quorum pugnis & coronis, Deo auctori eorum victoriæ, gratias rependit, quibuſcum partem æterna in luce ſibi & cæteris ſupplicibus concedi poſtulat. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus, Ioanne, Stephano &c. & cum omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Aduerſus Vigilant.

Quia igitur ambit Sacerdos pro ſe & circumſtanti populo ſupernæ ciuitatis municipatum, Senatûs cœleſtis conſeſſum, & diuinæ conſortium militiæ, dealbatus ad altare procedit, albáque indutus ſacrificat, vtpote candidatus perennis triumphi, & gloriæ, quam Sancti pro Chriſto fortiter certantes & feliciter ſuperantes reportarunt; *Sancti ſiquidem* (ait Apoſtolus Heb. 11.) *per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Hoc modo nobis propalata eſt Sanctorum via, via lactea & lucida, qua ad cælum itur.

§. VI.

Gaudium beatorum.

INDVIT *ſe* (Iudith ad virtutis mirabile facinus progreſſura) *veſtimentis iucunditatis ſuæ*, ſeu, vt ipſa ait in cantico ſuo, *exuit ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael.* Pullam veſtem fuiſſe funeris & mœroris inſigne ſuprà conſignauimus. At verò albam veſtem eſſe indumentum iucunditatis, ex iis quæ de nuptiarum ornatu notauimus facile eſt colligere. Ex vtraque litteratura, hîc obſecro, quædam ſelecta conſignemus; Nemo peritus eſt Latinæ antiquitatis, qui albis veſtibus vſos fuiſſe pridem Romanos rebus in lætis neſciat. Hinc eſt quòd Horatius lib. 2. Sat. 2. feſtos dies albis veſtibus agitari præcipiat. Latinus etiam Pacatus in panegyri ad Theodoſium laudationis anſam arripit, quòd aduentanti, è præcipua nobilitate viri, albis veſtibus induti obuiam prodierint. *Quid ergo referam feſtum* (inquit) *liberæ nobilitatis occurſum conſpicuos veſte niuea Senatores?* Et Vopiſcus in Floriano, cùm lætitiæ ingentis ſignificationem augere atque amplificare in animum induxiſſet: hinc præcipuè inſiſtit, quòd albarum veſtium plurima copia facta eſſet. *Tantum illud dico* (ſic ait Vopiſcus) *ea eſſe lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes veſtes albas cederent, albati ſederent.* Indith. 10. 3. 16. 9.

Nuncium nunquam magis lætum eo eſſe potuit, quod Angelus Chriſti præco reſurrectionis, ipſo eius rediuiui die, ſollicitis de eius fama & gloria ſanctis mulieribus prædicauit, *Surrexit*, inquit, *Dominus non eſt hîc;* ſed nuncius ille cœleſtis, tum habitu candidatus erat. Appoſitè prorſus ac ſuauiter S. Gregorius hom. 21. in Euangelia, verba hæc ediſſerens ſacri contextus, *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida &c.* Rectè (inquit) Angelus qui nunciare perennem eius vitam venerat, in dextera ſedebat: Qui ſtola candida coopertus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nunciauit: Candor enim veſtis ſplendorem noſtræ denunciat ſolennitatis. Noſtræ dicamus, an ſuæ? ſed vt fateamur veriùs, & ſuæ dicamus & noſtræ, illa quippe redemptoris noſtri reſurrectio & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum feſtiuitas extitit, quia nos reuocando ad cœleſtia, eorum numerum impleuit.

Color albus ac niger contrariè, vt notum eſt, opponuntur: At niger color mœroris index & mortis, vt S. Cyprianus per viſum admonitum ſe ſcribit. Cùm enim feruente ſæua peſtilitate, ad propinquorum multiplicata funera fideles atras veſtes mortis & luctus indices ex ſæculi more aſſumerent, indéque ſcandalum gentibus oriretur, Chriſtianis improperantibus, æternæ vitæ fidem quam prædicauerant & prædicabant, hoc mortis luctu & mœroris indicio quaſi patenti ſigno diffidentiæ eleuari: Acriter morem hunc S. Cyprianus reprehendit, ſéque diuinitus admonitum aſſeuerat, vt pia magis exem- Lib. de mortal.

pla ſuaderet; *Nobis quoque ipſis minimis*, inquit, *& extremis quoties reuelatum eſt, quàm frequenter atque manifeſtè de Dei dignatione præceptum eſt, vt conteſtarer aſſiduè, & publicè prædicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos, accerſitione Dominica de ſæculo liberatos, cùm ſciamus non eos amitti, ſed præmitti; recedentes præcedere, vt proficiſcentes, vt nauigantes ſolent: deſiderari eos debere, non plangi. Nec accipiendas hìc eſſe atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint.* Gloriæ igitur & felicitatis Sanctorum in cœlo beatorum, albæ veſtes ſunt propria inſignia, gaudij proinde & lætitiæ ſempiternæ, qua potiuntur apud Deum conſpicui ſunt indices.

At verò Euchariſtia pignus eſt vitæ æternæ dicente Domino, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6. vnde eleganter & appoſitè Optatus Mileuitanus hoc myſterium vocat, *pignus ſalutis æternæ, tutelam fidei, & ſpem reſurrectionis*: Quid porrò Sacerdos ad altare dum accedit aggreditur; niſi tanti boni nobis aditum reſerare, pignus conſignare, primitias æterni huius gaudij impertiri? Præclarè ad hæc S. Gregorius: *Quis fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlum aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio, Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnum quid ex inuiſibilibus & viſibilibus fieri?* Nuncius eſt, & adminiſter tanti gaudij Sacerdos, Chriſti futurorum vt pote bonorum Pontificis Vicarius. Quo igitur magis apto congruóque apparatu ſacris altaribus aſſiſtere poteſt, quàm candido decoratus amictu, quo Angeli nuncij pacis & veri gaudij, ſemper conſpicui piorum conſpectibus apparuerunt?

Lib. 4. dialog.

Applaudit & gratulatur affatim S. Hieronymus Iulianæ, ep. 34. nec inter eius infimas laudes numerat, quòd filiarum mortem æquo animo ferens citò veſtem lugubrem in candidam lætitiæ commutârit, *Laudent* (inquit) *te alij, & tuas contra diabolum victorias panegyricis proſequantur, quod in quadrageſimo die dormitionis earum lugubrem veſtem mutaueris, & dedicatio oſſium Martyris candida tibi veſtimenta reddiderit.* Dedicatio oſſium Martyris itaque luctuoſæ veſtis vſum intercidit: & Chriſti corporis & ſanguinis conſecratio, pullatum Sacerdotem aſſiſtere Dei conſpectui, operari ſacris, & myſterium æternæ ſalutis celebrare pateretur? vt muſica in luctu importuna narratio, ſic in myſterio tantæ gratiæ & benedictionis niger ac funebris amictus indecens profectò appareret.

Accedit quòd Euchariſtiæ ſacrificium non modò mortis Domini, ſed & eius reſurrectionis, aſcenſionis, regníque perenne mnemoſynon eſt. Mors abſorpta eſt in victoria, quamobrem hoc in myſterio de ea quotidie Chriſtus triumphat, nobis infundit gratiam & vitam, ac gloriam initiat; vnde ſub ſpeciebus panis & vini hic adeſt ad modum glorioſi corporis; quia vt Eccleſia canit, *Mentes implet gratia, & in futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Tanti beneficij ſe pro toto corpore Eccleſiæ, Sacerdos candidatum profitetur: quamobrem qui extra ſacrificium pullatus incedit, dealbatus diuinum hoc celebrat myſterium, futuræ ſcilicet ſuæ noſtræque immutationis ſymbolum. Al-

ludit hîc nonnihil B. Hieronymi de S. Paula defunctâ locus inſignis; *O beata* (inquit) *rerum communio! fleuit, vt ſemper rideret, veſtita cilicio eſt, vt nunc veſtimentis albis vteretur, & diceret, Scidiſti ſaccum meum, & induiſti me lætitia*, ep. 27.

Cæterum eſt fortaſſis quòd quis miretur, nos hîc profligare nigrum colorem ab altari & ſacrificio Chriſtiano : cùm tamen atrum ipſum colorem, inter Eccleſiaſticos colores recenſuerimus, parte 2. Panopliæ Clericalis, libro 4. c. 5. art. 4. §. 2. cuius eſt titulus, De vſu nigri coloris in ritibus Eccleſiæ : vbi explicamus hanc Romani Liturgici Rubricam. *Nigro colore* (S. R. E.) *vtitur feria 6. in Paraſceue & in officiis omnibus & Miſsis defunctorum.* Item de vſu huiuſce coloris in die cinerum & feria 6. in Paraſceue, necnon in viſitatione Cœmeterij. Verùm hæc non repugnant præmiſſis. Nam ſi de extima veſte Sacerdotali puta caſula vel pluuiali ſermo ſit, vltro fatemur nigri coloris vſum admittendum eſſe. Si de intima, qualis eſt alba & amictus, palam eſt nonniſi candidi coloris vſum poſſe adhiberi. Quamquam etiam mos obtinuerit, vt ſuprà dictis diebus, quibus color niger quoad caſulam vel pluuiale vſurpatur in diuinis officiis, merum nigrum aſſumi non ſoleat. Album enim ſemper admiſcetur; & nigro ſupereminet, cruce videlicet candidi coloris prolixâ caſulæ intextâ: limbiſque ſiue fimbriis, tam atro quàm albo colore permixtim conſertis : cùm alba ſemper ſubiaceat, candido colore (lino ſemper inhærenti) conſpicua.

COROLLARIVM.

De Alba myſtica origine, & tropologico vſu.

ETIAMSI poderis, ſeu talaris tunica linea, priſcæ legis Sacerdotibus nunquam fuiſſet in vſu: (quæ lex ſcilicet vmbra fuit & figura legis Euangelicæ) attamen in nouo Teſtamento debuiſſet alba veſtis à Sacerdotibus vſurpari, tum propter prætactas ſignificationes, tum præſertim ob Chriſti, qui Sacerdotij noui caput, exemplar & archetypus eſt, congruam imitationem. Chriſtus in Transfiguratione ſua dealbatus, Apoſtolis inter Prophetas apparuit, *Veſtimenta eius alba facta ſunt, ſicut nix*, ſcribit S. Matthæus c. 17. ſed ait S. Marcus, *facta ſunt* *Marc. 9.*
ſplendentia & candida nimis, velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. Porrò S. Lucas, *veſtitus eius factus eſt albus & refulgens.* *Luc. 9*
In vltima cœna quam nouæ legis perenne ſacrificium dedicauit, *linteo præcinxit ſe*. Et in paſſione ſua (cuius Miſſa proprium memoriale eſt) illuſus ab Herode, fuit veſte alba indutus. In natiuitate ſua ab immaculata matre inuolutus linteolis, in præſepio poſitus eſt. Idem verò Dominus in ſepulchro ſindone munda à Ioſeph nobili decurione inuoluitur. Porro reſurgens à mortuis nuncios ſuæ gloriæ Angelos ſtolis amictos candidis deſtinauit. Vidit Maria Magdalena (inquit S. Ioannes c. 19.) duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes vbi fuerat poſitum corpus Ieſu. Dicit Lucas apparuiſſe hos duos Angelos virili ſpecie *in veſte fulgenti*, hoc eſt byſſina

& candida; Duos itidem apparuiſſe refert, cùm ipſe Dominus in cœlos conſcendit, *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis*, ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, *in veſte alba*. Deum vno ſolo colore albo delectari, auctore Pierio, Perſarum ſapientes aſſerebant. Quantùm reuera Chriſtus candido colore delectatus fuerit, ſignatis ex eius geſtis apparet.

Eapropter Eccleſia in ſacris colorem hunc diuinis Miniſtris, in myſticis veſtibus gerendum iampridem attribuit; quem morem longæuo vſu ſua ætate propagatum S. Hieronymus, lib. 1. aduerſus Pelagianos, qui morem iſtum vix ferebant, diſertè aſſeuerat: *Quæ ſunt ergo inimicitiæ contra Deum*, (inquit) *ſi Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum, cum candida veſte proceſſerint?*

I. Puritatem etiam ſignificari reor per albæ nitorem. Rerum naturalium tractatores narrant fuiſſe antiquitùs quandam ſpeciem lini, quam Græci *aſbeſtinum*, Latini linum viuum appellabant. Ex hoc tela contexebatur, & tunicæ fiebant, quæ igni non tantùm non abſumebantur, ſed in illum coniectæ ſordibus exuſtis, magis quàm ſi aquis fuiſſent ablutæ, ſplendeſcebant, Regum quoque funera in eiuſmodi adurebantur tunicis, ne corporis fauilla cum reliquo cinere miſceretur. Linum hoc cui principatus toto in orbe erat, Plinius lib. 19. c. 1. tradit, rarum inuentu, difficile textu eſſe propter breuitatem, inuentum æquare pretia margaritarum. Periit tandem hæc lini viui ſpecies. Cuius vtinam ſignificatio in noſtris Sacerdotibus & Clericis reuireſcat. In Sacerdote, & ſacrorum quovis miniſtro nihil præſtantius eſſe poteſt puritate mentis & corporis, ad quam vt ad præcipuum ſacræ dignitatis decus, candor nitórque tunicæ talaris ſuo ex inſtituto refertur; Vnde quando albam induit Sacerdos, ex præſcripta ſibi ab Eccleſia lege, Deum ſupplex ſic orat, *Dealba me Domine, & munda cor meum, vt in ſanguine agni dealbatus gaudiis perfruar ſempiternis.* Oraculum enim Chriſti Domini eſt, nihil coinquinati in regnum cœlorum admitti poſſe, proinde nec in Dei ſanctuarium (quod ſuperni templi typus eſt) nemo intrare debet, niſi puro ſit corde & caſta mente. Meminerit igitur Sacerdos ad altare accedens, diuini huius moniti, *Pauete ad Sanctuarium meum*, Leuit. 26. 2. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, Leuit. 11. 44.

Lib. 2. de offic. Eccleſ. c. 18. Vide Innocentium III. lib. 1. Myſteriorum Miſſæ c. 51.

II. Philoſophatur Amalarius Fortunatus ſuper forma lineæ tunicæ ſacerdotalis, quæ ſtrictis eſſe manicis debet, totóque contextu non diffuſa admodum, ſed arcta, citátque Bedam in lib. de tabernaculo. hoc documentum ex ſtricta eiuſmodi forma depromentem. Hæc linea, manus ac brachia debet ſtringere Sacerdotis, ne quid niſi vtile faciant; pectus, ne quid inane cogitet; ventrem, ne delicias vltra modum appetendo, guloſus fiat: ſubiecta ventri membra, ne laſciuiendo totam Sacerdotalis habitûs pulchritudinem corrumpat; genua, ne ab orationis inſtantia torpeat; tibias & pedes, ne currant ad malum.

III. Idem tamen Fortunatus notat inter albas noſtras, & tunicas talares priſcæ legis Sacerdotum non contemnendum diſcrimen,

quòd

quòd iſtæ quidem ſtrictæ erant, noſtræ verò ambitu ſint diffuſæ. *In eo diſtat* (inquit) *veſtimentum illud à noſtro, quòd illud ſtrictum eſt, noſtrum verò largum: Etenim hi in veteri teſtamento ſpiritu ſeruitutis erant adſtricti, de quo dicebat Paulus: non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum. Ac ideo ſic illorum ſtrictum, noſtrum largum, propter libertatem qua Chriſtus nos liberauit.*

IV. Alcuinus per tunicam talarem, operis cuiuſque boni perfectionem intelligit, lib. de diuinis officiis c. *Quid ſignificent veſtimenta.* Studere igitur Sacerdos admonetur, ipſa quam geſtat in ſacris, linea tunica talari, non ſolum ſacrificium quod incipit, accuratim celebrare & pleno tenore conſummare: at etiam eſſe in omni bono perfectus, iuxta illud Apoſtoli ad Timotheum, *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, 2. ep. 4. & ep. 1. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: Hæc meditare, in iis eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis; Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.*

V. Rabanus Maurus, lib. de ord. Antiphon. c. 16. per longitudinem albæ, perſeuerantiam exponit: *Hæc* (ait) *ad talos vſque deſcendit, quia vſque ad finem vitæ huius, bonis operibus inſiſtere debet Sacerdos, præcipiente ac promittente Domino, eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Eapropter vas electionis Paulus ſuum Timotheum ardore pleno, hoc hortatu compellat, *Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es. Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile, vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaceeſſibilem &c. Ipſi honor & imperium ſempiternum: Amen.* *1. Timoth. 6. 12. &c.*

PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER TERTIVS.

DE ZONA,

Qua Sacerdos albâ indutus, vt operetur ſacris, præcingitur: vel quiuis aſſiſtens tremendo ſacrificio Clericus.

CAPVT I.

De nomine Zonæ, Cinguli, & Balthei.

INTER Sacerdotalia veſtimenta tam veteris quàm nouæ legis, cingulum ſeu zona, ſignatim numeratur, tametſi frequentiùs apud Hebræos Sacerdotes ipſum, quo vtebantur cinctorium in ſacro habitu, baltheus dici ſoleat, Exod. 28. 4. *Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt Sacerdotio fungantur mihi: Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient, rationale, & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim & baltheum.* Et infrà, *Facies baltheum opere plumarij.* Et c. 29. 5. *Conſtringes baltheo.* & verſ. 9. *cingéſque baltheo Aaron.* Leuit. 8. 13. *Et filios cinxit baltheis.*

Cingulum à cingendo dici volunt Varro, Nonius Marcellus, & alij Latini: Hebræi *Chagor* vocant: Chaldæi *Zanara*; Græci ζώνη, ζῶμα, ζῶσμα, & verbum ζώννυμι, quod eſt cingere.

Cinguli nomen in ſacris paginis veteris Teſtamenti, plus profanis vſibus quàm ſacris officiis aptari conſueuit. Patet ex Prou. 31. 24. *Cingulum tradidit Chananæo.* Et Iſaiæ 22. *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci.*

Zonæ vocabulum ſemel dumtaxat, & iterum in ſacra Scriptura

pro parte ſacri habitus aſſumitur, Leuit. 16. 4. de Aaron legimus, *Tunica linea veſtiatur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea.* At Apoc. 1. Chriſtus dilecto ſuo apparet *zona aurea ad mammillas præcinctus.* S. Hieronymus in epiſt. 128. Tom. 3. ad Fabiolam, de veſte Sacerdotali, promiſcuè ſumit zonam, vel cingulum cum baltheo; *Tertium genus eſt,* inquit, *veſtimenti quod illi appellant* אבנט *abnet, nos cingulum, vel baltheum, vel zonam poſſumus dicere.* Et reuerà in Pentateucho, baltheus ſacerdotalis etiam cingulum appellatur, Exod. 39. 29. Leu. 8. 8. & zona Leuit. 16. 4. quæ etiam pro ſynonymis habet Alcuinus lib. de diuinis officiis c. de ſingulis veſtibus: *Hæ duæ veſtes,* inquit, *id eſt tunica byſſina ſtricta, & tunica hyacinthina, baltheo aſtrictæ erant, quod erat cinguli genus.* Et c. quid ſignificent veſtimenta; *Deinde,* inquit, *ſequitur zona, quæ cingulum dicitur, qua reſtringitur poderis, ne laxè per pedes diffluat;* ita & Rabanus lib. de Inſtitut. Clericor. c. 17. *Tertium* ait, *veſtimentum eſt cingulum ſeu baltheum, quo vtuntur, ne tunica ipſa defluat, & greſſum impediat.* Et Walfridus lib. de rebus Eccleſiaſt. c. 24. *Numero* (inquit) *ſuo* (noſtræ ſacræ veſtes) *antiquis reſpondent, quia ſicut ibi tunica ſuperhumeralis linea, ſuperhumerale, rationale, baltheus, feminalia, tiara, & lamina: ſic hîc dalmatica, alba, mappula, orarium, cingulum, ſandalia, caſula, & pallium.* Ita quoque Iuo Carnotenſis ſermone ſynodali, de ſignificationibus indumentorum ſacerdotalium: *Moyſes Aaron fratrem ſuum &c. veſtiuit tunica, & præcinxit zona.* Et infrà, *Zona tunicam ſtringit.* Eodémque modo Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo Miſſæ Ritu c. 203. *Et hinc cingulo cingitur* (inquit) *quod in lege Baltheus, apud Græcos Zona dicitur.* Quicquid ſit de rebus, diuerſa ſunt certè vocabula, Baltheus ſiquidem dicitur apud Hebræos *abnet:* Cingulum, Ezor. Vnde Græcis *σειὶς*, & *σειζω* firmo ſeu fulcio, cingendo lumbos. Zona Hebræis dicitur *chaghor*, & *mezach*, Græcis *ζώνη.* *Baltheus.*

CAPVT II.

De Balthei, Cinguli, & Zonæ differentia.

IAMDVDVM notauit Alcuinus, baltheum & zonam, res diuerſas eſſe, *Pro baltheo,* (inquit, lib. de diuinis officiis c. de ſingulis veſtibus) *quod erat cinguli genus &c. nunc zonarum quas Romanas appellant vſus receptus eſt.* Quibus verbis cingulum generale nomen eſſe innuit, quodcunque cinctorij genus complectens: Balthei verò, & zonæ vocabula eſſe ſpecifica, quibus proprius quidam cingendi modus deſignatur. Attamen generali etiam ſignificatu, baltheum vſurpari pro omni cinguli ſpecie, res eſt litterariæ antiquitatis peritis ſatis nota; Nam etſi ſint qui baltheum, & cingulum eſſe virile tantùm cenſeant, zonam verò muliebre, certum eſt tamen baltheum tam viris quàm feminis coaptari, eſt enim baltheus cingulum

non modò ſacerdotale, & militare, ſed etiam femineum. Etſi verò Iuriſconſulti zonam inter muliebria ornamenta numerent, viris quoque non impropriè hæc ipſa tribuitur tam apud ſacros quàm profanos auctores, prout ex locis qui ſubinde occurrent, fiet etiam non inquirenti perſpectum. Non igitur baltheus & zona tam differunt ſexûs ipſo delectu, quàm materia & forma, quibus contexi ſolebant apud veteres, qui promiſcuè paſſim vtrumque vſurpabant vocabulum. Attamen Alcuinus ſignato loco exiſtimat balthcum à zona eſſe diuerſum longè alia ratione, reſpectu ſcilicet originis: Hebræis enim baltheum fuiſſe primum in vſu, zonam verò Romanis; à quibus poſtmodùm vbique ſacro vſu recepta fuerit; ſed vix mihi illa probatur autumatio; enimuerò ex ſacræ Scripturæ locis ſuprà ſignatis patet in vtroque Teſtamento, & nomen, & vſum balthei, & zonæ pariter apud Hebræos inoleuiſſe, (zonarum autem quædam latæ ſunt, aliæ ſtrictæ, mediæ nonnullæ): Romanis verò baltheum quoque iampridem vſitatum, vel ex hoc patet Virgilij teſtimonio, 12. Æneid.

.... Infelix humero quum apparuit alto
Baltheus.

Et hoc Quintiliani dicto, *Sinus togæ velut baltheus.*

CAPVT III.

De materia & forma.

BALTHEVM, inquit Varro, *eſt cingulum è corio bullis ornatum.* Militarem (quem Gallicè vocitamus *Baudrier*) ſic deſcribit Iſidorus lib. 19. Originum c. 33. *Baltheus cingulum militare eſt dictus, propter quod ex eo ſigna dependent ad demonſtrandam legionis militaris ſummam: id eſt ſex millium ſexcentorum, ex quo numero & ipſi conſiſtunt; vnde & baltheus dicitur non tantùm quo cingitur, ſed etiam quo arma dependent.* Sacerdotalem porrò S. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam prælaudata hunc exprimit in modum, *Tertium*, inquit, *genus eſt veſtimenti, quod illi appellant abnet, nos cingulum vel baltheum, vel zonam poſſumus dicere. Babylonij nouo vocabulo hemeianin vocant. Diuerſa vocabula ponimus ne quis erret in nomine. Hoc cingulum in ſimilitudinem pellis colubri quo exuit ſenectutem, ſic in rotundum textum eſt, vt marſupium longius putes. Textum eſt autem ſubtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino, ob decorem, & fortitudinem, ita polymita arte diſtinctum, vt diuerſos flores ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas arbitreris. Lineam tunicam, de qua ſuprà diximus inter vmbilicum & pectus, hoc ſtringunt baltheo, qui quatuor digitorum habens latitudinem, & ex vna parte ad crura dependens, cùm ad ſacrificia curſu, & expeditione opus eſt, in læuum humerum retorquetur.* Hactenus S. Hieronymus more ſuo eleganter & accuratè.

Balthei formam inſtar ſerpentis tortilem, & ſinuoſam ſic Valerius deſcribit lib. 3. Argonautarum,

...... Quæ cerulus ambit
Baltheus, & gemini committunt ora dracones.

Zonas muliebres ad hanc acceſſiſſe formam videtur colligi ex verbis ſponſi, Cant. 1. v. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento:* Cingulum, vtpote femineum ſponſæ pollicetur, ſpecioſum & auro argentóque micans. Hoc cinctu pretioſo feminæ ad mammillas præcingi ſiquidem conſueuerant. Huc ſpectat iſtud Apulei Mileſiorum 2. de Phochide, Linea tunica nudule amicta & ruſcea faſciola, altiuſculè ſub ipſis mammillis ſuccintula, illud cibarium vaſculum floridis manibus rotabat in circulum. Hinc Lucanus lib. 10. ornatum Cleopatræ pectus ſic memorat.

Candida Sidonio prælucent pectora filo,
Quod Niloris acus, compreſſum pectine ſecum
Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.

Apud Hebræos zonas eiuſmodi fuiſſe muliebres patet ex Ieremia c. 2. v. 32. *Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſcia pectoralis ſuæ;* quam dono ſcilicet nuptiali à marito ſuſceperat. Et verò eiuſmodi zonas quàm mirè haberent filiæ Hieruſalem in deliciis innuit illud Iſaiæ, quo Deus eiſdem propter luxum in habitu comminatur, *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium.* c. 3. v. 24. Ex quo liquet quantùm erat funiculus horrori, tantùm fuiſſe zonam honori & decoro.

Ioſephus Antiquitatum lib. 3. c. 8. diſertè monet zonam non fuiſſe pridem minimum ornatum in habitu pontificis. Porrò vt erat duplex eius tunica, linea ſcilicet & hyacinthina, ita duplicem quoque fuiſſe zonam qua aſtringi ſolebat; *Et quidem tunica linea*, ait, *accingebatur circa pectus, paulò inferiùs axillis: zona lata quatuor digitos intus inani ita contexta, vt ſerpentis exuuium videri poſſet, floribus etiam picturata puniceis, purpureis, hyacinthinis & byſſinis, ſtamen verò è ſola byſſino conſtabat, quæ ſemel atque iterum circa pectus reuoluta ad talos vſque defluebat tantiſper dum Sacerdotes à ſacris feriabantur; idque ad ornatum conferre videbatur: cùm verò ſacris eſſet miniſtrandum, ne ventilata impedimento eſſet ſuper humerum læuum retorquebatur; dicebatúrque* hæc zona Hebraicè אבנט, *Babylonij hanc hemeianin vocabant; nos cingulum vel baltheum,* (inquit S. Hieronymus ad Fabiolam) *poſſumus appellare.* Tunicam verò hyacinthinam aſtringebat zona alia, coloribus (ait idem Ioſephus) ſupradictis ſimilis: hoc eſt ex filis byſſinis, purpureis, coccineis atque hyacinthinis contexta, niſi quòd aureis quoque filis erat intertexta; nec verò eiuſmodi zona ſoli tunicæ hyacinthinæ ſtringendæ ſeruiebat, ſed ſuperhumerale & rationale cum eadem tunica colligabat.

Chriſtus rediuiuus & triumphans cùm dilecto ſuo Ioanni appareret viſus in ſacerdotali habitu, veſtitus podere, *erat præcinctus ad mammillas zona aurea*, ab illis nimirum duabus, quibus vetus vtebatur pontifex diſſimilis, quæ filis varij coloris erant contextæ, harum altera quibuſdam dumtaxat aureis filis conſpicua. At hæc zona Chriſti tota erat aurea: muliebrem ornatum & maternum referens amorem, *Apoc. 1. 13.*

vnde ad mammillas erat conſtricta. Illi igitur fuiſſe conſimilem veriſimile videtur, quam ſponſæ in Canticis dilectus eius pollicebatur, *Murenulas aureas faciemus tibi*, inquit, *vermiculatas argento:* Argentum enim, vt canit Statius 4. Thebaid.

——Fuluo moriens igneſcit in auro.

Murenæ ex viperis gignuntur, vt notat ex Marco Licinio & Plinio lib. 32. c. 2. Ioannes Baſtamantinus tom. 1. de reptilibus verè animantibus ſacræ Scripturæ lib. 3. c. 1. n. 4. Haud vacat igitur myſterio quod Chriſtus præcinctus ſit ad mammillas inſtar ſponſæ zona aurea, ſeu murenula, aut cingulo ad ſpeciem murenulæ (quæ vipereo veneno caret & tota ſuauis eſt) confecto ex auro puriſſimo, id enim inſinuat, cùm eſſemus (vt ait Apoſtolus) *natura filij iræ*, vtpote ſerpentis ſoboles antiqui, & vt ait præcurſor Domini, *genimina viperarum;* Chriſti merito, charitate & gratia quæ per aurum ſignatur, regeneratos in nouam creaturam, effectos fuiſſe filios gratiæ, filios lucis, filios iuſtitiæ, regnique gloriæ, iure ſancitæ in ſanguine ipſius Chriſti adoptionis hæredes. *Erunt enim ſicut angeli Dei in cælo:* Angeli verò viſi ſunt à dilecto Domini in ſuperno ſanctuario, non modò veſtiti lino mundo & candido, quod eximiam eorum deſignat puritatem: at præcincti etiam circa pectora zonis aureis, Apoc. 15. Cur Chriſtus ad mammillas? illi circa pectora? nempe quòd materno in ſinu Chriſtus eos ſibi affixos gerat, materno lacte paſcat, maternóque foueat amore: illi verò ſolo ſubiunctiuæ dilectionis affectu, & debitæ gratitudinis obſequio ſeſe ſplendido pectore innuant ipſimet eſſe obſtrictos. Non abdit illud Homeri de Iunone, Iliad 14.

Murenæ ſunt feminæ omnes, & concipiunt ex maſculis viperis, at nonniſi murenas pariunt.

Marc. 12. 25. Luc. 12. 36.

Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν.

Cinxit autem cingulum, centum fimbriis concinnatum.

In cingulo etenim lepores omnes feminei amictus emicant, & qui ex eo pendent ornatus, eo ipſo quod ei cohærent inſigniores ac ſpecioſiores habentur: honoris ergo & decoris gratia fiunt Electi zonæ Chriſti appendices, qui de ipſis idcirco ait Iſa. 66. 12. *ad vbera portabimini. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos &c. videbitis, & gaudebit cor veſtrum.*

Chriſti vicem in Eccleſia gerit Sacerdos: quamobrem eodem decoratur amictu; Veſtitur enim podere & præcingitur ſacra zona: quæ pridem aurea fuit, & ad ſpeciem murenularum, quas ſponſus in Canticis celebrat, erat efformata. Teſtis eſt enim Anaſtaſius in Leone III. eiuſmodi ornatus fuiſſe tunc in vſu Romanæ Eccleſiæ: datas enim memorat ab illo Pontifice, *Murenas praſinales pretioſiſſimas duas;* item *murenam trifidem auream, quæ habet buticulas* (ſicut ſunt orbiculi) *triginta tres;* item *murenas tres mortuas cum pettinante earum.* Erant hæc monilia oblonga murenarum inſtar. Pettinantem verò ipſe Anaſtaſius vocat radiolos pectinatim inſertos.

CAPVT IV.

De profano vſu Zonæ, balthei, cinguli &c. huiúſque variis nominibus ac acceptionibus.

SANCTVS Iſidorus lib. 19. Originum, c. 33. quo tractat de Cingulis, non modò pleraque illorum vocabula refert, ſed etiam formas ita deſcribit, vt vſus quoque ſingulorum etſi obiter, perſpicuè tamen recenſeat. Seriem illius indiculi nos hîc ita perſequemur vt ſubiunctis aliquot additamentis, quæ ipſe S. Iſidorus compendio ſuo expreſſit, fiant dilucidiora ac vberiora, non ſint tamen ſuperflua, nec ab eius dictis diſſentanea:

I. *Cinctus*, inquit, *eſt lata zona, & minùs lata ſemicinctium, & vtriſque minima cingulum. Nam à cincto per diminutionem cingulum nominatur: Cincto autem iuuenes in exercitatione campeſtri verecunda velabant, vnde & campeſtris dicebatur.*

Notatum fuit in Cæſare quòd laxiore cinctura vteretur, ſiue vt Græci dicunt κακῶς ζωννύμενος eſſet: huc ſpectat iſtud Macrobij, lib. II. Ita toga præcingebatur, vt trahendo lacinam, velut mollis incederet, vt Sylla tanquam prouidus dixerit Pompeio, *caue tibi illum puerum malè præcinctum.* Cui ſuccinit Dion Caſſius, & Suetonius. At non hîc agitur de laxiore zona, ſed de latiore, qualem Hortenſius ille gerebat, de quo idem Macrobius, *In præcinctu*, inquit, *omnem decorem ponebat:* quemadmodum Curtius lib. 3. Perſarum regis mollitiem notauit, quòd zona aurea muliebriter accinctus, acinacem ſuſpenderat. Tam viris tamen quàm feminis zonam fuiſſe ſpecioſam, vſu maximè cùm connubia inirentur, iſtud innuit Claudiani in Epithalamio Honorij & Mariæ.

Certatimque nouis onerant connubia donis
Cingula Timothee, rarum Galatæa monile
Et grauibus ſpalate baccis diadema ferebat.

De cinctu Romano & Gabino non indiligenter ſcripſit Octauius Ferrarius lib. 1. de re veſtiaria c. 13. & 14. & lib. 3. c. 7. &c.

II. *Baltheus cingulum militare eſt dictus; propter quod ex eo ſigna dependent, ad demonſtrandam legionis militaris ſummam, id eſt ſex millium ſexcentorum, ex quo numero & ipſi conſiſtunt; vnde & baltheus dicitur, non tantùm quo cingitur, ſed etiam à quo arma dependent.* Hactenus S. Iſidorus. In Scripturis ſacris etiam ſumitur baltheus pro cingulo militari, 3. Reg. 2. 5. *Poſuit cruorem prælij in baltheo ſuo, qui erat ſuper lumbos ſuos*: Quin etiam pro regio, Iob. 12. 18. *Balteum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum:* Pro corrigiis ſiquidem quas Gallicè *courroyes* vocitamus, etiam ſumitur baltheus: Hinc Ioannes Fungerus notat in Etymologico trilingui, *Baltheus, Soſipatro teſte, Thuſcum eſt vocabulum:* Plinio funiculum & in neutro genere, lora ad alligandum apta, vt etiamnum à materia

zonas coriaceas, *courroyes* Gallicè dicimus; Varro baltheum dicit eſſe cingulum è corio bullatum; attamen in loco Iob præſignato, opponitur funiculo baltheus, ſiquidem pro honorifico inſigni ſumitur baltheus, funiculus verò pro ſigno humiliationis & mœſtitiæ.

Cingulum certè tam apud ſacros, quàm profanos Scriptores accipi ſolet pro baltheo ſeu cinctu militari. Apud profanos, habebant Conſules & Reges faſces & ſecures: Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. Liuius 1. habebant Senatores Romani latum clauum, ſeu laticlauium & calceum lunatum, Bud. latè, ad leg. fin. de Senat. P. noſtri purpuram, Equites Romani annulum. Plinius l. 33. noſtri calcar aureum & torquem. Militare potiſſimum inſigne, cingulus erat à quo enſis pendebat, vnde de proximo cingendus pro cincto habebatur. id eſt, priuilegio militari gaudebat, L. filius familias 44. de militari teſtam. in p. inde & teſtamentum militare, in procinctu factum dicitur, cùm aciem intraturi milites ſe gladiis accingentes quomodocumque poterant diſponebant, Plutarch. in Coriol. §. 1. de teſtam. & §. illis, de milit. teſtamen. apud Iuſtinian. dicimus & renunciare priuilegio cinguli milites, cùm eiurant priuilegium militare, nempe quod cingulo indicatur L. fin. de apparit. Mag. militiæ l. 12. C. tit. 35. Ita enim & depoſito cingulo priuilegium ceſſat, l. 2. vbi de ratiocin. agi opt. lib. 3. C. Tit. 2. Hinc factum, tranſlatitiæ vt & dignitatis & honoris inſignia, etiam aliorum quàm militum dicantur cingulum, l. 2. vt ordo dignitatum ſeruet. l. 12. C. Tit. 8. l. omnes 9. de metall. eodem l. C. Tit. 41. &c. Ita & cingulum eſt militiæ, & cingulum dignitatis, Iuſtin. in l. Siquis in conſcribendo. 29. de pact. l. 2. C. Tit. 3. In Eccleſiæ politia eiuſdem nominis eadem eſt acceptio; Hinc Concilij Nicæni I. can. 12. *Quicumque vocati per gratiam, primum quidem ardorem fidémque ſuam oſtenderunt, & cingulum militiæ depoſuerunt: poſteà verò vt canes ad ſuum vomitum reuerſi ſunt, ita vt & aliqui & pecuniam darent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis iaceant poſt triennij auditionis tempus.* Apud Gregor. Turon. lib. 5. c. 27. exauctorati Epiſcopi, dicuntur diſcincti Epiſcopatu: quaſi cingulo exuti præfecturæ ſacræ militiæ, locus eſt inſignis: *Anno* (inquit Gregorius) *4. Childeberti, qui fuit 18. Guntchramni & Chilperici Regum, apud Cauillonum ciuitatem Synodus acta eſt ex iuſſu, principis Guntchramni, diſcuſſiſque diuerſis cauſis contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos, iteratur antiqua illa calamitas: Obiiciuntur eis crimina, & non ſolùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accuſantur, ſed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi: illud eſt additum, quòd eſſent rei maieſtatis & patriæ proditores; Qua de cauſa ab Epiſcopatu diſcincti, in baſilicam B. Marcelli ſub cuſtodia detruduntur, ex qua per fugam lapſi, diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt.* Apud Sidonium lib. 1. ep. 7. de Aruandi cuiuſdam caſu; *priùs cinctus cuſtodia, quàm poteſtate diſcinctus*, id eſt, exauctoratus: Apud quem etiam legimus lib. 5. epiſt. 7. *reuerentiam Clericis, cinctis iura, diſcinctis priuilegia &c.* Cincti etenim iudices, erant in actu poſiti: diſcincti, qui poteſtate exierant; quemadmodum doctiſſimus ibidem obſeruat Sauaro, probátque in notis ſuis eruditiſſimis.

III. *Zona, Græcum eſt: quam illi ζωνάριον, nos cingulum nuncupamus.* At ſi promiſcuæ res ſunt, zona & cingulum: parum refert de nominis diſcrimine. Verùm ſuprà de vtriuſque & nominis, & rei ipſius differentia pauca quidem, at non pœnitenda obſeruatu conſignauimus.

IV. *Strophium eſt cingulum aureum cum gemmis: de quo ait Cinna, ſtrophio lactentes cincta papillas. Et Prudentius, nomen hoc gemmæ ſtrophio illigatæ.* At à Paulo Diacono in hymno S. Ioannis Baptiſtæ, ſtrophium ſumitur pro zona etiam pellicea, ita canit enim de eiuſdem B. Præcurſoris habitu,

Præbuit hirtum tegumen camelus
Artubus ſacris, ſtrophium bidentes,
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

Strophium propriè eſt faſcia pectoralis: quæ virginalem tumorem cohibet papillarum. Catullus,

Non tereti ſtrophio lactentes ſtringe papillas.

Hic autem pro cingulo ac zona ſumitur, quo & ſignificatu ponitur ab Iſidoro; à quo differt Paulus Diaconus, quòd ille velit ſtrophium propriè eſſe cingulum aureum cum gemmis: hic verò quodcumque cingulum, etiam ſine vllo ornatu v. g. pelliceum, quale erat illud quo S. Ioannes Baptiſta præcinctus erat, vt patet ex Euangelio Matth. 3. & Marc. 1.

V. *Calculum, cinguli genus à coacto loro dictum:* ita Iſidorus. Sed mirum dictu: quæ enim conſonantia calculi nominis, cum verbo *cogo?* aut adiectiuo *coacto?* Calculus certè apud Latinos auctores probæ notæ legitur in maſculino, nuſquam in neutro: & quanquam vox illa ad multos trahatur ſignificatus, præter propriam & naturalem originem: nullam tamen in horum quovis ſumatur, affinitatem habet cum cingulo vel zona; niſi fortè pro fibula aſſumatur ab Iſidoro, qua ſtringi poteſt cingulum, & quodvis cincturæ genus: fibula enim propriè eſt ornamentum cinguli ad veſtem ſubligandam, quò ſpectat illud Virgilij, Æneid. 1.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

At cinguli nexus non eſt ipſum cingulum.

VI. *Fibula, Græcum eſt, quam illi ζωνάριον, nos cingulum appellamus.* Ita B. Iſidorus: ſed quàm fibula à cingulo differat, ex ſuperiori obſeruatione patet.

VII. *Subfibulum, ſubligaculum.* Sed vt vocabula diuerſa ſunt, res quoque ſunt diuerſæ; Nam ſubfibulum, ſeu ſubfubulum, veſtimentum eſt album prætextum, quadrangulum oblongum, quod in capite Veſtales Virgines ſacrificantes (auctore Feſto) habebant, ídque fibula comprehendebatur. Subligaculum verò amiculi genus, quo femora, & partes pudendæ teguntur: Quò ſpectat illud Ciceronis Offic. 1. *Scenicorum more, tantam habet veterum diſciplina verecundiam, vt in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo.*

VIII. *Redimiculum eſt ſuccinctorium, ſiue brachile nuncupamus, quod di-*

uidens per ceruicem, & à lateribus colli diuiſum, vtrarumque alarum ſinum ambit, atque hinc inde ſuccingit, vt conſtringens latitudinem veſtiat corpus, atque coniungendo componat: Hoc vulgò brachile, atque brachiale vocant, quamuis nunc non brachiorum, ſed renum ſit cingulum. Succinctorium autem vocatum, quod vt dictum eſt, ſub brachij ductum alarum ſinum ambit, atque hinc inde ſuccingit. Hactenùs S. Iſidorus; in cuius verbis eſt quod animaduertas aliqua à communi ſententia diſcrepare: ſiquidem redimiculum propriè eſt ornamentum à mitra muliebri, vel ſacerdotali dependens, quod genus etiam Græco vocabulo ταινίας appellamus; de hoc ornamento Virgilius 9. Æneidos

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et Ouidius 4. Faſtorum,

Aurea marmoreo redimicula deiice collo.

Brachiale, Gallicè *Braſſelet*, quoniam cingit brachium ornatûs gratiâ paulò ſupra manus iuncturam, ſeu nodum, quo manus cum brachio iungitur, coarctátque brachij inuolucra.

IX. *Faſcia, eſt qua tegitur pectus, & papillæ comprimuntur, atque criſpante cingulo anguſtiùs pectus arctatur: & dicta faſcia, quòd in modum faſciculi corpus alligat: Hinc & faſciolæ quibus vulnera colligantur.* De faſcia pectorali, quæ zona eſt muliebris, dictum eſt ſuprà.

X. *Vitta dicta, quòd ea pectus vincitur, inſtar vitis ligantis:* vitta propriè eſt quam vocant Gallicè *petite bandelette, ruban*, quæ crinibus innecti ſolebant ne diffluerent. De quibus Capella; Vittæ ſunt quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli; & vittæ dictæ quòd vinciant. Hinc Propertius,

Vinxit & acceptas altera vitta comas.

De quibus nos part. 2. Panopl. Clerical. lib. 4. part. 1. c. 6. art. 2. §. 1. ad illa verba ſponſi ad dilectum, Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, &c.* diſſeruimus. De iis ſatis luculenter Ioannes Fungerus in Trilingui Etymologico.

XI. *Limbus eſt, quem nos ornaturam dicimus.* Eſt etenim faſcia extremitatem veſtium circumquaque ambiens ornatus gratiâ, de quo Virgilius 4. Æneidos,

Sidonium picto chlamydem circumdata limbo.

XII. *Faſciola, eſt quæ ambit extremitates veſtium, aut ex filis auro contexta aſſutáque extrema parte veſtimenti, vel chlamydis.* Idem eſt igitur quod limbus, ſic verò cenſuit ipſe S. Iſidorus, adducto Virgilij proximè citato verſu: in quo caput ipſum abſoluit de cingulis: quorum ipſo indice ſuo, non tantùm expreſſit varia vocabula, ſed & vſus diuerſos conſignauit.

CAPVT V.

De vſu ſacro: ſcilicet memorato in ſacris Scripturis, & à Sanctis priuatim vſurpato.

ARTICVLVS I.

De Cinctura varia nuncupatione, & diuerſo vſu in Scripturis ſacris memorato.

HIC de vocabulis accuratim dicere non eſt opus, quibus cincturæ diuerſæ ſpecies in ſacris litteris deſignantur; in his enim peruiæ ſunt hæ nuncupationes baltheus, zona, cingulum, cinctorium, ſemicinctium, faſcia, vitta, murenula, &c. quemadmodum verſatis in vtriuſque Teſtamenti lectione conſtat.

De Balthei vſu, S. Hieronymus ep. ad Fabiolam de veſte ſacerdotali. Exod. 29. 13. Leuit. 8. 13. *Baltheo*, inquit, *lineam tunicam inter vmbilicum, & pectus ſtringunt*, ſcilicet ne nimium diffluat, ſacríſque operanti Sacerdoti obici ſit, & oneri. pertinet etiam ad panopliam habitûs militaris, 1. Reg. 18. 3. *Dilexit Ionathas Dauid quaſi animam ſuam, &c. & exſpoliauit ſe tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium & arcum ſuum, & vſque ad balthcum.* Huc ſpectat & illud Reg. 3. 2. 5. *Poſuit cruorem belli in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos eius.* ſic ſumitur pro ſigno belli, & inſigni militiæ, 4. Reg. 3. 21. *omnes qui accincti erant baltheo.* Chaldæi videntur fuiſſe ornatûs in baltheis cupidiores. Ezech. 23. 14. 15. *Imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos baltheis renes.*

Zonæ itidem vſus generalis eſt accinctio ſeu præcinctio: hinc Leuit. 16. 4. *Aaron tunica linea veſtietur, &c. accingetur zona linea.* Eccleſ. 45. 9. *Circumcinxit eum zona gloriæ*: ad differentiam ſcilicet zonæ vſualis, de qua Pſal. 108. 19. *ſicut zona qua ſemper præcingitur.* Ad ornatum etiam aſſumitur Apoc. 15. 6. *Exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Idcirco cùm adhuc aduerſus filias Ieruſalem Iſaias prophetat, *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Sed virorum zona non tam ornatui, quàm vſui magis neceſſario erat, in ea enim nummos deferre ſolebant, vnde in ἀγχηνικοῖς, prouerbium vetus, *perdidit zonam.* De Vitellio ait Suetonius, *Zona ſe aureorum plena circumdedit*: Quod etiam ex Æliano liquet cùm ait, *Caupo obſeruauit an hoſpes Zonam ſecum portaret auro grauem*: Quod vetuit Chriſtus ſuis diſcipulis, Matth. 10. 9. *Nolite*, inquit, *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*: ſiue in crumenis è zonis pendentibus. Et Marc. 6. 8. *Præcepit eis*, *Iſa. 3. 24*

ne quid tollerent in via niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs. De aliis zonæ vſibus ex ſuprà notatis, de eius nomine, materia & forma, illiúſque à baltheo, & cingulo differentia peruium eſt nonnulla obſeruatu digna elicere.

Cinguli nomen in ſacris litteris quibuſdam locis conſignatur, ſcilicet Exod. 39. 29. Leuit. 8. 8 Prou. 31. 24. Iſa. 5. 27. 22. 12. & 21. 23. 10. Ex quibus eius vſus facilè colligi poteſt. Verùm etiam non pauca de eo annotauimus cap. 4. Ex quibus ibidem eius vſus multiplex perſpicuè apparet; vti & de ſemicinctio, cuius ſemel tantùm in tota Scriptura diuina nomen inuenitur, nimirum Act. 19. 12. Et de faſcia pectorali, quæ memoratur Iſa. 3. 24. & Ierem. 2. 31. & de vitta cuius non raró fit mentio in ſcripturis, ſiquidem occurrit Exod. 28. 28. 37. 39. 39. 31. Num. 15. 38. Eccleſ. 12. 6. Cant. 4. 3. Iſa. 3. 23. Eccleſ. 44. 18. Denique de murenula, cuius tribus locis ſacra pagina meminit, Num. 31. 50 Cant. 1. 11. Iſa. 33. 20. De quibus ſingulis cincturæ generibus ſuprà etiam quædam diximus ſcholiis ad S. Iſidori doctrinam de Cingulis, quæ extat eius lib. 19. Originum, c. 33.

ARTICVLVS II.

De Sanctorum Zonis.

§. I.

De Zona Domini.

DOMINVM ſe præcinxiſſe poſt vltimam cœnam, vt diſcipulorum pedes ablueret, teſtatur, qui aderat S. Ioannes Euangelij c. 13. ſed non zona præcinxit ſe, at linteo. *Surgit à cœna* (inquit) *& ponit veſtimenta ſua*, (proinde & cingulum) *& cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe: deinde miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Fuiſſe autem Iudæis in Palæſtina morem inter agendum, aut ambulandum præcingi, ne obici veſtes eſſent & oneri, colligitur ex epiſt. S. Hieronymi ad Marcellam, quæ tum eam prouinciam incolebat: qua ſanctus ipſe pater Palæſtinæ quoque incola, ei conſulit vt pro more patriæ gerat cingulum laneum: *Sit*, inquit, *cingulum laneum, & tota ſimplicitate puriſſimum, quod poßit magis adſtringere veſtimentum, quàm ſcindere.* Laneam quoque zonam geſtatam fuiſſe à Domino, eius particula indicio eſt, quæ Veſuntione ſeruatur & conſpicitur. Chifflerius *in Criſi hiſtorica, de linteis ſepulchralibus Chriſti Seruatoris. Cingulum*, inquit, *Dominicum per Theodoſium* (II.) *Imperatorem miſſum ſeruatur* (ſaltem pars eius) *in S. Ioannis Euangeliſtæ ſacrario, argentea hierotheca concluſum palmaris longitudinis, latitudinis pollicaris, orientalis texturæ, coloris purpurei ſubobſcuri, cum hoc titulo pæfixo, De cingulo Domini.* Et parte 2. Veſuntionis in Chelidonio, pag. 107. *Cingulum illud Chriſti quod propriiſsimè cingulum eſt, ſeu zona quædam habetur ſaltem ex parte, in argentea lepſanotheca in ſacrario S. Ioannis.* In cuius rei te-

Seruatur linteum iſtud Romæ in baſilica Lateranéſi. Vide reliquiarum ſignata loca, in fine Topographiæ Martyrum.

ſtimonium profert apographum vetus ſacrarum reliquiarum, quas pio munere præfatus Imperator Theodoſius, eiúſque mater Galla Placidia Veſuntionem miſit; in quo cingulum Domini ſpecialiter recenſetur. Item hymnum peruetetem, qui ſic habet,

Magnificemus Virginem,
Cuius habemus pectinem,
Crines, Cingulum filij
Sui cumulum gaudij.

Notandum verò quod vir ipſe doctus, Criſis ſuæ citatæ pag. 57. & 58. admonuit, Zona ſtricta, ſeu cingulo, Chriſtum eſſe vſum extra controuerſiam eſt; nam Hebræi qui laxiores veſtes geſtabant, eas cingulis conſtringebant. Præcepit ipſe diſcipulis ſuis ne æs ferrent in zona. Quòd verò zona Domini non admodum lata fuerit, etiam indicat ſacrum pignus Veſuntione ſeruatum, ſicut notauit præfatus Chiffletius, *zonam ipſam Domini*, quæ ibi oſtenditur, eſſe *latitudinis* dumtaxat *pollicaris.*

§. II.

De zona Beatiſſimæ Deiparæ Virginis.

CALVINVS in peſtilentiſſimo libello, quem apographen ſeu recenſionem reliquiarum inſcripſit, admodum ægrè fert quòd venerandarum reliquiarum ſanctiſſimæ Virginis ita ſtudioſi ſimus: Poſtquam igitur pleraque virulento ſtylo, impióque ſpiritu & putido ore euomuit, aduerſus pium Eccleſiæ Catholicæ in pignora ſacra, quæ in terris ſuperſunt, beatiſſimæ ipſius Virginis affectum; irriſitque impia dicacitate cultum eiuſdem capillorum, lactis, induſij, pepli, annuli, veſtium, imaginum, pectinis, frontalis faſciæ, aliarúmque ipſius reliquiarum, in zonas reliquum virus conuertit: *Siquis verò* (inquit) *à me ſciſcitetur, quid de eius frontali faſcia ſentiam, verum ſit, necne eiuſdem pignus, impigrè reſpondebo, idem mihi de hac prorſus videri, ac de eius zona quæ apud Pratum viſitur, alióque itidem cingulo quod oſtendi ſolet apud Dominam de Monteferrato: nempe ſuppoſititia hæc eſſe pignora, de quibus annis pluſquàm quingentis poſt ipſius Virginis Mariæ obitum, nulla extitit apud homines memoria.* hactenùs impius hagiomachus.

Cæterùm hic non eſt locus ea minutim excutiēdi quæ de ſingulis eiuſmodi reliquiis impoſtor ille blaterat. De zona dumtaxat hîc opportunè, ſed obiter dicam. Extat ſanè apud Surium, encomium Euthymij monachi in adorationem venerandæ zonæ ſanctiſſimæ Deiparæ & faſciarum Domini, nec non in anniuerſarium diem dedicationis templi in Calcopratiis apud Cōſtantinopolim, propter collocationem ſanctæ capſæ prædicta continentis: in quo encomio hæc habentur; *Ecce enim poſt tuum feſtum pretioſæ tuæ & adorandæ zonæ, huius quoque tui templi dedicationem concorditer peragimus, vt qui ſumus ſerui & debitores, ô optima;* Subinde legitur quòd zona ipſa beatiſſimæ Virginis, annis 900. & ampliùs incorrupta permanſerit, & ibi recondita à tempore Arcadij magni

Theodoſij filij. At verò Arcadius regnare cœpit cum Honorio fratre anno Domini 395. Mentitur itaque Caluinus, cùm effutire non vereatur zonæ Virginis & aliarum eiuſmodi ipſius reliquiarum, nullam fuiſſe notitiam ab exceſſu ipſius ſanctiſſimæ Deiparæ per annos 500. & ſuprà. Nec eſt quòd cauilletur, Euthymium illum ſolum eſſe ſuorum dictorum teſtem; cùm celebris ſit hac de re in Eccleſia Orientali traditio; zonæque ipſius apud Græcos venerationis perantiquæ peremptoria ſit illuſtrium Auctorum adſtipulatio. Et traditio quidem, ex eo quod in illorum Menologio conſignatur feſto venerationis eiuſdem zonæ, ſatis eſt manifeſta; ita enim notatur die 31. Auguſti, *Conſtantinopoli in Chalcoprateio depoſitio zonæ ſanctæ Deigenitricis Mariæ, & dedicatio templi eiuſdem:* ædificati ſcilicet à Pulcheria Auguſta, Theodoſij iunioris ſorore, prout Nicephorus antiquis ex monimentis commemorat, lib. 15. hiſt. Eccleſ. c. 14. *Celeberrima* (inquit) *hæc Pulcheria multas per vitam præclarè res geſſit, multa publica hoſpitum & pauperum condidit domicilia. Tria quoque Dei matri ex ipſis fundamentis templa erexit, quorum vnum eſt in Chalcoprateio ſiue fabrorum foro, ſacri tumuli nomen habens. In hoc veluti theſaurum Deigenitricis depoſuit zonam, de qua paucis libro proximo, c. 2. mentionem fecimus.* S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Nicephoro longè antiquior, vt pote qui ante annos 900. claruit, venerationis eiuſdem zonæ iam olim in ipſa imperiali Vrbe, cui ſacro iure præerat, celebris non modò meminit: at ipſe in eadem ſolennitate elegantem ſermonem habuit, qui etiam nunc extat apud Surium ſub hac epigraphe: *Sancti patris noſtri Germani Archiepiſcopi CP. Encomium in adorationem venerandæ zonæ ſanctiſſimæ Deiparæ, & in depoſitionem ſanctarum reliquiarum, faſciarum Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, nec non Encænia templi, in quo illa depoſita fuerunt:* Scilicet (vt prænotatum eſt) à Pulcheria Theodoſij iunioris ſorore. Extat & alia commemoratio eiuſdem zonæ apud Græcos, vt ex eorundem Menologio patet, in quo ſic legitur die 31. Auguſti: *Commemoratio pretioſæ zonæ ſanctiſſimæ Deiparentis Mariæ repoſitæ in venerabili eius æde, cùm zona ipſa relata eſt ab Epiſcopatu Zelæ ſub Juſtiniano Imperatore, & factum miraculum per impoſitionem pretioſæ zonæ ſuper reginam Zoen, coniugem Leonis Imperatoris.* Menologium ſeu Calendarium editum à Genebrardo in fronte commentariorum in Pſalmos, ita habet, *vltima die Auguſti, depoſitio zonæ ſanctæ Deigenitricis.* Nec modò Græci zonæ Dominæ noſtræ iamdudum feſtum agunt: at Rutheni qui vtuntur ritu Græco, in quorum Kalendario ſignata die hæc verba ſunt, *Poſitio cinguli beatæ Virginis Mariæ;* ſed etiam Syri, vt conſtat ex Breuiario Maronitarum die ſuprà ſignata, hac ſerie, *feſtum zonæ genitricis Dei Mariæ.*

In Occidente ſeriùs huius feſti inoleuit celebratio: quam primus conſignauit Molanus in additionibus ad Vſuardi Martyrologium pridie Kal. Septembris eiuſmodi indiculo: *Die 31. depoſitio venerandæ zonæ ſanctiſſimæ Deiparæ:* addens ſuis verbis; ideóque aliis characteribus, *In anniuerſario die dedicationis Templi in Chalcopratiis.* In cuius diei annotationibus ſubinſinuat ſe id ex Græcorum diptychis mutuatum,

vadéſque huius ritus citat Germanum & Euthymium præcitatos. Coluenerius Molanum ſecutus eſt in Kalendario ſacratiſſimæ Virginis, ipſamet die.

Nos etiam in Martyrologio Gallicano, vltimo ipſo die Auguſti, quo ſic notauimus: *Sueßione veneratio immaculata zonæ ſanctæ Deigenitricis, quæ capta Conſtantinopoli per Francos, ex templo eius in Blachernis deprompta, cum pretioſis aliis Chriſtianæ pietatis pignoribus, per Niuelonem Epiſcopum Sueſſionenſem allata, atque in perpetuam venerationem collocata eſt in ipſius ſanctißimæ Deiparæ Virginis Abbatiali æde, ſub Virginum ſacrarum cuſtodia, cum pepli ipſius beatißimæ parte.* Ita nos ibi. Qua ipſa die in notis & Commentario, quædam etiam ſcitu & lectu non contemnenda obſeruauimus.

Porrò non abs re zonam ipſius glorioſæ Virginis Deiparæ inſignitam fuiſſe immaculatæ titulo, eſt quòd Lectorem pium monitum faciam; id enim duplici de cauſa epithetum ipſimet zonæ præfixi: Nempe quòd vteri fuerit virginalis & intemerati, intactus quoque & numquam virili manu diſcinctus circulus; inſuper quòd diuina virtute, incorruptus fuerit conſeruatus, inſupérque decoratus eximiæ puritatis ſplendore. Cuius rei teſtis authenticus ipſe Euthymius eſt in præcitato zonæ eiuſdem Virginalis encomio, quo ſic effatur: *Hodie proponatur, honoretur, & adoretur zona quæ diuina virtute cœlos ſuperat, & reſplendet plus quàm radij ſolares, manétque integra & intacta plurimorum annorum curriculis, nongentorum inquam & amplius.* Et infrà; *Saluáque, illæſa, & impolluta, vt videtis, permanſit vſque in hodiernum diem, nullomodo fœdata, aut obfuſcata, aut eius colore vllo modo mutato, ſed reſplendens ſupra niuem.*

Quid ad hæc Caluinus pignoris adeo pretioſi deſpector, irriſórque Catholicæ pietatis perpetuus? Deus ipſe, & germanitatis tanti pignoris, & grati ſibi eiuſdem cultus auctor & teſtis eſt. Nec enim iſta quæ refert oculatus teſtis Euthymius, & vniuerſa Orientalis Eccleſia perenni adſtipulatione confirmat, alia quàm diuina virtute (quæ mendacio & impoſturæ numquam patrocinatur) fieri potuerunt. Æquum eſt igitur hominem ſubditum eſſe Deo, & vbi Deus non verbis modò, ſed factis loquitur, humanam argutiam ſilere, prorſúſque fræno par eſt debitæ ſupremæ maieſtati ſubiectionis coërceri. Quemadmodum enim cùm ſuper languidos deferebantur à corpore Pauli Apoſtoli ſudaria & ſemicinctia, recedebant ab eis langores &c. (vt ſcribit S. Lucas, Act. 19.) Deus & ſuæ veritatis mandatum obſignabat, & ſui Apoſtoli pignorum indicabat germanitatem; Pignorum, inquam, quorum omnis excellentia & dignitas ex corporis ipſius Apoſtoli profluebat contactu. Ita (ſi tamen vllus tantillæ comparationi locus eſt) dum zonæ ſuæ benedictæ genitricis teſtimonium præbuit, tot miraculis obſignatum, palam oſtendit præfractis quantumlibet incredulis, zonam ipſam ſuæ ipſius ſanctiſſimæ parentis pignus verum eſſe: cultúmque eius, quem Caluinus & cæteri nouatores ingenito ſibi (ex antiqui ſerpentis ſpiraculis, aduerſus conterentem exitiale ca-

put, benedictam inter mulieres intactámque parentem) odio, tantùm ſibi eſſe gratum & acceptum, quantùm ipſis exoſum.

Sed inſtat Caluinus: Eſt quod commentum redoleat cingulorum Virginis multiplicitas, ſunt enim duæ apud Papiſtas veneratione inſignes Deiparentis zonæ, *altera apud Pratum, altera apud Montisferrati partheniam.* Addere debuerat, aliam eſſe Aquiſgrani, aliam Attrebati, aliam Tungris, aliam Sueſſione. Sex igitur eſſe zonas Virginis, celebres ſacri cultûs obſeruantiâ, ſed quid tum? vixit ſanctiſſima Virgo vt minimùm annos 53. ſi quolibet anno zonam mutauit, vt vſuuenit ex geſtatione eiuſdem cinguli continua, etiamſi infantili & puerili ætate faſciis tantùm ei, vel vittis tenuioribus opus fuerit: nónne zonas potuit vt minimùm ſucceſſiuè habere pluſquam triginta? Adhæc quid ſex obſecro faciunt? ſi ſeriis ludicra miſcere licet, peto à Caluino, quot galeros viciſſim geſſerit? Si quadraginta dixero, vnde me abſurditatis conuincat, non video; vnum ſiquidem etſi caput habuerit, plurima ſucceſſiuè capitis operimenta, quæ quotidiano teruntur vſu, certè geſſit, pluráque etiam quàm diximus, habere potuit. At in rebus ſacris pudet me tam ineptis ludere argutiis.

§. III.

De zona ſancti Ioannis Baptiſtæ.

IPSE *autem Ioannes* (ait S. Matthæus c. 3.) *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* At miri ſunt hîc Nouatores, qui vt tam ſpectabile exemplum aſperitatis veſtitûs obnubilent, hoc genere indumenti vſum Ioannem ad lautitiam & delicias ludicrè fabulantur. *Veſtis Ioannis* (ait Dauid Chytræus) *erat contexta ex pilis cameli, ſimilis ei, quam hodie vulgò à camelis vocamus Kamol,* (Gallicè Camelot) *vel Scamelot, Anglicè Camblet, Latinè Vndulatam: Non fuit ſordida veſtis, neque etiam valde pretioſa, ſed mediocris & κόσμιος, venuſta & decens, & in his locis εὐπρεπὴς, id eſt bene congrua, vrbana, ac ciuilis.* Peracutè ſcilicet, ac ſi diceret victum Ioannis, quem fuiſſe ſubiungit ſacer Euangeliſta, *locuſtas & mel ſilueſtre*, fuiſſe etiam ad delicias exquiſitum. Propè accedit huc Bucerus, dum ſic Euangeliſtæ ipſius teſtimonium & Ioannis elogium extenuat. *Fuit Ioannes in deſerto vilioribus hoc eſt deſerti incolis aſſuetus cibis & veſtibus, panno ex pilis camelorum confecto veſtitus, ne quis exiſtimet in morem noſtrorum Monachorum peculiare ſibi aliquod cibi, & veſtimenti genus delegiſſe.* Eodem genio Caluinus, qui Buceri diſcipulus quondam fuit, in indice reliquiarum, ſugillat Romanam Eccleſiam, quòd Romæ in Eccleſia Lateranenſi venerandum obiiciat ſpectatoribus, S. Ioannis Baptiſtæ cilicium. *Veſtis,* inquit, *Ioannis quoniam in Euangelio fuiſſe confecta perhibetur ex camelorum pilis, fingitur à Papiſtis fuiſſe cilicium: at toga erat, non ſagulum cilicinum:* Veſtimentum ſcilicet pœnitentiæ, tam Caluino & aſſeclis eius exoſum & inuiſum, quàm Sanctis vtriuſque Teſtamenti familiare & acceptum. Magdeburgenſes Centuriaſtæ idem iter terunt: aiunt enim *Ioannis veſtem non alterius fuiſſe mate-*

materiæ aut formæ, quàm quæ cæteris incolis qui loca montana habitabant vſu communis erat. At ſi res ita ſe haberet, quænam obſecro, peculiaris laus S. Ioanni ab Euangeliſtis tribueretur, ſanctitatem eius ſpecialiter prædicantibus à veſtitûs aſperitate, & victûs ratione inſolita? Mel ſilueſtre & locuſtæ ſúntne hominum etiam agreſtium epulæ? vt eſca his vſitata Ioannes victitâſſe dici poſſit: vel ſi hæc vulgaris erat, Ioannis fuiſſe propria in Euangelio ſignatim memoretur. Totus Euangelij contextus Ioannis auſteritatem clamat, ex qua natam inſinuat eius ſanctitatis exiſtimationem. Meminiſſe iſti nouitij gloſſatores ſaltem debuiſſent Domini effatûs, aſſerentis Ioannem fuiſſe Eliam, quia venerat in Eliæ virtute & ſpiritu, pariter quoque & habitu; quo enim ſchemate indutus erat Elias 4. Reg. 1. Scriptura patenter innuit, *Vir piloſus, ſcilicet, & zona pellicea accinctus renibus.* An hoc cinctu ad delicias & ornatum, Elias vtebatur? vt Ioannes qui venit in eius ſpiritu cenſeri queat, eiuſmodi ſpecimen habitûs vſurpaſſe ſpecialis ornamenti gratia? Faceti ſunt Nouatores dum ſic ineptiunt; ſed peſſimum dicendi genus eſt, dicit B. Hieronymus, *trahere ad ſe Scripturam repugnantem:* impium verò de verbo Dei ludere, quin propriæ conſcientiæ vim inferre, & quidem in odium patentis veritatis. Manifeſtum ſiquidem eſt ex Euangelio Ioannem, prodromum Domini, præconem pœnitentiæ, habitu, ſpiritu, voce, opere, loco, victúque expreſſiſſe ſuæ prædicationis genium, habitu totus hiſpidus ab Euangeliſtis depingitur, ſpiritu nihil aliud quàm peccati horrorem prodens, voce terrorem iudiciorum Dei incutiens, clamore excitans ad lachrymas, gemitus, & fructus dignos pœnitentiæ; actu nihil aliud ipſe præferens, quàm quod ipſis hominibus ſuadebat, deliciarum ſcilicet, & cuiuſuis peccati odium, puritatis amorem, vitæ aſperioris, at continentioris ſtudium. Ideo pellibus indutus, ideozona pellicea præcinctus, ideo clamans in deſerto, melle ſilueſtri, & locuſtis paſtus, nihílque ſpirans quàm eximiæ ſanctitatis ardorem: vnde à Domino in Euangelio opponitur aulicis regum domeſticis, qui mollibus veſtiuntur, defluúntque prorſus in peccati pruritum & illecebras carnis: cùm hic quaſi portentum quoddam pœnitentiæ, ſola aſperitate victûs & veſtitûs oblectaretur. Sed hic Ioannis apparatus, nouis hominibus non placet, fœtétque illis nimiùm delicatulis ipſe Ioannes in pellibus, in deſerto, in ipſo victu; quamobrem omnia in illo permutant, (vt olim in Ioſeph feciſſe Pharao legitur) vt dignus ſit tandem qui in ipſorum conſpectu comis & vrbanus appareat. Hinc eius ex ſolitudine amœna viridaria, domos ſpecioſas, ſpatioſas ædes fabricant; locuſtas in marinos cancros conuertunt; veſtes ex pilis camelorum, ſcutulatam, vndulatámque eſſe veſtem fabulari non verentur; mirum cur & zonam pelliceam in pretioſum baltheum, vel militare aut regale cingulum non tranſmutant, vt Ioannes totus ſuauis & ſpecioſus ipſorum in obtutibus euadat, qui antehac hirſutus, auſterúſque vtpote ſiluarum incola & pœnitentiæ præco, ideáque omnis mortificationis, in oculis ipſius Herodis apparuit. Apage has

nænias: pudeátque nouatores tam pueriliium ineptiarum, imò putidorum commentorum, à quibus perſpicua in Euangelio veritas prorſus abhorret, longéque abeſt Chriſtiana ſimplicitas. Cæterùm ſatis ſupérque pro inſtituto huius opuſculi, de habitu & zona S. Ioannis Baptiſtæ.

§. IV.

De cingulis Sancti Petri.

AIT Dominus ad Petrum, Ioan. vlt. *Cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.* Iuſſit deinde Angelus ipſi Petro diſcuſſis in Herodis carcere eius vinculis, *præcingere &c. & circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.* Cingulo igitur Iudæorum more veſtes ſuas Petrus præcingebat, circumdabátque ſibi, quo ad incedendum expeditior fieret; conſueuerant enim Palæſtini oblongas veſtes geſtare, vt nunc Orientales paſſim gerunt, quas cùm quieſcebant, ſolutas relinquerent; cùm quid operis itineríſve faciebant, religarent & attollerent: huc referunt quidam illud prouerbium ex 3. Reg. 20. 11. *Non glorietur æquè accinctus, vt diſcinctus:* hoc eſt is qui adhuc in belli diſcrimine verſatur, perinde ac is qui iam victoriâ potitus arma depoſuit. Ponderat S. Auguſtinus in Pſal. 92. verbum *præcingere*, & ſic ab aliis quæ cinctum ſpectant, hunc in modum diſtinguit, vt cingi ſit operaturi, accingi pugnaturi, ſuccingi ituri, præcingi miniſtraturi. At ex dicto Angeli ad Petrum perſpicuum eſt, præcingi eſſe itidem profecturi, ait enim *præcingere, & ſequere me.*

Si Domini verba expendantur accuratiùs, Petrus duplici cingulo cinctus fuit; proprio ſcilicet vſuali quo veſtimenta conſtringuntur, vel religantur, ne defluant nimium infra poplites, & de hoc ait: *cùm eſſes iunior cingebas te, & ibas vbi volebas:* altero pœnali, catenis ſcilicet, quibus fuit ab Herode conſtrictus & à Nerone: de eiuſmodi enim cingulis ait ipſe Dominus, *cùm autem ſenueris, alius te cinget, & ducet quò tu non vis, ſignificans*, ait S. Ioannes c. vlt. *qua morte eſſet clarificaturus Deum:* Extenſis enim manibus in cruce occubuit pro fide Domini ſui ipſe Petrus, ad quam vinctus ferreis nexibus, tractus fuerat: Hoc cingulo ſcilicet militari donatus à ſupremo Duce Chriſto, qui cum ſuæ paſſioni (ait eleganter Tertullianus) *adæquari* voluerat.

Ferrea iſta zona, longè pretioſior omni auro, S. Auguſtino, non abs re viſa eſt; *Meritò*, inquit ſerm. 28. de Sanctis, *per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Felices ſanè illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes, martyrem reddiderunt: Felicia vincula quæ reum ſuum vſque ad Chriſti crucem, non tam condemnatura quàm conſecratura miſerunt.* Nec minùs appoſitè Arator Subdiaconus, Romanæ vrbi pridem gratulabatur, Catenis Petri, vti pretioſis cingulis, validíſque in circuitu ſuo propugnaculis exornatæ & communitæ: ita enim poëta ſacer, ſuaui car-

mine, lib. 1. in Act. Apoſtolor. c. 24. in fine modulatur.

His ſolidata fides, his eſt tibi Roma Catenis,
Perpetuata ſalus; harum circumdata nexu
Libera ſemper eris, quid enim non vincula præſtent?
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſoluere, cuius
Hæc inuicta manu, vel relligioſa triumpho
Mœnia, non vllo penitus quatientur ab hoſte,
Claudit iter bellis, qui portam pandit in aſtris.

Acumen iſtud cincturæ Romanæ vrbis, per Petri vincula fortunatiſſima, S. Ioannes Chryſoſtomus primus prodiderat ſerm. 32. in epiſt. ad Rom. in morali exhortatione: vnde illud fortaſſis Arator excerpſit, verſibúſque, quos recitauimus elegantiſſimis expreſſit.

§. V.

De ſancti Pauli Zona, & ſemicinctiis.

DE zona Pauli, ſic legimus in Actis, c.21. *Et cùm moraremur per dies aliquot, ſuperuenit quidam à Iudæa propheta nomine Agabus. Is cùm veniſſet ad nos tulit zonam Pauli, & alligans ſibi pedes & manus dixit, hæc dicit Spiritus ſanctus, virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium.* More gentis enim Paulus zona præcinctus incedebat. At fortè intra domum ſe diſcinxerat, vnde occaſionem eiuſdem zonæ aſſumendæ Agabus hic arripuit, qua vt practico ſigno, cóque rei quam meditabatur, conſentaneo, ſenſa animi quæ diuino afflatu conceperat, efficaciùs exprimeret: ſic Ieremias, 27. 1. vt captiuitatem populi ſui prænunciaret, iuſſus eſt *vincula & catenas in collo ſuo ponere.*

Impotenti animo fert Caluinus in reliquiarum indiculo, Pauli catenam inter eiuſdem reliquias cenſeri, Romæque oſtendi in eius Eccleſia. Petit verò ironicè, vnde ſumi potuerit ferreus iſte nexus? Quaſi verò Paulus Romam miſſus à Ieroſolymis, vincula ſua non pertulerit, quæ Agrippæ Regi gloriabundus oſtenderat: *Opto apud Deum,* ait, *non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego ſum, exceptis vinculis his.* Act. 26. 29. à quibus ſcilicet acceptum titulum, *Vincti Chriſti Ieſu,* ipſi apoſtolatui anteferebat; quamobrem cùm demum Romam perductus fuiſſet vinctus, honoris non reatûs ſignum eſſe aſſerebat ipſam catenam qua erat conſtrictus: *Propter ſpem enim Iſrael* (ait Act. 28. circumſtantibus Iudæis) *hac catena circumdatus ſum.* A Paulo ipſo igitur Roma accepit, catenam illam quam ipſe vinctus à Ieroſolymis pro ſuæ fidei attulit teſtimonio, pignúſque ibidem à ſe aſſertæ veritatis, & ſuæ in Romanos charitatis reliquit, vt ſanctus Chryſoſtomus ſerm. 32. in epiſt. ad Rom. inſinuat, quo loco catenam Pauli, cum Petri catena connectit: quin Apoſtolicam illam bigam, binam zonam, ſeu cincturam Romanæ eſſe Eccleſiæ, vrbíſque eleganter ait, *Qualibus coronis duabus ornatur vrbs iſta? qualibus catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? quales columnas Eccleſia?*

Sed obſecro, rurſus cum Caluino colloquia miſceamus; ait eodem opuſculo, quo (ſi quo alio) *aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.* Apoc. 13. 6. &c. nos exquiſitè omnia Sanctorum monimenta perſcrutatos, vt quicquid fecerunt, geſſerunt, perpeſſi ſunt in ſuperſtitioſæ adorationis argumentum, quin & obiectum idololatriæ traheremus; ideóque res etiam ridiculas tribuiſſe Sanctis, quas in manifeſtæ ſtultitiæ, vel impietatis pudendam exercitationem traduxerimus; Nihil rerum etiam minimarum prætermiſiſſe ad Sanctos ſpectantium, quibus cultum non impenderimus religioſum: ſic nos certatim conquiſiſſe atque ſuis locis coluiſſe calceos & cilicium S. Ioannis Baptiſtæ, Barbam S. Petri, Catenam S. Pauli: cur non addidit & zonam? nempe quia locum indigitare non potuit, quo cum veneratione ipſa ſeruetur. Vnde patet non omnia Sanctorum pignora à nobis fuiſſe quæſita, nec inuenta, ſed ea dumtaxat quæ à maioribus per manus ſucceſſiuas ſeruata & tradita poſteris ſunt, quæque ſuperno munere contigit iam olim reperiri, non ſine indicio diuinæ approbationis. Certè nonniſi perperam garrire, quicquid libet effutire, calumniari, cauillari Caluinus conſueuit; paſſim ideo quæ reputat ineluctabilia argumenta, nihil aliud ſunt quàm ineptæ & pueriles argutiæ. Zonam habuiſſe Paulum vt penulam ex Scripturis habemus, quo loco ſint ignoramus, nec admodum anxiè inquirimus, tametſi reperire ſi contingeret, certóque conſtaret indicio, vera pignora eſſe tanti Apoſtoli, ea qua par eſſet reuerentia eadem ſuſciperemus, quemadmodum certas eiuſdem & aliorum Sanctorum reliquias honoramus, ſed eo modo quo docet & præſcribit Eccleſia Catholica, quæ falli vel fallere neſcit, cùm ſit columna veritatis, omniúmque Chriſti fidelium vnica mater & magiſtra.

Cæterùm extat obſeruatu digna admodum epiſtola Iſidori Peluſiotæ ſcripta Hieraci cuidam, de miraculis reliquiarum Martyrum, quarum cultum ille vir alioqui in ſæculo clarus reprehendebat: *Si te iſtud offendit* (inquit Iſidorus lib. 1. ep. 55.) *quod Martyrum corporum cinerem, propter eorum erga Deum charitatem atque conſtantiam, honore afficiamus: eos qui ab ipſis medicinam accipiunt interroga; atque quot morbis remedium afferant intellige: ſic fiet, vt non modò, quod à nobis fit, non inuideas, cauilliſque inceſſas, verumetiam quod rectè & cum laude fit, imiteris.* Hæc ad ſe dicta Caluinus ac quiſquis eius aſſecla, meritò eſt quod reputet, vt diſcat non aſpernari quod Deus ipſe honorat. & quod ſignis ac virtutibus probat, non carpere, ſed ea qua decet obſeruantia venerari.

Sanè magnas virtutes, non ſolùm per manum Pauli Apoſtoli Deus operabatur, at etiam per eas res, quæ eius ſancti corporis contactu erant conſecratæ, *ita vt* (ſcribit S. Lucas qui aderat, Act. 19. 12.) *ſuper languidos deferebantur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis langores, & ſpiritus nequam egrediebantur*; Si eiuſmodi pignora haberemus, peto à Caluino & eius ſectariis, an piaculum foret eo in pretio habere, quo condecet inſtrumenta diuinæ virtutis & miſericordiæ,

pignoráque chara Apoſtoli gentium, Vaſis electionis? *Si enim paterna veſtis & annulus* (ait S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei, c. 13. Tom. 5.) *ac ſiquid eiuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior extitit affectus:* nullo certè modo ea ſpernenda ſunt, quæ Sancti, Dei gratiæ cooperatores, noſtræque curatores ſalutis, nobis in ſuæ memoriæ & dilectionis pignus reliquerunt; maximè cùm per hæc Deus ad ſuam gloriam, & Sanctorum ſuorum honorificentiam, tot dignatus ſit ſuæ omnipotentiæ opera, & ſanitatum beneficia, diuinam opem in infirmitatibus ſuis ſub ipſorum Sanctorum patrocinio implorantibus impertiri. Si pium viſum eſt Moyſi virgam in arca fœderis honorificè collocare, è qua diuina virtus effulſerat, cur non religioſum arbitrabimur eiuſmodi diuinæ gloriæ & bonitatis adminicula, in honore habere, quæ & monimenta ſunt Sanctorum glorificationis, ſimúlque pignora illorum perennis in nos beneuolentiæ & opitulationis?

§. VI.

De S. Polycarpi viri Apoſtolici zona.

MISSO *Curione ad populum, Proconſul iubet voce magna proteſtari Polycarpum ter confeſſum Chriſtianum ſe eſſe. Quo audito vniuerſa multitudo tam gentilium quàm Iudæorum Smyrnæ ciuitatis cum ingenti furore acclamabant; hic eſt totius Aſiæ doctor & pater Chriſtianorum, noſter autem ſubuerſor Deorum, ipſe eſt qui multos docet ne immolent, néve adorent Deos: Et poſt hæc verba acclamabant Philippo munerario, vt Leonem Polycarpo demitteret, qui reſpondit non ſibi licere, quia iam editionis ſuæ munus expleſſet. Tunc illi omnes pariter conclamarunt vt Polycarpus viuus arderet. Oportebat enim viſionem eius quam de ardenti ceruicali vidit, impleri: quæ cùm dicto citiùs gererentur, ipſis populis ligna vel de balneis, vel de publicis quibuſque locis & ſarmenta congregantibus, præcipuè Iudæis ardentiùs ad hoc de more feruentibus, cum omni velocitate extructus eſt rogus. Tum depoſitis ſenior indumentis, ac zona reſoluta, calceamenta quoque pedibus tentabat educere.*

Ex eius Actis proconſularibus à Ioanne Fabro editis; inter agones Martyrum, menſe Ianuario.

Zona hæc B. Polycarpi Smyrnæ Pontificis, vnáque Chriſti Sacerdotis & hoſtiæ, zona Aaronis longè pretioſior fuit, de qua ait Eccleſiaſticus c. 45. *Excelſum fecit illum, & ſtatuit ei teſtamentum æternum, beatificauit illum in gloria, & circumcinxit eum zona gloriæ, ſtolam gloriæ induit illum, & coronauit eum in vaſis virtutis.* Ille etenim ornatus tantùm exterior erat, quo etiam ante mortem iuſſu Dei, Aaron exutus eſt, vt filius eius eodem indueretur: At Polycarpi decus internum fuit, æternúmque perdurat. Nudus tamen Polycarpus ſuum *holocauſtum* peregit: (ſic enim Actorum eius ſeries martyrium eius nuncupat) at laude etiam in hoc Simone filio Oniæ Pontificis ſuperior: qui vt ait idem Eccleſiaſticus, c. 50. *fuit quaſi thus redolens in diebus æſtatis:* hyeme ſiquidem tametſi exuſtus ſit Polycarpus, quouis thymiamate in conſpectu Dei fuit ſuauior; *Moriens enim* (ſic teſtes in Actis referunt) *non erat vt caro ardens, ſed tanquam ſi aurum & argentum in forriace candeſceret: tum prætereà odorem naribus hauſimus tanquam thuris incenſi, vel pretioſiſſimi vnguenti fragrantis &c.*

§. VII.

De cingulis, ſeu zonis veterum monachorum in Palæſtina, Ægypto, Africa, &c.

EX more Aſcetarum, qui in Palæſtina degebant, ſcribit eiuſdem regionis incola, ſanctus Hieronymus ad Marcellam: *Sit cingulum laneum & tota ſimplicitate puriſſimum, quod poſsit magis aſtringere veſtimentum quàm ſcindere.* Idem in præfatione Regulæ S. Pachomij, de eius diſcipulis; *Baltheolum habebit* (ait) *vnuſquiſque lineum.* Auctor eſt S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus in Africa, monachos ſui æui exemplo S. Ioannis Bapt. conſueuiſſe pelliceo vti cingulo. Idémque confirmat S. Dorotheus in Doctrina ſua 1. quæ eſt de renunciatione, vbi de ſe ſuíque temporis monachis loquens, *Habemus*, inquit *zonam pelliceam circa renes noſtros. Id ſignum eſt ad opus quodque accincti, vt quamprimùm ſimus, & parati; laboraturus enim quis primò accingitur, & ſic demum opus aggreditur.* Paulinus epiſt. 7. ad Seuerum, monachos fuiſſe quoſdam ait *ſagulis palliatos, nec baltheo, ſed rete ſuccinctos, nec proba attonſos capitis fronte crinitos, ſed certa informitate, capillum ad cutem cæſos, & inæqualiter ſemitonſos.* S. Baſilius zonæ vſum vniuerſim monachis commendat. Ex profeſſo ſcripſit Caſſianus de Monachorum Ægyptiorum cingulo, ſcilicet toto cap. 2. lib. 1. de Cœnobiorum inſtitutis. Palladius in Lauſiaca hiſtoria zonas vocat cingula ipſorum monachorum Ægypti; addítque illic à B. Pachomio præſcriptum vt ad ſacram ſynaxim, Sabbato & Dominica die vt moris eſt, accedentes, zonas ſoluerent & pellem ouillam ſeu melotem deponerent, & cum ſola cuculla accederent, quo ſcilicet maiorem ac peculiarem reuerentiam honeſtioremque habitum inter ſacra officia ferrent. S. Benedictus monachorum Occidentis parens, hanc cinguli monaſtici præſcriptionem ſuæ Regulæ indidit c. 22. *Vt veſtiti dormiant monachi, & cincti cingulis aut funibus, vt parati ſint ſemper, & facto ſigno abſque mora ſurgentes feſtinent ſe inuicem præuenire ad opus Dei.*

§. VIII.

De ſancti Gregorij zona.

IOANNES Diaconus in vita S. Gregorij lib. 4. c. 80. memoriæ prodidit eum in exilitate balthei, quæ vnius pollicis menſuram non excederet, ſpeciem propoſiti regularis olim à S. Benedicto ſtatuti, (cuius vitam ipſe deſcribens, regulam quoque laudauerat) ſeruauiſſe, eiuſmodi cum baltheo inuentum fuiſſe eius corpus pluſquam ducentis annis ab eius obitu, paulò antè idem auctor meminerat. *Huius beatiſſimi Gregorij venerabile corpus à Gregorio IV. Sedis Apoſtolicæ Præſule &c. tranſlatum, ante nouellum Secretarium conſtructis abſidibus ſicut modò cernitur, ſub altaris ſui nominibus collocatur &c. In qua* (tranſlatione) *pallium*

eius, & phylacteria, ſed & balthens eius conſuetudinaliter uſculatur. &c. quæ ſingillatim conſiderata & antiquitatem viri, & mediocritatem habitûs, & ſpeciem regularis propoſiti ſignis perſpicuis repræſentant. &c.

CAPVT VI.

De Zona, ſeu Cingulo Sacerdotali.

IN nouo Teſtamento quondam haud fuiſſe morem non videtur, Sacerdotibus in diuino miniſterio vtendi zonis, ſeu cingulis, eo quòd Cœleſtinus I. qui ante annos 1100. Sedi Apoſtolicæ præfuit, in epiſt. 1. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis, quoſdam Sacerdotes vt auctores nouitatis reprehendat, qui amicti palliis, & lumbos præcincti in Eccleſia miniſtrabant. At ſi quæ ſcribit hic pontifex, attentiùs conſiderentur, facile erit perſpicere non rem ipſam, ſed ſuperſtitionem, qua illi Sacerdotes ſic agebant, fuiſſe ab hoc pontifice perſtrictam: *Amicti pallio*, inquit, *& lumbos præcincti credunt ſe ſcripturæ fidem, non per ſpiritum, ſed per litteram completuros; Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt vt taliter ſeruarentur, cur non fiunt pariter quæ ſequuntur Luc. 12. 35. Vt lucernæ ardentes in manibus vnà cum baculo teneantur? habent ſuum iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, vt ea magis qua decet ſignificatione ſeruentur. Nam in lumborum præcinctione caſtitas, in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur, opera veſtra luceant, indicantur:* Nec modò puerilis illos arguit Pontifex ineptiæ, & ſtultæ, Euangelicæ ſententiæ intelligentiæ, quam nimis craſſè accipiebant, at patentis inſuper nouitatis, præſertim in Gallicana Eccleſia, quæ Rom. typum paſſim æmulata, à nouis & peregrinis doctrinis ac ritibus ſemper abhorruit. *Habeant tamen iſtum* (inquit) *forſitan cultum, morem potiùs quàm rationem ſequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à cæteris degunt. Vnde hic habitus in Gallicanis Eccleſiis*, vt tot annorum, tantorúmque pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur.

Priſca enim conſuetudo inoleuerat, vt diuini miniſtri induti albis ſacris operarentur, quemadmodum ex teſtimonio S. Hieronymi conſtat, lib. 1. cont. Pelagianos, & Concil. Carthaginenſi can. 41. At alba ſine zona vel cingulo commodè & decenter geſtari nequit (ideo Chriſtus rediuiuus & triumphans, dilecto ſuo viſus eſt veſtitus podere, ſimúlque ad mammillas zona paret præcinctus): vnde rituales Scriptores etiam vetuſtiſſimi, zonam cum alba & amictu inſeparabili recenſione coniunxerunt, quemadmodum ex eorum teſtimoniis ſignatis in huius opuſculi limine, euadit manifeſtum. Perperam igitur agebant illi Viennenſis & Narbonenſis Galliæ Sacerdotes, qui pro alba pallium, pro zona linea, cingulum fortè laneum aut pelliceum ſacro in miniſterio vſurpabant, iureque idcirco nouitatis à B. Cœleſtino Papa inſimulantur, & inſipidæ interpretationis Dominici docu-

menti, qui cùm ſuis ait diſcipulis, *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris;* continentiæ illis cultum, & bonorum operum ſtudium, affectúmque ſolertem pietatis & iuſtitiæ illis commendat: nec quicquam cogitat de materiali rerum huiuſmodi geſtatione, longè à ſpirituali intellectu remota: Quamobrem aculeatè ſic concludit Cœleſtinus: *Nam ſi ſtudere incipiamus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, vt locum ſuperuacuis ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere.* Ita inſulſam excludit nouitatem Pontifex ſanctiſſimus.

Cæterùm præter Scriptorum antiquorum, qui de Eccleſiæ ritibus ſcripſerunt, teſtimonia; in Eccleſiarum ſacrariis veterum Sacerdotum & Pontificum ſuperſtant Panopliæ ſacræ inſignia pleraque: in iis verò planetæ præclaræ non tantùm, & ſtolæ ſeu oraria, manipuli, amictus, & albæ: ſed zonæ itidem lineæ, quibus inter ſacra myſteria præcingebantur. In noſtro Martyrologio Sanctorum Galliæ, 3. nonas Nouembris, vbi de S. Pirminio Epiſcopo Metenſi diſſerimus, qui ſub Gregorio II. ſummo Pontifice, ab eo miſſus in Germaniam, Alemannis verbum gratiæ prædicauit: (ſcilicet ante annos vt minimùm 900. ſupra triginta) meminimus obſeruaſſe inter pontificalis eius Panopliæ veneranda pignora adhuc eius dalmaticam viridis coloris aſſeruari, cum ſacro eius cingulo, quod prægnantibus mulieribus adhibitum, iiſdem in partûs enixu ſolatium afferre ſolet*. S. Hilarium Epiſcopum Pictauienſem*, *Patronum ſtatuunt mulierum parturientium, ne mortuos pariant fœtus.*

* *Florariũ MS. & Viola Sanctorum.*

* *Vide Bolandũ tom. 1. 13. Ianuarij. col. 6. ſub ipſo initio.*

Petrus Molinæus Caluiniſtæ ſectæ anteſignanus miniſter, ſacrorúmque Eccleſiæ Catholicæ deriſor præcipuus, hoc miraculum non carpſit, nec enim prætermiſiſſet ſcurrili quo ſolet modo inſectari, ſi alicubi animaduertiſſet: à ſimili etenim eius ſe prodit genius gloriæ Sanctorum ſemper & vbique hoſtis. In famoſo opere cui nomen indidit *Nouitas Papatûs*, ſeu in reſponſione ad Cardinalem Perronium pro magnæ Britanniæ Rege, lib. 1 c. 15. ſect. 27. cuius eſt titulus de reliquiis, quæ prægnantibus mulieribus opitulantur, hunc in modum ſcribit: *Tertullianus lib. de anima, c. 39. ait in more habuiſſe Ethnicorum mulieres, faſciolis ſibi præcingere vteros, quæ ante idolorum aras contexebantur: Cuius ethnicæ ſuperſtitionis imitatione Pariſiis in ſuburbio S. Germani Pratenſis grauidæ feminæ ſe zona ſanctæ Margaretæ præcingere conſueuerunt.* Hactenùs Molinæus, appoſitè quidem vt videtur, at ineptè tamen, quin & impiè potiùs; cùm Chriſti martyrem & virginem in idolum (quod iuxta Apoſtolum nihil eſt) iniuria vertat, & quæ ſuperſtitionis ethnicæ ſunt, traducat perperam ad pietatis Chriſtianæ mores. Certè ſi ex eo quòd mulieres ethnicæ non zonas, vt hallucinatus Molinæus ſomniat, ſed infulas confectas apud idola vteris prægnantibus imponebant, quo fauſtus ſui puerperij ſucceſſus euaderet: hinc fas eſt collectum ire grauidas mulieres Chriſtianas quæ ſolatij gratiâ, ad patrocinia Martyris confugiunt, ethnicam ſuperſtitionem imitari: itidem licebit arguere ſuperſtitionis ethnicæ fideles, qui infantes ſa-

ſacro faciunt lauachro expiari; diabolus enim qui Dei eſt ſimia, ſpeciem etiam Baptiſmi, quin & Euchariſtiæ & Confirmationis æmulatus eſt, vt ipſe Tertullianus non vno loco inſinuat, ſignatim lib. de baptiſmo, c. 5. & præſcriptionum c. 40.

Cæterùm dum ſic Catholicos calumniatur Molinæus, non videt eo ipſo ſeſe Ethnicorum genium aſſectari, qui odio ſanctæ fidei, veris Dei cultoribus imponebant, Martyres pro diis adorare, iiſque diuinos honores quos diis detraxerant, impendere. Quam virulentam calumniam ſancti Patres quanto ſtudio & conſenſu confutarunt, verſatus in eorum monimentis nemo eſt qui vel ignorare poſſit, vel ire audeat inficiatum. (Vide Euſebium lib. 8. c. 6. hiſtor. Gregor. Naz. aduerſus Iulianum orat. 3. circa medium, Cyrill. Alexand. contra eundem l. 6. S. Hieron. aduerſus Vigilant. S. Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum Man. cap. 21. & lib. 10. de Ciuit. Dei c. 4. &c.) Abeat igitur Molinæus cum ſuis ethnicis, quibus ſe non abſimilem, ſi fateri erubeſcit, ſaltem apud ſe vel inuitus agnoſcat: iiſdem enim calumniis & falſis criminationibus Eccleſiam impetit, quibus eam dudum circa piam Sanctorum venerationem impij illi perſecutores onerabant; paríque contemptu ſcita eius ſpernit, adeo vt meritò cum illis cenſeri debeat iuxta Domini iudicium, *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sed nihilominus eundem non pudet, zonas Sanctorum cum pellibus hircinis comparare, quibus luperci pridem palmas mulierum percutiebant, vt fierent grauidæ. Bone Deus! quàm ridiculam ineptiam! quàm inſulſam, imò impiam comparationem!

Teſtis & relator eſt S. Lucas Act. 19. à corpore B. Pauli cùm Epheſi moraretur, delata fuiſſe *ſudaria & ſemicinctia* ſuper languidos, quorum attactu recedebant langores tetríque ſpiritus abigebantur. Si ſuper prægnantem mulierem hæc ſemicinctia fuiſſent applicata, nónne hinc ſolatium vt cæteri languidi tam ſacri pignoris contactu, quàm huic inſitæ Dei nutu virtutis, potuiſſet experiri? Inde tamen quàm abſurdum, quod infert Molinæus, effutire, id fieri videlicet ex ethnicæ ſuperſtitionis imitatione & vi hircinæ pellis. ſic garriunt, ſic delirant hæretici, *neſcientes,* ait Apoſtolus, *neque de quibus loquantur, neque de quibus affirment.* At vt addit, *vltrà non proficient, inſipientia enim eorum omnibus manifeſta erit.* 2. Timoth. 3. 9.

Cæterùm vt ad zonam Sacerdotalem redeamus, è qua huc ſumus per occaſionem digreſſi, extat in Actis S. Birini Epiſcopi Dorceſtrienſis in Anglia, quo miſſus fuit ab Honorio I. ſummo Pontifice ad opus Euangeliſtæ exequendum, circa annum Domini 630. breuis recenſio ornamentorum eius Pontificiorum & Sacerdotalium, quibus adhuc in ſepulchro indutum erat corpus eius, cùm mandato Honorij II. de terra leuatum fuit anno 1224. Inter quæ cùm duæ ſtolæ numerentur, potiùs ſtola vna, & vna zona videntur fuiſſe repertæ: nec enim Sacerdos aut Pontifex ſtola duplici vtitur in ſacro apparatu; zonáque vt antiquitùs ferebatur, nonnihil cum ſtola conuenientiæ habebat; decoræ enim erant admodum zonæ Epiſcopales, adeo vt ad for-

mam murenularum aurearum de quibus mentio fit in Canticis, contexerentur; quamobrem in lib. Pontificali ab Anaſtaſio, in Leone III. zonæ eiuſmodi murenarum nomine recenſentur: *Murenæ praſinales* (inquit) *pretioſiſſimas duas; item murenam triſilem auream, quæ habet buticulas* (id eſt orbiculos) *triginta tres*. Auget coniecturam quod in apparatu S. Birini numeratur crumena quædam ſerica, itémque *pera ex vna parte auro contexta*. In quibus ſcilicet dudum ſacra myſteria geſſerat: at verò crumena ad zonam ſuſpenſa geſtari ſolet.

Anno 1647. Ebroicis cùm eſſem anno proximè elapſo, menſe Septembri, inuiſerémque Monaſterium celebre S. Taurini: inter ſacra eius Eccleſiæ pignora, cingulum mihi vel pars eiuſdem, eíſque qui me comitabantur, oſtenſum eſt: at non ſacrum, ſed vſuale quo ſcilicet ſanctus ille Epiſcopus (qui eò à S. Clemente, vel B. Dionyſio, primus Euangeliſta ſalutis æternæ miſſus eſt) in priuato habitu præcingebatur. Eſt laneum cingulum ſeu potiùs ſemicinctium: vix enim pollicis latitudinem excedit, colori ſque eſt violacei non ſubobſcuri, ſed clarioris & propè ad cæruleum accedens, quod vim nactum ex corporis ſancti Antiſtitis contactu, medelam iamdudum præſtitit ægris, nonnulláque effecit mira.

In poſtrema Tranſlatione S. Norberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & inſtitutoris Ordinis Præmonſtratenſis, facta anno 1626. ad iuſſionem Ferdinandi II. Imperatoris, cùm è tumulo vbi ſanctus ipſe Confeſſor iacebat in Eccleſia Cœnobitica S. Mariæ Præmonſtratenſis, venerabile corpus eius extractum fuit, vt Pragam deportaretur cultu condigno potiturum inter Catholicos, quo diu inter hæreticos Magdeburgenſes, vtpote ſubtractionis filios, caruerat: ipſum eius ſacratiſſimum corpus panoplia Sacerdotali, pontificiáque adornatum repertum eſt; præter pallium etenim & pluuiale, ſuperhumerale, ſtola, manipulus, alba ab humeris adhuc in pedes defluens non ſine zona, inuenta ſunt cum pedo paſtorali & pontificali annulo, quemadmodum in actis de ea Tranſlatione confectis pleniùs memoratur, quæ extant edita in Bibliotheca Præmonſtratenſi lib. 7.

CAPVT VII.

De zona ſacra myſtico & morali ſignificatu.

PVLCHRE & ſapienter Innocentius III. in prologo ſuper libros quos edidit myſteriorum Miſſæ; *Eius officium*, inquit, *conſiſtit in quatuor, ſcilicet in perſonis, operibus, verbis & rebus: Tres autem ſunt ordines perſonarum, celebrantes, miniſtrantes & circumſtantes: Tres operum ſpecies, ſcilicet geſtus, actus & motus; Tres diuerſitates verborum, videlicet orationes, modulationes & lectiones: Tres rerum materies, ſcilicet ornamenta, inſtrumenta & elementa: Hæc omnia diuinis plena ſunt myſteriis.*

Hic de ornamentis ſeu ſacris veſtibus tractare aggreſſi ſumus; ve-

rùm hoc in libro ſpecialiter de zona diſſerimus, cuius cùm originem, materiam, formam, vſúmque deſcripſerimus ſuperioribus capitulis, iſto tantùm ſupereſt de eius myſtica & morali ſignificatione inire ſermonem.

Certè in diuinis litteris reperitur zona linea, Leuit. 16. 4. pellicea, 4. Reg. 1. 8. Matth. 4. 3. & aurea, Apoc. 1. 23. 15. 6. item zona muliebris, diuerſa à faſcia pectorali, Iſa. 3. 24. militaris, 1. Reg. 18. 4. & Sacerdotalis, quæ ſola hîc ſpectanda venit. Conſtat certè Sacerdotalem zonam, qua linea tunica, quæ vocatur poderis, cingebatur, latam digitos quatuor, ex byſſino ſtamine, diſcolori picturatam flore, intus inanem, itáque contextam, vt ſerpentis exuuium videri poſſit: longitudinis tantæ fuiſſe, vt ſemel iterúmque circa pectus reuoluta, deflueret vſque ad talos, ideóque dum Sacerdos rem ſacram faceret, ſuper humerum læuum proiiceret, ne ventilata impediret.

Zonam Sacerdotalem in Eccleſia Chriſtiana ab hac differre, quæ baltheus dicebatur, primus notauit omnium Alcuinus, vt ſuprà ait, *Pro baltheo, nunc zonarum quas Romanas appellant, vſus receptus eſt.* Vbi non de zonis Romanorum antiquis, de quibus ſuprà nonnihil obſeruatum: at de zonis quibus Sacerdotes Chriſtiani, cæteríque altaris Miniſtri, dum induti albâ, diuina officia celebrant, Alcuinum loqui ex iis eiuſdem verbis patet: *nunc vſus receptus eſt zonarum quas Romanas vocant*, id eſt vſu haberi ſolitas in Romana Eccleſia, quæ omnium forma & typus eſt.

Murenarum inſtar quaſdam zonas Eccleſiaſticas fuiſſe effigiatas, ſuprà ex Anaſtaſio conſignauimus: at paucas & quas ſolius ſummi Pontificis fuiſſe proprias, ex ipſa earum paucitate, cùm duas vel tres tantùm ipſe in Romano ſacrario fuiſſe inſinuet, promptum eſt intelligere: de quibus ideo non locutus videtur Alcuinus: at de iis quæ ſacris Eccleſiæ miniſtris dum ſacris operabantur, communi erant in vſu. Has verò fuiſſe lineas & pertextas ad inſtar funiculi, quemadmodum huc vſque ſunt per vniuerſum Occidentem, mihi dubium non videtur. Tum quod in ritibus ſacris Eccleſia conſtans eſſe ſolet, maximè verò in theoriis & ritibus diuini ſacrificij. At verò quæ zonæ etiamnum ſuperſunt Sacerdotales ex antiquo vſu huiuſmodi ſunt formæ, quæ à Maioribus accepta huc vſque retinetur.

Accedit quòd ſi Nicolao de Lyra adhibeatur fides, Chriſtus pro cingulo, ſeu zona, funiculo vtebatur, quo ſcilicet, vt ipſe Lyranus putat eiecerit de templo vendentes, iuxta illud Ioannis 12. *& cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Verùm Lucas Brugenſis aliter de hoc flagello cenſet, ad eundem verſum Euangelij, ita enim notat: *Flagellum:* vox iſta Latina, Græcè & Syriacè vſurpatur, corruptè tamen ex vulgi conſuetudine φραγγέλλιον, Syriacè *pheraglo: de funiculis*, quos illic ſcilicet inuenit, pecorum venditorum atque immolatorum. Nec ſecus Cardinalis Toletus ad eundem locum; *Funiculos*, inquit, *quibus animalia forſan ligata erant, collegit, & in formam flagelli componens, negotiatores omnes ſimul & animalia, boues & oues eiecit.* Accedit quòd

ſuperiùs notatum fuit, cingulo Chriſtum fuiſſe vſum laneo, ſubuiolacei coloris, cuius pars aliqua etiamnum Veſuntione viſitur & colitur. Non hinc igitur deſumpta forma cinguli Sacerdotalis, ſed alia ex cauſa, quæ hîc nullatenus prætereunda videtur.

Certum eſt Panopliam Sacerdotalem inſtitutam fuiſſe ad tragicum Chriſti patientis apparatum exprimendum. Cùm enim Miſſa myſtica ſit commemoratio Chriſti mortis, Sacerdóſque hoc in ſacrificio vicem eius obeat: omnino conſentaneum erat inſtitutioni ipſius ſacrificij, vt quod referebat Sacerdos actu, etiam externo habitu repræſentaret. In Panoplia noſtra Clericali, apparatûs ipſius Sacerdotalis myſticas ſignificationes & genuinas conuenientias cum Chriſti patientis apparatu, accuratim deſcripſiſſe meminimus; quas hîc retextum ire quia prolixum foret, haud eſſe idcirco reor operæ pretium.

Obſignat Paulus Apoſtolus ſcribens ad Coloſſenſes ſuas litteras, c. 4. 18. hac clauſula, *Memores eſtote vinculorum meorum:* Multo magis nos vinculorum Chriſti oportet eſſe memores, de quibus dilectus eius diſcipulus, qui aderat cùm ad immolationem ſicut ouis duceretur, ita ſcribit c. 18. *Comprehenderunt Ieſum & ligauerunt eum,* & c. 19. *miſit eum Annas ligatum ad Caïpham pontificem.* Siquidem in horum vinculorum memoriam indiciúmque, Sacerdos paſſionis Chriſti myſterium celebraturus, præcingitur, non zona aurea, non cingulo pretioſo, at huius formæ cinctura quæ inſtar funiculi eſt, ideóque non ſerica, nec lanea, ſed linea eſſe debet.

Parùm hoc attendunt delicatuli aliquot Sacerdotes, qui huius ſæculi luxum etiam in ſacris imitati, Panopliam myſticam, quæ Chriſti paſſionem repræſentat, in faſtum & pompam vertunt, dolorum Chriſti & opprobriorum, quorum tam ſchema ferre debent, quàm pœnarum aculeos perſentire, adeo immemores: vt zonam, quæ vinculorum Chriſti monimentum eſt, eo ſibi eſſe decoro velint, qui potiùs luxum muliebrem, quàm Sacerdotalem dignitatem & grauitatem ſpirat. *Quàm fœdum eſt* (ait Theodidactus Bernardus) *ſub ſpinato capite membra videre delicata!* & quàm ineptum cernere Sacerdotem, viuum Chriſti patientis ſimulacrum, zonam ſericam & auream, pro funiculo quo alligatus fuit immaculatus agnus, redemptor mundi Chriſtus, gerere in ipſo eius immolationis myſterio, quod in Miſſa celebratur. Zona igitur Sacerdotalis, funiculi eſt inſtar, quo Chriſtus in paſſione ſua alligatus fuit. *Sup. Cantic.*

Sed Rabanus lib. non ſemel laudato, de diuinis officiis, cenſet per zonam, qua linea Clericorum tunica, ſeu alba circa renes & infra pectus coërcetur, diſcretionem ſignificari. *Zona* (inquit) *quæ cingulum dicitur, qua reſtringitur poderis, ne laxè per pedes diffluat, per quam deſignatur diſcretio omnium virtutum:* Virtutes enim ſine diſcretione, non virtutes, ſed vitia ſunt, nam virtutes in quodam meditullio ſunt conſtitutæ.

Rabanus ait eſſe ſymbolum caſtitatis, lib. 1. inſtitut. Clericor. c. 17.

Idem docet Innocentius III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ, c. 15. Idem docet Stephanus Eduenſis, opere de Sacramento altaris, c. 10. & S. Bernardus in ſententiis, & Beda de 7. ordinibus. Eſſéque videtur hæc præcipua zonæ Sacerdotalis ſignificatio; Ex intentione Eccleſiæ ſiquidem in Miſſali Rom. Sacerdos aſſumens zonam, ita ex formula ſibi præſcripta orat: *Præcinge me Domine, cingulo puritatis, & extingue in me ardorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ & caſtitatis.* In antiquis Miſſalibus Eccleſiarum Galliæ, paululum variat hæc oratio, ſiquidem hunc in modum habet, *Præcinge Domine cingulo fidei & virtute caſtitatis lumbos cordis & corporis mei, & extingue in eis flammam libidinis, vt iugiter maneat in ipſis tenor caſtitatis. Per Chriſtum &c.*

Vide Turonenſe Miſſale editum ann. 1540. in Alphabeto Sacerdotum fol. 81. 82. & 83.

Honorius Auguſtodunenſis, cingulum, ſeu zonam in myſtico habitu, docet deſignare mentis cuſtodiam & conſcientiam: Gemmæ animæ, ſeu de antiquo Miſſæ ritu, c. 203. *Ex hinc*, ait, *cingulo cingitur, quod in lege baltheus, apud Græcos zona dicitur. Per cingulum quod circa lumbos præcingitur, & alba ne defluat, & greſſum impediat, adſtringitur, mentis cuſtodia, vel conſcientia accipitur, quia luxuria reſtringitur, & caſtitas cohibetur, ne ad carnalia dilabatur, & greſſus bonorum operum impediatur, & ipſa concupiſcentia de vita ad ruinam impellatur.*

Ordo Eccleſiaſticus genus militiæ eſt, vt in Panoplia Clericali pleriſque locis diximus, argumentiſque variis oſtendimus: hinc diſtinctio celebris in Iure, *Militia ſecularis, & militia Clericalis*, Can. *aliquantos* diſt. 51. can. *ſiquis* poſt. Ibidem can. *Sanctorum* diſt. 70. & Cap. *prætereà* de Præbendis, & Cap. *audientia* de ſent. Excom. Et cap. *degradatio* §. *actualis* de pœnis lib. 6. Ex quo axiomate pleraque documenta elici poſſunt ad Clericos inſtruendos præceptis ſacræ militiæ; copioſámque doctrinæ ſegetem hac de materia ſuppeditat Ioan. Sariſberienſis, in Polycratico, ſeu de nugis curialium, lib. 6. c. 12. cui titulus eſt, *Quare cingulo priuentur milites, & quod exauctoratus non habet aliquid cum gladio, telóve commercium: Et quare gladius inſertus eſt cingulo?* De Cingulo monachi agit Caſſianus lib. 1. de Inſtitutis Cœnobiorum c. 2. & rurſus cap. 9.

De zonarum denique in litteris ſacris inſignium generali tropologia piè, pulchrè, quamuis ſtrictim & breuiter, S. Bernardus in ſententiis hunc in modum diſſerit: *Tria ſunt*, inquit, *quæ nos reſtringunt & cohibent, & quaſi cinctoria dici poſſunt: Corporeæ mortis memoria, quæ eſt zona pellicea, qua cingebatur Elias & Ioannes: Probabilitas & decor pudicitiæ, qua cingitur Aaron accedens ad Deum: Amor religionis & iuſtitiæ, quæ eſt zona aurea, & ea præcingitur Ieſus ad mammillas.* Cui ſit honor & gloria in æternum.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER QVARTVS.

DE MANIPVLO.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine.

MANIPVLVS in re militari, minor eſt centuria: Ammian. lib. 17. Vbi eum poſt centurias conſtituit, etiamſi olim amplior eius numerus centuriâ fuerit, teſte Cinetio, apud Agellium lib. 16. c. 4. auſpicium nominis ſui deducit inde, quòd pariter iunctis manibus militarent, auctore Vegetio, de re militari l. 2. Et ab hoc nomine deſcendit miles manipularis, ſi modò fœni faſciculum intelligas. Ouidius Faſtorum 3.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos:
Inde maniplaris nomina miles habet.

Affines ſunt huic acceptioni, Wandelberti monachi Prumienſis, metrici Martyrologij quod circa annum 840. eluxit, celebris auctoris, inſignes hi verſus, quos de ſancta Vrſula & eius ſodalibus cecinit:

Tunc numeroſa ſimul Rheni per littora fulgent
Chriſto virgineis erecta trophæa maniplis,
Agrippinæ vrbi, quarum furor impius olim
Millia mactauit, ductricibus inclyta ſanctis.

In ſignum lætitiæ, ob egreſſum de Ægypto, & initam poſſeſſionem terræ promiſſæ, primitiui frugum manipuli offerendi Deo erant in Paſchate, Leuit. 23. 10. Quod Victor Antiochenus in Marc. c. 4. tropologicè interpretatur de bonis operibus, quorum mercedem Iuſti ſunt in iudicij die poſt multos labores, cum magna lætitia percepturi; quo ſpectat illud Pſ. 125. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina*

ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos: Quem in ſenſum eumdem citat locum S. Cyprianus de Exhortatione Martyrij, c. 12. Collineat quoque in eundem ſignificatum, vſurpari ſolita à Sacerdote, apparatum ſacrum induente dum manipulum aſſumit, celebris hæc oratio, *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione percipiam mercedem laboris.*

Mappulam idem inſigne myſticum Rituales Auctores priſci denominant; ita Alcuinus lib. de diuinis offic. c. quid ſignificent veſtimenta. *Mappula*, inquit, *quæ in ſiniſtra parte geſtatur.* Rabanus lib. 1. inſtit. Clericorum c. 18. *Quartum* verò, ait, *mappula, ſiue mantile Sacerdotis indumentum eſt, quod vulgò phanonem vocant.* At mappulam ſimpliciter vocat Walfridus Strabo, lib. de rebus Eccleſiaſticis, c. 24. Eſt autem mappula diminutiuum à mappa, qua ſeu mantili manuum ſordes in menſa abſtergimus. Quo ſenſu Durandus ſcribit, *habebant ſancti Patres dum ſacra tractabant, & ſacramenta conficiebant, mappulas & parua mantilia pro manibus tergendis.* Hoc ipſum refert vocabulum Venerabilis Beda, Tract. de ſeptem ordinibus, qui extat inter eius collectanea, ſeu florum opuſculo, cap. de 7. ordinibus.

Phanonem ait Alcuinus iam ſua ætate *manipulum*, vulgò fuiſſe appellatum. Scribit Durandus *Fenonem*, nec aliud eſſe cenſet quàm mappulam albam & nitidam. La Cerda hoc nomen Germanicum eſſe arbitratur, aduerſariorum ſacrorum c. 94. n. 29. ſignificaréque linteamen illud quod dependet ex haſtilibus, *Veronæ linteamina ſerica*, inquit, *& depicta, ex haſtis dependentia & in ſupplicationibus deferri ſolita, (confanones vocantur;* quæ ex Onuphrio mutuatus eſt, ita ſcribente in interpretatione vocum obſcurarum Eccleſiaſticarum, *Fanon etiam appellabatur linteamen illud (quæ vox Germanica eſſe videtur) à quibus* (Germanicis ſcilicet) *vela illa ex haſtilibus dependentia fanon vſque hodie appellantur.* Guillelmus Darantes, *cum fanone* candido, *exponit, cum mappula alba & nitida. Hodie Veronæ in patria mea linteamina ſerica, & depicta ex haſtis dependentia & in ſupplicationibus deferri ſolita confanones vocantur.* Hactenus Onuphrius.

Cæterùm manipulus etiam ſudarium dicitur, vt ex Amalario conſtat lib. 2. de officiis Eccleſiaſt. c. 24. cuius titulus eſt de ſudario ipſo; de qua acceptione vocis, reíque vſu opportuniùs infrà.

CAPVT II.

De Materia.

VSvs ſatis recens inoleuit, vt manipulus Sacerdotalis, quo vtuntur etiam Diaconi, quin & Subdiaconi, eiuſdem ſit materiæ ac ſtola ſeu orarium, ipſáque caſula ſeu planeta; Adeo vt ſi ex ſerico ſtola & caſula efformata ſit, manipulus ſeu fanon eodem ex panno conficiatur; ſimiliter ſi ex auro textili ſeu Attalico, vel alia quauis textura. Vſus ferè iam vniuerſalis id oſtendit; adeo vt futile ſit, prorſúſque ſuperuacaneum, exquiſitioris ſolertiâ indaginis hoc ipſum euictum ire. An verò recentior ille vſus, quo manipulus potiùs ad ornatum confici ſolet, quàm ad myſterium, propter quod geſtari debet, ſignificandum, primordiali eius inſtitutioni ſit conueniens, nec ne, facilè ex dictis colligi poteſt. Sanè apud veteres ex lino erat manipulus non ex ſerico, vel alio panno quovis: linteum profectò extergendis ſordibus vel ſudoribus longè aptius eſt, quàm pannus quilibet laneus, ſericus, aut textus ex auro.

CAPVT III.

De Forma.

IN antiquis picturis & ſculpturis, quibus Pontifices, Sacerdotes & Leuitæ in apparatu ſacro conſpiciuntur, cernere eſt, ſtolam & manipulum alia forma ab iis geſtari quàm hodie quæ eſt in vſu; latæ etenim nunc ſunt ſtolæ, itidémque manipuli; cùm olim ſtricta eſſent forma, vt quæ vix duos pollices excederet. Nec in ima parte erat ſtola vel mappula porrectior, at linea vtrinque æquali à ſummo in imum limbum defluebat: longior tamen dudum erat manipulus, qui nunc parùm dumtaxat à cubito deſcendit: videntur enim veteres in ſacro ornatu ſpectaſſe ſemper paſſionis Chriſti memoriam, ideóque ſtolam, & manipulum, cum zona, ad vinculorum eius referendam ſpeciem accommodaſſe; Accedit verò propiùs forma ſtricta ad funium & vinculorum ſimilitudinem, quàm expanſa; linúmque quàm lana, vel ſericum, aut aurum-textile, meliùs refert funiculos & nexus. Attamen quia ſtolæ & manipuli aliæ ſunt ſignificationes, formæ ideo variârunt, quarum propria cum ſingulis conuenientia, ex dicendis in ſequenti capitulo, faciliùs innoteſcet.

Ceterùm Helgaldus Floriacenſis in epitome vitæ Regis Roberti, pretioſum manipulum ab eo donatum refert Eccleſiæ matrici ſanctæ Crucis

Crucis Aurelianenſis, quam eximio amoris affectu diligebat. *Vrceolum* (inquit) *ex Onychino factum quod comparauerat Rex ditiſſimus, pretio ſex librarum, iterum ipſi ſanctæ Crucis loco contulit ſimul cum alio argenteo, & manipulo.* Non exprimit quidem Helgaldus ex qua materia contextum eſſet, ſed pretioſæ hoc fuiſſe texturæ, facilè colligi poteſt ex eo quod immediatè prænotat de Sacerdotali ornatu, quem idem Rex Robertus dedit eidem Eccleſiæ Aurelianenſi ad Pontificalis apparatus decorum. *Nihilominus* (inquit) *Dominum Oldoricum Epiſcopum in Sacerdotali veſtimento ſic honorauit, vt adſtans in ſacrificio Domini circumtectus ex omni parte, auro & purpura videretur.*

CAPVT IV.

De vſu Manipuli & abuſu.

DE porrectione libri Epiſtolarum, quem ordinando Subdiacono tradit Epiſcopus, his verbis, *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei tam pro viuis quàm pro defunctis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.* Notanda eſt ſententia Amalarij Fortunati, lib. 1. de off. Eccleſ. c. 11. *Miror*, inquit, *qua de re ſumptus vſus in Eccleſia noſtra* (ſcilicet Occidentali, & Latina) *vt Subdiaconus, legat lectionem ad Miſſam, cùm hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex libris canonicis, neque ex nomine ſuo Subdiaconus, vt monſtratum eſt, quia ſub Diacono poſitus eſt.* Neque etiam habetur in Concilio IV. Carthaginenſi, c. 5. qui de modo ordinandi Subdiaconum expreſſus eſt.

At de manipulo ſic habet diſertè illa canonica ſanctio; *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & calicem vacuum: De manu autem Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile & manutergium.* Mantile enim, mappula, manipulus, & phanon vocabula promiſcua ſunt, apud Rituum Eccleſiaſticorum interpretes. Verùm in veteri ordine Romano ſub titulo, *Qualiter in Romana Eccleſia Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi eligendi ſunt*, Epiſcopus ipſe manipulos Subdiaconis tradit, ſic enim in fine eorum ordinationis legitur: Et Epiſcopus dat eis mappulas dicendo: *In veſtione harum mappularum, ſubnixè te Domine deprecamur, vt hi famuli tui ſic operentur in temporali conuerſatione, quatenus exemplo piorum patrum, in futuro mereantur perenniter gaudere, Per Dominum &c.* Dicit hodie Epiſcopus dum immittit manipulum in ſiniſtrum brachium cuilibet Subdiacono: *Accipe manipulum, per quem deſignatur fructus bonorum operum, in nomine &c.* In degradatione autem Subdiaconi ipſemet Epiſcopus aufert eius manipulum dicens, *Depone manipulum, quia per fructus bonorum operum quos deſignat, non expugnaſti ſpirituales inſidias inimici.* Sed cùm Subdiaconus reſtituitur, manipulus quoque ei redditur ab Epiſcopo cum cæteris proprij ordinis inſignibus: Rubrica enim præliminaris formulæ de-

gradationis expreſſè monet vt ſi reſtitutio fiat, inſignia cuique Clerico detracta, ſigillatim & ſolenniter ei coram altari reſtituantur, *Et ſi ſit Subdiaconus recuperabit tunicellam & manipulum.*

Rubricæ generales Miſſal. Rom. c. 19.

Regula eſt generalis, Miſſalis libri; *Quotieſcumque celebrans vtitur pluuiali deponit manipulum: Et vbi pluuiale haberi non poteſt in benedictionibus quæ fiunt in altari, celebrans ſtat ſine planeta cum alba & ſtola.* Ideóque vel non accepto, vel depoſito manipulo. *Pluuiali autem vtitur in proceſſionibus & benedictionibus quæ fiunt in altari. Item in officio Laudum, & Veſperarum quando ſolenniter dicuntur. Eodem vtitur aſſiſtens celebranti in Miſſa Pontificali. Item quando celebrans poſt Miſſam defunctorum facit in fine abſolutionem.*

Pontif. Rom. de bened. campanæ.

Tamen in benedictione campanæ hoc ſingulare videtur, quod Diaconus paratis omnibus huius ritus adminiculis, accipit amictum, albam, cingulum, manipulum, ſtolam & dalmaticam &c. At Epiſcopus paratur *amictu, alba, cingulo, ſtola, pluuiali &c. & mitra ſimplici, & baculum manu geſtat*, non aſſumpto manipulo. Nec ſolùm differt à Diacono, ſed & à Presbytero in vſu manipuli etiam ad altare; nam in ritu ſeruando celebrationis Miſſæ, c.1. expreſſè dicitur, Manipulum quoque non accipit Epiſcopus ante ſtolam, niſi in Miſſis defunctorum, ſed accipit ad altare cùm in confeſſione dicit, indulgentiam, illúmque priùs oſculatur. Quod diſcrimen non ália ratione inuectum cenſeo, quàm ad notificandam ſpectantibus & differentiam ordinum Eccleſiæ, & præeminentiam Pontificiæ dignitatis, non tantùm ſuper Diaconatum, ſed etiam ſuper Presbyteratum, qui ordo* Epiſcopali proximè accedit, & ei nullo medio coniunctus eſt.

* Accipe hìc nomen ordinis, pro gradu Eccleſiaſticæ dignitatis, non autem pro charactere Sacerdotij.

In benedictione & impoſitione primarij lapidis pro Eccleſia ædificanda, Epiſcopus etſi amictum, albam, cingulum, ſtolámque accipiat, manipulum tamen non ſumit, ſed pluuiali ſemper, ſuper albam & ſtolam induitur. Item in dedicatione & conſecratione Eccleſiæ, (in qua nec manipulum gerit Diaconus) item in Eccleſiæ & Cœmeterij reconciliatione: Item in reconciliatione ſolenni pœnitentium, quæ fit in Cœna Domini: Nam tum non caſulam habet, ſed pluuiale gerit violacei coloris. At in perueteri Pontificali MS. Gallicani ritus, quod poſſideo, præliminaris Rubrica hoc extat tenore: *Feria IV. in capite ieiunij. Omnibus horis decantatis Pontifex induitur alba, ſtola, manipulo & cappa ſerica nigra, baculo paſtorali & mitra alba ſimplici &c. cineres benedicit.* In cœna verò Domini, ſic habet Rubrica primordialis; *Decantatis omnibus horis vſque ad magnam Miſſam, Pontifex indutus amictu, ſtola alba, manipulo, cappa ſerica nigra, baculo paſtorali cum mitra alba & ſimplici eat ad maiorem portam Eccleſiæ Clero proceſſionaliter procedente, & introducat pœnitentes, quemlibet accipiendo per dexteram manum &c.* Mendum tamen irrepſiſſe videtur in Rubricæ huius ſeriem; Quid enim conuenientiæ habet cappa nigra cum ſtola & manipulo candidi coloris? Quamobrem ritus iſtius graphicè expreſſa repræſentatio in eodem codice, Pontificem cum Presbyteris aſſiſtentibus cappis non atris at ſplendidis, ea die depingit hac ſub effigie.

Epiſcopi pœnitentes reconciliantis Feria V. in Cœna Domini vetus figura.



At in conſecratione Chriſmatis, oleíque Catechumenorum, & infirmorum, Pontifex manipulum habet, quia & caſula indutus eſt, ſicut & duodecim Preſbyteri ipſi cooperantes in hac inſigni actione, Subdiaconus etiam manipulum gerit, librum portans Euangeliorum ante pectus ſuum, dum Epiſcopus cum Preſbyteris & Diaconis, Subdiaconiſque & Acolythis ad menſam ſolenni apparatu procedit, inter ſedem & altare paratam, cui tres ampullæ myſtici liquoris conſecrandi impoſitæ ſunt. Verùm eſt peculiaris ratio, cur Pontifex Preſbyterique, & Diaconi, ac Subdiaconi ferant manipulos in hac ſolenni actione, fit enim infra Miſſarum ſolennia, vnde omnibus ſuis ornamentis inſigniuntur, iiſque pretioſis, propter diei ſolennitatem & actionis ipſius ſingularem celebritatem, quæ conſpicua ſic in præſignato vetuſto Pontificali Gallicano exhibetur. *In Pontif. Rom.*

Conſecrationis Chriſmatis, & Olei Catechumenorum ac infirmorum, antiqua repræſentatio.



Cæterùm vt ad manipulum redeam, cur in ſiniſtro brachio poni ſoleat ac debeat: ſi ratio quæritur, haud arduum fuerit poſtulato eiuſmodi reſpondere. Alcuinus, c. Quid ſignificent veſtimenta, dicit, *Mappulam ſiniſtræ imponi, qua detergantur narium, oculorúmque ſuperflui humores, vt mortalitatis noſtræ admoneamur, atque vitæ huius tædio affecti, ad æternæ gaudium aſpiremus.* Non hinc longè abludunt Amalarius Fortunatus, Alexander Alenſis, & S. Bonauentura. Mihi verò plana ratio eſſe videtur, quòd ſi in dextera manipulus poneretur, eſſet Subdiacono miniſtranti impedimento, nec ita functiones ſuas ad altare poſſet expeditè & cómmodè exercere, puta pallam de calice leuare & reponere, libri folia vertere &c. quæ officiâ ſanè liberiùs ac faciliùs dextera manu obeuntur. Addi poteſt, cùm pars ſiniſtra hominis ſit illa quæ minus habet de calore & naturali vigore, vnde homo non ita lubenter ac bene ſiniſtrâ, ac dexterâ operatur: hàc de cauſa mappulâ operiri & foueri, vt intelligamus humanæ naturæ infirmitatem, eam eſſe, qua boni omnis operis, imò & cogitationis ſumus incapaces, niſi diuinæ gratiæ auxilio adiuuemur. At hac ope nixi, nihil boni eſſe quod cogitare & explere non valeamus, iuxta illud Apoſtoli, *Omnia poſſum in eo qui me confortat &c.*

Sunt qui putent læuam eſſe dextera nobiliorem, iuxta illud Prouerb. 3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Hinc in ſacris picturis dexteram Paulo aſſignari, vt minori, læuam Petro vt maiori, vnde mos defluxit vt in Synodali conſeſſu, Apoſtolicæ Sedis Legati læuam ſemper teneant, inde vſitata phraſis Synodica; *Ad læuam conſidentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis &c.* Verùm abſolutè loquendo ſiniſtra eſt dexterâ inferior, vt toto ſacræ Scripturæ contextu, vſúque ipſo rerum humanarum ſatis patet. Quòd igitur Petrus ad læuam pingatur*, indicio eius humilitatis hoc factum eſt, iuxta illud Domini, *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Ortus eſt hinc præcipuus Papæ titulus, *ſeruus ſeruorum Dei.* Quæ etiam cauſa eſt cur Papæ Vicarij, in Synodis non in dextera, ſed in ſiniſtra conſideant. Nec obſtat Prouerbiorum citatus locus; nam longitudo dierum, quæ ponitur in dextera, maius bonum eſt diuitiis, & euanidâ earum gloriâ quæ in ſiniſtra collocantur. Accedit quòd manipulus ornamenti genus ſit, vt euincit Auguſtinus Eugubinus, lib. contra Vallam de donatione Conſtantini, num. 45. & elicitur ex edicto ipſius donationis, can. Conſtantinus, diſt. 96. Quare igitur ponitur in ſiniſtro brachio, non in dextro? Apoſtolum audiamus, *Quæ putamus* (inquit) *ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* 1. Cor. 12. 23. Ponimus igitur manipulum ornatûs gratia in ſiniſtra parte corporis, quæ ſanè dexterâ debilior eſt, & minùs digna.

* De hac Apoſtolorum pictura diſſeruimus ex profeſſo, in tractatu nondum edito, cui titulus eſt, *Petrus & Paulus*, lib. 2. c. 4.

Cæterùm tempore Lanfranci prælaudati, mos iam olim inoleuerat, vt Monachi albis induti inter diuina præconia, manipulum etiam geſtarent. *Nam in Cœnobiis Monachorum* (inquit) *etiam Laici* (ſeu fratres Conuerſi, vel Oblati) *cùm albis induuntur, ex antiqua Patrum inſtitutione ſolent ferre manipulum.* Vbi per antiquam Patrum inſtitutionem, ve-

Eadem epiſt.

terum Abbatum conſtitutionem intelligit: quam tamen nec refert, nec indicat. Quicquid ſit, antiquata fuit illa conſuetudo in Concilio II. Pictauienſi habito ex Decreto Paſchalis II. Papæ, per Ioannem & Benedictum Cardinales anno 1109. ſic enim ibi ſtatutum eſt can. 5. *Vt nemo Monachorum deinceps manipulis vtatur, niſi fuerit Subdiaconus ordinatus.*

CAPVT V.

De morali & myſtica Manipuli ſignificatione.

VT ab vltima ſignificatione exordiamur, qua manipulum pro ſudario vſurpari, hócque ipſo cenſeri nomine præmonuimus: audiendus occurrit diſſerens de ſenſu huius nuncupationis, Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis, c. 24. *Sudarium ſignificat*, inquit, *ſtudium mundandæ cogitationis, quo naturales & velut ingenitas, noſtras diſtillationes ſtudemus tergere, ſiue propter effuſionem lacrymarum tergendam fertur ſudarium, vt in Martyrologio Bedæ legitur, quod pater noſter Arſenius, propter redundationem lacrymarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu, vel in manu habuerit. In manu ſiniſtra portatur, vt oſtendatur in temporali vita tædium nos pati ſuperflui humoris, hoc eſt carnales delectationes.* Et iterum, *Sudarium ad hoc portamus, vt eo detergamus ſudorem qui fit ex labore proprij corporis, quod legimus vſitatum fuiſſe circa corpus Chriſti, vnde legitur, & ſudarium quod fuit circa caput eius. ſudor tædium noſtro corpori eſt, ſi non eſſet tædium, non toties tergeretur; habet aliquoties mens tædium, dicente Pſalmiſta, Dormitauit anima mea præ tædio. Tædium in anima, quaſi ſudor in corpore. Tædium animi aliquando fieri ſolet ex conſcientia peccatorum, aliquando ex accidentibus, vt eſt omne flagellum quod ab alieno corpore patitur: aliquoties ex infirmitate proprij corporis, quæ infirmitas aliquoties accidere ſolet ex peccatis. Quando tædium ex infirmitate peccatorum frontem noſtræ conſcientiæ tegit, habeamus ſudarium ex lino caſtigatum & mundum, qualia ſunt verba Dauid prophetæ, Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Et ſi fuerit infirmitas ex approbatione ſicut in Iob, dicamus quod dicit, Sicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Sic & nos quando hoc tædio afficimur, ne maiore triſtitia abſorbeamur, in conſolationem noſtri, quaſi quoddam ſudarium, exempla ſanctorum Patrum ad corroborandam patientiam & detergendum tædium ſumamus. Per ſudarium intelligimus, mundos affectus & pios in labore.* Hactenùs Amalarius.

Mappulæ ſignificationem Alcuinus ad eoſdem fermè ſignificatus refert citato haud ſemel lib. de diuinis officiis, cap. Quid ſignificent veſtimenta. Nec ab hoc deflectunt priſci cæteri ſacrorum rituum interpretes ſuperiùs notati. Eò redeunt ſiquidem ferè vniuerſi, quò ſpectauit Eccleſia, dum aſſumenti Sacerdoti myſticum manipulum, hanc oratiunculam præſcripſit, *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione percipiam mercedem laboris.* Dicebat Apoſtolis Do-

minus, *Meſſis quidem multa, operarij verò pauci*, Luc. 10. 2. quò meſſis copioſior, eò merentium labor magis excreſcit: quóque ij exiliori numero ſunt, operis eò grauius euadit pondus, & laborantium augetur æſtus. Sudent igitur diuini miniſtri in myſticæ meſſis cultura & collectione, iuxta illud prophetæ, *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua*, Pſ. 125. at *bonorum laborum glorioſus eſt fructus*. Sap. 3. 15. Vnde ſequitur, *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos*; quamobrem Iſaias Chriſto pacis principi & patri futuri ſæculi gratulabundus occinit, c. 9. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia.*

Mappulam idcirco Eccleſia demum in manipulum militarem, ac victorialem corollam vertit. Quapropter hodie non tam luctus, quàm gaudij & gloriæ Sacerdotalis eſt manipulus indicium, vt plurimùm ſericeus, imò textura aurea fulgens. Quaſi iam datur pro corona, quam Tertullianus pridem nota occaſione arrepta ſcribendi *de corona militis*, non in capite quamdiu hîc viuimus, ſed in manu vel brachio geſtandam eſſe pulcherrimè docuit, diſputationem tum celebrem hoc initio exorſus; *Proximè facta eſt liberalitas præſtantiſſimorum Impp. Expungebantur in caſtris milites laureati; Adhibetur quidem illic magis Dei miles, cæteris conſtantior fratribus, qui ſe duobus dominis ſeruire non poſſe præſumpſerat, ſolus libero capite, coronamento in manu otioſo &c. Tribuno defertur, & perſona iam ex ordine acceſſerat. Statim Tribunus: Cur, inquit, tam diuerſus habitu? Negauit ille cum cæteris ſibi licere: Cauſas expoſtulatus, Chriſtianus ſum, reſpondit. O militem in Deo glorioſum! ſuffragia exinde, & res apud acta, & reus apud Præfectos. Ibidem grauiſſimas penulas poſuit reuelari auſpicatus &c. Et nunc ruſſatus ſanguine ſuo &c. totus de Apoſtolo armatus, & de martyrij candida laurea melius coronatus, donatiuum Chriſti in carcere expectat.* Et verſus extremam oram opuſculi; *Certè &c. vti tu nunc laurea, & myrto, & olea, & illuſtriore quaque fronde, & quod magis vſui eſt, centenariis quoque roſis ex horto Midæ lectis, & vtriſque liliis*, (cruentis ſcilicet & candidis) *& omnibus violis coroneris, etiam gemmis forſitan & auro: Vt & illam Chriſti coronam æmuleris, quæ poſteà ei obuenit: quia & fauos poſt fella guſtauit; nec antè rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quàm rex Iudæorum in crucem proſcriptus: minoratus primò à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi potes eis repende, quale ſuum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non potes, quia floribus non potes: Serua Deo rem ſuam inattaminatam. Ille eam ſi volet coronabit; imò & vult; denique inuitat; Qui vicerit*, inquit, *dabo ei coronam vitæ*. Eò ſpectat prorſus illa Sacerdotalis oratio, *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione percipiam mercedem laboris.*

De manipulis animarum, quos Sacerdotes & paſtores pro credito ſibi diuinitus ſanctificationis officio colligere pro virili debent, vt venienti Chriſto ad iudicium gratum in munus offerant, ſi præmiorum quæ fidelibus ſeruis tum retribuet, compotes fieri cupiunt, præclarè ait S. Gregorius hom. 17. in Euangelia, *Ecce*, dicit Dominus, *negotiamini dum venio: quale ei animarum lucrum de noſtra negotiatione* (nos

paſtores animarum, Deíque miniſtri) *monſtrabimus? quot eius conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? ponamus ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem, quo iudex veniet &c. Ecce in maieſtate terribili inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe trahet, apparebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, ibi Thomas Indiam in conſpectu ſui iudicis conuerſam ducet, ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt. Hæc fratres vobiſcum ſollicitè cogitate, hæc* (animarum ſtudia) *& proximis veſtris impendite, omnipotenti Deo fructum vos reddere de negotio quod accepiſtis, parate: Sed iſta quæ dicimus, meliùs apud eum orando, quàm loquendo obtinebimus.*

Huc collineat ſæpè iam laudata Sacerdotis ad ſacrificium ſe præparantis oratio, *Merear Domine, portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione percipiam mercedem laboris.* Sic ſuos manipulos ſancti Pontifices & Sacerdotes portauerunt, & poſt fletus & dolores huius vitæ mercedem laboris cum æterno gaudio ſuſceperunt. Ita ſuperiori ſæculo alter ille Ambroſius Mediolanenſis ſanctus Carolus Borromæus ſuum pertulit manipulum, quem ingenti munere pietatis dono ad ſe miſſum Canonici Aurelianenſes, Sede vacante, omni cum honore ſuſceperunt ipſo anno celebris in ea vrbe Iubilæi, ſcilicet 1600. quemadmodum qui huius nobilis Eccleſiæ Decanus tunc erat memoriæ prodidit, lib. 16. Annalium ipſius Eccleſiæ Aurelianenſis, Carolus Sauſſeius his planè verbis. *Eodem anno & ſequentibus, reliquiæ multæ ſanctorum nobis* (antè, ſacris pignoribus ab hæreticis Caluiniſtis ferè penitùs ſpoliatis) *tranſmiſſæ ſunt donis ſingularibus, ex Rhemenſi primùm Eccleſia, deinde ex Sueſſionenſi, Beluacenſi, & aliis: Tum ex Monaſterio de Alouillari de carne ſanctæ Helenæ; Tandem ex Cœnobio ſancti Trudonis in Haſbania os nobiliſſimum è brachio ſancti Eucherij Epiſcopi Aurelianenſis: Et ex Eccleſia Mediolanenſi particula carnis &* MANIPVLVS VIRIDIS COLORIS *ſancti Caroli Cardinalis Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis. quæ & pretioſis incluſæ ſunt thecis, & ſuo ordine enumerantur in Codicibus Aurelianenſis Eccleſiæ.* Hactenus Sauſſeius, vir ſanè pius: qui deinde factus Pariſienſis canonicus, & S. Iacobi à Carnificeria Paſtor, ab eadem Eccleſia Mediolanenſi, Stolam ipſius ſancti Caroli obtinuit, quam ſumma celebritate collocauit in ſua S. Iacobi Eccleſia, perpetua veneratione colendam.



Hîc verò mihi memoria excidere non patior Caroli Cardinalis à Lotharingia toto orbe illuſtriſſimi, ſymbolicum numiſma, hac excuſum ſpecie*. Extat extypon in Gallia Metallica vol. 2.

Quo emblemate pius, prudénſque Princeps inſinuare voluit, Sacerdotij Chriſtiani formidabilem fidei inimicis vigorem: gladium ſiquidem igneum & verſatilem, eſſe Dei verbum; brachium manipulo inſtructum, ſignaculo crucis inſigne, Sacerdotalem deſignare auctorita-

tem : qua hoſtium Eccleſiæ impietas comprimitur, diuináque lex vindicatur & gloria. Alluſiſſe etiam videtur ad Cherubim, quem olim poſuit Deus in aditu horti Eden ad cuſtodiendum lignum vitæ, cum gladio flammeo & verſatili, quo feriret temerè inſilientes. Nec myſterio vacat quod Angeli, haud alij, quàm ex hoc ordine, fuerint huic officio præfecti: Cherubim enim vigilantiſſimi ſunt & perſpicaciſſimi, vnde à ſcientia vocabulum ſortiuntur, quia ſunt vindices omnis ſcientiæ Dei quam Adam temerè concupierat; ſcientia porrò eſt dos propria ſacerdotis, iuxta illud Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & populi requirent legem de ore eius, Angelus enim Domini exercituum eſt.* Quamobrem Dominus væ dicit Phariſæis *quia abſtulerant clauem ſcientiæ.* Atque hæc de manipulo Eccleſiaſtico, ſatis pro inſtituto eſſe poſſunt, cùm vix plura inter ſcrutandum priſcos auctores, datum mihi fuerit reperire.

PRIMÆ PARTIS

PANOPLIÆ SACERDOTALIS

LIBER V.

DE STOLA SACRA.

CAPVT PRIMVM.

Quid Stola apud veteres; & quibus iam olim eiuſdem vſus competebat?

IN ſacris litteris varia eſt nominis ſtolæ acceptio. 1. enim ſumitur pro omni veſte, Iſaiæ 63. 1. *Iſte formoſus in ſtola ſua*, id eſt in habitu ſuo, & inceſſu. 2. pro tunica muliebri, Iudith. 16. 10. *accepit ſtolam nouam, ad decipiendum illum.* 3. etiam pro veſte virili, eáque vulgari, Geneſ. 45. 21. Ioſeph iuſſit ſingulis (fratribus ſuis) *proferri ſtolas binas.* 4. pro habitu ſacro, & tunica Sacerdotali, 3. Eſdr. 4. 54. Darius ſacram ſtolam iuſſit dari omnibus Sacerdotibus, qui præcedunt, vt in ea deſeruirent, & cap. 5. 45. dedit ſtolas Sacerdotales centum. Et cap. 7. 9. *Steterunt Sacerdotes & Leuitæ amicti ſtolis, per tribus.* 2. Machab. 3. 15. *Sacerdotes ante altare cum ſtolis Sacerdotalibus &c. inuocabant de cœlo* Deum. 1. Machab. 10. 12. *Induit ſe* (ſummus Sacerdos) *Ionathas, ſtola ſancta* &c.

Apud ſæculi auctores, etiam aliquando ſtola ſumitur pro omni veſte, ſiquidem, teſte Nonio, veteres ſumebant ſtolam pro omni quod corpus tegeret: aliquando etiam pro veſte virili; apud Ciceronem Philippica 2. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim ſtolam reddidiſti.* Eodem planè ſenſu apud Petronium: *Quid ille alter, qui die togæ virilis, ſtolam tanquam togam aſſumpſit.* Certè Quintiliani æuo eodémque teſte, non vltra medium crus togæ porrectæ erant: Inde iam ætate Ciceronis profuſæ ad modum ſtolæ, ad talos vſque cœperunt produci, vnde ipſe ait Tullius, *Togam ſtatim ſtolam reddidiſti*; ſtola enim ſemper fuit talaris, nec aliud erat, quàm *talaris tunica*: *Quæ matronarum* (vt notat Iſi-

dorus l. 1. Orig. c. 25.) *proprium inſigne* & operimentum fuit. Tertullianus de pallio c. 4. *Matrona ſine ſtola in publico*; Adeovt etiam apud Ethnicos, impudicæ mulieris (prout laxati ſine vitta crines) tunica breuis indicium fuerit, quò ſpectans Tibul. eleg. 6.

Quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Matronæ ſiquidem & mulieres quæuis honeſtæ, ſtola ad imos pedes demiſſa vtebantur, cuius imam partem inſtita aſſuta ambiebat. Fuit etiam veſtis Sacerdotalis; Nam linea veſtis, id eſt tunica talaris, linea vtique ſtola, veſtis erat ſacrificantium. Cœpit mos hic apud Ægyptios, ſed ſubinde vbique viguit: hinc ſacrificatorum cœtus apud Poëtas, *Linigera turba, & liniger grex*, dici ſolet; & apud Suetonium, lineus dicitur amictus Iſiacorum.

CAPVT II.

Iuonis Carnotenſis, de Stola, ſententia excutitur, aſſerentis hunc ornatum non fuiſſe in vſu apud priſca legis Sacerdotes.

VTVNTVR *& ſtola*, (ait Iuo præfatus, de rebus Eccleſiaſt.) *quæ alio nomine orarium vocatur, qua vetus Sacerdotium non vtebatur.* Verùm hæc aſſertio reuinci videtur perſpicuis Scripturæ ſacræ auctoritatibus, quibus aperta fit mentio ſtolæ Sacerdotalis apud Hebræos; Præter enim loca ſuperiori capite ex 1. Machab. 10. 21. & 2. 3. 15. ſignata, necnon 3. Eſdræ 4. 54. 5. 45. 7. 9. extant alia perſpicua Eccleſ. 45. 9. ſiquidem legimus: *Excelſum fecit Aaron fratrem eius* (ſcilicet Moyſi) *& ſimilem ſibi de tribu Leui: & ſtatuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi Sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria &c. induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis.* Et c. 50. v. 11. de Simone Oniæ filio, ſummo Sacerdote, *Quaſi oliua pullulans & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri illum in conſummationem virtutis.*

Verùm ſententiæ Iuonis iſtæ auctoritates neutiquam aduerſantur: his ſiquidem in Scripturæ locis manifeſtè ſtola ſumitur pro tunica, vel linea, vel hyacinthina, qua à Deo decoratum fuiſſe antiquæ legis Pontificem omnis Scriptura teſtatur. Cæterùm ipſo adducto loco ex c. 45. Eccleſiaſtici id fit quàm perſpicuum: ea enim ſerie ſacer contextus habet; *Circumpedes & femoralia & humerale poſuit ei: & cinxit eum tintinabulis aureis plurimis in gyro: dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo, in memoriam filiis gentis ſuæ, ſtolam ſanctam auro & hyacintho & purpura, opus textile &c.*

Sicque intelligi poſſe videtur quæ de ſtola S. Iacobi Apoſtoli Epiſcopi Hieroſolymæ primi, Eccleſiaſtica produnt monimenta, in VIII. Synodi primordiis, actione ſcilicet 1. epiſtola legitur ſynodica, itidémque munifica Theodoſij Patriarchæ ſanctæ ciuitatis ad Igna-

tium regiæ vrbis Primarcham, (extat apud Binium Tom. 3. Concil. p. 1. pag. 612. & 613.) qua ſibi eius conciliandæ beneuolentiæ affectu, dono ei pretioſo mittit Pontificalem ſtolam S. Iacobi Apoſtoli, & fratris Domini &c. Stola enim iſta nihil aliud fuiſſe videtur quàm poderis ſeu tunica linea talaris, qua vſum fuiſſe ſemper Beatum ipſum Apoſtolum S. Hieronymus refert ex Hegeſippo, *vicino* (vt ait in Catalogo c. 4.) *Apoſtolicorum temporum* in hunc modum; *Hic de vtero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit: nunquam attonſus eſt, nec vnctus vnguento, nec vſus balneo: huic ſoli licitum erat ingredi Sancta Sanctorum; ſiquidem veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſolúſque ingrediebatur templum.* De hac ſtola S. Iacobi ab eius ſucceſſoribus ſanctæ Ciuitatis Hierarchis geſtari ſolita, pleraque alia notatu digna ſignauimus lib. 6. Panopliæ Epiſcopalis c. 3. At verò ſi hæc ſtola fuit poderis, planum eſt nihil habuiſſe affinitatis cum ſtola noſtra Sacerdotali, quæ, vt conſtat, differt omninò à linea tunica talari.

CAPVT III.

An ſtola noſtra, quæ diſtincta veſtis eſt à podere ſeu tunica linea talari, fuerit in vſu ab ipſa Apoſtolorum ætate?

PLERISQVE doctis ſuperfluum fortaſſis videbitur, hac de re mouere quæſtionem, cùm perſuaſum habeant Apoſtolis, nec Apoſtolicis viris veſtes illas ſacras, myſticóſque ornatus fuiſſe in vſu, qui à poſterioribus tantùm ſæculis vſurpari ab altaris miniſtris demum conſueuerunt. Præcinit huic cœtui Honorius Auguſtodunenſis in Gemma animæ, ſeu lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, cap. 89. vbi ait, *Apoſtolos & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus & ligneis calicibus, Miſſas celebrauiſſe &c.* Si enim in vulgaribus indumentis Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores rem diuinam celebrabant; hinc certè fit conſectaneum, neque ſtola, neque podere, neque tunica Sacerdotali, vllóve inſignes ornatu ſacris eoſdem (quin & proximos eorum ſucceſſores) operatos. Verùm in Panoplia noſtra Epiſcopali lib. 6. c. 3. hanc Honorij ſententiam procul à vero eſſe oſtendimus conſtantibus teſtimoniis Hegeſippi, Euſebij Cæſarienſis, & S. Epiphanij, ac beati Hieronymi: imò ipſius Honorij confeſſione, qui ſubſequenter ait; *Sed Clemens tradente Petro Apoſtolo vſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit, & Stephanus Papa in ſacris veſtibus Miſſas celebrari conſtituit.* Sed ſi Petrus vſum ſacrarum veſtium in diuina actione tradidit, Clemens verò eius ex inſtitutione, ſacra veſtimenta geſtari à diuinis miniſtris in tremenda actione docuit ac decreuit: Quomodo prius Honorij effatum verum eſſe poteſt? videlicet quòd Apoſtoli & eorum ſucceſſores Miſſas in ordinariis veſtibus celebrarint: An Petrus Apoſtolus non erat, qui & ipſe eorum erat

apex? vel tradebat Petrus quod ipſe non ſeruabat? aut ſolus morem inuexit, quem cæteri Apoſtoli neſcirent aut ſpernerent: ipſe verò non ſeruabat? vel Clemens eius ſucceſſor non fuit? imò diſcipulus & præcipuus cooperarius. Quis verò eſt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tantiſper ſciens, qui ignoret Stephanum Papam & martyrem non inſtituiſſe vt Sacerdotes in veſtitu ſacro Miſſas peragerent: at dumtaxat vetuiſſe, ne extra diuinum officium & loca ſacra, myſticis veſtibus vterentur? diſertis ſanè id verbis teſtantur Luitprandus Ticinenſis in lib. de vitis Pontificum, Damaſus ſeu Anaſtaſius de vitis eorumdem, in ipſo Stephano: hócque ipſum Romana Eccleſia patenter teſtatur in eiuſdem Pontificis & Martyris officio die Aug. 2. Lect. 2.

Porrò veſtigia pleraque etiamnum ſuperſunt in Eccleſiaſticis monimentis, ſacræ ſtolæ geſtatæ ipſo Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum æuo. Superiori capite meminimus ſtolæ S. Iacobi fratris Domini, & ſanctæ ciuitatis primi Epiſcopi, cum aliis eius ſacris indumentis pretioſo dono tranſmiſſæ, à Theodoſio Hieroſolymorum Patriarcha ad S. Ignatium Conſtantinopolitanum Antiſtitem. Quamuis enim quibuſdam videri poſſe præmonuerimus, ſtolam ſumi pro tunica linea, qua ſemper vſus memoratur ipſe S. Apoſtolus; nihilominus verba ipſa Synodicæ Theodoſij ad Ignatium apertè euincunt, ſtolam iſtam fuiſſe rem diſtinctam à tunica illa linea, ſeu podere Sacerdotali, quandoquidem vtriuſque in illis litteris propria fit mentio; in hunc enim modum loquitur Theodoſius ad Ignatium ſcribens: *Intereà ſperans, penes ſacratiſſimam & ſolertiſſimam affectionem tuam impetrare quæ cordi ſunt: Poderem* (en tunica talaris linea) *& ſuperhumerale cum mitra, Pontificalem ſtolam S. Iacobi Apoſtoli & fratris Domini, primi Archiepiſcoporum,* (huius Eccleſiæ) *qua anteceſſores mei Patriarchæ circumamicti ſemper in Sancta Sanctorum ingrediebantur, qua & ego indutus ſum eamdem gerens, tuo deſiderabili & honorando mihi capiti, ex amore & dilectionis copia tranſmiſi, quatenùs ſanctifica ſuauitate & tactu ſanctiſſimorum locorum, vtpote dignus perfruaris.* Hactenùs Theodoſius.

Stolæ quoque S. Stephani Hieroſolymæ primi Archidiaconi & protomartyris, à Macario Hieroſolymorum Epiſcopo datæ S. Helenæ, & ab ea tranſmiſſæ Veſuntionem ad B. Hilarium, ſpecialem obſeruationem conſignauimus in Martyrologio Galliæ 3. Nonas Auguſti, ex monimentis Eccleſiæ Veſuntionenſis: plura in commentariis eiuſdem diei, fauente Deo dicturi. Tametſi hîc nodus hæreat, quandoquidem dubium ſemper ſubſit, num ſacrum huiuſmodi pignus fuerit ſtola, vel tunica linea talaris: cùm hæc ſit veſtis, illa verò faſcia quædam, ſeu plagula, ſuper tunicam lineam, ſeu albam iniecta, à collo ad pectus, hincque ad genua vſque defluens, pari textura, ac planeta, ſeu caſula cui ſubiuncta hæret, confecta. Vetus MS. Codex à Chiffletio citatus part. 2. ſuæ Veſuntionis n. 5. p. 35. & 38. hoc ſacrum B. Stephani ſpolium deſignat dalmaticæ nomine: quæ ſanè in ſacris vix eſſe cœperat in vſu, Apoſtolorum ſæculo, quo S. Stephanus effulſit: Meliùs igitur datum S. Helenæ à Macario pium munus,

ſcilicet B. Stephani indumentum ſeu ornatus, de ſtola vel tunica intelligi debet; quæ ſi promiſcuè accipiendæ ſunt, vel diſtinctè, prorſus eſt incompertum. Meminit certè Euſebius Cæſarienſis ſtolæ Sacerdotalis ab Epiſcopis geſtatæ in Synodo Tyrienſi lib. 10. hiſt. Eccleſ. c. 3. quo recitat panegyrim dictam Paulino Epiſcopo Tyrienſi, & eius Coepiſcopis in Encæniis templi ab eo extructi, & quidem diſtinctæ à podere, ſeu linea tunica talari: Sic enim eos pius Encomiaſtes compellat atque affatur, *Amici Dei & Sacerdotes, qui ſacroſancto indumento podere cœleſti, gloriæ corona, & diuino chriſmate, denique Sacerdotali Spiritus ſancti ſtola decorati eſtis.* Sed verò extra omne dubium non eſt, an hæc ſpirituali analogia quadam, vel litterali ſenſu ab auctore dicta fuerint, nec ne? Propriè tamen ſine tropo hæc ipſa pronunciata eſſe probabilius cenſui, Panopl. Epiſcopal. lib. 1. cap. 3. pag. 38. & 39. quam in promptu quiſque perlegere poteſt.

CAPVT IV.

De forma ſtolæ vſualis apud Veteres.

STOLA, quæ primario vſu fuit propria matronarum veſtis, haud aliud erat quàm tunica talaris, ſeu veſtis ab humeris antè & retrò ad pedes vſque profuſa. Terentius Varro lib. 7. de lingua Latina, togam & tunicam tribuit viro, pallium & ſtolam mulieri. Huc ſpectat Vlpianus lib. 23. de aur. & arg. leg. *Muliebria veſtimenta ſunt*, inquit, *quæ matrisfamiliæ cauſa ſunt comparata, quibus vir non facilè vti poteſt, ſine vituperatione, veluti ſtola.* Succenſet huic quocirca non immeritò Martialis, qui honeſtum eiuſmodi habitum, vt pote matronarum proprium, impudicis concedebat mulieribus:

Quis Floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Collineat celebre illud Tertulliani dictum lib. de pallio: *Habes quod Cecina Seuerus, grauiter ſenatui impreſſit, matrona ſine ſtola in publico.* Quia propudioſum erat videre mulierem prodire in publicum ſine talari veſte, quæ totum corpus tegeret antè & retrò, ab humeris demiſſa vſque ad imos pedes. Hanc ſic deſcribit Iſidorus Orig. lib. 19. c. 25. *Stola matronale operimentum, cooperto quod capite, & ſcapula à dextro latere in læuum humerum mittitur. Stola autem Græcè vocatur quòd ſuperemittatur:* Dicitur ſtola à voce στολὴ, quæ Græcis à στέλλομαι, id eſt induo, deducitur, totum enim inueſtit corpus, honeſtóque decorat ornatu; quamobrem apud veteres paſſim ſtolatus ſumebatur pro honeſto; nec alia de cauſa attributa matronis hæc veſtis, quàm eo quòd honeſtatis & pudoris muliebris inſigne erat, ſiquidem demiſſa erat vſque ad talos, & inſtitâ ad oram ornata; de inſtita eiuſmodi Horatius 1. ſer. ſatyr. 2.

Quarum ſubſutâ talos tegit inſtita veſte,

imam enim partem inſtita ſeu faſcia aſſuta ambiebat.

CAPVT V.

De forma Stolæ ſacræ; & an idem ſit ornatus cum Orario? Déque duplici genere Orarij, ac Stolæ.

STOLA eſt apud auctores Eccleſiaſticos, *ſacra veſtis, longa, non lata, à collo demiſſa, & ad anteriora deſcendens vſque infra genua ſacri myſtæ diuino miniſterio defungentis.* Huius ornatus hoc nomine rituum ſacrorum priſci interpretes expreſſim meminerunt, Alcuinus de diuinis officiis cap. Quid ſignificent veſtimenta: Amalarius Fortunatus, de Eccleſiaſticis officiis lib. 2. c. 20. inſcripto de Stola; Rhabanus Maurus lib. de ord. Antiphonarij c. 19. Rupertus de diuinis officiis lib. 1. c. 21. Iuo Carnotenſis ſerm. de ſignificatione indumentorum Sacerdotalium: Hugo Victorinus de Sacram. part. 4. lib. 2. cap. 4. Innocentius III. lib. 1. Myſteriorum Miſſæ cap. 54. & alij recentiores.

Sunt qui velint ſtolam olim fuiſſe Sacerdotum veſtem, quæ corpus tegeret: deſiiſſe verò eſſe in vſu, cùm alba deferri cœpit: hinc Durandus Rationalis lib. 3. c. 5. ait, *ſtolam mutatam eſſe in torquem*, hoc eſt in eam formam, qua hodie Sacerdotes vbique vtuntur.

Idem eſſe ſtolam quod orarium expreſſè cenſet Alcuinus, loco præſignato; *Sequitur*, inquit, *orarium, id eſt ſtola*; ita & Rhabanus lib. de ordine Antiphonarij c. 19. inſcripto *de orario, id eſt ſtola*: ſic & Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de Miſſæ antiquo ritu, c. 204. *Deinde circundat*, ait, *collum ſuum ſtola, quæ & orarium dicitur*; Eáque ferme communis eſt auctorum etiam poſteriorum ſententia: Quæ tamen difficultate non caret, ſi accuratiùs examinetur. Etenim orarium non fuiſſe videtur ornatum Sacerdotalem, ſed veſtem vſualem, tam Sacerdotum, quàm Clericorum inferiorum. Durus eſt ſanè Canonis Triburienſis contextus, relatus 17. q. 4. c. 25. (Refertur etiam à Burchardo lib. 6. c. 10. cum hac annotatiuncula in margine: *Ex Concilio Triburienſi, cui interfuit Rex Arnulphus*: anno ſcilicet 895. Formoſo Papa ſedente) *Vt Preſbyteri non vadant, niſi ſtola aut orario induti*: hîc enim videtur ſtola ab orario diſtingui, & ſtolam nec orarium induci pro ſacro ornatu, ſed triuiali veſte: Cùm antiquo decreto Stephani Papæ & Martyris vetitum ſit Sacerdotibus veſtes ſacras, proinde & ſtolam extra ſacra deferre: *Veſtimenta Eccleſiaſtica*, ait, *quibus Domino miniſtratur, cultúſque diuinus omni cum honorificentia & honeſtate à Sacerdotibus, reliquiſque Eccleſiæ miniſtris celebratur, & ſacra debent eſſe & honeſta: Quibus aliis in vſibus, cùm Deo eiúſque ſeruitio conſecrata ſint, nemo debet frui, quàm in Eccleſiaſticis & Deo dignis officiis, quæ neque ab aliis debent contingi, niſi à ſacratis hominibus.* Et habetur in c. *Veſtimenta*, de conſec. diſt. 1. Breuiùs idem refert decretum ex antiquis monimentis Damaſus in

Pontificali tit. 24. *Hic conſtituit*, inquit, *Sacerdotes & Leuitas vt veſtes ſacras* * *in vſu quotidiano non vti, niſi in Eccleſia tantùm.* Concinitùs Luitprandus ſcribit Ticinenſis in opuſculo de vitis Rom. Pontif. cap. 24. *Conſtituit ne Sacerdotes & Leuitæ veſtimentis Eccleſiaſticis in aliis vſibus vterentur, quàm Eccleſiaſticis officiis.* Sic & recitat Eccleſia Romana in natali officio eiuſdem S. Stephani die 2. Auguſti lect. 2. & quotquot ſcriptores eiuſdem ſtatuti meminerunt.

* Phraſis incongrua, vel locus corruptus.

Vel igitur errauit Triburienſis Synodus, ſanciens vbique & ſemper Sacerdotes ſtolam aut orarium gerere: aut ſtolam & orarium ab eo Concilio non accipi pro ornatu ſacro, vel veſte, perſpicuum eſt. Certè Concilium Moguntiacum diu ante hoc Triburienſe, ſcilicet anno 813. celebratum iubet c. 28. vt Presbyteri aſſiduè vtantur orariis, ita enim ſtatuit: *Preſbyteri ſine intermiſſione vtantur orariis, propter differentiam Sacerdotij dignitatis*; Quibus verbis idem decernere videtur, quod Concilium Triburienſe præcitatum. At conciliandæ huic antinomiæ confert nonnihil luminis canon, *Nullus*, editus in Quiniſexta ſynodo, quam Gratianus perperàm pro ſexta aſſumit, & inſcribit 21. q. 4. c. 2. qui ſic habet, *Nullus eorum qui connumerantur in Clero, veſtimentum indecens habeat, ſiue in ciuitate degens, ſiue in itinere ambulans, ſed ſtolis vtantur quæ conceſſæ ſunt Clericis &c.* Vbi Gloſſa *ſtolis*, id eſt *veſte talari, ſuperpelliceo, vel cappa.* Ex quo liquet præter ſacram ſtolam, aut orarium, quo vtebantur Sacerdotes & Diaconi in ſacrificio: tam his, quàm cæteris Clericis fuiſſe priuati indumenti genus, quod extra ſacra gerebant, communi viris Eccleſiaſticis vſu; quem canones prænotati commendant nomine ſtolæ & orarij. Intelligendum igitur eſſe canonem Triburienſem de triuiali ſtola & orario, id eſt talari & honeſto habitu externo, quem ſolebant Clerici proferre priuato inceſſu, in vulgus priuatímque prodeuntes, quemadmodum ex canone præſignato Trullani Concilij fit perſpectum. In hunc verò ſenſum reor non poſſe Moguntiacum canonem inflecti: propter hanc eius clauſulam ſcilicet, *ob differentiam Sacerdotij dignitatis;* Talaris enim veſtis omnibus Clericis communis erat; quamobrem ex eius geſtatione dignoſci non poterat Sacerdos à Clerico minore, vel etiam Diacono aut Subdiacono. Igitur de ſtola ſacra ſeu orario canon iſte accipiendus eſt; quem tamen non eſt quòd quis cauſetur decreto Stephani Papæ & Martyris aduerſari de non gerendis extra ſacra veſtibus myſticis; quandoquidem verba eiuſmodi, *Presbyteri ſine intermiſſione vtantur orariis*, intelligi debent in ſacrificio, eo pacto videlicet vt nunquam diuinum myſterium celebrent ſine orario ſacro, id eſt ſtola illa myſtica, de qua ſemper in diuina actione gerenda à Sacerdote, canones nonnulli in ſynodis antiquis editi ſunt.

Vetuſtiſſimum Concilium Laodicenum, quod ſub Silueſtro Papa & Conſtantino Magno conſedit, c. 23. prohibet minoribus Clericis ſtolam, ſeu orarium perferre, *Quoniam non oportet Lectores, aut Pſaltes, orario vti, & ſic legere aut pſallere.* Imò nec Subdiacono licet, cùm & ipſi Diacono idem prohibeatur ſuperiori canone (can. 22.) *Miniſtrum*

non oportet orario vti: eo ſcilicet modo, quo illud gerit Sacerdos, ſcilicet ab vtroque humero pendens & recta linea à pectore ad genua vſque productum: ſiquidem Diaconus eo quod Euangelium in Eccleſia recitat, orario vtitur, ſed alio ritu, quem hunc in modum deſcribit Toletana IV. ſynodus, *Vnum orarium oportet leuitam geſtare in ſiniſtro humero, propterea quod orat, id eſt prædicat: dextram autem partem oportet habere liberam, vt expeditiùs ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat.* At Sacerdos honorificentiori modo hunc ipſum ornatum gerit, quemadmodum ſtatutum vel teſtatum potiùs legimus in Concilio III. Bracarenſi c. 3. hac verborum ſerie, *Vt ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſanguinis D. N. Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circumſeptus, ita vt de vno eodémque orario, ceruicem pariter & vtrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet crucis;* cuius nimirum memoriale eſt Euchariſtiæ ſacrificium. Epiſcopus verò ſtolam ſeu orarium aliter ac Sacerdos ſimplex geſtare ſolet, non ſcilicet cancellatum ante pectus, ſed rectà ab vtroque humero defluens in genua; Enimuerò encolpium, ſeu pectoralem crucem à collo ſuper pectus pendentem defert, vt opus ei non ſit orarium inflectere in modum crucis, prout decuſſatum gerit ſimplex Sacerdos. Hinc in Pontificali Romano ſub titulo *de conſecratione electi in Epiſcopum:* Cùm procedit conſecrandus ſignatim cauetur, *vt ſtolam ferat* (non in modum Epiſcopi cùm nondum ſit ordinatus, ſed) *in modum Sacerdotis.* Poſt editam verò profeſſionem fidei, Miſſámque inceptam & productam vſque ad finem Gradualis, ita præceptum legitur; *Epiſcopi aſſiſtentes ducunt electum ad capellam ſuam, & ibi depoſito pluuiali, Acolythi induunt illum ſandalia ipſo pſalmos & orationes legente conſuetas, ſi priùs illa non accepit; Tum accipit crucem pectoralem, & ſtola ei aptatur, vt ab humeris dependeat.*

Competit igitur Diacono, Preſbytero, & Epiſcopo, ſtola ſacra, ſeu orarium, proprio cuique modo geſtandum. hinc eſt quòd dum horum ordinum priuilegio exuuntur, videlicet degradatione ſolenni ſummouentur ab ordine, hoc ornatu priuantur celebri exauctorationis ritu.

De Diacono exuendo tam inſigni, quàm priuilegio ordinis hunc in modum habet Pontificale Romanum; *Ablata dalmatica Pontifex degradator amouet degradando ſtolam de humeris, proiiciens eam poſt tergum, dicens; ſtolam candidam quam acceperas immaculatam in conſpectu Domini perferendam, quia non ſic cognito myſterio, exemplum conuerſationis tuæ fidelibus præbuiſti, vt plebs dicata Chriſti nomine poſſet exinde imitationem acquirere, iuſtè à te amouemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.*

Quando verò eam amouet à Preſbytero, Pontifex degradator dicit; *Signum Domini per hanc ſtolam turpiter abieciſti, ideóque ipſam à te amouemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.*

In degradatione Epiſcopi, nihil de auferenda ſtola præſcribitur, quia ſtola tam Epiſcopo, quàm Preſbytero communis eſt, nec confertur

fertur Epiſcopo ordinando propriè vt ſpecialis ornatus, at dumtaxat mitra, Euangelium, annulus, baculus, chirothecæ, quæ res ideo ipſi auferuntur, cùm ſuo deiicitur gradu, hoc eſt apice Pontificali. At poſtea, ſtola & reliquis ſacris veſtibus exuitur, cùm abdicatur ipſo Sacerdotio, & cæteris ordinibus gradatim. Verùm quando ſua dignitate, Antiſtes, aliquâ iniuriâ ſpoliatus, reſtituitur in decus priſtinum, ſignatim reddendam ei ſtolam ſeu orarium; ſimiliter Preſbytero, conſequenter & Diacono, promulgatum legitur his verbis in Concilio IV. Toletano, can. 27. *Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus à gradu ſuo iniuſtè deiectus, ſi in ſancta ſynodo innocens inueniatur, gradus amiſſos recipiat coram altari, de manibus Epiſcoporum: ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum: ſi Preſbyter, orarium & planetam: ſi Diaconus, orarium & albam &c.*

CAPVT VI.

De nomine Orarij.

AB orando dictum, ſunt qui arbitrentur, non obſcuri nominis rituum ſacrorum interpretes; quos ſuprà ſpeciali nomenclatura deſignauimus. Quam ſententiam à Concilio IV. Toletano mutuati videntur, in quo ſic legitur definitum, c. 39. *Vnum orarium oportet Leuitam geſtare in ſiniſtro humero, proptereà quod orat, id eſt prædicat.* Vnde rituales auctores eliciunt orarium ſic eſſe dictum, quòd conceſſum ſit oratoribus ſeu prædicatoribus Euangelij.

Nimius forem ſi ſingulorum hac de re verba, continua iſthic ſerie irem retextum, maximè cùm infrà opportuniore loco, ratio iſta debeat expendi, ſcilicet vbi de ſtolæ ſacræ ſeu orarij myſtico, aut morali ſignificatu, ex Eccleſiaſticorum auctorum ſcitis diſſerendum erit. Verùm iſto loco etymologiæ ſignatæ rationem habere ratam nequeo. Malè ſiquidem exſcriptum fuiſſe orarium arbitror, potiúſque ſcribendum fuiſſe reor *aurarium*, quòd ſcilicet iſte ornatus ſacer non ſtola lanea, non tunica linea: ſed ornatus ſit Sacerdotum inſignis, fulgidúſque, vtpote aureus, ſtamine ſcilicet contextus pretioſo ac ſpecioſo, quo vti Diacono non licet, vt conſtat ex can. 39. præfati Concil. IV. Tolet. ſic ſancientis, *Caueant ergo Leuitæ, gemino vti orario, ſed vno tantùm & puro, nec vllis coloribus, aut auro ornato.* Quòd enim Diaconus non ſit in ordine principante, (vt ait doctus Eſpenceus) ſed dumtaxat in ordine miniſtrante, ſplendido adeò ornatu ipſum inſigniri non decebat. Aurarium igitur dici debet eiuſmodi ornamentum, ſeu ornatum aureum: vnde apud Burchardum, lib. 6. c. Preſbyter; dicitur *ſtola oraria*, ſeu potiùs *aurea*; Qualis ea erat, quam tempore famis, Cyrillus Hieroſolymitanus pretio diſtraxit, vt egenorum inopiæ ſubueniret. Quod ei piaculo Ariani vertentes, inter accuſationis capita, ob quæ illum abdicarunt Epiſcopatu, connumerarunt. Rem geſtam paucis, ſed lucidis verbis Theodoretus, lib. 2. c. 27.

hiſt. Eccleſ. denarrat; quam Socrates & Sozomenus obiter referendo, arctiùs quàm par ſit perſtrinxerunt. *Sed præcipuam* (inquit) *indignationem mouit compoſita de Cyrillo fabula; nam cùm laudatiſſimus Rex Conſtantinus in honorem Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, dediſſet Macario Epiſcopo in vrbe illa veſtem ſacram, qua inſignitus miniſterio ſacri baptiſmatis fungeretur; hæc fuerat pretioſa contexta auro, vendidiſſe eam Cyrillum memorabant, mercatumque eam quendam Cantatorem ſcenicum, qui illa indutus, interſaltandum collapſus interierit &c.* Sed hoc vltimum, vt rectè notat Theodoretus, fabula erat; ſiquidem Cyrillus tempore egeſtatis ſtolam illam pretioſam vendiderat, pio iuuandi dumtaxat miſerorum inopiam, affectu; qui emerant fortè abuſi ſunt ea, at hæc eorum impietas, Cyrilli culpa non fuit. Quòd enim quando vrget ſumma neceſſitas, liceat ſacra vaſa, veſtéſque ad afflictæ plebis ſolatium diſtrahere, res eſt apud Theologos conſtantiſſima: ex quibus videndus Bellarminus lib. 3. de Eccleſia triumphante, c. 6. §. ad quartum, & lib. 2. de Miſſa, c. 14. tit. de vaſis ſacris §. *ſed Caluinus* &c. Cæterùm ſtolam eſſe proprium miniſtri baptiſmi ornatum apud Latinos, & ex vſu communi Eccleſiæ Occidentalis patet, & ex lege in Rituali Romano præſcripta.

Porrò apud Græcos mos idem viget; Quando orat Sacerdos pro Catechumenis inſignem orario adeſſe Diaconum, Balſamo teſtatur: (Vide Euchologium Græcorum recentiùs editum, p. 110. col. 6.) Multò magis cùm baptiſantur; Aſſiſtit enim Diaconus ſolenni officio Pontifici vel Sacerdoti baptiſanti, vt ex ipſo Græcorum Euchologio patet, (Ex Cod. Barberino S. Marci Euchologij, nouæ edit. p. 359.) vbi deſcribitur officium ſacri baptiſmatis. Orarium autem, ſeu ſtolam æquè vſu receptam à Græcis ac Latinis, res eſt à Græcorum rituum interpretibus teſtatiſſima; adeo vt etiam de etymologia nominis Orarij philoſophentur, contendántque ſuam hanc eſſe vocem: Simon Theſſalonicenſis, vbi præſtituit eſſe potiſſimum Diaconi ornamentum, inde etiam dictum putat, *ὠράριον καλεῖται διὰ τὸ ὡραΐζειν τὸν διάκονον τῇ χάριτι, καὶ τῆς δόξης θεοῦ τῷ κάλλει περικοσμεῖν.* Orarium vocatur, vt quod Diaconum gratiæ venuſtate ornet, & gloriæ Dei decore illuſtrem reddat. *At* * *Balſamon orarium* inquit, *geſtare ad ſolos Diaconos ſpectat*; (ſcilicet ex inferioribus Sacerdote Clericis) hi enim Sacerdotibus aſſiſtentes *& ſanctarum orationum myſteria, & piorum exclamationes obſeruantes, eis qui ſunt in ambone Diaconis, per orarium ſignificant, quando fieri debeat pronunciatio ſeu exclamatio, hoc eſt tempus protenſæ orationis pro Catechumenis reliquiſque aliis, & appellatum eſt, ὠράριον ἀπὸ τοῦ ὠρεῖν, quod eſt cuſtodio, obſeruo.*

* Vide Euch____log. p. 110.

Verùm Beda Venerabilis, opuſc. de ſeptem ordinibus, Orarium ab orando, hoc eſt precando, exiſtimat originem ſuam duxiſſe, *Vt bene*, inquit, *orationibus conueniat Orarium, tanquam conueniens veſtimentum officio*; nec enim aſſumi debet à ſacris miniſtris, niſi ſolennis orationis tempore. Arcudius de concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, lib. 6. c. 10. paulò ante finem, rationem aſſignans, cur ſtola Diaconi orarium nuncupetur: *Quòd Diaconus*, inquit, *acceptâ extremitate ſtolæ tribus digitis, inuitat populum*

ad orandum, cantores ad pſallendum, Pontificem ad incipiendum ſacrum: & in ſumma indicat horas atque oſtendit tempus, quo aliquid eſt faciendum. At Diaconiſſæ nihil tale aggredi poterant. Hactenus ex Græcorum ritu Arcudius.

CAPVT VII.

De materia Orarij, & eius ab orali Pontificio diſcrimine.

QVI ab ore deducunt orarium, pro faſcia linea ſumunt, ſiue linteum volunt eſſe oblongum, ori tergendo accommodum. Apud Græcos germana hæc videtur ſignificatio; ſiquidem orarium idem illis ſonat ac *προσώπου ἐκμαγεῖον, linteum ori tergendo paratum.*

Sed hoc ſenſu denotari potiùs manipulum, quàm orarium ſeu ſtolam, perſpicuum eſt. Manipulus enim, & mappula, & ſudarium dici ſolet, *Sudarium ad hoc portamus*, (Amalarius ait lib. 2. de Eccleſ. officiis, c. 24.) *vt eo detergamus ſudores, & ſordes manuum.* quod & Durandus obſeruat, *Sancti Patres*, inquit, *dum ſacra tractabant, & Sacramenta conferebant, mappulas & parua mantilia habebant pro manibus tergendis, quin & abſtergendis lacrymis, vt ex geſtis patet S. Arſenij, de quo venerabilis Beda in Martyrologio 14. Kal. Auguſti: Propter copiam, inquit, & affluentiam lacrymarum quas perpetuò effundebat, manipulum ſeu ſudarium ſemper in ſinu & in manu habuiſſe quo fletum tergeret.*

Orarium ſic itaque ſumitur, pro linteo ori parato, quo facies abſtergitur. Doctiſſimus Goarius in notis ad Miſſam S. Ioannis Chryſoſtomi, auſpicatò monet oraria legi in actis S. Cypriani, eius demortui ſanguini excipiendo à fratribus appoſita, quæ certè nihil aliud erant, quàm linteamina; verùm quænam ſunt illa acta non indicat. Orarij certè nomen in actis vulgatis à Pammelio, non occurrit; in actis à S. Auguſtino & Paulo Diacono viſis & citatis, ſic tantùm legitur, *Linteamina verò & manualia à fratribus ante eum mittebantur.* Extergendis quas fundebat lacrymis præbita hæc fuiſſe à piis ſpectatoribus, Paulus Diaconus in eiuſdem B. Martyris paſſione diſertè ſcribit; *Orauit cum lacrymis*, inquit, *& à fratribus linteamina offerebantur, vnde oculos ſibi tergebat.*

Sed Cardinalis Bellarmini verba inſignia huc percommodè referri poſſunt: *Id habet* (inquit lib. 1. de Sanctorum beatitudine, c. 11.) *praxis Eccleſiæ, mox ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas &c. Certatim etiam adhibuiſſe fideles vaſcula & linteamina colligendo Martyrum pretioſo cruori, teſtis eſt Aurelius Prudentius in lib. de Coronis.* Sed pro linteis eiuſmodi ſumi apud Prudentium vel quoſuis priſcos auctores, Orarium non reperio.

Verum eſt in Concilio I. Bracarenſi, can. 9. ſancitum eſſe, *orarium vt habeat Subdiaconus, ſed Diaconus infra tunicam id abſconſum habeat; Subdiaconus ſuperpoſito ſcapulæ orario vtatur.* Cùm enim antiquiori lege, de-

creto ſcilicet vetuſtiſſimi Concilij Laodiceni prohibitum ſit, orarium ſeu ſtolam ab alio infra Preſbyterum, quàm Diacono geri: neque potuerit Bracarenſe Concilium, quod prouinciale tantùm fuit, tantæ auctoritatis Concilij ac fuit Laodicenum, canones reſcindere; abſurdum videtur vt ius orarij Bracarenſis ſynodus Subdiaconis conceſſerit, quod Laodicenum Concilium ad eos ſpectare non poſſe edixerat, imò vniuerſalis Eccleſiæ praxis, ſemper huc vſque denegauerat, hactenúſque nuſquam conceſſit, at conſtanter interdixit.

Dici poſſet hîc orarium ſumi pro ſudario ſeu manipulo, qui tam Subdiacono, quàm Diacono eſt vſu communis; ſed repugnat textus canonis ſtatuentis, *vt Subdiaconus ſuperpoſito ſcapulæ orario vtatur:* Manipulus enim non imponitur ſcapulæ, ſed brachio ſiniſtro. Satiùs igitur fuerit reſpondere, orarium hîc non poni pro ſacro, ſed triuiali, quemadmodum à Concilio Triburienſi vſurpatum eſt, ſicut fuit ſuprà à nobis expoſitum, quin & euictum.

Hinc in rectam vt lineam redeamus: Orarium ſacrum, ſeu ſtolam myſticam, quidam (vt præſignauimus) volunt nihil aliud eſſe, *quàm faſciam lineam, ſeu linteum oblongum ori tergendo accommodum;* qua perſuaſione confundunt orarium cum ſudario, ſeu ſtolam cum manipulo; ſed abs re, vt patet ex dictis. At palam linoſtimam qua Siluester memoratur iuſſiſſe Diaconos vti ad læuam, nihil aliud eſſe aiunt, quàm orarium, quod lineum ideo fuiſſe volunt. Verùm nec inde quod prætendunt conſequuntur; diſtinguendum enim iterum eſt de orario. Onuphrius Panuinus in interpretatione vocum obſcurarum Eccleſiaſticarum, ex quorumdam quos minimè deſignat ſententiâ, innuit orarium eſſe velum quod Romanus Pontifex, & Archiepiſcopi, ſuper humeros imponunt. Verùm velum iſtud non dicitur orarium, ſed orale: de quo ſic ſcribit Innocentius III. lib. 1. Myſterior. Miſſ. c. 53. *Romanus autem Pontifex poſt albam & cingulum aſſumit orale, quod ſupra caput inuoluit, & replicat ſuper humeros.* Perpendamus ſi hoc ornamentum Pontificale non ſit illud Phrygium, de quo hunc in modum meminit Sugerius in vita Ludouici Groſſi Regis, inter medium & finem, vbi agit de ſuſceptione Innocentij II. Papæ apud S. Dionyſium ab eodem Rege piè, ac verè regaliter facta, in Paſchali celebritate. *Cœnâ ergo Domini apud nos, more Romano, & ſumptuoſo donatiuo, quod Preſbyterium nominatur, celebratâ: venerandam Domini crucifixionem venerando proſecutus, ſanctiſſimæ Reſurrectionis vigilias honore debito pernoctauit. Summo verò mane extrinſecæ via ad Eccleſiam * Martyrum in ſtrata, cum multo collateralium collegio, quaſi ſecretò commeauit: Ibíque more Romano ſeipſos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes, capiti eius Phrygium, ornamentum Imperiale, inſtar galeæ, circulo aureo circinnatum imponunt, albo & palliato equo inſidentem educunt &c. odas perſonando, feſtiuè geminati procedunt.* Vbi Phrygium iſtud videtur aſſerere idem eſſe cum mitra, quæ in Pontificali Romano *Galea* appellatur. Quod ſi ita eſt, longè aliud fuit ab orario, quod ſecundùm Onuphrium, vel ſtola ſacra, vel velum eſt, à capite Pontificis infra mitram defluens in hu-

* *S. Denys de Leſtrée. Prieuré ſitué à S. Denys en France: lieu où il fut inhumé auec SS. Ruſtique & Eleuthere: & duquel depuis il fut transferé auec eux par Dagobert, en la grande Egliſe qu'il baſtit exprés: & en laquelle leurs Reliques precieuſes ont eſté venerées, & conſeruées iuſques à preſent.*

meros. Cæterùm linteum illud æquè differt à ſtola, ac ab ipſa mitra, cui ſupponi ſolebat, vt in mitra conſpicitur Innocentij IV. quæ Auenione oſtenditur.

Vt dicam ingenuè quod ſentio; ex lemmate 5. huius opuſculi cùm euidenter pateat, orarium ſacrum haud aliud eſſe, quàm ſtolam myſticam, qua Sacerdos & Diaconus (diuerſimodè tamen) in diuino miniſterio vti ſolent: ſtola verò ſit ornatus Sacerdotis ſplendidus: (Nam Diacono picturatam coloribus, vel auro textam ſtolam gerere Toletana IV. ſynodus c. 40. prohibuit, ob miniſterij quod Sacerdoti præbet humilitatem) hinc certè conſectaneum euadit ſtolam ipſam, ſeu orarium, faſciam non eſſe lineam, nec itidem linteum oblongum, tergendo ori paratum: ſed plagulam decoram, ornatûs & miniſterij causâ poderi ſeu albæ, tunicæ ſcilicet talari lineæ impoſitam, ſuppoſitam verò caſulæ, quod ad lineas dependentes, tametſi ea parte caſulæ ipſi ſupereminéat, qua collo circumflexa cohæret, eodémque ſtamine ſeu textura fieri ſolet quo ipſa caſula; iampridem enim, vt notat Durandus, *Stola in torquem mutari cœpit.*

CAPVT VIII.

De vſu Stolæ, ſeu Orarij in Eccleſia Dei, Apoſtolicæ ætati coæuo, abhincque perpetuo tam apud Græcos, quàm Latinos: eiuſdémque neceſſitate, diſtricto Eccleſiæ præcepto, innixa.

ORARIA (inquit eruditiſſimus Goarius in Miſſam S. Ioannis Chryſoſtomi) *Apoſtolica inſtitutione primùm fuiſſe in Eccleſiam inducta, ex actis S. Clementis Metenſis apud S. Antoninum, part. 1. tit. 6. c. 26. & ex Baleng ro, lib. 1 c. 38. certo iure tenet Gauantus.* Hæc quidem obſeruatio magni eſt momenti ad declarandam ornatûs Sacerdotalis, de quo agimus, antiquitatem; quæ ex actis S. Clementis præindicatis ætatem Apoſtolicam, qua claruit, attingit. Erat enim hic B. Clemens patruelis S. Clementis Romani Pontificis, Apoſtolorum coadiutoris & ſucceſſoris, vt monimenta Eccleſiæ Metenſis manifeſtè produnt, conſtánſque abhinc traditio Annalibus etiam Eccleſiaſticis à Baronio inſerta, ſufficienter perſuadet.

Si nomini tenacius hæreamus, in actis S. Clementis Metenſis, à S. Antonino loco ſignato memoratis, non fit mentio orarij, ſed ſtolæ; ſic enim refert, vbi liberatam recitat ciuitatem Metenſem, ſimul ab ethnicis ſuperſtitionibus, & draconis immanis exitioſo halitu, ac ferali incurſu: *Sequenti autem die celebratis Miſſarum ſolenniis, & cunctis adſtantibus ſacra communione refectis, ad locum cauernæ ſequente omni populo acceſſit, cum pſalmis & orationibus; præcepitque in nomine Ieſu Chriſti & adiurauit, vt draco ille cum omni ſua prole manſueſceret, ipſúmque ſequeretur ſtolâ ſuâ circumligatus, qui vſque ad flumen deductus, vt imperauerat Sanctus,*

omninò diſparuit; ſicque locus ille ab omni ſerpentum malitia mundatus eſt, vt vix paruus vermiculus ibi reperiatur. Hactenùs S. Antoninus ex actis prædictis.

Ex quibus & Petrus Exquilinus Epiſcopus, lib. 10. Catalogi Sanctorum, c. 113. breuiùs rem geſtam complexus: *Deinde* (ait) *ad amphitheatrum acceſſit, vbi inuocato Chriſti nomine, draconem aliis maiorem, ſtola ſua circa collum cinxit, cúmque vti manſuetum cabalum poſt ſe trahere cœpit, omnibus, vt à Sancto docti fuerant, Kyrie eleiſon, clamantibus & Clementem ſequentibus: ipſe vſque ad flumen vrbi contiguum, quod Salia dicitur, draconem traxit, & in eodem fluuio demerſit, &c.*

Suprà diu aſſeruatam Hieroſolymis prænotauimus ſtolam S. Iacobi Apoſtoli, primi ſanctæ ciuitatis Epiſcopi, diuerſam ab eius podere ſeu tunica linea, cum ipſa & eius ſuperhumerali à Theodoſio Antiſtite Hieroſolymitano tranſmiſſam pretioſo munere ad S. Ignatium regiæ ciuitatis Patriarcham. Item meminimus ſtolæ S. Stephani, quam Helena Auguſta à Macario Epiſcopo Hieroſolymitano ſibi datam Veſuntionenſi Eccleſiæ pia munificentia tranſmiſit. Stolæ S. Vincentij à Rege Francorum Childeberto I. ex Hiſpania in Galliam tranſlatæ, & Pariſiis in ea quam eius titulo extruxit, Baſilica collocatæ infrà miras coruſcationes referemus. In Actis S. Valerij Archidiaconi Lingonenſis & Martyris à Wandalis Gallias inuadentibus obtruncati, legimus, cùm eſſet in ſui agonis procinctu, apparuiſſe ei Angelum ſtolam candidam ipſi deferentem in proximæ pignus victoriæ, ídque in Faſtis Gallicis die ipſo quo lauream martyrij promeruit, nimirùm 11. Kal. Nouembris, ſpeciali nota obſeruâſſe meminimus. In panegyrico ad Paulinum Epiſcopum Tyrienſem apud Euſebium ſuper Encæniis magnæ baſilicæ ab eo erectæ, adfuiſſe Epiſcopos legimus ſtola Sacerdotali inſignes, cæteráque panoplia ſacra conſpicuos. S. Genebaldum Epiſcopum I. Laudunenſem in ſignum pœnitentiæ ſtolam Epiſcopalem depoſuiſſe, quam, poſt exactam in pœnitentia ſeptennem exercitationem, tandem in cœna Domini diuino iuſſu recepit à S. Remigio vnà cum plena officij Epiſcopalis poteſtate, eius ex hiſtoria conſignauimus in noſtro Martyrologio Gallicano, Nonis Septembris, quo die felici exceſſu ad beatas ſedes commigrauit. Honorius I. circa annum Domini 630. S. Birinum ſubinde Epiſcopum Dorceſtrienſem Euangelicæ prædicationis gratiâ in Angliam miſit, qui Chriſti gloriam ibi multis ſignis & virtutibus amplificans, feliciter officio legationis impleto, circa annum 667. vitam hanc labilem cum immortali commutauit; iacuit in tumulo vſque ad tempora Honorij III. hoc eſt annis circiter 600. nam Honorius III. ipſe anno 1216. Pontificatum adeptus eſt; cuius iuſſu corpus ſancti huius Confeſſoris è ſepulchro leuatum fuit ad debitam venerationem, anno ipſius Papæ 8. qui fuit Domini 1222. in cuius inuentione non ſolùm membra integra reperta ſunt, ſed panoplia Pontificalis ferè tota, in hácque duæ ſtolæ; ita enim illa acta habent: *Quæſito ſepulchro & aperto, præſentibus Abbate & Canonicis inue-*

nerunt corpus Epiſcopi integrum cum duplici ſtola & infula rubra è panno ſerico, atque cum cruce è metallo confecta, pectori eius impoſita, denique cum calice ad vmbilicum eius poſito. Et infrà, vbi de Tranſlatione, *Carne in cineres redacta, inuentus quoque eſt annulus, itémque crux plumbea ſuper pectus eius, calix paruus, particulæ veſtimentorum eius, duæ ſtolæ, ſed non integræ &c.* Hìc eſt quod non abs re mireris verba hæc, *calix paruus* *: Eodem enim ſæculo claruit S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, cuius calix aureus, (ab ipſo confectus, nam ante præſulatum aurifaber erat peritiſſimus) in monaſterij Kalenſis prope Lutetiam ſacrario ſeruatur, mihíque à paucis diebus traditus viſendus & contrectandus, huius eſt magnitudinis quæ heminam minorem exæquat: totus verò aureus & lapillis pretioſis per circuitum labri ad extra decoratus, encauſtóque artificioſè eliquato, infuſóque coruſcans.

* Documento eſt, iſte paruus calix: aliquando Sacerdotem, ſine communicantibus, ſub vtraque ſpecie, tam tùc, diuina myſteria celebrâſſe.

Ipſomet ſæculo eluxit omni ſanctitatis ſplendore S. Hubertus Epiſcopus Leodienſis, ex cuius actis indubitatis, hæc in eius natali, 3. Nonas Nouembris ſignauimus memoranda, *Cæterùm de ſtola S. Huberti cœlitus accepta, etſi in dies ibidem aliquid dematur, ea tamen non minuitur, neque decreſcit, quod vt perenne miraculum eſt, ita & perpetuum meritorum tanti apud Deum Cœlitis, monimentum.*

Si luberet per ſingulas centurias excurrere, facile eſſet ex Sanctorum hiſtoriis innumera propemodùm tam conſtantis vſus ſignare monimenta: ſed faſtidioſum eſſet tam prolixæ indagini immorari, quam ſi præſtarem, operam perderem & oleum. Enimuerò ſicut in fidei dogmatibus confirmandis longè differunt Patrum ſententiæ, ab eorumdem teſtimoniis; nam dum de rebus, proprio ex iudicio eloquuntur, priuati tantùm arbitrij pondus habent: at verò cùm non ex ſuo ſenſu, ſed ex iudicio moréque Eccleſiæ quicquam aſſerunt, iam non ſpectantur vt ex ſua opinione loquentes, at vt teſtes oculari attenduntur praxis & iudicij Eccleſiæ ſanctæ, *quæ columna eſt & firmamentum veritatis:* vnde eorum ſuffragia nequaquam vt ſenſata priuatæ cuiuſpiam perſonæ, ſed viua Eccleſiæ oracula cenſenda ſunt. Ita planè de ſtolæ ſacræ vſu (quo ad modum probationis, non autem rei de qua agitur, ipſum pondus) dici poteſt. Tractarunt de Eccleſiæ ritibus auctores plerique non obſcuri nominis; de quibus quum theoria & myſtica analogia propria ex mente diſſerunt, priuati audiunt rei de qua agunt, tractatores tantùm: ſed verò, cùm de re ipſa quæ geritur in Eccleſia Dei, prout ſuis perſpiciebant oculis, referunt, iam non interpretum, ſed teſtium perſonam gerunt, induúntque publicæ fidei auctoritatem. Quamobrem cùm de vſu myſtici orarij, vel ſtolæ Sacerdotalis, aut Leuiticæ, facienda occurrit indagatio, nullum genus probationis eo efficacius eſſe poteſt, (poſt Conciliorum, Pontificum & Patrum expreſſam auctoritatem) quod perhibent ſcriptores de ritu huius ornatus ſuis ſub oculis, in Eccleſia Catholica obſeruato.

At verò vix res vlla alia deſignari poteſt, de qua tractatores rerum Eccleſiaſticarum diſſeruerint, quæ eorum luculentioribus teſtimoniis obſignetur; ſiquidem præter Patres & Concilia, qui huius (vt

ex præmiſſis patet) meminerunt: tractant de ipſa ſtola ex inſtituto, ſua quique ætate, in propriis *de rerum ſacrarum rituúmque* opuſculis. ſcilicet,

Venerabilis Beda, vbi de 7. ordinibus: Albinus Flaccus, Alcuinus lib. de diuinis officis, tit. Quid ſignificent veſtimenta? Rabanus Maurus, lib. 2. de inſtit. Cleric. Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſiaſt. officiis c. 20. inſcripto de Stola; Walfridus Strabo lib. de ritibus Eccleſ. c. 24. Rupertus Abbas Tuitienſis de diuinis officiis lib. 1. cap. 21. Honorius Auguſtodunenſis de antiquo Miſſæ ritu lib. 1. cap. 204. Iuo Carnot. ſermone ſynodico, de ſignificationibus indumentorum Sacerdotalium: Hugo à ſancto Victore de Sacram. part. 4. lib. 2. c. 4. Stephanus Eduenſis lib. de Sacramento altaris, c. 10. Innocentius III. lib. 1. de Myſter. Miſſ. c. 54. Durandus lib. Rationalis, c. 5. Theodorus Balſamo, ad Synodum Nicænam, c. 22. S. Bonauentura in expoſitione myſterij ſacræ miſſæ; Et quoquot abhinc ſacros ritus propriis commentariis explicarunt.

Sed argumenti huius vim augent admodum libri ipſi vtriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ Rituales, vt ſunt Euchologium Græcorum, Rituale Romanum, & Pontificale, libérque ſacrarum cæremoniarum, in quibus cernere licet vix vllum ſacrum munus à Sacerdote exerceri, quin ſtola ſit inſignitus. Profectò ſacrificium tremendum nunquam, abſque amictu, alba, zona, manipulo, ſtola, & caſula celebratur: ſunt enim, vt Theologi conſentiunt, ſex iſta veſtimenta ſimpliciter neceſſaria neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, ad hoc ſacrum myſterium ritè & congruenter obeundum: Quod eliciunt ex cap. *Eccleſiaſt.* d. 23. vbi præcipitur Sacerdoti ſub pœna excommunicationis, *vt cum ſacrificat, ſtola vtatur.* Ex quo ſumitur argumentum à ſimili, vel à paritate rationis ad cætera veſtimenta, de quibus vide cap. *Veſtimenta* diſt. 1. & diſt. 23 c. *Vinum.* diſt. 95. c. *Epiſcopus* 11. q. 3. c. *degradatio, de pœnis* in 6. Verùm cur ſtola ſpecialiter præcipitur? Niſi quia præcipuum Sacerdotis ornamentum eſt. Vnde fit vt cæteris amotis vel omiſſis, ſtola vel ſemper aſſumatur, vel retineatur. In ſacris cæremoniis cauetur aliquoties deponendum eſſe manipulum, retenta ſtola; quæ plerumque ſine alba & amictu, zona & manipulo ſola adhibetur ſuper rochetum, vel ſuperlicium, in iis officiis, quæ extra ſacrificium fiunt à Sacerdote. Nam nullum Sacramentum (exceptâ pœnitentiâ) miniſtrare poteſt abſque ſtolæ ornatu; qua etiam vti debet in omnibus benedictionibus & exorciſmis, vt ex Rituali & Cæremoniali, Miſſalíque & Pontificali Romano prorſus ſit perſpectum: adeo vt minimè opus ſit ſpeciali inductione id oſtendere.

Conſule Paludanum, Soto, & cæteros paſſim in diſt. 4. 13. Silueſtrum, verbo Miſſa: Nauarrum, c. 25. n. 84.

CA-

CAPVT IX.

De Stola myſtico ac morali ſignificatu.

1. QVI ſtolam idem eſſe putant ac orarium, & vtrumque pro ſacro ornatu vſurpant, inde etiam dictum orarium arbitrantur, quòd proprium ſit inſigne oratorum Eccleſiæ, quibus ſcilicet competit prædicare verbum diuinum: ſolis autem Sacerdotibus, & Diaconis (inferiori quodam modo) hoc conuenit munus; cuius & ideo minoribus Clericis inſigne in Laodiceno Concilio prohibetur, ſicut ſuperiùs notatum eſt. Alcuinus primus eorum eſt qui cenſuerit orarij vocabulum ex hoc officio deriuari. Rabanus eum ſecutus eſt, qui de hoc ipſo nomine & vſu, hunc in modum ratiocinatur: *Quintum quoque*, inquit, *eſt, quod orarium dicitur, licèt quidam ſtolam vocent; hoc enim genere veſtis ſolummodò eis perſonis vti eſt conceſſum, quibus prædicandi officium delegatum. Benè etiam oratoribus. Chriſti orarium habere conuenit, & ipſi ſedulò ad verbi miniſterium cohortantur, & plebs ipſis commiſſa, iudicium ſalutare conſpiciens ad meditationem legis concurrere feruentiùs admonetur.* Fauet Concilium IV. Toletanum huic interpretationi, c. 59. qui ſic habet, *Vnum orarium oportet Leuitam geſtare in ſiniſtro humero, propterea quod orat, id eſt prædicat.* Sed hac de etymologia orarij, ſuprà quæ videbantur notanda, conſignauimus.

II. Stolam verò innuere iugum Domini, Amalarius docet: *Stolam* (inquit) *accipit Diaconus quando ordinatur ab Epiſcopo, ipſa enim vtitur in opere miniſterij. Per ſtolam deſignatur onus leue ac ſuaue, de quo Dominus dicit, Tollite iugum meum ſuper vos, iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue; Per iugum, Euangelium intelligimus, de quo dicit Hieronymus in Euangelio Matthæi; quomodo leuius lege Euangelium? Cùm in lege homicidium, in Euangelio ira damnetur. Et paulò pòſt, In lege multa præcepta ſunt, quæ Apoſtolus non poſſe compleri pleniſſimè docet; in lege opera requiruntur, quæ qui fecerit viuet in eis. In Euangelio voluntas requiritur, quæ ſi etiam effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.* Idem cenſet Honorius lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, c. 204. vbi ait, *Deinde circumdat collum ſuum ſtola, quæ & orarium dicitur, per quam obedientia Euangelij intelligitur. Euangelium quippe eſt ſuaue Domini iugum, obedientia verò lorum: quaſi ergo Sacerdos ad iugum Chriſti loris ligatur, dum collum eius ſtola circumdatur.* Eſtque hæc interpretatio formulæ ordinationis Preſbyteri conformis, ſic enim ait Epiſcopus ordinator, Preſbyterum ordinandum alloquens, dum ſtolam ei in vtroque humero imponit, *Accipe*, inquit, *iugum Domini, iugum enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue.*

III. In eodem Pontificali, ſtola dicitur, *ſignum Domini*, quaſi character exterior, quo inſignitus, oſtenditur potens Sacerdotalium functionum, ita enim ait Pontifex in degradatione Preſbyteri: *Signum*

Domini per hanc ſtolam (inditum) *turpiter abieciſti, ideóque ipſam à te amouemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.*

IV. Honorius iam non ſemel laudatus, eſſe etiam indicium arbitratur innocentiæ: hæc eius verba ſunt citato libro, c. 205. cuius eſt titulus, de Innocentia. *Per ſtolam quoque innocentia exprimitur, quæ in primo homine amiſſa, per vitulum ſaginatum, occiſum recipitur: Beati qui hanc ſtolam à criminum labe cuſtodiunt, vel maculatam lacrymis lauant, quia poteſtas eorum eſt in ligno vitæ; ſiquidem, in Chriſto, amiſſam gloriam poßidebunt. hac enim Patriarcha ante legem vtebantur, & primogenita dicebantur: Erat autem veſtis Sacerdotalis, quam maiores natu cum benedictione patris, vt Iacob ab Iſaac, induebant, & victimas Deo vt pontifices offerebant: vnde dicitur, vende mihi primogenita tua. Et iterùm, Stola Eſau, ſtola dicitur miſſa, erat enim veſtis candida pertingens ad veſtigia; ſed poſtquam cœpit portari alba, mutata eſt, vt hodie cernitur, ſtola.* Hactenùs Honorius. In cuius verbis pleraque ſunt, quæ opus habent non leui diſcuſſione: peruium ſiquidem eſt aduertere in eius dictis ſtolam ſumi pro tunica, vel alia quauis veſte qua corpus tegitur, cùm tamen ipſe (vt ex capitulis præmiſſis, & ſuppoſitis patet) ſpecialibus ſub epigraphis differat, de alba & de ſtola, vt propè pòſt, de caſula; quin & in Pontificali Romano, vbi agitur de degradatione ſolenni (quam alij actualem depoſitionem vocitant) diſtinctè fiat ſtolæ priuatio à tunicæ ſpoliatione. Porrò ſtola ſeorſim ſumitur pro innocentiæ ſigno, in Diaconi degradatione: ità enim Pontifex alloquitur exuendum Leuitam ſuo principali ordinis ornatu: *Stolam candidam quam acceperas immaculatam in conſpectu Domini perferendam, quia non ſic cognito myſterio, exemplum conuerſationis tuæ fidelibus præbuiſti, vt plebs dicata Chriſti nomine poſſet exinde imitationem acquirere, iuſtè à te amouemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.* Sed in Diacono, hæc eſt propria allocutio Pontificis. Etenim in ablatione ſtolæ quæ fit in degradatione Preſbyteri, aliis vtitur verbis ipſe Pontifex, vt ex præmiſſis fit perſpectum: hìc enim ſtola dicitur *ſignum Domini*, illic *innocentiæ.* Auguſtius quàm ſit ſignum Domini, innocentiæ indicio ipſa diuerſa vocabula palam deſignant, réſque ſignata per ſe loquitur. Nam ſignum Domini quid aliud eſt in Preſbytero, quàm ſignaculum diuinæ poteſtatis, cuius organum præcipuum eſſe Sacerdotem, Theologorum nemo in controuerſiam vocat, poſtquam S. Hieronymus dixit Preſbyterum eſſe *diuinæ omnipotentiæ organum*, & B. Auguſtinus, ordinationem Preſbyteri eſſe propriè opus Dei: Quaſi in creando Sacerdote Deus Opt. Max. non minùs quàm in creatione mundi, immenſam vim ſuæ omnipotentiæ manifeſtaret. At in Diacono non item. Enimuerò non conſtituitur in ordine principante, ſed in ordine miniſtrante; à miniſterio ſiquidem Diaconorum ordo incepit, quemadmodum elici poteſt ex cap. 6. Actuum Apoſtolorum; vnde S. Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium, de Diaconorum minimè ferendo proprij gradus exceſſu, Diaconum haud aliud eſſe prædicat, *quàm menſarum & viduarum miniſtrum*, id eſt illarum vt diſpenſatorem & œconomum, ſic iſtarum tutorem & cuſtodem; ſeruan-

dis verò mutua cum integritate viduis, inſignis cùm neceſſaria ſit caſtimonia, vt ex doctrina patet S. Leonis ſerm. habito in natali S. Laurentij: idcirco SS. Patres diſcrimen inter ſtolam Sacerdotis & Leuitæ non obſcurum eſſe voluerunt. Splendidam ſiquidem, adeóque auream ſtolam eſſe ſanxerunt Sacerdotis. At verò Diaconi ſeu Leuitæ lineam tantùm, ad candorem & nitorem ſignificandum; quo par eſt inſignitum eſſe, qui pudicitiæ viduarum ſeruandæ ſui iure officij præfectus eſt. Quò ſpectans Concilium IV. Toletanum, c. 40. ſimplicem ſtolam, hoc eſt lineam & candidam Diacono attribuit, coloribus pictam prohibuit, aut auro micantem.

v. Nec vna hac in re ſtolæ Sacerdotalis à Leuitica diſtinctio obſeruanda venit: ſignum eſt in Sacerdote manſuetudinis ac humilitatis, ſed in Diacono ſubiectionis; ſubobſcurè id innuit Amalarius, vbi ſuprà, *Sciat ſe Diaconus* (inquit) *in ſtola ſuperpoſita collo, miniſtrum Euangelij eſſe, non præpoſitum.* Quibus verbis haud aliud intelligit, quàm Diaconum in Eccleſia ordinem principantem non habere, ſed mero miniſterio fungi; legere quidem Euangelium, at id prædicare non illi competere ex officio: ſtola vti, ſed non vt indicio prælationis, at ſigno ſubiectionis; quamobrem hanc dum ordinatur ſuper vnum humerum dumtaxat, ſiniſtrum ſcilicet, accipit, vt ſit expeditior ad miniſterium obeundum. Concilij Antiſſiodorenſis anno 578. celebrati, canon 13. eò ſpectat hoc tenore, *Non licet Diacono velo, vel palla ſcapulas ſuas inuolui.* Cuius canonis vt ſenſus genuinus patefiat, reuocandum eſt in memoriam decretum ſancti Siluestri, *Vt Diaconi linoſtima* (hoc eſt orario lineo, ſeu ſtola, vt ſuprà innuimus) *ad læuam vterentur.* Aduerſus hoc decretum igitur Diaconi aliqui committebant, qui vel orario vtrumque cooperiebant humerum, vel impoſita ſtola ſiniſtro humero, ſcapulas ambas inuoluebant velo, vel palla, ne denudatio humeri dextri cui imponere ſtolam nefas erat, oculis ſpectantium obuerſaretur. Cogit hos in ordinem idcirco Antiſſiodorenſis antedicta Synodus, lege, decreto ſancti Siluestri conſona, dum ſcilicet eis prohibet vtrumque humerum velo vel palla inuoluere: quandoquidem ipſis tantùm hic ſanctiſſimus Pontifex permiſerat, *palla linoſtima ſiniſtrum humerum tegere.*

vi. In Sacerdote non habet locum eiuſmodi reſtrictio; Quin cùm ordinatur, vtrique eius humero ſtolam imponit Pontifex. Præſcriptum hunc ritum cernimus in Pontificali Romano, titulo *de ordinatione Preſbyteri*, ſolenni oratione præmiſſa: *Pontifex ſedet accepta mitra, & reflectit orarium ſiue ſtolam ab humero ſiniſtro cuiuſlibet, capiens partem quæ retro pendet, & imponens ſuper dextrum humerum aptat eam ante pectus in modum crucis ſingulis dicens, Accipe iugum Domini; iugum enim eius ſuaue eſt & onus eius leue.* Pulchrè ad hæc Innocentius III. myſterior. Miſſæ c. 54. *Poſt hæc ſtolam, quæ alio modo vocatur orarium, ſuper collum ſibi Sacerdos imponit, vt iugum Domini ſe ſuſcepiſſe ſignificet, quæ à collo per anteriora deſcendens, dextrum & ſiniſtrum latus adornat, quia per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, id eſt in proſperis & aduerſis Sacerdos debet eſſe munitus; ſtola*

quippe ſignificat ſapientiam vel patientiam, de qua ſcriptum habetur, Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis promiſſiones.

VII. Idem verò Pontifex Innocentius, eodem lib. c. 38. ſtolam ſignum eſſe docet obedientiæ & ſeruitutis. *Stola quæ ſuper amictum collo Sacerdotis incumbit, obedientiam & ſeruitutem ſignificat, quam Dominus omnium propter ſalutem ſeruorum ſubiuit. Nam cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; exinaniuit enim ſeipſum formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem. Cauſam quippe mortalitatis nec contraxit origine, nec commiſit in opere: quia quod non rapuit, hoc exoluit. Dedit enim illi calicem pater: non iudex, amore non ira, voluntate non neceſſitate, gratia non vindicta. Hic eſt ille Iacob, qui parens præcepto patris Iſaac, & conſilio matris ſuæ Rebeccæ, ſeruiuit Laban, vt Rachel & Liam duceret in coniugium.* Quæ verba eadem ſerie Innocentius ex Ruperto exſcripſit lib. 1. de diuinis officiis, c. 21. Verùm paulo luculentiùs Rupertus, ſubnectit enim, *Sic filius Dei præcepto patris & conſilio Spiritus ſancti obediens, ſeruiuit mundo, ſubiectis eius humeris peccata portando, vt ſynagogam de Iudæis, & Eccleſiam de gentibus aſſumeret. Cùm ergo Sacerdos ſtolam accipit, meminiſſe debet & ſcire, quia grande iugum licèt ſuaue.*

VIII. Verùm ſi ſtola, ſeu orarium, eſt prædicantium inſigne, vt citati primo loco auctores cenſuerunt; myſtica ex eo elicitur ratio, quòd ſtola ipſa à collo duabus lineis hinc inde ad genua dependet: ſcilicet quoniam omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum: deſurſum enim verbum veritatis, verbum gratiæ & ſalutis deſcendit, omníſque diuina ſcriptura duabus partibus conſtat, nimirum vetere & nouo Teſtamento, Lege & Euangelio, vtrumque verò duobus præceptis charitatis continetur, dilectionis Dei ſcilicet & proximi. Inſtare porrò ex officio debet Sacerdos iis incutiendis fidelibus Chriſti, tam eorũ auribus, quàm cordibus, importunè, opportunè inclamando, arguendo, obſecrando: & quod ſummum eſt ſeipſum præbere exemplũ fidelium in verbo & conuerſatione: debitor enim eſt doctrinæ ſalutis & ſanctæ operationis iuſtis & iniuſtis, fidelibus & infidelibus, ſtultis & ſapientibus, ſanis & infirmis, diuitibus & pauperibus, omnia omnibus debet fieri, vt omnes Chriſto lucrifaciat, ſuæque & eorum ſalutis perpeti ſtudio inſiſtere, iuxta illud Apoſtoli ſuum Timotheum (1. Timot. 4. 16.) edocentis: *hæc meditare, in iis eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus*, (ſicut ſtola à collo in anteriora dependens vtraque ex parte patet) *Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis* (Nec enim ſatis eſt inhiare ſcientiæ, & aliorum inſtructioni ac ædificationi, perenni ſtudio eſſe defixum, niſi ſalutis propriæ curam ipſe geras) *Hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Hic finis eſt miniſterij ſanctificationis, quo Deus ſuos Sacerdotes honorauit. Id porro eſt quod Eccleſia enixis à Deo precibus efflagitat; cuius vota Pontifex Deo offerens in ordinatione Preſbyterorum ſic orat: *Da quæſumus omnipotens pater, in hos famulos tuos Preſbyterij dignitatem, innoua in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, vt acceptum à te Deus, ſecundi meriti munus obtineant, cenſurámque morum exemplo ſuæ conuerſationis inſinuent; ſint prouidi cooperato-*

*res ordinis noſtri, eluceat in eis totius forma iuſtitiæ, vt binam * diſpenſationis rationem ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur. Per eundem Dominum noſtrum &c.* Deinde poſtquam iis ſtolam vtrique humero impoſuit, ſupráque contulit caſulam, ita proſequitur preces; *Deus ſanctificationum omnium auctor, cuius vera conſecratio plenáque benedictio eſt: tu Domine ſuper hos famulos tuos quos ad Presbyterij honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, vt grauitate actuum & cenſura viuendi probent ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, vt in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur: iuſtitiam, conſtantiam, miſericordiam fortitudinem, ceteráſque virtutes * in ſe oſtendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purum & immaculatum miniſterij ſui donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ, panem & vinum in corpus & ſanguinem filij tui immaculata benedictione transforment, & inuiolabili charitate in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die iuſti & æterni iudicij Dei, conſcientiâ pura, fide vera, Spiritu ſancto pleni reſurgant. Per Dominum noſtrum &c.*

* *bonam*

* Innocentius III. ait ſtolam ideo ante pectus Sacerdotis inflecti; atque cum zona nexibus quibuſdam colligari, quia virtutes virtutibus ſocientur, lib. 1. c. 54.

Atque hactenùs ſatis pro inſtituto de ſtolæ tam myſtica theoria, quàm morali ſignificatione.

CAPVT X. ET VLTIMVM.

De Sanctorum per ſtolam Sacerdotalem, & Leuiticam, miris operationibus.

VIM aliquam diuinam inſitam eſſe ſtolæ Sacerdotali, Eccleſia nonnullis innuit indiciis. Siquidem dum ſuper ægrotum Euangelicam Sacerdos aliquam lectionem recitat:(qui mos iam inoleuerat tempore Origenis, vt ipſe ſuis in Celſum libris aſſeuerat, cui aſtipulantur S. Auguſtinus tract. 7. in Ioann. S. Hieronymus in cap. 23. Matth. S. Chryſoſtomus in 1. Cor. hom. 43. & in orat. *quòd Chriſtus ſit Deus.*) ſtolæ extremam partem ſuper caput ſupplicis extendit, abſolutáque lectione Euangelica, ipſam ſtolæ extremitatem venerationis gratiâ eidem præbet oſculandam. In Rituali Romano tit. de exorcizandis; *Sacerdos auxilio diuinô piis precibus imploratô, ſuperpelliceo & ſtola violacea, cuius extrema pars ad obſeſſi collum circumponatur, indutus: & coram ſe habens obſeſſum ligatum* (ſi fuerit periculum) *eum, ſe, & aſtantes communiat ſigno crucis* &c. Vt quid verò ad obſeſſi collum Eccleſia iubet circumponi Sacerdotalem ſtolam? quam *nec Diacono portare fas ſit,* eruditiſſimo Duranti ſi credimus, *de ritibus Eccleſiæ Catholicæ* lib. 2. c. 9. Stola præcipuum eſt inſigne Sacerdotij, ideóque eius auctoritatis vim exerere non modicam, Eccleſia ipſa exiſtimat. At profectò non abs re, ſicut patet ex Sanctorum qui fide & opere Deo placuerunt, tam dictis quàm geſtis; quorum ſelecta quædam exempla, operæprecium cenſui hîc in gratiam pij lectoris expromere.

§. I.

Ex Actis S. Clementis I. Metenſis Epiſcopi, *relatis à S. Antonino part. 1. tit. 6. c. 26. & Petro Epiſcopo Exquilino, lib. 10. Catalogi Sanctorum, cap. 113.*

DE ſerpente ſtolâ circumligato, tracto, & in flumen demerſo per ipſum ſanctum Epiſcopum, S. Clementis Romani Pontificis patruelem, vide ſuprà c. 8. ipſo ſub initio, quo rem geſtam propriis Scriptorum verbis expreſſimus.

§. II.

Ex Actis S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis: *Qui ætate compar fuit S. Silueſtro Papæ, auctore Fortunato Epiſcopo.*

EXEQVAMVR *& illud triumphale myſterium, quod cùm ſit vltimum ordine, anteponitur in virtute. Matrona quædam proſapiâ quidem nobilis, opinione vilis, malo maculans crimine, quod fulgebat ex genere: Poſtquam dies fugitiuæ vitæ rapta luce concluſit, ad tumulum pompa comitante, ſed non profutura proceſſit: quo condita (horreſco de ea hoc referens) contigiſſe poſt funera, quia duplex naſcitur lamentatio de defuncta. Ergo ad conſumendum eius cadauer cœpit ſerpens immaniſſimus frequentare, & vt dicam clariùs, mulieri, cuius membra beſtia deuorabat, ipſe draco factus eſt ſepultura: ſic infelices exequias ſerpentibus baiulus impendebat, vt poſt mortem quieſcere non liceret: & cui vitæ finis in vno loco iacere conceſſerat, ſemper mutabatur in pœna. O caſum execrabilem, & valde timendum! mulier quæ coniugij integritatem non ſeruauit in mundo, integra non meruit iacere in ſepulchro &c. Tunc ex eius familia qui in ciuitate manebant, audientes ſtrepitum & pariter concurrentes, viderunt ingentem belluam, de tumuloſis anfractibus exeuntem, & vaſta mole cadauer flagellante labantem: Quo nimis perterriti homines de ſuis ſedibus migrauerunt. Hoc cognito B. Marcellus intelligens de hoſte triumphum acquirere, collecta plebe de ciuitate progreditur, & relictis ciuibus in proſpectu populi ſolus Chriſto duce ad locum pugnaturus acceſſit, & cùm coluber rediret ad tumulum, obuiantes ſe inuicem, dante orationem B. Marcello, ille capite ſupplici cœpit veniam blandiente cauda precari: Tunc B. Marcellus caput eius baculo ter percutiens, miſſo in ceruicem ſerpentis orario, triumphum ſuum ante ciuium oculos extrahebat. ſic in ſpirituali theatro ſpectante * ſolus cum dracone pugnauit. Hinc confortatus populus cucurrit ad Epiſcopum cupiens hoſtem ſuum videre captiuum. Tunc præcedente Pontifice, beſtiam fere tribus millibus omnes proſecuti ſunt, reddentes gratias Domino & ſoluentes exequias inimico. Deinde increpans eum B. Marcellus dixit, Ab hac die, aut deſerta tene, aut in mare te demerge: Mox dimiſſa bellua, nulla eius vlteriùs indicia ſunt inuenta.* Meminit obiter huius hiſtoriæ S. Gregorius Turon. lib. de gloria Confeſſorum hunc in modum; *Marcellus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, qui quondam, vt in eius vita legitur, ſerpentem immenſum hoc depulit ab oppido, & nunc in ipſius ciuitatis vico quieſcit &c.*

* deeſt, *populo*,

Affinia ita ſunt hæc Acta S. Clementis, & B. Marcelli, vt vix conſimilia magis dari poſſint, exceptis enim circumſtantiis locorum, perſonarum & temporis: quoad actæ rei ſubſtantiam prorſus adæquantur. In vtriſque ſiquidem draco vel ſerpens Sacerdotali ſtola conſtringitur, extrahitur, & demergitur in aquarum vortices. Nihil porrò familiarius eſt in ſacris litteris, quàm Diabolum draconis magni & ſerpentis antiqui vocabulis deſignari: hinc in forma exorcizandi in Rituali Romano præſcripta, legitur Euangelium in quo Dominus recitatur dixiſſe Apoſtolis, *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici:* (Luc 10.) hæcque ſubiungitur oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, Verbum Dei Patris, Chriſte Ieſu, Deus & Dominus vniuerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere, dæmones effugate.* Et in poſtremo exorciſmo ita Sacerdos dæmonem alloquitur & compellit; *Diſcede ſeductor, tibi eremus ſedes eſt, tibi habitatio ſerpens eſt.* Pridem ſic etiam Sacerdos compellabat dæmonem teſte Prudentio in Apotheoſi.

.... Torquetur Apollo
Nomine perculſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt ....
Intonat Antiſtes Chriſti, fuge callide ſerpens.

Serpens eſt enim diabolus, qui primum odij ſui virus in hominem ore ſerpentis euomuit, hácque figura perſæpe abuſus eſt ad humanum genus infeſtandum. Nec dubium quin Metis, & Pariſiis ſub eadem figura graſſaretur, pérque exitioſa hæc animalia ſuum virus ſpargeret, in incolarum exitium. In hac igitur ſpecie à SS. Clemente & Marcello ligatur Sacerdotali ſtola, manúque Pontificali tractus & expulſus eſt. Cùm collo energumeni iniicit ſtolam Sacerdos, vt præcipit Ritualis liber, non tam hominem hoc vinculo ligat, quàm pſeudo-dæmonem illum infeſtantem ſacro nexu conſtringit. Cuius virtutem rurſum innuit iſte ritus eodem in libro expreſſus: *Deinde Sacerdos muniens ſe & obſeſſum ſigno crucis, circumpoſita parte ſtolæ ad collum eius, & dextera manu ſua capiti eius imponens, conſtanter & cum magna fide dicat.† Ecce crucem Domini, fugite partes aduerſæ. Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid,* Draconem ſcilicet illum immanem, de quo prædictum erat pſal. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

§. III.

Ex Actis S. Mauri Abbatis & Leuitæ, diſcipuli S. Benedicti, *à Fauſto eius æquali & ſocio conſcriptis, & à Bonifacio Papa probatis, Cap. 2.*

DVM *quodam tempore ſanctiſſimus Benedictus à quodam nobiliſſimo ſecundùm ſæculi dignitatem viro exoratus fuiſſet, vt ad domum eius dignaretur per ſemetipſum accedere, quo vxorem eius & filium, quem nuper enixa*

fuerat, à dæmonio, quo grauiſsimè pariter vexabantur, ſuis ſanctis meritis & orationibus liberaret; & Sanctus Domini pro eo quod ei familiaris pro aliquibus operibus ab eo religiosè geſtis exiſteret, ire non diſtuliſſet: beatiſſimus Maurus, qui tunc in noſtro Monaſterio, imperio ſanctiſsimi Patris, Præpoſiti, ac totius Cœnobij procuratoris & adminiſtratoris poſt ipſum fungebatur officio, cum fratribus ad fruges colligendas longiuſculè à monaſterio eſt egreſſus. A quo opère dum ad ſextam operationis horam cum eiſdem rediret fratribus, antequam ad portam ventum fuiſſet monaſterij, claudum quendam & mutum puerum inuenit in itinere. Cúmque pater & mater pueri, eius pedibus aduoluti, & cum clamore valido & lachrymis, terribile Dei nomen obteſtantes, vt filium ſuum eis ſanum redderet, genua eius firmiſsimè vtriſque conſtringentes manibus, precarentur, refugit pauore nimio: tale attentare miraculum, ſe peccatorem eſſe, nec talis vllo modo operis effectorem vociferans poſſe fieri. Maximè (inquit) cùm hæc Sanctorum ſint opera Apoſtolorum, aliorúmque perfectorum, qui eorum exempla credendo & imitando ſectantur. Nos ergò hæc ab eo dici audientes, ſimul & perfectam, Deóque acceptam ad talia peragenda eius vitam & meritum ſufficere cognoſcentes, iuncti parentibus pueri, pro reſtitutione ægroti eum rogare cœpimus: At ille vt erat piiſſimus, lachrymis perfuſus, atque in orationem proſtratus, poſtquàm diutiſſimè orauit, ſtolam, cum qua eodem anno iubente magiſtro ſuo ſanctiſsimo, ordinatus ad miniſterium fuerat Leuiticum, & quam iuxta morem gratiâ ſanctitatis, primo indeſinenter ferebat anno, collo protulit, & ſuper caput infirmi, crucis ſignum faciens poſuit, atque ad cœlos oculos dirigens dixit: Domine Ieſu Chriſte, qui diſcipulis tuis polliceri dignatus es dicens, Amen dico vobis, quia omnia quæcumque orantes petieritis, credite quia accipietis & venient vobis: Oſtende etiam nunc, quia & nos ſerui tui exigui licèt & peccatores, in te, & in verbis tuis ſanctis prout ipſe largiri dignaris, eandem fidem habemus. Et hæc dicens, ait ad debilem, In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, adiutus meritis ſanctiſsimi magiſtri noſtri, ſta ſanus & incolumis ſuper pedes tuos rectus: & continuò ſoſpitati redditus, cœpit rectiſsimè ante nos pergere, ac Deum voce exultationis & laudis benedicere dicens, Benedictus Deus, creator omnium qui me redintegrare dignatus eſt meritis ſanctiſsimi ſerui ſui Benedicti, per beatiſsimum ſeruum eius Maurum. Perfectiſsimus ergo Benedictus, cùm reuerſus ad monaſterium ſanatis pro quibus ierat fuiſſet, nobiſque narrantibus & laudantibus Deum, ea quæ contigerant comperiſſet, in magna deinceps admiratione ac veneratione Beatiſsimum Maurum habere cœpit; nec iam loco diſcipuli cenſebat æſtimandum, quem ita Deo proximum cenſebat effectum. Hactenùs Fauſtus oculatus teſtis, in vita S. Benedicti.

§. IV.

Ex Francorum hiſtoria, de Stola S. Vincentij Archidiaconi & Martyris.

Ado Viennenſis, in Chronico, ætate 6. ſub ann. Domini 527.

CHILDEBERTVS, *& Clotarius Reges Francorum Hiſpanias vaſtant: Cæſarauguſtam circumdantes obſident: ſed ciues tunicam S. Vincentij marty-*

martyris circumferentes miſericordiam rogabant; qua de re flexi reges Childebertus & Clotarius, pace compoſita, in munera ſtolam beatiſſimi Vincentij martyris à Cæſaraugustanis acceperunt. Pariſios reuerſus Childebertus, Eccleſiâ in venerationem beatiſſimi Vincentij martyris conſtructa, eandem ipſam ſtolam in eadem ipſa Eccleſia repoſuit. Vide Gregor. Turon. hiſt. Franc. lib. 3. c. 29.

Aymonius cenſuit ſtolam quam ſuſcepit Childebertus à Cæſarauguſtanis ipſam eſſe tunicam S. Vincentij. *Pontifex* (Cæſarauguſtæ ſcilicet) *nihil moratus eiuſdem inclyti Leuitæ & Martyris, ſtolam, id eſt tunicam, regibus offert, quam illi condigno honore ſuſcipientes, obſidionem iuxta promiſſum ſoluunt;* At fallitur, dum (lib. 2. de geſtis Franc. c. 19.) ſtolam cum tunica confundit. Palam eſt enim res diuerſas fuiſſe tam ex Adonis ſuprà citatis verbis, quàm Sigeberti hoc patenti teſtimonio ad annum 542.

Lotharius & Childebertus, fratres, obſeſſâ in Hiſpaniis Cæſarauguſta, ciuibus Deum orantibus & circumlata Vincentij Martyris tunica, accepta ab eis pio munere ipſius Martyris ſtola, redeunt adquiſita Hiſpaniæ parte maxima. Hinc enim palam eſt Cæſarauguſtanos tunicam & ſtolam S. Vincentij tum apud ſe habuiſſe: Regibus noſtris dediſſe quidem ſtolam, at tunicam penes ſe retinuiſſe, cuius præſidio ab obſidione tam graui erepti fuerant.

Hiſpani Scriptores aſſerunt fuiſſe byſſinam auro intertextam, candidam: nec totam datam Childeberto, ſed partem reſeruatam fuiſſe, quæ etiamnum oſtenditur Cæſarauguſtæ, materia byſſina, colore candida, cruore Martyris reſperſa.

§. V.

Ex Actis antiquiſſimis Sanctorum Martyrum Iuliani, Celſi, Antonij, & Sociorum, *qui Antiochiæ tempore Diocletiani paſſi ſunt* 8. *Ianuarij die, cap.* 13.

EA nocte cùm in Dei laudibus epularentur Iulianus ſanctus, & Socij eius, in ipſo media noctis ſilentio, adeſt multitudo Sanctorum cum Sacerdotibus, qui iam martyrij palmam adepti fuerant, omnes ſtolis albis induti, &c. in qua multitudine ſola vox Alleluia reſonabat &c.

§. VI.

Ex Actis MSC. Sanctorum Martyrum Fructuoſi, Epiſcopi Taraconenſis, Augurij & Eulogij Diaconorum, *qui ſub Valeriano & Galieno coronati ſunt.*

ÆMILIANO *etiam qui eos damnauerat, Fructuoſus pariter cum Diaconibus ſuis oſtendit ſe in ſtolis repromiſſionis, increpans pariter & inſultans nihil illi profuiſſe, quod fruſtra exutos à corpore in terra crederet futuros, quos cerneret glorioſos. O beati Martyres! qui igne probati ſunt, vt aurum pretioſum, veſtiti lorica fidei & galea ſalutis, qui coronati ſunt diademate, & corona immarceſſibili &c.*

Prudentius in hymno de ipſis Martyribus: de ſtolis quibus poſt glorioſum agonem inſignes apparuerunt, ita cecinit,

Sed ne relliquias reſuſcitandas,
Et mox cum Domino ſimul futuras,
Diſcretis loca diuidant ſepulchris;
Cernuntur ſtolis niueis amicti,
Mandant reſtitui, cauóque claudi
Maſtim marmore, puluerem ſacratum.

§. VII.

Ex Actis S. Valerij Diaconi, *in Martyrologio Gallicano relatis, die* 22. *Octobris.*

A ſancto Deſiderio Lingonenſi Epiſcopo, Archidiaconus, ob caſtæ mentis decora creatus eſt. Perſecutione autem Wandalorum ingruente, hanc vt declinaret, cum aliis iter Sequanicum ingreſſus, ad Alpium Jurienſium perrexit partes; ibi aliquantulum temporis, dum vis perſecutionis deſerueſceret exacturus. Ac inde vergens quo cœperat itinere, peruenit ad locum, quem incolæ ex antiquo portum Buxinum appellitant, vbi à barbaris illis interceptus, vir in Chriſti confeſſione immobilis, dignáque fidei victima, obtruncatione capitis immolatur. Cui Angelus in procinctu agonis apparens, ſtolam obtulit candidam in proximæ pignus victoriæ.

§. VIII.

Ex geſtis S. Huberti, Epiſcopi Leodienſis, *ibidem relatis, die* 3. *Nouembris.*

PIo voto Romam profectus eſt, ad Apoſtolorum limina adoranda; vbi dum exiſtit, Lambertus (Epiſcopus Traiectenſis) *ab impiis propter veritatis teſtimonium & aſſertionem iuſtitiæ immolatur. Ipſo die Sergius Papa diuino nuncio admonitus Hubertum cœlitùs deſignatum, renitentem quamuis conſecrauit mactati Epiſcopi ſucceſſorem, qui ſtolâ è ſuperno miſſa honoratus, ad Sedem deſtinatam veniens, à Traiectenſibus multa cum reuerentia ſuſcipitur, & à Clero in cathedra Pontificali collocatur.* Et infrà: *Cæterùm de ſtola ſancti Huberti cœlitùs accepta, etſi in dies ibidem aliquid dematur, ea tamen non minuitur, neque decreſcit: quod vt perenne miraculum eſt, ita & perpetuum meritorum tanti apud Deum cœlitis monimentum.*

Extat ad calcem Appendicis ad ipſum Martyrol. Gall. p. 1244. & 1245. numero 34.

Ex nomenclatura Sanctorum Galliæ Medicorum, *qui dona opitulationum habent, & contra diuerſos morbos, aduerſóſque caſus patrocinantur.*

HVBERTVS *Leodienſis Epiſcopus Confeſſor, curat à morſu canum rabidorum:* ſcilicet ſacræ ſuæ ſtolæ applicatione, ſeu modicæ eius partis contactu.

§. IX.

Ex Actis S. Leonis Papæ IX. antea Epiſcopi Tullenſis, *quæ Wibertus Archidiaconus conſcripſit, lib. 1. c. 4.*

CVM *ibidem pariter educarentur prædicti pueri, Domini Brunonis* (is ipſe eſt Leo IX.) *genitrix ſomnio eiuſmodi edocetur de futura promotione filij ſui. Nam videbat quaſi ſeipſam à parte Pontificalis Cameræ (Tullenſis) venerandam Baſilicam Beatiſsimi Protomartyris Stephani, credi: ſanctæque memoriæ præſulem Gerardum, in vita & poſt mortem clarificatum miraculis, occurrere ſibi, ac ſoluentem à propria ceruice orarium, quod vulgò ſtola dicitur, eidem repoſuiſſe in manica. Quod vtique, ceu coniici poteſt, illud portendebat quod filium ipſius non tam Sedis ſuæ, quàm boni ſtudij ſucceſſorem cœlitus præſtituebat. Nam cùm quintus à B. Gerardo, reuerendus Bruno computetur, & non ab aliquo ſequacium eius videtur prælectus, quoniam Deo annuente eum præ illis eſt imitatus.*

Cæterum mihi non contemnenda obſeruatio hîc exciderat, ipſa ex veneranda antiquitate deprompta: ſiquidem Elias Cretenſis in orat. 1. S. Gregorij Nazianzeni, quæ inſcribitur *Apologeticus*; notat Sacerdotalem eius ſtolam, ea habitam obſeruantia, vt non liceret niſi ſacris miniſtris eam attingere: geſtare autem fas cuipiam non erat, propter ſingularem tanti Pontificis & doctoris reuerentiam.

PRIMÆ PARTIS
PANOPLIÆ SACERDOTALIS
LIBER SEXTVS.
DE CASVLA.

CAPVT PRIMVM.
Variis nominibus plerumque, res eaſdem apud Eccleſiaſticos Auctores deſignari.

COGNITIONEM rerum perire, niſi earum nomen ſciueris, eximia eſt ſancti Iſidori ſententia: Nomen enim à noſcendo dictum eſt, vnde nomen vult S. Auguſtinus dictum quaſi notamen, ſeu indicem rei, quam aliqua cum conuenientia deſignat. Nomina enim apud veteres ratione aliqua ponebantur. Tritior eſt, quâ vocabulum vi ipſa vocis, ſuáque ipſa etymologia rei cui imponitur, conſonat. Hinc anſam arripuit præfatus Iſidorus, libros contexendi etymologiarum ſeu originum; pluréſque etiam recentiores, qui etymologica, onomaſtica, aliáque id genus opuſcula de vocabulorum origine & ſignificatu conſcripſerunt.

S. Auguſtin. de Geneſi ad litteram.

Vnus fuit ſuperiori ætate Onuphrius, ſolertiſſimus certè antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator, qui tractatum edidit de vocum Eccleſiaſticarum interpretatione, quæ obſcuræ vel barbaræ videntur, quatuor in particulas digeſtum: Prima inſcribitur *de officiis ſeu magiſtratibus Eccleſiaſticis*; ſecunda *de ſacris ædibus & partibus earumdem*; tertia *de illarum ornatu*; quarta *de generibus veſtium*: de quibus, vt eruditè, tamen arctiùs quàm optandum fuiſſet, Vir ille doctiſſimus diſſeruit; per modum ſiquidem indicis potiùs quàm tractatus de his agit, quæ prænotat in titulis. Duo autem paſſim obſeruat, ſiquidem vel elicit lumen ex etymologia ipſius nominis, vel ſi hæc deficit, obſcu-

rum nomen alio notiore vocabulo dilucidat. Vix enim ſunt res, aut munera, veſtes, vel ornatus, in vſu Eccleſiæ, quæ diuerſis nominibus non denotentur. Sed duo paſſim annotat, tametſi plura ſint, quibus res eadem deſignatur. Non hîc per ſingula exſpatiari licet, quandoquidem de veſtibus ſacris Sacerdotum agimus, iis ex inſtituto opere, par eſt nos immorari.

Conſtat ex præcedentibus opuſculis, velamen illud quo myſta ſacer obnubit caput, *amictum* vocitari, *anabolagium*, vel *anaboladium*, *humerale* & *ſuperhumerale*, *mitellam* etiam & *amiculum*: Lineam tunicam talarem, *albam* dici; *camiſiam* vel *camiſium*, & antiquiori denominatione, *poderem*: Zonam qua præcingitur, *cingulum*, *baltheum* vocitari: Siniſtri brachij ornatum, dici *manipulum*, *mappulam*, *fanonem*: Faſciam illam quam à collo cancellatam ſuper pectus, indéque ad genua vtrinque gerit defluentem, *ſtolam* appellari, nec non *orarium*. Porrò veſtis ſuperior Sacerdotalis, quæ quod cæteris ſuperimponatur, præcipuúſque ſit Sacerdotis ornatus, in Pontificali abſolutè dicitur *veſtis Sacerdotalis*. De quibus, quoniam hoc tractatu de ſacro illo veſtimento diſſertamus, ſigillatim impræſentiarum eſt dicendum.

CAPVT II.

De penula, planeta, & Caſula vocabulis.

DVæ poſtremæ vòces apud Scriptores Eccleſiaſticos, qui de ritibus ſacris tractauêre, tritæ ſunt & inſignes: Prima, videlicet penula, à S. Paulo vſurpata legitur 2. Timoth. 4. vbi ſcribit, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Hoc ſolo Scripturæ loco eiuſmodi vocula exarata reperitur. Nec leui æſtu deſudant interpretes, quo Pauli aſſequantur mentem, qua de re ſcilicet ſit iſthic elocutus. Celebriores horum ſententiæ inferiùs proprio ſub lemmate excutientur; hîc de ſola nominis ſignificatione, cardo vertitur. Si huius originem attendimus, Græcam eſſe palam eſt, dictam nimirum penulam ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, ἐξ ὅλου, quia ſcilicet tota videtur, & totum corpus oberrat. Hinc & planetam dici Onuphrius cenſet; *Caſula*, inquit, *aliàs planeta, genus veſtis, in ſacris à Chriſtianis Sacerdotibus vſurpata* ἀπὸ τῆς πλάνης, id eſt ab errore dicta, quoniam cùm latiſſimo initio & manicis abſque eſſet, eius limbus ſuper brachia & ſcapulas proiectus errabundus totum corpus circumiret. Alludit igitur hæc nuncupatio ad ſydera erratica, quæ Planetas vocitamus, incertum quòd curſum habeant, innatáque ſibi oberratione ab aſtris, quæ fixa ſunt, diſcernantur*.

Rabanus Maurus eò nomen ipſum Caſulæ reflectit; *Septimum*, inquit, *Sacerdotale indumentum eſt Caſula, quæ ſicut caſa quædam, alia omnia tegit & complectitur.* Hac igitur acceptione, *caſula* quaſi *parua caſa* dicta eſt. Frequenter in veterum Regum Franciæ Capitularibus* occur-

* Planetæ ſunt ſtellæ errantes, dictæ, quòd præter motum primi mobilis, quo ab Oriente ad Occidentem rapiuntur, peculiarem quendam illique cōtrarium curſum tenent, variis, & vtiliſſimis conuerſionibus, quas Aſtronomia demonſtrat.

* *Cap. l. 1. c. 68, & l. 4. c. 75.*

runt vocabula, caſamentum, caſata, caſati homines & caſales, quæ à caſa deriuantur; caſamentum enim eſt domus ruſtica; caſales, ſerui domeſtici. In teſtamento Caroli Magni caſates, ſeu caſati pro iis ſumuntur, qui à Dominis ſuis caſas & domicilia obtinebant. In eodem fit mentio de mancipiis non caſatis, id eſt nondum donatis caſamento ſeu habitaculo ruſtico. Pro prædio beneficiario ſubinde caſamentum inualuit, quod clientelari iure nobiles etiam tenebant à feudorum dominis: hinc illud S. Bernardi, ep. 39. ad Theobaldum Campaniæ Comitem; *Noſtrum*, inquit, *ac veſtrum pariter Epiſcopum* (id eſt Lingonenſem) *abundantiori, vt decet, honore ſuſcipiatis, & de caſamento quod tenetis, homagium quod debetis, reuerenter ei & humiliter offeratis.* Cæterùm caſa, à qua deducuntur caſati & caſamentum, domicilium eſt cum prædio, hinc illud S. Paulini, *Age & apud ſanctum Presbyterum, fratrem Exuperium, vt in caſa Eccleſiæ terrulam qua victum ſuum procuret accipiat.* ep. 21. quæ 2. eſt ad Amandum, circa finem. A caſa igitur dicta eſt caſula quaſi parua caſa, qua totum corpus tegitur, vt domo eius habitator circumdatur.

Cæterùm Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus in ſcholiis ſuis eruditiſſimis in Epiſtolas S. Hieronymi, ep. 4. quæ de morte Nepotiani inſcripta eſt, explicans hæc eius poſtrema verba, *Hanc tunicam, qua induebar in myſterio Chriſti &c. Tunicam hîc*, inquit, *qua ad altare vti Presbyter, in myſterio Chriſti vtebatur, pro ea quam capſulam ſeu planetam vocitamus intelligit.* A capſa igitur capſulam deducit, quo nomine Sacerdotalem hanc tunicam ac veſtem cenſet vocitandam eſſe; capſa verò eſt arcula ſeu repoſitorium, cuius meminit Gregorius Turon. lib. 3. hiſtor. c. 11. *viginti Euangeliorum capſas detulit.* Sicut igitur Euangelij Codex capſa pretioſa inuoluitur, ita & Sacerdos capſula quaſi thecula circumtegitur. Sed ſatis de nomine.

CAPVT III.

De antiquitate Caſulæ, ſeu planetæ, aut penulæ Sacerdotalis.

HABVIT Romæ in Academia Baſiliana, idibus Septembris anno 1638. in frequenti Auditorio luculentam diſſertationem de vtraque penula, Ioannes Baptiſta Donius, Patricius Florentinus, quæ typis ſubinde mandata, Pariſiis iterum edita fuit apud Sebaſtianum Cramoiſy Architypographum Regium, curante Gabriele Naudæo Pariſino, omnis ſelectioris & politioris litteraturæ antiſtite, qui liminari epiſtola aureum hoc opuſculum non ſine merita auctoris commendatione Ioanni Franciſco Slingelendo nuncupauit. Quo in tractatu ſerie quidem dictorum breui at doctrina locupletiſſimo, præfatus eius auctor Donius vtramque penu-

lam ethnicam & Chriſtianam antiquiſſimam eſſe demonſtrat; illam enim diſertè commemoratam à Tullio facundiæ Romanæ principe, à Plinio, Seneca, Ouidio, Martiale, Iuuenale, Quintiliano, Spartiano, aliiſque inſignis famæ Scriptoribus, qui profanæ antiquitatis prima lumina extiterunt; hanc verò, ſcilicet Chriſtianam, qua noſtri Sacerdotes ſacris operantes myſteriis vti ſolent, tantæ eſſe itidem antiquitatis aſſeuerat, vt à primis propè naſcentis Eccleſiæ temporibus cœpiſſe adhiberi reperiatur. Quæ ſententiæ huic fulciendæ ſubſternat adminicula, loco ſuo indicabimus.

Verùm ex aduerſo ſtat Octauius Ferrarius, qui lib. 1. *de re veſtiaria*, quem cum cæteris fermè ante ſeptennium edidit Patauij. Is enim duo digna notatu pronunciata habet, 1. Penulam haud idem eſſe quod ſit planeta, ſeu caſula. 2. Caſulam non eſſe Sacerdotale indumentum vetus, ſed referendum eſſe inter nonnulla poſterioris æui additamenta; ſiquidem ab initio Chriſtianæ Religionis diuinos miniſtros communi veſtitos indumento diuina myſteria celebrâſſe. Acceſſit ſibi verò ſuffragium ex verbis Walfridi Strabonis, quem ait, doctrina ac ſanctitate præſtantem, ante annos ferè 800. floruiſſe. Porro ſic elocutum lib. de rebus Eccleſiaſticis c. 24. *Veſtes etiam Sacerdotales, per incrementa ad eum qui nunc habetur, auctæ ſunt ornatum: Nam primis temporibus communi indumento veſtiti Miſſas agebant, ſicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur.* Sed lib. noſtro 6. Panopl. Epiſcop. c. 3. præuertimus huic argumento ex citatis dictis deprompto Walfridi, quæ ſua fermè fecit, vel ſaltem quoad ſenſum ſibi vſurpauit Honorius Auguſtodunenſis, Gemmæ animæ, ſeu de antiquo Miſſæ ritu lib. 1. c. 29. vbi ait, *Apoſtoli & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus & ligneis calicibus Miſſas celebrauerunt:* Quæ quàm à vero ſint procul, ſubiunctis ex verbis eiuſdem Honorij licet elicere, continuò etenim addit, *Sed Clemens tradente Petro Apoſtolo, vſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit;* Si enim tradente Petro Clemens in ſacris veſtibus Liturgiam celebrari fecit, quomodo verum eſſe poteſt quod præfixit Honorius ſecutus Strabonem, in communibus veſtibus primis Eccleſiæ temporibus, adeóque Apoſtolorum ætate, ſacra fuiſſe peracta: cùm Petrus ipſe Apoſtolorum primas, diuinis Miniſtris ſacras veſtes adhibendas eſſe præceperit; cuius iuſſa Clemens paſſim obſeruari curauerit? Clemens, inquam, vir ille Apoſtolicus, quem Petrus ſibi ſucceſſorem in Eccleſiæ vniuerſalis præfectura deſignauit; Paulus verò ſuum Coadiutorem iam vitæ libro adſcriptum, indelebili præconio celebrauit.

Sed miſſo Honorio, cum tam patenti ſua contradictione, Walfridus Strabo à quo mutuauit errorem, auctoritate Hegeſippi, Euſebij, S. Epiphanij, ac B. Hieronymi, aliorúmque primorum Eccleſiaſticæ antiquitatis teſtium, quos in præſignata Panoplia Epiſcopali paſſim produximus, manifeſtè refellitur: hi enim ferè rei ipſius quam referunt, ſpectatores aut ſaltem primarij exceptores diſertè produnt Apoſtolos in ſacris, podere, lamina aurea, aliiſque Sacerdotij

Chriſtiani inſignibus vſos fuiſſe : à vero igitur prorſus deflectit quod ait Walfridus, primis temporibus communi indumento veſtitos Chriſti miniſtros diuina myſteria celebrâſſe.

Cum Walfrido igitur impingit Ferrarius qui eum ſequitur; nec ſe auctoritate Iuonis eſt, quod niti ſibi iure perſuadeat; ait Iuo *caſulam, ſeu planetam communem eſſe veſtem.* Vt quid? Eo quòd triuialis, omnibúſque tam laïcis, quàm Clericis promiſcua eſſet, ac quibuſque vſibus a quocumque adhiberetur? Minimè verò, nam hanc ibidem numerat Iuo inter ſacra veſtimenta, quibus extra diuinum opus vti nefas erat; ſiquidem vt ipſe refert eodem loco ex Walfrido & Amalario Ferrarius, Stephanus Papa & Martyr, ſancti Cypriani ſynchronus, veſtibus vti ſacris diuinis miniſtris extra ſacra iam olim prohibuerat celebri decreto, quod ab omnibus omnium ætatum Scriptoribus, qui de rebus ab eo geſtis meminerunt, commendatur. Accedit quod ibidem notat Ferrarius, diu ante Iuonem, ſcilicet in Concilio Ratiſbonenſi, anno 742. celebrato ſtatutum eſſe, *Ne Presbyteri, vel Diaconi, ſagis more Laïcorum, ſed caſulis vtantur, ritu ſeruorum Dei.* Caſula igitur erat iam miniſtrorum Dei propria, quamobrem cùm veſtis communis ab Iuone appellatur, non eo vtique quo cenſet Ferrarius ſenſu accipi debet, vt eſſet tam Laïcis, quàm Clericis promiſcua, támque profanis quàm ſacris officiis accommodata : ſed quod non modò Sacerdotem vndequaque ornaret, at quod alias veſtes quaſcumque, puta albam, manipulum, ſtolam, zonam ſuo ambitu operiret : idcirco eo ornatu (ait Iuo) *deſignari charitatem*, quæ vt caſula aliis omnibus indumentis Sacerdotalibus ſupereminet, háſque ſua amplitudine circumtegit, ſic aliis omnibus virtutibus antecellit charitas, quæ etiam, vt ait Apoſtolus, tantæ eſt capacitatis, *vt operiat multitudinem peccatorum.* Sed memoratus à Ferrario Walfridus Strabo ad ſe me reuocat, dum ſic ait citato in Opuſculo, c. 24. *Sacerdotes dalmaticis ante caſularum vſum induebantur; poſteà verò cùm caſulis vti cœpiſſent, dalmaticas Diaconibus conceſſerunt.* Ita intrepidè Walfridus, qui tamen pronuntiationis ſuæ nullos ſuffragatores accerſit, vtinam vades haberet firmandæ ſuæ aſſertioni idoneos : multum enim hoc ſi muniretur axioma, afferret lucis indagandæ Sacerdotalis caſulæ origini. Quæ ſi ex quo dalmaticis vti cœperunt Diaconi, iam Sacerdotum propria erat, annoſæ admodum vetuſtati profectò referenda venit. Nam primis Eccleſiæ ſæculis, vſos fuiſſe Diaconos dalmaticis in Panopl. Epiſcop. toto lib. 6. quo de Dalmatica diſſeritur, cap. præſertim 3. euidenter oſtendimus. Porrò Walfridus non ſibi conſtat, enimuerò quod ait Sacerdotes aſſumptis demum caſulis dalmaticas Diaconis conceſſiſſe, minimè conuenit cum eo quod paulò pòſt ſubiungit, *retentas fuiſſe à Sacerdotibus Dalmaticas cum caſulis:* ſua enim ætate non tantùm Epiſcopos, ſed pleroſque Presbyteros dalmaticam ſub caſula geſtâſſe. At de paradoxis Walfridi & Honorij ſatis ſupérque.

Iacob. 5. 20.

Sed alterum Ferrarij pronunciatum hîc attentiùs conſiderari debet,

bet, cap. enim 36. lib. 1. vbi de penula & planeta ſeu caſula cum Baronio litigat, *Penulam*, inquit, *fuiſſe inter ſacras veſtes non negauerim, ſed eandem eſſe ac planetam, hoc eſt quod fateri non poſſum.* Tum adductis de forma planetæ ſeu caſulæ S. Iſidori & præfati Honorij Auguſtodunenſis ſententiis, ſubiungit Perſuaſionis ſuæ potiorem rationem; *Ex his apparet*, inquit, *planetam ſeu caſulam, quæ olim in vſu, veſtem fuiſſe laxam, rotundam, circumcluſam, quæ totum corpus inuoluebat, & vtrinque à lateribus inter ſcapulas reiiciebatur, quæ omnia oſtendunt togam fuiſſe, non penulam: Nam penula, vt & lacernæ, chlamydes, ſaga & reliqua pallia, aperta erant, & fibula vel in humeris, vel in ceruice nectebantur: Caſula tota clauſa, vt & toga. Præterea planeta veſtis laxior & rotunda; penula anguſta & corpori adpreſſa.* Verùm hoc argumentum, quod à forma ducit, opportuniùs infrà diſcutietur, vbi ſub proprio lemmate *de forma ipſa penulæ, planetæ & caſulæ*, nobis erit ex inſtituto differendum. Hîc aduertiſſe ſufficiat Ferrarium eò adductum fuiſſe vt penulam idem eſſe indumentum ſacrum, ac planetam ſeu caſulam detrectaret, ne cogeretur concedere penulam à S. Paulo, 2. Timoth. 4. commemorari, ceu veſtem ſacram qua in diuinis conſuêſſet vti. Igitur hic è re nata locus Apoſtoli excutiendus occurrit, quia ſicut abſque eius dilucidatione dirimi hæc controuerſia non poteſt, ita ex eius explicatione huic conciliandæ quæſtioni plurimum luminis ſit procul dubio acceſſurum.

CAPVT IV.

An myſtica veſtis Sacerdotalis, ſub penula vocabulo Apoſtolus ſcribens ad Timotheum meminerit?

AD Timotheum dilectum ſuum S. Paulus hæc inter alia ſcribit 2. ep. c. 4. Τὸν φελόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ, ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum affer tecum & libros, maximè autem membranas.* Quæ verba etſi ſatis plana & perſpicua videantur, in varias tamen opiniones de genuino eorum ſenſu, tam priſcos quàm neotericos interpretes coniecerunt. Tota difficultas ex ſano intellectu vocis *penulæ* pendet, quam aliter atque aliter loci huius ſcrutatores exponunt.

Cardinalis Baronius Tom. 1. Annal. ad ann. 59. tractans ex profeſſo de hac Apoſtoli penula, vulgarem non eſſe veſtem, penulam nimirum gauſapinam vel ſcorteam, cuius meminerunt veteres; Cicero ad Atticum lib. 13. Spartianus in Hadriano, Lampridius in Alexandro, Tacitus in Dialog. de orat. Martialis Epigram lib. 14. ante omnia aſſerit: tum ad duas refert opinationes, loci ſignati ep. 2. Pauli ad Timotheum, veterum interpretum iudicia.

Priorem eſſe innuit, quæ per penulam, volumen legis intelligat, Græcè enim legitur φελόνην *volumen*, quam acceptionem ſe obſer-

uâſſe commemorat S. Hieronymus ſcribens ad Damaſum ep. 125. q. 2. vbi ait, *Volumen Hebræum replico, quod Paulus φελόνην iuxta quoſdam explicat.* Vbi tamen patet S. Hieronymum hanc opinionem ſuo calculo non approbare, quam non ſuam ſed quorundam eſſe idcirco deſignat. Sic recenſet S. Chryſoſtomus homil. 10. in ep. 2. ad Timoth. c. 4. aliorum opinionem, qui per penulam, thecam librorum accipiendam eſſe exiſtimabant; at aliud eſt volumen, aliud theca librorum: non arridet Baronio eorum perſuaſio, qui penulam pro theca accipiendam putant; at magis placet ea ſententia quæ pro penula volumen intelligit, cenſétque vetus fuiſſe Teſtamentum ſeu volumen legis valde authenticum, quo fortè ad reuincendum Iudæos & obfirmandos fideles ſibi adferri Romam demandabat. Sunt tamen qui probabilius eſſe putent, arculam, ſeu thecam qua libri conduntur per penulam ab Apoſtolo deſignari, auctoritate ducti Syri interpretis, qui verterit *Bet Ketabe*, id eſt thecam librorum, cui Heſychius ſuccenturiari videtur, qui φελόνης interpretatur, *εἰλητάριον μεμβράνινον ἢ γλωσσόκομον.* Parùm verò refert, an per penulam volumen ſumendum legis, vel thecam librorum quiſpiam contendat, ſtare enim hæc ſimul poſſunt: potuit ſiquidem in theca librorum eſſe volumen iſtud Hebræum, quod vetus fuiſſe Teſtamentum Baronius arbitratur; ſed vix verba Apoſtoli hunc ſenſum pati videntur, quorſum enim Codicem legis librorum ad ſe tranſmitti peteret, *& libros, maximè autem membranas*, & librorum thecam, ſi hæc in theca condita erant? ſatis enim tum fuiſſet ſcribere, Affer librorum thecam, in iis enim fuiſſet ipſum volumen legis & cæteri libri, ipſæque membranæ quas inſtantiùs Apoſtolus ſibi afferri poſtulabat.

Altera igitur ſententia (quam etſi probabilem cenſet Baronius, priore tamen inferiorem exiſtimat) ea eſt quæ penulam pro veſte ſacra exponit, qua Apoſtolus inter orandum vteretur, putántque hanc eſſe planetam ſeu caſulam, qua etiamnum Sacerdotes dum operantur ſacris, indui ſolent, quæ nimirum dicta ſit ab Apoſtolo penula ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, καὶ ὅλον, quia ſcilicet tota videtur & totum corpus oberrat; vnde & planeta dicitur ἀπὸ τῆς πλάνης, id eſt ab oberrando: fauere verò aiunt huic ſententiæ Tertullianum lib. de orat. c. 12. cuius tamen locum vix aſpexiſſe videntur, ita enim habet ea de re auctor hic antiquiſſimus. *Sed quoniam vnum aliquod attigimus vacuæ obſeruationis non pigebit cætera quæque denotare, quibus meritò vanitas exprobranda eſt. Siquidem ſine vllius aut Dominici aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt. Huiuſmodi enim non religioni, ſed ſuperſtitioni deputantur, affectata & coacta, & curioſi potiùs quàm rationalis officij, certè vel eo coërcenda, quod gentilibus adæquent, vt eſt quorumdam poſitis penulis orationem facere, ſic enim adeunt ad idola nationes; quod vtique ſi fieri oportet, Apoſtoli qui de habitu orandi docent, comprehendiſſent, niſi ſi qui putant Paulum penulam ſuam in oratione penes Carpum reliquiſſe.* Ex quo ſatis liquidò conſtat Tertullianum non ſenſiſſe penulam eſſe veſtem ſacram, qua Apoſtolus in oratione vteretur, cùm è contra mos eſſet apud veteres penulam inter orandum

deponere. De penula Pauli ſunt igitur aliæ duæ ſententiæ.

Prima eſt putatitij Ambroſij ad hunc locum, Haymonis Epiſcopi Halberſtatenſis ibidem, & auctoris qui commentarios ſcripſit in epiſtolas B. Pauli, inter opera S. Anſelmi Cantuarienſis relatos: ij enim per penulam intelligunt veſtem ſenatoriam ipſi Paulo à patre relictam, qua ciues Romani & externi ciuitate donati cùm Romam veniebant, vtebantur, Senatores enim penulati incedebant, vnde illud Lampridij in Commodo, *Et contra conſuetudinem penulatos iuſſit Senatores non togatos ad munus conuenire: quod funeribus ſolebat.* Et hic locus Spartiani in Seuero, vbi ait, *Penulis intra vrbem frigoris cauſa, vt ſenes vterentur permiſit, cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium fuiſſet aut pluuiæ.* Paulus autem ciuis erat Romanus, vt ipſe coram Centurione Hieroſolymis proteſtatus eſt, Act. 22. & quia nobilis, erat inquiunt Senatorij ordinis. Quaſi verò omnis ciuis Romanus, itidem Senator eſſet, aut tum Senatoria veſte, eáque paterna Paulo opus eſſet, qui vinctus Romæ, propè moriturus erat cruento martyrio? Et iam ſuppreſſa toga, eſſet penula, Senatoria veſtis, quam nonniſi à Commodo centum ſupráque annis poſt necem Apoſtoli, præter conſuetudinem, Senatoribus tributam, Lampridius ſuprà auditus commemorat.

Altera igitur ſententia longè verior eſt, ſcilicet S. Chryſoſtomi ad citatum locum Apoſtoli, penulam pro pallio interpretantis: *Pallium* (ait) *hic penulam dicit:* Pallium enim Apoſtolis fuiſſe familiare, qui Hebræi eſſent, non ſolùm vetuſtiſſimæ illorum icones monimento ſunt, ſed & Molanus lib. de ſanctarum imaginum vſu, eruditè demonſtrat: qua de re etiam nonnulla ſignauimus in Panoplia Clericali, vbi de quadruplici diſſeruimus pallio, Iudaïco ſcilicet, vulgari, philoſophico & Clericali. Accedit quòd Lucianus qui tempore Apoſtolorum vixit (in Philop.) Palliatos inceſſiſſe Chriſtianos, ipſóſque adeo illorum Duces, Apoſtolos vtique, ſuo more deridendo commemorat. Inſignis extat liber Tertulliani de Pallio, quod fide Chriſti ſuſcepta, relicta toga induerat. Cæterùm S. Chryſoſtomi interpretationi de pallio pro penula non modò Theophylactus iuratus ſectator eius aſſentitur, verùm conſentit etiam ſanctus Hieronymus lib. 3. contra Pelagianos inter initium & medium, vbi adducto S. Pauli loco de penula, hanc pro lacerna, iſtúdque pro penula promiſcuè ſumit, lacerna verò erat genus pallij fimbriati, quo vtebantur Equites, vt Iſidorus tradit & Martialis lib. 14.

Amphitheatrales nos commendamur ad vſus
Cùm tegit algentes noſtra lacerna togas.

Pluuio tempore, pro pallio penulam ſupra tunicam ſumebant, quæ veſtis externa frigus & pluuiam arcebat: quò pertinet iſtud Iuuenalis Satyr. 5.

.... *Et multo ſtillaret penula nimbo.*

Et Lampridius in Seuero, *Penulis*, inquit, *intra vrbem frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit, cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut plu-*

niæ fuiſſet. Duplicis autem erant generis penulæ, villoſa altera, altera ſcortea: vtramque memorat Martialis epig. lib. 14. Hoc genus igitur veſtis reliquerit Paulus Troade apud Carpum. Senex igitur cùm eſſet* & hyems inſtaret, petit ad ſe tranſmitti, qui vinctus Romæ agebat. Vnde concidit argumentum Baronij, qui vt opinionem de theca libraria per penulam deſignata ceu magis probabilem obfirmet, aduertendum monet, ſiue de ſacra veſte, ſiue de vulgari quiſpiam penulam interpretetur, non ſatis bene cum Apoſtoli verbis conuenire; facile enim erat Apoſtolo Romæ conficere eiuſmodi veſtes abſque eo quòd velit ex Aſia per Timotheum ad ſe deferri. Non ſic autem de legis volumine, quod cùm ſacro-ſanctum haberetur, haud facilè librariis ad deſcribendum committendum erat. Meminiſſe enim oportebat Baronium, pauperem fuiſſe Apoſtolum, qui dum preſſuras ſuas commemorat, diſertè teſtatur ſe vtplurimùm perpeſſum eſſe aëris iniurias, *in nuditate.* Senex igitur cùm iam eſſet & inter vinctos conſtrictus, petit ad ſe deferri penulam quam Troade apud Carpum amicum reliquerat; cùm vt contra imminentis hyemis iniurias corpus ſuum communiat, tum vt ipſe in carcere nemini grauis ſit, ſed vt ipſe ſe veſtiat proprio indumento. Hanc rationem acutè peruidit & ſignanter notauit S. Chryſoſtomus loco citato dicens, **Penulam quærit, ne hanc ab aliis accipere ſit opus; vides enim id magno ſtudio curantem, cùm alibi dicit Epheſiis loquens, Scitis quia neceſſitatibus meis, & iis qui mecum erant, miniſtrauerunt manus iſtæ.* De penula igitur vulgari, verba Apoſtoli intelligenda ſunt, non de ſacra veſte orationi deſtinata; quemadmodum S. Hieronymus apertè docet, lib. vt præſignauimus, 3. aduerſus Pelagianos, ſic etenim huius controuerſiæ deciſionem pronunciat; *Putáſne Apoſtolum Paulum eo tempore quo ſcribebat: Lacernam ſiue penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, ac libros, & maximè membranas; de cœleſtibus cogitâſſe myſteriis, & non de iis quæ in vſu communis vitæ vel corporis neceſſaria ſunt? Da mihi hominem, qui non eſuriat, non ſitiat, neque algeat, non doleat, non febricitet, non torminibus & vrinæ difficultatibus torqueatur, & ego concedam poſſe hominem, nihil aliud niſi de virtutibus cogitare.*

Cæterùm etſi ad ſummos iuris apices cauſam hanc expenderimus, non eſt quòd Nouatorum quiſpiam ſibi inde blandiatur, quaſi Apoſtolos ſacro veſtitu vſos in diuinis planè inficiemur: contrarium ſiquidem ex profeſſo in Panoplia Epiſcopali aſſeruimus ex podere & ſtola S. Iacobi, fratris Domini, & petalo ſeu frontali lamina aurea ſancti Ioannis Apoſtoli, beatíque Stephani protomartyris tunica ſeu ſtola linea. De caſula porrò ſeu planeta S. Petri, infrà authenticum teſtimonium proferemus, etiam Dei digito obſignatum. Verùm cur negent Nouatores Paulum in ſacris planeta vſum, quum S. Petrus ſacram eiuſmodi veſtem geſſerit, verum vt fatear non capio: maximè cùm ſanctus ipſe Paulus omnia fieri in Eccleſia cum ordine commendaret, præſertim circa Euchariſtiæ myſterium, de cuius ritibus celebrandi, ad Corinthios diſertè ſcribit, ſe cùm ad eos venerit, ea quæ decent diſpoſiturum.

* *Ad Philemon. v. 9. 2. Timoth. 4. 21.*

* Τὴν φαιλόνην ζητεῖ ὥστε μὴ δεηθῆναι παρ' ἑτέρου λαβεῖν. ὅρα δὲ αὐτὸν ἐν τούτῳ πολλὴν ποιούμενον τὴν σπουδὴν, καὶ λέγοντα ἑτέρωθι, ἐκεῖνος πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς Ἐφέσου διαλεγόμενος, ὅτι ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται.
S. Chryſoſt. in 2. ep. ad Tim. c. 4. homil. 10.

CAPVT V.

Caſulam ſeu planetam à S. Petro geſtatam fuiſſe Antiochia, cùm ibi Pontificatum ſummum ageret, ante ſuum in Occidentem progreſſum.

S*I teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt,* inquit dilectus Domini, ep. 1. c. 3. Sanè ſi Tertullianus vel Euſebius litteris mandâſſet, S. Petrum indutum caſula, ſeu quauis alia ſacra veſte, diuinis fuiſſe operatum, vix quiſquam eſſet propter teſtium auctoritatem, qui id in dubium verti poſſe arbitraretur. At de caſula S. Petri extat diuinum teſtimonium, ipſo Dei digito obſignatum, diuina ſcilicet virtute, quæ veritatem ſacri huius pignoris patenti miraculo declarauit, confirmatum: igitur citra pietatis Chriſtianæ offenſionem, nemo poteſt de re adeo certa ambigere. Hoc præfixo axiomate, lemmatis noſtri demonſtrationem aggredior.

Antiquiſſima eſt Pariſiis S. Petri Baſilica conſtructa à Clodoueo, I. Francorum Chriſtiano Rege, in qua ipſe iacet; demúmque S. Genoueſa virgo condita, ob miraculorum quibus in tumulo emicuit ſplendorem, ſenſim vt propria tutelaris coli promeruit. Hanc in ſacram Ædem, quæ monti Pariſienſi inſidet, iampridem S. Petri veſtis Sacerdotalis, quam planetam ſeu caſulam vocitant, allata fuerat, ſummáque veneratione obſeruata; cùm S. Hugo Cluniacenſis Abbas deuotionis ergò hanc Eccleſiam Lutetiæ percelebrem viſitans, tantum pignus Apoſtolorum principis, ſingulari reuerentia excoluit, fidéque huius germanitatis ſubnixus, eiuſdem applicatione homini longæua ægritudine, iámque extrema, grauato, beneficium ſanitatis impertitus eſt. Rem geſtam refert Hugo Cluniacenſis monachus, ipſius B. Hugonis coætaneus, in eius vita, quam Patrum Cluniacenſium conuentui dedicauit, ſic enim recitat: *Pariſiorum vrbem Sanctus intrauit, vbi ad Eccleſiam ſanctæ Genoueſæ Miſſas celebraturus aſcendit. Quibus expletis accepta Petri Apoſtoli planeta, quæ ab Antiochia olim delata, in præfata ſeruatur Eccleſia. O vtinam inquit haberemus ægrotum, in quo virtutis Apoſtolicæ caperemus experimentum! quibus relatis, Robertus ſua probitate illis in partibus ſatis notus, ſed diutino membrorum officio deſtitutus, illuc ſe deferri præcipit, quo Sanctum adeſſe cognouit. Deponitur debilis ante Sanctum, prece ſupplici quærit ab eo ſuffragium. Pater Hugo miſeretur, tenénſque Apoſtoli planetam, Dominum deprecatur; quam ſuper ægrum planetam eleuauit, & cum dulci melodia ait: Petrus Apoſtolus dixit paralytico; Roberte ſanet te Dominus Jeſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi? qui continuò ſurrexit. In his verbis Robertus illicò totus conualuit, ſanus egreditur & gratias agit.* Hactenùs Hugo Cluniacenſis monachus, rei quam enarrat contemporaneus ſcriptor. ſed anonymus, aſceta itidem Cluniacenſis in relatione miraculorum ſancti ipſius Hu-

gonis Abbatis ſic eandem refert miram eiuſdem Beati viri actionem. *Pater venerandus, fiducia*, inquit, *de fonte pietatis hauſta, ex planeta B. Petri Antiochiæ habita, quam accepit in manibus, cœpit Antiphonæ cantare principium, in qua continetur curatio illius Æneæ, quem Petrus, pauper ſubſtantia, ſed diues potentia, ſanâſſe legitur in actibus Apoſtolorum; quod eſt tale: Petrus Apoſtolus dixit paralytico, & adiecit modulando; Roberte ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi: Qui videlicet Robertus continuò ſurrexit; ac ſi illa vox non alterius fuiſſet, niſi Petri Apoſtoli.* Celebre fuiſſe hoc mirandum opus, in Regia patratum vrbe, Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis, qui poſteà fuit Turonenſis Archiepiſcopus, doctrina & pietate eodem tempore perilluſtris, in ea quam conſcripſit geſtorum ipſius B. Hugonis collectione (& Pontio Cluniacenſi Abbati, eiuſdem B. Hugonis ſucceſſori nuncupauit) itidem commemorat; Vbi hanc planetam fuiſſe Petri Apoſtoli, tam ex opere diuinitùs edito aſſerit, quàm ex veterum (vt diſertè ait) relatione. Meminit eiuſdem planetæ Sugerius Abbas S. Dionyſij in relatione quam ſcripſit ad Eugenium III. Pontificem, ſuper eiuſdem Papæ iuſſu, à ſe facta Canonicorum expulſione ſæcularium ex Eccleſia S. Genouefæ, propter prauos eorum mores; quos abeundo etiam queritur theſauros eiuſdem Eccleſiæ (ſignatim verò ipſam caſulam S. Petri) deplorabili ſacrilegio deprædatos; *Qui in iniquitate inuoluti* (inquit) *nequitia excæcati, theſauros furtim ſublatos, videlicet 12. marcas auri, & reliquias einſdem Eccleſiæ, videlicet caſulam S. Petri, (pro quo, eos regia poteſtate, niſi eis pro reuerentia veſtræ Celſitudinis parceremus, tanquam fures aut raptores tenuiſſemus) nullo modo reddere voluerunt.*

CAPVT VI.

Ioannis Caluini obiectiones contra Caſulam ſancti Petri diſcutiuntur.

PESTILENTISSIMVM libellum inter pleroſque pernicioſos tractatus, Ioannes Caluinus famoſus hæreſiarcha, Galliæ propudium, orbis incendium, ſuperiori ſæculo euulgauit, INDICEM RELIQVIARVM, inſcriptum: in quo quicquid pignorum Sancti in terris ſuæ in nos charitatis reliquerunt, abolere nullis non adhibitis artibus machiníſque conatur. Tanto furore aduerſus cultum ſanctarum reliquiarum debacchatus, vt furiis agitatus potiùs videatur, quàm vlla vi argumentationum vti, ac niti; aut tantillo duci rectæ rationis lumine: quo cùm ſe deſtitui aliquando deprehendat, ad ironias, irriſiones, cachinnos, putidáque ſcommata totus conuerſus, id agere potiſſimum ſe prodit, vt quod ſui nominis anagramma ſonat, infauſtáque reddit litterarum eiuſdem expreſſio (mutato tantùm earumdem ſitu*) Lucianum impium omnis numinis, ſanctitatíſque deriſorem,

* *Lucianus*, litteris paululùm inuerſis fit, *Caluinus*.

prorſus in ſe exhibeat rediuiuum. Siquidem impotenti illa inſania ſacrilegóque ſpiritu quo feruet, eò vſque abripitur vt Chriſtum ipſum in membris ſuis, quæ obſcenè recenſet, veſtibúſque & quibuſuis redemptionis noſtræ ab ipſo peractæ monimentis atque pignoribus, ſcurriliter derideat: benedictámque eius genitricem, immaculatam Virginem, Spiritus ſancti ſacrarium, impiis turpibúſque dicteriis laceſſere, lacerare, in deriſúmque & opprobrium traducere non vereatur. Sponſum eius inde aggreſſus, tum ad Angelos digreſſus, hinc in Præcurſorem Domini pari rabie irruens, Apoſtolos eodem furore adoriatur, quorum principes beatiſſimos tot ironiis appetit, ſub deriſionis exuuiarum ipſorummet inuolucris, vt nihil diabolo (qui Sanctorum calumniator eſt & ſummus impiorum omnium magiſter) prorſus reliquerit, quo Apoſtolica culmina acriùs impetere, tetriúſque laceſſere, aut fœdiùs deturpare, dæmon ipſe vnquam præſumat. Non eſt huius loci ſingula quæ effutit Caluinus expendere: illa dumtaxat notâſſe ſatis fuerit, quæ ad præfixum lemma pertinere videntur.

Poſtquam igitur habenis laxis impiæ dicacitatis, effuſè deriſit S. Petri, Apoſtolici Senatus primatis barbam, maxillam, cerebrum; caput, oſſa colliſit; de crepida luſit, cachinnos mouit de Cathedra, mox de caſula eius ſeu planeta, putidas ſubinde nænias habet *, & garritus effutit.

* Gallicè extat apud me Caluini peſtifer ille de reliquiis Sanctorum Tractatus: ſed verba eius ad amuſſim phraſi Latina exprimere quàm ſyncerè curaui.

Romæ, inquit, *item oſtenditur ipſius S. Petri Cathedra Epiſcopalis &c. Caſula itidem. At mos iſte nondum inoleuerat vt perſonati Epiſcopi, laruas eiuſmodi induerent, & mimicos ludos in Eccleſia agerent.* Ita Caluinus.

Verùm quoad Cathedram ſpectat Petri, mirum eſt quod viſum ſit Caluino illam impetere: *Sedens Dominus docebat diſcipulos ſuos*, vt S. Matthæus memoriæ prodidit c. 15. Cuius verba perpendens S. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte ſub initium, *Sedens autem Dominus docet* (inquit) *quod pertinet ad Magiſterij dignitatem.* Docere autem omnes gentes mandauit Apoſtolis ſuis, cùm ad Patrem rediret. Petrus ſacri huius Collegij Primarcha erat, Matth. 10. Docere illi igitur imprimis competebat, cur non igitur & docendo ſedere? ſanè Tertullianus vt docendi munus, ita cathedræ inſidendi honorem, Apoſtolis hoc ex vſu adſcribit, præſcriptionum c. 36. *Percurre*, inquit, *cathedras Apoſtolicas, apud quos ipſæ Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis poſſidentur.* Ita Optatus lib. 2. contra Parmenian. *Negare*, inquit, *non potes ſcire te, in vrbe Roma Petro primo Epiſcopalem Cathedram eſſe collocatam.* At exceptum fortè ierit Caluinus ſe non inficiandum cenſere Petrum docendo alicui cathedræ inſediſſe, ſed dumtaxat hanc nunc vſque fuiſſe conſeruatam. Vt quid? quòd nimirum lignea erat? Verùm & crux Domini erat lignea, cuius in hunc vſque diem inſignes portiones ſpectatiſſimis locis aſſeruantur authenticis ſuæ germanitatis monimentis obſignatæ, quin & illuſtratæ diuinæ virtutis pleriſque teſtimoniis. Sed hæc Caluinus non recipit. eſto, quia diuina ei teſtimonia non arrident; ſed fortè recipit humana: neque enim audet

cò deſperatæ impudentiæ prorumpere, vt neget omnia. In Eccleſiáſtica hiſtoria nonnihil Euſebio defert, ipſum igitur adeo non inuitus audiat lib. 7. hiſt. Eccleſ. c. 19. *Etenim ſedem Iacobi Apoſtoli qui primus ab ipſo ſeruatore & Apoſtolis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum accepit, quem & diuinæ ſcripturæ fratrem Domini nominari tradunt, ad hoc vſque temporis ſeruatam, fratres iſthic, qui ſucceſſione ordinaria ſubſecuti ſunt, omnibus manifeſtè monſtrant, ſicut circa ſanctos viros pietatis gratiâ, cùm veteres, tum & præſentes competentem honorem ſeruauerunt & hodie quoque ſeruant.* Hactenùs Euſebius grauiſſimus, ſiquis & ipſe vetuſtiſſimus antiquitatis Eccleſiaſticæ enarrator. Sed ſi Iacobi Cathedra Hieroſolymis tanto piorum ſtudio ſeruata fuit, cur non & Petri Romæ ſedentis cathedra pari cura potuit conſeruari? ſed effugit Caluinus: Neque enim tam de cathedra doctrinæ ſe altercari inſinuat, quàm de Epiſcopali ſede, ſeu throno; *Eiuſmodi enim ſolia*, inquit, *tum Epiſcopi non ambiebant.* Et quidem ab ambitu illos abhorruiſſe non diffiteor, inficior tamen ita demiſſè illos ſenſiſſe de Sacerdotij Chriſti dignitate, honore & gloria, vt omnem abiecerint pontificatus ſacri eminentiam. Inter martyria Epiſcopatus honorem *pleno vigore Sacerdotali* ſuſtinebant, vt apud S. Cyprianum videre eſt, qui paſſim in ſcriptis poteſtatem & decus Epiſcopatus aſtruit & defendit. Iámque in cathedris ſedebant ſacri noſtri antiſtites, honoris causâ, candidis velaminibus ornatis: Hinc Pontius ſancti ipſius Cypriani Diaconus in eius actis ſignatim habet: *Sed vbi ventum eſt ad prætorium, nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt, illic cùm poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſederet; ſedile autem erat fortuito linteo tectum, vt & ſub ictu paſſionis, Epiſcopatus honore frueretur.* Inter ipſos igitur martyriorum agones, Epiſcopi honore Epiſcopatûs in Eccleſia eminebant, ſoliis ornatis inſidebant, ſediſque decore dignitatis indicabant maieſtatem. Impiè igitur pariter ac imperitè Caluinus eo nomine Epiſcopos noſtros calumniatur, quòd ſedis Epiſcopalis ſplendore, cultum ſibi vendicet indebitum, velútque idola adorari ſe faciant, quandoquidem Epiſcopi etiam martyrio illuſtres idem decus Epiſcopatus poſſidere, iamdudum inter ipſa fidei certamina vt legitimum, & Pontificali honori debitum non dubitauerint; ipſéque S. * Auguſtinus, quem faſtus aut immodeſtiæ inſimulare nemo vel deploratæ mentis audeat, ſui temporis ſit teſtis communi Eccleſiæ more, ideóque iure habuiſſe Epiſcopos, gradatas abſides, cathedráſque velatas, quas & Pacianus antiquior ep. 2. contra Nouatianos vocat *linteatas ſedes*. Sed de Epiſcoporum ſacris tribunalibus occaſione Cathedræ ſancti Petri ſatis ſupérque: de quibus & aliàs dixiſſe nonnulla meminimus lib. de Epiſcopali Monogamia & vnitate Eccleſiaſtica.

* Epiſt. 203. ad Maximinum.

Iam de caſula ipſius S. Petri diſcutere operæ pretium eſt, quæ Caluinus more ſuo oggannlat. *Quoad Caſulam eius ſpectat*, (inquit) *eſt quod Papiſtarum inſcitiam meritò deploremus. Hos dicere non pudet, Petrum geſtaſſe caſulam: quia ſcilicet mores ætatis Apoſtolicæ prorſus ignorant; tempus ſanè nondum aduenerat vt miniſtri Eccleſiæ diuina laruati celebrarent, mimiciſque ludis*

dis (vt poſtmodùm factum eſt, ſitque nunc vſque) in ſacris laſciuiarentur.

Verùm ignoſci à Caluino mihi non poſtulo. Ignorauit ipſe quantâ inſcitiâ antiquitatis Eccleſiaſticæ laboraret. Inter ſcripturientes hæreticos nullus fuit, qui maiori præſumptione ſe iactaret penitiſſimæ cognitionis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Patrúmque doctrinæ: at fuit nemo penitùs qui minùs ſcita Patrum nouerit, parciùs ſcripta eorum euoluerit, rituum Eccleſiæ fuerit minus ſciens. Doctos & peritos iudices appello; ſexcentis exemplis ſi per tempus liceret poſſem putidæ eius ignorantiæ pleraſque labes oſtendere, prodere pudendos lapſus, excæcatæque præſumptionis auſus temerarios palam facere. At hoc me piget, puderétque ipſum Caluinum ſuæ inſcitiæ ac temeritatis, ſi hac ætate viueret in tanto omnis eruditionis lumine, quo innumera eius errata, hæcque grauiſſima oculatis quéiſque, perpetua cum eius nominis infamia patefacta ſunt. Polemicos Theologos ſiquis conſuluerit, myriades eiuſmodi lapſuum, errorum, mendaciorum ab iis euictorum planè reperiet. Cæterum præmiſſo hoc monitu, ad Caluini obiectionem de veſtibus ſacris lubens regredior, quas ignotas fuiſſe Apoſtolico ſæculo, primíſque ſubinde Eccleſiæ temporibus audacter affirmat.

At hîc etiam craſſa eius ignorantia patenter ſe prodit: Si enim primæ antiquitatis Eccleſiæ legit ſcriptores, quî fit vt neſciat Iacobum Apoſtolum, cognomento fratrem Domini, primum Hieroſolymorum antiſtitem, podere indutum, ſeu linea tunica talari Sacerdotali ſacris operatum? teſtatur apud Euſebium Egeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum, ipſéque Euſebius lib. 7. c. 28. hiſt. Eccleſ. Addit Epiphanius hæreſ. 78. etiam bracteam in fronte geſtaſſe, ſeu laminam auream, quæ inſigne erat Pontificalis dignitatis, quam in ſignum eiuſdem Pontificalis honoris Epheſi S. Ioannem geſtâſſe Polycrates & ipſe Epheſiorum Epiſcopus, apud Euſebium lib. 5. c. 23. ſacræ hiſtoriæ, & S. Hieronymum in catalogo commemorat diſertis verbis. Porrò in octaua ſynodo Oecumenica, act. 1. epiſtola recitatur Theodoſij ſanctæ Ciuitatis Epiſcopi, ad Ignatium CP. qua in pignus honoris & ſanctæ amicitiæ huic ille tranſmittit poderem & ſuperhumerale, cum mitra & ſtola Pontificali ipſius S. Iacobi Apoſtoli, quibus inſigniti erant eius ſucceſſores in Hieroſolymitana Eccleſia, diuina obeuntes myſteria. Hinc patet quàm ignatus Caluinus fuerit ſacræ antiquitatis, & quàm ineptè garriat, temeréque effutiat veſtes ſacras in diuinis muneribus numquam Apoſtolos vſurpaſſe. Cuinam obſecro fidem eſt quòd æquiori iure præbeamus? An ſoli Caluino tot errorum parenti, tot falſitatum artifici? an primæuis illius Eccſiaſt. hiſtoriæ oraculis Egeſippo, Euſebio, Polycrati, Epiphanio, Hieronymo, quin & Oecumenicæ ſynodo teſtimonium Theodoſij Hieroſolymitani Patriarchæ ſua auctoritate obſignanti? Hos certè ſi omnes teſtes Caluinus damnauerit inſaniæ, libenter reſpondebo, Malo cum tantis Patribus inſanire, quàm tibi aſſentiri, vni ſoli, tótque in fraudibus, calumniis, iniuriis, erroribus, deprehenſo.


Attamen petitioni principij vafer altercator ſemper inſiſtit; *Antequam*, inquit, *Papiſtæ euictum habeant caſulam Petro in vſu fuiſſe, dum ſacra celebraret: neceſſum eſt probatum eant, Apoſtolos hiſtrionicis veſtibus fuiſſe indutos vt noſtræ ætatis Sacerdotes, cùm diuino miniſterio fungerentur?* At iam ex præmiſſis plana patet reſponſio; nec enim noſtri Sacerdotes in re diuina aliis vtuntur veſtibus, quàm ſacris, quibus, vt oſtenſum eſt, ipſi Apoſtoli ſacris operantes vſi ſunt, maximè Petrus, quo tradente (ſcribit Honorius Auguſtodunenſis) Clemens vſum ſacrarum veſtium in diuinis præcepit. Stephanus autem poſteà ne vſibus profanis, vilibúſque paterent, extra ſacra loca geſtari à Clero prohibuit, vt conſtanti multorum teſtium fide (ſicut docti nôrunt) proditum eſt.

Porrò quod Caluinus, *id quod Deus ſanctificauit, profanum appellare non veretur:* diuina myſteria ludis mimicis, & ſacra diuinorum miniſtrorum indumenta hiſtrionicis laruis impiâ deriſione comparando: horrore potiùs quàm reſponſione dignum eſt. Illuſiſſe Domino Pilatum & Herodem, ridiculis à ſe induto veſtibus non neſcimus. Sacerdotes actu & habitu paſſionis Domini memoriam quotidiano in ſacrificio celebrant; *Sequuntur eum extra caſtra* (vt monet Apoſtolus) *improperium eius ferentes:* Deridet eos Caluinus, vt olim carnifices Chriſto ludibrioſè induto & coronato, ſannis & ſcommatibus putidis inſultârunt. Abeat igitur cum illis vias ſuas: nobis ſatis erit cum Propheta occinere, *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum*, (in autographo, *deriſorum*) *Et in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit;* Vbi doctiſſimus legit Genebrardus λοίμων peſtium, peſtilentûm hominum & deriſorum, qui humana diuináque rident impietate ſua. Hæc Caluini cathedra, hæc ſchola, è qua tot portenta impietatis, tot irreligionum agmina, ingenti cum animarum exitio prodierunt. *Pſal. 1.*

At fortè inſtabit, tametſi oſtenderimus ſacras veſtes in diuino miniſterio ipſo Apoſtolorum tempore, adeóque ipſis Apoſtolis fuiſſe in vſu: nihil de caſula S. Petri attamen eatenùs fuiſſe probatum. Sed præterquam quòd nobis neceſſe fuit Caluini impetum ſequi, ea nimirum quæ obiicit, ordine quo proponit refellendo: iam de B. Petri caſula argumentum præuertimus; ſiquidem ſuperiori capite tractauimus de ipſa S. Petri caſula, quam ante 600. annos fuiſſe ſeruatam Pariſiis, atque non modò annoſa Maiorum traditione pro genuina habitam; at inſigni miraculo à Deo approbatam inſuper demonſtrauimus. Speciale nihil attulit Caluinus contra hanc caſulam, ſed generatim duntaxat contra veſtes ſacras diſputat, futilibus adeo argutiis, ridiculíſque obiectionibus, vt iis refellendis pigeat, pudeátque vel pauca bonæ horæ momenta impendiſſe, quum nec dignæ eſſent quæ recenſerentur.

Cæterum ex reſponſis noſtris apertè conſtat Apoſtolos ſacris inſignibus amictos diuina myſteria celebrâſſe, adeóque B. Petrum ritus huius traditionem Clementi vt promulgaret commendaſſe: à quo Eccleſiæ in depoſitum conſignata, poſtmodum fuerit nunc vſque perenni obſeruantia cuſtodita. Quòd ſi Caluinus dato quòd

Petrus ipſe veſtibus ſacris vſus fuerit, de ſola caſula voluerit acriùs contendere, an inter Sacerdotales veſtes quas Petrus gerebat, aliqua eſſet quæ hoc nomine cenſeretur; tum quum de re conſtet, ſolóque de nomine controuerſia ſuperſit, non anxiè de ipſo nomine diſputandum eſſe reor. ſatis eſt enim ad Caluinum refutandum, qui caſulam negat: hoc ſolo nixus falſo principio quòd Apoſtoli nunquam myſticis indumentis vſi fuerint; quòd Petrus veſtibus ſacris indutus diuina myſteria non celebrârit (inter quas tamen fuiſſe caſulam ſeu planetam Maiorum traditio ſuperiùs memorata, diuináque confirmatio eius germanitatis miraculo celebri obſignata, ſufficienti argumento eſſe poteſt:) Cui accedunt antiquiſſimæ picturæ, quibus S. Petrus illo inſignis ornatu, ea qua dudum forma gerebatur, repræſentatus conſpicitur. Ex quibus en vnam hîc proferimus, in pij lectoris gratiam, quæ ex vetuſtiſſimo Codice liturgico ad vſum Eccleſiæ Leodienſis, in membranis exarato, deſumpta: his ferè lineamentis expreſſa cernitur viuis inſuper coloribus tincta, quos hîc per tempus non licuit, graphicè adumbrato operi ſuperfundere.



En Petri Apoſtolorum principis, primíque vt eum appellat Euſebius Cæſarienſis, *Chriſtianorum Pontificis* myſticus apparatus, eo ſche-

mate depictus, quo diuinis operari conſueuerat. Quod ſi inquirat Caluinus, vnde pictura hæc originem duxit? audiat ipſum Euſebium de ipſius Petri imaginibus à Maioribus acceptis, & ſummo ſtudio ad poſteros conſeruatis, lib. 7. hiſtoriæ, c. 18. vbi de *Statua Domini apud Cæſaream Philippi, quam Paneadem vocant, ab hemorrhoiſſa muliere, quam ſanauerat, in memoriam beneficij erecta, & miraculis huc vſque cùm ſcriberet illuſtrata*, verba faciens: *Manſit autem*, inquit, *ad noſtra vſque tempora, ſicut & ab illis videri poteſt, qui in eam ciuitatem commigrant, nec mirum videri debet eos qui ex gentibus olim à ſeruatore noſtro curati ſunt, ita feciſſe; quando & Apoſtolorum illius imagines Pauli videlicet & Petri, & denique ipſius Chriſti, in tabulis coloribus depictas aſſeruari vidimus.* Quemadmodum igitur ex iis prototypis genuina expreſſa facierum lineamenta à Maioribus quaſi per manum ad poſteros perueniſſe certum eſt: ex quibus ſacræ antiquitatis monimentis, diu admodum poſt Euſebium Nicephorus in ſua quoque hiſtoria Eccleſiaſtica Domini N. Ieſu Chriſti, ſanctiſſimæque eius genitricis, & Apoſtolorum icones graphicè deſcribit, ad ſuam vſque ætatem conſeruatas: ita & horum habitus ſiue ſacri, ſiue communis ſpeciem haud dubium eſt Maiores ad piam poſteritatem eadem pietatis induſtriâ tranſmiſiſſe: quamobrem & ipſe Euſebius veſtimenti imaginis ipſius Domini formam ſignanter obſeruat. quidni igitur & Petri, cuius vultus figuram tanta conſtantia expreſſam vbique ſimilem conſpicimus: etiam veſtium formam, maximè autem qua ſolebat ſacra peragere, pari ſtudio cuſtoditam & propagatam ad poſteras ætates rationi conſentaneum eſt agnoſcere? Nec ſanè magis repugnat à tempore Apoſtolorum ad annos 800. ſubinde perueniſſe; quàm hinc ad nos vſque tranſiiſſe incorruptam; Ea enim pictura cuius imitationem ibi referimus ante annos 700. & ampliùs delineatam manifeſtè prodit Codicis, cui inſerta hæret antiquitas, certis etiam caracteribus ſuæ vetuſtatis huc vſque conſpicua, cuius indicia alibi non ſemel conſignauimus. Extat apud Baronium tom. 4. antiquiſſimum numiſma Theodoſij ſenioris Imperatoris, apparitionem illi factam ſanctorum Apoſtolorum Ioannis & Philippi paulò ante victoriam, quam diuinitùs obtinuit contra tyrannum Eugenium referens: in qua ipſi Apoſtoli conſpectantur induti Sacerdotali habitu, quemadmodum etiam ſe obtuliſſe ſpectabiles ipſi Theodoſio Theodoretus commemorat, hiſt. lib. 5. c. 24. Quid mirum igitur, ſi circa annum 900. S. Petrus Sacerdotali apparatu exprimeretur inſignis, cùm iam anno Domini 394. S. Ioannes Euangeliſta qui Epheſi pontificalem laminam in fronte portauit, (vt ſuperiùs oſtenſum eſt) & ſanctus Philippus Apoſtolus, etiam cum tonſura in vertice, Sacerdotali induti amictu, recepto ex Maiorum more venerandæ antiquitatis traditione ſuffulto, etiam in imperialibus numiſmatis exprimerentur.

Verùm Caluinus qui horum ignarus fuit, iam meliùs edoctus, vel inuitus fortè concedet Apoſtolos ſacris veſtibus in diuinis vſos fuiſſe, adeóque S. Petrum ex Maiorum traditione præmemorata geſſiſſe caſu-

lam ſeu planetam. At fortè percontabitur, qua ratione firmatum ire poſſimus, illam ipſam eſſe quam ipſe geſtauerit, & quidem Antiochiæ: hincque illam aliquando Luteriam Pariſiorum fuiſſe traductam, & in ipſius Baſilica de monte repoſitam, & tamdiu aſſeruatam? ſed verò ex dictis peruia, plana, & ſolida reſponſio ad hoc obiectum patet, nempe id conſtanter fuiſſe Pariſiis creditum non ex rumore volatili, ſed Maiorum perenni relatione tandem illuſtri miraculo, quod ex Hildeberto, aliiſque contemporaneis teſtibus deprompſimus, hoc eſt, diuino teſtimonio confirmata.

Cæterùm adhuc fortè inſtabit, quia ſolenne ei eſt, à multiplicatione præſentiæ earundem reliquiarum, in diuerſis locis, aduerſus illarum veritatem præſcribere: vera ſancti Petri caſula ſeu planeta eſſe non poterat quæ ſeruabatur Pariſiis: nam Romæ caſula S. Petri iampridem cuſtodita colitur; vel ſi genuina ea eſt quæ depoſita legitur quondam Pariſiis, ſuppoſititiam eſſe neceſſum eſt quæ Romæ habetur. Quæ argumentatio quàm inſulſa ſit & futilis, perſpicax nemo non videt, plures enim geſſiſſe caſulas ſanctum Petrum diuerſis præſertim locis quid implicat? habuit duas catenas, alteram qua Hieroſolymis ab Herode, alteram qua Romæ à Nerone legitur fuiſſe deuinctus: ſic duas viciſſim caſulas, ſeu planetas habere potuit, alteram v. g. Antiochiæ, alteram Romæ. Et in geſtis S. Hugonis Cluniacenſis ſuprà relatis diſertè notatur, eam quæ Pariſiis in Baſilica ipſius S. Petri de monte collocata erat, eò fuiſſe ab Oriente delatam; hanc enim illam eſſe qua Antiochiæ ipſe B. Petrus vſus fuerat: quæ igitur Romæ habetur aliam eſſe facilè concedi poteſt, qua ſcilicet indutus ibi diuina myſteria celebrârit. Verùm ſi etiam hæc quæ ſeruatur Romæ eadem eſſe diceretur, quam ipſe ſanctus Apoſtolus Antiochiæ dum ſederet, geſtauerat, nihil adhuc Caluinus obtineret aduerſus ſancti huius pignoris quod olim Lutetiæ oſtendebatur, germanitatem: ſiquidem ex epiſtola prænotata Sugerij Abbatis S. Dionyſij ad Eugenium III. Papam, palam eſt, ipſam caſulam, cuius applicatione S. Hugo miraculum tam celebre fuerat in eadem Eccleſia S. Petri Pariſiis operatus; fuiſſe cum pleriſque eiuſdem ſacræ Ædis cimeliis, adeóque toto eiuſdem theſauro à Canonicis ſæcularibus (cùm auctoritate Apoſtolica ab ipſo Sugerio inde expellerentur) furtim ſublatam, nec reſtitutam poſtmodùm reperio. Diſtractam igitur aliò fuiſſe, & ſic Romam fortè tranſlatam coniectura eſt minimè improbabilis, maximè cùm Canonici illi ſæculares Eugenij Papæ indignationem formidarent, cuius poteſtatem atque iuſtitiam Sugerius aduerſus ipſos iiſdem litteris implorat. Veriſimile eſt igitur illos ſupplices Romam adiiſſe, & petita venia à ſummo Pontifice, quo eum placarent, ipſi ſacrum hoc munus obtuliſſe: quod Pontifex propter B. Petri memoriam gratanter ſuſceperit, déque conſenſu (vt pium eſt credere) Canonicorum Regularium, qui in locum ſæcularium ſubſtituti fuerant, retinuerit.

CAPVT VII.

Apud veteres nomine veſtis Sacerdotalis intellectam fuiſſe planetam ſeu Caſulam: & viciſſim per planetam ſeu Caſulam, veſtem ipſam Sacerdotalem deſignari.

SANCTVS Hieronymus in Nepotiani Epitaphio, vbi amicitiæ pignus commemorat, quod ſibi moriens Preſbyter ille ſanctus legauit: *Quis crederet*, inquit, *in tali illum tempore, noſtræ neceſſitudinis, & luctante anima, ſtudiorum ſcire dulcedinem? Apprehenſa manu auunculi, hanc*, inquit, *tunicam, qua induebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi, ætate patri, fratri collegio: & quicquid à te nepoti debebatur in illum transfer, quem mecum pariter diligebas: atque in talia verba defecit.* Vbi doctiſſimus ſcholiaſtes Marianus Victorius Amerinus Epiſcopus, *Tunicam hîc* (inquit) *qua ad altare, vti Preſbyter in miniſterio Chriſti vtebatur, pro ea quam capſulam ac planetam vocamus intelligit; Miſit autem eam Hieronymo, quia ipſe etiam Preſbyter erat, vt in tremendis Chriſti ſacrificiis ea vti poſſet. Et cùm clara hîc de cunctis Eccleſiæ veſtibus ac vaſis memoria fiat, non deſunt tamen hæretici, qui ea irrideant ac ſubſannent.* Illa eſt igitur veſtis Sacerdotalis quam Epiſcopus ordinando Preſbytero imponit, hac ſolenni verborum formula, *Accipe veſtem Sacerdotalem* *, *per quam charitas intelligitur: potens eſt enim Deus vt augeat tibi charitatem & opus perfectum.* ℟. *Deo gratias.* In libro Sacramentorum S. Gregorij hæc formula non habetur, ſignatur tamen impoſitio veſtis ſeu caſulæ, poſtquam Pontifex immediatè dicit, *Benedictio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, vt ſis benedictus in ordine Sacerdotali, vt offeras placabiles hoſtias &c.* At in Codice Ratoldi Abbatis Corbeienſis 26. qui librum Sacramentorum accuratiùs deſcribendum curauit ante annos ferè 700. ſic expreſſa legitur, Pontificis caſulas ordinandis imponentis, ſuper eos deprecatio, *Benedictio poſt caſulas ſuper omnes: Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & his veſtibus Sacerdotalibus induti, protecti & muniti eſſe debeatis ab omnibus impugnationibus malignorum ſpirituum, & ſitis benedicti in nomine Domini noſtri, & offeratis hoſtias placabiles pro peccatis atque offenſionibus omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria, &c.* In antiquo Pontificali ad vſum Metropoleos Senonenſis, quod exaratum in membranis poſſideo, breuior hæc formula legitur; *Poſtquam reflexit Epiſcopus ſtolam ſuper humerum dextrum cuiuſque, veſtit eos caſula circa collum complicata, & ad partem anteriorem portenta dicens legendo ad vnumquemque ſic, veſte nuptiali induat te Dominus. Et reſpondeat ordinandus, Deo gratias.* Et infrà poſt oſculum pacis, *explicat Epiſcopus caſulam ſuper humeros ordinati, & dicit, Ora pro me frater; hic verò reſpondet, Dominus vobis retribuat.*

* Caſulam ſic appellat Petrus Bleſenſis ſerm. 41. in Synodo.

Imponendi verò Sacerdoti ordinando planetam ſeu caſulam mos, quàm antiquus & celebris in Eccleſia fuerit, patet vel ex hoc can. 27.

Concil. IV. Toletan. ante mille annos celebrati, ſedente Honorio I. &c. *Preſbyter ſi à gradu ſuo iniuſtè deiectus in ſancta ſynodo reperiatur &c. recipiat coram altario de manu Epiſcopi orarium & planetam.* Quæ ſanctio in ius commune Eccleſiæ relata legitur 11. q. 3. c. Epiſcopus, Preſbyter &c. Hanc porrò ante Gratianum recenſuerat Iuo Carnotenſis part. 5. ſui decreti, c. 367. eodem tenore.

CAPVT VIII.

Caſulam, ſeu planetam inter Panopliæ Sacerdotalis partes potiori loco, priſcos rituum ſacrorum Interpretes Latinos, recenſuiſſe.

SANCTVS Iſidorus Hiſpalenſis qui de Eccleſiaſticis officiis duos inſignes libros conſcripſit, de veſtimentis Clericorum nihil in iis tractauit: fortaſſis eo quod in libris Originum de cuiuſuis generis indumentis tam ſacris quàm profanis ex profeſſo diſſeruerat. Libro igitur 19. c. 24. cuius titulus eſt, *de palliis virorum*, caſulæ meminit & planetæ, his verbis, *Caſula eſt veſtis cucullata, dicta per diminutionem à caſa, quaſi minor caſa &c. ſic & Græci planetas dictas volunt, quia horis * errantibus euagantur, vnde & ſtellæ planetæ id eſt vagæ, ſuo errore motúque diſcurrunt.* Quibus verbis potiùs etymologiam attingit vocabuli caſulæ ſeu planetæ, formámque veſtis huius deſignat, quàm vſum ſacrum vel profanum exponit aut diſtinguit. * oris

At venerabilis Beda in Collectan. tit. de ſeptem ordinibus, diſertè meminit caſulæ, quam inter veſtes Sacerdotales, vt ſummam & præcipuam reponit; *Septimum*, inquit, *veſtimentum eſt quod caſulam vocant, hanc Græci planetam dicunt, quia ſuprema omnium veſtimentorum & ſuo munimine alia tegit.* In ordine Romano, vbi de ordinatione Preſbyteri, poſt orarij reflexionem ſuper humerum dextrum ordinandi, mox ſequitur: *Hic veſtiat eum caſula dicens, ſtola innocentiæ induat te Dominus. Accipe veſtem Sacerdotalem &c.* Et ſub titulo, *qualiter Epiſcopus debeat ordinari*, poſt Epiſtolæ lectionem & Gradualis concentum, ſic habetur: *Tunc egrediatur Epiſcopus deſignatus ad ſacrarium cum duobus Epiſcopis & Archidiacono cum Subdiaconibus & Acolythis, & induant ipſum electum cambagos, ſandalia, manicas, dalmaticam, planetam.* Et infrà, *Epiſcopi caſulis induti &c. iuxta altare &c.* vbi promiſcuè veſtem Sacerdotalem præcipuam, appellari patet *caſulam & planetam.*

Albinus Flaccus Alcuinus Bedæ diſcipulus lib. *de officiis Eccleſiaſticis* ſub titulo *de more eligendi Epiſcopum* ſecundùm veteres, ſeu *qualiter Epiſcopus ordinetur in Romana Eccleſia*, expreſſè notat Electum antequam Pontifici, à quo conſecrandus eſt, præſentetur, induendum eſſe ab Archidiacono *dalmatica & caſula &c.* quam, ſub periocha, *Quid veſtimenta ſignificent?* inter ſacros ornatus potiori loco reponit: mox ad

pallium digreſſus, quod ſuper Caſulam ſolet à Metropolitis geſtari, ad Archiepiſcopi & eius ſuffraganeorum diſcrimen.

Amalarius Fortunatus, Epiſcopus Treuirenſis, lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis, c. 19. de caſula differere aggrediens, *Caſulam*, inquit, *quæ eſt generale indumentum ſacrorum ducum, ante cæteras veſtes quæ ſequuntur*, (ſcilicet dalmaticam, tunicellam, pallium) *præponimus &c. Caſula dupla eſt, poſt tergum ſuper humeros, & ante pectus &c.*

Rabanus Maurus, Archiepiſcopus Moguntinus, lib. de inſtitutione Clericorum, c. 21. prænotato *de Caſula*, *Septimum*, inquit, *indumentum, quod caſulam vocant: dicta eſt autem per diminutionem à caſa, eo quòd totum hominem tegat, quaſi minor caſa: hanc Græci planetam nominant. hæc ſupremum omnium indumentorum eſt, & cætera omnia interiùs per ſuum munimen tegit & ſeruat.*

Walfridus Strabo in libello de rebus Eccleſiaſticis, c. 24. inſcripto *de vaſis & veſtibus ſacris*, vbi numerum veſtium veteris & noui Teſtamenti refert & exæquat, nouæ legis indumenta hæc octo recenſet, *albam, mappulam, orarium, cingulum, ſandalia, dalmaticam, caſulam & pallium:* Caſulam verò inſinuat eſſe propriam Sacerdotum, ſicut dalmaticam Diaconorum.

Iuo Carnotenſis Epiſcopus, in ſermone ſynodico *de ſignificationibus indumentorum Sacerdotalium* inter medium & finem, poſtquam de tunica linea talari, ſeu alba, amictu, ſeu ſuperhumerali, zona, ſtola ſeu orario *, quæ notatu cenſuit, digna propoſuit: tum de caſula ſubiungit, *his omnibus indumentis ſuperponitur caſula, quæ alio nomine planeta vocatur;* Demúmque monet, vt dalmatica proprium eſt inſigne Diaconorum, ſic caſulam eſſe Preſbyterorum.

* Mappulæ poſteà meminit.

Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, c. 207. expreſſè etiam tractat *de caſula* ſupremo Sacerdotis indumento & ornatu. Sic & Rupertus Abbas Tuitienſis lib. 1. de diuinis officiis, cap. 22. ſupremum inter Sacerdotales veſtes locum caſulæ adiudicat; ita & Petrus Bleſenſis ſerm. 41. in ſynodo inter medium & finem, enumeratis aliis myſticis veſtibus, ſic Preſbyterum alloquitur, *Planeta quæ & caſula dicitur, totum te circumdat & protegit, & cæteris ſupereminet.* Hugo à ſancto Victore eodem ſæculo claruit, aliquantulùm Petro Bleſenſi ſenior, qui eadem prærogatiuâ caſulæ meminit lib. 1. de Sacrament. c. 5. *Caſula quæ planeta dicitur*, inquit, *omnibus indumentis ſuperponitur &c.* Innocentius III. ſequentis ſæculi præcipuum lumen, pari modo de ſacris veſtimentis differens lib. 1. Myſteriorum Miſſæ, c. 58. *Poſtremò*, inquit, *ſuper omnes veſtes induit caſulam, vel planetam.* Eodem lib. paulò ſuperiùs, ſcilicet c. 42. iam de caſula quædam præmiſerat, tam caſulam quàm planetam pro re promiſcua, quin eadem prorſus, enumerans.

CAPVT

CAPVT IX.

Græcis Sacerdotibus diuina obeuntibus, caſula etiam ſeu planeta eſt in vſu: ideóque ab eorum interpretibus ſacrorum rituum ſacros inter ornatus connumeratur.

SI Iſidoro credimus & Bedæ, eandem veſtem, quam caſulam dicimus, Græci planetam vocitant quaſi erratilem, ſcilicet ἀπὸ τῆς πλάνης, ab errore, quòd ſcilicet corpus ſacri myſtæ totum oberret & circumtegat. Caſulæ tamen vocabulum in eodem ſignificatu, à Græcis vſurpatum comperitur. Extat tom. 6. Bibliothecæ ſanctorum Patrum, ordo inſtituendi Diaconum quando miniſtrat Sacerdoti in Liturgia, compoſitus & expreſſus à Philotheo Epiſcopo Conſtantinopolitano, vbi hæc inter alia legimus: *Cùm verò cantauerit Gloria &c. & tunc ingreditur Sacerdos & induit pethrachelium, & faſcidam, & caſulam, & fit introitus.* Et infrà, *Egreditur etiam retro Sacerdos demiſſam portans caſulam, & ſic abeunt in aſſuetum locum.* Sed inferiùs, *Sacerdos aperiens ſanctas portas demiſſum phælonium geſtans*, &c. Et adhuc poſteà: *At Sacerdos demiſsè phælonium geſtans & Euangelium ante pectus portans, exit & ſtat in medio templi, Diacono ad dexteram eius exiſtente cum cereo ardente.*

Quid ſit phælonium vel phænolium, Franciſcus Halerius præclarum Sorbonæ lumen, in opuſculo, quod libris de ſacris electionibus ſubtexuit, de tonſuræ Clericalis conferendæ ritu, artic. 4. vbi de impoſitione ſuperpellicei diſſerit, obiter inquirit, citatóque Euchologio, indicatóque itidem in margine dictionario Græco-barbaro Meurſij, de voce phælonis, mox ait: Veſtimenti genus Eccleſiaſtici eſt, & diuerſas patitur interpretationes. ſacco ipſum comparat Simon Theſ- ** Lib. de templo.* ſalonicenſis *, qui manicas non habet, vnde iis lineis indumentis comparari poteſt, quæ in pluribus regionibus Clerici deferunt, manicas non habentibus. Et quia ipſe Halerius inſinuâſſe in præmiſſis videri poterat ſe cenſere, apud Græcos phælonium idem eſſe, quod ſuperpelliceum vel ſupellicium appellamus, cauſam ſubinde innuit, ob quam hæc opinio minùs probabilis apparet: *Scio*, inquit, *inter ſuperpellicia noſtra & phænolia plures differentias notari poſſe, vt quòd phænolia aliquando eſſent purpurea, quòd quæ à Patriarchis & Epiſcopis geſtarentur, crucibus intertexta forent; ſed ſufficit mihi quamcunque veſtem ſacram Clerico faciendo imponi, æquè à Græcis ac Latinis.* Hactenùs doctiſſimus Halerius, qui vt patet, nonniſi obiter de phælonio meminit. Cæterùm ex Philotheo ſuperiùs laudato liquet, phælonium non eſſe veſtem ſimplicis Clerici, at nec Diaconi, nec Sacerdotis actu ſacrificantis, potiúſque eſſe planetam ſeu caſulam, quandoquidem pro eodem myſtico ornatu à Philotheo ipſo inſinuatur. Cùm enim antè dixiſſet, *Ingreditur*

Sacerdos & induit caſulam & ſit introitus; Et ſubinde, *egreditur &c. demiſſam portans caſulam:* poſtmodùm addit, *Sacerdos aperit ſanctas portas demiſſum phælonium geſtans:* Et infrà, *At Sacerdos demiſsè phelonium geſtans & Euangelium portans &c.* Vbi ſatis perſpicuum eſt idem indumentum eſſe phælonium, ac caſulam, ſecundùm Philothei mentem & rei ipſius vſum.

Accedit quod cenſet Halerius phelonium Epiſcopale, eſſe ſupremum illud indumentum quo apud Græcos, inſignes viſuntur ſacri Myſtæ, diuinis operantes; illud autem nihil aliud eſt quàm ipſa caſula ſeu planeta, doctiſſimo Goario iudice, qui in eruditiſſimis ſuis notationibus in Miſſam S. Ioannis Chryſoſtomi, ad hanc vocem τὸ φαινόλιον, καὶ φενόλιον, φελώνιον quoque (iungit) *ſicut & φελόνης, & φελώνης ſcribitur: & litteris tranſpoſitis φαιλόνιον, & φαιλόνης, atque etiam φαιλώνιον, & φαιλώνης, occurret pro Scriptorum, vel Auctorum varietate: quoquomodo ſcribatur, caſulam ſeu planetam interpretamur; in vtraque enim Eccleſia & eundem vſum & eandem formam ταυτότητα, & caſulam obtinuiſſe &c.* De hac forma & vſu poſteà.

CAPVT X.

De materia Caſulæ ſeu planetæ.

QVI volunt penulam cum caſula idem indumentum eſſe, facilè de materia penulæ è qua fieri ſolebat, in familiari habitu apud veteres, antequam ad ſacra myſteria celebranda aſſumeretur, ſeſe expediunt. Duplex enim cùm eſſet penulæ ſpecies, ratione materiæ, ſcilicet ſcortea & gauſapina; ſcortea erat è craſſiori lana, ad quam ſpectat illud Martialis:

Ingrediare viam, cælo licet vſque ſereno,
Ad ſubitas nuſquam ſcortea deſit aquas.

Et hoc Plinij, *Appulæ lanæ, breues villo, nec niſi penulis vtiles &c.* Gauſapinæ at verò ex prolixis villis fiebant, de quibus & iſtud Martialis,

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta,
Vt me vel media ſumere meſſe velis.

Scilicet, vt rectè ex his obſeruat Donius, veſtis fuit ponderoſior, quæque commoditate magis, quàm elegantiâ commendaretur.

At in ſacris non item; ſiue enim penula idem ſit quod planeta, aut caſula, dubio procul eſt ornatus gratiâ ad conciliandam myſteriis maieſtatem, veſtem illam ſupremam Sacerdotis, quam quidam penulam dicunt, alij iique longè plures & potiores caſulam ſeu planetam paſſim appellant, ex pretioſa materia confici iam olim vſu receptum. Antiquæ id picturæ quæ in Eccleſiis viſuntur, atque priſcis in Codicibus expreſſæ ſunt liquidò demonſtrant; ſed & illud Flodoardi teſtimonium de Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi, lib. 3. hiſtoriæ illius Sedis, cap. 20. *Amalarico religioſo Archiepiſcopo* (Turonenſi)

compatiens tribulationibus ipſius, & conſolans patientiam, atque congaudens ſanctitati eius, quem chariorem inter charos ſe delegiſſe ſignificat, mittens ei quædam pretioſa ornamenta, caſulam ſcilicet diapraſinam, quam habebat vnicam, & munuſcula cum ſolidis centum. S. Bonifacius epiſt. 3. meminit *caſulæ holoſericæ.* In Teſtamento S. Remigij verſus finem, *Vrſi Archidiaconi familiaribus vſus obſequiis, inquit, dono ei donum textilis, caſulam ſubtilem, & aliam pleniorem.* S. Chryſoſtomi extat apoſtrophe ad Sacerdotes, hom. 60. ad popul. Antioch. qua inſinuat veſte ſplendenti indutos, corpus Domini ſolitos fidelibus diſpenſare. Extant in Monaſterio S. Dionyſij cum ſacris oſſibus B. Peregrini 1. Epiſcopi Antiſſiodorenſis & Martyris, particulæ nonnullæ de eius caſula, quæ ex ſerico conſtat textili, cæruleі coloris, ſtellulis crocei coloris interſtinctis conſpicua. Repertum fuit ante annos 15. in Iotrenſi regio ac perantiquo Monaſterio Virginum, in crypta ſacræ ædiculæ beati Pauli 1. Eremitæ corpus integrum S. Agilberti Epiſcopi Pariſienſis, qui ante 1000. circiter annos ſedit, & erat frater S. Theodechildis 1. huius Parthenones Abbatiſſæ; iacens in tumulo lapideo, pontificalibus veſtimentis indutum, quibus ſupereminebat caſula ex ſerico & auro textili confecta, ad cuius extremas oras appenſæ defluebant fimbriæ aureæ, adhuc ita fulgidæ ac ſi recèns contextæ eſſent. has conſpexi, & contrectaui cum reliquo ſancti Pontificis ſacro ornatu, annulo maximè aureo, gemmato, ſculpto, elegantérque elaborato, de quo in Panoplia Epiſcopali, lib. 3. qui *de Epiſcopali annulo* totus eſt, c. 2. notatu quædam digna memoriæ poſterorum conſignaui. In tranſlatione corporis S. Norberti, Magdeburgô Pragam Bohemiæ metropolim, facta anno 1626. iuſſu Ferdinandi II. Imperatoris, repertum fuit eius venerabile corpus ſubtus altare conditum in Cœnobio S. Mariæ Virginis, quondam ordinis Præmonſtratenſis, toto adhuc pontificio apparatu exornatum. In actis tum conſcriptis auctoritate publica, quibus ſacra hæc panoplia ad amuſſim deſcribitur, ſignatim hæc notaui de Caſula: *Veſtis ſuperior quæ parte maxima ſupereſt, punicei coloris ſerica erat, aureis filis florum vel roſarum inſtar interſparſa; quæ totum corpus cum brachiis ad plantas vſque conueſtiebat veſtis, ſub hac tranſuerſæ manus ad modum crucis pectori ſuperpoſitæ: veſtis eadem obuoluta, duabus argenteis acubus ſuperiori parte gemmeo opere exornatis connectebatur &c. ſtola, manipulus, pallium pontificale, potiore parte integra; annulus etiam aureus ſaphiro inſignis reperiebatur &c.* hæc ibi. Fuiſſe Adhelaidem coniugem Hugonis Regis Francorum, matrem Roberti Pij in donariis texendis Sacerdotalium veſtium admodum induſtriam, atque in conferendis munificam, memoriæ prodidit Helgaudus Monachus Floriacenſis, in Epitome vitæ ipſius Roberti Regis, vbi hæc inter cætera leguntur: *Mater quoque eius ſupradicta Adhelaidis, admiranda ſatis in ſancta deuotione Regina &c. fecit ſancto Pontifici Martino* (id eſt ad vſum eius Eccleſiæ donauit) *caſulam auro operatam optimo, inter ſcapulas maieſtatem veri Pontificis continentem, Cherubim quoque ac Seraphim colla Dominatori omnium ſubmittentia; in pectore verò agnum Dei, noſtræ redemptionis hoſtiam; quatuor è regione præfigens*

Extant in Bibliotheca Præmonſtratenſi, lib. 2. pag. 410. & ſeqq.

animalia Dominum gloriæ adorantia. Fecit & eidem Beato Confeſſori cappam vnam intextam auro, duas verò ex argento. Speciali autem ſuo poſt Dominum amicorum amico, Beato videlicet Dionyſio, caſulam miro iridem opere factam contulit. Cui & aliud vt tantam decebat fœminam, ornamentum contexuit, quod vocatur orbis terrarum, illi Caroli Calui diſſimillimum. qui ſcilicet aliud eidem beatiſſimo Martyri Franciæ Apoſtolo ac Protectori obtulerat. Idem Helgaudus paulò pòſt de Roberto Rege, eiuſdem Adhelaidis filio: *Dominum Odolricum Epiſcopum* (ſcilicet Aurelianenſem) *in Sacerdotali veſtimento,* (caſula ſcilicet) *ſic honorauit, vt aſtans in ſacrificio Domini circumtectus ex omni parte auro & purpura videretur.* Poſteri Reges in hanc Eccleſiam deuoti pleraque alia Sacerdotalis Panopliæ inſignia, præclaráque ornamenta eidem eximia pietate contulerunt: ſed quæ hæreticorum furor (qui ipſam, toto orbe, ſanctæ Crucis illuſtrem Baſilicam opus magnificentiſſimum Roberti Regis ſolo tenùs euerterunt) horrenda impietate diripuit. Quod teſtatum fecit Annaliſta inſignis huius Eccleſiæ, lib. 15. ſub Ioanne X. Antiſtite ad calcem inuentarij reliquiarum, quas ab eius Sacrario illi ſectarij funeſtis auſibus abſtulelerunt die 2. Maij ann. 1562. *Ex harum omnium reliquiarum* (inquit, n. 14.) *thecis oſſa Sanctorum demum extracta* &c. *tandem verò aurum omne ponderis 49. marcharum, & argentum 833. & eo amplius, quin & veſtes omnes & ornamenta ſacra, auro & argento pretioſiſſimíſque colorum fucis pertexta, profano ſacrilegio direpta ſunt: Eodémque modo per omnes Eccleſias vrbis, Diœceſis, & totius Galliæ ab eis factitatum eſt incredibili & luctuoſo honoris Dei & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dehoneſtamento, conflata ex illis moneta publica.* At hoc πάρεργον.

In teſtamento Leodebodi S. Aniani Abbatis *, quod ſub Clodouæo II. Francorum Rege anno Domini 623. conditum eſt, ab eo hæc legata prædictæ Eccleſiæ S. Aniani cenſentur; *Pari modo vaſa dono argentea, anacleta penſentia libris 13. & vncias duas; ſandalia 2. ad Miſſas, & oralia ad menſam, vna cum cappis* **, *& omni apparatu* (à quo abeſſe planetæ ſeu caſulæ, quæ præcipuæ ſunt veſtes Sacerdotales, non poterant) *& vela 2. acu picta.*

* Extat apud Carolum Sauſſeyū lib. 4. Annal. Eccleſ. Aurel. ſub Leodebodi Aurel. gloria, n. 5. & ſeqq. Et apud Querceranum Tom. 4. Scriptorum hiſtoriæ Francorum.

** Fortè ſub capparum nomine, Caſulas etiam includit.

Caroli Magni Regis Chriſtianiſſimi & Imperatoris, pia quoque munificentia in eiuſmodi ſtudio emicuit ornandi Eccleſias pretioſis Sacerdotum veſtimentis, quibus maximè locupletauit, quam regiô ſumptu decoréque conſtruxerat baſilicam Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ Aquiſgranenſem: ita enim qui aderat refert Eginardus, *Sacrorum vaſorum ex auro & argento, veſtimentorúmque Sacerdotalium tantam in ea copiam procurauit, vt in ſacrificiis celebrandis, ne ianitoribus quidem, qui vltimi Eccleſiaſtici ordinis ſunt, priuato habitu miniſtrare neceſſe fuiſſet.*

Iuonis Carnotenſis extat ſermo ſynodicus inter alios eius ſermones de rebus Eccleſiaſt. quo tractat de ſignificationibus indumentorum Sacerdotalium, ex quorum ſplendore & gloria elicit morum nitorem, vitæque innocentiam, qua præfulgere Chriſtiano populo Sacerdotes & Epiſcopi ſuæ ex dignitatis titulo obſtringuntur: *De indumentis ergo Sacerdotalibus* (inquit) *vel de Pontificalibus diligenter conſi-*

derandum eſt, quid in moribus Sacerdotum ſignificet illa varietas veſtium, quid fulgor auri, quid nitor gemmarum, cùm nihil ibi eſſe debeat ratione carens, ſed forma ſanctitatis, & omnium imago virtutum. Hactenùs Iuo Carnotenſis, piè ac eleganter.

CAPVT XI.

De forma Caſulæ Sacerdotalis.

REMORAM hîc in ipſo diſſertatiònis aditu nobis iniicit doctiſſimus Stephanus Duranti, dudum Senatus Toloſani primarius Præſes: qui lib. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ, c. 9. quo tractat de ſacris veſtimentis, ex forma elicit planetam, à caſula rem diuerſam eſſe. deinde ipſam caſulam quæ hodie in vſu eſt, diſcrepare admodum à caſula quæ pridem in ſacris vſitata fuit: *Quia verò* (inquit) *antiquitùs caſula, auctore Onuphrio, cùm latiſſimo initio, & ſine manicis erat, eiúſque limbus ſuper brachia & ſcapulas proiectus errabundus totum corpus circumibat, planeta ab errore dicebatur; quæ tamen apud me* (ait Duranti) *ſuſpecta ſunt. Nondum legi Græcum Auctorem, in quo* πλανήτης *pro caſula vſurpetur: deinde nullus antiquorum Latinorum planetæ pro caſula meminit; ſanè ætate noſtra ac ſuperioribus aliquot ſæculis, caſula ab vtraque parte conciſa ante & retro ſine errore vllo producitur vſque ad talos, adeóque acciſa, atque in aliam ſpeciem deformata, vt ſi cum antiqua caſula vnde defluxit componatur, vix ſuum tueatur nomen. Lindanus lib. 4. Panopliæ Euangelicæ, c. 56. Ad hæc caſula vulgò cappa appellari ſolet, ea vt quidam exiſtimant ratione, quòd cætera indumenta totúmque hominem capiat, contegátque. At mihi probabilius videtur, quod caſulam vt tugurium ſignificat, Ruſtici cappam appellare conſueuerint. Vnde coniicio caſulam dum ſacrum veſtimentum notat, cappam quoque appellatam. Plura de caſula Amalarius Fortunatus lib. 6. de Eccleſ. off. c. 19. & lib. 3. c. 3. Durandus in Rationali lib. 3. c. 7.* Hactenùs Duranti: quæ expenſione ſunt digna.

Siquidem 1. quod dicit ſuſpecta ſibi eſſe, quæ Onuphrius cenſuit de identitate planetæ & caſulæ; eo quòd apud Græcos auctores nihil de planeta pro caſula repererit: non eſt quòd Onuphrio litem moueat hoc aſſerenti, ſed S. Iſidoro idem dicenti annis fere mille, antequam calamo manum Onuphrius admouiſſet. At diſſenſionis anſam præcidit Donius rectè iudicans, planetæ nomen non à Græcis fontibus deriuatum, ſed è Latinæ ſcaturiginis meatibus profluxiſſe: *Sed cùm*, inquit, *apud Latinos natum ſit hoc vocabulum, eóque tempore quo Græcæ linguæ non erat adeo frequens vſus: crediderim potiùs eius radices in Latio quærendas, quoniam ſic appellata fuerit quòd plana eſſet, hoc eſt nullis vel paucis plicis corrugata.* Veruntamen quicquid ſit de origine nominis, certum eſt apud Græcos caſulam æquè ac apud Latinos iampridem in vſu ſacrorum eſſe, cúmque demiſſa eſt (quemadmodum eam gerit

Sacerdos ante diuinam actionem inceptam, & poſt eam peractam) ita planam eſſe, vt non incongruè à voce Latina planeta dici poſſit, vtpote vix vllis aut paucis admodum plicis corrugata, ſicut videre eſt in hac pictura à doctiſſimo Goario, ex viſu rem exprimente in ſcholiis ſuis eruditiſſimis in Euchologium Græcorum à ſe editum, hunc in modum exhibita.

In ordine ſacri miniſterij pag. 61.



II. Quod ait Duranti, antiquorum Latinorum neminem planetæ pro caſula meminiſſe, palam euincit eius memoriæ lapſum, hìc enim non agitur de auctoribus quibuſque, at de Latinis interpretibus ſacrorum, rituum: porrò inter hos ſcriptores, Venerabilem Bedam iure ſuo, prærogatiuâ antiquitatis eminere, Duranti inficiari nollet. Diſertè verò ipſe Beda in Collectaneis, tit. de ſeptem ordinibus, ſic ait, *Septimum veſtimentum eſt quod caſulam vocant, hanc Græci planetam dicunt.* Quid quod ordo Romanus antiquus manifeſtè planetam pro caſula ponit, locis ſuprà ſignatis c. 8.

III. Quod affert ex Lindano de diſſimilitudine caſulæ nóſtræ ab antiqua, aduerſus pronunciatum ſuum facit; ſiquidem etſi nomen diuerſum ſit, caſulam innuit eandem olim formam habuiſſe, qua conſtabat planeta; nam diſſimilitudinem, parem nomine, ab vtraque antiqua planeta ac caſula Duranti arguit. Cæterùm non diffitetur Goarius præfatus caſulam noſtram à veteri planeta & caſula aliquatenus diſcrepare, verùm rectè negat hinc ſequi vix nomen priſcum planetæ vel caſulæ, ſibi tueri poſſe: *Immeritò propterea Guillelmus Lindanus cum querulis aliquibus renouandæ in omnibus antiquitatis cupidis, modernam caſulæ dimidiatæ, vt ait, & tunicatæ formam incuſat, quaſi eidem vſui & propoſito, ac antiquum Græcorum φαινόλιον, deſeruire nequiret, quæ propter expandenda ſiue commodè mouenda brachia, à lateribus conſciſſa eſt, & breuior facta. Itáne Geometrica amuſsis Eccleſiaſticarum veſtium figuram à conſuetudine, tempore, Pontificum iudicio petendam, delineabit & moderabitur? Non deſiit certè caſula Latina, etiam imminuta, in ipſam vocem Græcam, vt ab ea nuncupetur, ius habere.* Rectè huc vſque Goarius, & ſolerter ac eleganter. Verùm iure inficias iri non poſſe cenſeo, quoad caſulam con-

ſciſſam vel decurtatam, aliquod diſcrimen ipſo iure admittendum eſſe. Honorius Auguſtodunenſis diffuſam ſic caſulam (vt Philotheus Græcanicus Patriarcha denominat) apud Latinos deſcribit * *Caſula &c. Quæ planeta dicitur, quod errabundus limbus eius vtrimque in brachia ſubleuetur. Hæc in pectore & inter humeros duplicatur; in vtroque brachio triplicatur.* Cùm igitur caſulæ ſeu planetæ pondus & amplitudo ſacrificanti eſſet oneri, eo quòd æqualiter antè & retrò, ac vtroque latere in ima defluens, paribus oris Sacerdotem, diuina munera populo adoranda exhibentem nimium conſtringeret: magis commodo acceſſum iri viſum eſt, tam Sacerdotis quàm ſuffragantium ei miniſtrorum, ſi pondus ipſum extenuaretur, aliquid amplitudinis deciſum iret, & quia Sacerdotis actio à brachiorum motu, manuúmque eleuatione potiſſimum pendebat, ipſa ſacra veſtis ſupra cubitos vtrinque conſcinderetur, quò expeditiùs ſuper viuificam hoſtiam ſalutis ſigna diuinus Myſta efformaret, itidémque ipſam redemptionis noſtræ victimam in diuinæ Maieſtati munus oblatum attolleret. Quæ deciſio non ita recens mihi exiſtimanda videtur, ac paſſim apparet. Enimuerò iam eius initium licet conſpicere in S. Siluestri imagine, ex antiquiſſimis iconiſmis expreſſa, quæ Liturgico Codici ad vſum Eccleſiæ Leodienſis, ante annos fermè 700. graphicè delineato, cernitur parata hoc qui ſequitur genuino, quàm proximè acceſſum iri potuit, charactere.

* *Gemmæ animæ cap. 207. lib.*

S. Silueſtri I. Papæ in Pontificali apparatu exiſtentis, vetus & genuina figura.

Ex membraneo deprompta Cod. M S C. qui annos 650. ſuperat, & apud me ſeruatur.



Hac in figura videre eſt, caſulam ſeu planetam non adæquatè rotundam eſſe; à parte enim anteriori (haud dubium pariformiter in poſtica) deſinit in acumen; haud ita tamen deciſam, vt adhuc non defluat ſuper cubitos, quin brachiorum vſque commiſſuram Sacerdotis, plicáſque & rugas ideo quaſdam ex plexu, ad motum brachiorum, manuúmque eleuationem, ſeu protenſionem, neceſſariò patentes exhibeat. vnde adhuc erat neceſſum Diacono tum ſacrificio miniſtranti, diuinam attollenti ſupremum ad cultum hoſtiam, vel myſticum poculum, Sacerdoti, defluentis in eius brachia manúſque oneris pondus, quo minutum iret, alleuiare extremæ oræ ſacræ veſtis eleuatione. De quo more ritúque adhuc in Rom. Cæremoniali, ſub tit. de officio Diaconi, hæc rubrica extat: *Dum celebrans genufl ctit poſt conſecrationem hoſtiæ, ſtatim poſteriorem planetæ partem per infimam partem in medio, capit ſiniſtra & eleuat: Et ſtatim facta eleuatione antequam celebrans genuflectat, eam deponit, ſine oſculis, dexterâ verò celebrantem circa brachium dextrum ſuſtentat dum ſurgit.* Et infrà, *Dum celebrans conſecrato calice g nuflectit, ipſe iterùm capit planetam* (Diaconus) *& eam eleuat vt priùs!* Viget adhuc in virenti obſeruantia eiuſmodi praxis, ſed quæ ſanè iam videri poſſit minùs neceſſaria, cùm cauſa ceſſârit, propter quam extremæ oræ caſulæ fiebat per Diaconum eleuatio: nam adeo deciſa eſt vt plurimum veſtis illa Sacerdotalis, vt vix quoad vtrumque latus infra humeros dependeat, tantùm abeſt vt pertingat vſque ad cubitos. Qua in re nonnihil decidiſſe decori ipſi planetæ & decentiæ Sacerdotali ornatui, iam penè prorſus denudatis brachiis celebrantis, eſt ingenuè quod fatear; Id verò minimè contigiſſe ex vllo Pontificum iudicio, Eccleſiæque lege, ſed ex priuato genio quorundam, qui occaſione vitandi incommodi, quod patiebatur Sacerdos ex planetæ amplitudine & limborum nimia protenſione, quid decidendum ab vtroque latere non abs re exiſtimantes, haud tamen ſeruato iuſto moderamine, aliud in extremum declinarunt: nimium ſiquidem materiæ detraxerunt ab vtraque parte, & ſic veſtem ipſam Sacerdotalem deformârunt, vt non ſolùm differat plurimum ab antiqua forma, verùm prorſus deflexerunt à myſtica ratione, cur ipſa ſuprema veſtis cæteras omnes, totúmque ab humeris corpus Sacerdotis circumtegeret. Eſſe ſiquidem planetam ſeu caſulam ſignaculum charitatis quæ ſupereminet cæteris queiſque virtutibus atque donis, communis eſt (vt infrà patebit) priſcorum & neotericorum interpretum Catholicæ Eccleſiæ rituum, ſententia. Aliquod igitur temperamentum (vt mihi quidem videtur ſaluo prudentiorum iudicio) adhibendum eſſet, adeo vt nimio onere Sacerdos non grauaretur, nec præpediretur à brachiorum, manuúmque libero motu actúque, & tamen decoro conſuleretur ne denudata prorſus brachia ab humeris apparerent, ipſáque caſula ſuæ ſignificationis rationem aliqua ex parte retineret.

Circa formam caſulæ diſcrimen notat Donius inter Græcam & Latinam, *Quòd in illa*, inquit, *ab antiqua conſuetudine complures crebræque cruces depingi conſueuerint, in noſtra verò vnica tantùm, eáque ampliori for-*

ma ex latiori faſcia à ſummo ad imum pertingenti, quam alia tranſuerſum ſecat. Et verum eſt quidem in antiquis Patrum Orientalium picturis conſperſas crucibus ſacras earum veſtes conſpici. Hinc in libro noſtro *de ſacro ritu præferendi crucem maioribus Eccleſiæ Prælatis*, cap. 1. notâſſe dudum meminimus, Pontium à Leone à Corduba, Epiſcopum Placentinum, qui Romæ S. Epiphanij libellum de animalibus edidit, ex antiquis monimentis protuliſſe expreſſam ad viuum (vt aiunt) eiuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis imaginem, cuius ſuperiorem veſtem cernere eſt totam crucibus decoratam. Sed tamen hîc obſeruaſſe iuuat apud Græcos non ab omnibus ex æquo ſacrificantibus caſulam geſtari inſignitam ſalutiferæ crucis ſignaculis. Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, qui ante annos 600. librum inſignem de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis ſcripſit, aliáque opuſcula pleraque ad Eccleſiaſticas theorias & praxes ſpectantia, libro *de Templo*, diſertè aſſerit, ſua ætate caſulas crucibus conſperſas fuiſſe proprias Epiſcoporum. *Inferiores pontifices* (inquit, id eſt Epiſcopi) *caſula crucibus vndique plena induuntur.* (Metropolitæ enim ſaccum deferunt, quod genus veſtimenti eſt ad colobij formam propè accedens) *triúſque idcirco ſermo, multicrucium eam appellat & Paſſionis Domini ſignum eſt; hócque clarè docet Pontificem eum imitari, qui per paſſionem & crucem veram iuſtitiam conſummauit.* Idem verò auctor lib. de Sacramentis (quem MSC. ait Poſſeuinus in Apparatu, ſe vidiſſe in Bibliotheca Imperiali, Viennæ) *Nullus Sacerdos Pontifice excepto apud Græcos cruces fert in caſula, & in capite ferre, ſicut nec ſupergremiali ſe ornare poteſt: His autem qui cæteris ſunt præfecti ſolùm in capite crucem & in ſacro faciendo ſupergremiale aſſumere permittitur; quandoquidem vnà cum Sacerdotis dignitate, iudicis quoque poteſtatem ſunt adepti, aut miniſterio quodam Eccleſiaſtico & præcellenti ſunt inſignes.*

Prodiit Pariſiis apud Rob. Steph. ann. 1628.

apud Goarium, p. 113.

Hac neceſſaria obſeruatione præmiſſa quoad Græcorum morem, alia animaduerſio itidem circa ritum Latinorum adhibenda venit. Dicit Donius in noſtra caſula vnicam tantùm crucem efformari, eámque ampliori forma, ex latiori faſcia à ſummo ad imum pertingente, quam alia tranſuerſum ſecat. Id paſſim fieri apud nos Latinos non abnuo, ſed hæret mihi in eo aqua, quod ipſe Donius ſubiungit: *Hanc Itali anteriori plagæ aſſuunt, Galli verò poſteriori; Nec deeſt vtrique conſuetudini ſua ratio & probabilis cauſa.* Quicquid ſit etenim de Italorum more, certè etiam in Gallia vſus iſte, non eſt ab Italico adeo diuerſus, nam etiam viſuntur apud nos caſulæ crucis ſignum à ſummo ad imum veſtis Sacerdotalis ferentes in anteriori parte: ſed quæ hac forma conſtant Epiſcoporum ſunt propriæ; ſicut quæ à tergo præferunt propriæ ſunt Preſbyterorum. Ritus tritior tamen in Gallia is eſt, quo caſulis in parte poſteriori vel crux ſola, vel Chriſtus in cruce pendens aſſuuntur. Sed vt rectè monet Donius, non deeſt vtrique conſuetudini de cruce à fronte, vel à tergo intexta Sacerdotali veſti, ſua ratio & probabilis cauſa. Chriſtus ſuper humeros ſibi impoſitam geſtauit crucem, quò ſpectat Propheticum illud: *factus eſt principatus eius ſu-* *Iſai. 9.*

per humerum eius. At in corde & ſuper pectus quaſi ſpeculum gerebat Apoſtolus, cuius vox erat: *Nihil me arbitratus ſum ſcire inter vos, niſi Ieſum & hunc crucifixum. Reſpicite in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem; vt ne fatigemini animis* Hebr. 12. 3. *veſtris deficientes.* In hoc igitur ſpeculum Sacerdos debet annunciaturus mortem Domini in tremendo myſterio, ſuos defigere obtutus, mentiſque omnes cogitatus & affectus conuertere, quin & ſeipſum Chriſto crucifixo percupere iri confixum, iuxta quod ait Apoſtolus: Gal. 2. 20. & 6. 14. *Chriſto confixus ſum cruci; viuo ego iam non ego, viuit in me Chriſtus: Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini mei Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Nec enim ſatis eſt vt Sacerdos incruentum celebrando ſacrificium, Chriſti commemoret paſſionem, at operæ ſimul pretium eſt, vt ſeipſum cum Chriſto crucifixo offerat Deo hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, quod ita profectò fiet; ſi Chriſti ipſius crucifixi ſe conformem imaginis, diuinam hanc actionem exequendo præſtiterit. Pulchrè id docet Petrus Bleſenſis in rythmico tractatu, quem inſcripſit *de Sacroſanctis venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ myſteriis*, c. 7. cui titulus eſt, *Quòd Preſbyter in conſecratione ſacrificium commemorans, & imitans cum lacrymis paſſionem Chriſti, ſit Chriſtus & crucifixus, & ſacrificans ac ſacrificatus.* Series verò eſt huiuſmodi:

Adſiſtens aræ pro ſacris Preſbyter orat;
Mentem cæleſtem Deus implet, gratia rorat.
Compluit à ſuperis diuina potentia totum,
Quicquid Preſbyteri ſacrat admirabile votum:
Nil aliud ſacrifex eſt quàm Chriſti ſimulachrum:
Dum tractat corpus Chriſti cum ſanguine ſacrum,
Dúmque ſuos oculos in cælum cordáque figit,
Extendendo manus & brachia ſe crucifigit,
Et dum quæ fuerit mors Chriſti flendo retractat,
Facta ſuæ carnis Domino velut in cruce mactat.
Sic Chriſtum, Chriſtus offert homo victima factus,
Sicque crucem patitur, dum commemorat crucis actus,
Qui recto Chriſtus, quomodo crucifixus & vnctus,
Per fidei membrum, cum Chriſti corpore iunctus.

Eadem mente cecíniſſe legitur Hildebertus celebris ille Cenomanenſis Epiſcopus, & ſubinde Turonenſis Archiepiſcopus, qui Bleſenſi præluxit, in carmine *de officio Miſſæ*; ſic enim de crucis myſterio tam quod gerit habitu, quàm actu conſignat Sacerdos ſuper tremenda myſteria, ipſe modulatur Hildebertus in carmine de officio Miſſæ, ad illa verba, *Te igitur clementiſſime pater &c.*

Intrabat Præſul vitulorum ſanguine ſacrum,
Intrauit proprio Chriſtus & ipſe polum,
Intrat agens ſacrifex in ſanguine ſemper ad aram
Effuſi ſemper ſanguinis ipſe memor.
Nam quoties fuſum verbo, cruce, mente retractat,

Hunc ſpecie toties in ſacroſancta gerit.
Quippe velut quidam cruor eſt, meminiſſe cruoris,
Huius nos memores, crux iterata facit.

CAPVT XII.

De vſu Caſulæ Sacerdotalis.

ANTE ſexcentos annos, inceſſit Ioannem Rothomagenſem Archiepiſcopum pia cupido inquirendi, *quiſnam eſſet vſus legitimus ſacrarum veſtium?* nonnulláque de earum rectè gerendarum ritu, à ſe annotata tranſmiſit ad Lanctrancum celebris famæ Archiepiſcopum Cantuarienſem: ſciſcitando ab eo quid de iis ſentiret, obſecrandóque ſubiunctim, vt quæ ipſe de eiuſmodi rebus cenſebat, ſibi renunciare litteris dignaretur; ab hoc igitur hoc reſponſum tulit, quod inter epiſtolas ipſius Lanctranci etiamnum extat in epiſt. 3.

Domino, merito ſanctitatis inſigniter * offerendo, Ioanni Normanorum Archiepiſcopo: Lanctrancus indignus vocari Epiſcopus, bene cœptis meliora connectere. * *rectiùs* efferendo

GRATIAS *ago colendæ Benignitati veſtræ, quia non ſolùm præſens præſentem me indeficienti amore dilexiſtis, verùm etiam abſens pro abſente paternam vos curam gerere, ſalubri admonitione euidenter oſtendiſtis. Abſit à me, longéque à ſenſibus meis hunc errorem auertat diuina Clementia, vt moleſtum mihi ſit, ſiquis reſpectu ſalutis meæ ſollicitudinem gerat, ſi ea quæ de actibus meis ſibi diſplicent, pietate motus indicare non differat; ſi aliter me corrigere non poteſt, verbis quoque obiurgare præſentem, aut litteris increpare abſentem non negligat; ſed amicus à me potiùs iuſtus exiſtimabitur, qui in miſericordia corripit me & increpat; hoſtis autem peccator, qui oleo prauæ adulationis, caput meum aut impinguat, aut impinguare laborat, &c.*

*Quicquid verò ſanctitas veſtra de ſtola ſcripſit, multum mihi placuit, nec vnquam diſplicuit: ſed quod ſubiunxit, quia ad dedicandam Eccleſiam Epiſcopus proceſſurus ſacris veſtibus ex inſtitutione Epiſcopalis ordinis debeat eſſe indutus, atque in expoſitione ipſarum ſacrarum veſtium caſulam poſuit, valde ſtupui, quia tale aliquid me nunquam * vidiſſe, meminiſſe non potui. Diuerſos enim diuerſarum Eccleſiarum præſules, Eccleſias dedicare ſæpe conſpexi, omnibúſque, quæ ab eis facta ſunt quantum potui curam adhibui; qui etſi in nonnullis diſſimilia egerint, omnes tamen cappis induti vſque ad celebrationem Miſſæ, debita ſeruitia, ſine caſula expleuerunt. Denique S. Leo Romanæ Sedis ſummus Antiſtes, Romericenſem me præſente Eccleſiam dedicauit, cunctáque quæ ante Miſſam fieri ordo depopoſcerat, ſine caſula conſummauit.* Hactenùs Lanctrancus Archiepiſcopus venerabilis, harúmque rerum quas enarrat, non tam cenſor, quàm ſpectator, teſtíſque omni fide digniſſimus. * rectiùs vnquam

Ex cuius dictis hoc reſultat liquidum, 1. Quòd inter ſacras veſtes præcipua ſit caſula Sacerdotalis. 2. Quòd adeo ſit diuinæ actioni addicta, vt extra ſacrificium pro quolibet officio etiam conſecrationis Eccleſiæ non debeat ab Epiſcopo geſtari. 3. Quòd cappa vſu recepta ſit, vt vice caſulæ ornatui eſſet Sacerdotis vel Epiſcopi, quæcumque alia officia ſolenniter extra ſacrificium obeuntis.

Sed contra eiuſmodi axiomata erit fortaſſe qui obiiciat, in die ſacra Paraſceues non fit ſacrificium, & tamen Sacerdos caſulam ſacris in cæremoniis defert. Adde igitur, ad altare, non quidem in adoratione Crucis, quando enim eò proceſſurus eſt, caſulam ad altare deponit, nec reſumit, niſi ad viuificam hoſtiam, quæ ex præſanctificatis in Cœna Domini muneribus ad hoc reſeruata fuit, vt ipſa die Paraſceues à Sacerdote conſummaretur. Hanc igitur vt adorandam, ſumendámque ad altare referat ex ſacrario, vbi repoſita fuerat antecedenti die; caſulam quam depoſuerat: vt alios peragere ritus, reaſſumens, eo vſque indutam gerit, quoad diuinâ peractâ ſynaxi, illicò ipſam deponat; nec illa die pro qualibet alia cæremonia, etiam cùm crux ad ſacrarium referenda eſt, ſolet reſumere.

Nec eſt quod iterùm quiſpiam obiiciat: vſu receptum eſt, vt in feſto Corporis Chriſti Sacerdos extra Eccleſiam indutus omnibus veſtibus ſacris, ipſáque caſula perornatus adſit præſitque ſolenniſſimæ Proceſſioni, quæ fieri illa die toto orbe Chriſtiano ſtabili ritu conſueuit. Nam reſponſio perſpicua eſt: Eo enim tum apparatu Sacerdos extra ſacra adyta procedit, quia diuinam ipſam hoſtiam ſuperno venerandam cultu, ſacris in manibus portat, in qua Chriſtus realiter exiſtit, qui æternæ noſtræ ſalutis hoſtia ſimul, & ara, Sacerdos & ſacrificium eſt.

CAPVT XIII.

Caſulam Sacerdotalem approbatam à Deo nonnullis gratia ſua ſpectatis teſtimoniis: Eandémque eximio munere datam à Beatiſsima Virgine Deigenitrice Maria pleriſque viris ſanctitate illuſtribus, ſignatim verò S. Hildephonſo Archiepiſcopo Toletano, perpetuæ eius virginitatis acerrimo defenſori, in præmium pij laboris: nec-non B. Bonito Epiſcopo Aruernenſi, propter ipſius inſignis puritatis honorem. Itémque S. Thomæ Cantuarienſi, in pignus glorioſi agonis & coronæ quam propediem ex inſigni martyrio reportaturus erat.

MVNVS cœleſte Caſulam eſſe Sacerdotalem, pleriſque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis liquet, eſſe fidelium memoriæ conſignatum. Pauca tamen, ſed illuſtria quædam hac de re exempla in præfixi lemmatis confirmationem, hîc operæ pretium proferemus.

ARTICVLVS I.

De Caſula ſeu veſte Sacerdotali, quam S. Hildephonſus Toletanus Præantiſtes, ſingulari gratificatione à Beatiſſima Virgine accipere promeruit.

DE S. Hildephonſo Epiſcopo Toletano, qui ſedebat circa annum 658. Vitaliano Papa Eccleſiæ vniuerſali præſidente: Zixilla, aliàs Cixilla, qui ſequenti ſæculo eidem Eccleſiæ præfuit, in eius vita commemorat, quam ex Maiorum relatione geſtarúmque rerum authenticis monimentis collegit & deſcripſit.

His excuſſis, alia adhuc miracula Spiritus ſanctus per eum in ipſo Dominico Aduentu non poſt multos dies, peregit. Sed quia omnia longa ſunt recenſere, quæ eius temporibus in Toletana vrbe dominus Vrbanus & dominus Euantius per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur: Quamuis qui mecum hoc audierunt, cùm hæc legerint, dolebunt prætermiſiſſe me tam multa & magna quæ mecum ſciunt. Superueniente verò die ſanctæ & ſemper Virginis Mariæ, ante tres dies, tribus diebus letanias peregit, & Miſſam quæ in eius laude decantaretur, perfecit, quæ eſt ſeptima. Aſt vbi ventum eſt ad eius ſanctam ſolennitatem, Rex minùs de timore Dei ſollicitus, & de ſuis iniquitatibus bene conſcius, ad audienda ſolennia de more acceſſit. Nam ſeruus Dei Hildephonſus maiori adhuc munere fretus, dum Dominæ ſuæ, cui Deo Præſule ſeruiebat, celebritatem orans ſuſciperet, & in laude genitricis Dei ſummo cum cordis affectu harmoniæ modulatione compoſita Muſicæ appeteret, & libellum Virginitatis more ſynonymo teſtimoniis veteris & noui Teſtamenti plenum, comptè ederet, & dignâ facundiâ & magnificentia iam præfata Dominæ ſuæ exornaret; dum ante horas matutinas ſolito more ad obſequia Deo peragenda conſurgeret, & vigilias ſuas Domino conſecraret, Diacono vel Subdiacono ante eum facùlis præcedentibus; ſubitò oſtia aperientes, & Eccleſiam intuentes, atque ſplendore cœleſti oculos defigentes, lumen quod ferre non valuerant cum tremore effugientes, lampadas quas manibus tenebant, reliquerunt, & ſua veſtigia per quæ venerunt, adeuntes, penè mortui reuerſi ſunt ad ſodales. Sollicitè omnis congregatio requirit, quid de Dei ſeruo ageretur cum Angelicis choris, quid tam ſubitò expauerint cuſtodes, & terga ab oſtio Eccleſiæ dantes reuerſi ſunt ad proprias ſedes?

At ille ſibi bene conſcius, ante altare S. Virginis procidens, reperit in cathedra ipſam Dominam ſedentem, vbi ſolitus erat Epiſcopus reſidere, & populum ſalutare. Quam cathedram nullus Epiſcopus adire tentauit, niſi poſteà dominus Siſibotus, qui ſtatim Sedem ipſam perdens exilio relegatus eſt. Et eleuatis oculis aſpexit in circuitu eius, & vidit omnem abſidam Eccleſiæ repletam Virginum turmis, de cantationibus Dauid modulata ſuauitate aliquid decantantibus. Aſpiciénſque in eum (vt ipſe ſibi conſciis & bene cariſſimis referebat) hac eum allocuta eſt voce: Propera in occurſum meum ſerue Dei rectiſſime, accipe munuſculum de manu mea, quod de theſauro filij mei tibi attuli, ſic enim tibi opus eſt, vt benedictione tegminis, quæ tibi danda eſt, in meo tantùm die vtaris. Et

quia oculos fidei fixos in meo ſemper ſeruitio tenens permanſiſti, & laudem meam (d ffuſa in labiis tuis gratiâ) dulciter in cordibus fidelium depinxiſti: & veſtimentis Eccleſiæ iam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuariis meis cum aliis filij mei ſeruis lactaberis. Et hæc dicens ab oculis eius, vnà cum Virginibus, & luce qua venerat remeauit. Remanſit igitur Dei ſeruus intantùm ſollicitus de gloria adipiſcenda, inquantum præſcius de ſibi donata palma victoria &c.* Hactenùs Zixila.

* *lætaberis*

Idem prænarrauerat S. Iulianus ipſius S. Hildephonſi Diaconus, demúmque in Toletano Præſulatu meritiſſimus ſucceſſor, præfatione in librum eiuſdem de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ. Sed & Rodericus & ipſe Toletanus Antiſtes, lib. 3 de rebus Hiſpaniæ, c. 22. rem diuinitùs actam hunc in modum recenſet: *Poſtquam hoſtium gloriæ immaculatæ ipſius Virginis nefarios auſus notauit. Cùm pleraſque*, inquit, *partes Hiſpaniæ infeciſſent virginitatem B. Virginis infamantes, Beatus Hildephonſus illis occurrens, ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis & lingua melliflua, & gratia in labiis ſuis diffuſa eorum dogmata confutauit, & ab Hiſpaniis confuſos abegit. vnde & in feſto glorioſæ Virginis quod in Hiſpaniis 15. Kal. Ianuarij celebratur, cùm ipſe ad Matutinale officium comitatus Clero & populo & multis luminaribus ad Eccleſiam conueniſſet, apparuit ei B. Virgo, choris Apoſtolorum, Martyrum atque Virginum comitata, & ſic ait: Quia fide certa, conſcientia pura, lumbos tuos virginitatis cingulo cinxiſti, & gratia labiis tuis diffuſa, Virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxiſti: accipe veſtem de theſauris filij mei, vt etiam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis & filij mei ſolennitatibus veſtiaris. Et his dictis cum glorioſo cœtu quo apparuerat ad gloriam filij remeauit. Beatus autem Hildephonſus de promiſſis ſecurus, ſuſcepto munere ſecurus remanſit. Hac autem veſte nullus poſt eum vti præſumpſit, niſi Siſibertus Archiepiſcopus, qui culpâ ſuâ ab illa ſede propulſus, fuit exilio relegatus.* Hactenùs Rodericus *: qui lib. 4. c. 3. de eiuſdem ſacræ veſtis tranſlatione hæc memoriæ prodidit, *Vrbanus autem Sinderedi ſucceſſor &c. arcam reliquiarum & ſcripta B. Hildephonſi & Iuliani Pomerij & veſtem ſacram, quam B. Virgo dederat Hildephonſo, cùm iam videret in Hiſpaniis deſtructionem Eccleſiæ & populi Chriſtiani, ad Aſturias dicitur detuliſſe, & de loco in locum, vt perſecutio expoſcebat, à fidelibus ferebatur.* Et c. 8. eiuſdem lib. vbi de piis operibus agit Alphonſi Caſtiliæ Regis, maximéque de templorum inſtauratione apud Ouetum, ita ſcribit; *In altari etiam S. Michaelis poſuit arcam reliquiarum, quam Rex Pelagius & Vrbanus Epiſcopus vrbis regiæ* (Toleti ſcilicet) *tempore perditionis Hiſpaniæ ad Aſturias tranſtulerunt; ad quam hodie ex vniuerſis partibus deuotè concurrunt populi Chriſtiani, laudantes Dei beneficia quæ Dominus Ieſus Chriſtus ibidem ſuis fidelibus impartitur; Et in eadem Eccleſia dicitur eſſe veſtis illa glorioſiſſima, quam Beata Virgo contulit glorioſo Pontifici Hildephonſo &c.*

* Huius hoc breue extat, ſed celebre Epitaphium, Hortæ in Arragonia, vbi ſepultus eſt,
Mater Nauarra.
Nutrix Caſtella,
Schola Pariſius,
Sedes Toletum,
Hortus Mauſoleum,
Requies cœlum.

Deceptus eſt igitur Vaſeus qui in Chronico Hiſpaniæ ad annum 662. hanc veſtem *vſque hodie* (inquit) *ſumma cum religione in adytis Eccleſiæ Toletanæ ſeruari:* addens tamen, *quanquam non deſunt, qui in Ouetenſi Eccleſia eſſe dicunt.* At hoc ipſa Toletana Eccleſia non inficiatur. Ablatæ quin ſibi ſacræ huius veſtis vt iugiter dolet, ſic &

poſſeſſi aliquando pretioſi huius pignoris memoriam conſeruat, quam deſignat bino indicio: Primum eſt candidiſſimus lapis, in quo ſacratiſſimi Beatæ Mariæ pedes ſteterunt, qui ab omnibus, deuotiſſimis oſculis honoratur, ſuper cuius ferream cratem ſequentes verſus lingua Caſtellana leguntur:

Quando la Reina del cielo
Puſo los pies en el ſeulo,
En eſta piedra los puſo
De beſailla tened vſo,
Para mas vueſtro conſuelo.

Hoc eſt, Quando Regina cœli poſuit pedes in ſolo, in hac petra eos poſuit: oſculandi habete vſum ad maiorem conſolationem. Secundum eſt ſigillum ipſius inſignis Eccleſiæ Toletanæ, in quo ſacratiſſima Virgo tribus Angelis circumdata, conſidentis ſitu, planetam ipſi B. Hildephonſo ante ſe genuflexo imponit cum huiuſmodi verbis: *Quoniam mente pura & fide firma, in meis laudibus permanſiſti, accipe veſtem de theſauris filij mei, qua in hac vita orneris.* Celebrauit igitur S. Hildephonſus diuina hac cœleſti veſte ornatus; nec ab illo quiſquam auſus inter ſacra eâdem vti (quemadmodum nec in cathedra ſedere, in qua ſanctiſſima Deipara ſederat, vt Rodericus ſuprà citatus inſinuat) præter Siſbertum *, qui, anno iam dicto, ſuccedens in locum Iuliani Archiepiſcopi, temerario auſu, illam prædeceſſorum religione adhuc intactam, contrectare atque eam induere non formidauit, at non impunè, vt ſuprà fuit obſeruatum.

* *aliàs* Siſibotum

☞ Tanti momenti Eccleſia fecit hoc donum, quo Virgo beatiſſima S. Hildephonſum honorauit, vt in ſacris Tabulis Romani Martyrologij, rem diuinè geſtam conſignauerit 10. Kal. Februarij his verbis, *Toleti S. Hildephonſi Epiſcopi, qui ob ſingularem vitæ integritatem, ſuſceptámque defenſionem aduerſus hæreticos Deigenitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidiſſima veſte donatus eſt, ac demum ſanctitate celebris in cœlum vocatus.* Aliis verbis Cardinalis Bellarminus rem ipſam enarrat libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in S. Hildephonſo ſub annum 658. vbi ait, *Ob ſingularem deuotionem erga beatiſſimam Dei matrem, & defenſionem perpetuæ virginitatis eiuſdem Virginum Reginæ, meruit iſte felix Antiſtes non ſolùm in terris intueri eam diuino ſplendore fulgentem, ſed etiam ab ea donari præclara veſte Sacerdotali: Et quod ſummo gaudio animam eius repleuit, certus reddi de veſte gloriæ poſt beatam mortem conſequenda, &c.*

Articvlvs II.

De Caſula data à beatiſſima Virgine S. Bonito Epiſcopo Aruernenſi, ſeu Claromontano, in ſignum ſibi gratæ eius pietatis & puritatis.

Sanctvs Bonitus Epiſcopus Aruernenſis cùm aliquando ſolus in templo profuſis animæ affectibus oraret, diuina vtpote

myſteria mox celebraturus, à Beatiſſima Virgine Maria ſplendidiſſimo Angelorum & Sanctorum ſociata cœtu, in amoris ac fauoris ſui arrham; caſulam ſeu planetam, eximio munere accipere promeruit. Cuius materia & texturæ modus à nullo hominum dignoſci poteſt. Eſt autem eximij candoris, miræ leuitatis & lenitatis, quæ in hunc vſque diem ibi religioſè ſeruatur, & populo oſtenditur. Rem geſtam ex priſcis monimentis prolixè refert Vincentius lib. 7. c. 97. hiſt. Ex quo Petrus Exquilinus Epiſcopus lib. 2. c. 82. & M. Marullus lib. 2. c. 4. Huius at obiter meminimus in Martyrologio Gallicano, 18 Kal. Februarij, quo eius ſancta colitur memoria, hac verborum ſerie: *Deinde corpus eius venerabile ad principem ædem tranſlatum fuit, in qua hactenùs religioſè aſſeruatur, vbi caput eius in lipſanotheca conditum pretioſa, deuotis ſupplicibus palam exhibetur percolendum, vnà cum eiuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis caſula, quam mirâ texturâ conſertam, cœleſti munere ſanctiſſimæ Deiparæ, traditur accepiſſe.* Breuiter quoque eiuſdem meminit doctiſſimus Sauarro Præſes Aruernenſis in Originibus * Claromontanis: ſic enim ait in Catalogo Epiſcoporum Aruernorum, n. 30. quo Epitomen refert vitæ ipſius S. Boniti: *Quant au miracle de ſa Chaſuble, qui ſe veoit encores à Clairmont d'vne tiſſure admirable, que l'on tient par tradition eſtre enuoyée du Ciel à S. Bonnet par la Vierge, l'autheur de ſa vie n'en a rien eſcrit: Toutesfois le vieux prologue en rythme Latine, ſon hiſtoire au rapport de Vincent, Exquilin, Surius, Marullus, en font foy.* Sic autem ad verbum habet Rythmus ille antiquus exſcriptus ex M S. Codice Carth. Colon.

* Editæ apud Petrum Durãdum Typographum Regium, Aruernis prodierunt, anno Domini 1607.

I. *Præſul erat Deo gratus,*
Ex Francorum gente natus:
Bonum erat ei nomen,
Quod deſignat bonum omen.
Ille iuxta Dei legem
Cuſtodiuit ſuum gregem,
Sanctitatis dans exemplum,
Michaelis petit Templum.
Solus loco in obſcuro,
Orat Deum corde puro;
Tundit pectus, agit cœtus,
Inter preces fundit fletus.
Quæ conuenit plebs abſcedit,
Et ad ſua quiſque redit;
Ille ſolus ibi iacet,
Vt diuinæ laudi vacet.
Cuſtos loca perſcrutatur,
Ne quis ibi relinquatur:
Hic manere ſolus audet;
Nec ſe capi poſſe gaudet.
Dùm ex corde Deo pſallit,
Perſcrutantes ſeruos fallit,
Hi recedunt, iſte orat,
Culparúmque memor plorát.
II. *Hora noctis intempeſtâ,*
Dum reuoluit ſua geſta,
Oblectatur dulci melo,
Deſcendente quaſi cœlo.
Admiratus tanto ſono,
Tam ſuaui gaudet tono,
Dum precatur Dei numen
Videt latè fuſum lumen.
Et cœleſtis adeſt cœtus,
Inde virum ſubit metus,
Angelorum chorus præit,
Et vexilla ſacra vehit.
Subſequuntur ſancti Dei,
Quos precantur omnes rei,
Incéditque, vt feſtiua,
Mater Dei, ſicut diua.
Quæ rogata, quis cantaret?
Quiſve Miſſam celebraret?
Bono, inquit, hoc concedo,
Illum enim dignum credo.

Verba

Verba Præſul audiebat,
Séque præſens retrahebat;
Ipſe lapis, cedens ei,
Seruat ſignum huius rei.
Statim ſancti Bonum quærunt,
Et quæſitum inuenerunt:
Quem veſtitum veſtem claram
Statuerunt contra aram.
Hic cœleſti veſte diues,
Cœli ſtabat inter ciues:
Patriarchæ hunc ducebant,
Et Prophetæ præcinebant.
Incedebat ſic deductus,
Memor tantùm ſui luctus:
Et accedens aram petit,
Quam cum ſuis ante ſtetit.
Hic accepta manu pura,
Offert ipſe Deo thura:
Reſonabant dulces meli,
Præcinente tuba cœli.
Vt diuinum opus dignè
Vir peregit, & benignè,
Virgo mater, viro veſtem
Pro mercede dat cœleſtem.
Agit grates, reddit vota,
Laudat Deum mente tota:
Et quam virgo ſibi dedit,
Sumit veſtem, & abſcedit.
His occultis ita geſtis,
Creuit fama data veſtis:
Ille quidem nihil celat,
Sed quod vidit hoc reuelat.
III. *Alter quidam credens malè*
Pro merito quiddam tale.
Præceſſoris ad exemplum,
Illud quidem petit templum.
Intrat ſolus valdè ſero,
Habebatur multo mero,
Ex labore longo feſſus,
Graui ſomno fit depreſſus.
Hinc aurora lucem dedit,
Et cum ſomno mox recedit;
Capitéque mox erecto,
Se in ſuo videt lecto.
Signo crucis ſe muniuit,
Thalamóque mox exiuit:
Spectat ſeruos, & ſalutat,
Et errare ſeſe putat.
Tandem Præſul in ſe redit,
Vocat ſeruos, & conſedit; *
Et quod ſecum fuit geſtum
Suis facit manifeſtum.
O quàm pia, quàm benigna,
Omni quoque laude digna,
Chriſti Mater hæc intacta,
Per quam ſunt tot mira facta?
Quæ ſic parcens negligenti,
Sanum reddit ſuæ genti,
Malens illum pœnitere,
Quàm pro culpa mox delere.
Bonum autem vigilantem,
Nec incaſſum excubantem
Sic dilexit, vt cœleſtem
Largiretur ei veſtem,
Volens eum celebrare
Opus Dei ſalutare.
IV. *Ne quis putet hoc commentum*
Eſſe, ecce argumentum;
Durat adhuc veſtimentum,
Nullum ferens detrimentum.
Aruernenſis vrbs perdiues,
Quæ & multos habet ciues,
Orienti tota patens,
Occidenti parti latens.
Famâ fuit ſatis clara,
Belli quippe non ignara:
Clarus mons hæc nuncupatur;
Aptè ea reſeruatur.
Illa Boni bona veſtis,
Rarò viſa niſi feſtis,
Suauiſſimi eſt odoris,
Et nitentis eſt coloris.
Multæ quoque lenitatis,
Sed & miræ leuitatis.
Modus verò contexturæ,
Cuius artis vel facturæ
Sit introrsùs & extrorsùs,
Ignoratur quidem prorsùs.
Domnus Præſul hoc Hubertus
Noruicenſis eſt expertus,
Qui dicebat hanc vidiſſe,
Hanc & manu tetigiſſe.

*Excidiſſe aliquid videtur, nam correptionis huius Epiſcopi non apparet indicium.

Ergo qui non credis verè,
Rem quam dico, ſic habere,
Vade & fac tibi fidem,
Veſtem videns hanc ibidem,
Et nunc tibi fiet ſatis,
Laudem ſcire quam non ſapis.
Enarrare tunc memento
Corde puro & intento
Verùm ne obliuiſcaris
Stella maris ſalutaris.
Cuius dono non priuatur,
Quiſquis ei famulatur:
Ipſi, atque nato eius
Salus, honor, atque virtus.

ARTICVLVS III.

Eodem munere honoratum fuiſſe S. Thomam Cantuarienſem à ſanctiſſima Virgine Deigenitrice Maria, ad triumphalis eius agonis honorificationem.

CASVLAM purpuream in dilectionis ſymbolum & martyrij pignus pulcherrima pixide incluſam accepit ſanctus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, demúmque inclytus Martyr, Beatiſſimæ Deigenitricis, Reginæ Sanctorum, munere ſingulari, cui impenſè deuotus erat. Rem geſtam ex authenticis monumentis fuſè enarratam quiſquis accuratiùs ſcire voluerit, reperiet in Speculo exemplorum diſt. 9. exemplo 122. & apud Antoninum des Lions lib. 2. de cultu Beatæ Mariæ, elegia octaua.

CAPVT XIV.

De Caſula morali ſignificatione.

APVD ſacrorum rituum interpretes ea eſt ferè communis ſententia, quòd Sacerdotales ornatus, virtutum quibus Sacerdos, vel Epiſcopus præditus eſſe debet, ſint propria indicia: *Hæc quippe ornamenta* (ait Iuo ſerm. de ſignificatione Sacerdotalium indumentorum) *non ſunt ipſæ virtutes, ſed virtutum inſignia, quibus tanquam ſcripturis admonentur vtentes, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem finem facta ſua dirigere.* Quia verò in iis ſumma & præcipua eſt caſula, eâ quoque præcipuum animi decus geſtantis deſignari, vnanimi conſenſu docent ipſi Eccleſiaſticarum Theoriarum expoſitores, ſcilicet Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Iuo, Honorius, Innocentius & poſteriores paſſim. Nec mero arbitratu ſic ſentiunt, at doctrinæ ſuæ pleraſque rationes aſſignant.

Prima, & generalis ea eſt, quòd ſicut caſula omnibus ſuperponitur ſacris indumentis, totum ambit & inuoluit, tegit ac protegit Sacerdotem; ſic charitas quæ eſt vinculum perfectionis, omnibus præeminet virtutibus, quas omnes ſua ſublimitate tranſcendit, ſua amplitudine complectitur, ſua pulchritudine decorat, ſua fulcit & corroborat poteſtate: *Caſula* (inquit Alcuinus) *quæ ſuper omnia indumenta*

ponitur, ſignificat charitatem, quæ alias virtutes excellit. De qua Apoſtolus &c. maior autem horum eſt charitas. Sic & Rabanus, Inſtitut. Clericorum lib. 1. c. 21. *Hanc ergo veſtem* (inquit) *poſſumus intelligere charitatem, quæ cunctis virtutibus ſupereminet, & earum decorem ſuo tutamine protegit & illuſtrat. Nec enim vllus erit iam virtutum ſplendor, ſi non eas charitatis irradiauerit fulgor; quod oſtendit Apoſtolus dicens, Si linguis hominum loquar & Angelorum &c. Et ſi habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt &c. charitas patiens eſt, benigna eſt &c. omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

Secunda, ex forma colligitur. Qui mutatam caſulæ formam queri ſolent, antiquitatis per omnia vindices, hoc nomine maximè expoſtulant, quòd ſenſim exciderit præcipua veſtis ipſius ſacræ ſignificatio: decurtatam enim adeo nunc eſſe & deformatam, vt ea ipſa ſciſſura, qua ab vtroque latere diuiditur, charitatem ampliùs non poſſit deſignare, quæ ſua amplitudine & indiuidua textura omnes vnit & connectit illuſtrátque virtutes. Donius ſic explicat antiquæ eius formæ à recenti diſcrimen: *Cæterum*, inquit, *proauorum ætate eiuſdem ferè formæ apud noſtrates fuit ſacrum hoc veſtimentum, quam apud Græcos hodiéque conſpicimus: rotundum videlicet, æquatóque in ambitum gyro, non autem in duas ſemirotundas plagas, anteriorem ac poſteriorem diuiſum; quam in ſpeciem paulatim degenerauit dum ſacrificaturi onus illud brachiorum pertæſi, & commoditati magis quàm* decori ſtudentes, ſenſim ab vtroque latere eam reſecarint, donec cubito tenùs pertingeret.* At hæc reſectio non ita recens, cùm auctores mediæ ætatis reperiamus eadem ferè forma caſulam ſua iam ætate conſtantem deſcribentes, nec eo quod ab vtroque latere aperta fuit hæc ſacra veſtis, eius propterea ſignificatio deſiit; ea enim qua extat forma, charitatem ſemper duplici ratione indicat, tum quòd ſemper cæteris Sacerdotalibus ornamentis ſuperimponatur: tum quòd duplici qua conſtat parte, genuinum charitatis officium inſinuat. Hinc Iuo citato ſermone aſſerit, Caſulam in Presbyteris eos admonere adimplendæ dilectionis, quæ ſcilicet in amore Dei & proximi perficitur, *In his enim duobus mandatis*, ait Dominus, *pendent lex & Prophetæ*; quemadmodum ad caſulam ſeu planetam morali ſenſu applicat Innocentius III. lib. 1. de Myſt. Miſſæ, c. 58.

* decoro

Matt. 22.

Tertia, ex ipſa forma deſumitur, duplicis ſcilicet plagæ, anterioris & poſterioris, qua ſcilicet cenſet Amalarius Fortunatus, lib. 2. de Eccleſ. off. c. 19. ſignificari duplicem Sacerdotis operationem, mentis ſcilicet & corporis, puram & ſanctam, Deóque & rebus ſacris totam addictam eſſe debere. Deſignari præterea doctrinam & veritatem, videlicet doctrinam exteriùs ad fideles inſtruendum, veritatem interiùs ad ſincerè credendum & fideliter Deo in ſuo munere ſeruiendum: doctrinam quoad inſtructionem, veritatem quoad intentionem. *Caſula* (inquit) *dupla eſt, poſt tergum inter humeros, & ante pectus. Per humeros opera exprimuntur. In eis duplex ſit veſtimentum, quia ſic debemus bona opera foris proximis oſtendere, vt eadem intus integra incorruptáque coram Domino ſeruemus. In pectore duplex, quia in eo vtrumque debet*

eſſe, & doctrina & veritas; veritas interiùs, doctrina ad homines. Hæc duo duplicia ſunt coniuncta, quia tunc bene miniſtratur, cùm opus & ratio in vnum conueniunt. Opus ad humeros, ratio ad pectus. Ita ille.

Quarta, ex vſu peti poteſt. Stola, manipulus, alba, zona, amictus extra ſacrificium in pleriſque Eccleſiaſticis officiis à Sacerdote vſurpantur. At caſula nunquam vtitur Sacerdos niſi in ſacrificio. Nec ſine illa diuinum hoc myſterium celebrare poteſt, vt ex canonicis ſanctionibus conſtat. Significare ſacrum hoc veſtimentum, morum innocentiam, qua fulgere debet Sacerdos diuino munere functurus, ſunt ideo qui ſentiant; ex quibus Innocentius III. loco ſuprà citato: *Et hæc eſt* (inquit) *veſtis nuptialis de qua loquitur Dominus in Euangelio: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Quò ſpectare etiam Eccleſia videtur*, quæ in ritu abdicandi Sacerdotis, exui eum iubet hac veſte, dicente ei Epiſcopo, *Veſte Sacerdotali, charitatem ſignante, te meritò expoliamus, quia ipſam & omnem innocentiam exuiſti.*

* *Pontific. Rom. in degrad. ab ordin. preſbyt.*

CAPVT XV.

De planeta ſeu Caſula myſtica theoria.

1. SANCTVS Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, τὸ δὲ (inquit) φελόνιον ἐμφαίνει τὴν ἀπὸ κοκκίνου πορφύραν, ἥνπερ τῷ Ἰησοῦ οἱ ἀσεβεῖς ἐμπαίζοντες ἐφόρησαν. *Penula autem oſtendit veſtem purpuream ſeu coccineam, quam impij homines illudentes Ieſu obtulerunt.* Nec refert quòd forma ſit penulæ ſacræ, ſeu caſulæ à chlamyde ſpecie nonnihil diſſimilis: non enim ad formam ſpectauit S. Germanus, ſed ad ſignificationem. Sacerdos in ſacrificio, Chriſti vt gerit vices, mortíſque eius memoriam celebrat, ſic & eius paſſionis ſpeciem tam actu repræſentat quàm habitu, prout aliàs accuratiùs oſtendimus. Quemadmodum igitur zona & manipulus ſtoláque, Chriſti vincula referunt, linea tunica veſtem albam qua per ludibrium ab Herode indutus fuit, in memoriam reuocat: ſic caſula, ſeu planeta, vel penula, purpuream veſtem, ſeu chlamydem coccineam, qua in Pilati prætorio à militibus deluſus fuit, meditantium Chriſti mortem, in hoc tremendo myſterio obiicit oculis: Quamuis igitur non ſit forma prorſus eadem chlamys cum planeta ſeu caſula: tamen in hoc conuenit quòd vt Chriſti patientis corpus chlamyde coopertum fuit, ſic & Sacerdotis eiuſdem ibi myſticè immolati perſonam referentis, corpus, caſula ſuperiniecta cæteris quibuſque eius ſacris indumentis, amiciat atque circumtegat. Nec porro obſtat quòd chlamys Chriſto impoſita fuerit in ſignum contumeliæ: Sacerdoti verò caſula ſeu planeta conferatur ab Epiſcopo, vt ſit dignitatis honorificum indicium. Sicut enim ſacrificij incruenti omnis vis & virtus à ſacrificio cruento quod peregit Chriſtus in cruce, profluit & dimanat: ſic omnis honor apparatûs Sacerdotalis ab oppro-

briis, & contumeliis illis procedit, quas Christus in paſſione ſua perpeſſus eſt. Vnde eleganter ait S. Leo, ipſa instrumenta Chriſti patientis ſupplicij, tranſiiſſe in triumphalia eius victoriæ ornamenta; vt qui ſua morte promeruerit, vt infirmitas quam ſuſceperat, tranſiret *in virtutem, mortalitas in immortalitatem, & contumelia verteretur in gloriam.* *Serm. 2. de Aſcenſ. Domini.*

II. Sicut Apoſtolus nos paſſim admonet, vt Chriſtum induamus, quo ei arctè, & inhærenter copulemur: ita Chriſtus ipſe, quo nos ſibi ſtrictiùs coniungat, nos velut proprios amictus aſſumit ac induit, & eiuſmodi veſtimento quaſi eximio ornatu gloriatur. In transfiguratione ſua effulſit eius veſtimentum ſicut nix, cur quæſo ſic fieri ei placuit? niſi vt ſpes Eccleſiæ ſanctæ hoc viſu obfirmaretur? *Vt totum Chriſti corpus* (ait S. Leo) *agnoſceret quali eſſet commutatione donandum, & eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſerat.* Igitur Eccleſia, vt myſticum Chriſti corpus, ita & proprium eius eſt indumentum: veſtis enim illa candida ſicut nix ipſam Eccleſiam deſignabat; *Quam Chriſtus dilexit*, (ait Apoſtolus Epheſ. 5.) *& ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Hanc, quòd diſcindere, & inquinare Arius dudum contendiſſet, Chriſtus veſte detrita & lacera, queſtus de eius nefario auſu, B. Petro Alexandrino Epiſcopo, indutus apparuit. *Serm. de Transfig. Domini.*

III. Hoc ex theoremate de myſtico Chriſti veſtimento, Innocentius III. lib. 2. Myſter. Miſſæ, c. 42. de Sacerdotali caſula memorabile documentum expreſſit: *Caſula*, inquit, *vel planeta magni Sacerdotis, eſt vniuerſalis Eccleſia, de qua dicit Apoſtolus, quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Hoc eſt illud Aaron veſtimentum, cuius in oram vnguentum deſcendit; ſed à capite deſcendit in barbam, & à barba deſcendit in oram. Quoniam de plenitudine eius ſpiritus, nos omnes accepimus, primùm Apoſtoli, poſtmodùm cæteri. Quòd autem caſula cùm vnica ſit & integra, extenſione manuum, in anteriorem, & poſteriorem partem quodammodò diuiditur; deſignat & antiquam Eccleſiam quæ paſſionem Chriſti præceſſit, & nouam quæ paſſionem Chriſti ſubſequitur; nam qui præibant, & qui ſequebantur clamabant dicentes, Oſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quam theoriam Innocentius ex Ruperto deprompſit, eam qui fuſiùs exponit lib. 1. de diuinis offic. c. 21. vbi inſuper addit caſulam, quæ integra & vndique clauſa eſt, ſua forma demonſtrare fidei Catholicæ vnitatem ac integritatem. *Gal. 3.*

IV. In Pontificali Romano caſula dicitur veſtis Sacerdotalis, cùm enim ordinando preſbytero illam Epiſcopus imponit, *Accipe*, inquit, *veſtem Sacerdotalem.* ſanè alba eſt etiam veſtis Sacerdotalis, ſed eſt preſbytero communis cum cæteris altaris miniſtris: at caſula eſt Sacerdotis propria, eſt igitur inſigne tantæ dignitatis, vt chlamys coccinea dudum erat ſpeciale regiæ maieſtatis ornamentum, ideóque per ludibrium Chriſto à Romanis militibus impoſitum, qui regium

ius & nomen in eo vincto, & flagellato, tam ſcurriliter quàm impiè deridebant. Walfridus Strabo, libro vnico quem ſcripſit de rebus Eccleſiaſticis, cap. 24. ſub finem, Sacerdotes dalmaticis (ait) ante caſularum vſum indui conſuetos, poſteà cùm caſulis vti cœpiſſent dalmaticas Diaconis conceſſiſſe. Verùm hanc opinionem Strabonis monoculam, erroneámque eſſe planè euicimus Panopliæ Epiſcopalis lib. 6. c. 4. hócque in Opuſculo inſuper perſpectum fecimus, caſulæ Sacerdotalis vſum tantæ eſſe antiquitatis, vt ab Apoſtolis originem duxerit; *Sine hac* (inquit Rabanus Maurus, lib. 1. de Inſtitut. Clericorum) *nec Sacerdos ipſe ad altare appropinquare debet, nec munus offerre, nec preces fundere,* &c. de hoc itaque ſpeciali virtutum indumento vſurpari meritò poſſe videtur, quod Apoſtolus epiſt. ad

Coloſ. 3. 12. Coloſſ. ſcribit, *Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, &c. ſuper omnia autem hæc, charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis.* En quantarum virtutum (quibus ornari debet Sacerdos offerens ad altare munus diuinæ propitiationis, & redemptionis noſtræ hoſtiam ſalutarem) veſtis ipſa Sacerdotalis indicium eſt: Quàm diues igitur erit, quàm pulcher, quàm ſplendidus, quàm gratus, & acceptus oculis diuinæ Maieſtatis, ſi hac adornatus panoplia Sacerdos rem diuinam acturus, ad altare accedit? Dum Antiſtes myſticas veſtes benedicit, eas inter orandum appellat, inſignia Sacerdotalis gloriæ. Sed cuiuſnam gloriæ, num quæ è rei pretio, & ſplendore ſuum de-

Hom. 60. ad popul. Antioch. cus mutuetur? S. Chryſoſtomum, obſecro Sacerdotes, audite! *Propterea vos Deus* (inquit) *hoc inſigniuit honore, vt talia myſteria diſcernatis* (hoc eſt diſpenſetis cum eximia animi puritate, ſummóque metu & reuerentia,) *Hoc veſtra dignitas, hoc ſecuritas, hoc omnis corona. Non vt albam, & ſplendentem tunicam circumeatis induti.* Licèt enim ad reuerentiam diuinis myſteriis, ſacrificióque ſimul, & Sacerdotio conciliandam voluerit Deus, vt tanto cum externi etiam ornatûs decore, procedat Sacerdos, ad cœleſtis muneris diſpenſationem: tamen ſacer hic apparatus, ſpecioſa hæc veſtis Sacerdotalis etſi dignitatis ſit indicium, potiſſimum interioris ornatus monimentum eſt, Panopliæ ſcilicet virtutum, quibus altari ſe ſiſtens Sacerdos præditus eſſe debet; hoc eius verum decus eſt, honor ſingularis, perfecta gloria, & perennis corona.

PRIMÆ PARTIS PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER VII.

DE CAPPA, ſeu PLVVIALI.

CAPVT PRIMVM.

Cappa, *vnde dicta?* Pluuiale *itidem.*

TRIVIALE eſt hoc nomen à multis retro ſæculis; tametſi ante mille, aut centum ſuper annos vix in vſu fuerit. A Francis primùm inuectum cenſet Baronius in notis ad tertium Idus Iunij; vbi expendit Capellæ vocabuli originem: reiecta ſiquidem illorum opinatione qui capellam deductam à capiendo arbitrantur, voce ſcilicet partim Latina, partim Græca, quaſi *capiens λαὸν*: propria ex ſententia ſubiungit, Francum vocabulum potiùs eſſe putatur, à cappa deriuatum, quæ tegumen ſignificat, quod veluti tentorium factum, ſecum veherent Reges cùm eſſent in expeditione ad vſum rerum ſacrarum; vel quod ſcribit Durandus lib. 2. c. 10 n. 8. dicta Capella à Cappa S. Martini, quam religionis ergô, Reges procedentes ad prælium ſecum portarent, preſbyterorum ſcilicet ſelectorum miniſterio, quos ideò Capellanos ait fuiſſe nuncupatos.

Sunt alij ſacræ antiquitatis ſcrutatores, quibus minimè placet eiuſmodi deriuatio: Cappam enim, vel à verbo capere dictam exiſtimant, quòd totum capiat hominem; vel à capite, cùm in luctu eâ caput inuoluant, qui eiuſmodi veſtimento induuntur. Verùm funebris illa veſtis, non cappa vocitatur, at eſt togæ ſpecies, cuius pars neutiquam eſt illud capitis tegumentum, quod humeris ſuperinie-

ctum, exomidem, ſeu cucullum appellamus in Monachorum hábitu ſpectabilem. Non igitur à capite dictam cappam arbitror, nec ſimpliciter à capiendo, tum enim cum p ſimplici exprimenda eſſet: at cum gemino ſcribi ſolet, vt ex vſu conſtat. Accedit quòd licèt totum corpus ferè includat illa veſtis, totum attamen hominem haud capit, eſt enim ab anteriori parte à ſummo vſque ad imum diſſecta, adeò vt gerentis pateat pectus, & ab humeris vſque ad pedes corporis anterior conſtructio. Barbarum igitur reor vocabulum totum eſſe, cuius origo à fontibus Græcis Latiníſque non poſſit ideo delibari. Quòd ſi tamen ludere liceat in eiuſmodi vocibus, compoſitúmque eſſe nomen quiſpiam contendat, huic vltrò concedam dictam eſſe cappam à duabus ſemiiunctis vocibus, *cap.* videlicet, & *pa.* quaſi capit patrem, quia veſtis eſt Monachi vel Sacerdotis, quos honorificentiæ causâ Chriſtiani, patres appellare ſolent.

Cæterùm cappam illud ipſum eſſe veſtimenti genus, quod Eccleſiaſtici Scriptores Pluuiale vocitant, infrà ex dicendis patebit: Pluuiale verò dictum vt ipſa vox ſonat, à pluuia exiſtimat Octauius Ferrarius lib. 1. de re Veſtiaria c. 39. *Hæc vulgi voce* (inquit) *pluuiale dicitur, quia pluuiæ tempore ſumebatur.* Quamuis à recta linea non parùm deflectat, dum ipſum pluuiale cum penula ſeu planeta confundit, quemadmodum ex vtriuſque tam accurata, quàm certa diſtinctione fiet infrà perſpectum.

CAPVT II.

Cappæ, variæ ſpecies.

EST cappa Monaſtica, Laïca, Clericalis & Eccleſiaſtica. De Monaſtica, quæ veſtis eſt ſuperior Monachi, præter ea quæ paſſim leguntur de Cappa S. Martini, apud geſtorum eius narratores, hunc in modum ſcribit Cæſarius in hiſtoria illuſtrium miraculorum, lib. 4. c. 97. *Tandem acceſſit ad Priorem, petens ſibi cappam dari.* De Laïca idem etiam lib. 5. de latrone quodam. *Equum hoſpitis* (inquit) *valde bonum ſtrauit, cappam eiuſdem induit, aſcendit, & abiit.* Idémque lib. 2. c. 38. *Videntes illum fratres cappâ tritâ atque vetuſtâ indutum, æſtimantes eum ſcholarem pauperem & vagum, ſuſcipere renuerunt.* Porrò de cappa quâ Clericis per Canones vti licet in priuato habitu pro pallio, fusè dictum eſt in Panoplia noſtra Clericali. De Eccleſiaſtica autem, quæ iam eſt Sacerdotum ornatus extra ſacrificium, infrà proprio loco diſſeram, ſcilicet cap. 5. vbi de eius vſu, & origine. Interim eſt quòd lectorem admoneam tantæ celebritatis eſſe huiuſmodi ornatum: vt ab eius geſtatione ſolennitatis magnitudo dignoſci à minori cultu alterius cuiuſque feſtiuitatis conſueuerit. In antiquis Kalendariis Eccleſiæ Remenſis feſta per cereorum minorem, vel maiorem numerum diſcriminantur. v. g. 14. Ianuarij, *Hilarij Epiſcopi,*

ſcopi & Confeſſoris ſemidupl. 7 cereorum. 17. Antonij Abb. ſemid. 5. cereorum. die 7. Febr. Helenæ Reginæ electæ, ſemid. 9. cereorum. Sed in Kalendario Archimonaſterij S. Remigij itidem Remenſis, per Capparum ab Albis differentiam, diei feſti dignitas deſignatur; ſic octaua S. Remigij celebranda denotatur *in Cappis:* Conuerſio S. Pauli, *in Albis:* feſtum S. Agathæ Virginis & Martyris, *in Cappis:* cathedra S. Petri *in Albis:* Inuentio S. Crucis, *in Cappis:* tranſlatio S. Nicolai, *in Albis, &c.*

CAPVT III.

De differentia Cappæ & Caſulæ, ſeu pluuialis & planetæ, diuerſaque illarum forma, & vſu.

EXTAT inter præclara Lantfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis monimenta, inſignis eius epiſtola ad Ioannem Metropolitem Rothomagenſem, quem Archiepiſcopum Normannorum pro ſalutatione quæ limini ſcriptionis præfigitur, appellat. in qua quidem cùm de nonnullis agit Eccleſiaſticis ritibus, de quibuſdam ſacris veſtibus, ornamentiſque diſſerit, videlicet de ſtola, de cappa, & caſula, manipulo, aliiſque diuini officij adminiculis, quorum aliis lucubrationibus originem, vſum, & ſignificationem explicauimus proprio cuique tractatu. Illius verò Epiſtolæ illuſtris eſt & appoſitus ad rem de qua agitur locus, vbi de ſtola, caſula, & cappa, illarúmque diſtinctione ac vſu ſacris in officiis diuerſo diſſerit ex profeſſo: Digna mihi viſa ſunt eius verba quæ hîc prodirent in conſpectum. *Quicquid verò* (ait) *ſanctitas veſtra de ſtola ſcripſit, mihi placuit, nec vnquam diſplicuit. Sed quod ſubiunxit, quia ad dedicandam Eccleſiam Epiſcopus proceſſurus, ſacris veſtibus ex inſtitutione Epiſcopalis ordinis debeat eſſe indutus, atque in expoſitione ipſarum ſacrarum veſtium, Caſulam poſuit: valde ſtupui, quia tale aliquid me nunquam vidiſſe meminiſſe non potui. Diuerſos enim diuerſarum prouinciarum Præſules Eccleſias dedicare ſæpe conſpexi, omnibúſque, quæ ab eis facta ſunt, quantum potui curam adhibui, qui etſi in nonnullis diſſimilia egerint, omnes tamen in cappis induti vſque ad celebrationem Miſſæ debita ſeruitia ſine caſula expleuerunt. Denique S. Leo Romanæ Sedis ſummus Antiſtes Romericenſem me præſente Eccleſiam dedicauit, cunctáque quæ ante Miſſam fieri ordo depopoſcerat ſine caſula conſummauit.* Epiſt. Lantfranci 13.

Hæc quæ vidit teſtatur Lantfrancus; ſed ritus quem ex viſu deſcribit rationem non aſſignat. Hæc mihi probabilis videtur, quòd Caſula ſeu planeta veſtis eſt Sacerdotalis ſoli ſacrificio appropriata, vnde Sacerdoti ab Epiſcopo imponitur in ipſa ordinatione. Sed Cappa ſeu pluuiale non ita traditur, at aſſumi ſolet ab ipſo Sacerdote extra ſacrificium in cæteris officiis & cæremoniis, quæ longè ſunt ab ipſius ſacrificij eminentia: quamobrem ipſum pluuiale ſeu cappa ab inferioribus miniſtris aliquoties geſtatur, at planeta nonniſi à Pontifice vel Sacerdote vſurpari poteſt, quia iis ſolis ſacrificium licet Eu-

chariſtiæ offerre, cui celebrando caſula ſeu planetá peculiari vſu dedicata eſt. Eiuſmodi veſtem Nepotianus moriens S. Hieronymo, vt ipſe refert, legauit in ipſius Nepotiani Epitaphio, *Hanc tunicam qua vtebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi, ætate patri, fratri collegio: & quicquid à te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas.* Marianus Victorius ſub oram vitæ S. Hieronymi, ſacram eiuſdem tunicam ait ſeruari Romæ, cum eius venerando corpore iuxta præſepe Domini in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris: Sed an ea eadem ſit quam Nepotianus moriens ipſi in pignus amicitiæ ſpeciali dono legauit, vel alia, idem Marianus minimè inſinuat.

Porrò non tantùm ex diuerſo vſu caſulæ & pluuialis, ſeu planetæ & cappæ, vtriuſque ſeſe patenter prodit diſcrimen, verùm etiam ex diuerſa forma vtriuſque. Planeta eſt Sacerdotalis veſtis, quæ cæteris indumentis ſacris, ſcilicet amictui, albæ, zonæ, manipulo, ſtolæ ſuperimponi ſolet: fiſſa eſt ab vtroque latere, ab humeris ad extremum limbum qui ad genua & paulò infrà defluit: Sacerdotalis cruce inſignitur à tergo, Pontificia ab anteriori facie, à ſummo ad imum. Latè patere debet, cubitos circiter duos, longè tres: faſcia quæ aſſui ſolet, vel diſtingui in ipſamet planeta, lata erit vnciis octo ad minimum. Funiculi addi ſolent, ſeu lineæ ſericæ, in ea parte qua pectus tegitur, ita oblongæ vt reduci poſſint ante pectus ad firmandam planetam ne defluat à tergo.

Pluuiale eſt Eccleſiaſtica veſtis quæ totum inuoluit ſacrum Myſtam, anteriori parte duntaxat aperta, ab humeris ad imos vſque talos protenditur, longitudine cubitorum trium & vnciarum ſex circiter conſtans, & pro ſemicirculari ratione latè patens, à parte anteriori à ſummo ad extremum: hinc & inde auriphrygio decoratur, à poſteriori parte caputium auriphrygiatum, quod anteriori reſpondeat habet: Laciniæ verò, hoc eſt fimbriæ Romano ritu latiores eſſe debent circa caputium, breuiores in oris pluuialis extremis. Fibula anteriori connecti debet pluuiale, additis binis, ſeu ternis vncinis maioribus. Globuli laciniati pendentes à caputio non ſunt ampliùs in vſu Romani Cleri ſæcularis.

CAPVT IV.

Diuerſa iterum Cappæ Eccleſiaſticæ ſpecies: Cardinalitia, Epiſcopalis, & Papalis.

PLVVIALE, cappam itidem appellari, ſuperiori capite inſinuauimus: quæ Eccleſiaſtici ornamenti ſpecies à ſacrorum Miniſtris in diuinis officiis cæremoniiſque geſtari ſolet. At alia eſt Eccleſiaſtici indumenti ſpecies, quæ extra diuinum officium à Cardinalibus & Prælatis conſueuit vſurpari, de qua paſſim occurrit mentio in Cæremoniali Cardinalium & Epiſcoporum.

De Cardinalibus conſtat, in celebrioribus conſeſſibus & publicis

actionibus extra ſacra officia, cappa indutos conſueuiſſe inſigniri. Octauius Ferrarius lib. 1. de re veſtiaria c. 39. vbi tractat de Cardinalium veſtitu, hunc ita deſcribit, *Patres purpurati* (inquit) *hodie lineam quidem habent, ſed duplicem: interiorem, quæ ſubucula, deinde thoracem, mox tunicam talarem, aut alteram lineam, ſiue Ephod*, (Rochet) *poſtremo loco non tunicam ſolutam, vt tenet Baronius, ſed vel togam, vel togæ perſimilem veſtem, nam fuſa eſt & ſyrmate prodiga, totúmque hominem inuoluit, & licèt ad pectus aperta, brachio tamen ſiniſtro vt veterum toga ſubducitur ac contrahitur, & ideo cappa appellatur, vel quòd hominem capiat, vel à capite cùm in luctu ea caput inuoluant vt in veteri toga. Quod autem humeris ſuperiniicitur exomidis ſpecies eſt, ſiue cuculli, qualis ſimplicior in Monachorum habitu viſitur: ea autem tunica, veſtis vulgò dicitur:* Hactenùs Ferrarius.

De Cappa verò Epiſcopali ſic legitur lib. 1. Cæremonialis c. 2. & 3. vbi de primo acceſſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ad ſuam diœceſim vel prouinciam agitur, *Præparabit quæ in itinere & ingreſſu ſuo vſui eſſe poſſunt, vt veſtes Epiſcopales ordinarias, cappam Pontificalem violaceam, vel ſi ſit regularis, coloris habitus ſui, Pontificalem pileum &c. libros neceſſarios vti Pontificale & Cæremoniale, ac paramenta etiam ſacra pro ingreſſu neceſſaria, vt pluuiale album cum ſtola & mitra pretioſa, amictum, albam, cingulum, annulum, baculum paſtoralem & alia &c.* Et infrà, *Depoſito itinerario habitu induit cappam Pontificalem: túmque in ipſo ad ciuitatem acceſſu, in aliquo ſacello, vel loco parato honeſto depoſitâ cappâ, capit paramenta ſacra, videlicet amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, ſtolam, pluuiale album, annulum, ac demum mitram pretioſam, conſcendétque equum ſerico albo vndique tectum, & decenter ornatum.* Et c. 1. eiuſdem lib. §. 12. *Quoad cappas verò, quibus Epiſcopi in ſuis Diœceſibus vtuntur, id erit obſeruandum, vt regulariter ſint laneæ & violaceæ, & non alterius coloris. In feſtis tamen quæ in Breuiario vocantur primæ Claſſis, excepto triduò ante Paſcha, poterit Epiſcopus vti cappa ex cameloto violacei ſemper coloris: quibus quidem cappis circa collum pelliculæ albæ, & ante pectus conſutæ ſunt, quæ deinde vigilia Pentecoſtes, aut citiùs, aut tardiùs, pro diuerſitate locorum, aut prout Epiſcopo videbitur, præintimatis etiam Canonicis qui cappis vtuntur, quo die mutari debeant, remouentur: & loco pellicularum, ſericum rubrum opponitur.* Ibid. §. 14. *Extra diœceſim, & extra Eccleſiam ſuam, Epiſcopus non vtitur cappa, præterquam in Romana Curia, cùm in diuinis Pontifice maximo, vel ſacro Cardinalium Collegio præſente, aſſiſtit.*

Cæterùm de cappa Romani Pontificis hoc extat illuſtre Petri Damiani Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis, ad Cadaolum pſeudo-pontificem ſcribentis teſtimonium: *Habes nunc forſitan mitram, habes iuxta morem Romani Pontificis, rubeam Cappam: caue, &c.* Porro de Cappa Papali, notatu hoc dignum monumentum obſeruâſſe memini apud Wibertum Archidiaconum lib. 2. vitæ S. Leonis Papæ IX. ex Epiſcopo Tullenſi, c. 8. *Dum autem pro regni pace ſollicitè laborans, ibidem aliquandiu moraretur, diuina prædeſtinatio ei in ſomnis reuelare voluit, quid ſibi in futurum portenderetur. Nam ſibi videbatur, quòd ſtans in edito, familiares ſuos ad ſe de periculo confugientes reciperet, eiſque ſuper pluuiali veſte, quæ*

cappa vocitatur, incluſis, ſanguine eorum ſibi veſtes inſici conſpiceret: qua viſione certus redditus, mœſtitudinem ſibi ſuiſque affuturam, & ſicut triticum in area Domini recondendum, ad tentationem ſeſe præparat ſuſtinendam. Itaque repedans in Italiam, Concilium apud Mantuam habendum conſtituit: quod factio quorumdam Pontificum, ſeueritatem eius iuſti iudicij timentium perturbauit: Nam familiæ eorum fautrices ſcelerum, ſubitum contra Domini Apoſtolici familiam mouerunt tumultum, ſecurè aſtantem ante baſilicam, in qua publicum habebatur Concilium, ita vt vir ſanctus cogeretur à medio conſeſſu ſurgere, & ante portam ad ſedandum ſtrepitum procedere. Cuius præſentiam non reueriti, Deo odibiles, eo magis, magiſque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exanimatos confugientes, ante oculos ipſius confodere, & à valuis Eccleſiæ, vt ibi tutarentur, repellere: ita vt impetus ſagittarum & ſaxorum circa eiuſdem Sancti aures & ora volitaret, atque quoſdam eius veſte defendi cupientes vulneraret. Veſtis illa, pluuiale, ſeu cappa pontificalis erat, qua Papa indutus, Concilio ſolet præſidere.

CAPVT V.

Extra ſacrificium, Cappa in officiis Eccleſiaſticis vſitatior eſt ornatus, iſque non nuperus.

QVANDO cœperit Cappæ vſus in Eccleſia, vix ex priſcorum Auctorum monimentis licet dignoſcere. De cappa S. Martini, illuſtre eſt Walfridi Strabi, qui ante annos 800. claruit, teſtimonium cap. vlt. de Exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſticarum: *Dicti ſunt* (inquit) *primitùs Capellani à cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum habere: quam ferentes & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici, Capellani cœperunt vocari.* Et Scriptor antiquus, Monachus anonymus S. Galli: *Quemdam optimum dictatorem & ſcriptorem in Cappellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Francorum Reges propter Cappam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem, & hoſtium oppreſſionem, iugiter ad bellum portabant, ſancta ſua appellare ſolebant.* Hæc illi. Sed de qua cappa S. Martini loquantur illi auctores: num de ſacra, quæ in Eccleſiaſticis officiis geſtari ſolet, an de ea quæ pars eſt eminentior monaſtici habitûs: planè eſt incompertum.

Antiquum tamen nonnihil eſſe vſum Cappæ Sacerdotalis, quamuis de eo ornatu ſileant ferè vetuſtiores Eccleſiaſticarum rerum tractatores: elicio tum ex inſigni illo ritu vbique in Eccleſia recepto, cuius meminit Lantfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ep. 15. præcitata: tum ex teſtamento Leodebodi Abbatis, condito ſub Clodoueo ſecundo Rege, anno Dominicæ Incarnationis DC. XXIII. menſe Iunio, in quo legat pius ille vir, Baſilicæ * S. Aniani Aurelianenſis, inter cætera diuini cultûs adminicula; *Sandalia duo ad Miſſas & oralia ad menſam, vnà cum cappis, & omni apparatu, & vela duo acu picta.* Item ex iis verbis Helgaldi Monachi, in Epitome vitæ Roberti Re-

* *Epiſt. Lantfranci 15.*

gis, de piis muneribus, ab Adelaide eius matre, ſacris pleriſque locis, erogatis. *Fecit* (inquit) *ſancto Pontifici Martino, caſulam auro operatam optimo, inter ſcapulas maieſtatem veri Pontificis continentem; Cherubim quoque ac Seraphim colla dominatori omnium ſubmittentia. In pectore verò Agnum Dei, noſtræ redemptionis hoſtiam: quatuor è regione præfigens animalia Dominum gloriæ adorantia. Fecit & eidem Beato Confeſſori, Cappam vnam intextam auro, duas verò ex argento.* Et infrà dum recenſet donaria pretioſa, quibus Robertus ipſe Rex, dilectiſſimam ſibi Eccleſiam ipſius Beati Aniani cumulauit; Dedicationis eius ſolennitate enarrata, ſubiungit quæ ſequuntur: *Peractâ oratione ad ſua quiſque lætus regreditur, & de ſuis donariis locus inſigniter nobilitatur: in quatuor ſcilicet palliis pretioſiſſimis, & vrceo argenteo, & capella, quam poſt obitum ſuum Deo omnipotenti, & ſanctiſſimo Confeſſori delegauit Aniano. Capella autem huius piiſſimi, prudentiſſimi, potentiſſimi Regis Roberti talis fuit: Cappæ octodecim bonæ, optimæ, & bene paratæ. Libri Euangeliorum aurei duo, & alij duo parui, cum Miſſali vno tranſmarino, bene parato, ebore & argento *, &c.*

Porro conferre nonnihil videtur commendationi piæ memoriæ eiuſdem Roberti Regis, quod notatum reperi in lib. MSC. *De Reliquiis Eccleſiæ S. Dionyſij Epiſcopi & Martyris.* Videlicet, in diebus ſolennibus pium hunc Regem Pſalmiſtæ officio fungi ſolitum in ipſa S. Dionyſij Eccleſia, cappa indutum pretioſa, ſceptróque regali inſignem: diuina præconia modulantibus Monachis, præcinuiſſe, chorúmque rexiſſe; ſic enim ibi legitur: *Qui* (Rex Robertus) *inter celebrandum diuina Miſſarum myſteria, ſtans in Choro cum Cantore cæteriſque chorum tenentibus, indutus cappâ ſericâ pretioſâ, quam ipſe ſibi ad hoc ipſum comparauerat, tenens ſceptrum regale aureum in manibus, totum Chorum, imò totam Eccleſiam illuſtrabat, pſallens cum pſallentibus, & gaudens cum gaudentibus, cantando cum aliis ſolenniter, & alios ad cantandum hilariter exhortando. Erat enim idem Rex optimè litteratus, ſubtiliter intelligens, Deum ac Sanctos eius ardenter diligens. Qui ſuaui modulamine vocis ſuæ cum clamore cordis ad aures æterni iudicis continuò perſonabat, & ita permanebat vſque dum ſacratiſſima diuini myſterij ſolennia finirentur.* Hæc ibi.

* In Concil. II. Pictauienſi celebrato iuſſu Paſchalis II. Papæ per Ioan. & Benedictum Cardinales, anno 1109. pro reformat. morum, c. 3. prohibetur Archiepiſc. ne ab Epiſcopis; & Epiſcopis, ne ab Abbatibus *Cappas, &c. exigant in conſecratione eorum, ſub excommunicationis interminatione.*

Sicut igitur olim Dauid præcinendo pſallentibus, geſſit Ephod, Cantoribus vſitatum: ſic Rex Robertus Cappam geſſit in Eccleſia, diuinas laudes ſumma cum humilitate ac deuotione celebrando. Cappa enim Eccleſiaſtica non eſt propriè veſtis Sacerdotalis: ſed ornatus omnibus Clericis, etiam Cantoribus (quos priſci Canones Pſalmiſtas vocant) communis. Quo officio fungi poſſe fideles coniugatos, de Sacerdotali licentia, permittunt Eccleſiaſticæ ſanctiones, vſúſque etiamnum vigens pleriſque locis hoc confirmat. Nihil igitur contra ordinem ſibi arrogauit Rex Robertus: etenim Rex Chriſtianiſſimus, vnctione ſacra delibutus, merus Laïcus cenſeri non debet, at velut mixta quædam perſona; quamobrem nonnullis prærogatiuis Eccleſiaſticis honoratur, v. g. albâ induitur & dalmaticâ, & quando aſſiſtit celebranti Papæ, eidem ſolenniter Subdiaconi vice miniſtrat: inque ſuæ conſecrationis die communicat ſub vtraque ſpecie; 4. Reg. 6

alia quædam inſuper habet Eccleſiaſtica priuilegia, quibus vt cæteris Laïcis longo interuallo antecellit: ſic & ab Imperatorum multorum Orientis (qui ante caſum Imperij Chriſtiani extiterunt) impio faſtu, & ſuperbiâ, in rebus ſacris vſurpandis intolerabili, prorſus faſtidit ac abhorret.

Verùm excidere mihi hîc non patior (diſſertatio vt eò redeat quò defluxit) de Cappa Eccleſiaſtica, aliam obſeruationem non illepidam. Adela Comitiſſa Andegauenſis promiſerat Baldrico Abbati Burgolienſi (circa an. Chr. 1060.) cappam inſignem, qua in Eccleſiaſticis officiis ſe ornaret. Cùm pollicitationis Adela immemor videretur: Baldricus qui poëticis, vt tempora ferebant, aliqua exercitatione pollebat, anſam hanc arripuit carmen ad eam ſcribendi, prænotatum, *Pro Cappa quam ſibi promiſerat*, quo ſic feſtiuè luſit.

Extat inter Carmina hiſtorica Baldrici Abbatis Burgolienſis, apud Quercetanum Tom. 4. Hiſtor. Franc. &c. p. 274. & 275.

Quam peto, quam petij, ſi reddas, Adela, Cappam,
Quæ deceat dantem, deceat ſimul accipientem;
Nulla mihi maior, melior mihi fœmina nulla,
Nam Regina mihi tu fies ex Comitiſſa.
Te quoque maiorem formabunt carmina noſtra,
Carmine tu noſtro latum ſpargêris in orbem,
Vt te noſſe queat, & Cyprus, & vltima Tyle,
Æthiopes, Indi, Getulive, & inſula quæque.
Grandia dico quidem, ſed grandia dicere nouit
Ex quo materiam mihi ſumpſi de Comitiſſa;
Ipſa mihi carmen, calamum mihi ſuggeris ipſa,
Ipſa dabis flatus, os ipſa replebis hiulcum,
Emeritas ſoluis mercedes ipſa Poëtis,
Tu cogis vates taciturnos eſſe loquaces.
Ergo tuum vatem, Comitiſſa, reuiſe loquentem,
Et refer ô Domina, ſcribendi præmia, Cappam;
Cappam, quæ Phrygium rutilans circumferat aurum;
Cappam, quæ gemmis ambitum pectus honeſtet:
Vt te habeat pectus, hac dum ſuper induet artus:
Cappam, quæ pretium Comitiſſæ præferat inſtar,
Quam meritò valeam Comitiſſæ dicere Cappam.
Sicut, & excellis Reginas, & Comitiſſas,
Sic Reginarum Comitiſſarúmque lacernas,
Hoc excellat opus, quod te ſuper aſtra perennet.
Magna peto, ſi non maiora rependere nôſſes.
Ipſa puſillanimes faſtidis parua petentes,
Non nimis alta peto, non ad nimis alta relabor,
Quolibet ornatu debes ornare miniſtros,
Et ditare ſimul theſauros Eccleſiarum.
Id petiiſſe meum eſt, id te præſtare tuum ſit.
Sic mihi reſponde, iuri vt faueas vtriuſque,
Et caue ne etiam deſit ſua fimbria Cappæ.

CAPVT VI.

In Dedicatione Eccleſiarum, Pontifex conſecrator, non caſulâ vtitur, ſed tantùm Cappa, ſeu pluuiali.

MAIORES noſtri vt antiquæ traditionis ſemper tenaces extiterunt: ſic & poſteritati auitorum morum rituúmque teſtandorum fuerunt quàm maximè ſolliciti. Quo feruens laudabili ſtudio Ioannes Metropolita Rotomagenſis, qui Gregorio VII. ſummo Pontifice Sedem Apoſtolicam conſcendente, de præſulatu Abrincenſi ad Prouincialem meruit apicem promoueri, libellum ſcripſit de Sacerdotalibus ornamentis, maximè verò de Stola & Caſula, & vtriuſque in Eccleſia vſu. Quem tractatum ad Lantfrancum iam Archiepiſcopum Cantuarienſem, illuſtrem, & inclytum magni pietatis ſacramenti aduerſus Berengarium vindicem, ipſius de eo iudicij veſtigandi causâ tranſmiſit. Qui vir, in paucis doctus, & humilis, gratanter quidem vltróque paſſus eſt, ſe ab inferiore, iuniore ſcilicet Archiepiſcopo, & non vt ipſe erat magni regni Primate, edoceri: ratáque ſincero animo candidóque calamo ſe habere teſtatus eſt, quæ Ioannes ipſe Normannorum (vt inſcribit) Archiepiſcopus, de ſtola ſacra eo opuſculo, memoriæ poſterorum conſignauerat. Quæ verò de Caſulæ vſu, eodem tractatu conſcripſerat, minimè ferenda ſibi, ac doctis quibuſque, ore rotundo declarauit. *Quicquid de ſtola* (inquit) *ſanctitas veſtra ſcripſit, multùm mihi placuit, nec vnquam diſplicuit. Sed quod ſubiunxit, quia ad dedicandam Eccleſiam Epiſcopus proceſſurus, ſacris veſtibus, ex inſtitutione Epiſcopalis ordinis debeat eſſe indutus: atque in expoſitione ipſarum ſacrarum veſtium, caſulam poſuit, valdè ſtupui. Quia tale aliquid me numquam vidiſſe, meminiſſe non potui; diuerſos enim diuerſarum prouinciarum Præſules, Eccleſias dedicare ſæpe conſpexi, omnibúſque quæ ab eis facta ſunt, quantum potui curam adhibui: qui etſi in nonnullis diſsimilia egerint, omnes tamen cappis induti, vſque ad celebrationem Miſſæ, debita ſeruitia ſine caſula expleuerunt. Denique S. Leo Romanæ Sedis Summus Antiſtes, Romericenſem me præſente Eccleſiam dedicauit, cunctáque quæ ante Miſſam fieri ordo depopoſcerat, ſine caſula conſummauit.*

Mos iſte tanta auctoritate, tanta conſtantia iam olim cuſtoditus etiamnum in Eccleſia Catholica viridi in obſeruantia perſeuerat: ſiquidem in Pontificali Romano iuſſu Clementis VIII. iuxta antiqua exemplaria reſtituto, ſub titulo *De Eccleſiæ dedicatione, ſeu conſecratione*, ſignatim expreſſum legimus, in rubrica de Epiſcopi ad eam actionem apparatu: *Tunc Pontifex, &c. induens interim amictum, albam, cingulum, ſtolam, & pluuiale albi coloris, accipiens mitram ſimplicem in capite, & baculum paſtoralem in manum ſiniſtram, &c. Septem Pſalmis expletis, redit Pontifex cum miniſtris, ante fores Eccleſiæ conſecrandæ.* Candidum hunc Pontificalem apparatum Sugerius pridem S. Dionyſij Abbas, in li-

bro de conſecratione ipſius Eccleſiæ S. Dionyſij geſtatum refert ab Epiſcopis ipſius Eccleſiæ dedicatoribus: Samſone Remenſi, Hugone Rotomagenſi, Guidone Senonenſi, Theobaldo Cantuarienſi, Metropolitis: Gofredo Carnotenſi, Ioſſeno Sueſſionenſi, Simone Nouiomenſi, Elia Aurelianenſi, Odone Beluacenſi, Hugone Antiſſiodorenſi, Aluiſo Attrebatenſi, Guidone Catalaunenſi, Algaro Conſtantienſi, Rotroco Ebroicenſi, Milone Teruanenſi, Manaſſe Meldenſi, & Petro Siluanectenſi Epiſcopis. *Igitur ſummo mane* (inquit) *Archiepiſcopi, Epiſcopi de propriis hoſpitiis, cum Archidiaconis & Abbatibus, & aliis honeſtis perſonis, ad Eccleſiam accedentes, Epiſcopaliter ſe componebant, & ad dolium pro conſecratione aquarum ſuperiùs inter ſanctorum Martyrum ſepulturas, & ſancti Saluatoris altare, ſatis decenter, ſatis venerabiliter aſſiſtebant. Videres, & qui aderant non ſine magna deuotione videbant tot tantorum choream Pontificum veſtibus albis decoram, mitris Pontificalibus, & circinatis aurifriſiis pretioſis admodum, coronatam, paſtorales virgas manibus tenere, circumcirca dolium ambire, nomen Domini exorcizando inuocare: tam glorioſos & admirabiles viros æterni ſponſi nuptias tam piè celebrare, vt potiùs chorus cæleſtis, quàm terrenus; opus diuinum, quàm humanum tam Regi, quàm aſſiſtenti nobilitati videretur apparere.*

Sanè quod tot tantíque Pontifices conuenerint ad huius regalis Eccleſiæ Encænia celebranda, loci dignitas, Martyrúmque Galliæ Apoſtolorum præeminentia, cauſam dedit. In aliarum ſiquidem Eccleſiarum dedicationibus vnus antiſtes peragit actionem, & quidem mitra, alba & baculo paſtorali inſignis, cappáque candida decoratus, quemadmodum praxis docet, & in vetuſto, quod habeo, Pontificali MSC. in membranis exarato, ſub ſinguliſque titulis, pulchris imaginibus, actionem ſubiectam exprimentibus viuis coloramentis delibutis, inſignito conſpicitur. cuius actionis figuram ad amuſſim originalis delineatam, propter venerandæ antiquitatis ſpecimen, viſum eſt hîc in lectoris gratiam ſubiungere.

Epiſcopi Eccleſiam conſecrantis proſpectus, ex priſco Pontificali depromptus.



CA-

CAPVT VII.

Petri Molinæi Caluiniſtæ Miniſtri petulantia, impiáque dicacitas circa Dei Patris imaginem, in Eccleſia Catholica pio vſu receptam, Cappa Sacerdotali, & regali corona triplici inſignitam, caſtigatur.

HAVD dignus eſt Molinæus iſte perpetuus rerum ſacrarum deriſor, & Catholicæ Eccleſiæ iuratus hoſtis, rituúmque orthodoxæ Religionis ridiculus ſubſannator: qui à catholicis ſcriptoribus vſpiam nominetur. ait enim Propheta de impiis: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Pſalm. 15. Sed quia Hæreticorum proprium eſt, virus ſuum ſub artificioſis dicteriis, in ſimplicium animarum perniciem ſpargere, vnde de iis ait Apoſtolus: *Quorum ſermo vt cancer ſerpit.* 2. Tim. 2. quia (ait Leo Magnus) *humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.* Serm. 5. de ieiunio 10. menſis. Quam artem ſi quis ſectariorum vſquam nouerit, profectò Molinæus, inſignis animarum ſeductor, & ſectæ perditionis primarius magiſter, longo interuallo omnibus antecellit: qui ſub blando ſermone ſua in retia cautè vulgus allicit, cui perpetim adulatur, & quem ingenioſis ſcommatibus paſſim oblectat, blaſphemiarum venena incautis mentibus ſub pernicioſarum facetiarum toxicato melle inſtillans. Ideò ne ita perditè noceat: toto hoc opere maximè ſecunda parte, locis opportunis, impiæ eius ſcurrilitati, & venenoſæ loquacitati congrua antidota pro viribus opponam. Hîc porro quæ effutit contra imagines Dei Patris, pio vſu in Eccleſia receptas, dilucidè diſcutiam. Sic blatterat igitur impius ſcurra in ſua Nouitate Papatûs, lib. 7. Controuerſia 2. c. 1. ſectione poſtrema.

Verùm forma habitûs qua Deus Pater repræſentatur apparatu Papali, amictus Cappa, ſeu Pontificali pallio, cum triplici corona: patenti nobis documento eſt, quem in finem eiuſmodi abuſus introductus fuerit. Enimuerò non eo fine inuectus eſt, vt Deus quo cultu decet, honoretur: ſed vt Papa diuino honore potiatur. Sic enim dum populus rudis Deum intuetur infulatum & palliatum, exiſtimat in Papa nonnihil diuinum ineſſe; quoſdam etiam futuros ita vecordes non dubito, qui Deum maiori in pretio habeant, eo quòd Papali habitu indutus effulgeat.

At vocem dederunt nubes. nihil enim aliud ſunt verba iſta (præter impias ironias) quàm meræ nugæ, & inanes præſtigiæ. His igitur ſepoſitis, tria dico:

Primum eſt, Molinæum falſò ſupponere nos Deum Patrem, in forma quam eſſentialem arbitremur, exprimere. Siquidem perſonam Patris nunquam incarnatam, proinde & prorſus incorpoream: Deúmque ipſum vnum in eſſentia, trinum in perſonis, eſſe prorſus incircumſcriptum & inuiſibilem conſtanter profitemur. Tridentini Oecumenici Concilij, Seſſ. 21. tam perſpicua, quàm ſolida doctrina eſt,

V

populum Chriſtianum ſedulò eſſe admonendum à ſuis Paſtoribus, *Diuinitatem figurari non poſſe, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi queat. Sed dumtaxat hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ repræſentari, in quibus Deus ipſe ſub ſenſibilibus figuris apparere voluit.* Apparuiſſe autem Filium in carne quam pro ſalute noſtra induit: Spiritum ſanctum in columbæ ſpecie ſuper eum deſcendiſſe, & ſuper Apoſtolos in linguis igneis fuiſſe delapſum: Patrem verò, in forma *Antiqui dierum, cuius capilli erant velut lana munda*, conſpectum à Daniele Propheta, ipſis in diuinis libris legimus, & fide certa credimus. At quis ſana mente dixerit, nefas eſſe res geſtas in Scriptura; vel eloquio referre, vel calamo, aut penicillo exprimere? Rectè Thomas Waldenſis in volumine 3. de Sacramentalibus, tit. 19. ait: *Quod Scriptura facit verbis, cur artifex non faciet ſignis, an magis peccatum circa hanc rem incurrit penicillus, quàm penna; imago, quàm littera?*

Ioan. 1. Matt. 3. Marc. 1. Act. 2. Daniel. 7.

Secundum eſt, coronâ triplici triplex regnum, cæleſte, terrenum, & inferum deſignari, quod ſoli Deo competit; vnde dilectus eius diſcipulus, triumphum eius deſcribens, aſſerit ſe eum multiplici corona redimitum conſpexiſſe: *Et in capite eius diademata multa. Cæleſtium* ſcilicet (ait Vas electionis) *terreſtrium & infernorum.* Porrò, alba, ſeu poderis, veſtis eſt Sacerdotalis, qua indutum Dei vnigenitum, Ioannes ipſe in ſuarum reuelationum exordio ſe vidiſſe teſtatur. Rex igitur ipſe eſt & Sacerdos, vt in Epiſt. ad Hebræos, ex Melchiſedech figura, Apoſtolus colligit & affirmat. Quid abſurdi igitur, ſi in ornatu regali & Sacerdotali repræſentatur? Albam autem, & cappam Eccleſiaſticam, eſſe indicem ſacerdotij, nemo prudens ſciénſque ſacrorum rituum abnuerit: quamobrem demens ſit oportet, qui hoc apparatu derogari diuinæ gloriæ contenderit, quæ paſſim in ſacris litteris, eiuſmodi titulis & inſignibus ſeſe præbuit aſpectabilem & venerabilem: nam & Pater æternus viſus eſt à Daniele, veſtimento candido niue nitidiore indutus.

Apoc. 19. 12. Philipp. 2. 10. Apoc. 1. 13. Hebr. 5. 7. 11. &c. Daniel. 7.

Tertium eſt, palam Molinæum inſanire, qui à nobis ſic repræſentari Deum Patrem ſomniat, ad perſuadendum populo, in Papa quid diuinum ineſſe*: vel Deum ex habitu Papæ, aliquem honorem proprio ampliorem mutuari. Antequam enim Papa tres coronas circa mitram geſtaret, (qui mos poſt Innocentium III. inoleuit, cùm anteriores Pontifices vnicâ tantùm coronâ geſſerint cinctam tiaram) Deus Pater regali in throno ſedens, triplici diademate coronatus depingi conſueuerat. Quemadmodum ex antiquis imaginibus apparet: quarum inſigne ſpecimen extat in Pontificali MSC. Gallicani ritûs perueteri, vtpote ante annos 550. exarato (prout ex litania liquet, quæ infirmorum viſitationi & inunctioni præfigitur: in qua neque S. Ludouicus neque S. Bernardus Confeſſores recenſentur, cùm alij plerique minoris nominis, at vetuſtioris notæ, ea in ſerie memorentur): quod fore operæpretium haud inane exiſtimaui, hîc in monimentum piæ antiquitatis, & veritatis Catholicæ ſubſidium, genuinâ expreſſione ſubiicere. Ita igitur habet.

* Eſſe tamen in Papa quid diuinum: ſacroſancta illa poteſtas à Chriſto, illi in Petro tradita, qua diuina vice Eccleſiæ vniuerſali præſidet, ſatis probat: qua de re aliàs copioſè tractauimus, videlicet in opere nondum edito, cui titulus eſt, *Petrus & Paulus.*



Ex Petro Bleſenſi, ſermone 41. habito in ſynodo, dum Archidiaconi officio fungebatur.

Paræneſis Spiritus ſancti ad Sacerdotem, diuina myſteria celebrantem, de Panoplia Sacerdotali.

LOQVITVR *tanquam Pater ad Filium, Spiritus ſanctus ad Sacerdotem*
celebrantem diuina &c. Aſtrinxiſti fauces tuas amictu circumiecto, cuius AMICTVS.
initia circumducta ante pectus molliter ligáſti indutus camiſia linea, quæ commu-
ni nomine dicitur alba: quam propter ſui diffuſionem circa renes fortiter aſtrinxiſti; ALBA.
cuius manicæ adeò ſunt ſtrictæ, & manibus aptatæ vt rugam ibi non habeant.
Sed attende quod hac eadem veſte Sacerdos leuiticus vſus eſt: ſed adeò ſtricta
erat tunc, & corpori aptata, vt numquam rugam haberet, præfigurans anguſtias
illius temporis. Acceperant enim ſpiritum ſeruitutis in timore. Circa te verò habet
latitudinem, propter libertatem adoptionis filiorum, qua liberauit vos filius, &
intellige fili, quatuor in te eſſe alligata, fauces, pectus, renes, & manus, ac ſi
dicatur tibi: Non aſcendant prauæ cogitationes in cor tuum, prohibe linguam
tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Sint lumbi veſtri præcincti &c.
Certè ligaturam pectoris deſiderabat ille qui dixit: Cor mundum crea in me Pſal. 50.
Deus. Nihilominus & ligaturam faucium dicens: Pone Domine cuſtodiam Pſal. 140. 3.
ori meo. Renes quoque & manus caſtigari voluit, cùm aiebat, Confige ti- Pſal. 118. 120.
more tuo carnes meas. Sed attende fili circa fauces & pectus leuem & quaſi re-
miſſam eſſe ligaturam: circa verò renes, & manus arctiſſimam; motus enim
animi in tua poteſtate non eſt, & ideo in his venialiter peccare potes. Elias priùs 3. Reg. 19. 18.
clauſit cœlum quàm animum, exiſtimans ſe ſolum remanſiſſe de Prophetis Domini,
cùm adhuc ſupereſſent ſeptem millia virorum qui non curuauerant genua ſua ante
Baal. Similiter & lingua facilè labitur, quia in madido ſedet. Nam & prin-
ceps Apoſtolorum ad vocem ancillæ negauit. Et quia linguam de facili reprimere
non potes, in ea venialiter potes peccare. In renibus autem fili, noli errare, vt
dicas lapſum carnis venialem, tanquam naturalem motum, vel debitum vecti-
gal naturæ. Deus enim non irridetur. Aſſumpſiſti tibi fœminalia, aperuiſti os
tuum in votum continentiæ, mundus eſto, vt mundè tractes mundi mundatorem.
Cohibe ergo manus tuas, fili, non dico à furto, à rapina, & huiuſmodi quæ ne-
mini licent, ſed excute manus tuas ab omni munere. Noli diligere munera. Noli

ſequi retributionem. Gratis accepiſti Sacramenta, da gratis. Comede vt euangelizes, non euangeliza vt comedas. Si fueris exactor muneris, cùm acceſſeris ad Dominum Ieſum Chriſtum, poterit tibi dicere, Noli me tangere. Vox tua Iacob ſonat, manus autem tuæ, manus ſunt Eſau, manus ſunt Briarei, non Preſbyteri. Ecce in his ligaturis, fili, potes intelligere, quomodo declinare debeas à malo: quomodo autem debeas facere bonum, ex reliquis intellige ornamentis, ex ſudario ſcilicet, & orario, & planeta. Sudarium namque, quod & manipulus dicitur, geſtas in læua. Quondam meſſores ob ſudorem detergendum zonæ alligatum ſudarium portabant. Intellige ergo te meſſorem eſſe. Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. & ideo miſit te Dominus meſsis ad metendum, id eſt ad colligendum vndecumque in Eccleſia fideles verbo & exemplo, & Sacramentorum participatione. Hæc quidem meſsis nunc hominum eſt, finitima verò erit Angelorum, quando colligent omnia ſcandala de regno Dei. Patres antiqui ſudarium ferebant ad tergendam lacrymarum affluentiam, quibus dictum eſt, Beati qui nunc fletis &c. Beda dicit in Martyrologio ſuo, quòd Pater Arſenius ſemper ſudarium ferebat, aut in ſinu, aut in manu, propter lachrymarum affluentiam. Quocirca intellige, ô fili, ex ſudario quantos exitus aquarum deducere debent oculi tui. Flere namque debes pro exceſsibus propriis, pro exceſsibus gregis tui, pro incolatûs prolongatione, & pro patriæ deſiderio. Orarium, quod & ſtola dicitur, ſuper collum geris, cuius brachia ad minus extenduntur, vſque ad genua, & cancellari debent per medium pectus in modum crucis, ac ſi dicas: Onus Crucifixi leue, & iugum eius ſuaue. Orarium autem dicitur, quia propter offenſas populi tui, cum humili genuflexione Domino debes ſupplicare, tuis precibus indignationem placare. Planeta, quæ & caſula dicitur, totum te circumdat & protegit, & cæteris ſupereminet. Hæc eſt charitas de qua dicit Apoſtolus: Adhuc ſupereminentiorem viam vobis demonſtro, ſine qua cætera cùm adeſſe poſſint, prodeſſe non poſſunt, eodem Apoſtolo atteſtante, Si linguis hominum loquar & Angelorum, ſi fidem habuero, ita vt montes transferam, ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil ſum. Ergo ſine charitate fili, nihil es; imò ſine prædictis Sacerdos dici potes, eſſe autem non potes. Fortè Paſtor es in facie hominum, ſed raptor es in facie Angelorum, lupus es, non aries; latro, non miniſter. Nónne igitur Chriſtus aſtans, poterit tibi dicere: Fili quomodo huc intrâſti, non habens veſtem Sacerdotalem? & iterum: Quis tu hic? Ecce autem aſportaberis tanquam gallus gallinaceus, timeo ne ligatum manus & pedes proiiciat te in tenebras exteriores. Supereſt, fili, vt ex his quæ coram te ſunt intelligas, quid fratri tuo debeas. Vides Deum & hominem coram te in cruce pendentem, plagis liuidum, in cruce leuatum, proprio ſanguine cruentatum, inclinato capite mortuum, in dextero latere lanceatum, tum dum vixit, pro crucifixoribus orantem. Et tu fili, crucem portes ſequens præambulum tuum, in compaſſionibus proximi, & carnis mortificatione, in hac etiam pro perſequentibus orare non deſinas. Si populus tuus detraxerit tibi, ſi debitam reuerentiam negauerit, ſi boui trituranti os alligauerit, debita ſtipendia ſubtrahendo: ne reddas malum pro malo, ſed potiùs vince malum in bono, ſed potiùs ora pro illis, dicens: Domine ignoſce illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt; fortè lupus inuadit gregem tuum; & opponas te murum pro domo Iſraël; lupus autem, vt amoueat

Margin notes: Math. 10. 8. — Geneſ. 27. 22. — MANIPVLVS. — Math. 9. 37. — Math. 13. 41. — Math. 5. — STOLA. — CASVLA. — 1. Cor. 12. 31. — 1. Cor. 13. 1. — Math. 22. — Iſai. 22. — 1. Tim. 5. — Rom. 12.

te à defenſione pedes tuos perforabit, id eſt, vernaculos & domeſticos tuos qui ad negotia tua diſcurrent, aggredietur, & eorum, alios aporiabit, id eſt, pauperabit, alios in carcere vinculabit, quoſdam morte afficiet. Manus quoque tuas perforabit, fructu frumenti, vini & olei priuabit, neceſſaria vitæ, quæ opere manuum proueniunt, dilapidabit. Latus tuum fortè aggredietur, parentes ſcilicet, qui os tuum & caro tua ſunt, aggredietur laborans, vt offendas Deum, ne propinquum amittas; fortaſſe vitæ tuæ inſidiabitur, ſanguinem tuum ſitiet. Sed inter hæc noli moueri, cum Chriſto crucifixus, dic tyranno: non mouebor à defenſione hac in æternum. dic Domino: Domine, propter te mortificamur tota die, facti ſumus ſicut oues occiſionis. Hæc igitur prædicta, tu fili, & omnes animarum reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Eadem enim menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. menſuram autem bonam & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem reddat in ſinum veſtrum, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, iudex noſter, cùm venerit iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. Amen.

Pſal. 43.

Luc. 6. 38.

APPENDIX,

DE CAPPA PVERI IESV:

SEV

De Veſte puerili Domini Seruatoris;

Quæ in Argentoilo Monaſterio aſſeruatur.

CHARTA

Epiſcoporum interioris Franciæ, de ipſa veſte Domini, in eiuſdem Eccleſiæ Argentoilicenſis Hierogazophylacio, ab antiquis temporibus, repoſita & honorata.

VNIVERSIS *Catholicæ Eccleſiæ Patribus, H. Rothomagenſ. Eccleſiæ humil. Sacerdos, Sal. & gratiam diuinæ propitiationis. Ad omnium volumus notitiam peruenire, quòd nos ſupernæ pietatis inſtinctu, apud Argentoilum conuenientes, adiunctis humilitati noſtræ multis authenticis Reuerendiſſ. perſonis, Archiep. Senonenſ. Theob. Pariſ. Roberto Carnotenſi, Aurelianenſi, Trecenſi, Antiſſiodorenſi, Cathalaunenſi, Ebroicenſi, Meldenſi, Siluanectenſi Epiſcopis ſanctis: Abbatibus quoque, Venerabili Odo. Abbate Beati Dionyſij, L. ſancti Germani, God. Laciniacenſi, Foſſarenſi, ſancti Pharonis, ſancti Maximini, ſancti Maglorij, Ponteuarenſi, Mauriniacenſi, aliis etiam quampluribus:* CAPPAM *pueri Domini Ieſu, quæ in eiuſdem Eccleſiæ Theſauru, a temporibus antiquis, cum honore condigno repoſita erat, ad fidelium ſalutem humiliter inſpeximus & palam eduximus, & veneratione ſolenni debitam magni-*

ficentiæ eius reuerentiam exhibentes, illam deſiderio & deuotioni populorum ſtudio pietatis obtulimus. Aderat ibidem ſupereminens & ſublimis præſentia illuſtriſ. Regis Francorum Ludouici, cum proceribus & optimatibus Palatinis, maxima conſiſtente frequentia vulgi. Ob inſigne igitur gratiæ cœleſtis, illud videlicet indumentum, quo ſeſe humanata induere ſapientia dignata fuit, ob ſanctiſſimam præſcriptorum Patrum præſentiam, Deo propitio, ſalubri diſpoſitione decretum eſt, vt omnibus ibidem venientibus ſupernæ miſerationis gratiam poſcentibus, merces & fructus ſuæ deuotionis in indulgentia veniæ compenſetur. Quicumque igitur hoc præſenti anno, in loco prænominato, in honorem diuinæ veſtu propriam ſeruitutem & deuotionem obtulerint, Nos omnibus illis de clementiæ cœleſtis plenitudine confiſi, ſi peccatis grauibus & maximis impliciti fuerint, vnius anni pœnitentiam relaxamus: Qui verò leuibus, id eſt venialibus detinentur, medietatem pœnitentiæ remittimus, oblita peccata, modo ſimili, condonamus: Annis verò ſingulis à feſtiuitate ſancti Dionyſij vſque ad octauas eiuſdem, loci ipſius & ſacratiſſimæ veſtis venerationem piè inuiſentibus, quadraginta dies ſuæ pœnitentiæ remittimus & indulgemus: De paruulis qui baptizati, vel ſine baptiſmi remedio, infra ſeptem annos, pro negligentia parentum mortui ſunt, totam pœnitentiam parentibus eorum remittimus, excepta feria ſexta in hebdomada, in qua (ieiunabunt) Si ad Eccleſiam pœnitens perrexerit, qualem ei charitatem Preſbyter dederit, talem habeat: Si verò infirmus fuerit, aut mulier prægnans, debilis, quæ ieiunare non poſſit, dicat ſepties Pater noſter, & opere pio bonum exerceat quod potuerit. Omnibus autem & quæ iuſta ſunt conſeruantibus ſit pax & ſub. Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Datum anno Verbi Incarnati milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto. Felicis memoriæ Adriano Papa IV. feliciter.***

* vetuſtate, hoc verbum in autographo, obliteratum videtur, vel aliud conſimile.

** Super plica ipſius chartæ, ſcribitur, *Littera de Capa Domini per H. Rothomag. Archiep.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES IN AVTHENTICVM PRÆSIGNATVM.

§. I.

H. *Rothomagenſis Eccleſiæ humil. Sacerdos*] Littera hæc ſolitaria, H. (vt ex Chronologia patet, quæ ex expreſſis ad calcem huius inſtrumenti indiciis elicitur) Hugonem deſignat 50. Archiepiſcopum Rothomagenſem, anteà Priorem Cluniacenſem, ad hanc Metropolim euectum anno 1130. annóque ſalutis 1164. vita & munere defunctum, pio & felici ab humanis exceſſu: ſi Sigeberti ſupplemento fides adhibeatur. Sed anno 1166. extremum attigiſſe diem Matthæus Weſtmonaſterienſis (qui de eo meminit ſub annum 1130.) aſſeuerat. Cui ſubſcribit Wionius lib. 2. ligni vitæ c. 29. n. 49. vbi ſignanter ſcribit annis plus minus 36. Eccleſiæ Rothomagenſi laudabiliter præfuiſſe; de quo extant, vt notat, Epiſtolæ apud Petrum Venerabilem lib. 1. & 6. Epiſtolarum. Eius autem reperitur Epiſtola ad Sugerium Abbatem S. Dionyſij, regnum Franciæ in abſentia Ludouici VII. cognomento Iunioris adminiſtrantem, apud Quercetanum, tom. 4. Hiſtoriæ Francorum, n. 103. Interfuit idem Hugo cum plurimis aliis Galliæ Præſulibus, detectioni & oſtenſioni ſacrorum corporum Bea-

torum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij ſolenniter factæ, ad inſtantiam ipſius Abbatis Sugerij, vt idem denarrat lib. de Conſecratione Eccleſiæ S. Dionyſij, tunc ab iiſdem Epiſcopis facta, vt videre eſt in eodem libello inter medium & finem.

§. II.

Archiep. Senon.] Synonymus antedicto Archipræſuli Rothomagenſi, ſynchronúſque erat Hugo Archiepiſcopus Senonenſis, qui ſolium hoc Metropolicum anno 1144. conſcendit, tenuítque annis 22. nam obiit anno 1166. quo & præfatus Hugo Rothomagenſis mortuus eſt. Celebris fuit quoque nominis, vt docent Epiſtolæ mutuæ, quæ etiamnum extant, Eugenij III. Sugerij, eiuſdémque Hugonis; qui Senonis Alexandrum III. pridie Kalend. Octobris reuerenter excepit.

§. III.

Theobald. Pariſ.] Quidam ex Chronographo Victorino, mortuum hunc Epiſcopum aſſerunt Idibus Ianuarij 1151. quod ſi ita eſſet, quomodo intereſſe potuiſſet anno 1156. vt perhibet præſens inſtrumentum, ſolenni inſpectioni & exhibitioni Veſtis Dominicæ, cum prædicatis Archiepiſcopis Hugone Rothomagenſi, & eius æquiuoco Senonenſi, aliiſque Præſulibus, Abbatibúſque ſubnotatis? Sed irrepſit apud Chronographum illum error manifeſtus; nam omnes fatentur, Theobaldum iſtum ſepultum fuiſſe in Preſbyterio Eccleſiæ S. Martini à Campis ante ſummum altare à cornu ſiniſtro; At in Carthulario huius Monaſterij adhuc viuens ſignatur anno 1157. notatúrque in ſupplemento Sigeberti obiiſſe 6. Idus Ianuarij anno 1158.

§. IV.

Roberto Carnotenſi] Succeſſit Goſlino; in cuius charta pro conceſſione Eccleſiæ S. Mammerti *de Goullons*, Monaſterio S. Martini de Campis facta; cùm eſſet decanus ſubſcripſit. Obiiſſe autem ſignatur in Carnotenſis Eccleſiæ tabulis anno 1164. *Extat in hiſtoria eiuſdem Monaſterij. lib. 6. pag. 114. & 115.*

§. V.

Aurelianenſi] Manaſſe de Garlanda, Eliæ depoſiti ſucceſſore, qui anno 1146. Epiſcopatum exorſus, ad annos 38. ſupráque (vt Sauſſeius lib. 10. Annalium notat) Sedis huius gubernacula geſſit, non ſine laude eximiæ prudentiæ & pietatis.

§. VI.

Trecenſi] ſcilicet Henrico viro venerabili, Henrici Comitis Campaniæ conſanguineo; qui Hatoni S. Bernardi amantiſſimo, decedenti, canonica electione ſuffectus eſt, anno 1146. anníſque circiter 23. Trecenſi Eccleſiæ præfuit; anno ſiquidem 1169. vitæ præclaris acti-

bus illuſtris, diem extremum peregit, Belincuriæ ſepultus, vt notat Robertus in Trecenſium Epiſcoporum Catalogo, n. 57.

§. VII.

Cathalaunenſi] Boſoni, ferè ſolo Epiſcopatus honore celebri; actúſque huius intermoriturâ nunquam memoriâ. de eo enim vix aliud reperitur in vulgatis huius Eccleſiæ Tabulis.

§. VIII.

Ebroicenſi] Rotroco, ſeu Rorico, qui poſteà fuit Archiepiſcopus Rothomagenſis: nimirum demortuo Hugoni prædicto, anno 1166. ob præclara merita ſurrogatus.

§. IX.

Meldenſi] Stephano, qui poſtmodum fuit Bituricenſis Archiepiſcopus. at abdicato demum onere, cum honore apud Monaſterium S. Victoris prope Luteriam, in pace quieuit.

§. X.

Siluanectenſi,] Theobaldo, Beati Almarici immediato deceſſori.

§. XI.

Epiſcopis ſanctis,] Titulus hic iam olim adſcriptus Epiſcopis, etiam cum ſuperlatiuo, vt verſatis in antiquitate Eccleſiaſtica ſatis patet.

Sed his obiter obſeruatis, iam inueſtigandum occurrit, Cur Hugo Archiepiſcopus Rothomagenſis, Præſes tot inſignium Antiſtitum extiterit, in tam ſolenni actione, litteráſque rei geſtæ memoriam poſteritati conſignantes, ſuo nomine inſcripſerit, cæteris Epiſcopis quaſi ſibi tantùm aſſiſtentibus recenſitis; cùm ipſe extra propriam prouinciam, diœceſimque ſuam exiſtens, nihil iuris hoc in loco obtineret, qui vt conſtat ſemper fuit Epiſcopatûs Pariſienſis, túmque prouinciæ Senonenſis; nullúſque niſi ſolus Ebroicenſis præſentium illic Epiſcoporum, ei Metropolico iure eſſet obnoxius; Adeſſet verò Hugo Archiepiſcopus Senonenſis, ſub cuius Metropoli tunc Lutetia cenſebatur; adeóque ipſe Epiſcopus Pariſienſis Theobaldus, qui loci in quo res agebatur, proprius erat Ordinarius? Hîc nihil aliud reſpondendum reor, quàm ex regula iuris, *volenti iniuriam non fieri*. Conceſſiſſe ſacræ huius actionis honorem, Theobaldum proprium loci Diœceſanum Hugoni Rothomagenſi Archiepiſcopo, quo cum maxima ei neceſſitudo intercedebat; fuerat enim Hugo iſte Prior Monaſterij Cluniacenſis, cuius Theobaldus alumnus erat, qui ante ſuſceptum Epiſcopatum fuerat Prior Monaſterij S. Martini de Campis, vbi ſepultus requieſcit, quemadmodum in eiuſdem Cœnobij Martyrologio notatur hac ſerie: VI. *Idus Ianuarij, Depoſitio Domni Theobaldi*

Epiſcopi

Epiſcopi Pariſienſis & Prioris huius loci, officium fiat plenum per omnia, ſicut de aliis Prioribus noſtris &c. Hic iacet ante maius altare, ad ſecundam tumbam parte ſiniſtra. Sed cur munus tam inſigne potiùs Metropolitano ſuo Hugoni Senonenſi qui aderat, Theobaldus non detulit? fortè de ipſiuſmet Hugonis Senonenſis conſenſu, adeóque conſilio, quòd ſcilicet Hugo Rothomagenſis ætate prouectior eſſet, ordinationéque prior, inſuper & inſignior claritate doctrinæ & opinione ſanctitatis; ſed maximè id factum exiſtimo, poſtulantibus ab vtroque, diœceſano nimirum & Metropolitano, Argentoliaci Monachis, ne quicquam detrimenti ſuo Monaſterio accideret ex Metropolitani vel Ordinarij Præſulis celebri adeo functione, ſiquidem locus hic iam iam exemptus erat, vt pote membrum regalis Abbatiæ S. Dionyſij, in cuius dominium & proprietatem excluſis Monialibus ſolutioris vitæ, non ita pridem, anno ſcilicet 1129. ſententiâ Matthæi Cardinalis Epiſcopi Albanenſis in Francia Legati, redintegratum fuerat. Quamobrem & huic oſtenſioni veſtis Domini, primus inter Abbates adfuit,

§. XII.

Odo Abbas S. Dionyſij] Qui in regalis illius Monaſterij tabulis cognominatur de Diogillo, vico ſcilicet agri Pariſienſis: fortè quod inde erat oriundus. Fuit hic amicus S. Bernardi, cuius ad Eugenium III. Papam extant duæ epiſtolæ pro eo ſcriptæ, ſcilicet 285. & 286. aliáque pro eodem ad Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem, ſerie 287. In quarum prima, S. Dionyſij Monaſterium, *rem appellat S. R. E. patrimonium Petri, ſummi pontificis proprietatem;* videlicet propter priuilegium, quo iampridem exemptum, à Sede Apoſtolica cum ſuis membris immediatè dependet; ex quibus eſt (vt diximus) non modò iuxta iudicium Matthæi Legati, ſed à primæua fundatione ipſum Monaſterium S. Mariæ Argentolicenſis, quemadmodum ex Charta ipſa fundationis, data anno 3. Childeberti II. filij Clodouei III. qui incidit in annum Domini 700. Brullius inſinuat lib. 4 antiqq. vrbis regiæ Pariſienſis, pag. 1186. &c.

§. XIII.

L. ſancti Germani,] Exſcriptorem, hîc litteram L pro I. inconſideranter expreſſiſſe mihi certò perſuadet Chronologiæ Abbatialis notitia. Nam eo tempore Ioffridus Pratenſe Monaſterium regebat, vt patet ex Continuatore Aimonij, lib. 5. c. 54. verùm hæc duo elementa I & L facilè permiſcentur.

§. XIV.

God. Laciniacenſi,] rectiùs exſcripſiſſet *Latiniacenſi*, quod eſt vetus Monaſterium, non procul à Lutetia Pariſiorum ad Matronam, cui S. Furſæus primus Abbas præfuit. Succeſſorum eius editam hactenùs

non vidi ſeriem : quamobrem de hoc Abbate mihi quod obſeruandum putem non ſuppetit. Initiales litteræ God. vel Godonem ſubindicant, vel Godofredum, vel Godericum, vel Godeſcalcum (quæ ſæculi huius vſitata ſunt nomina) aut aliud eiuſmodi. Cæterùm Charta cuius textum excurrimus, pleroſque Cœnobiarchas ſubiungit, loco inſignes quidem, ſed nullo indicio proprij nominis deſignatos : quare de his quicquam obſeruare certæ attributionis non poſſum.

§. XV.

Foſſarenſi,] rectiùs *Foſſatenſi*, ſcilicet S. Mauri prope Lutetiam. *Sancti Pharonis*] Meldenſis. *Sancti Maximini*] Treuirenſis. *Sancti Maglorij*] Pariſienſis. *Ponteuarenſi*] rectiùs *Ponteſſaienſi* *, in finibus diœceſis Pariſienſis. *Mauriniacenſi*] prope Stampas, diœceſis Senonenſis. *Aliis etiam quampluribus*] Eccleſiaſtici videlicet ordinis.

* *Pontaſiani*, meliùs.

§. XVI.

Aderat etiam & ſublimis præſentia illuſtriß. Regis Francor. Ludouici] nimirum VII. aliàs cognominati Iuuenis, ac etiam Pij; cœpit enim hic regnare anno 1137. & mortuus eſt anno 1180. expletis annis 43. in Francorum imperio.

§. XVII.

Cum proceribus & optimatibus palatinis] Pro more ſcilicet Regum Franciæ, quo eiuſmodi actibus, nonniſi cum aulæ regiæ inſigni comitatu intereſſe conſueuerant. Extat liber Agilberti Abbatis Corbeienſis *de ordine ſacri palatij*, quo cuiuſque palatinorum procerum gradus & munera à ſingulis obeunda deſcribit in conſpectu regis ac obſequio; de quibus hîc minutim diſſerere, tractatiunculæ præſentis breuitas non permittit.

§. XVIII.

Maxima conſiſtente præſentia vulgi.] Pro pietate ſcilicet Francis inſita, quam etiam Romani ſuſpiciunt & mirantur. Mitto priſcorum Pontificum de gentis noſtræ ſincera fide & ardenti pietate poſterorum memoriæ conſignata præconia: Clemens VIII. ſæculi ſui (hoc eſt huius ineuntis) deliciæ, in Apoſtolicis litteris, quas poſt diuturni belli turbines, conciliata diuino munere pace, ad Epiſcopos regni huius direxit, hoc in ſempiternum Franciæ noſtræ decus protulit elogium; *Ille qui diues eſt in miſericordia regnum nobiliſſimum non dereliquit, vnde tot fortiſſimi Chriſti Martyres, tot ſanctiſſimi Epiſcopi, tot Chriſtianiſſimi Reges prodierunt &c. Multa adhuc per Dei gratiam in iſto regno ſuperſunt ſemina veteris pietatis & auitæ religionis & deuotionis.* Cuius deuotionis feruorem etiam non ita pridem miratus eſt Sanctiſſimus Papa Innocentius X. qui nunc Eccleſiæ Catholicæ feliciter præſidet. Is enim cùm

auditor eſſet Eminentiſſimi Cardinalis Barberini Legati à latere in hoc regno Chriſtianiſſimo, Vrbani VIII. Pontificis Maximi, apud glorioſæ memoriæ Ludouicum XIII. Regem Chriſtianiſſimum, Lutetiæ aliquando quandam Eccleſiam Parœcialem ingreſſus cum ipſo Domino Cardinale Legato, quodam die feſto, vel Dominico: non tam populi multitudinem (quæ tamen ſtupenda illi viſa eſt) quàm deuotionem admiratus eſt, quemadmodum iam Pontifex, Romæ Patribus Dinet, & Georgio de la Haie, prouinciæ Franciæ delegatis ſuffragatoribus, ad Generalis Societ. Ieſu electionem, viſitando eiuſdem Societatis Eccleſiam durante poſtremo Iubilæo enarrauit: Obſecro, inquit, ne ſcandalizemini ob populi huius in templis oſcitantiam; neque enim dum ſacra fiunt, ea deuotione ac attentione intersunt, qua aſſiſtere deberent, quámque Pariſiis, cùm illic eſſem, non ſine grandi admiratione conſpexi: paſſim enim vidi Laïcos de geniculis orantes, cum inſigni modeſtia & eximia pietate, dum interim Clerici pſallunt magna cum grauitate & reuerentia. Deinde ſpeciatim quæ viderat in Eccleſia S. Euſtachij multa cum commendatione Gallicanæ deuotionis, enunciauit; vt redux præfatus Pater de la Haie mihi teſtatus eſt.

§. XIX.

Cappam pueri Jeſu, quæ in eiuſdem theſauris Eccleſiæ à temporibus antiquis cum honore condigno repoſita eſt] His ex verbis magna hîc quæſtio, diſcutiendam ſe prodit.

DIGRESSIVNCVLA POLEMICA
CONTRA CALVINVM,

De Veſte Domini, *quæ iampridem apud Argentolium digna cum veneratione ſeruatur.*

HOSTIS hic infeſtiſſimus auitæ pietatis, in libello peſtilentiſſimo, quem aduerſus ſacratiſſima Sanctorum beatorum pignora, ſub titulo *Indicis reliquiarum*, vtroque idiomate Latino & Gallico euulgauit: quæ in terris ſuperſunt partæ à Domino humanæ ſalutis in carne, veneranda inſignia, immani odio impetere, dirόque dente proſcindere aggreſſus; dum in veſtem illám Domini, quam maiorum pietas hactenus apud Argentolium tanta reuerentia coluit, inuehitur, ſic arguit.

OBIECTIO I.

Tunicam inconſutilem Domini, ſuper quam in eius paßione ſortem milites miſerunt, ne ſcinderetur; à Papiſtis duplicatam fuiſſe ac diuiſam: alteram enim aiunt ſeruari Argentolico in oppido ditionis Pariſienſis; alteram Treuiris.

RESPONSIO.

De Dominica veſte Treuirenſi ſic Cratepolius ſcribit in libello de Sanctis Germaniæ ſub littera M. & titulo, S. Matthias Apoſtolus:

Pag. 164. edit. Colon. an. 1591.

Corpus eius S. Helena Romam tranſtulit; inde per S. Agritium Treuirim tranſlatum eſt. Cùm quoque hic ſanctiſsimus Agritius alias reliquias ſanctiſsimas ſecum in Germaniam tranſtulit, quæ Treuiris in ſummo Templo conſeruantur; ſunt autem hæ reliquiæ, Tunica Domini inconſutilis, &c.

De Argentoliacenſi hæc notat Matthæus Paris, Monachus S. Albani, ſuo in Chronico Regum Angliæ: *Anno Domini 1156. in pago Pariſiacenſi Monaſterio Argentoilo, reuelatione diuina, Tunica Saluatoris inconſutilis & ſubconfuſi coloris reperta eſt; Quam (ſicut litteræ cum ea repertæ indicabant) glorioſa mater eius fecerat ei, dum adhuc puer eſſet.* Idem tradit Matthæus Weſtmonaſterienſis, in libro florum Hiſtoriarum, ſub annum ſignatum.

Pag. 247. edit. Francfordienſis anni 1601.

His poſitis, ad cardinem difficultatis veniendum Euthymius in Matth. 27. aſſerit præter tunicam quæ erat primum & internum veſtimentum, loco ſubuculæ apud nos: duo alia veſtimenta Chriſtum habuiſſe, nempe tunicam ſuperiorem, quæ internæ ſuperpoſita erat, & pallium. Tunica ſuperior lanea erat, inferior quæ & interior, linea, quam à matre contextam ipſe Euthymius affirmat: & hanc eſſe ſuper quam milites miſerunt ſortem, ne ſcinderetur, veriſimile eſt. Ergo nihil repugnat vt Treuiris ſit altera: altera verò Argentoliaci. Sed inſtat Caluinus, vnam enim eamdémque (quæ vtrobique inconſutilis dicitur) hic illicque, oſtendi clamitat.

Hinc de Petro legimus Ioan. 21. Simon Petrus cùm audiiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, (erat enim nudus;) & miſit ſe in mare.

OBIECTIO II.

Et in hoc ſceleratiores eſſe Papiſtas (ait) quàm carnifices Domini, cùm hi inconſutilem veſtem diſcindere horruerint; illi verò iam in duas non quidem partes, ſed integras veſtes diſſecuerint?

RESPONSIO.

Gretſerus lib. 1. de Sancta Cruce c. 97. vt ſe hoc argumento expediat, ſic reſpondet: Nemo Catholicorum veſtem illam geminatam eſſe affirmat; Caluini hæc eſt criminatio; nam quod duo loca de hac veſte contendunt &c. neutiquam vnius veſtis duplicatio eſt, ſed argumentum, alterum quidem habere tunicam ad ſimilitudinem illius primæ expreſſam, alterum veram & genuinam: vtra autem harum vrbium primam illam tunicam poſſideat, neque poſſum ſi velim, neque velim ſi poſſim definire, cùm controuerſia hæc pietati nihil penitus detrimenti afferat. Hæc Gretſerus.

Verùm alia eſt longè planior & ſolidior ſolutio. Diximus Chriſtum habuiſſe duas tunicas, laneam quæ exterior erat & proxima pallio; aliam lineam, quæ corpori immediatè adhærebat: hanc verò eſſe haud temerè dici poteſt, quæ quòd eſſet inconſutilis à militibus indiuiſa ſeruanda eſſe viſa eſt. Conſtat certè eam quæ Argentoliaci oſtenditur laneam eſſe, & idcirco ſuperiorem tunicam; proinde neceſſarium eſt aſſerere quæ ſeruatur Treuiris, illam eſſe lineam & interiorem.

OBIECTIO III.

Pergit dicendo Caluinus, veſtem illam quæ Argentoliaci ſeruatur, ſimilem eſſe Sacerdotum veſti quæ caſula dici conſueuit. *Ex quo* (in-

quit) *ſatis conſtat Papiſtas ſeſe & ſua impoſturis ſuſtentare, cùm incredibile ſit veſtem Chriſti inconſutilem caſulæ ſimilem fuiſſe.*

RESPONSIO.

De caſula, ſeu penula quæ etiam B. Paulo in vſu fuit, aliàs ex profeſſo diſſeruimus. Poſito autem quòd hac iam ætate eiuſmodi veſtis vſitata eſſet, nihil abſurdi ſequeretur, ſiquis diceret Chriſtum etiam caſulam ſeu penulam geſtaſſe. Sed longè planior & expeditior patet ad obiectum Caluini reſponſio, ex teſtimonio decem illorum Epiſcoporum & plurimorum Abbatum qui in præſentia Regis Ludouici VII. eiúſque procerum, ac confluentis multitudinis populi, detexerunt veſtem illam Domini, quæ à tōt ſæculis in ſacrario Monaſterij Argentolicenſis aſſeruatur congruenti cum honore: non eſſe caſulam, ſeu myſticam veſtem, at tantùm vſualem, ſatis conſtat. *Cappam* (aiunt) *pueri Domini Ieſu, quæ in eiuſdem theſauris Eccleſiæ à temporibus antiquis cum honore condigno repoſita erat, ad fidelium ſalutem humiliter inſpeximus & palam eduximus.* Inde igitur liquet Caluinum merum impoſtorem, & impudentem calumniatorem eſſe. Neque enim iſti Patres aiunt veſtem illam Domini, eſſe veſtem eius Sacerdotalem, vel Sacerdotum ſimilem, quam caſulam vocitamus; quin nec eſſe tunicam illam eius inconſutilem, ſuper quam dum cruci ſuffixus erat, milites ſortem miſerunt; neque tunicam illam exteriorem, cuius meminit Euthymius; imò neque Chriſti vllum omnino eſſe virile indumentum, ſed tantùm *cappam pueri Domini Ieſu.* Quo nomine haud dubium eſt illos paruam veſtem innuere, qua Chriſtus ipſe Dominus adhuc puer induebatur, ſiue tunica ſit ſuperior, ſiue palliolum. Latè enim cappa ſignificat quoduis indumentum ſuperius, ſeu tunica ſit exterior, ſeu ipſum veſtimentum quo corpus & vtraque tunica circumtegitur, vt ex præfixo opuſculo de Cappa, variíſque eius ſpeciebus licet elicere. Nemo verò ita demens eſt, vt ambigere poſſit, cuinam potiùs ſit credendum, vel Epiſcopis decem, ac pleriſque Sacerdotibus, in præſentia Regis, & circumſtantis nobilitatis, affluentíſque populi, veſtem de qua agitur inſpicientibus & exhibentibus, ſanctéque quod narrant affirmantibus, quinque circiter ſæculis ante ortas hæreſes; vel Caluino ſectæ perditionis auctori, qui ſacrarum omnium reliquiarum, maximè verò Dominicorum pignorum iuratus hoſtis, quicquid furor ſuggerit, impudenter effutit, ſine vllo diſcrimine vel delectu veritatis aut mendacij. Cui tamen reor hoc modeſtiæ locô in ipſo quo feruet pruritu maledicendi, referendum, quod veſtem Domini quam dicit ſimilem eſſe caſulæ Sacerdotali, ſeſe vidiſſe non aſſerit. Hinc enim colligendum videtur, ex relatione farinæ ſuæ hominum id accepiſſe. Neminem proinde arbitror tam iniquum fore iudicem, qui Caluini ipſius, vel eorum quorum relatione nititur, dicta, teſtimonio tam illuſtri præcipuorum Epiſcoporum Gallicanæ Eccleſiæ, in conſpectu adeóque cum adſtipulatione Regis Chriſtianiſſimi, & procerum eius ac affluentis populi, veſtem illam ſibi exhibitam inſpicientis, ante annos ferè 500. edito, & longè maioris

quam laudant antiquitatis auctoritate ſuffulto, de veritate huius ſacratiſſimi pignoris; anteferenda, quin vel vllo modo æquiparanda eſſe, exiſtimare poſſit.

Cæterùm parcendum hîc videtur Matthæo Paris, & eius ſynonymo Weſtmonaſterienſi, narrantibus tunicam Domini quæ Argentoliaci anno ſignato reperta eſt, illam eſſe quæ paſſim inconſutilis prædicatur. Neque enim ex viſis loquuntur: At verò Epiſcopi quorum proferimus Authenticum, de re à ſe geſta & conſpecta ipſo tempore expreſſum ferunt teſtimonium. Sed Matthæus Paris ſponte ſua in viam rectam ſe recipit, dum agnoſcit veſtem illam quæ apud Argentolium iamdiu repoſita, ab Epiſcopis ſolenniter reſerata eſt, anno 1156. eam eſſe, *Sicut litteræ* (vt notat) *cum ea repertæ indicabant, quam beata eius Mater ei texuerat:* Ex quo ſequitur non eſſe virilem, ſed puerilem Chriſti veſtem: quod & arcula in qua includitur quæ permodica eſt, ſatis oſtendit. Porrò Matthæus Weſtmonaſterienſis, non procul ab hac ſententia deflectit, fatetur enim eam eſſe veſtem, quam Chriſto puero mater eius benedicta fecit; id vnum peculiare ſibi ſubiicit, quod hæc ipſa veſtis Domino creſcente creuerit, ſcilicet vt perſuadeat illam ipſam eſſe in quam milites, ne diſcinderetur, ſortem miſerunt. Huius autem additamenti nullam Weſtmonaſterienſis affert probationem, quamobrem inter anilia commenta hoc refert Brullius lib. 4. Antiqq. Pariſ. p. 1194. Attamen non video cur ideo Weſtmonaſterienſem de ridiculis excipiam Nec enim miraculum quod ex pia autumatione inducit, ſine exemplo, illóque authentico profertur. Dicit Dominus Iſraëlitis per Moyſem, Deut. 29. *Adduxit vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* Quærit hîc Abulenſis, vnde tot millia paruulorum qui nati ſunt in deſerto habuerunt ſuas veſtes? Reſpondet pueriles pleraſque veſtes Hebræos extuliſſe ſecum ex Ægypto, eáſque ſenſim cum pueris creſcentibus creuiſſe. Non longè eſt ab hac mente Tertullianus, qui lib. de Reſurr. carnis c. 58. hanc obſeruationem elicit: *Hæ figuræ noſtræ fuerunt* (inquit) *vt Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conſeruatorem, cuius etiam veſtimenta & calceamenta protexit.* Quo poſito defendi poteſt à ſimili, illa opinio Matthæi Weſtmonaſterienſis.

OBIECTIO IV.

Miles (inquit Caluinus) *cui ſorte tunica inconſutilis obtigit, eam vtique ſui iuris fecit; aut ergo ſuum in vſum vertit, aut pretio alienauit. At quis ille fuerit mercator qui pretio veſtem hanc redemit, apud Euangeliſtas certè nihil de hac emptione legimus.*

RESPONSIO.

Neque de illo mercatore, à quo Maria Magdalena & aliæ piæ mulieres *emerunt aromata, vt corpus Ieſu in monumento vngerent.* Neque de illo alio à quo Ioſephus ab Arimathia ſindonem mundam comparauit, qua ſepeliuit ipſum Chriſti corpus. Declarat ſanctus Ioannes in

Euangelio non omnia ſcripta eſſe quæ à Chriſto, vel circa eum facta ſunt: ideóne non acta, quia non ſcripta? Rectè (ait S. Hilarius) in Dei rebus non eſſe humano more loquendum; Myſtica illa veſtis inconſutilis, quæ indiſſolubilem in Chriſto ſignificabat vtriuſque naturæ vna in perſona vnionem, & corporis Eccleſiæ cum ipſo ſuo capite inſeparabilem compaginem, diuinæ prouidentiæ curæ fuit, ne periret, ſed monimento perenni ſupereſſet, myſticæ illius ſignificationis. Certè ante mille annos & quinquaginta, agnita & exculta fuit à Chriſtianis, vt notat Sigebertus in Chronico, ſub annum 593. cui adſtipulatur auctor Appendicis ad Gregorij Turonenſis libros de Hiſtoria Francorum, c. 11. & Aymonius lib. 3. Francorum itidem Hiſtoriæ c. 78. Porrò tranſlatam paulopòſt Hieroſolymis vbi reperta fuit, Galatheam prope Conſtantinopolim, argumento ſunt quæ ipſe Gregorius Turonenſis de ea memoriæ prodidit lib. 1. Miraculor. c. 8. *De hac verò* (inquit) *immaculati agni tunica, quæ à quibuſdam audiui, ſilere nequeo; Ferunt autem in ciuitate Galatheæ in Baſilica quæ ad ſanctos Archangelos vocitatur retineri. Eſt enim hæc ciuitas ab vrbe Conſtantinopolitana quaſi millibus centum quinquaginta; in qua baſilica, eſt ſanè crypta abditiſſima, ibique in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca à deuotis atque fidelibus cum ſumma diligentia adoratur: non immeritò digna quæ hoc veſtimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.* Atque hæc notare operæpretium fuit, pro tunicæ illius inconſutilis diuinâ prouidentiâ conſeruatæ, & iamdudum à fidelibus honoratæ vindiciis, aduerſus Ioannis Caluini calumnias.

At verò Cappæ Domini puerilis, ſuperno etiam nutu tot ſæculis conſeruatæ, atque iampridem repoſitæ & repertæ, tantóque ſplendore exhibitæ publicis regni conſpectibus in Monaſterio Argentolicenſi, bonæ fidei poſſeſſionem iure merito nobis equidem vendicamus. Aſſerunt enim Epiſcopi illi ex notorietate rei, ſacri eiuſdem pignoris germanitatem; *Cappam* (inquiunt) *pueri Domini Ieſu, quæ in eiuſdem theſauris Eccleſiæ, à temporibus antiquis cum honore condigno repoſita erat, ad fidelium ſalutem humiliter inſpeximus & palam eduximus, & veneratione ſolenni debitam eius magnificentiæ reuerentiam exhibentes, illam deſiderio & deuotioni populorum ſtudio pietatis obtulimus.* Addit Matthæus Paris præter hanc notorietatem poſſeſſionis antiquæ, & publici cultus continua deuotione exhibiti, aliud genus probationis: expreſſè etenim notat *Litteras cum hac ſacra veſte repertas* patenti fuiſſe eius ingenuitatis indiciô. Si coniectari licet, haud temerè poſſem opinari, fuiſſe ſacratiſſimam hanc pueri Ieſu veſtem Argentoliaci repoſitam à Carolo Magno, qui ab Oriente multa ſibi ſacro-ſancta eiuſmodi pietatis Chriſtianæ pignora dari & tranſmitti ſummo ſtudio procurauit, quando ſcilicet excluſis ex illo Cœnobio ſanctæ Deigenitricis Monachis, Virgines hîc ſanctimoniales collocauit, quibus filiam ſuam Theodradam Abbatiſſam præfecit, vt Guillelmus de Nangiaco Monachus S. Dionyſij in ſua Chronographia commemorat. Cæterum de Caluinianis technis & calumniis, hactenùs accuratim expenſis & confutatis, ſatis ſupérque.

CONTINVATIO NOTARVM.

§. XX.

Ob inſigne gratiæ cæleſtis] Memoriale ſcilicet diuinæ Incarnationis, quæ maxima eſt Dei gratia data hominibus. hinc Apoſtolus, 1. Timoth. 3. *Et manifeſtè* (ait) *magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* S. Auguſtinus hoc concuſſus ineffabili myſterio diuinæ in nos miſericordiæ & bonitatis, ad Deum ſe toto corde conuertit: *Non ſatiabar* (inquit lib. 9 Confeſſ. c. 6.) *illis diebus dulcedine mirabili, conſiderare altitudinem conſilij tui* (ô Deus!) *ſuper humani generis ſalutem.* Succinit mellifluus Bernardus, ep. 109. *Nemo hominum nouit, nec ad plenum noſcere poteſt, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem, penes ſeipſam continet huius myſterij altitudo.*

§. XXI.

Illud videlicet indumentum, quo ſeſe humanata induere (d.) *ſapientia dignata fuit.*] Nihil frequentius apud Patres ac Theologos, quàm quod Incarnatio, veſtitio ſit Verbi diuini; hoc & Eccleſia in Hymno Natalis Domini profitetur, dum ſic concinit:

Beatus auctor ſæculi
Seruile corpus induit:
Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Hoc ipſum S. Auguſtinus egregiè docet lib. 83. qq. q. 73. tom. 4. *Hoc ergo* (inquit) *nomine habitûs, ſatis ſignificauit Apoſtolus quemadmodum dixerit in ſimilitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, ſed habitu factus eſt, cùm indutus eſt hominem; quem ſibi vniens quodammodo atque confirmans, immortalitati, æternitatique ſociaret.* Et infrà: *Quo nomine habitûs oportet intelligi, non mutatum eſſe verbum ſuſceptione hominis, ſicut nec membra veſte mutantur &c. Sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari poſſunt, ne mutatus intelligatur Deus humanitatis aſſumptor, electum eſt, vt Græcè* σχῆμα, *& Latinè diceretur habitus, illa ſuſceptio.* Deus igitur factus eſt homo, non quòd Verbum transformatum ſit in carnem, id eſt hominem, ſicut Eutychiani volebant, ſed quòd factum ſit caro ſicut ferrum fit ignitum, & ſicut aurum fit ſtatua vel imago aurea; quia manens Verbum quod erat, cœpit eſſe quod non erat, etenim ad ſe humanitatem aſſumpſit, eámque quaſi veſtem induit, imò ſibi in conſortium indiuiduum, & vnitatis indiuiduæ copulauit; quapropter veſtitio illa ſubſtantialis fuit. At veſtitio qua Verbum incarnatum humanitatem velabat, erat tantùm accidentalis. De hac poſtrema veſtitione Epiſcopi iſti loquuntur, dum veſtem puerilem ſeu *cappam* (vt aiunt) *pueri Domini Ieſu, indumentum* appellant, *quo ſeſe humanata d. ſapientia induere dignata fuit.* Familiare eſt Theologis dum tractant de Sacramenti Euchariſtiæ adoratione, exemplum aſſumere

aſſumere indumentorum Chriſti, hoc enim modo ſpecies Sacramentales coli poſſe ac debere docent; quo Chriſti veſtimenta ab eius adoratoribus honorabantur: nec enim per ſe aut propter ſe colebantur, ſed propter humanitatem Verbi, cui cohærebant, ideóque propriè non adorabantur, ſed coadorabantur propter vnionem illam accidentalem, & propter immediatum contactum corporis Domini: ita & ſpecies propter vnionem Sacramentalem, quam habent cum ipſo Chriſti corpore quod tegunt, inuoluunt & complectuntur; qua de re infrà plenius in proprio tractatu de adoratione Euchariſtiæ.

§. XXII.

Ob ſanctiſſimam præſcriptorum Patrum præſentiam, Deo propitio ſalubri diſpoſitione decretum eſt.] Mos fuit antiquus Epiſcoporum Galliæ, cùm quadam occaſione alicubi conueniſſent, inter ſe de rebus Eccleſiaſticis conſultationes inire, communíque conſenſu ſtatuere quæque pro ratione rerum & temporum ipſis opportuna videbantur. Hoc modo Arauſicani II. Concilij canones editi fuerunt, ſicut hac patet ipſius Synodi Prælocutione: *Cùm ad dedicationem Baſilicæ, quam illuſtriſſimus Præfectus & patricius, filius noſter Liberius, in Arauſica ciuitate fideliſſima deuotione conſtruxit, Deo propitiante & ipſo inuitante conueniſſemus, & de rebus quæ ad Eccleſiaſticam Regulam pertinent, inter nos ſpiritualis fuiſſet oborta conlatio, peruenit ad nos eſſe aliquos qui de gratia & libero arbitrio per ſimplicitatem minus cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam, ſentire velint. Vnde &c.* Sed & Concilium IV. Arelatenſe quod triennium ante conſedit, eadem occaſione ſuas edidit ſanctiones. Quamobrem qui aderant Epiſcopi ſic præfati reperiuntur, in ipſo Decretorum limine: *Cùm in voluntate Dei ad dedicationem Baſilicæ ſanctæ Mariæ in Arelatenſi ciuitate, Sacerdotes Domini conueniſſent, congruum iis & rationabile viſum eſt, vt primùm de obſeruandis canonibus attentiſſima ſollicitudine pertractantes, qualiter ab ipſis Eccleſiaſtica regula ſeruaretur, ſalubri conſilio definirent.* Decem illi Epiſcopi qui cum plerìſque Abbatibus, Rege præſente, cum proceribus regni, & magno populi concurſu, apud Argentolium conuenerunt, ad veſtis puerilis Domini inſpectionem & oſtenſionem, antiquæ huius conſuetudinis memores, chartam hanc ſynodicam ediderunt, qua non modò huius ſacri pignoris germanitati teſtimonium authenticum perhiberent, ſed & rei geſtæ, in actione tam ſolenni, ſeriem poſterorum memoriæ conſignarent; præterea verò præſentibus ſpiritualia munera impertirent, ritúmque ſacrum tunc vigentem tam pœnitentiæ, quàm indulgentiæ, genuinis characteribus canonicæ praxis, irent expreſſum. *Anno 529.*

§. XXIII.

Vt omnibus ibidem venientibus, ſupernæ miſerationis gratiam poſcentibus merces & fructus ſuæ deuotionis, in indulgentia veniæ compenſetur.] In indulgentiarum conceſſione tria requirunt Theologi, videlicet vt ſit

in concedente auctoritas, in cauſa pietas, in ſuſcipiente charitas. Quoad auctoritatem ſpectat, hanc eſſe pleniſſimam in ſummo Pontifice Chriſti Vicario, Petríque ſucceſſore (cui ab ipſo Domino data eſt ſumma & generalis poteſtas ligandi & ſoluendi, Matth. 16.) omnes Catholici doctores ſummo conſenſu Docent, quod & Ius decernit Canonicum, ſiquidem cap. *Cum ex eo. de pœnit. & remiſſ.* declaratur *in ſummo Pontifice ad indulgentias concedendas, eſſe plenitudinem poteſtatis.* Competere etiam Epiſcopis in ſua cuique diœceſi (& Metropolitanis in ſua propria prouincia *) ius indulgentias conferendi, patet ex antiquis Conciliis, Ancyrano, can. 5. Laodiceno c. 2. Nicæno I. generali, c. 12. & ipſo Iure Canonico cap. *Cum ex eo.* & cap. *Noſtro. de pœnit. & remiſſ.* conſtantíque vſu Catholicæ Eccleſiæ. Quòd ſi vnus Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt indulgentias concedere, maiori ratione plures iuncti conferre poſſunt, ſicut iam olim paſſim factum conſtat in Eccleſiarum dedicatione, ad quam plerique Antiſtites inuitari & conuenire ſolebant: vt notum eſt peritis antiquitatis Eccleſiaſticæ. Cuius conſuetudinis iuríſque memores decem iſti Epiſcopi, qui ad ſolennem reſerationem, inſpectionem, & oſtenſionem veſtis Domini, ex communi voto Regis, Cleri & populi conuenerunt; hanc indulgentiam communi conſenſu conceſſerunt. Sed vt rata eorum coram Deo eſſet indulgentia, (quia requiritur vt ſit *in cauſa pietas*) ſapienter hoc in ipſo ſuo diplomate, ſe rationabili cauſa moueri, expreſſum eſſe voluerunt. Cùm igitur Theologi eam ſolam piam eſſe cauſam indulgentiæ concedendæ definiant, quæ ad honorem Dei cedit & Eccleſiæ vtilitatem: adeſſe huiuſmodi cauſam ſuæ huic conceſſioni ſolerter inſinuauêre; dicunt enim, tam iis qui impræſentiarum ad hanc piam & celebrem actionem conuenerant, quàm quibuſcumque aliis, hanc gratiam ſe impertire, qui in poſterum pari die eamdem veſtem piè inuiſerent, quo præſenti anno reſeratio illa ſolennis facta fuerat.

* ſcilicet, in curſu viſitationis.

S. Thom. in 4. diſt. 20. q. 1. & 3. quæſtiuncula 2. Durandus, & Paludanus in ead. diſt. 20. q. 4. S. Antoninus 1. part. tit. 10. c. 3. §. 1.

§. XXIV.

In honorem diuinæ veſtis, propriam ſeruitutem & deuotionem obtulerint] Quo nomine cultum diuinum, humilium orationum obſequium, eleemoſynas, cæteráque pietatis officia facta intuitu & reuerentia diuinæ incarnationis, veſte hac pueri Domini Ieſu, memoriæ, oculíſque inſpicientium renouatæ, ſatis euidenter ſignificant, ſimúlque ſe niti legitima auctoritate innuunt, ſubiungendo: *Nos omnibus illis de clementiæ cœleſtis plenitudine confiſi.* Cæterùm nec tertiam partem ſeu conditionem prætereunt, videlicet vt ſit in ſuſcipientibus *congrua diſpoſitio.* Nam quid aliud ſibi volunt hæc verba, quibus hoc pium indultum præmuniunt? *Supernæ miſerationis gratiam poſcentibus, vt merces & fructus ſuæ deuotionis in indulgentia veniæ compenſetur;* niſi hoc ipſum quod in recentioribus indulgentiarum formulis ſoleat interſeri, *Verè pœnitentibus, & confeſſis, ſacráque communione refectis*, &c.

§. XXV.

Si peccatis grauibus & maximis impliciti fuerint.] Quænam ſint peccata illa grauia & maxima, libri pœnitentiales indicant apud Patres vſitati; quos collegit, & notis breuiſſimis, ſed doctis illuſtrauit Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, ediditque Venetiis anno 1584. ſub titulo Canonum pœnitentialium, quos his ſex libellis ſeu tractatibus complectitur. Primus eſt *Pœnitentiale Romanum.* Secundus eſt *Codicellus Venerabilis Bedæ, de peccatorum remediis.* Tertius eſt *Pœnitentium liber Rhabani Mauri Archiepiſcopi Moguntinenſis.* Quartus eſt *Epiſtola canonica S. Gregorij Niſſeni Epiſcopi ad S. Letoium* Melitenſem Epiſcopum. Quintus, *Epiſtola S. Gregorij Neocæſarienſis, Thaumaturgi vocitati, canon vltimus.* Sextus, *Canones pœnitentiales qui cum Gratiani libro edi ſolent, & ex Summa Aſtenſi, lib. 5. tit. 32. deſumuntur.* Cæterùm Pœnitentiale Romanum, quod reliquis eſt ordinatius, varios in titulos eſt digeſtum. Primus eſt *de homicidio, diuerſiſque huius criminis ſpeciebus.* Secundus *de periuriis & de pœnitentia eorum.* Tertius *de fornicatione & inceſto diuerſi generis, & de pœnitentia vtriuſque ſexûs & diuerſæ ætatis.* Quartus titulus inſcriptus eſt *de prædatoribus, & furibus, ac incendiariis, & pœnitentia eorum.* Quintus *de crapula & ebrietate.* Sextus *de incantatoribus & auguribus, de diuinis, & ſortilegiis, & variis illuſionibus diaboli, & de maledicis.* Septimus, *de variis criminibus*, qui in capita 30. & vnum diſtinguitur. Octauus itidem *de variis criminibus.* Nonus iterum *de variis criminibus, & pœnitentiis eorum.* Qui ſanè canones ſi in vſum redirent, auctoritas Eccleſiæ in integrum reſtitueretur, mundi ſuperbia detumeſceret, diſciplina Chriſtiana vires (iam ferè exciſas) reciperet, peccatorum profluuia magna parte ſiſterentur, & antiqua illa Chriſtianorum ſanctimonia vbique refloreſceret. Optauit ſacro-ſancta ſynodus Oecumenica Tridentina, vt Sacerdotes (quantum fieri poſſet) iuxta canonicam diſciplinam, pœnitentias imponerent, vt videre eſt ſeſſ. 6. [a] c. 14. & ſeſſ. 14. [b] c. 8. quo ſic eoſdem admonet officij: *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum peccatoribus agant, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres credunt & docent.* De publicè peccantibus, publicâ pœnitentiâ conſtringendis videri poteſt quàm ſapienter ſtatuit idem Concilium, ſeſſ. 24. c. 8.

[a] *De Reform.*
[b] *De Pœnitentia.*

§. XXVI.

Vnius anni pœnitentiam relaxamus.] Libri pœnitentiales præſignati, qui ſacris ex canonibus contexti ſunt, pro grauibus & maximis cri-

minibus annos 12. aut 9. aut 7. aut 5. aut 3. vt minimùm rigidæ pœnitentiæ peccatoribus imponunt. Quando igitur vnum annum pœnitentiæ vel plures, ſummus Pontifex vel Epiſcopi relaxabant, hac ex parte pœnitens exonerabatur, reliquóque tempori ſuæ pœnitentiæ præfixo tantùm remanebat obnoxius. Secundùm priſcos Canones poteſtas Epiſcoporum laxior erat quàm poſterioribus ſæculis eſſe cœpit; poterant enim plures annos pœnarum minuere per modum indulgentiæ, nec intra anni vnius circulum, aut quadragenæ vnius exiguam menſuram (ad quam demum aſtricti ſunt) eorum auctoritas coarctabatur, ſed neceſſarium fuit tandem ad hoc remedium deuenire propter vſûs huius poteſtatis exceſſum, qua plerique Præſulum abutentes, vigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ & ſaluberrimum rigorem pœnitentiæ canonicæ penitus eneruabant. In Concilio igitur Oecumenico Lateranenſi, anno 1215. celebrato ſub Innocentio III. c. 62. hæc conſtitutio promulgata eſt, qua ordinariorum poteſtas intra certam menſuram legitimi vſus fuit reſtricta: *Ad hæc quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio eneruatur: Decernimus vt cùm dedicatur Baſilica non extendatur indulgentia extra annum, ſiue ab vno ſolo, ſiue à pluribus Epiſcopis dedicetur. Ac deinde in anniuerſario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Infra hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuſlibet cauſis aliquoties conceduntur, cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare.* Nec eſt quòd quis hinc obiiciat, decem illos Epiſcopos, quorum Chartam munificam expendimus, modum Canonicum exceſſiſſe, cùm extra caſum præfixum, ſcilicet dedicationem Eccleſiæ, vnius anni indulgentiam conceſſerint. Lex hæc etenim nondum edita erat, quæ ſcilicet facta eſt annis ferè centum poſtquam illi Epiſcopi indulſerunt eiuſmodi remiſſionem.

§. XXVII.

Qui verò leuibus, id eſt venialibus detinentur.] Diſtinctio illa inter grauia peccata & leuia, ſeu venialia nupera non eſt, neque à Scholaſticis Theologis inuenta, vt neoterici hæretici calumniantur. Etenim ſancti Patres litteris ſacris inhærendo hoc ipſum diſcrimen paſſim agnouerunt & docuerunt. S. Chryſoſtomus hom. 24. in Matth. diſcernit inter *paruulas culpas & maxima crimina*: Caſſianus eius diſcipulus, Collat. 20. c. 11. *minuta vocat, & grauia peccata*. S. Ambroſius lib. 2. de pœnit. c. 10. diſtinguit inter *quotidiana, leuioráque peccata; &* *grauiora*. Sic & S. Hieronymus in cap. 3. Malachiæ. Idem verò ad c. 7. Matth. dicit quædam eſſe *mortalia crimina, quædam minora peccata*, hæcque notat à Domino *feſtuca in oculo*; illa verò *trabi magnæ molis* comparari. Quæ ſanctus Auguſtinus lib. de Spiritu & littera, c. 36. *horrenda facinora & flagitia nuncupat; alia verò leuiora*. Et in Enchiridio, cap. 17. *quotidiana, breuiora, & leuiora delicta*. Eadem diſt. vtitur Innocen-

tius I. Pontifex Romanus, epiſt. 1. c. 7. poſterioréſque Patres & Doctores paſſim.

§. XXVIII.

Medietatem pœnitentiæ remittimus.] Axioma Theologorum eſt, venialia peccata eſſe materiam ſufficientem confeſſionis, ſed non neceſſariam: aliis enim mediis & remediis eiuſmodi peccata remittuntur. Dato tamen quòd in confeſſione cum intento petendi abſolutionem à Sacerdote, declarentur, Sacerdos ab iis confitentem nonniſi iniunctâ ipſi pœnitentiâ, regulariter abſoluit. Huius igitur pœnitentiæ medietatem relaxant præfati Antiſtites, prudenter & ſcienter locuti.

§. XXIX.

Oblita peccata modo ſimili condonamus.] A peccatis occultis & oblitis, de quibus contritio formalis haberi nequit, Theologi docent, nos liberari per virtualem diſplicentiam, modò diligens inquiſitio præceſſerit; item per Euchariſtiam, ſiquidem S. Thomas 3. p. q 79. a. 3. expreſſè docet eum qui fortè habet peccatum mortale, ſed non habet affectum, neque conſcientiam, quia poſt diligens examen, ei non occurrit, & ſi occurreret, proculdubio operam daret, vt per Sacramentum pœnitentiæ expiaretur, & dolorem habet omnium peccatorum ſuorum; licèt iſte dolor non ſit reſpectu illorum peccatorum, quæ lapſu memoriæ non deprehendit contritio perfecta: hunc inquam hominem aſſerit non indignè nec inutiliter accedere ad Euchariſtiam, imò planè vtiliter & fructuoſè, quia quamuis hoc Sacramentum non ſit inſtitutum ad peccata mortalia remittenda, tamen gratiam confert gratum facientem, & conſequenter delet etiam peccata mortalia, ſiquæ inueniat in eo, qui eo modo quo dictum eſt, accedit. Gratia enim cum peccato mortali ſimul manere nullo modo poteſt. Sed Axioma Catholicum eſt, per indulgentias neminem abſolui, vel ſolui à reatu culpæ vllius, id eſt nec lethalis nec venialis, vt probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de indulgentiis, c. 7. Proinde quando Pontifices dicunt ſe per indulgentias *abſoluere peccatores à peccatis*, vel condonare omnia peccata, vel dimidiam, aut tertiam partem peccatorum, ſemper intelligendi ſunt de peccatis quoad pœnam, non quoad culpam: nullo enim miniſterio humano niſi per Sacramenta, culpa non modò lethalis, ſed nec venialis remitti poteſt; ſed alia ſunt (vt præmiſſum eſt) remedia, quoad culpam peccatorum mortalium, quæ à memoria exciderunt. Nempe in Sacramento pœnitentiæ per virtualem diſplicentiam, & per ſuſceptionem Euchariſtiæ, quæ fit eo modo quo dictum eſt ſecundùm doctrinam S. Thomæ, cui Theologi paſſim conſentiunt. Antequam verò S. Thomas hoc docuiſſet, id ipſum Epiſcopi iſti decem, rectè cenſuerunt, quamobrem admodum limatè & ſolerter eloquuntur; Neque enim

dicunt ſe abſolutè remittere peccata oblita, ſed ſimili modo quo mediam partem pœnitentiæ ſe dimittere præfati ſunt, iis qui leuioribus peccatis detinentur: ſic enim manifeſtum eſt non eos loqui de reatu culpæ, ſed dumtaxat de pœna, eáque temporali, cuius indulgentia iudicialis eſt relaxatio ſeu condonatio, quemadmodum à Theologis definitur; qua de re olim ex profeſſo diſſeruimus, ſcilicet in Apologia pro Iubilæo & reliquis indulgentiis, aduerſus Molinæum aliósque Caluinianæ ſectæ Miniſtros &c.

§. XXX.

Annis verò ſingulis à feſtiuitate S. Dionyſij ad octauas eiuſdem] Feſtum S. Dionyſij à Maioribus olim eximia ſolennitate ſolebat celebrari, adeovt & Epiſcopi ex variis regni partibus ad eius Monaſterium prope Pariſios conuenirent, vt ſplendidiori cultu ipſa eius feſtiuitas perageretur. Cuius moris eodem tempore qui florebat meminit Sugerius, libro de rebus in adminiſtratione ſua geſtis, vbi agit de altaris ſancti cognominati in ipſa Baſilica S. Dionyſij ſolenni viſitatione, ſacrarúmque reliquiarum in hoc ſacratio reconditarum tam inſigni ritu, quàm apparatu facta reſeratione atque oſtenſione: *Aſſumens*, inquit, *ex deuotione audaciam, & antiquitati honorem veritatis conſeruans, modum & diem detegendi ipſas ſanctas reliquias elegimus, ſacratiſſima videlicet die martyrij beatorum Martyrum Dominorum noſtrorum, octaua ſcilicet Idus Octobris. Aderant ſiquidem diuerſarum prouinciarum Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui gratantiſſimè quaſi ex debito Apoſtolatus Galliarum ad tanta ſolennitatis celebrationem pia vota deferre acceſſerant; Archiepiſcopi ſcilicet Lugdunenſis, Rhemenſis, Turonenſis, & Rothomagenſis: Epiſcopi verò Sueſſionenſis, Beluacenſis, Siluanectenſis, Meldenſis, Redonenſis, Alethenſis & Venetenſis: Abbatum etiam & Monachorum, ſiue Clericorum, atque Optimatum conuentus, ſed & populi promiſcui ſexus turba innumerabilis.* Videtur hac occaſione Epiſcoporum illorum decem, & Abbatum, ſacrorúmque virorum qui detectioni veſtis ſacræ puerilis Domini Ieſu apud Argentolium interfuerunt, in præſentia Regis & Optimatum regni, conuentum eſſe factum, concurſúmque illum vulgi copioſum. Nam penitiùs intuenti chartam illam Epiſcopalem nulla apparet diei & menſis notula, ſed anni dumtaxat, eo quod ſcilicet iſti Præſules dum anniuerſariam memoriam ſolennis huius inſpectionis perpetuis indulgentiarum muneribus inſigniunt, ſignanter aiunt ſe xenia hæc ſpiritualia concedere fidelibus, annis ſingulis à feſtiuitate S. Dionyſij vſque ad octauas eiuſdem, Eccleſiam ipſam Monaſterij Argentolij piè viſitantibus. Qua expreſſione ſatis euidenter indicant hoc ipſo quod ſignant tempore, ſolennem illam reſerationem à ſeipſis peractam fuiſſe.

Apud Querceтanum. Tom. 4. Collectionis Scriptor. Hiſtoriæ Francor. p. 347.

§. XXXI.

Loci ipſius & ſacratiſſimæ veſtis venerationem &c.] *Paterna veſtis & an-*

nulus, *ac ſiquid eiuſmodi* (ait S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei, cap. 13. tom. 5.) *tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior exiſtit affectus.* Quanto igitur amore & cultu nos proſequi par eſt indumentum illud, quo ſeſe diuina ſapientia humanata (vt Epiſcopi iſti paulo antè loquuntur) induere dignata eſt, propter ſalutis noſtræ operationem? *Si tetigero fimbriam veſtimenti eius*, (aiebat infirma mulier) *ſalua ero?* Si tanta cum fide veſtem illam, quæ contactu corporis Domini ſanctificata eſt, qui venerabundi Argentolium veniunt eam oſcularentur; gratias non dubito pleraſque hinc perciperent, iuſtóque titulo indulgentiam à religioſiſſimis his Epiſcopis, hanc piè inuiſentibus impertitam, proculdubio conſequerentur: ſed veniunt paſſim vt videant, non vt credant; non vt pignus diuinum condigno cultu venerentur, ſed vt oculos paſcant; cæterùm de re ipſa cenſeant, prout collibuerit. Haud mirum igitur ſi qui tepidi veniunt, frigidi redeunt; Chriſti vox eſt in Euangelio frequens, *fiat tibi ſicut credidiſti*, ideo qui non credit, nihil itidem promeretur. *Tactus Saluatoris* (ait Venerabilis Beda) *opus eſt ſalutis, quem tangere eſt in ipſum credere, à quo tangi eſt fidei munere firmari.* Defectu igitur fidei qui laborat, nec tangit Dominum, nec tangitur à Domino: quamobrem etſi eius veſtem perſpiciat & oſculetur, nihil tamen hinc gratiæ aut virtutis eius ſibi conciliat.

Matth. 14. Marc. 5.

Lib. 2. Comm. in Luc. 6.

§. XXXII.

Piè inuiſentibus, quadraginta dies ſuæ pœnitentiæ remittimus & indulgemus.] Quadragenæ indulgentia hæc dicitur, qua pœnitentia remittitur, quæ quadraginta continuatis diebus in ieiuniis aliíſque laborioſis operibus agenda fuiſſet. Hæc *quadragena* quando imperabatur, acrior, ita vt ſolo pane & aqua contenti eſſe deberent qui eam peragebant, *carena* dici ſolebat *: quòd videlicet carentiam omnium ciborum contineret. Eiuſmodi carenam præmitti ſolitam ante ſeptennem pœnitentiam teſtatur Concilium Triburienſe, cui Burchardus ſuccinit, & ſubinde cæteri Canoniſtæ. Cùm rariores eſſent indulgentiæ, hæc quæ 40. dierum appellatur, vſitatior erat, etiam apud Romanos Pontifices, tum enim indulgentiæ non per annos, ſed per dies, qui vt plurimùm quadraginta erant, aut ad ſummum centum, numerabantur. Vrbanus IV. etſi augendæ ſolennitatis feſti Corporis Chriſti ardenti deſiderio ferueret, tamen valde moderatè in conceſſione indulgentiarum, quas hoc obtentu largitus eſt, ſe geſſit: *Omnibus enim verè pœnitentibus & confeſſis qui Matutinali officio huius feſti præſentialiter in Eccleſia vbi celebraretur adeſſent, centum dies: qui verò Miſſæ, totidem; illis autem qui intereſſent in primis ipſius feſti veſperis, ſimiliter centum: qui verò in ſecundis, totidem. Eis quoque qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorij adeſſent officiis, pro qualibet horarum ipſarum quadraginta. Illis verò qui per ipſius feſti octauas in Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ ac prædictarum horarum ipſarum officiis præſentes exiſterent, ſingulis diebus octauarum ipſarum centum dies de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxando, indulgentiam tribuit perpetuis temporibus duraturam.* vt qui tum clarebat, & qui mandato ip-

* Ita Bellarm. lib. 1. de Indulgent. c. 9. Quem falli tamen liquet ex Pontificali Rom. præſignato, cuius Tit. 2. de homicidio, c. 34. ſic legimus: *Ita faciendum eſt tibi vt pro pſalmiſta, 40. dies in pane & aqua. quod Theutonicè carina vocatur, cum ſeptem ſeqq. annis pœniteat.* Carina igitur Germanica vox eſt, nec à Latino carendi verbo deriuatur.

ſius Pontificis officium huius feſti & octauarum contexuit, S. Thomas, expreſſè refert Opuſc. 57. At deinceps multiplicatis peccatis indulgentiæ etiam auctiores eſſe cœperunt, vt etiam videre eſt in hodierno vſu, quo plenæ, imò pleniſſimæ indulgentiæ paſſim à ſummis Pontificibus conceduntur.

§. XXXIII.

De paruulis qui baptiſati, vel ſine baptiſmi remedio infra ſeptem annos pro negligentia parentum mortui ſunt, totam pœnitentiam parentibus eorum remittimus.] In veteri Romano Pontificali ab Antonio Auguſtino edito extat ſub tit. de homicidio, c. 29. huius tenoris: *Oppreſſiſti infantem tuum ſine voluntate tua, aut pondere veſtimentorum tuorum ſuffocâſti, & hoc poſt baptiſmum factum fuerit: quadraginta dies in pane & aqua & oleribus pœniteas atque leguminibus, & à coniuge te abſtineas donec illi quadraginta dies pertranſeant. Poſt tres annos pœniteas per legitimas ferias & tres quadrageſimas in anno obſerues. Quod ſi ante baptiſmum infans oppreſſus fuerit, proximos 40. dies vt ſupradictum eſt pœniteas, poſteà verò quinquennium expleas.* Eodem titulo can. ſequens de eadem re expreſſus eſt, hoc dempto quod quinquennis pœnitentia ad triennem mitigatur. Cap. autem 31. eiuſdem tit. Sacerdotem reſpicit, cuius negligentia infans obierit ſine baptiſmi ſuſceptione, ſic enim ſtatuit canon ille pœnitentialis: *Infans infirmus & paganus commendetur Preſbytero, ſi moritur* (infans) *abſque baptiſmo,* (Preſbyter) *deponatur.* Subinde verò temperatur parentum pœnitentiæ duratio: quæ enim eſt quinquennis aut triennis priori diſpoſitione, annua tantùm definitur. hac enim clauſula explicit vltimum iſtud capitulum, *Si per negligentiam parentum fuit, annum vnum* * *pœniteant.*

* Malè in textu edito Venetiis legitur *pœniteat.*

§. XXXIV.

Excepta feria VI. ** *in hebdomada.*] Quæ ſemper ob paſſionis Dominicæ memoriam, rigidioris in Eccleſia fuit obſeruantiæ, vt patet ex canone 68. Apoſtolorum, S. Clemente lib. 5. Apoſtolicar. Conſtitutionum c. 16. 19. & vltimo, S. Ignatio epiſt. ad Philippenſ. Tertulliano lib. de ieiunio aduerſus Pſychicos, Clemente Alexandrino lib. vlt. Stromatum, paulopoſt medium, Origene hom. 10. in Leuit. S. Epiphanio, hæreſ. 75. & 80. necnon in compendiaria doctrina illius, S. Hieronymo in cap. 4. ad Gal. S. Auguſtino epiſt. 86. ad Caſulanum, & aliis ſacris auctoribus ſequentium ætatum. Vide can. *Ieiunia.* de Conſec. diſt. 3. & c. *de eſu carnium.* eadem diſt.

** In 8. Synodo fer. 6. commendatur, eo quòd in ea vetus Adam fuerit plaſmatus, & Chriſtus nouus Adam conceptus & crucifixus: quæ doctrina priùs à Clemente Alexand. 6. Stromatum tradita eſt, vbi ait: *Sexta die dicitur factus homo, qui fuit fidelis vt Dominica hæreditatis quietem acciperet. Tale quid oſtendit hora 6. ſalutaris Oeconomiæ, qua nouus homo fuit conſummatus.*

§. XXXV.

In qua ...... (exciderunt hîc aliquot characteres, nimia vetuſtate deleti.) *Si ad Eccleſiam pœnitens perrexerit, qualem ei charitatem Preſbyter dederit.*] Eſt enim in Sacerdotis arbitrio qui pœnitentium confeſſiones excipit, pœnas ſatisfactorias mitigare, & benigniùs cum ipſis peccatoribus agere, quos viderit de admiſſis reatibus maiori dolore correptos.

correptos. Aptè verò & eleganter hanc mitigationem vocat Hugo Rothomagenſis Archiepiſcopus, cum aſſiſtentibus ſibi Epiſcopis, *charitatem*, ſiquidem non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia procedit. Extat inſignis Epiſtola increpatoria ſancti Dionyſij ad Demophylum Monachum, qui bonum Sacerdotem conuitiatus fuerat, quòd miſeratus fuiſſet pœnitentis, ipſúmque delicta ſua cum intimi doloris indicio confitentem, benignè excepiſſet. Rectè enim functum hunc Sacerdotem aſſerit ſuo miniſterio; cuius proprium eſt plebis ignorantias tolerare, aliorum infirmitates ſua ex infirmitate metiri, Chriſti manſuetudinem imitari, qui ſumma ſemper benignitate & miſericordia peccatores ad ſe venientes complexus eſt, próque ſuis occiſoribus à Patre veniam in cruce, mira pietatis inſtantia poſtulauit; digna eſt illa Epiſtola, quæ à Sacerdotibus, audiendis confeſſionibus pœnitentium incumbentibus, ſedula meditatione verſetur, ingentes enim ad commiſerationem præcordiis legentium ingerit aculeos, Chriſtíque manſuetudinis eximios imitationis affectus in animis parit.

S. Dionyſii ep. 8. quæ ad Demophylum eſt directa.

§. XXXVI.

Hanc habeat] Angelus in Summa, verbo, *Indulgentia*, n. 5. & Bartholomæus Fumeus itidem in Summa, eodem titulo, n. 2. docent omnes Parochos, alióſque Sacerdotes, qui ius habent confeſſiones audiendi, poſſe in ipſo Sacramento confeſſionis indulgentias concedere, remittendo id quod ſupereſt expiandum, quando minor pœnitentia iniungitur quàm vt ſufficiat, ad totam pœnam peccatis debitam exhauriendam, & adducunt pro hac ſententia Innocentium in Comment. cap. *Cùm ex eo.* de pœnit. & remiſſionibus, Panormitanum in cap. *Sicut dignum*, de homicid. volunt. & alios Iuris Canonici interpretes. Cardinalis Bellarminus hanc tamen opinionem non recipit, at refellit, cùm ex eo quod ſtet in aduerſum ſententia communis, tum ex cap. *Accedentibus, de exceſſib. Prælatorum*, vbi habetur non licere Abbatibus, neque aliis quibuſcumque inferioris ordinis, quàm Epiſcopalis, indulgentias concedere. Fatetur tamen hoc poſſe Sacerdotes ex commiſſione Pontificis Maximi & Epiſcoporum: quo ſenſu accipienda videntur hæc verba indulti huius Epiſcopalis, *Qualem ei charitatem Preſbyter dederit, talem habeat.* Datò enim, quòd Preſbyter audiendo pœnitentis huiuſmodi confeſſionem, iniuncta modica pœnitentia, ipſi reliquum ſatisfactionis, commiſerationis paternæ affectu remiſerit, ratum habent Epiſcopi iſti hoc indultum: quod ſic Sacerdos non tam ſua, quàm illorum auctoritate his collata litteris, conceſſerit.

Lib. 1. de Indulgent. c. 11.

§. XXXVII.

Si verò infirmus] Infirmitas cauſa eſt excuſationis legitima, cap. *Tenor*, & ibi gloſ. 1. *de re iudicat.* & gloſ. *infirmitate* in cap. 1. *de procurat.*

ſed repugnare videtur can. *Si verò*, qui 56. eſt diſt. 50. quo decernitur infirmo non poſſe pœnitentiam delictorum imponi, vſque ad conualeſcentiam. Verùm hoc intelligendum eſt non de abſolutione Sacramentali, ſed de pœna ſatisfactoria, cuius executio pœnitenti infirmo iniungi debet adimplenda quando conualuerit: exonerari tamen poteſt virtute indulgentiæ, quam iſti Præſules concedunt pœnitenti infirmo, modò leuem aliquam ſatisfactionem, quam infrà ſignant, perſoluat.

§. XXXVIII.

Aut mulier prægnans debilis.] Vide cap. *officij, de pœnit. & remiſſ.* Mitiùs ſemper agitur cum hoc ſexu, propter naturalem imbecillitatem, maximè verò cùm grauidæ ſunt, & vterum ferunt, conceptæ prolis intuitu: quo tempore longè ſunt infirmiores & debiliores. Quæritur ſi extra hunc ſtatum, Clericum adeo grauiter percuſſerint vt inciderint in Canonem, *Siquis ſuadente Diabolo*, num ad Papam remitti debeant, petendæ abſolutionis ipſi reſeruatæ cauſa? Reſpondent Canoniſtæ ex cap. *Mulieres, de ſent. excomm.* in 6. *remittendas non eſſe*, ſed poſſe ab Epiſcopo licitè & competenter abſolui.

§. XXXIX.

Quæ ieiunare non poßit] Axioma eſt Iuris Canonici, *ieiunium ægrotus ſi fregerit, reus voti non habetur.* De regulis Iuris in antiq. cap. 4. vide cap. *Licet*, de pœnit. & remiſſ.

§. XXXX.

Dicat ſepties pater noſter] *Hæc oratio compendioſis verbis, ſeptem petitionibus*, (ait S. Auguſtinus ſerm. 182. de temp.) *omnes ſpecies orationis comprehendit: ſic Chriſtus orare docuit, citò vt poſtulata præſtaret. Quid mirum?* (ait magnus Tertullianus lib. de orat.) *Deus ſolus docere potuit, vt ſe vellet orari. Ab ipſo igitur ordinata religio orationis & de ſpiritu ipſius, cùm ex ore diuino ferretur, animata ſuo priuilegio aſcendit in cælum, commendans patri quæ filius docuit.* Filius ſcilicet vnigenitus in quo pater ſibi complacuit. *Spem igitur habemus obtinendæ cauſæ noſtræ*, (idem ait S. Auguſtinus lib. 50. homiliar. hom. 42.) *quando talis Iuriſperitus nobis preces dictauit, qui ſedet ad dexteram patris, ipſe eſt aduocatus noſter &c.* Valere eandem orationem ad leuium culparum remiſſionem, idem B. Auguſtinus docet c. 7. Enchiridij ad Laurentium, *Delet* (inquit) *omnino hæc oratio, minima & quotidiana peccata.* Piè igitur & ſapienter Epiſcopi iſti docent, ieiunij deliquium accidens per impotentiam, oratione Dominica compenſari: culpa enim magis obſtringit reum peccati cuiuſcumque, etiam minimi, quàm ieiunij votum aut præceptum, hoc enim vbi vires deficiunt non obligat, cùm ad impoſſibile nemo teneatur. Vnde illa compenſatio eſt potiùs congruentiæ vel æquitatis, quàm iuſtitiæ. Gloſ. *Denarium*, in can. final. diſt. 82. fas fideli eſſe docet,

dare denarium pro ſe ieiunanti, vt ſeipſum redimat à ieiunio *. Quanto magis igitur qui ieiunare nequit propter virium imbecillitatem, immunis fiet ab obligatione ieiunij, ſi orationem illam Deo patri obtulerit, quam ad placandam eius maieſtatem, conciliandámque eius miſericordiam dictauit nobis ipſius dilectus filius? *Dum prece*, (ait S. Cyprianus libello de orat. Dominica) *& oratione, quam filius docuit apud patrem loquimur, faciliùs exaudimur, &c. agnoſcit enim pater filij verba, cum precem facimus.* Quod verò Præſules iſti ieiunium oratione Dominica commutando, ſepties illam præcipiunt recitari, hoc ſanè faciunt pio myſteriorum huius numeri intuitu, quæ breui epilogo complectitur ac denotat gloſ. fin. in cap. 1. *de celebrat. Miſſarum*, & gloſ. *Senarium* in proœmio lib. 6. &c. Conſulendus Bungius in lib. cui titulus eſt, *Numerorum Myſteria*, ſub epigraphe *de Septenario numero*, vbi quicquid eſt humanæ litteraturæ & ſacræ eruditionis, ſumma ingenij ſolertia compilauit.

* Tranſeat hîc iſta gloſſa ſine approbatione.

§. XLI.

Et opere pio bonum exerceat quod poterit.] Spectârunt, vt reor, iſti Patres ad hæc verba Angeli Raphaelis, vtrumque Tobiam docentis, quæ ſint potiſſimùm opera Deo grata & accepta pro pœnarum quæ debitæ ſunt pro peccatis, expiatione; *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* Tob. 12. 8. & 9. Non iniungunt tamen iſti Antiſtites hæc tria ſimul opera, ſed dumtaxat decernunt, vt qui cuiuſdam illorum exercendi non habet facultatem, ad alterum, vel alterum vtriuſque recurrat, v. g. qui ieiunij impotens eſt, eleemoſynam largiatur; qui pauper eſt ſaltem oret inſtantiùs, vt humili deprecatione ſua ſibi conciliet diuinam clementiam; *Habemus enim multa ſubſidia*, (vt ait S. Ambroſius lib. de Elia & ieiunio c. 20. circa finem tom. 1.) *quibus peccata noſtra redimamus.*

§. XLII.

Omnibus autem & quæ iuſta ſunt conſeruantibus ſit pax & ...... Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.] Phraſis erat illis temporibus admodum vſitata, vt in Pontificiis diplomatibus paſſim circa finem legitur: Tametſi in litteris Apoſtolicis ampliùs extenderetur, ſic enim erat expreſſa; *Cunctis autem eidem loco iuſta* (iſta) *ſeruantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.* Videntur ſanè Pontifices, hanc ſuarum litterarum clauſulam ex hac Apoſtoli formula, quæ extat in fine epiſtolæ ad Galatas, deſumpſiſſe: *Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei.*

Vide Bullam Paſchalis II. in antiquitatib. S. Dionyſ. p. 474. & 475. & Bullam Innocentij II. pag. 485. & 486.

§. XLIII.

Datum anno Verbi incarnati milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto.] Varia iam ab Eccleſiæ ortu fuit ratio, numeros annorum computandi. Placuit initio Chriſtianis Eccleſiaſtica monumenta ex Conſularibus faſtis perpetuæ memoriæ commendare. Iuſſit deinde Iuſtinianus per Imperatoris, Indictionis & Conſulum nomina annos conſignari. Galli ab obitu S. Martini, Itali à fundatione non quidem deinceps Vrbis, ſed Romanæ Eccleſiæ cenſere annos voluerunt. Ægyptij à Martyrum ſub immani Diocletiani perſecutione paſſorum coronatione, annos diu dinumerarunt: qui mos etiam in Occidente aliquandò obtinuit, vbi à temporibus ipſius Diocletiani, paſſim anni numerabantur. At Dionyſius cognomento Exiguus natione Scytha, ſed moribus Romanus, qui doctrina & ſanctitate præſtans claruit circa annum 525. ſub Ioanne I. & ſequentibus aliquot Pontificibus, Iuſtinóque & Iuſtiniano Impp. laudéque cum magna ſcripſit Cyclum Paſchalem omiſſa profana hac numerandi ratione, ſpreta memoria Diocletiani impij fidelium perſecutoris, annos numerare cœpit ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui vſus ſenſim inualuit, tandémque toto orbe Chriſtiano ſummo conſenſu receptus eſt, hactenúſque in viridi obſeruantia perdurat.

§. XLIV.

Felicis memoriæ Adriano Papæ IV. feliciter.] Succeſſit hic Pontifex Anaſtaſio IV. creatus Romæ, Nonis Decembris, à 32. Cardinalibus conſonis ſuffragiis, ingenti cum Cleri populíque lætitia & applauſu, quamuis ex Anglia oriundus erat. Sedit autem annis 4. menſibus 8. diebus octo ſupra viginti: obiit verò Anagniæ anno 1159. Kal. Septembris. Vnde liquet, cùm charta hæc facta eſt ab Hugone Archiepiſcopo Rothomagenſi & cæteris Epiſcopis in ea deſignatis, ipſum Adrianum egiſſe Pontificatus ſui annum 2. Quamobrem eſt quòd fortè mireris in huius chartæ vltima clauſula illum dici felicis memoriæ. At non eſt quòd accipias verba hæc eo ſenſu, vt de defuncto dicta ſint, ſed de viuente, cui impoſterum ab his Epiſcopis felix memoria exoptatur. Sic illo ipſo tempore Ioſelus Epiſcopus Sariſberienſis ſcribens ad Sugerium Abbatem pro impetrandis S. Dionyſij reliquiis, petitionem ſuam his verbis terminat, *Noſter Archidiaconus fructum ex parte reportet, reliquias ſcilicet S. Martyris Dionyſij, per quas non ſolùm in nobis, ſed in Eccleſia Sariſberienſi, perpetua nominis veſtri memoria viuat.*

COROLLARIVM.

Hactenùs ſeriem ſecuti ſumus Chartæ illius Epiſcopalis, quam minimè ſuppoſititiam, ſed veram & germanam notationes adhibitæ, ſingulis quibus conſtat periodis, palam indicant. Ex quibus etiam

nonnulla aliàs obſcura, ſed quæ plurimùm conferunt ad vocum, praxeúmque huius temporis, circa pœnitentiæ diſciplinam & ſacrarum veniarum vſum notitiam, elucidantur, & quo ſenſu intelligenda ſint, vt ad præſentis ætatis placita, moréſque adæquari poſſint, perſpectum & liquidum euadit. Cæterum in tergo ſeu parte obuerſa eiuſdem chartulæ hæc inſcriptio legitur, *Littera de capa Domini, per H. Archiepiſc. Rothomag.* Ex quo videre licet, hanc veſtem Domini quæ in Argentolio Monaſterio aſſeruatur, non eſſe eius induſium vel interulam, ſeu veſtem intimam inconſutilem, quæ proximè carni adhærebat, ſed veſtem ſuperiorem, qua & tunica illa interior, & quæ veſtis eidem ſuperpoſita erat, velut toga, cooperiebatur. Cappa enim, ſeu Capa, dici ſolebat indumentum illud ſuperius, quo duæ ſubiacentes tunicæ circumtectæ erant: adeo vt fuerit inſtar pallij, quod cætera veſtimenta ſub ſe includit. Qua acceptione ſumi cappam conſueuiſſe eodem labente ſæculo, licet elicere ex Cæſare Heiſterbacenſi, lib. 1. c. 38. & lib. 4. c. 97. & lib. 5. c. 16. Dialogorum, de miris rebus ſui temporis; aliiſque Auctoribus paulò vetuſtioribus & etiam coæuis, necnon paululum poſterioribus, quos alibi opportuniùs recenſuiſſe memini.

PRIMÆ PARTIS

PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER VIII.

DE SANCTO CALICE.

CAPVT PRIMVM.

De nomine Calicis, & eius origine, ac ſignificatu.

CALICIS vocabulum à materia, è qua olim pocula conficiebantur, ligno ſcilicet, eſſe deductum Iſidorus exiſtimauit, Originum lib. 20. c. 5. *Calices & calathi*, inquit, *& cætera poculorum genera, anteà ex ligno facta, inde & vocata. Græci enim omne lignum κᾶλον dicebant.* At Latinam nominis huius eſſe originem alij arbitrantur: ita enim dictum volunt hoc poculi genus, quòd veteres eo calidam biberent: nam & calidam & frigidam adhibebant in conuiuiis. Rectiùs cenſuiſſe viſi ſunt, qui calicis nomen aiunt deſcendere à Græco κύλιξ, quæ vox eam appellationem habet, quaſi κύκλιξ, quòd circuli in modum calix ſit rotundatus. Qua ex ſententia Ioannes Fungerus in Etymologico trilingui exiſtimat hanc vocem Feſto reſtituendam: *cùm* κύλιξ, inquit, *vrnam ſignificet, aut bouem, qui alterum cornu habet contortum.* Aliquibus tamen dici videtur κύλιξ, quaſi χύλιξ, παρὰ τὸ χέειν, fundendo, vt & magnum Etymologicum docet.

V. Plautum in Captiu. ſcen. 3. a. 4.

Apud probatos auctores, vt plurimùm ponitur calix pro poculo, maioríque vaſe: Quò ſpectat illud Ciceronis, lib. 1. Tuſcul. cap. vlt. *Quid huic calix mulſi? impingendus eſt, vt plorare deſinat*; Illúdque Plauti Sc. 3 a. 4. *Aulas, calicéſque omnes confregit, niſi quæ modiales erant.* Parui erant tamen aliqui calices: vnde caliculi nomen inoleuit, quo & vſus eſt Cato de re Ruſt. c. 108. *Vinum*, inquit, *ſi voles experiri, duratu-*

rum ſit, necne, polentam grandem, dimidium acetabuli in caliculum noſtrum indito.

Phiala, ſeu patera, rotunda in modum roſæ germinantis, ſeu lilij repandi, amplioris, diffuſioríſque calicis eſt ſpecies. Apud Hebræos eiuſmodi calix, כוס Chos dicitur, id eſt calix habens operculum. Sunt & calices duas habentes anſas, quæ crateræ dicuntur. De his Iſidorus vbi ſuprà, Cratera calix eſt duas habens anſas, & eſt nomen Græcum. declinatur autem apud eos, hic crater, nam Latinè hæc cratera dicitur, ſed Seruius ait: Crater, nomen eſt Græcum, Cratera, Latinum ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, quod eſt tenere, capere, nomine deducto. Vaſti erant calices, (quos Galli *Coupes*, & *Taſſes* vocare ſolent) de iis Virgilius,

Pocula bina nouo ſpumantia lacte quotannis,
Crateréſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui.

Et rurſus, *Crateres magnos ſtatuunt, & vina coronant.*

Et Statius, *Bacchus in altos crateras, pateráſque redit.*

Sed à profanis, ad ſacra pergamus. Sanè in Scriptura ſacra vox calicis ſignificare ſolet non modò vas aptum ad continendum vinum: ſed & potum ipſum vini in vaſe contentum: vnde Pſal. 22. *Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!* Græcè eſt *ποτήριόν σου, poculum tuum.* Sumitur autem calix materialiter pro ipſo vaſe; Geneſ. 40. 11. Calix Pháraonis. 3. Reg. 7. *Labrúmque eius quaſi labium calicis & folium repandi lilij, duo millia batos capiebat.* 2. Paralip. 4. 5. *Porrò vaſtitas eius habebat menſuram palmi, & labrum eius erat quaſi labium calicis.* 4. Eſd. 14. 39. *Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi: hoc erat plenum ſicut aqua: color autem eius vt ignis ſimilis.* Ierem. 35. 5. *Et poſui coram filiis domus Rechabitarum ſciphos plenos vino, & calices &c.* 51. 7. *Calix aureus Babylon.* Matth. 23. 25. *Mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis &c.* Marc. 7. 8. *Baptiſmata calicum & vrceorum* &c. Frequentiùs in ſacris paginis ponitur calix pro ipſo potu, Iſa. 51. 17. *Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius: vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, potaſti vſque ad feces*, Ierem. 25. *Accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus ad quas miſit me Dominus.* Matth. 10. 42. *Calicem aquæ frigidæ.* Luc. 22. 20. *hic calix nouum Teſtamentum eſt:* nam ibi manifeſta metonymia eſt, qua continens ponitur pro contento; neque enim vas ipſum nouum Teſtamentum erat: ſed poculum ipſum, imò potiùs in calice contentus, ſanguis ſcilicet Domini, nouum erat Teſtamentum: vnde apud Matthæum legimus, c. 26. Chriſtum accepto calice gratiíſque actis, dixiſſe: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti:* Sanguis inquam ille de quo ipſe Dominus antè dixerat, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* *Ioan. 6.* *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed tantum donum ab ipſo ſolo nobis conferri poterat, quamobrem (vt Eccleſia concinit) in ſuæ paſſionis procinctu,


Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,
Dicens, accipite quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.

Vbi conuenienter omninò vaſculum ponitur pro calice, poculum pro ſanguine.

CAPVT II.

Antiqui nummi, ſeu ſicli Hebraïci, myſtica ad formam Calicis figura, & inſcriptionis dilucidatio, vrna inſuper, in qua manna ſeruabatur, ad formam Calicis effecta (figurâ in alio ſiclo expreſſa) deſcriptio.

VENIT in manus meas, dono Cæſaris Poyrier, proauunculi mei, pridem Canonici Ducalis Eccleſiæ S. Georgij Nanceicenſis, necnon Caroli & Henrici Ducũm Lotharingiæ primi Eleemoſynarij, viri ſumma pietate conſpicui, & litterarum etiam Hebraïcarum ſcientia præſtantis: vetus numiſma argenteum, ſeu ſiclus Hebraïcus, in cuius antica parte, calicis figura conſpicitur, è quo ſacer cruor recèns infuſus, ac quaſi ebulliens, fumum è fundo ſurſum emittit: in poſtica lauri apparet ramuſculus. verbis Hebraïcis in circuitu vtriuſque partis eiuſdem nummi epigraphe eſt expreſſa: cuius hîc ectypon in pij lectoris gratiam exhibemus vtroque proſpectu.



Siclus argenti apud Hebræos ponderabat tãtum, quantum quatuor regales Hiſpanici quinque ſtuferorum, & quaſi vnus florenus Brabanticus: ſiclus verò auri, erant quatuor coronati Francici, qui æquiparantur 12. florenis Brabanticis.

Vt rectus ſenſus ex eiuſmodi nummo eliciatur, notandum ante omnia venit, moris fuiſſe apud Hebræos, vt calens victimæ ſanguis vaſculo exciperetur, à quo deinde vel effunderetur coram Domino, vel contra propitiatorium aſpergeretur, ita enim lex habet Leuit. 16. *Offeret vitulum* (pro peccato) *& rogans pro ſe & pro domo ſua immolabit eum, aſſumptóque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta: vt poſitis ſuper ignem aromatibus vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium, vt non moriatur. Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties contra propitiatorium ad Orientem; Cúmque mactauerit hircum pro peccato, inferet ſanguinem eius intra velum, ſicut præceptum eſt de ſanguine vituli, vt aſpergat è regione oraculi & expiet ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſraël &c. Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino eſt, oret pro ſe, & ſumptum ſanguinem vituli, atque hirci, fundat ſuper cornua eius in gyrum, aſpergénſque digito ſepties expiet & ſanctificet illud,* &c. Nec modò hirci & vituli, ſed cuiuſuis hoſtiæ in holocauſtum immolatæ, Sacerdos ſanguinem

guinem in ſanctuarium ad offerendum Domino inferebat: quemadmodum abſolutè docet Apoſtolus, Heb. 13. *Quorum enim animalium* (inquit) *infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremabantur extra caſtra; propter quod & Jeſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Quia ipſe verò ſimul hoſtia & pontifex erat, ne coacta fuiſſe eius videretur oblatio, antequam pateretur, vt hoſtium impetum violentum anticiparet, ſeſe vltrò, ſpontéque ſua, noui paſchæ myſtico ſacrificio, ſeipſum immolauit, patríque in ſacrificium corpus & ſanguinem ſuum obtulit in vltima cœna: qua ſuis Apoſtolis ſecum diſcumbentibus communicandum dedit ipſum corpus ſuum & ſanguinem: *Et accepto pane* (refert S. Lucas c. 24.) *gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens, Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo.* Quaſi diceret, Hoc in calice eſt ſanguis meus, quem mox pro vobis effuſurus ſum in pretium: hunc itidem vobis propino in poculum. Cuius figura fuerat ſanguis hoſtiarum, quem in veteri Teſtamento Pontifex pro ſuis, & populi peccatis, exceptum vaſe mundo in ſanctuarium inferebat adhuc calentem & fumidum, vt coram Domino effunderet in ſacrificium propitiatorium, atque etiam aſpergeret ſuper altare & ſanctuarium, delictorum populi expiandorum gratiâ. Quo ex ritu per Chriſtum longè efficaciùs expleto, Apoſtolus Heb. 9. argumentum aſſumit pro meritorum eius ſuper nos applicatione validiſſimum: *Si enim*, inquit, *ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis:* (neque enim niſi per modum ſigni, pertingebant vſque ad purgationem animæ) *quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideo noui Teſtamenti mediator eſt &c. vt repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.*

Hinc facilè erui poteſt figuræ expreſſæ in myſtico numiſmate ſuprà delineato genuinus ſenſus, myſtici ſcilicet libaminis hîc adumbrari ſpeciem. Ramus aſperſorium eſt: Calix vaſculum quo ſanguis victimæ adhuc calens & emittens vitales ſpiritus, continetur. Quem typum Chriſtus in vitæ ſuæ exitu conſummauit fuſo ſanguine in pretium redemptionis, in Cruce: quem per calicem myſtici libaminis, ipſum vtique vitæ poculum, & gratiæ ſanctitatíſque ſpiraculum nobis communicauit ad ſalutem.

Porrò hîc prætermittere piaculum foret, vrnam auream, in qua huius Sacramenti typus (ſcilicet Manna) olim iuſſu Domini aſſeruatus eſt, calicis formam habuiſſe. Id porrò perſpicuum fieri ex ſiclo illo Iudaïco habente in vno latere virgam Aaron: in altero prædictum vaſculum mannæ. Extat eius effigies ſculpta in Bibliis Regiis per Plantinum. In deſcriptionibus ſiue delineationibus ciuitatis Hieruſalem, ſiclus expreſſus eſt huiuſmodi formâ.

Prior facies — Poſterior



CAPVT III.

De materia & forma Calicis, quo Chriſtus Euchariſtiam inſtituendo, vſus eſt. Déque loco, quo is nunc vſque obſeruatur.

CARDINALIS Baronius tom. 1. Annalium, ſub annum Chriſti 34. n. 63. id ex Bedæ Venerabilis inſigni teſtimonio patenter ſatis inſinuat. *Non prætermus, inquit, tamen dicere, quòd calix ille, in quo redemptor noſter Ieſus Chriſtus ſacratiſſimam Euchariſtiam conſecrauit, vt egregium ſanctæ rei monimentum, à communi vſu ſelectus, ac ſumma induſtria adſeruatus, adhuc Bedæ temporibus Ieroſolymis viſebatur. De quo ipſe *: In platea quæ martyrium & Golgotha continuat exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus, per operculi foramen tangi olet & oſculari: qui argenteus calix hinc inde duas habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit, in quo eſt illa ſpongia potus miniſtra.* Hactenùs ex Beda Baronius.

* *De locis Sanctis, c. 2.*

Ex cuius verbis inferri poſſe videtur, calicem quo vſus eſt Dominus in hoc ſummo pietatis Sacramento, fuiſſe huius ſpeciei quam crateram vocitant: hæc enim vt ſuprà ex Iſidoro docuimus, calix eſt, duas habens anſas hinc inde, patulæ ideo capacitatis, cùm ſextarij Gallici haberet menſuram. Fateor me fugere quænam eſſet menſura ſextarij Gallici, cùm ipſius commune nomen neutiquam occurrerit mihi in libris quos euoluerim editis, vel MSS. Reperi quidem ſextarij Romani frequentem mentionem: itidem Hebraïci & Attici. Sunt qui cenſeant Romanum cum Attico & Hebræo æqualem eſſe. Rectiùs ſentiunt qui docent eſſe diuerſos: Romanum enim contінuiſſe vncias viginti: Atticum quindecim; Hebræum tredecim dumtaxat. Gallicum tum fuiſſe eundem cum Romano, perſuadet Galliarum quæ Romanis ſubactæ iam erant, cum Romani imperij politia conſenſus. Sed vix probabile mihi videtur Chriſtum in conuiuio Paſchali vſum Romanis menſuris, ſeu vaſculis ad morem Romanum confectis, cùm ex Euangeliis pateat ſemper Iudæos abhorruiſſe à Romanis moribus & vſibus, ac œconomia. Si igitur Calix Dominicus ſextarij menſuræ erat, longè veriſimilius eſt ſextarij fuiſſe Hebraïci, qui tredecim vncias continebat. Vncia verò eſt pars duodecima libræ, quæ octo efficit drachmas.

Vide libellum Cornelij à lapide *de ponderibus & menſuris*, voce *ſextarius* &c.

Calicem porrò cœnæ Dominicæ fuiſſe huius capacitatis quæ liquorem contineret, è quo duodecim & ſuprà conuiuæ qui aderant, commodè ſumere poſſent: Ex Euangeliis planè liquet, ſic enim apud Matthæum legimus, c. 26. *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens, Bibite & hoc omnes.* Addit Marcus c. 14. *Et biberunt ex illo omnes.* Cæterùm Lucas hunc in modum ſcribit, *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos.* Ex quibus verbis coniici poteſt huius fuiſſe amplitudinis, quæ par eſſet turbæ diſcumbentium communi poculo. Atque hæc de menſura calicis myſtici libaminis tunc primùm à Domino conſecrati: Iam de materia aliquid ſubiungendum.

Ait Beda, calicem Domini eſſe argenteum. At è lapide fuiſſe pretioſo coloris punicei & cærulei, quem Agatham vocant, & in Templo Valentinæ ciuitatis (quæ Sedes Archiepiſcopalis, & Academia, & Caput eſt regni in Hiſpania ad mare Mediterraneum) aſſeruari aſſerit Ioannes à Carthagena olim Romæ Theologiæ Profeſſor, illuc iuſſu Pauli V. ex Academia Salmanticenſi in Hiſpania, accerſitus, lib. 9. in vniuerſa Chriſtianæ Religionis arcana, qui de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento inſcriptus eſt, hom. 26. paulo poſt initium. *Daturúſque*, inquit, *eiſdem* (Apoſtolis ſuis Dominus) *calicem ſui ſanguinis, non contentus argenteo poculo, lapidem elegit pretioſum coloris punicei, & cærulei quem vocant Agatham, quæ noſtra adhuc ætate in templo Valentinæ ciuitatis in Hiſpania aſſeruatur.* Nec negare auſim, oculato teſte id firmante tam grauiſſimo ſuffragio, calicem eiuſmodi apud Valentiam aſſeruari: num verò is ipſe ſit calix Domini, quo in vltima cœna ſuum propinauit diſcipulis ſanguinem, hinc ire definitum, vt ingenuè dicam, nequeo.

Voluit non ita diu Hadrianus Moebertius Dieſtenſis, vtramque conciliare ſententiam, de calice Domini argenteo, aut ex agatha gemmeo, Scalæ purpureæ Gradu 2. Collat. 1. §. 2. pag. 313. col. 2. poſt medium, *An fortè*, inquit, *calix è pretioſo lapide ad honorem & ſplendorem argento incluſus atque munitus?* At certè mihi probabile non videtur; argento enim ſimplici agatha tantæ magnitudinis longè nobilior eſt. Quicquid ſit, Bedæ tempore totus hic calix argenteus erat. Vix vllus auctor eſt ante Ioannem à Carthagena huius ſæculi ſcriptorem, qui ſcripſerit calicem ipſum Domini, ex agatha pretioſo lapide fuiſſe efformatum. Potuit hic ipſe vetuſtiſſimus, qui ſub præclaris adeo titulis Valentiæ oſtenditur, calix eſſe ſanctiſſimi cuiuſdam loci Antiſtitis; abhincque in religione habitus pro ipſo Dominico calice exiſtimari. Niſi fortè, quia trinum Paſcha Dominus cum ſuis celebrauit diſcipulis (tribus enim annis cum ipſis conuerſatus eſt) triplici quoque vſus calice cenſeatur. Vnde dici poſſet ille qui ex agatha lapide conſtat, vnus fuiſſe ex tribus. Quamuis certò diiudicari non poſſit, an iſto, vel argenteo Chriſtus fuerit vſus, cùm ſuis diſcipulis dedit ſupremum ſui pignus amoris, eíſque tradidit noui & æterni teſtamenti myſteria celebranda.

De loco denique vbi aſſeruatus hactenus exiſtat ipſe Domini calix

etiam difficultas occurrit. Beda enim ſuprà laudatus aſſerit ætate ſua adhuc ſeruatum fuiſſe Ieroſolymis. Recentior ſuprà itidem deſignatus auctor, apud Valentiam in Hiſpania affirmat ſummo in Templo cuſtodiri. Caluinus (qui quod fidei iuratus hoſtis, indignus meritò videri poteſt qui hîc cenſeatur, tamen quod ſacra Eccleſiarum pignora per ſummiſſos emiſſarios, malo animo quo plenus erat, ſcilicet vt noceret, Sanctuaria ferè omnia Europæ ſcrutari fecit) in ſuo reliquiarum indiculo, calicem Domini in Gallia eſſe inſinuat. Sed vt calumniam inde ſtruat, duplici ait integrum vtrobique aſſeruari loco, *Cuppa*, inquit, *ſeu calix quo ſuis Apoſtolis dedit ſanguinis ſui Sacramentum, prope Lugdunum oſtendi ſolet in templo Dominæ noſtræ de inſula: atque ipſe idem in quodam fano Auguſtinenſium Monachorum.*

Hîc verò obſeruâſſe non ſuperuacaneum fuerit eundem Caluinum in ipſo reliquiarum indiculo *, calicem S. Ioannis Apoſtoli recenſuiſſe: *Nequid rerum eius excideret*, inquit, *obtruderunt nobis calicem, è quo haurire venenum, ſibi propinatum iuſſu Domitiani compulſus eſt. Sed quia vnus ipſis ſatis non erat, duos habere voluerunt: vel igitur aſſentiri nos oportet alchymiſtis de ſua multiplicatione, quod eis lubet comminiſcentibus: vel pro certo tenere, Papiſtas ſuis impoſturis mundo illudere. Duorum horum calicum alter Bononiæ oſtenditur, alter Romæ in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis* **.

* Extat inter eius opuſcula Geneuæ edita anno 1566. p. 726. &c.

** In indiculo cui titulus eſt, *Loca nonnulla reliquiarum. Romæ in æde Lateranenſi ſeruatur calix & catena S. Ioannis Apoſtoli.* Extat ad calcem Topographiæ ſanctorum Martyrum. Ipſe igitur calix, quia iungitur catenæ ſancti Ioannis Apoſtoli, eſſe videtur ille, quo hauſit pro martyrio Chriſti, propinatum ſibi, Domitiani Cæſaris impij iuſſu, venenum.

Verùm quod hîc garrit Caluinus, ex mero ſcatet pruritu calumniandi Eccleſiam Catholicam, reliquias Sanctorum ſummo pietatis ſtudio & reuerentiæ affectu colligentem. Quid enim quæſo abſurdi, quòd duplex fuerit & etiamnum ſuperſit calix S. Ioannis: alter, quo diuinum myſterium celebrare ſoleret, alter, quo toxicatum potum ebibere fuerit à Domitiano compulſus? Porro Chriſtum trino Paſchali calice vſum, tametſi vno tantùm Euchariſtico, ſuprà animaduertimus. Addi poteſt Ioannem (qui Pontifex, vt Apoſtolus, fuit: ideóque teſte apud Euſebium & ſanctum Hieronymum, Polychrate eius diſcipùlo, ac in Epheſiorum cathedra ſucceſſore, laminam auream in fronte geſſit) pluries noui Teſtamenti ſacrificium celebraſſe: proinde nonnullis vſum fuiſſe calicibus ad hoc diuinum myſterium peragendum. Idem de Paulo dici poteſt, qui 1. Cor. 11. ait: *Calicem benedictionis cui benedicimus &c.* Siquidem non vni tantùm calici benedixit, nec vno duntaxat loco, vt nec vno die. At hoc πάρεργον. Verumtamen ſatis inde patet, quàm impius in ſua doctrina ac ineptus in ſuis argutiis, Caluinus fuerit: qui nihilominus omnes alios, ſui etiam temporis Doctos, tamquam bardos, & aſinos, ſcurráſque & rabulas deridebat: vt eius ſcripta peruoluenti, euadit prorſus compertum.

CAPVT IV.

An Calices fuerint paſſim vitrei in primitiua Eccleſia, ſtata lege, vſúque paſſim recepto?

CELEBRE decretum Zepherini Papæ & Martyris, qui anno 203. Eccleſiæ præeſſe cœpit, conſignatum in Eccleſiaſticis extat monimentis. Id notauit Pontificalis liber, *hic fecit conſtitutum, vt patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent &c.* quò ſpectaſſe videtur Martinus Polonus in Chronico ſub annum Domini 213. *Fecit,* inquit, *ſtatutum in Eccleſia, vt omnia vaſa altaris eſſent vitrea vel ſtannea.*

ARTICVLVS I.

An id ſtatuerit Zepherinus Pontifex?

VITREOS fuiſſe olim calices ex decreto Zepherini Papæ, qui vetuit ex ligno confici, communis eſt recentiorum exiſtimatio: Platina id diſertè ſcribit in vitis Pontificum in ipſo Zepherino his verbis: *Statuit item vt conſecratio diuini ſanguinis in vitreo vaſe, non autem in ligneo, vt anteà, fieret.* Quæ verba ſeriatim Ioannes Funccius (ex heterodoxis) ſuos in commentarios chronologicos tranſcripſit lib. 6. p. 95. Idem fermè doctiſſimus Genebrardus (duriſſimus ille hæreſeon malleus) notat lib. 3. Chronographiæ ſub annum 206. ſed & Stephanus Duranti eruditiſſimus rituum Eccleſiæ Catholicæ explanator idem Zepherino Papæ refert inſtitutum, lib. 1. c. 7. vadéſque deſignat huius ſuæ aſſertionis Radulphum Decanum Tungrenſem, *de Can. obſeruat. propoſit. vlt.* Walfridum Strabonem de rebus Eccleſiaſt. c. 4. Damaſum in Pontificali, adeóque vetuſtiſſimum Tertullianum lib. de pudicitia; quos etiam Genebrardus ſuos ſignat adſtipulatores, cum Martino Polono in Chronico.

Sed vitrea hæc ſuffragia, vt candidè dicam, mihi prorſus videntur: nec enim, ſi attentiùs conſiderentur teſtium ſignatorum dicta, id axioma confirmant, cuius producuntur aſſertores. Radulphus Martinum Polonum dumtaxat exſcribit: Porrò iſte ſic memoriæ conſignat, ſub annum Domini 213. *Fecit ſtatutum in Eccleſia, vt omnia vaſa altaris vitrea eſſent:* Vbi de calicibus nihil niſi genericè, & quæ dicit Chronologus nimis latè patent, vt vera & ſolida habeantur: Nunquam enim mos in Eccleſia fuit vt omnia vaſa ſacri miniſterij fierent ex vitro. At verò Damaſus, ſeu quiſquis ſit Pontificalis auctor, rem aliter refert, ſic enim ait in ipſo Zepherino, *Fecit conſtitutum de Eccleſia vt patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus miſſas celebraret.* Vbi de calicibus nihil: de patenis verò ſolùm loquitur, quæ ferebantur à miniſtris coram Sacerdotibus celebrante Epiſcopo; vnde ſequitur exceptio perſpicua: illo non præſente eiuſ-

modi patenas non fuiſſe in vſu. Cæterùm Tertullianus de vitreis calicibus nuſquam meminit. Citato libro de pudicitia, c. 7. meminit quidem calicum Eccleſiæ Catholicæ, in quibus Chriſtus ſub ſpecie boni paſtoris ouem perditam ſuis humeris referentis, depictus erat: *Procedant ipſæ picturæ*, inquit, *calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius &c. Adhoc Dominus pecudis perditæ reſtitutionem cui alij configuraſſe credendum eſt, quàm ethnico perdito &c. ſed ouis propriè Chriſtianus & grex Domini, Eccleſiæ populus, & paſtor bonus Chriſtus.* Hìc quidem Tertullianus de calicibus exteriùs picturatis apertè meminit, ſed nihil de vitreis planè ſcribit. At infrà ſubindicare forſitan videtur calices illos myſticos fuiſſe vitreos, nam fragiles fuiſſe innuit, ait enim c. 10. *At ego eius paſtoris quem in calice depingis, ſcripturam haurio quæ non poteſt frangi*, ſcilicet vt calix ille veſter vitreus: Verùm de vitro ſilet vbique Tertullianus, nec neceſſe eſt vt quicquid fragile eſt vitreum ſit, calix aureus frangitur & argenteus, magíſque ligneus, quin & corpora noſtra fragilia vocat Apoſtolus, quamuis non vitrea, 2. Cor. 4. 7. *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*, Græcè ὀςρακίνοις, teſtaceis, luteis, fragilibus, caducis; Quamobrem nihil hìc ad ſcopum vitreorum calicum Tertullianus.

Nec vrgere iuuat Zepherini Papæ, cui coæuus ipſe Tertullianus erat, de calice vitreo inſtitutum, de quo ait Duranti præfatus, *Porro Zephirinus Papa ſtatuerat conſecrationem diuini ſanguinis non fieri in vaſe ligneo, vt antea, ſed vitreo.* Ex Tertulliano enim facilè elici poteſt non promanâſſe eiuſmodi decretum ex huius dictamine Pontificis, ſiquidem Tertullianus, cùm ipſum Zepherinum ſibi aduerſum ſentiret, hæreſim Montani amplexo, quæ pœnitentiam lapſis fidelibus præcludebat: vbicumque illum carpendi occaſionem quærebat, adeo vt vix etiam à calumniis abſtineat, vbi vel exilis rimula ſuis ſe prodit intentis: hinc illud ironicum contra ipſius Zepherini ſanctionem, qui lapſis fidelibus ad gemitum conuerſis pœnitentiam denegari, iuxta Dominicum iſtud, *Venientem ad me non eiiciam foras*, piè ac rectè *Ioan. 6. 37.* prohibuerat; *Audio edictum*, inquit, *eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit, Ego mœchiæ & fornicationis delicta, pœnitentiâ functis, dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum!* Quis hìc non perſpiciat, ſi ritus auctor fuiſſet Zepherinus efformandi vitreos calices in quibus cœpiſſet Chriſtus in ſpecie paſtoris depingi, ouem perditam in humeros baiulantis, non hoc præteriturum acrem adeo ſcriptorem ſine aculeo? Nec inſtare licet paulò pòſt, capite nimirum 13. ipſum Tertullianum, eundem Pontificem hac ex pictura inſectari, his ſcilicet verbis: *Bonus paſtor, & benedictus Papa in parabola ouis, tuas capras quæris, tua ouis ne rurſus de grege exiliat.* Siquidem probâſſe has picturas illum Pontificem verba hæc indicant, inſtituiſſe non probant, præſertim cùm ipſe Tertullianus ſatis oſtendat hunc nouum non fuiſſe morem; nec Romanæ Eccleſiæ proprium, at Eccleſiarum iam communem; *Procedant*, inquit, *picturæ calicum veſtrorum*, quos autem alloquitur & inuadit pſy-

chicorum nomine, niſi Catholicos omnes, nemo eſt eruditorum qui inficietur. Vnde ſe adoriri ipſo ferè in opuſculi limine inſinuat, quibuſcum retro habuerat ſocietatem, quam vocat, cap. 10. verſus finem, *commune Eccleſiarum Concilium*, ſeu *omne Eccleſiarum noſtrarum Concilium*.

His ex obſeruationibus patet nihil ſolidi ex Tertulliano ſumi poſſe pro vitreis calicibus, decreto Zepherini Papæ inſtitutis loco ligneorum in Eccleſia Romana & Catholica.

Locus Damaſi, ſeu cuiuſuis libri Pontificalis auctoris, neutiquam quoque ad rem facit, nihil enim de calicibus diſertè dicit, ſed de patenis dumtaxat, iiſque non promiſcuè vſitatis, at geſtandis ſolùm à miniſtris ante Sacerdotes, Epiſcopo celebrante. cùm enim exceptio in cæteris ius firmet, hinc patet harum vſum in ſacrificio non fuiſſe communem, ſed Epiſcopi diuinis operantis præſentiâ circumſcriptum.

Martinus Polonus ſpeciatim calicis non meminit; at latè nimium diuagatus generatim ait, ſancitum fuiſſe à Zepherino vt omnia vaſa altaris eſſent vitrea vel ſtannea. Quod abſurdum & impoſſibile, nunquam porrò in Eccleſia obſeruatum, vt ſacræ antiquitatis non imperitis conſtat.

Walfridus Strabo caſtigatiùs loquitur, ſtatutum enim Zepherini ad ſolas patenas reſtringit, nulla calicum mentione facta: erant ſiquidem patenæ quædam ſecretæ à calicibus, & ipſis longè ampliores; vaſa enim erant corporis Chriſti ſub ſpecie panis, ſub qua omnes communicabant, cùm non omnes Sacramentum ſumerent ſub ſpecie vini de calice. Hinc calices quidam parui, quibus ſoli Sacerdotes vtebantur in ſacrificio; alij miniſteriales, quibus ſalutis poculum fidelibus communicabatur. Quamobrem lex ferri potuit de patenis, quæ ad conſecrationis calices non ſpectarent, ideóque cùm referente Strabone, decretum Zepherini de patenis præciſè ſit, ad calices extendi non debet, quòd hæc inuicem ſint diſtincta. Nec quicquam expreſſiùs dici poteſt ex Radulpho, is ſiquidem verbis penè iiſdem Strabonem exſcribit; à quibus teſtimoniis cùm planè diſceſſerit Platina aſſerens Zepherinum ſtatuiſſe vt conſecratio diuini ſanguinis in vitreo vaſe fieret: eius fuerit ſuos vades arceſſere, quibus placitum ſuum vndique nutans ſuffulciat.

ARTICVLVS II.

Alicubi vitreos calices, quin etiam cryſtallinos fuiſſe in vſu circa ſæculum 4. Eccleſiæ, & infra.

ARETII *in Thuſcia* (Martyrologij Romani verba ſunt, 7. Idus Auguſti) *natalis S. Donati Epiſcopi & Martyris, qui inter cætera virtutis opera* (vt ſcribit B. Gregorius PP.) *fractum à paganis calicem ſanctum orando inſtaurauit. Is in perſecutione Iuliani apoſtatæ à Quadratiano Auguſtali comprehenſus, cùm idolis ſacrificare renuiſſet, gladio percuſſus mar-*

tyrium conſummauit. Arctiùs at refert S. Gregorius mirum hoc opus S. Donati, quem imitatum narrat Nonnoſum Præpoſitum Monaſterij in monte Soractis, vitreæ lampadis inſtauratorem, rupíſque mororem mirificum: *Sicque duobus miraculis* (inquit lib. 1. Dialogor. c. 7. §. alio quoque) *duorum Patrum virtutes imitatus eſt: in mole ſcilicet ſaxi factum Gregorij* (Neocæſarienſis) *qui montem mouit: in reparatione verò lampadis, virtutem Donati, qui fractum calicem priſtinæ incolumitati reſtituit.* Quam rem diuinè geſtam refert proculdubio S. Gregorius ex actis ipſius B. Donati Epiſcopi Aretini à Seuerino Epiſcopo, qui quartus ab eo huius Eccleſiæ Præſul fuit, conſcriptis, vbi hæc copiosè leguntur.

Eodem ſæculo vergente in exitum, claruit Toloſæ S. Exuperius Epiſcopus, de quo inter cæteras laudes, S. Hieronymus ep. 4. quæ dirigitur ad Ruſticum, hæc memoriæ piæ poſteritatis commendat: *S. Exuperius Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnémque ſubſtantiam Chriſti viſceribus* (id eſt pauperibus) *erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Chriſti caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* Sunt qui hunc locum proferant ad probandum vſum calicum vitreorum eſſe antiquiſſimum, fuiſſéque olim communem: at abs re profectò: nam quòd antiquitatem ſpectat, S. Exuperius non niſi labente 4. ſæculo claruit, quo etiam elapſo fine ſancto migrauit ad Chriſtum. Porro eius factum à S. Hieronymo profertur vt exemplum ſingulare, quod nec ad communem legem neque vſum trahi poteſt. Cauſa facti hæc erat: Premente plebem graui annonæ penuria, ſanctus Exuperius eo commiſerationis affectu ſuppeditandæ opis afflicto populo concuſſus eſt, vt non ſolùm quicquid facultatum erat in pauperum ſolatium diſtraxerit, ſed nec ſacris pepercerit vaſis, at omnia vendiderit, vt ex conflato pretio egenis ſubſidium impertiret. Aureis igitur vaſculis diſtractis eò deuenit pius Epiſcopus, vt corpus Domini in caniſtro, ſanguinem verò portaret in vitro. Rarum hoc erat exemplum, quamobrem à S. Hieronymo tanta commendatione celebratur: vnde ſubdit tam raræ virtutis incutiens imitationem, *huius te è vicino ſectare veſtigia, & cæterorum qui virtutum illius ſimiles ſunt; quos Sacerdotium & humiliores facit & pauperes.*

Meminit autem Cyprianus vitæ ſcriptor S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi, qui ſæculo 5. excurrente claruit, tum vigentis vſus gerendi poculi ſalutaris in vaſe vitreo: *An non in vitro habetur ſanguis Chriſti?* lib. 1. c. 14. Et verò qui fractim ita locum iſtum legerit, communem hunc fuiſſe morem poterit facilè ſuſpicari: Sed ſi integrè perſpiciatur, tum euidenter apparebit, & S. Cæſarij peculiarem fuiſſe morem, & eandem vel certè conſimilem habuiſſe cauſam quam habuit S. Exuperius, ferendi in vitro Chriſti ſanguinis: iam ſcilicet in captiuorum redemptionem & afflictæ plebis ſolatium pretioſis vaſis Eccleſiæ conflatis, rem enim geſtam ſic ipſe auctor commemorat: *Porrò Arelatem Gothis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replentur ſacræ baſilicæ, repletur Eccleſiæ domus infidelium multitudine, & cùm multa inopia labo-*

Extant apud Surium Tom. 8. die 27. Auguſti.

laborarent, quæ ad victum veſtitúmque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus, donec omnes ab ipſo eſſent redempti, eo argento quod venerabilis Eonius anteceſſor eius, Eccleſiæ menſæ reliquerat. Hoc autem ſanctum opus ita perſecutus eſt, vt etiam ab illis quæ ad diuini miniſterij diſpenſationem pertinent, non abſtineret, thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, excuſſiſque è cancellorum columnis ornamentis argenteis. Dicebat enim, ne homo rationalis, Chriſti ſanguine redemptus, amiſſa libertate, & dura preſſus ſeruitute, aut Arianus efficiatur, aut Iudæus, aut ex ingenuo ſeruus, aut ex ſeruo liber. Ornauit igitur & defendit, non deformauit Eccleſiam: patere voluit filiis viſcera matris, non præcludi, hoc ſæpiſſimè dicens: Velim reſpondeant mihi plerique Domini Sacerdotes, & reliqui è Clero, qui neſcio quo ſuperfluitatis amore, nolunt dare inſenſibile argentum & aurum ex Chriſti donariis, pro mancipiis Chriſti, velim, inquam, dicant mihi, ſiquo caſu ipſi in eam calamitatem inciderent, velléntne eiuſmodi inſenſibilibus donariis in libertatem vindicari, aut potiùs ſacrilegij loco haberent, ſiquis eis ex diuinis munuſculis ſubueniret? Equidem non puto id ingratum eſſe Deo, de ſuo miniſterio redemptionem parari, qui ſeipſum pro nobis omnibus redimendis dedit. Sic ille. Nos verò videmus quoſdam laudare *in ſancto viro quod ita fecerit, nec tamen vllo pacto velle imitari: An non in vitro habetur Chriſti ſanguis? an non in ligno ſuſpenſum fuit eius ſacratiſſimum corpus noſtræ ſalutis cauſâ?* Quaſi diceret hic Auctor, qui factum ſancti Cæſarij ex charitate profectum pio animo defendit, etſi vaſa aurea argenteáve diſtraxerit Beatus Cæſarius, vt extremæ pauperum inopiæ ſubueniret, vt captiuos redimeret, vt animas à patenti perditionis periculo liberaret, non tamen venditis pretioſis calicibus & patenis cultum Chriſti corporis & ſanguinis neglexit. Repoſuit enim in vitro quod antea gerebatur in auro vel argento. Atqui vitrum etſi non ita pretioſum, non minùs tamen nitidum, purum, ac mundum eſt: fuit corpus Chriſti ſuſpenſum in ligno, quæ igitur indecentia, ſi in vitro collocetur, præſertim vbi legitima neceſſitas cogit, auri loco vel argenti, vitrum adhibere? Ita ſanè ratiocinatur Cyprianus, ex cuius dictis rectè intellectis perſpicuum fit, vſum quidem S. Cæſarium vitro in miniſterio altaris, ſed aureis iam & argenteis diuenditis calicibus & patenis, thuribuliſque, vt extremæ miſeriæ fidelium opitularetur. Vnde etiam elici poteſt tantum abeſſe à vero, vt conficiendi Chriſti corporis & ſanguinis in vitreis calicibus mos antiquus fuerit; quin potiùs ex argento & auro ſacra fuiſſe paſſim vaſa conflata: nec vitrea vſurpata, niſi illorum defectu. Factum verò S. Cæſarij etſi laudabile, ab iis tamen ipſis Epiſcopis & Clericis, à quibus laudabatur, potiùs laudandum, quàm imitandum exiſtimatum eſſe, vt pote nouum & inſolitum, quódque tametſi charitati erga pauperes eximiæ tribuendum (vt hinc certè profectum erat:) attamen non vſquequaque anteferendum pietati, qua honorificentiùs tractando Chriſti Domini adorando corpori ſanguinique pretioſa ex auro & argento vaſa iam olim recepto vbique vſu, Eccleſia conſecrauerat. *

* Huc referri poteſt ſatis ad rem, c. 22. Cócil. Rhemenſis tempore Theodori Papæ, & Dagoberti II. Regis Francor. ann. 645. *Si quis Epiſcopus, excepto ſi exegerit ardua neceſſitas pro redemptione captiuorum: miniſteria ſacra frangere pro qualicumque conditione præſumpſerit, ab officio ceſſabit Eccleſiæ.* Vbi frangere non ad vitrum refertur; quæ enim ex hoc cófractu vtilitas, vt inde impendi pretium potuerit in redéptionem captiuorum?

Verùm hîc opponi poteſt Cardinalis Baronij ſententia, in nota-

tionibus ad 7. Idus Auguſti. A temporibus Apoſtolorum (inquit) vitreus calix in vſu fuiſſe videtur; vnde Marcus hæreſiarcha illis temporibus proximus, & ipſe æmulatus Catholicam Eccleſiam, vtens calice vitreo in ſuis ſacris, impoſtura quadam per magicam artem exhibita, populum dementabat, dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibuſdam præſtigiis mutabatur in rubrum, adeo vt vinum conuerſum in ſanguinem videretur. De his Epiphanius in Panario, hæreſi 34. Et ego iam olim equidem has Marci hæreſiarchæ præſtigias & impoſturas in Hiſtoria Chronologica Euchariſtiæ obſeruâſſe memini, part. 1. qua Genealogiam hæreticorum Sacramentariorum deſcripſi hæretico XI. ſub annum ſalutis 152. ſed miror vnde Baronius acceperit illum impoſtorem æmulatum fuiſſe Catholicam Eccleſiam vtendo in ſuis ſacris vitreo calice; Epiphanius enim quem deſignat teſtem, neque huius moris Eccleſiæ Catholicæ, neque Marci hac in re æmulationis vel minimam mentionem facit; quam etiam alto ſilentio præterit S. Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſes, c. 9. vbi prolixè de huius Marci impiis dogmatibus, malíſque artibus diſſerit, at de ipſis eius calicibus præſtigioſis, etſi diſertè meminit, vitreos tamen fuiſſe neutiquam inſinuat. Vbi eſt igitur mos ille Eccleſiæ de calicibus vitreis, quem à temporibus Apoſtolorum viguiſſe ait Baronius; & vnde quæſo elicit quod ibidem ſubiungit, in hoc vſu Marcum ipſam Eccleſiam Catholicam fuiſſe æmulatum? De hac enim æmulatione, ipſóque vſu Catholico ne minimũ quidem veſtigium extat apud citatos Patres.

Apud Gratianum de Conſec. diſt. 1. Can. *Vt calix*, qui ſignatur deſumptus ex can. 6. Concil. Rhemenſis, expreſſè ſtatuitur, vt nullus in ligneo vel vitreo calice Miſſam cantare præſumat. At ſi calicis vitrei vſus à Zepherino Papa inſtitutus fuerat, vel vt cenſuit Baronius, ab Apoſtolorum temporibus fuit in vſu Eccleſiæ Catholicæ: quomodo prouincialis ſynodus abrogare præſumpſiſſet vel decretum Zepherini Papæ & Martyris *, vel vſum ab Apoſtolorum ætate receptum, & qui vniuerſæ tamdiu placuiſſet Eccleſiæ? Longè igitur probabilius eſt fuiſſe hunc morem particularem, nec vnquam ab Apoſtolis deriuatum, aut à Zepherino inſtitutum, aut ab Eccleſia Catholica approbatum tanta obſeruatione, ſed dumtaxat toleratum in quibuſdam locis ex nimia rerum penuria, quam excitauerat vel perſecutionum atrocitas, vel Barbarorum incurſio, vel alia quæuis occaſio publicæ vel priuatæ calamitatis *.

* Paſſus eſt die 26. Auguſti.

* Vide homil. Leonis IV. Papæ tom. 21. Cõcil. p. 570. vbi mentio fit plũbei calicis.

In cauſa tamen fuit priuatus ille localíſque vſus vitreorum calicum, vt chryſtallinis qui longè nitidiores, pulchriores, pretioſiores erant, locus fieret. De his enim apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Martyrum, c. 46. hiſtoria relatu digna legitur hac ad verbum ſerie: *Eſt enim apud eandem vrbem* (Mediolanenſem ſcilicet) *baſilica S. Laurentij Leuitæ, cuius ſuprà meminimus, ibíque admirabili pulchritudine calix chryſtallinus habebatur, Acta verò quadam ſolennitate dum per Diaconum ad ſanctum altare offerretur, elapſus manu in terram ruit, & in fruſta comminutus eſt; At Diaconus pallidus & exſanguis collecta diligenter fragmenta*

vaſculi ſuper altare poſuit, non diffiſus quod eum poſſit virtus Martyris ſolidare. Denique in vigiliis, lacrymis, atque oratione, deducta nocte, requiſitum calicem reperit ſuper altare ſolidatum. Quæ virtus cùm populis nunciata fuiſſet, tanta animos deuotione ſuccendit, vt à Sacerdote peterent noua in honore eius Deo ſolennia celebrari. Tunc Pontifex loci, ſuſpenſo ſuper altare calice, ex tunc agens & impoſterum per ſingulos annos deuotiſſimè feſta inſtituit celebrari. Hactenùs Gregorius Turonenſis.

CAPVT V.

Num lignei Calices, vſu fuerint ab Eccleſia pridem recepti? vbi obiter etiam de corneis.

APOPHTHEGMA celebre hoc circumfertur S. Bonifacij Epiſcopi Moguntini & Martyris, *quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc econtrà lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Quæ ſententia cum laude recitata eſt in Concilio Triburienſi, habito ſub Formoſo Papa, anno 895. can. 18. hoc tenore: *Vaſa in quibus ſacro-ſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt & patenæ. De quibus Bonifacius Martyr & Epiſcopus interrogatus ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit, Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur; nunc contrà, lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zephirinus* XVI. *Romanus Epiſcopus, patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit. Tum deinde Vrbanus* XVIII. *Papa, omnia miniſteria ſacrata fecit argentea: in hoc enim ſicut & in cæteris cultibus magis & magis per incrementa temporum, decus ſuccreuit Eccleſiarum. Noſtris enim diebus qui ſerui patris-familias ſumus, ne decus matris Eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur: Statuimus vt deinceps nullus Sacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti Domini noſtri in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumat, ne vnde placari debet, inde iraſcatur Deus.* Qui canon celebris in commune ius Eccleſiæ relatus eſt integra ſerie, de conſec. diſt. 1. Can. *Vaſa.*

Nouatores paſſim hunc S. Bonifacij effatum contra Catholicos Sacerdotes iactare ſolent, ſed quàm ineptè. Aiunt, diſplicuit huic Sancto Romana pompa in Sacramentis, ſciebat enim quòd ab initio non fuit ſic, ſed quòd in ligneis tantùm calicibus Chriſtiana ſimplicitas diuina myſteria celebraret. ipſum meritò dolebat, ſenſim ſic abuſu effectum, vt neſcio quo ſplendoris ambitu, aurum & argentum ſacris miniſteriis adhiberetur; hîc igitur cum ethnico Poëta inclamitant,

Dicite Pontifices! In ſanctis quid facit aurum?

Ineptè profectò & longè prorſus à mente ſancti Bonifacij Pontificis & martyris glorioſi; is enim ſuo apophthegmate non negat bonum eſſe diuinóque honori ac venerationi magis conſentaneum, ſacro-ſancta Chriſti myſteria, vaſis quàm auguſtiſſimis peragi, ſed primò quidem de ſeipſo, ſuíque deinde ſimilibus, quibus aurei iam ſuppeditabant

calices loquitur, quaſi ad primos naſcentis Eccleſiæ Sacerdotes (qui per ſummam temporis tyrannidem, pretioſi habere nihil ferè poterant) tam ipſe quàm alij comparati eſſent lignei. Vetus eſt querela, præſentia tempora, præteritorum comparatione culpare. Sic quondam Ouidius lib. 1. Metamorph.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege fidem rectúmque colebat:
Pœna metúſque aberant, nec vincla minacia collo
Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſed erant ſine iudice tuti.
Non galeæ, non enſis erat.

Sed breuiùs, at nitidiùs Boëtius, de Conſol. lib. 2. met. 5.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus aruis,
Facili quæ ſera ſolebat
Ieiunia ſoluere glande.

Quo ſenſu Trithemius vſus eſt in Chronico Hirſaugienſi cùm ſcripſit: *Veteres olim monachi cellas quidem, Eccleſias, & alias manſiones habebant tenebroſas; ſed eorum corda erant valdè lucida in amore Dei omnipotentis & in ſcientia diuinarum ſcripturarum: noſtri autem Eccleſias, cellas, domóſque & omnes manſiones iam lucidiſſimas fabricant, ſed corda eorum vitiis & deſidia plena, tenebroſa ſunt: Quoniam nec Deum ſicut debuerant, diligunt, nec lectionibus ſcripturarum animum intendunt. Ita quoque cùm calices eſſent cuprei, Sacerdotes aurei fuerunt: Hodie calices ſunt aurei, & cuprei Sacerdotes.* Planè ad eum modum dixit olim S. Bonifacius; *Sacerdotes aurei quondam ligneis calicibus vtebantur: nunc contrà lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Nihil aliud inſinuans eiuſmodi verbis, quàm comparatione priſcæ ætatis Sacerdotum, qui aurei planè erant moribus & doctrina; præſentis temporis ligneos eſſe, præ inſcitia & indignitate.

Sed inſuper hoc pronunciato vniuerſè totum ordinem Sacerdotalem admonebat: Enitatur potiùs aureos ad ſacro-ſanctum Dei altare mentes ac mores, quàm patenas, calicéſque aureas afferre, iuxtà
1. Reg. 16. 7. hoc diuinum oraculum, *homo videt ea quæ parent, Deus autem cor intuetur.* Nam alioquin nullum tempus ſignari poteſt * quo receptus fuerit in Eccleſia vſus calicum ligneorum, vt dici verè & propriè poſſit ſ * NOTA.
paſſim Sacerdotes pridem in calicibus ligneis poculum ſalutis conſecrâſſe. Quin ex dicendis ſequenti capite facilè conſtabit, aureos argenteóſve calices in Eccleſia Catholica, etiam ſub perſecutionum ethnicarum procellis, diuinis in myſteriis frequentatos eſſe. Quamobrem cùm alicubi, vel ex rerum penuria, vel paſtorum incuria, intruſi fuiſſent calices lignei vel vitrei: meritò tandem prohibiti ſunt, vt qui Sacramentorum dignitati & primitiuæ praxi Eccleſiæ vniuerſalis omnino derogarent, nonnihílque detraherent diuinis myſteriis reuerentiæ, prætereáque nauſeam & faſtidium mouerent accedentibus ad ſacram ſynaxim. hinc can. Vaſa. de Conſ. diſt. 1. *Ne decus matris Eccleſiæ imminuatur, ſed magis cumuletur & amplificetur, ſtatuimus, vt deinceps*

nullus Sacerdos ſacrum myſterium corporis & ſanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis conficere præſumat, ne vnde placari debet, iraſcatur Deus. Et Can. Vt calix. eadem diſt. *De ære aut auricbalco non fiat calix, quia ob vini virtutem, æruginem parit, quæ vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præſumat Miſſam cantare.* Ibi Gloſ. in ligneo: *quia lignum poroſum eſt.* Et Gloſ. *vitreo: quia vitrum fragile eſt, & immineret periculum effuſionis.*

Vetitus etiam fuit Calicis cornei vſus in veteri Concilio Calchutenſi in Anglia ſub Hadriano I. Pontifice, Gregorio Epiſcopo Oſtienſi, & Theophilacto Tudertino, eius Legatis præſidentibus anno 787. vt conſtat ex eiuſdem ſynodi capitulo x. vbi Patres, *Vetamus* (inquiunt) *etiam ne de cornu bouis, calix aut patena fieret ad ſacrificandum &c.* *Tom. 18. magnor. Concil. p. 231.*

CAPVT VI.

Aureos & argenteos calices vſitatos in Eccleſia primitiua, etiam furente aduerſus fideles ethnica ſuperſtitione; Poſtmodùm verò conſtanti ritu fuiſſe aureos, argenteos, vel ſaltem ſtanneos, abrogatis quibuſcumque ligneis, vitreis, cupreis &c.

CALICEM, quo ſanguinis ſui Sacramentum venerabile Dominus vltima in cœna dedicauit, fuiſſe argenteum ſuprà iuxta Bedam Venerabilem oſtendimus. Nec mirum, cùm Chriſtus ipſe Dominus ad nouum paſcha celebrandum, quo ſuis ſeipſum manibus incruenta oblatione immolaret, alium locum non delegerit quàm *cœnaculum grande ſtratum*, ad myſterij tanti ſcilicet commendandam dignitatem, quod ibi initiaturus erat.

Parum igitur exempli huius Dominici memor fuit Honorius Auguſtodunenſis, qui lib. 1. de antiq. Miſſ. ritu c. 89. ſcribere non dubitauit *Apoſtolos in ligneis calicibus Miſſas celebraſſe*: nihil enim magis abſurdum quàm opinari Apoſtolos ab exemplo Domini qui in calice argenteo celebrauit, ita ſua ſponte deſciuiſſe, vt vilis adeò materiæ ac ligneæ vſum in myſterio adhiberent, quod Chriſtus ipſe in pretioſo vaſe (calice ſcilicet argenteo) inſtituerat. Laminam auream in fronte, coronæ Sacerdotalis loco geſtâſſe ſanctos Apoſtolos Iacobum & Ioannem in libro noſtro *de mitræ antiquitate* c. 3. ex peremptoriis teſtimoniis, Polycratis Epheſiorum Epiſcopi apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccleſ. c. 23. & ſancti Epiphanij hæreſ. 78. necnon Clementis Alexandrini, cuius & Euſebij auctoritate nititur hæreſ. 29 demonſtrauimus. At quis credat diuinos hos homines ſanguinem Domini in vaſe ligneo conſecrâſſe, qui coronas in fronte aureas ad ſui Sacerdotij indicium, pariter & monimentum ſacrificij, à ſe perferendas cenſuerunt?

Certè S. Ambroſius lib. 2. offic. c. 21. diſertè meminit calicum aureorum Eccleſiæ veterum, & nouorum etiam initiatorum, id eſt

conſecratorum. Et reuera ſæuiente aduerſus veræ pietatis cultores impiorum tyrannide, fuiſſe in Eccleſiæ myſteriis vſitatos pretioſos calices, cæteráque diuini miniſterij adminicula; Prudentius, Homerus Eccleſiæ, qui Martyrum agones in ſuo de coronis libro celebrauit, euidenter ex ipſorum monimentis actorum denunciat, hymno de S. Laurentio, vbi ita effatur ex perſona ethnici iudicis B. ipſum Laurentium ſic alloquentis.

Hunc eſſe veſtris orgiis
Moréimque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis
Libent vt auro antiſtites.
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem;
Auróque nocturnis ſacris,
Aſtare fixos cereos.

Vbi cùm de more loquitur, palam eſt vſum non recentem ſubindicare. Conſuetudo enim eſt vſus cum iure; ſine quo vſus non tam eſt quàm abuſus. Porro conſuetudo ſecundùm Iuriſperitos dari nequit, niſi ſit ipſa & longæua & rationabilis. Cudendorum calicum pretioſorum conſuetudo pro diuinorum myſteriorum honorificentia, ipſa ratio naturalis perſuadet, qua Deum ſuper omnia colere, & meliori modo, déque meliori bono quo poſſumus, iure quocumque obſtringimur. Reſtat igitur vt longæua ſit, nam quod nouum, id & conſuetum, abſque implicant iadici nequit. Proinde ſi tempore S. Laurentij qui ſub Sixto Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus, diſpenſauit calicem Domini, habendorum aureorum calicum, cæterorúmque adminiculorum diuinæ ſynaxis, mos iam inolitus erat, diu antè profectò cœperat. Ex quo fit conſectaneum ſub ipſis perſecutionum turbinibus pretioſa vaſa Eccleſiam habuiſſe, maximè verò calices quibus Chriſti ſacrificium maiori decoro celebraretur. Ardenter inhiabant huic prædæ Eccleſiæ perſecutores, vt ex Actis Martyrij ipſius S. Laurentij conſtat. Refert S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium Donatiſtam, c. 29. acta publica, quibus Syluanus partis Donati Epiſcopus Cortenſis, cum aliis pleriſque in Diocletiani perſecutione non tantùm ſacros codices, ſed & calices & cætera vaſa miniſterij diuini tradidiſſe impiis exactoribus conuincebatur: *Et legit Nundinius exceptor, Diocletiano octies & Maximiano ſepties Coſſ. quartodecimo Kalend. Iunij ex actis Munacij Felicis flaminis, perpetui curatoris caterue Cortenſis, cùm ventum eſſet ad domum in qua Chriſtiani conueniebant, Felix flamen, perpetuus curator Paulo Epiſcopo dixit, Proferte ſcripturas legis, & ſiquid aliud hic habetis, vt & præcepto & iuſſioni parere poßitis: Paulus Epiſcopus dicit, Scripturas Lectores habent &c. Sedente Paulo Epiſcopo & Montano & Victore de Caſtello, & Catullino & Syluano &c. contra ſcribente Victore, Aufidij in breue ſic: Calices duo aurei, item Calices ſex argentei &c. Et poſteaquam apertum eſt, in Bibliotheca inuenta ſunt ibi armaria inania, ibi protulit Syluanus capitulatam argenteam, & lucernam argenteam, quod diceret ſe poſt aram inueniſſe eas: Victor Aufidij*

Syluano dixit, mortuus fuerat, ſi non illas inueniſſes.

Cæterùm ſi perſecutionum tempore, calices erant aurei & argentei in Eccleſia: facile eſt inde colligere, ſedatis harum tempeſtatum turbinibus, Solis Euangelij iam vbique ſine nebula coruſcante ſplendore, triumphante toto orbe Eccleſia, diuini cultus fuiſſe decus, non minutum, at longè auctum: proinde ſupellectilem ſacram maiori decoro fuiſſe nitentem; cuprei inde calices prohibiti, lignei, vitrei; at verò aurei & argentei tantùm ſacro in miniſterio probati: ſtannei vix tolerati, vbi deerat pretioſi metalli copia, quemadmodum videre eſt in ſacrorum canonum codicibus, geſtiſque & decretis ſummorum Pontificum, quæ quoniam hîc minutim retexere faſtidioſum foret, itidémque ſuperuacaneum, eiuſmodi ab inductione ideo ſuperſedemus, cùm iam regula ſit in Eccleſia celebris & vbique recepta, quæ in ipſo ritu celebrandi miſſam, art. 1. præſcribitur, *Calix debet eſſe, vel aureus vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, ſi fieri poteſt, & ſimul cum patena ab Epiſcopo conſecratus.* (ſtanneus in neceſſitate tantùm toleratur) Quæ regula quàm rigidè iam olim vindicata fuerit, ex Capitulis patet Hincmari Rhemenſis, *quibus de rebus Magiſtri & Decani per Eccleſias,* (Preſbyteros) *inquirere & Epiſcopo renunciare debeant:* art. 8. iubentur ſpeciatim inquirere, *quo ex metallo ſit calix & patena; aut qua diligentia cuſtodiantur: aut ſi habent pixidem vbi congruè poſſit recondi ſacra oblatio reſeruanda ad viaticum infirmis.* Sed & in regulis ab Innocentio IV. præſcriptis in controuerſia orta inter Archiepiſcopum Nicoſienſem Latinum, ex vna parte, & Epiſcopos Græcos regni Cypri, ex altera: art. 13. ita decernitur, *Cæterum vnuſquiſque Sacerdos in aureo vel argenteo ſolùm, aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis velamentis opertum.*

Tom. 22. Conc. p. 512.

Tom. 20. Conc. p. 405.

CAPVT VII.

Gemmatos fuiſſe dudum quoſdam Calices.

PHRASIS eſt apud Anaſtaſium peruia, *Calices in gemmis,* ſeu gemmei, nam erant non ſolùm aurei, ſed gemmis etiam micantes. In Ioanne I. *Huius temporibus Iuſtinus Imperator obtulit patenam auream cum gemmis penſantem libras 20. calicem aureum cum gemmis penſantem libras 5.* In Gregorio III. anno 731. *patenam & calicem aureum paratum in gemmis.* Et infrà. *Et calicem cum gemmis penſantem lib. 34.* Et in Leone III. *patenam auream maiorem cum gemmis & anſis duabus: & calicem maiorem cum gemmis & anſis duabus penſantem lib. 36.* Et in Stephano V. *Fecit calicem de auro cum gemmis, & patenam de argento deſuper deauratam.*

Neque verò Romæ ſolùm fulſerunt pretioſi lapides in calicibus aureis. Sanè menſe Iunio nuper elapſo *, cùm eſſem apud Kalam, an-

* anno ſcilicet 1651.


CALIX
S. ELIGII

CAPVT VIII.

Calices pretioſos iam olim Deo offerri conſueuiſſe, ad altaris celebrandum venerabile myſterium.

DE Conſtantino Magno refert liber Pontificalis Damaſo adſcriptus: *In baſilica Conſtantina fecit altaria ſeptem ex argento puriſſimo, penſans ſingulum libras 260. patenas aureas ſeptem penſantes ſingulas lib. 30. ſcyphos aureos ſeptem, qui penſant ſinguli lib. 10. Scyphum ſingularem ex metallo, quod corallo ornatum vndique de gemmis praſinis & hyacinthinis auro interclußum &c. calices minores ex auro puriſſimo quadraginta, penſantes ſingulos libras ſingulas. calices miniſteriales 50. penſantes ſinguli libras binas. Fecit baſilicam B. Petro Apoſtolo in templo Apollinis.* Et infrà, *Calices aureos tres cum gemmis praſinis & hyacinthinis, qui habent gemmas 45. penſantes ſinguli lib. 12. Metretas argenteas duas, penſantes lib. 200. Calices argenteos 20. penſantes ſing. lib. 10. Amas aureas duas, penſ. ſing. lib. 10. Amas argenteas 5. penſ. ſing. lib. 3. Patenam ex auro puriſſimo vnam cum turre & columba ornatam gemmis praſinis & hyacinthinis, quæ ſunt numero cum margaritis albis 215. penſ. lib. 30. patenas argenteas 5. penſ. ſing. lib. 15.*

In tractatu de Tranſlatione S. Sebaſtiani, & repoſitione apud Sueſſionenſe monaſterium facta à Ludouico Pio Imp. & Francorum Rege: cuius relationis monachus anonymus Sueſſionenſis auctor fuit: quem libellum typis cudendum curauit non ita diu Petrus Chifflетius Societ. Ieſu, ex veteri manuſcripto Codice Veſuntionenſi, ſic legitur c. 19. (cuius hæc inſcriptio eſt, *Ludouici Pij & coniugis erga S. Sebaſtianum pietas.*) *Igitur aulam tantæ ſublimitati prouiſam introgreßi, Imperialia & ea quæ tunc cultiora fuere ornamenta reſumpſit, & diademate comptus Miſſarum ſolennia Cæſar conſiſtorium ſcandens, in honore Martyris fecit decantari; Qui cùm ad Euangelium ventum eſt, calicem aureum cum patena, patris ſui magni Caroli monogrammata inſignita, manibus propriis interlegendum, ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione ſacranda, eidem dedicauit, &c. Textum deinceps ſacrorum Euangeliorum aureis characteribus exaratum, laminiſque metalli eiuſdem abſque admixtione cuiuſdam materiei incluſum, thymiamateriúmque quadraginta & octo ſiclorum eiuſdem ſpeciei, & vaſtam olei amphoram ad luminaria concinnanda, mente promptiſſima obtulit.*

In actis S. Farij Confeſſoris quieſcentis Cremonæ, à Ferrario editis, de calice quem fecerat (aurifaber erat enim vir ille ſanctus) & pro munere dederat Eccleſiæ Cathedrali, hæc habentur: *Opera quædam ex argento quæ adhuc monſtrantur, Eccleſiæ Cathedrali dono dedit, in quibus calix eſt, qui rebus pretioſioribus ab igne in ſacrario accenſo conſumptis diuinitùs ſeruatus eſt, & quod magis mirandum in Eccleſia ad altare B. Mariæ Virginis repertus fuit incolumis.* Hæc ibi. Colitur die 18. Ianuarij.

Sed mihi hîc excidere ferè oſcitanter paſſus fueram illuſtre pietatis S. Remigij Archiepiſcopi Rhemenſis, Francorúmque Apoſtoli, de

Cc

conſimili dono monimentum. Memoriæ id prodidit Hincmarus & ipſe Rhemenſis Antiſtes, in vita eius quam conſcripſit, c. 5. *Meritò*, inquit, *igitur eum Remedium fuiſſe nominatum in baptiſmate crederemus, niſi emendatioribus geſtis illum oraculo diuino per S. Montanum Remigium vocari debere cognoſceremus.* Sed & in verſibus metricis ab ipſo compoſitis, & iuſſione illius in quodam vaſe ab eo conſecrato ſculptis, ita legimus,

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus;
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

Quod vas (ſubiungit Hincmarus, & ex eo verbatim Flodoardus lib. 1. hiſt. Eccleſ. Rhemenſis c. 10.) *vſque ad noſtra tempora perdurauit, donec fuſum in redemptionem datum eſt Chriſtianorum, vt à miniſtris diaboli Normanis redimeret precium argentei calicis, quos de poteſtate tenebrarum redemerat effuſus ſanguis calicis, Chriſti videlicet paſſionis.*

In teſtamento ſancti ipſius Remigij quod refert idem Flodoardus c. 18. Rhemenſi Eccleſiæ legat ſanctus ipſe Pontifex calicem conflandum ex vaſe aureo quod ipſi Clodoueus Rex donauerat: *Illud quoque vas aureum*, inquit, *decem librarum, quod mihi ſæpe nominandus dominus, illuſtríſque memoriæ Ludouicus Rex, quem vt prædixi de ſacro fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, vt de eo facerem, quod ipſe voluiſſem, tibi hæredi Eccleſiæ meæ ſuprà memoratæ, iubeo turriculum* (id eſt ciborium forma turriculata effectum) *& imaginatum calicem* (ſcilicet fuſis imaginibus inſignem) *fabricari, & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipſe dictaui, in hoc quoque conſcribi volo. Quod faciam per me ſi habuero ſpatium vitæ, ſi autem clauſero vltimum diem, tu fili fratris mei Lupe Epiſcope, ſpecies antè dictas, tui ordinis memor efficies.*

CAPVT IX.

Calices recenſeri inter præcipua Eccleſiarum ornamenta & religiosè ſeruari, atque pro ſacra pompa ad altare maius appendi & oſtentari in ſolennioribus Feſtis.

A Chriſto magnum pietatis Sacramentum dedicante, calicem nos accepiſſe notum, teſtatúmque omnibus eſt. *Inde mos inoleuit*, ait Paſchaſius lib. de corpore & ſanguine Domini c. 10. *quod ſanguis Chriſti nunquam in Catino, nunquam in cratera vel alio vaſe, quàm in calice conſecratur.* In Eccleſiis erat ideo ſacrorum vaſorum cuſtos, ſiue Cimeliarcha, vt patet ex geſtis S. Laurentij, & B. Euthymij Abbatis, politiæque Eccleſiaſticæ monimentis. At inter vaſa calices & patenæ potiori honore ac obſeruantia habebantur: vt enim ait vetus Concilium Triburienſe: *Vaſa quibus ſacra conficiuntur myſteria calices ſunt & patenæ*, can. 18. de quibus ideo Damaſus & Anaſtaſius in

Pontificali libro frequentem recenſionem faciunt, donaria enumerantes quæ à Pontificibus vel principibus fuerunt ſacris locis collata. Conſtat ex S. Auguſtino lib. 3. contra Creſconium Grammaticum, c. 29. ipſo perſecutionum tempore fuiſſe calices inter Eccleſiæ pretioſa vaſa in indiculum relatos: ex Nicephoro autem fuiſſe ædiculam in Eccleſia, in qua calices cum cæteris vaſis ſacris aſſeruabantur; narrat enim lib. 13. c. 21. quod S. Ioanne Chryſoſtomo in exilium relegato, diuina vindicta templum Conſtantinopoli concrematum fuerit, excepta illa ædicula, in qua ipſa diuini miniſterij adminicula aſſeruabantur. Extat apud Caſſiodorum, epiſtola 20. lib. 12. de ſacris vaſis pignori datis reſtituendis, quæ reddi iuſſiſſe etiam Alaricus Rex Arianus, in deprædatione vrbis, cum laude memoratur; illícque nota dignum quod Rex Theodoricus vaſa ipſa, ſeu vt ait, *miniſteria*, *Leuitarum* (inquit) *tractanda manibus*, *toto orbe adoranda eſſe*. Illuſtre eiuſmodi pietatis exemplum edidiſſe Clodoueum noſtrum Regem nondum ſacris Chriſtianis initiatum commemorat Gregorius Turonenſis, auctórque vetus vitæ MSS. S. Remigij Rhemorum ciuitatis Epiſcopi, quam edidit Quercetanus tom. 1. Scriptorum hiſtoriæ Francorum ſub ipſo Clodoueo Rege, ſic enim ibi legitur: *Tranſitum autem Rex faciens ſecus ciuitatem Rhemi, per viam, quæ vſque hodie propter Barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur, noluit in eandem ciuitatem introire, ne ab exercitu ſuo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem & conſcientia ipſius, pars quadam indiſciplinatorum, quoniam non erat poteſtas temporalis inhabitantium, quæ eis reſiſteret, eandem ciuitatem intrauit, & quædam ornamenta atque ſacra vaſa inde rapientes, vt prædones ſolent, aſportauerunt, inter quæ vrceum miræ magnitudinis atque pulchritudinis rapientes tulerunt: Sanctus autem Remigius miſſos ſuos ad Regem Chludouuicum direxit, deprecans vt ſi aliud de ſacris vaſis Eccleſiæ recipere non mereretur, vel illum vrceum miſſis ſuis reddere iuberet. Hæc audiens Rex, ait ad miſſos Eccleſiaſticos: Sequimini nos vſque Sueſſionis ciuitatem, quia ibi cuncta quæ acquiſita ſunt diuidenda erunt. Cúmque mihi vrceus ille in partem obuenerit, quæ Epiſcopus poſtulat, adimplebo. Veniens autem Sueſſionis ciuitatem, cunctam prædam quæ aſportata, vel acquiſita fuit, rogat afferri in medium. Cúmque omnia fuiſſent in præſentiam Regis allata, dixit:* Rogo vos, *ô fortiſſimi pugnatores, vt mihi dare iſtum vrceum non negetis. hoc Rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerant, aiunt, Omnia glorioſe Rex quæ cernis, tua ſunt, & nos tuo dominio ſumus ſubiecti, quod tibi bonum videtur, hoc fac: nullus enim tuæ poteſtati reſiſtere audet. Cùm hæc illi benignè dixiſſent, vnus Francus leuis cum vociſeratione, eleuata bipenna, quæ alio nomine appellatur franciſca, percuſſit vrceum illum, dicens, Tu nihil hinc accipies Rex, niſi quod tibi ſors vera donauerit. Obſtupefactis omnibus, rex iniuriam ſuam patienter ſufferens, acceptum vrceum nuncio Eccleſiaſtico reddidit, ſeruans iram in corde abſconditam. Tranſacto anno, Chludouuicus Rex vt omnium armorum nitorem videret, omnem exercitum iuſſit cum armorum apparatu venire ſecundùm morem in campum Martium, ſic enim conuentum illum vocabant à Marte, quem pagani Deum belli credebant, à quo & menſem Martium, & tertiam feriam diem Martis*

Vide de hoc Alarici pio facto, Oroſium lib. 7. hiſt. c. 39.

appellauerunt. Quem conuentum poſteriores Franci Mai campum, quando Reges ad bella ſolent procedere, vocari inſtituerunt. Verùm vbi Rex cunctum exercitum circuit, venit ad hominem illum qui vrceum præterito anno cum bipenna percuſſerat, & ait ad eum, Nullus hîc tam inculta & ſordida arma habet ſicut tu habes, quia neque clypeus, neque lancea, neque bipenna eſt vtilis? accepit autem Rex franciſcam eius, quæ vocatur bipenna, & proiecit in terram; cum autem ille ſe inclinaſſet eam recolligere, Rex ſtatim eleuata manu franciſcam ſuam in caput eius defixit, & ait: Sicut tu in Sueſſionis ciuitate ſuperiore anno in vrceo illo feciſti, ſic & facio tibi; mortuóque illo, exercitum Rex de ipſo campo iuſſit ad propria diſcedere. Grandis timor & pauor pro hac cauſa in Francorum populo conſurrexit.

Notandum hîc verò iam olim calices non ſolùm potiore habitos loco honoris, inter vaſa Eccleſiaſtica, ſed quoſdam non ita vſui fuiſſe datos ac ornatui. Sic in Leone IV. ſignat Anaſtaſius: *Fecit in baſilica B. Pauli Apoſtoli calices maiores fundatos ex argento puriſſimo ex ipſius Apoſtoli donis, qui pendent in arcu numero* 10. *& alios, qui pendent inter columnas maiores dextra leuáque* 40. *penſantes ſimul lib.* 267. Et in Paſchali I. *fecit calices maiores ex argento pendentes numero* 42. *qui omnes ſimul penſant lib.* 281. Et in Leone IV. obtulit etiam B. Petro *Apoſtolo calices de argento qui ſedent ſuper circuitu altaris numero* 16. *penſ. lib.* ... *Verum etiam calicem pendentilem cum catenulis & delphinis* (pro anſis ſcilicet) *penſ. lib.* ... Sacra iſta vaſa, aliáque cimelia feſtis diebus, vt idem ſcribit Anaſtaſius in Leone IV. *in circuitu altaris maioris dependebant.* Huiuſmodi calix ille erat de quo infrà dicit: *Huius* (Pontificis) *temporibus Michael filius Theophili Conſtantinopolitanæ Vrbis Imperator, ob amorem Apoſtolorum, miſit ad B. Petrum Apoſtolum &c. per manum Lazari monachi &c. Euangelium de auro puriſſimo cum lapidibus pretioſis. Calicem verò ſimiliter de auro & lapidibus circumdatum, reticulo pendente, de gemmis albis pretioſis* (id eſt vnionibus ſeu margaritis) *miræ pulchritudinis decoratum, & parua coopertoria ipſius Calicis, ſicut mos Græcorum eſt.*

CAPVT X.

Sacro ritu conſecratos Calices, non poſſe ſine ſacrilegij piaculo temerari. Plexóſque non ſemel vltione diuina eorumdem, & cæterorum vaſorum ſacrorum violatores.

ARTICVLVS I.

De calicis Euchariſtiæ conſecrandæ dedicandi, propria conſecratione, à ſolò Epiſcopo facienda, ordinario iure: extraordinario autem à ſimplici Sacerdote, Papæ auctoritate ſuffulto.

PLERAQVE *inſtrumenta, & vaſa ex auro & argento habemus* (inquit ſanctus Auguſtinus in Pſal. 113.) *in vſum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur.* Idem docet S. Hieronymus in quadam Epiſtola ad Theophilum: *Diſcant*, inquit, *qui ignorant calices ſacros & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent paſſionis, non quaſi inania & ſenſu carentia ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini.* Quibus locis duo iſti Patres cenſuiſſe videntur in calicibus & cæteris vaſibus Eccleſiæ ſacrandis non opus eſſe benedictione ſpeciali, ſufficere enim contactum pretioſi corporis & ſanguinis Domini, quo ſanctificantur. Sed iſti Patres hoc non dicunt, at dumtaxat docent etiam ſi calices ſolenni ritu non benedicerentur, tamen ex ipſo contactu corporis & ſanguinis Domini vim ſanctificationis contracturos.*

* Iam enim tempore S. Ambr. cuius ſynchroni ipſimet SS. Hieronymus & Auguſtinus extitetût, ſolebât calices conſecrari. Vnde ipſe diſtinctioné adhibet inter initiatos & non dedicatos, lib. 2. off. cap. 28. *Opus eſt*, inquit, *vt de Eccleſia myſtici peculi forma non exeat, ne ad vſus nefarios, ſacri calicis miniſteriũ transferatur. ideo intra Eccleſiam primò (inſtante graui neceſſitate) quæſita ſunt vaſa quæ initiata non eſſent, deinde comminuta, poſtremò conflata per multas erogationes diſpenſata egentibus, captiuorum quoque pretiis profecerunt. Quòd ſi deſunt noua & quæ neque initiata videantur, in eiuſmodi vſus quos ſuprà diximus, arbitror omnia piè poſſe conuerti.* ſcilicet vrgente calamitate publica.

Tametſi verò in Pontificio Iure nullus canon à me repertus ſit, vel decretum ſignatum, quo facultas conſecrandi calicem ſoli Epiſcopo, eíque diœceſano, vel alteri de eius tamen conſenſu, reſeruata ſit: tamen mos antiquus Eccleſiæ ſufficit ad ius eiuſmodi confirmandum. Cui accedit præſcriptus in Pontificali, ritus conſecrationis calicis ab Epiſcopo faciendæ: cuius hæc eſt præliminaris rubrica, *Pontifex ad conſecrationem calicis, vel cuiuſlibet indumenti ſeu ornamenti Eccleſiaſtici, procedere volens, debet ſemper ſtolam circa collum habere & mitram tenere vbi conuenit &c.* Ex qua tamen elici poſſe videtur calicis conſecrationem benedictioni ornamentorum æquiparari. Proinde ſicut proprio quidem iure nequeunt meri Sacerdotes, id eſt Preſbyteri, benedicere veſtimenta Eccleſiaſtica, at ex commiſſione ſeu ſummi Pontificis, vel Epiſcopi permiſſu, id licitè & validè poſſunt. Ita prorſus accedente ipſius Papæ mandato, vel licentia Epiſcopi, à Preſbyteris poſſe calices conſecrari.

Cui opinioni fauere videntur Canoniſtæ nonnulli in Clement. *Attendentes de ſtatu regularium.* § *Statuimus.* Vbi ſentiunt non quidem iure ſed conſuetudine, Abbates ſaltem & Priores, qui vtuntur inſignibus Epiſcopalibus, & iuriſdictionem Epiſcopalem obtinent, calices poſſe

conſecrare, ſaltem accedéte indulto ſummi Pontificis. Contra quos alij docent etiam hoc modo, id fieri non poſſe: diſtinguendum enim inter ea quæ ordinis Epiſcopalis ſunt, & quæ ſunt iuriſdictionis: poſſe enim ea quæ ſpectant iuriſdictionem Epiſcopalem, Pontificio priuilegio acquiri; verùm quæ ſunt ordinis munera non poſſe vllo modo aliis competere, nec poſſe vlla præſcriptione, vel conſuetudine comparari. Quæ ratio ſi valeat, inde quoque ſequitur non poſſe ſimplicem Sacerdotem, quamuis ſit Abbas infulatus, etiam de mandato ſummi Pontificis Sacramentum Confirmationis abſente Epiſcopo conferre, quin nec promouere quempiam ad vllos ordines: iſta promotio etenim actus eſt ordinis Epiſcopalis, non meræ iuriſdictionis. Verùm quàm hæc opinio deſultet à præcipuorum Theologorum placitis, ſuperfluum eſt hoc loco demonſtrare, longéque rationi magis conſentaneum eſt admittere, poſſe ſimplicem Sacerdotem indulto Apoſtolico ſuffultum, calices conſecrare, quàm id inficiari: ſiquidem aliàs ſequeretur errare Pontificem qui indultum eiuſmodi, vel mandatum conceſſiſſet. quod nullatenùs dici debet: aliàs Abbates, qui Tonſuram conferunt vel quatuor minores, etiámque Subdiaconatum ex priuilegio Apoſtolico, illuderent à ſe promotis: híque de gradu ſuo periclitarentur, & iniuriam Eccleſia grauem ex hoc abuſu pateretur; quæ omnia conſectanea, quàm abſurda ſint non cæcis facilè patet.

Audiui quondam inſignem Theologum diſcrimen notabile, planéque diſcretiuum vt aiebat, aſſignantem inter benedictiones quæ ſunt ordinis Epiſcopalis, ſimplicíque, vt aiunt, Sacerdoti competere nequeunt: & illas benedictiones quas iure ſuo eiuſmodi Sacerdos conficere poteſt, vel ſaltem ex Papæ aut Epiſcopi licentia. Dicebat igitur, quotieſcumque in benedictione Chriſmate opus eſt, officium eſſe antiſtitis hanc efficere: nec poſſe merum Sacerdotem iure ſuo ſaltem eiuſmodi benedictionem peragere. At vbi non ingreditur chriſma, poſſe Preſbyterum etiam non Parœcum, quamcumque benedictionem exequi, ideóque vnctionem recipere in manibus cùm ordinatur; ſic Epiſcopo deprecante: *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine, manus iſtas, per iſtam vnctionem & noſtram benedictionem, vt quæcumque benedixerint benedicantur, & quæcumque conſecrauerint conſecrentur & ſanctificentur, in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* Porrò ingreditur Chriſma in benedictionem calicis, ideóque actionem Epiſcopalis ordinis, at verò Sacerdotalis non eſſe. Sed ſi ita eſt, nec campanam poſſet benedicere ſimplex Sacerdos, quia & Chriſma in ea adhibetur, at praxis eſt Eccleſiæ communiter recepta, vt campanæ benedicantur à ſimplici Sacerdote: víxque inuitatur Epiſcopus ad eiuſmodi officium. Nec reſpondere iuuat Preſbyterum non iure ſuo benedictionem campanæ inire, ſed Epiſcopi iuſſu vel permiſſu. Tum enim reponere licet, igitur accedente Epiſcopi auctoritate poterit Sacerdos benedicere calicem, quamuis chriſma in eiuſmodi conſecratione applicetur.

Vt quid ſentio, ingenuè aperiam, certè axioma illud, quod

Epiſcopi ſpeciale mandatum intercedere debet, in quacumque benedictione chriſma à Sacerdote adhibetur, mihi verum non videtur. Nam linit infantem vel adultum quemuis ſacro chriſmate in baptiſmo ſimplex Sacerdos, iure vniuerſa in Eccleſia communi, & vbique ſtabili, ſine vlla Epiſcopi licentia; quin ſolenni ritu dum in vigilia Paſchæ Sacerdos aquam benedicit, infundit ſacrum chriſma cum oleo ſancto in fontem, ſuo ex officio in Miſſali præſcripto, abſque vllo ſpeciali indulto Epiſcopi vel Papæ. Ratio igitur cur iure communi Sacerdos ſimplex non conſecrat calicem, ea non eſt quòd chriſmate opus ſit in conſecratione eiuſmodi; nec quòd munus iſtud ſit actus proprius ordinis Epiſcopalis, nec quòd canones Eccleſiaſtici hoc decreuerint Epiſcopo reſeruari: ſed quia ſic longæua conſuetudo obtinuit. Conſuetudo autem immota manere debet, quæ nec contra fidem Catholicam, nec contra bonos mores quicquam vſurpare dignoſcitur. Can. *Nos conſuetudinem diſt.* 12. Porro præſignata conſuetudo eſt eiuſmodi, nihil enim inducit contra fidem orthodoxam, neque bonos mores; ſed confert nonnihil ad commendationem dignitatis Epiſcopalis, cuius decus *eſt robur & ornamentum Eccleſiæ, maiorémque conciliat conſecratis calicibus reuerentiam ex dignitate agentis. Poteſt tamen generali huic conſuetudini auctoritate Romani Pontificis derogari: & proinde accedente Papæ mandato vel indulto ritè & validè calix à Preſbytero benedici. Exemplum habemus huius conceſſionis in Gallia ſpectabile: Innocentius ſiquidem IV. conceſſit Amedeo, Abbati S. Stephani Diuionenſis, facultatem conſecrandi calices & benedicendi corporalia, pallas & veſtes Sacerdotales, diplomate dato Lugduni, Pontif. anno 8. 6. Idus Martij: Sed in ipſo tantùm monaſterio, & dummodò Epiſcopi ei manus impoſita fuerit. Quod etiam ſucceſſoribus liceat. Quo munere fungi quoſdam Abbates, Epiſcopalibus vtentes inſignibus, notat Fumus in Armill. voce *Calix*.

* *S. Hieronymus in dialogo cont. Luciferianos.*

ARTICVLVS II.

Conſecratos Calices ſolenni Eccleſiæ ritu, reuerenter à piis ſemper ſeruatos: At è contrà impiorum fuiſſe iam olim morem eos deprædari, profanare, diripere: ſed vtplurimùm non ſine vindicatiuæ Dei iuſtitiæ patenti indicio.

OPTATVS Mileuitanus ingenti cum lacrymarum profluuio, Donatiſtarum ſcelera deteſtatur, qui in Africa ſacra profanis miſcuerant: *Quid eſt tam ſacrilegum* (inquit lib. 6.) *quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliſtis frangere, radere, remouere: In quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt, quo Deus omnipotens inuocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus, vnde à multis pignus ſalutis æternæ & tutela fidei & ſpes reſurrectionis accepta eſt? Quid enim eſt altare niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuo-*

cari conſueuerat? Quid vos offenderat Chriſtus? cuius illic per certa momenta corpus & ſanguis habitat, &c. Hoc tamen immane facinus geminatum eſt dum fregiſtis etiam Calices Chriſti corporis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis ad maſſas, mercedem nefariis nundinis prouocantes, ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis. Paſſi etiam eſtis comburi manus veſtras, quibus antè vos eoſdem calices tractabatis. Eam rem iam paſſim vendidiſtis ære. Emerunt forſitan in vſus ſuos ſordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vaſa in quibus incenderent idolis ſuis, ô ſcelus nefarium! ô facinus inauditum! auferre Deo quod idolis præſtes, ſubducere Chriſto quod proficiat ſacrilegio. Hæc Optatus de Donatiſtis.

S. Ioannes Chryſoſtomus orat. in S. Philogonium. *Maximinus cùm ſuam* (inquit) *inſaniam licentioſiùs contra nos prodidiſſet; auſus impuris manibus ſacra vaſa contingere, hoc etiam ſcelere non contentus, ſed contumelia vlteriùs progreſſus* (*vaſis enim his vniuerſis ſuper pauimentum collocatis & extenſis ita ſuper ea deſedit*) *è veſtigio illegitimæ huiuſce ſeſsionis pœnas luit; illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt, ita vt morbum diuinitus illatum conſtaret: ad quem curandum medici, aues pingues, eáſque peregrinas interficiebant, quibus ad putrefacta membra admotis vermiculos euocabant, illi verò cùm non morerentur, mordicùs putridis partibus inhærebant; atque illum ita demum multis diebus abſumptum perdiderunt.*

Victor Vticenſis de perſecutione Wandalica lib. 1. *Genſericus,* inquit, *Proculum quemdam miſit in prouinciam Zemgitanam, qui coarctaret cunctos Domini Sacerdotes ad tradendum miniſteria diuina, vel libros cunctos, vt primò armis nudaret, & ita faciliùs inermes hoſtis callidus captiuâſſet. Quibus ſe non poſſe tradere clamantibus, ipſe rapaci manu cuncta depopulabatur* &c. *Qui tandem Proculus huius rei executor, fruſtatim ſibi comedens linguam in breui turpiſsima conſumptus eſt morte.*

Vide Conc. Tyrium tom. 1. mag. Conc.

Inter conficta ſcelera, de quibus Ariani pridem aduerſus S. Athanaſium in Conciliabulo Tyrienſi expoſtularunt: confractiab eo, vel eius iuſſu à Machario Preſbytero Alexandrino, myſtici calicis piaculum grauiſſimum cenſebatur, atque homicidio Arſenij Diaconi quod eidem impingebant, non impar. Quamobrem cùm Concilij Alexandrini Patres rem diſcuſſiſſent diligentiùs, inſontémque tanti reatus, vt aliorum flagitiorum ipſum Athanaſium reperiiſſent, ſua in Synodica eius innocentiam omnibus teſtatam vt facerent, apologiam hac de re pro eo accuratam ediderunt, qua ipſum à labe ſceleris tanti purum & immunem prorſus teſtificantur. *Poculum autem myſticum, quod, aut quonam,* inquiunt, *in loco à Machario fractum eſt? Id enim ſurſum ac deorſum obuolitantes iactitant. Atqui Athanaſium, ne accuſatores quidem auſi fuiſſent eius criminis inceſſere, niſi ab ipſis ſummiſſi, inſtructique fuiſſent. Sed tamen illi ſummam huius criminis in Athanaſium referunt, quod ne in Macharium quidem qui victus non eſt, referri debet. Nec pudet eos coram Catechumenis, & quod peius eſt, coram ethnicis ita de myſteriis tragicari.* Et infrà; *Atqui locus ille in quo confractum poculum iactitant, Eccleſia non erat, nec quiſquam Preſbyterorum ei loco vicinus, nec dies qua id factum à Machario volunt Dominica. Cùm igitur neque Eccleſia ibi eſſet, neque ſacra fierent, neque dies*

hoc ipſum requireret, quale, aut quando, aut vbi, myſticum illud poculum fractum eſt? pocula multa paſſim in ædibus atque adeò in medio foro haberi nemini dubium, quæ confracta collidentem non impiant. Myſticum autem poculum, quod impium eum reddit, qui id vltro frangit, nuſquam niſi apud legitimos Eccleſiæ Præſides inuenias: hic enim vnus vſus eſt calicis, & præter eum alius nullus, eóque ſolo vos legitimo ritu propinatis populo, eúmque vos pro canone Eccleſiaſtico accepiſtis, idémque dumtaxat penes eos habetur qui Eccleſiis præſunt; ſolùm enim veſtrum eſt propinare ſanguinem Chriſti, & præterea nullius. Cæterùm impius eſt, qui hunc calicem myſticum frangit, ita multo magis impius eſt, qui ſanguini Chriſti contumeliam facit. Contumeliam autem facit, qui præter Eccleſiaſticam inſtitutionem calice illo abutitur.

Epiſt. Synodica Concil. Alexandrini ibidē.

En, ex ſanctorum illorum Epiſcoporum iudicio, quantum ſcelus ſit calicem myſticum frangere: cùm id flagitium impietatis eſſe crimen reatúmque contumeliæ Chriſti ſanguini irrogatæ, & vindictam coram Deo clamanti adæquandam arbitrentur. Quid igitur ſancti illi Eccleſiæ præſides, vindicéſque Chriſti gloriæ, & impietatis vltores, de nuperis noſtris ſectariis cenſuiſſent, quorum furor, & rabies eò proſiliit, vt vltrà progredi non potuerit, quoad rerum ſacrarum profanationem, vaſorum ſanctorum direptionem, calicum imprimis, (quos portatores Chriſti ſanguinis rectiſſimè Optatus appellabat) & patenarum execrandam confractionem, & exſufflationem. Acta Miniſtrorum edita ab Adriano Behotio, venerabilis memoriæ maiori Archidiacono Rothomagenſi, id luculentis verbis, ſed funeſtis exemplis propalàm faciunt. Locus hic eſſet (niſi ei præſcripta tractationis præpediret anguſtia) luctuoſas has hæreticorum Galliæ in ſanctuaria Dei eruptiones ſeriatim deſcribendi: plus æquo ſed quia eiuſmodi campus dilataretur, breuitatis gratiâ, lubens me recipio intra arctiores eiuſmodi actorum nefandorum limites.

Audiatur, qui inſtar plurimorum teſtium, dignitate, doctrina, rerum peritia, atque ipſarum omnium ferè ſpectator rerum, quas enarrat, vnus eſſe debet, Carolus Sauſſeyus, Decanus pridem Aurelianenſis, Mathurini de la Sauſſaie Aurelianenſis Epiſcopi ex fratre meritiſſimus nepos: is enim barbaros, impióſque Caluiniſtarum, ea in ciuitate motus, circa res, & ædes ſacras, tragico, at veraci ſtylo luculenter deſcripſit, in ſuis Annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis, lib. 15. ſub Ioanne X. Antiſtite. *Necdum* (inquit) *Aprilis expirauerat* (anni 1562.) *& iam tum Eccleſias aggrediuntur, altaria ſacra diruunt, Chriſti, & Sanctorum venerandas imagines iactant in præceps. Dein 11. Maij vaſa ſacra, calices, cruces, tabulas, imagines, libróſque argento compactos, & reliquiarum capſas, & iocalia, è maiore, & aliis Eccleſiis mandatu Principis in turrim nouam elata, in vſum ſuum paucis ab hinc diebus conflant, &c. Nihil iam libidini eorum, nihil cupiditati exceptum, nullum ſæuitiæ genus & intus, & foris omiſit illorum proteruitas. Tunc diuina officia, ſacras ſynaxes, Miſſarum ſolennia intermittere oportuit, Sacerdotes, plebes, ciuitate, & laribus clanculùm excedere, quia morari ſine periculo non dabatur; nouas ſedes Pariſiis, Carnuti, Turonibus, Andegauis, vbiuis locorum quærere, quæuis aduerſa pati*

oportuit, ne cultu religionis priuarentur. Nec erit incongruens ſigillatim recenſere, quos theſauros Eccleſiæ noſtræ ſacrilega manu rapuerint, è ſcriptis ſuo ipſorum calamo conſignatis, præter alia vaſa & capſas, nempe Calicem aureum, auro puriſſimo conflatum à temporibus S. Euurtij ad hæc vſque tempora (id eſt per annos ſupra 1200.) *conſeruatum, Capſam Oſannorum, capſam item ſanctorum Dorothei & Seueri, & capſulam guttæ ſanguinis Domini, & alia quæ nos latent.*

Inuentarium reliquiarum Eccleſiæ ſanctæ Crucis factum 2. Maij anno 1562. in turrim nouam illatarum.

Duodecim calices, & octo patenæ argenteæ.

Duo vrcei argentei, &c.

Duo magni vrcei argentei deaurati, &c.

Patena vna argentea deaurata effigiem Aſcenſionis Domini expreſſam habens.

Cuppula argentea cum catenulis. Intercido hîc fuſam cimeliorum, lipſanodochiorum, aliorúmque ſacrarij nobilis illius Eccleſiæ iocalium (ſi Sauſſeyi vocula vti licet) recenſionem: ne Lectori faſtidio ſim tantorum ſacrilegiorum fuſiori enumeratione. Subdit tandem quod vice corollarij hîc lubens quoque ſubiicio : *Ex harum omnium reliquiarum thecis oſſa Sanctorum demum extracta die 15. Maij. Tandem verò omne aurum ponderis 49. marcharum & argentum 833. & eo amplius ; quin & veſtes omnes, & ornamenta ſacra, auro & argento pretioſiſſimiſque colorum fucis prætexta, profano ſacrilegio direpta ſunt : eodémque modo per omnes Eccleſias Vrbis, Diœceſis, & totius propè Galliæ ab eis factitatum eſt, incredibili & luctuoſo honoris Dei, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dehoneſtamento detrimentóque, conflata ex illis moneta publica.*

Vox eſt Apoſtoli, *ſiquis violauerit templum Dei, diſperdet illum Deus,* 1. Cor. 3. 7. haud mirum igitur ſi paulò pòſt omnes illi perierint perditiſſimo exitu, Sanctuarij Dei direptores, prædonéſque nefarij, qui vt in ſe diuinam iram prouocarent ſacris myſteriis illudentes, & miniſteriis diuinis auſu ſacrilego abutentes: captum in agro Carnotenſi ſubinde Sacerdotem, ad altare patenam præbere ſibi in offertorio oſculandam, coëgerunt, pro munere, illum ſinguli alapis percuſſerunt, deinde & calicem fœtido lotiô impletum exhaurire compulerunt, híſque execrandis deluſum modis, in ordinis odium, & Dei cuius miniſter erat, contemptum, dira nece interfecerunt, affixum ſcilicet cruci Eccleſiæ, quam cum imagine Saluatoris, ipſúmque Sacerdotem ſclopis confectum, in rogum coniecerunt, flammíſque voracibus abſumpſerunt. Quid mirum igitur ſi paulò pòſt tam nefarij, ſcelerati impiique homines, quin potiùs non homines, ſed meræ belluæ, non belluæ ſed dæmones, calicem iræ Dei vſque ad fæces ebiberunt, proclamante præcone diuino, Apoc. 16. *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti, quia ſanguinem Sanctorum effuderunt, & ſanguinem dediſti eis bibere, digni enim ſunt.*

CAPVT XI.

An calicis benedictio ſeu conſecratio ſit immobilis, quandiu integer perſeuerat, quacumque ex materia ſit conflatus?

AXIOMA eſt S. Thomæ 2. 2. q. 39. art. 3. Omnes con-ſecrationes Eccleſiæ eſſe immobiles manente re quæ conſecratur. Cui ſuffragatur Canonici iuris titulus, *de ſacramentis non iterandis*, apud Greg. lib. 1. vbi tamen non de ſacramentis tantùm agitur, ſed etiam de ſacramentalibus: nam ſub eo titulo c. *à nobis*. inquirenti Londonienſi Archiepiſcopo, an veſtimentá cum quibus Schiſmatici celebrarunt, vel altaria in quibus ſacrificium obtulerunt, iterum debeant conſecrari? negatiuè reſpondet ſummus Pontifex Honorius III. Nec alia eſt ratio, niſi quòd Eccleſiaſtica benedictio ſit immobilis, re quæ benedicta eſt integra permanente: ex quo principio idem aſſerit S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 11. calicem nullius ſuperioris auctoritate poſſe fieri profanum, quandiu integer manet.

Sed ſi vera eſt aliorum opinio, quæ cenſet conſecrationem calicis in ſuperficie conſiſtere, & ideo ſi pereat ſuperficies, deſinere conſecrationem, vnde ſi calix inauratus conſecretur, deinde nudetur auro, *Indiget* (vt volunt) *denuò conſecrari.* Quæ doctrina mihi vera non videtur, nec enim aurum benedixit Pontifex, ſed calicem, cuius attendi debet materia principalis, nam ſi ſit quoad ſubſtantiam argenteus, quoad decorationem aureus, amoto acceſſorio, principale perſeuerat, calix enim ſemper eſt, etſi non ſit aureus: conſtans ex propria forma, & legitima ſolidáque materia. Verum eſt quidem quod Pontifex dum conſecrat calicem, vnctione chriſmatis ſolam ſuperficiem attingit: ſed vis benedictionis vas totum penetrat atque ſanctificat, quod ſe intelligere innuit Pontifex dum orat, *Vt quod arte vel metallo effici non poteſt altaribus dignum, fiat tua benedictione ſanctificatum.* Et dum prætereà dicit, *Conſecrare, & ſanctificare digneris Domine Deus calicem hunc per iſtam vnctionem, & noſtram benedictionem in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, ſignificans ſcilicet materiæ ſuperficiem per ſacrum liquorem vngi, at totam vaſculi ſubſtantiam benedictione conſecrari. Proinde ſi exterior deficiat ornatus, aurum ſcilicet quo calix decoratus erat, nihil decidente de ipſa vaſis ſubſtantia, vis in eo benedictionis effectúſque ſanctificationis ſemel infuſæ perſeuerat.

Secus eſt, ſi vi vel arte auro nudetur: id enim cùm fieri non poſſit ſine igne, vel ictu, & aurificis manuum violento contactu, hoc ipſo pollutus videtur: At ſi vſu dumtaxat aurum paulatim minuatur, & tandem deficiat, integer nihilominùs manet calix quoad materiam vnde conſtat, & formam, proinde retinet conſecrationem quæ ab acceſſorio ornatu non pendet.

At alius caſus ex aduerſo contingere poteſt: Quærunt enim Cano-

niſtæ quidam, ſi calix argenteus poſtquam conſecratus fuit inauretur, eo ipſo ſit profanus, nouáque conſecratione indigeat? Volunt ſiquidem nonnulli conſecrationem amittere: At alij è contrà retinere, perinde ac parietes Eccleſiæ conſecratæ ſi dealbentur, aut quibuſdam picturis obducantur, conſecrationem retinent, fauerétque ſibi aiunt cap. *Eccleſiis. de conſec. diſt. 1.* quo prohibetur iterum conſecrare Eccleſias quæ Deo ſemel conſecratæ ſunt. Verùm caput iſtud quod ex Nicæno Concilio ſumptum inſcribitur, non docet abſolutè indelebilem eſſe conſecrationem: imò in quibuſdam caſibus indicat illam perire, ita enim habet, *Eccleſiis Deo conſecratis non debet iterum conſecratio adhiberi, niſi aut igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cuiuſcumque ſemine pollutæ fuerint.* Vbi gloſſ. exuſtæ: rectè ſubiungit, *pro maiori parte, aliàs ſecus arg. ff. de contrah. empt. dom. Cùm ſi ita comburatur, quòd deſtruatur vel decruſtetur interius, & exterius, tunc execratur.* Conſecratio enim Eccleſiæ maximè conſiſtit in vnctione exteriori & coniunctione, & diſpoſitione lapidum: ex quo non licet tanquam à pari arguere de calice conſecrato, poſt benedictionem deaurato, nam ſuperficies non deſtruitur, ſed augetur & melioratur, partes verò non diuiduntur at manent coniunctæ: vnde igitur poteſt excidere conſecratio? ſanè ex profana contrectatione per manus laïci artificis; Laïci, inquam, nam ſi v. g. S. Eligius, qui ante promotionem ad Epiſcopatum, aurifaber erat ſua ætate præſtantiſſimus, poſtquam euaſit Epiſcopus calicem merè argenteum conſecraſſet, & poſteà decorationis gratiâ eundem inauraſſet, ſine contuſione vaſculi, & læſione vlla, cùm ſine ictu aurum applicari poſſit: ſanè eiuſmodi calicem qui tam forma quàm materia integer perſtitiſſet, dixerit nemo æqua ratione, rurſus fuiſſe conſecrandum: ſed dempto exemplo eiuſmodi, (vel non admodum abſimili) quia deauratio ſine ictu, tunſione, & violentia vix adhiberi poteſt, & contrectatione laïcæ manus artificis; idcirco in euentu eiuſmodi, haud prorſus inficior non fore immobilem calicis conſecrationem, quapropter tutius videri in illo caſu illam iterare. Nec eadem eſt ratio picturæ adhibitæ venerandis Eccleſiæ parietibus, & deaurationis calicis; ſacræ enim picturæ ſeu imagines, parietum templi ſanctificationem adaugent, cùm ipſæ ſunt veneratione dignæ. At aurum quo illinitur calix conſecratus, nullo cultu dignum eſt, merum eſt metallum, quod calicem ſanctificare non poteſt: at ex quo ei applicatur, & inhæret fit particeps illius ſanctificationis, quamdiu calix inuiolatus ac integer perſeuerat. Nec enim, ait Dominus, *non aurum ſanctificat templum, ſed templum ſanctificat aurum*, Matth. 23. 17. Minutæ ſunt aliæ quæſtiones quas hîc ne progrediamur nimiùm, non excutiendas cenſuimus. At hanc non debeo prætermittere, an calix conſecratus, conſecrationis formam amittat cùm ſcyphus eius à pede ſeparatur, & iterum illi coniungitur? diſtinctio autem adhibenda eſt, nam ſi frangitur calix, adeò vt pes à ſcypho in totum ſeparetur, tunc perit conſecratio, quia ampliùs non eſt integer, nec inſeruire

poteſt diuinis vſibus, ad quos conſecratus erat. At ſi fuerit calix ita ab initio elaboratus arte, vt ſcyphus à pede amoueri, & iterum coniungi ſine læſione, & fractura poſſit, ſi diſiungatur ad tempus conſecrationem non amittit: verùm quandiu pes ſcypho non hæret, ſcyphus ſacrificio inſeruire non poteſt, quia ſcyphus ſine pede, non eſt calix, at non licet conſecrare ſanguinem Domini in alio vaſe, quàm calice integro & conſecrato.

CAPVT XII.

A quibuſnam Calix licitè poſſit contrectari?

A Laïcis non poſſe tangi calicem ſine eius conſecrationis detrimento, res eſt apud rerum ſacrarum tractatores rata & explorata, quæ etiam nititur *can. illud. diſt.* 50. vbi gloſ. *inſtrumenta*, explicat vtenſilia, & miniſteria ordinis. Nec tantùm hoc Laïcis nefas, ſed etiam inhibitum eſt Clericis, qui ſacris ordinibus initiati non ſunt, can. *in ſancta. de Conſec. diſt.* 1. hoc tenore, *In ſancta Sede Apoſtolica à nobis, & reliquis Epiſcopis, cæteriſque Domini Sacerdotibus ſtatutum eſt, vt ſacra vaſa non ab aliis quàm à ſacratis, Dominóque dicatis contrectentur hominibus: indignum enim valde eſt, vt ſacra Domini vaſa, quæcumque ſint, humanis vſibus ſeruiant, aut ab aliis, quàm à Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præſumptionibus iratus Dominus plagas imponat populo ſuo, & hi etiam qui non peccauerint mala patiantur, aut pereant, quia perit iuſtus ſæpiſſimè pro impiis.* Simeon Metaphraſtes in vita S. Euthymij Abbatis, ſacrorum Vaſorum pollutionem & profanationem hoc tempore crebreſcentem, ob delicta populi à Deo permiſſam indicat: vnde in ipſum populum diuina ira magis efferueſcit. Et verò quàm ſtricto iure iſta vaſorum ſacrorum contrectatio ſit Laïcis prohibita, ex eo licet colligere, quòd minoribus Clericis, tam multiplici, conſtantíque canonum auctoritate ſit interdicta. In Concilio II. Rom. ſub Silueſtro act. 1. can. 9. ſic legitur conſtitutum: *Nullus Lector vel Oſtiarius vaſa ſacra contingat. Nullus Acolythus rem ſacratam à Preſbytero iam alio porrigat.* In Concilio Agathenſi ita etiam fuit ſancitum c. 66. relato apud Gratianum diſt. 93. *Non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium ingredi*, (quod Græci Diaconion appellant) *&* *contingere vaſa Dominica.* Quid quod Subdiaconis vetuiſſe id videtur antiquiſſimum Concilium Laodicenum, can. 21. *Non oportet Subdiaconos locum habere in Diaconio, & vaſa contingere Dominica.* Sed de vaſis ſacris quibus diuina myſteria impoſita ſunt, hoc intelligi debet decretum, nam alioquin vaſa ſacra contrectare vacua, licitè poſſe ex can. 5. elicitur Concilij IV. Carthaginenſis: *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi accipiat vrceolum cum aqua, manile, & manutergium.* Conſonat Romanæ

Eccleſiæ vigens hodiéque praxis huic antiquæ theoriæ, ſic enim habet Pontificalis liber, poſt Epiſcopalem ad promouendos Subdiaconos admonitionem : *Deinde Pontifex accipit & tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua ſuperpoſita, quem ſucceſſiuè manu dextera ſinguli tangunt, Pontifice dicente, Videte cuius miniſterium vobis creditur* &c.

At hîc inquirere, videtur præfixo lemmati conſentaneum, an fœminis Deo ſacratis liceat calicem & cætera vaſa ſacra tangere? ſanè fuerunt etiam in Eccleſia Diaconiſſæ ordinatæ*, quæ circa mulieres vicem Diaconorum ſupplerent propter honeſtatem & neceſſitatem, vt patet ex epiſtola S. Ignatij ad ſuos Antiochenos, qua Diaconiſſas ſalutat; & S. Clemente lib. 8. Conſtit. Apoſt. c. 26. quo ritum deſcribit earundem ordinationis, ſanctóque Epiphanio hæreſ. 79. quæ eſt Collydidianorum, & in Compendiaria doctrina ſub finem. quæ Diaconiſſæ eò vſque præſumpſiſſe videntur, vt ferè eadem munera quæ Diaconis competunt ſibi arrogarent, adeò vt ingredi ad altare, in ſacrificio miniſtrare Sacerdoti, manus ad pallas Dominicas apponere, contingere vaſa Dominica, ipſámque nuda manu Euchariſtiam accipere & miniſtrare, eas non puduerit. vt patet ex epiſtola Gelaſij I. ad Epiſcopos Lucaniæ &c. Concilio Autiſſiodorenſi can. 36. & 37. Pariſienſi III. lib. 1. c. 45. &c. Eapropter tandem abrogatæ ſunt publico Eccleſiæ iudicio, ſæpe ſæpius promulgato: Siquidem Diaconiſſas ampliùs non ordinandas cùm Concilium I. proto-Oecumenicum decreuiſſet c. 19. creſcente earum contumacia & non tolerandis auſibus. Idem latis legibus ſtatuerunt Concilium Arauſicanum I. c. 26. Epaonenſe can. 21. Turonenſe II. c. 21. Aurelianenſe II. c. 18. &c.

* Extat in ordine Romano, Ordo ad Diaconam faciendam, tom. 10. Bibl. SS. PP. p. 162.

Sed longè diu poſt has canonicas ſanctiones S. Clara memoratur aliquod, quod videri poſſit his decretis aduerſum, ſibi quæ ſanctimonialis erat, & conuentus monialium mater, circa vaſorum ſacrorum ipſiúſque Euchariſtiæ geſtationem inſigne factum vendicaſſe. Irruente enim exercitu Friderici feri perfidique Cæſaris in Aſſiſij oppidum, iámque muros ferè ſuperante, exiiſſe refertur ad portas monaſterij, vbi pauidæ Virgines tanquam ouiculæ luporum incurſu perterritæ, impiorum militum rabiem & iniurias pertimebant; oſtenſóque venerabili Sacramento eos in fugam conuertiſſe, ſuámque hac præſentia Domini Maieſtatis, ab imminenti clade ſtragéque ciuitatem liberaſſe. Hinc morem inoleuiſſe pium, ſanctam hanc Virginem paſſim depingendi, cum Euchariſtia quam gerit in vaſculo ſolari ſpecie radiantem. Sed quicquid ſit de hac figura, ex re geſta profectò conſtat, S. Claram vaſculum in quo Euchariſtia condita erat non arripuiſſe, nec geſtaſſe manibus, ſed tantùm armatam fide, ſuiſque ſororibus exterritis & conſternatæ ciuitati commiſeratam, etſi infirmam corpore exiiſſe ad portam monaſterij, prælatóque corpore Domini, ipſum ingenti ſpiritus ardore deprecatam, vt ſacris ſibi Virginibus in tanto diſcrimine adeſſe dignaretur, nec eas permitteret in impiorum manus incidere.

Extat vita S. Claræ iuſſu Alexandri IV. Papæ conſcripta, cùm

eam in Sanctorum catalogum retuliſſet, in qua rei huius hiſtoria ita ad verbum deſcribitur: *Cùmque in Aſſiſium hoſtilis ſemel furor irrueret, & ipſis portis exercitus appropinquaret, Sarraceni, gens peſſima,* (horum auxilijs Fridericus vtebatur) *ſanguinem ſemper ſitiens Chriſtianorum, apud S. Damianum intra loci terminos, imò intrà clauſtrum Virginum confluxerunt. Liqueſcunt Dominarum corda timoribus, & ad matrem referunt fletus ſuos. Quæ ſe infirmam impauido corde ad hoſtium agmen duci iubet, & ante hoſtes poni, præcedente eam capſula argentea, in qua erat Sacramentum Euchariſtiæ: cúmque ſe totam in oratione ſubſtrauiſſet, Chriſto cum lachrymis ait, Placétne tibi mi Domine inermes ancillas tuas; quas tuis amoribus innutriui, manibus ecce tradi paganorum? Cuſtodi Domine has famulas tuas, quas ipſa in præſenti articulo cuſtodire non poſſum. Mox, vox quaſi pueriles de noua gratiæ propitiatorio ad aures eius intonuit, dicens: Fideiubeo pro vobis filiolæ, quòd nihil patiemini mali? nec mora, ſtatim canum illorum repreſſa paueſcit audacia, & per muros quos aſcenderant, deſcendentes celeriter exeunt, orantis virtute deturbati.* Breuiùs res geſta in Breuiario Romano ſic narratur: *Saracenis Aſſiſium obſidentibus, & monaſterium cui illa præerat, inuadere conantibus, ægra ſe ad portam afferri voluit, vnáque vas in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum erat incluſum; ibíque orauit in hunc modum: Ne tradas Domine beſtiis animas confitentes tibi, ſed cuſtodi famulas tuas, quas pretioſo ſanguine redemiſti; in cuius oratione ea vox audita eſt, Ego vos ſemper cuſtodiam. Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt, partim qui murum aſcenderant capti oculis, præcipites ceciderunt.* Quæuis vtriuſque ſeries deligatur, inde fit manifeſtum, S. Claram non pertuliſſe vaſculum in quo eſſet corpus Domini, ſed ante ſe portari vtique à Sacerdote feciſſe. In Breuiario Cardinalis Quigonij, Paulo III. dicato, ſimpliciter habetur; *Clara licèt ægrotans ad portam ſe iubet deportari in hoſtium conſpectu, cum capſula qua Sacramentum Euchariſtiæ continebatur.* Vnde patet ipſam aliorum manibus portatam, Euchariſtiam verò delatam fuiſſe ante eam, cuius vnico præſidio nitebatur.

Refert hanc vitam ad verbum S. Antoninus, 3. part. Chron. tit. 13. c. 6. Eadem eſt quæ extat apud Surium tom. 8. die 12. Auguſti.

12. Auguſt. Lect. 2.

Sed dato quòd Virgo tantæ ſanctitatis in tanto periculo Euchariſtiæ vaſculum in manus accepiſſet, ad impiis iſtis graſſatoribus, ceu ſcutum inſuperabile, diuinum hoc munus opponendum: tum vt caſus eſſet ſingularis: dicendum exiſtimarem, illam ex diuino motiuo & impulſu ſic feciſſe, quod factum ideo foret mirandum, potiùs quàm imitandum.

Cæterum picturæ & imagines, quæ S. Claram referunt Euchariſtiam in dextera ſub ſolari ſpecie deferentem, non euincunt planè, quòd ſic diuini pignoris ſacrarium manu geſtauerit: ſed quòd in huius venerabilis Sacramenti ope & virtute confiſa, quaſi ineluctabili propugnaculo caſtitatis, intrepidè obuiam proceſſerit impiorum cuneis, eóſque tanto freta præſidio depulerit à ſui monaſterij incurſu, quod tanto furore inuadebant: & ab ipſius ciuitatis ſtrage, inuiſibili virtute, at viſibili, mirabilíque victoria coërcuerit, in fugam è muris repentè collapſos. Itaque regulariter prohibetur quibuſcumque perſonis, niſi Clericis qui ſunt ſacri ordinis honore præditi, vaſa

ſacra, & ſpecialiter calicem & patenam contrectare ; nec nouo iure id inuectum, ſiquidem in libro Pontificali Damaſi Papæ, ſignanter de Xiſto I. legitur, qui in Pontificali conſeſſu ſeptimus à Petro ſedit, *Hic conſtituit, vt miniſteria ſacra non tangerentur, niſi à miniſtris ſacratis.* Extat hoc decretum in epiſtola eiuſdem Xiſti II. ex qua depromptus eſt can. *In ſancta Sede.* ſuprà deſcriptus. Cui concinunt nonnullæ aliæ canonicæ ſanctiones, v. g. §. vlt. capitis vnici *de ſacra vnctione.* & can. *ſanctas.* can. *non liceat.* & can. *oportet.* diſt. 23. quos hîc non vacat per ſeriem retexere : ſatis enim eſſe poſſunt firmandis huius tractatuli lemmatibus, quæ fuerunt auctoritates ſuperiùs inductæ.

CAPVT XIII.

An pœna aliqua canonica immineat Sacerdoti, diuina myſteria celebranti, in vaſe non conſecrato?

AFFIRMATIO eſt certa, & elicitur ex Innocentij III. reſponſis, c. 13. & poſtremo, *De celebratione Miſſarum.* apud Gregorium lib. 3. tit. 41. hoc verborum contextu : *Litteras tuas recepimus continentes, quòd cùm ſuper exceſſibus Preſbyteri Eccleſiæ S. Brigidæ Brixienſis inquireres, confeſſus eſt quòd cùm quadam die hoſtiam & calicem non haberet, in pane fermentato & ſcypho ligneo Miſſarum ſolennia celebrare præſumpſit &c. Cùm igitur, vel ex aperta malitia, vel nimia deſipientia peccâſſe probetur : Mandamus quatenus officio & beneficio, perpetuò eum priues.*

Grauis eſt certè Sacerdotis illius punitio, cùm pœna ſit perpetua, éaque duplex, ſcilicet abſoluta priuatio officij, & beneficij : quæ non ſolet niſi reis infligi grauiſſimorum delictorum. In pane fermentato Latinæ Eccleſiæ Preſbyter conſecrare nequit, abſque piaculo mortali. legendus Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia, c. 7. 8. & 9. Porro in calice non conſecrato conficere diuina myſteria ſcienter, non leuem eſſe reatum : grauitas ipſa præcepti, tot iterati canonibus, ſparſim toto hoc libro indicatis palam euincit. Accedit reſponſum ipſum Innocentij, quo reatum hunc cenſuit, pœna duplici, éaque perpetua vindicandum, nempe depoſitione ab officio ordinis, & totali beneficij priuatione : ſiquidem vna in re grauis admodum momenti Sacerdos ille peccauerat. Primùm quòd non in calice ſacro, ſed in vaſe profano conſecrauerat : inſuper quòd in ſcypho ligneo, quod lex canonica diſtrictè prohibet, c. *Vaſa*, & c. *cauſa*, &, *vt calix* de conſec. diſt. 1. quibus ſancitum, vt calices nec ex ligno fierent propter raritatem, nec ex vitro propter fragilitatem, nec ex ære propter tetrum ſaporem, nec ex auricalcho quia æruginem facit, & excitat vomitum.

In culpa igitur erat inexcuſabili hic Sacerdos : ſi enim inops ita erat vt calicem argenteum habere non poſſet, fas ipſi erat ſtanneum

qui

qui leui pretio comparari poteſt, in vſum aſſumere : ſiquidem præcitato can. *Calix.* diſertè decernitur, quòd ſi calix cum patena non ſit aureus, omnino tamen ex argento fiat : ſi autem ita pauper eſt Sacerdos, ſaltem ſtanneum calicem habeat. Quæ regula iterùm promulgata reperitur ab Innocentio IV. epiſtola ad Othonem Epiſcopum, Cardinalem Tuſculanum, ſuper controuerſia orta inter Archiepiſcopum Nicoſienſem Latinum, & Epiſcopos Græcos regni Cypri art. 13. hoc tenore; *Caterùm vnuſquiſque Sacerdos in aureo, vel argenteo ſolùm; aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet.*

CAPVT XIV.

De vnitate Calicis in altari. Vbi obiter obſeruatur, pluries in vna, eadémque Eccleſia eodem die ſacrificium Euchariſtiæ, fuiſſe oblatum à diuerſis Sacerdotibus, ſub ipſis primis Eccleſiæ ſæculis. Et variæ ſpecies calicum recenſentur, tam ratione materiæ & formæ, quàm denominationis & vſus. Erant enim calices ſancti, calices miniſteriales, calices præcipui, pendentiles, fundati, maiores, minores, aurei, gemmei, argentei, deaurati; Calices baptiſmi, & pœnitentiæ, calices reticulati, catenati, anſati, &c.

ARTICVLVS I.

De vnitate Calicis in miſſa &c.

GREGORIVS II. epiſtola 13. qua reſpondet ad B. Bonifacij varias interrogationes, & conſulta: eam ad quæſtionem, qua perquiſierat ipſe Bonifacius, an fas eſſet plures calices in altari ponere? ſic reſpondet epiſtolæ art. 5. *In miſſarum ſolenniis illud obſeruandum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit diſcipulis, Accepit namque calicem dicens, Hic calix noui Teſtamenti in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque ſumetis. Vnde congruum non eſt, duos, vel tres calices in altario ponere cùm miſſarum ſolennia celebrantur.*

Porrò eadem eſt ratio panis ac calicis: ac de pane myſtica benedictione conſecrato ait Apoſtolus 1. Cor. 10. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* * Igitur & vnus calix, de quo paulò antè ſingulariter dixerat, *Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Venerabile hoc Sacramentum in qualibet ſpecie, ſignum eſt vnitatis, *Ideóque* (vt ait Auguſtinus tract. 26. in Ioannem) *Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur: namque aliud in vnum ex multis granis conficitur, aliud in vnum ex*

*Quamuis plures ſint hoſtiæ conſecratæ ab vno eodémque Sacerdote, in eodem ſacrificio ſuper vnũ ac idem altare: vnica nihilominus eſt hoſtia

ſalutaris, & vnus panis vitæ. Sicut quamuis ſint plurimæ guttæ in calice conſecrato, (quę ſi ſeiungerentur, tantum ſingulæ ſeorſim, quantum omnes ſimul continerent) vnus tamen eſt idémq; ſanguis Domini: proinde & vnus calix. Ad quod innuendum in eodem ſacrificio vnicus tantùm calix ſuper altare ponitur. Axioma Catholicum eſt: Quamuis Euchariſtiæ Sacramentũ habeat duplicem materiam & duplicem formã, non plura tamen, ſed vnum eſt duntaxat ſacramentum. ita docet Pius V. In Catechiſmo. ** S. Dionyſius de cœleſti Hier. c. 3. part. 3. de Sacerdote populo communionem miniſtrante dicit. *Panem indiuiduum, & ſingularem calicem omnibus impartiens, vnitatem ſignanter multiplicat.*

multis acinis confluit. Quapropter ad innuendam, ſeruandámque myſticæ vnitatis ſignificationem **, qua per hoc Sacramentum fideles inter ſe & cum ſuo capite in vnam coalent corporis compaginem, adeóque eiuſdem ſpiritus vnionem prouehuntur: vnus calix in altari eſſe debet, ſi enim duo, vel tres, vel plures ponerentur, ceſſaret ſymbolum vnitatis, diuiſionîſque hinc ſignum oriretur; ſiquidem, vt rectè ait S. Bernardus; *Vbi vnitas, ibi perfectio: reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem, recedentes ab vnitate*, lib. de Conſid. 2. cap. 8.

Verùm ſi ita eſt, cur iamdudum plurimi vna in Eccleſia calices erant, etiam perſecutionum tempore? ſuprà etenim ex S. Auguſtino relatum eſt, c. 6. apud Cyrtenſem ciuitatem in Africa, ſub perſecutione Diocletiani, fuiſſe repertos in Eccleſiæ Bibliotheca, quo abſconditi fuerant direptionis metu, *duos calices aureos, & ſex argenteos.* Et ex geſtis Pontificalibus didicimus Conſtantinum dediſſe Romanæ Eccleſiæ calices ex auro puriſſimo 40. & calices minores miniſteriales 50. Sanè iſta calicum pluralitas non leui eſt indicio multiplicationis Miſſarum in ipſa primitiua Eccleſia: ſi enim eodem die vna vice tantùm celebratum fuiſſet ſacrificium, & ab vno tantùm Pontifice, vel Sacerdote in vna tantùm Eccleſia, non opus fuiſſet tot calicibus, cùm vnicus ſatis eſſe potuiſſet. Atqui in vna Eccleſia, baſilica ſcilicet Conſtantiniana, erant Silueſtri tempore, ex Conſtantini pia munificentia calices 90. videlicet aurei 40. & 50. argentei qui dicuntur minores ad maiorum differentiam, qui eadem in baſilica habebantur. Fauet quod ibidem notat liber Pontificalis, Conſtantinum in præmemorata Baſilica feciſſe altaria ſeptem ex argento puriſſimo.

Sed auſpicatò hîc mentio incidit calicum miniſterialium: quorum etiam in ſua interpretatione multarum vocum Eccleſiaſticarum, quæ obſcuræ vel barbaræ videntur, meminit Onuphrius, à quo ſi quis inquirat quid intelligendum ſit per vocabulum Calicis miniſterialis? Reſpondet, Miniſteriales calices ſic dictos, quòd adminiſtrando ſanguinem Chriſti populis deſeruirent. Idipſum cenſet Azorius part. 1. Inſtitut. Moral. lib. 10. cap. 28. In vitis Pontificum Silueſtri, Damaſi, & Anaſtaſij Bibliothecarij frequens mentio eſt calicum maiorum, minorum, & miniſterialium quos Pontifices & Imperatores Eccleſiæ donabant. Miniſteriales dicti ſunt, quia in his ſanguis Domini populo miniſtrabatur. Duranti lib. 1. de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 7. n. 3. idem totidem verbis dicit.

Qui vir reuerà doctiſſimus cùm ægrè admittat vſum calicis pridem populo fuiſſe conceſſum, excipit etſi quandoque factum fuerit, tamen ab ipſo Apoſtolorum ſæculo & infrà, ſuſceptionem ſub vna tantùm ſpecie celebriorem ac frequentiorem fuiſſe, ídque exiſtimat confirmari hoc argumento, quod ex libro Pontificali ſub Silueſtro, patinas, ſeu patenas ad 30. libras ponderaſſe, ſcyphos

ad 10. duntaxat ſingulos calices ad vnam; *vnde conſequens eſt*, inquit, *multo plures communicaſſe ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie, in eadem Eccleſia.* Quæ ratio (cum tanti viri bona venia dictum velim) mihi vſquequaque ſolida non videtur; nam quod ait calices miniſteriales ſingulos ponderaſſe duntaxat ad libram vnam, manifeſtè refellitur: nam eodem loco quem ſignat, diſertè habetur, Conſtantinum dediſſe calices minores miniſteriales 50. penſantes libras binas; & infrà, calices argenteos decem, penſantes lib. 5. Et in Bonifacio I. calices minores argenteos duos, penſ. lib. 4. Ex quo colligitur maiores ad plures libras ponderaſſe: proinde calice Sacerdotali, quo fiebat Dominici ſanguinis conſecratio, miniſterialem etiam paruum duplo capaciorem fuiſſe. Quod autem ait patenas fuiſſe longè ampliores & ponderoſiores calicibus, abſolutè non eſt verum, ſiquidem vt erant calices maiores & minores, ſic & maiores & minores patenæ. Et ſicut erant patenæ quædam capaciores quibuſdam calicibus, ita etiam erant viciſſim calices patenis ampliores, nonnulli verò æquales Exempla ſingularum ſpecierum ex Anaſtaſio damus: En exemplum æqualium, in Leone III. *Fecit calicem aureum præcipuum, diuerſis ornatum lapidibus pretioſis, penſ. lib. 28. ſimiliter & patenam auream penſ. lib. 28.* Alia notari poſſunt ſub Hadriano I. ſic enim ibi: *Fecit patenam & calicem in Baſilica B. Petri Apoſtoli pro quotidianis miniſteriis ex auro puriſſimo, penſ. ſimul lib. 24 Item in Eccleſia S. Pauli, & in Eccleſia S. Deigenitricis Mariæ ad Præſepe, & in Eccleſia S. Laurentij.* Quòd verò calices eſſent qui patenas amplitudine excederent vt pondere, in Leone III. illuſtre extat monimentum, ſic enim ſcribit Anaſtaſius de Carolo Magno: *Sed in confeſſione eiuſdem Petri Apoſtoli Carolus iam imperator obtulit vnà cum filio ſuo præcellentiſſimo Rege & filiabus, diuerſa vaſa ex auro puriſſimo in miniſterium ipſius menſæ argenteæ &c. Et patenam auream cum gemmis diuerſis penſ. lib. 30. Et calicem maiorem cum gemmis & anſis duabus penſ. lib. 58.* En calix ferè duplo maior patenâ. Proinde fallit regula Duranti, qui pro conſtanti ſupponit longè maiores ſemper fuiſſe patenas calicibus. Fallitur etiam ipſe in hoc quòd omnes calices cenſeat fuiſſe ad vſum Euchariſtiæ, & eò ſpectaſſe omnes calices miniſteriales. Contrarium infrà patebit. Interim addi poteſt quod nemo fortè antehac obſeruauit, nec ipſe Duranti aduertiſſe eodem loco viſus eſt: Non omnes itidem patenas fuiſſe ad miniſterium Euchariſtiæ, erant patenæ ad alios vſus, v. g. ſacræ vnctionis, nam in eodem Pontificali ſub ipſo Siluestro, legimus de ipſo Conſtantino: *Obtulit &c. ſcyphos argenteos duos penſantes ſingulos lib. 9. Patenam argenteam Chriſmalem ſingularem penſ. lib. 10. peluim ex argento ad baptiſmum penſ. lib. 20* Quòd ſi ſcyphi ſunt calices miniſteriales, (à quibus tantùm ab Anaſtaſio in Sixto III. manifeſtè diſtinguuntur) erant certè quidam tanti ponderis, vt patenæ patentiores vix pari pondere conſtarent; ſic enim ibi ſcribit Anaſtaſius: *Scyphum aureum puriſſimum penſantem lib. 50. Calices miniſteriales argenteos decem, penſantes ſinguli lib. 3.*

Quibus ex obſeruationibus videre eſt aſſertionem Duranti mini-

mè firmam eſſe, neque hanc eius concluſionem : *Vnde apparet*, inquit, *panis vaſa, ampliora & capaciora fuiſſe vini poculis* &c. cùm non omnes patenæ eſſent vaſa ad diuinum excipiendum panem, & eſſent quædam pocula longè capaciora patenis, nonnulla his paria, nonnulla vt oſtendimus duplo ampliora.

Vt quæ ſentio hac de re aperiam, dico calices miniſteriales non eſſe reſtringendos ad vſum ſacræ Communionis, proinde nihil ex his certi pro vna, vel vtraque ſpecie dici poſſe. Notandum igitur quod Duranti non obſeruauit, fuiſſe pleraque vaſa ad vſum baptiſmi. Hinc in Sixto III. Leonis Magni anteceſſore, idem Anaſtaſius, *Omnia vaſa baptiſmi fecit argentea.* At inter vaſa baptiſterij erant etiam calices: de iis idem Anaſtaſius in Innocentio I. *Obtulit* &c. *calices argenteos baptiſmi numero tres, penſantes ſinguli lib.* 2. &c. Sed puto, pia cupido Lectorem incendit, noſcendi cui vſui in baptiſmo deſtinati eſſent hi calices, qui calices baptiſmi appellabantur? Lubenter igitur huic deſiderio ſatisfaciam. Notandum itaque lac & mel tunc datum ex more baptizatis, quæ ad hoc conſecrabantur & commiſcebantur, imò lac & vinum mixtim etiam: lac ad ſignificandam innocentiam recens baptizatorum: vinum quod dulce erat, ſuauitatem fidei Chriſtianæ. De quo vtroque ritu, quòd luculenter & ex profeſſo ſcripſerit Vicecomes lib. 5. de antiquis baptiſmi ritibus & cæremoniis, c. 41. & 42. 43. 44. citatis ex Patribus expreſſis teſtimoniis vtriuſque Clementis Romani & Alexandrini, Tertulliani, Origenis, S. Hieronymi, S. Chryſoſtomi, Seueri Alexandrini &c. Item ex actis S. Suſannæ Virginis, & Concilij III. Carthaginenſis decretis, ac Ordinis Romani ritibus, formulis & praxibus aliarum Eccleſiarum &c. tàmque Occidentalis quàm Orientalis Eccleſiæ moribus, hoc eſt conſenſu priſci orbis Chriſtiani; ſuperuacaneum puto iis exponendis nouam operam inſumere. Sed hoc ex principio deducimus vnde dicti eſſent calices baptiſmi, videlicet quòd liquores vini, lactis & mellis neophytis impertiendi, in his poculis conſecrarentur & miniſtrarentur. Quamobrem etiam dicebantur calices miniſteriales, quia in iis commixta vinum & lac, ſeu mel & vinum, nuper regeneratis propinabantur. Fiebat illa commixtio ſuper altare ritu ſolenni, vt ex præcitato III. Concilio Carthaginenſi patet, c. 24. *Vt in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum: primitiæ verò, ſeu lac & mel, quod vno die ſolenniſſimo pro infantum myſterio ſolet offerri, quamuis in altari offeratur, habet propriam benedictionem, vt à Sacramento corporis & ſanguinis Domini diſtinguatur.* Propriæ huius benedictionis formula etiamnum expreſſa legitur in veteri Ordine Romano, tit. de Sabbato Paſchæ, ſub quo extat benedictio lactis & mellis, *Benedic Domine has creaturas*, &c. *Tom. 10. Biblioth. SS. PP. p. 87.*

Calices miniſteriales erant etiam qui dicebantur Pœnitentiæ. De his Anaſtaſius in Sixto III. *Miniſterium ad baptiſmum, vel pœnitentiam ex argento penſan. lib.* 5. Si coniectari licet, calices pœnitentiæ erant vaſcula

aquæ benedictæ qua aſpergendos eſſe pœnitentes reconciliatos vetus Ordo Romanus præſcribit, ſicut & incenſo thurificandos, ita enim habet: *In officio Cœnæ Domini poſt abſolutionem ſingularem: hic aſpergat eos aqua benedicta & thurificet* &c. Calices igitur eiuſmodi atque thuribula, miniſteria erant pœnitentiæ, quæ Sixtus III. argentea dedit &c.

Erant igitur calices varij vſus vt nominis, diuerſæque formæ & materiæ; ſiquidem apud ipſum Anaſtaſium memorantur Calix ſanctus, calix miniſterialis, calix præcipuus, calix pendentilis, calix fundatus, calix maior, calix minor: calix aureus, gemmeus, argenteus, deauratus: calix baptiſmi, calix pœnitentiæ, calix reticulatus, calix catenatus, calix anſatus, calix imaginatus &c. Operæ pretium fore puto in Lectoris gratiam de ſingulis teſtimonium proferre peremptorium.

ARTICVLVS II.

Varias referens Calicum ſpecies, & denominationes.

§. I.

Calix ſanctus.

De Calice ſancto, præfatus Anaſtaſius in Gregorio III. *Idem beatiſſimus vir fecit in Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis ad Præſepe, patenam, & Calicem ſanctum, ex auro obrizo penſ. lib. 20. fecit in baſilica S. Pauli patenam ex auro obrizo cum calice ſancto, penſ. ſimul lib. 15. ſed & in titulo S. Marci nutritori ſuo fecit patenam, & calicem ſanctum de auro puriſſimo penſ. lib. 11. & calices argenteos 4. penſ. lib. 12.* Et in Leone IV. *obtulit patenam ex argento puriſſimo aureo ſuperinductam colore cum crucis trophæo, Saluatoriſque effigie, & Sanctorum Apoſtolorum pulchro ſchemate decoratam, penſ. lib. 7. ſimiliter Calicem ſanctum, auróque perfuſum Euangeliſtarum habentem iconam, & crucem, penſ. lib. 20 & vncias 7.*

Quæſtio hic neceſſariò diſcutienda occurrit; quiſnam eſſet calix, qui ſanctus propriè, & abſolutè dicebatur? Claudius Sanctesius Annot. 10. de Communione ſub vtraque ſpecie, æquè rectè monet, ac prudenter aduertit, ſanguinem Domini non fuiſſe ſacratum in calicibus miniſterialibus, ſed in alio quodam, & ex illo deinde transfuſum in miniſteriales ad vſum populi. Quam opinionem ſuum in ius Duranti præfatus tranſcribit. At ſe implicat tamen, vt enim vult patenas fuiſſe patentiores calicibus, quia plures ſub vna ſpecie, ſcilicet panis, quàm ſub vtraque communicabant. Ita etiam aſſerere par eſſet miniſteriales calices longè capaciores eo fuiſſe, in quo conſecratio fiebat, quia in ipſo ſolus communicabat Sacerdos; in miniſteriali promiſcua fidelium multitudo. At vix hoc concipi poteſt, ſi enim calix in quo fiebat conſecratio, minor erat miniſteriali, quomodo poterat continere ſacrum liquorem, qui poſſet populo ſitienti vitæ fon-

tem, ſufficere? Æqualis igitur reor fuiſſe capacitatis vtrumque, & fuiſſe calices conſecrationis maiores & minores; itémque miniſterij maiores & minores: ſed calicem, in quo fiebat conſecratio propriè, & abſolutè dictum SANCTVM CALICEM; tum metonymicè, quia, quod per excellentiam ſanctum eſt, continebat. vnde vox in myſteriis primitiua in Eccleſia frequens, SANCTA SANCTIS: tum quod ad Chriſti conficiendum continendúmque ſanguinem conſecratus erat: tum denique quod velut è fonte ſanctitatis, in calícem miniſterialem (quo potandus erat populus fidelis) riuulos gratiæ effundebat. Nec dubium, quin fuerint ab initio illi calices ſancti in Eccleſia, ſiquidem cum Euchariſtia cœperunt: ſed quòd miniſteriales fuerint calices, in ordine communionis Dominici ſanguinis ad populum, vix illi conceſſuri ſunt, qui communionem ſub vtraque ſpecie, ſtabili vſu receptam vnquam fuiſſe in Catholica Eccleſia inficiantur. Qui contrà ſentiunt, opponunt pleraque, à quibus referendis libens abſtineo, cùm huius loci non ſit eiuſmodi quæſtionem dirimere, quæ tractatum proprium, eundémque amplum exigit. Verba S. Laurentij ad B. Sixtum, in Eccleſia celebria ſunt: *Vide vtrum miniſtrum idoneum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.* Acta S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis, à Fortunato conſcripta, fluxæ non ſunt auctoritatis: *Cùm Subdiaconali* (inquit) *ordine fungeretur in die Epiphaniorum, hauriens aquam de fluuio Sequanæ, dum B. Prudentio Epiſcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini ſapor inuentus eſt; Quo viſo obſtupeſcens Pontifex, iuſſit ex ipſo vrceo in calicem ſacrum fundi, vnde vniuerſus populus, miſſâ celebratâ, ad communionem accepit*, &c. Extant adhuc apud Hincmarum, verſus à S. Remigio Archiepiſcopo Rhemenſi dictati, & calici miniſteriali, quo communicandus erat populus, inarati,

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro.

Lindanus lib. 4. Panopliæ Euangelicæ, c. 46. teſtatur calices in pleriſque Eccleſiis vſque in illum diem extare, quibus ſanguis Domini populo communicabatur. Et ego ipſe, qui hæc ſcripſi memor ſum vidiſſe in hac mea Parœciali Eccleſia Sanctorum Lupi & Ægidij, cuius fundatio 500. fermè annos attingit, calices eiuſmodi miniſteriales duos argenteos deauratos, cum propria cuiuſque patena: differentes autem à calicibus ſanctis in quibus fit conſecratio ſanguinis Domini, in eo quod illis erant ſummiſſiores, ſed patentiores: patenis figura crucis ab vtraque parte erat inſculpta, quadringentorum ſaltem annorum antiquitatem referebant; nec tamen dicebantur à Clericis calices, ſed cuppæ ſeu pateræ; quarum in ſolo Paſchali die ad menſam Domini vſus etiamnum conſuetus erat, non quidem ad populo ſanguinem Domini imperriendum, ſed duntaxat pauxillum vini exhibendum iis qui ad diuinam ſynaxim acceſſerant, hoſtiæ ſcilicet faciliùs ſumendæ & traiiciendæ in ſtomachum gratiâ, ſumebat eiuſmodi poculum qui volebat; monebantur tamen omnes neutiquam Chriſti ſanguinem in his pateris contineri. Quia tamen periculum erat, ne ſimpliciores ſibi perperàm perſuaderent delibari ex eiuſmodi po-

culis Chriſti ſanguinem, cautiùs agendum cenſui: ſuſtuli igitur hunc morem propinandi vinum populo à menſa Domini redeunti, & iſtos calices ſeu pateras propter venerandam antiquitatem ſpectabiles, reponi feci non inter ſacros calices, ſed in Eccleſiæ gazophylacio inter alia pleraque eiuſdem Eccleſiæ vetuſtæ formæ cimelia. Caſu deinde contigit, vt quidam æditius ſeu matricularius videns pocula illa Eccleſiaſtica nulli iam eſſe vſui, me inconſulto, ſuiſque ipſius Collegis pleriſque titulis maioribus, eadem vaſa vendiderit, pretio in res vtiliores, vt poſteà dixit, & magis neceſſarias impenſo. Carolus Sauſſeyus in annalibus Eccleſiæ Aurelianenſis, lib. 6. vbi deſcribit ſolennitatem Iubilæi ſæcularis ea in vrbe celebrati, anno 1600. ex conceſſione Clementis VIII. ſummi Pontificis, morem illum exhibendi populo mox poſt ſumptam diuinam ſynaxim, vinum in vaſculis non ſacris viguiſſe adhuc in Eccleſia Aurelianenſi, his verbis teſtatut: *Poſt impertitam*, inquit, *è ſummo altaris communicaturis generalem abſolutionem, Corpus Dominicum in vaſis argenteis deauratis quiſque* (id eſt Sacerdos diuinæ huic diſpenſationi præfectus) *ſua ex parte deſcendentes ad menſam ſumma reuerentia ori ſingulorum porrigebant, inde verò ad ſummum altare redeuntes, depoſita Euchariſtia & de geniculis adorata, benedictionem communicatis impertiebantur, & miſſionem faciebant. Erant qui poſtmodùm vinum prælibarent * ex profano vaſe, quod nemo niſi ex libitu accipiebat, certus ſub altera ſpecie recepiſſe ſe integrum Chriſti corpus, vt docent Conciliorum ſacra & indubitata conſtitutiones.* Qua de communione ſub vna tantùm ſpecie memini me aliquando libellum ſcripſiſſe apologeticum contra importunas argutationes huius temporis ſectariorum, vulgari idiomate, ſed ex quo meis è manibus exiit rogantibus amicis commodatus, eum hactenus recuperare non potui, nec mihi minima de eo ſchedula ſupereſt, quia ipſum autographum dedi præcipuo cuidam amico perlegendum, qui rurſus commodauit alteri, & hic iterum alteri: & ſic tranſmiſſum de manu in manum à me prorſus amiſſum eſt. Verùm hoc πάρεργον. Satis pro inſtituto de Calice, qui Sanctus iampridem propriè dicebatur ad cæterorum diſcrimen, in quibus non fiebat conſecratio Dominici ſanguinis.

* *delibarent*

§. II.

Calix Miniſterialis.

De calice miniſteriali iam ſuprà diſſeruimus ſatis pro opuſculi huius modulo. Pleriſque locis apud Damaſum & Anaſtaſium, vt innuimus, fit mentio calicum miniſterialium: erántque hi, vt etiam præſignauimus, facti ad diuerſos vſus. Hæret mihi aqua ex his verbis Anaſtaſij in Gregorio III. *Item fecit patenam, & calicem in baſilica S. Petri Apoſtoli pro quotidianis miniſteriis ex auro puriſſimo penſ. ſimul lib.* 24. Siquidem diſquirendum venit, quænam ſunt illa quotidiana miniſteria? hæc ſanè de ſacrificio intelligi non poſſunt, nam calix qui diuino myſterio ſeruiebat, dicebatur calix ſanctus, ad miniſte-

rialium differentiam, reliquorúmque communium, vt exemplis ſuprà ipſo ex Anaſtaſio productis planè conſtat. Nec itidem de miniſteriali calice quocumque accipi debet. Nam quotidie Sacramentum chriſmatis, (vnde vocabantur pateræ chriſmales, & proinde calices) ſcilicet confirmationis Sacramentum, non miniſtrabatur. Baptiſmus quidem omni die miniſtrari poteſt, ſed non ingruit quolibet momento eius neceſſitas: túmque calix baptiſmi fuiſſet, non Euchariſtiæ. At verò Ordo Romanus (ex quo, & dictis Anaſtaſij elicitur) ſolennem dumtaxat pœnitentiam ſpectat, quæ fieri conſueuerat die cinerum in capite ieiunij; feriáque 5. in Cœna Domini terminabatur: qua die ſolenni ritu reconciliabantur pœnitentes. Nihil ſupereſt igitur ſuſpicari, quàm quotidiana illa miniſteria pertinuiſſe ad Euchariſtiæ diſpenſationem: fauet tum materiæ præſtantia, nam calix ille aureus erat cum maiori parte, reliqui argentei dumtaxat erant. Tum auitus Romanorum ritus quotidie communicandi, cuius teſtis eſt S. Hieronymus in epiſtola ad Lucinum, ordine 28. qua ſic ſcribit: *De ſabbato quod quæris vtrum ieiunandum ſit, & de Euchariſtia, an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia & Hiſpanicæ obſeruare perhibentur. Scripſit quidem & Hippolytus vir diſertiſſimus* &c. Non tamen velim ſic morem iſtum Lector accipiat, vt de neceſſitate præcepti eſſet Romæ illa communio, (Nam Anacleti quod fertur hac de re decretum, vt ſonat, numquam in vſu fuit, ſicut cum Cardinale Bellarmino in noſtra Panoplia Clericali notandum monuimus) vel quòd etiam propria ſponte omnis populus Romæ quotidie communicaret, ſed pars non modica, adeovt nonnullis piis perſonis (quemadmodum nuper ferè vbique mos ipſe laudabilis feliciter repullulare cœpit) frequens ipſa communio eſſet in vſu. Quapropter erat ille calix datus ad quotidianum miniſterium, ſcilicet diſpenſationis Dominici ſanguinis. Quòd ſi quis vrgeat numerum pluralem, *quotidiana miniſteria*, tum dicam etiam ad miniſterium baptiſmi fuiſſe deſtinatum, mos enim tunc erat regeneratis, vt chriſmatis conferretur, hoc eſt confirmationis Sacramentum; móxque Euchariſtia communicaretur. Habui non ita diu penes me vetus Pontificale ad vſum Eccleſiæ Trecenſis: in quo præſcripta formula iubet vt recèns baptizati (adulti, vt reor) *ſi adeſt Epiſcopus continuo ſacro chriſmate confirmentur, ſi abeſt, à Preſbytero corpore & ſanguine Domini communicentur.* Accedit etiam mos antiquus impertiendi recèns baptizatis vinum dulce, mel & lac, quibus propinandis calix ipſe deſtinatus quotidianis miniſteriis etiam inſeruiret. Atque hactenùs de miniſteriali calice.

§. III.

Calix præcipuus.

ANASTASIUS meminit non ſemel calicis præcipui. In Leone III. *Fecit,* inquit, *calicem aureum præcipuum, ornatum lapidibus pretioſis penſ. lib.* [illegible] *ſimiliter & patenam auream &c. Fecit B. Petro nutritori ſuo calicem aureum præ-*

præcipuum ſpatioclyſtum &c. penſ. lib. 30. pari modo fecit & patenam auream ſpatioclyſtam ſimiliter ornatam pretioſis lapidibus penſ. lib. 25. Idem verò ſanctiſſimus Præſul Spiritus ſancti illuſtratione perfuſus, fecit B. Petro Apoſtolo nutritori ſuo calicem aureum præcipuum tetragonum ſpatioclyſtum diuerſis ornatum lapidibus pretioſis penſ. lib. 32. Necnon fecit & patenam auream ſpatioclyſtam miræ magnitudinis decoratam penſ. lib. 25. & vncias 9. Vnde verò calices iſti præcipui dicantur? puto à magnitudine, pretio, pondere, decore, quo ſenſu etiamnum dicimus in Eccleſiis Pariſienſibus, *Le beau calice*, id eſt ille, qui inter cæteros præſtantior eſt, materiæ pretio & elegantia formæ. Sic in ſcriptura Eſther 1. *vinum præcipuum* appellatur, quod magis ſuaue ac generoſum erat: *Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.* Præcipuum ſanè id omne denotat, quod excellit & propter excellentiam ſingulare dici poteſt. Sed hoc nemo eſt tantiſper ſciens, qui ignoret, quamobrem haud opus habet hoc vocabulum vlla interpretatione.

§. IV.

Calix pendentilis.

IDEM Anaſtaſius commemorat de Leone III. Calices qui pendent in arcu & alios qui pendent inter columnas. Nempe non omnes calices ad miniſterium facti erant, ſed etiam ad diuini ſanctuarij ornamentum. Paulinus eiuſmodi cimelia *ſacri pompam miniſterij* appellat ep. 12. ad Seuerum, qua hunc in modum modulatur de arcula, quæ erat à parte dextra abſidis.

Hic locus eſt veneranda penus vbi conditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterij?

Pompa, rerum progredientium ordo eſt, vel etiam ſolennis apparatus & oſtentatio in triumpho. Origine Græca eſt dictio, nam πομπὴ eſt deductio, ὁδηγία, qualis ſolet fieri in triumpho, aut publicis ſupplicationibus. Huc ſpectat iſtud Virgilij,

Ad delubra iuuat ſolennes ducere pompas.

Cùm admodum eſſem iuuenis, Nanceyum profectus ſum ad viſendum proauunculum meum, Cæſarem Poyrier, primum Ducis Lotharingiæ Eleemoſynarium: eundóque & redeundo tranſitum feci apud Tullum Leucorum; quod ſedes eſt Epiſcopalis, inter Galliæ illuſtres Eccleſias non poſtrema. Contigit vt eſſem illic Dominica in octaua Pentecoſtes, qua celebratur feſtum ſanctiſſimæ Trinitatis, ſacriſque vt intereſſem iuxta Eccleſiæ præceptum, ſummum huius ciuitatis adij Templum, quod memoriæ Beati protomartyris Stephani ſacratum eſt. Erat illud tunc in decore ſuo propter ſanctorum dierum continuam ferè ſolennitatem, ſed maximè pars Eccleſiæ ſacratior appendentibus per funiculos pretioſis lipſanodochiis, calicibus, Sacerdotalibus ornamentis, & ſpecioſis quibuſque cimeliis miro ornatu radiabat. Perquiſiui num nouo more, vel veteri ritu,

hoc in ea Eccleſia obſeruaretur? Reſponſum eſt à ſenioribus Canonicis morem hunc fuiſſe à maioribus ad poſteros pia obſeruatione tranſmiſſum, conferréque plurimum ad inſignium feſtiuitatum celebritatem; his enim indiciis deſignari inſigniorùm ſolennitatum excellentiam, diuinum ſplendeſcere cultum, & Eccleſiæ promentis è ſuo theſauro noua & vetera, erga ſponſum ſuum, amorem & reuerentiam demonſtrari.

§. V.

Calix fundatus.

HVIVS nuncupationis mentio frequens occurrit apud ipſum Anaſtaſium, v. g. in Hadriano I. *Fecit in baſilica S. Petri calicem fundatum argenteum penſ. lib. 5.* In Leone III. *Et in baſilica S. Priſcæ fecit iſdem Antiſtes calicem fundatum ſuperauratum vnum, & coronas tres. Fecit in baſilica B. Pauli Apoſtoli, calices maiores fundatos ex argento puriſſimo, ex ipſius Apoſtoli donis.* Ex quibus verbis nominis huius ratio videtur poſſe elici. Siquidem hîc inſinuatur Pontificem hos calices quidem non dediſſe, ſed fieri curâſſe ex conflatis ex eiuſdem templi donariis, ſeu ex fundo, vel pecunia Eccleſiæ. Hinc illæ aliæ phraſes Anaſtaſianæ, in ipſo Leone III. fecit in Eccleſia *S. Martyris Sabinæ veſtem de fundato.* Sic & in Stephano V. *fecit vela de fundato* &c. In oratorio, *S. Barbaræ fecit veſtem de fundato*, id eſt de Eccleſiæ rebus & donis.

§. VI.

Calices maiores & minores.

ERANT huiuſmodi calices in qualibet ſpecie: Nam ex Anaſtaſio præfato in Leone III. *Fecit calices maiores fundatos:* Et antehac, *fecit calicem maiorem cum gemmis & anſis duabus penſ. lib. 58. in baſilica B. Pauli Apoſtoli menſam argenteam minorem cum diuerſis vaſis argenteis, quæ ad vſum ipſius menſæ pertinent.* Et in Stephano V. *Fecit calices maiores ex argento pendentes numero 42. qui omnes inſimul penſ. lib. 281.* Cæterùm ad calices minores quod ſpectat ſcribit Damaſus in Silueſtro, *Conſtantinum dediſſe calices minores miniſteriales quinquagima penſ. lib. binas.* Et Anaſtaſius in Bonifacio I. *Calices minores argenteos duos penſ. lib. 4.* Maiores igitur, minoréſve dicebantur, non à præſtantia materiæ, vel dignitate vſus, ſed magnitudine vel paruitate vaſis, ponderíſque grauitate vel leuitate.

De calice maiore ſic habes in Ordine Rom. tit. de officio Miſſæ p. 19. tom. 10. Biblioth. SS. PP. *Archidiaconus verò poſt eum amulas ſuſcipit, & in calicem maiorem quem Subdiaconus regionarius ſequens portat vacuum, refundit; qui cùm fuerit repletus refunditur in ſcyphū, quem ibi tenebit ſequens Acolythus.*

§. VII.

Calix aureus.

DE calicibus aureis ſuperfluum eſſet hîc ponere indicem, cùm ex citatis Damaſi & Anaſtaſij locis colligere ſit, vix fuiſſe dudum Ro-

mæ Eccleſiam, in qua calix aureus vnus hícque præcipuus, quin etiam plures aurei maiores, minoréſve haberentur. Nota eſt apud Prudentium in hymno S. Laurentij, perſecutoris querela, Chriſtianorum myſtas in aureis poculis ſolitos ſacrum cruorem libare, ait enim:

Hac diſciplina fœderis,
Libent vt auro Antiſtites.

Calix ſancti Eligij qui ſeruatur Kalæ regali monaſterio diœceſis Pariſienſis, totus eſt ex auro, infixis gemmis in exteriori ſuperficie. Quin canones ſuperiùs citati decernunt calices ex auro paſſim eſſe debere, aut ſaltem ex argento.

§. VIII.

Calices gemmei.

NIHIL itidem frequentius in Pontificali libro Damaſi, vel Anaſtaſij, quàm calicum inſignium gemmis recenſio, & lapidibus fulgentium pretioſis. Iámque ſuprà tot ſignatæ ſunt ſpeciales eorum deſcriptiones, in Eccleſiarum qui extabant ſacrariis, vt ludere operam ſit hîc ſuggerendis hac de re teſtimoniis fixo pede immorari; Repetenda quæ ſuprà diximus c. 6. cuius prænotatio eſt, gemmatos calices dudum fuiſſe.

§. IX.

Calices argentei.

CALICE argenteo vſum fuiſſe Dominum, in ſacræ Euchariſtiæ inſtitutione, ſuprà ex Beda commemorauimus. Hinc Sacerdotes diuino in miniſterio argentea pocula ſacra vſurpaſſe, impius iudex vel ipſe teſtis eſt, apud Prudentium in S. Laurentij Epinicio, quo in perſona ethnici iudicis ita canit,

Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem.

Millies apud Damaſum & Anaſtaſium reperitur, argenteos calices ab Pontificibus, Cæſaribus, aliiſque ſummatibus viris, Chriſti aris oblatos & ſuſceptos. Legimus de S. Bernardo, quòd tam fuerit amans paupertatis, vt in ipſa ſua Eccleſia Claræuallenſi nihil aureum, argenteúmve eſſe voluerit, niſi calicem tantùm, quem propter reuerentiam Dominici ſanguinis permiſit fratribus habere argenteum. Nec dubito quin huc ſpectarit Bernardus Abbas Bonæuallis, lib. 2. de vita ipſius B. Bernardi, c. 1. *Rediens*, inquit, *Claramuallem Leodio, Dominus Papa* (Innocentius II.) *per ſeipſum voluit viſitare, vbi à pauperibus Chriſti, non purpura & byſſo ornatis, nec cum deauratis Euangeliis occurrentibus, ſed pannoſis agminibus, ſcopuloſam baiulantibus crucem, non tumultuantium claſſicorum tonitruo, non clamoſa iubilatione, ſed ſuppreſſa modulatione, affectuoſiſſimè ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe ſummus Pontifex, mirabatur congregationis grauitatem, quòd in tam ſolenni gaudio, oculi omnium humi defixi,*

nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur, ſed demiſſis palpebris, ipſi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in illa Eccleſia vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi ſupellex eorum ſollicitanis aſpectum, nihil in oratorio niſi nudos viderunt parietes. Porro non eſt tamen quòd inde quiſquam exiſtimet S. Bernardum, ornatum Eccleſiarum ſplendidum, argenteámque, aut auream ſanctuarij ſupellectilem reprobaſſe: cenſuit dumtaxat auſteritati monaſticæ non conuenire: *Cæterùm alia* (inquit) *cauſa eſt Epiſcoporum, alia monachorum: excitandos à Prælatis fatetur populos corporalibus ornamentis*, at nihil tale monachis competere. *Patiamur* (inquit) *& hæc fieri in Eccleſia, quia etſi noxia ſunt vanis & auaris, non tamen ſimplicibus & deuotis. Cæterùm in clauſtris coram lugentibus fratribus, quid hoc facit?* Ita S. Bernardus longéque plura alia in Apologia ad Guilielmum Abbatem: qua quorumdam etiam Abbatum faſtum reprehendit aculeato ſtylo, qui parum de Dei gloria ſolliciti, eò vſque luxûs proſiliebant, vt vix principes exteriorum rerum ſplendore illis eſſe pares viderentur. Locus inſignis eſt, dignúſque qui recitetur: *Mentior*, inquit, *ſi non vidi Abbatem ſexaginta equos, & eo amplius in ſuo ducere comitatu: dicas ſi videas eos tranſeuntes non patres eſſe monaſteriorum, ſed dominos caſtellorum, non rectores animarum, ſed principes prouinciarum. Tum deinde geſtari iubentur, mappulæ, ſcyphi, bacini, candelabra, & manticæ ſuffarcinatæ, non ſtramentis ſed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à ſua quiſpiam domo recedit, niſi cum tota ſupellectili ſua, tanquam ſit iturus ad exercitum, vel tranſiturus per deſertum, vbi non valeant inueniri neceſſaria: an non poſſet eodem vaſculo, & aqua manibus vergi, & vinum bibi? An non poſſet ardens lucere lucerna, niſi in tuo quod portas candelabro, & hoc aureo, vel argenteo?* Proh pudor! rigidæ adeò obſeruantiæ profeſſores aurum & argentum ſuperfluis hiſce rebus quiſquiliíſque inſumere. At, oro, dicas, ſi cùm tantum faſtum luxúmque reprehendebat S. Bernardus, quiſpiam ex illis Cœnobiarchis, vanitatis pertæſus, conflaſſet eiuſmodi candelabrum argenteum, aut aureum, in patenam, & calicem, quibus corporis, & ſanguinis Domini myſteria honorificentiùs celebrarentur: an factum hoc ſanctus ille Pater reprehenſione dignum exiſtimaſſet, vel potiùs inſigni commendatione? Laudâſſet profectò plurimum, alióſque ad eiuſdem imitationem quantum potuiſſet, equidem fuiſſet hortatus. Cùm ipſe paupertatis, ſimplicitatis, modeſtiæ adeò ſtudioſus vaſculum nihilominus conſecrationis diuinorum myſteriorum, non alio inferiori metallo, quàm argenteo, ſuo in Monaſterio eſſe pateretur.

Imò ipſe dediſſe perhibetur Monaſterio Aureæ Vallis nuper fũdato, cui primũ Abbatẽ Conſtantinum charum ſibi diſcipulum præfecerat, deauratum calicẽ, quemadmodũ ex iſtius Monaſterij monimẽtis refert Chryſoſtomus Henriquez, in Menol. Ciſtercienſi, 6. Idus Decembris p. 409. col. 2. in med.

§. X.

Calix argenteus deauratus.

ANASTASIVS in Leone III. huiuſmodi calicis hunc in modum meminit: *Et in baſilica S. Priſcæ fecit iſdem Antiſtes calicem fundatum ſuperauratum vnum, & coronas tres.* Baſilica hæc B. Priſcæ titulus eſt Cardinalis, quem pridem in ius Galliæ tranſtulit Alexander II. ſummus Pon-

tifex, propriúmque fore in perpetuum decreuit Abbatum Monaſterij ſanctiſſimæ Trinitatis Vindocinenſis. Ita enim ſtatuit magnifico, & munifico diplomate ad Odericum illius loci Abbatem: *Concedimus etiam omnibus huius loci Abbatibus Eccleſiam B. Priſcæ cum dignitate Cardinali, ſancti Spiritus iudicio decernentes, vt nulla deinceps Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona prædictam B. Priſcæ Eccleſiam, ſeu Eccleſiæ dignitatem eis auferre qualibet occaſione præſumat. Dat.* MLXII. Videndus Sirmondus in notis ad lib. 1. epiſtolarum Godeffridi Abbatis Vindocinenſis Cardinalis S. Priſcæ ep. 9.

§. XI.

Calices Baptiſmi, & Pœnitentiæ.

DE his ſuprà diximus, citatis ipſius Anaſtaſij teſtimoniis hoc ipſo capite, art. 1. à medio ad finem.

§. XII.

Calix reticulatus.

HVIVS ſpeciei calicis idem Anaſtaſius iſto modo meminit: *Huius* (Leonis IV.) *temporibus Michaël filius Theophili Imperatoris Conſtantinopolitanæ vrbis, ob amorem Apoſtolorum, miſit ad B. Petrum Apoſtolum, donum per manum Lazari Monachi &c. id eſt Euangelium de auro puriſſimo cum lapidibus pretioſis. Calicem verò ſimiliter de auro, & lapidibus circumdatum reticulo pendente, de gemmis albis pretioſis miræ pulchritudinis decoratum, & paruo cooperiorio ipſius calicis, ſicut mos Græcorum eſt.*

§. XIII.

Calix catenatus.

IDEM S. R. E. Bibliothecarius, in ipſo Leone IV. *Obtulit etiam,* inquit, *B. Petro Apoſtolo calices de argento, qui ſedent ſuper circuitu altaris, num. 16. penſ. lib. Verùm etiam Calicem pendentilem cum catenulis, & delphinis, penſ.*

§. XIV.

Calix anſatus.

CAROLVS Magnus Imperator, *Item dedit Baſilicæ S. Petri patenam auream, cum gemmis diuerſis, penſ. lib.* 30. *& Calicem maiorem cum gemmis, & anſis duabus, penſ. lib.* 58. In Ordine Romano Tit. de Off. Miſſæ, *Leuat Archidiaconus de manu Subdiaconi regionarij calicem, & ponit eum ſuper altare iuxta oblatam Pontificis à dextris, atque cum offertorio in cornu altaris poſito, inuoluens per anſas calicem, ſtat poſt Pontificem.* Et infrà; *Cùm dixerit Pontifex, Nobis quoque peccatoribus, ſurgunt Subdiaconi: cùm dixerit, Per quem hæc omnia Domine, ſurgit Archidiaconus ſolus; Cùm dixerit, Per*

ipſum & cum ipſo, leuat Archidiaconus cum offertorio Calicem per anſas, & tenet exaltans illum iuxta Pontificem.

§. XV.

Calix Tetragonus, ſeu quadrangularis.

IDEM *verò* (inquit Anaſtaſius in Leone III.) *ſanctiſſimus Præſul, Spiritus ſancti illuſtratione perfuſus, fecit Beato Apoſtolo nutritori ſuo calicem aureum præcipuum tetragonum* (id eſt quadrangularem) *ſpanodyſtum diuerſis ornatum lapidibus pretioſis penſ. lib.32. Necnon fecit, & patenam auream ſpanoclyſtam miræ magnitudinis decoratam, penſ. lib. 25. & vncias 9.*

§. XVI.

Calix imaginatus.

IN teſtamento S. Remigij quod refert verbatim Flodoardus, hiſt. Eccleſ. Remenſ. lib.1.c.18. legati Calicis eiuſdem fit mentio, hac dictorum ſerie: *Illud quoque vas aureum decem librarũ, quod mihi ſæpe nominatus Dominus illuſtríſque memoriæ Ludouicus Rex, quem vt prædixi, de ſacro fonte ſuſcepi donare mihi dignatus eſt, vt de eo facerem quod ipſe facere voluiſſem, tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſuprà memoratæ iubeo turriculum, & imaginatum calicem fabricari, & epigrammata quæ Lauduni in argenteo ipſe dictaui, in hoc quoque inſcribi volo.* Vbi per imaginatum calicem, intelligi conſtat calicem ſculptis ſacris imaginibus inſignitum. Nec mos ille tunc primùm cœpit, vt ſacri calices piis imaginibus decorarentur. Siquidem ipſo tempore Tertulliani, quem S. Hieronymus eius in elogio, lib. dē Scriptoribus Eccleſiaſticis iure nuncupat, vicinum Apoſtolicorum temporum, vſu receptum in Eccleſia fuerat, vt calicibus myſticæ imagines appingerentur. Meminit enim vetuſtiſſimus hic auctor, lib. de pudicitia, c. 7. calicis in quo figura boni paſtoris ouem ſuis humeris impoſitam ad gregem proprium reuehentis: *Procedant*, inquit, *ipſæ picturæ calicum veſtrorum* (Catholicos hîc alloquitur, quibus iam infeſtus erat) *ſi vel in illis perlucebat interpretatio pecudis illius*, &c. Et infrà. *Grex Domini, Eccleſiæ populus, & paſtor bonus Chriſtus, & ideò Chriſtianus in oue intelligendus, qui ab Eccleſiæ grege errauerit.* Et c. 10. *Cui ſi fortè patrocinabitur paſtor, quem in calice depingis. De quo nihil libentiùs bibas, quàm ouem pœnitentiæ ſecundæ.* &c.

CAPVT XV.

De poſitione, & ſitu Calicis ſancti in altari.

Lib. 8. de Trinitate ante med.

IN *Dei rebus*, inquit S. Hilarius, *humano non eſt ſenſu loquendum*: nec in ſacris myſteriis quicquam inordinatè faciendum. Vult Apoſtolus in Eccleſia omnia cum ordine fieri, etiam minima, quantò maxima magis? ſacrificium verò Euchariſtiæ, eſt (vt ait S. Dionyſius) omnium diuinorum diuiniſſimum; decenter igitur, & ad rectæ rationis normam in eo omnia debent fieri, nihil caſu, nihil temerè, aut incongruè, & indecenter admitti.

Calix benedictionis præcipuum eſt myſterij pietatis inſtrumentum: quamobrem ſicut de eius materia, & ritu conſecrationis iampridem Eccleſia præfixit leges; ita & de eius collocatione, & ſitu in altari regulas certas conſtituit, quas firmauit vſus, Eccleſiæque perennis conſenſus obſignauit.

In Miſſ. Rom.

In deſcriptione Ritus celebrandi Miſſam, circa poſitionem calicis in altari, à Græcorum more Latinus vſus nonnihil diſſonat. Art. 1. ſiquidem, cuius eſt inſcriptio de præparatione Sacerdotis celebraturi, *Ingrediens Sacerdos ad altare à cornu Euangelij ſiſtit calicem, extrahit de burſa corporale, &c. quod extendit in medio altaris, & ſuper illud præparat calicem &c. ſuper os eius ponit purificatorium mundum, & ſuper illud patenam cum hoſtia integra* &c.

Si eſt conſecraturus plures hoſtias pro communione facienda, quæ ob quantitatem ſuper patena manere non poſſunt, locat eas ſuper corporale ante Calicem, aut in aliquo calice, vel vaſe mundo conſecrato ponit eas retro poſt calicem, & alia patena ſeu palla cooperit. Porrò tit. de offertorio, & aliis vſque ad canonem, ſic habet celebrandi Ritus:

Impoſita aqua in Calice, & finita oratione, Deus qui humanæ ſubſtantiæ: accipit manu dextra calicem diſcoopertum, & ſtans ante medium altaris ipſum ambabus manibus eleuatum tenens, videlicet cum ſiniſtra pedem, cum dextera autem nodum infra cuppam intentis ad Deum oculis offert, Offerimus tibi Domine &c. *Qua oratione dicta facit ſignum crucis, cum calice ſuper corporale, & ipſum in medio poſt hoſtiam collocat, & palla cooperit.* Græcorum mos ab hoc Latino ritu differt collocationis Calicis ſancti, in quo nimirum fit conſecratio Dominici ſanguinis. Non enim in longum coram ſe, ſed in tranſuerſum panem, & vinum in protheſi ipſi Græci ordinant, vt quod nunc figuratè agitur, peracta conſecratione, omni veritate certius (iuxta ſanctum Chryſoſtomum hom. 24. in ep. 1. ad Cor.) τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὂν ἐκεῖνο τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν. *quod eſt in calice, id quod è latere fluxit, eſſe credatur.*

Apud Latinos obtinuit dudum idem ritus collocandi calicem non in medio ipſo altaris, ſed à parte dextera hoſtiæ ſuper ipſum altare

Tom. 10. Bibliot. SS. PP. p. 20. B.

impoſitæ, id eſt non in longum, ſed in tranſuerſum. Id verò facilè colligi poteſt ex Ordine Romano, Tit. Qualiter ſit celebrandum ſacrificium Miſſæ? Quo ſic legimus. *Deinde Archidiaconus ſuſcipit oblatas Pontificis de oblationario* (id eſt de protheſi) *& dat Pontifici, quas dum poſuerit Pontifex in altari leuat calicem Archidiaconus, de manu Subdiaconi regionarij, & ponit eum iuxta oblatam Pontificis à dextris, atque cum offertorio in cornu altaris poſito, inuoluens per anſas calicem, ſtat poſt Pontificem.* Ex quo loco Micrologus de obſeruationibus Eccleſiaſticis c. 10. cuius titulus eſt, *de oblatione in altari componenda. Ita autem* (inquit) *iuxta ordinem Romanum in altari componenda ſunt, vt oblata in corporali poſita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus; nam oblatam ſiue panem in verum Chriſti corpus, ſicut & vinum in ſanguinem Dominicum conuerti non dubitamus.*

eodem Tom. p. 737.

Quo ex ritu firmatur admodum illa celebris opinio, quòd Chriſti dextrum latus, non verò ſiniſtrum lancea apertum fuerit. Fauent antiquiſſimæ picturæ; fauet & nummus ille peruetuſtus (quem ab Henrico Imperatore Conſtantinopoli in Galliam Belgicam, anno 1208. miſſum didicimus) nunc vſque aſſeruatus in Monaſterio Lætienſi; cuius ectypon expreſſit ac efformauit Lipſius in not. ad c. 10. lib. 2. de Cruce, & poſt illum Gretſerus, lib. itidem 2. de S. Cruce c. 4. & nos hic damus ab vtroque acceptum,



Inſcriptio in eo eſt, *κόσμου τὸ λύτρον αἷμα τοῦ θείου λόγου*: *Mundi redemptio ſanguis diuini Verbi.* In hoc perſpicitur Chriſtus crucifixus cum quatuor clauis, & ſuppedaneo. Aſtante Virgine eius ſanctiſſima genitrice à dextro latere, & S. Ioanne à ſiniſtro: pone quem cernitur expreſſus ille miles, qui Chriſto ſitienti ſpongiam aceto plenam cum hyſſopo exſuggendam obtulit. At à dextro latere prope beatam ipſam Deiparam alius ſpectatur ille miles, qui lanceâ latus eius iam mortui aperuit (Ioan. 19.) vnde mox exiuit ſanguis ex aqua. Hinc mos Græcis ſolennis lanceolâ pungendi calicem ſitum ſuper altare, vt prænotauimus, prope hoſtiam in latere dextro, ita enim præſcriptum habent in Liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi, in primo offertorio. *At Diaconus præparat ſacra, ſanctum quidem diſcum* * *ad partim ſiniſtram, calicem verò ad dexteram, & alia cum ipſis. Dehinc venerationem ter ante propoſitionem exhibentes* (Sacerdos ſcilicet & Diaconus) *dicit vnuſquiſque; Deus propitius eſto mihi peccatori. Et redemiſti nos à maledicto legis pretioſo tuo ſan-*

V. Euchologiũ Græcorũ nuper editum Pariſiis p. 60. & 116.

* Id eſt patenã. Index reliquiarum præcitatus: *Genua ſeruatur catinum ſmaragdinũ, in quo Dominus cum Apoſtolis cœnauit.*

ſanguine, cruci affixus & lanceâ perforatus, immortalitatem tanquam ex fonte præbuiſti hominibus, Saluator noſter, gloria tibi.

Et Diaconus dicit, *Benedic Domine.* Et Sacerdos, *Benedictus Deus noſter perpetuò, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Poſt hæc ſumit Sacerdos ſiniſtra quidem manu, dextra verò ſanctam lanceam, & cum ea ſignum crucis faciens ſuper ſigillum oblatæ, dicit ter, *In memoriam Domini, Deíque & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*, & ſtatim infigit ſanctam lanceam in dexteram partem ſigilli (id eſt crucis ſuper ſpeciem panis efformatæ) & ſcindens dicit, *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt*: in ſiniſtra verò ſimiliter infigens ſanctam lanceam dicit, *Et vt agnus manſuetus coram tondente ſe obmuteſcens, ſic non aperiet os ſuum.* In ſuperiore verò parte ſigilli rurſus infigens ſanctam lanceam dicit, *In humilitate eius iudicium eius ſublatum eſt.* In inferiori autem parte ſigilli infigens iterum ſanctam lanceam, dicit, *Generationem autem eius quis enarrabit?* At Diaconus in qualibet inciſione dicit, *Dominum precemur*, tenens etiam dextera manu ſtolam. Dehinc dicit, Diaconus, *Tolle Domine*, & Sacerdos immittens ſanctam lanceam ex obliquo dexteræ partis oblatæ, extollit ſanctum panem ſic dicens, *Quoniam tolletur de terra vita eius, perpetuò, nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, amen.* Et ponens ſupinum in ſancto diſco, poſtquam dixit Diaconus, *immola Domine*, Sacerdos ſacrificat illum in modum crucis dicens, *immolatur agnus Dei qui tollit peccatum mundi, pro mundi vita & ſalute.* Et conuertit aliam partem quæ habet ſurſum crucem, & dicit Diaconus, *Punge Domine.* Sacerdos verò ipſum in dextera parte pungens ſancta lancea, dicit, *Et vnus militum lancea latus eius aperuit, & ſtatim exiuit ſanguis & aqua.*

Scilicet ex latere dextro: In hoc enim percuſſum fuiſſe Dominum probabilior eſt ſententia, quam amplexus S. Bernardus ſerm. 7. in pſal. *Qui habitat. Dextrum*, inquit, *propter me, paſſus eſt latus findi: quod videlicet nonniſi de dextera mihi propinare vellet, non niſi in dextera, locum parare refugij.* Atque hactenùs de ſitu Calicis in altari.

Gg

CAPVT XVI.

Miſcellanea de Calice.

§. I.

Ex Calice ſancto ſanguinis Domini inſtillandi in os infantium, mos fuit primitiuæ Eccleſiæ: quem inſigni miraculo illuſtratum refert S. Cyprianus in celebri ſermone, de lapſis.

COMMVNICABANT Veteres aliquando infantes: ſed ſub vna tantùm ſpecie, nimirum non ſub ſpecie panis, quia infantes non poſſunt cibum aliquem ſolidum ſumere. ſed inſtillando in os eorum, aliquid ſanguinis Domini, Diaconi miniſteriô, qui Epiſcopo vel Sacerdoti ſacrificanti ex officio aſſiſtebat: teſtis eſt ſanctus Cyprianus huius ritus ſua adhuc ætate obſeruati, hac æterna memoria digna, rei geſtæ ſub ſuo conſpectu, enarratione. *Præſente*, inquit, *ac teſte meipſo accipite quod euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minùs ſibi conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magiſtratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione prætereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti ſimplicibus adhuc annis, rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit: faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licèt de Sacramento Calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus, in corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit, ſanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas! ſecreta tenebrarum ſub eius luce detecta ſunt, Sacerdotem Dei nec occulta ſcelera fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa ſe crimen, necdum habuit ætatem.* Hactenùs S. Cyprianus. Ex cuius verbis palam eſt antiquiſſimum ritum fuiſſe in Africa communicandi pueros, adeóque infantes, inſtillato de ſancto calice illorum in os, ſtatim à baptiſmo ſanguine Domini. Proinde S. Auguſtinum, quem auctorem huius praxis pleríque faciunt recentiores Theologi, non fuiſſe reuera illius auctorem, ſed tantùm aſſertorem, cum Innocentio I. ſummo Pontifice, eodem quo ille claruit ſæculo Apoſtolicæ Sedi præſidente. Quorum tamen ſententia minùs probabilis Eccleſiæ viſa eſt, cuius conſuetu-

dine, & communi ſenſu effectum, vt mos iſte, quem ambo laudarunt, ſenſim exoleuerit. Sed mirum quomodo poſt hunc abrogatum, Hugo à S. Victore, dictus alter ætate ſua Auguſtinus, in eum ita propenderit, vt non obſcurè ſenſerit quaſi poſtliminij iure, ad praxim Eccleſiæ reuocandum, hoc nixus axiomate, quod Euchariſtia omnibus ſit prorſus neceſſaria ad ſalutem: propter verba illa Domini, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Ioan 6. ita enim ait lib. 1. de Sacram. c. 20. vbi de ritu ſcribit baptiſmi: *Exinde datur baptizato veſtis candida: ad vltimum datur cereus ardens. Omnibus his nouus homo in vtero matris Eccleſiæ inchoatur, prouehitur, conſummatur, & vniuerſali Eccleſiæ aggregatur: hoc eſt, corporis Chriſti membrum efficitur; vnde ſi eius valetudinis eſt, Sacramenta vnitatis, id eſt, corpus & ſanguinem Chriſti accipere debet. Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum, quia tales naturaliter ſugere poſſunt.* Auguſtinus ad Bonifacium, contra hæreſim Pelagianam. *In Eccleſia ſaluatoris, paruuli credunt, ſicut ex aliis quæ in baptiſmo dimittuntur peccata, traxerunt. Nec igitur cogitetis eos vitam habere poſſe, qui ſunt expertes corporis & ſanguinis Chriſti, dicente ipſo Domino, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergo (ſi ſine periculo fieri poteſt) iuxta primariam Eccleſiæ inſtitutionem, Sacramentum Euchariſtiæ in ſpecie ſanguinis eſt tradendum pueris. Vnde ignorantia adhuc formam retinens, ſed non rem, dat eis loco ſanguinis vinum, quod penitus ſuperuacaneum arbitrarer, ſi ſine ſcandalo ſimplicium dimitti poſſet. Si autem in reſeruando ſanguinem Chriſti, vel miniſtrando pueris, immineat periculum, potiùs ſuperſedendum videtur.* Ita ad verbum Hugo. Cuius optatis attamen Eccleſia non aſſenſit: at ſuppreſſo quem ait veteri more, contrarium ſtabiliuit, qui hodiéque toto orbe Chriſtiano perſeuerat. Nec locus Ioannis 6. *Niſi manducaueritis* &c. ad priorem illam obſeruationem cogit, vel praxi tandem vbique receptæ, quæ etiamnum vbique viget, vllo modo repugnat, quemadmodum Cardinalis Toletus dilucidè oſtendit in Commentariis ſuper ipſum S. Ioann. Euangelium, ad citata verba Domini, annot. 28. vbi etiam veram declarat S. Auguſtini hac de re ſententiam, nequaquam hodiernæ praxi contrariam, ex lib. 1. eiuſdem B. Auguſtini de peccat. merit. & remiſſ. c. 20. & ſeqq. Ceterùm inſuper probat nec aliter ſenſiſſe Innocentium I. in epiſt. ad Patres Mileuitani Concilij, quæ extat inter ep. ipſius S. Auguſtini, num. 92. Ex quibus teſtimoniis dicit ipſe Cardinalis Toletus, verba quidem Domini etiam paruulos comprehendere, adeo vt aliquo modo neceſſe ſit iſtos ſacræ Euchariſtiæ fieri participes, non quidem per actualem Sacramenti communionem, cuius incapaces ſunt, quòd careant proprio actu voluntatis ac motu, nec ea diſcretione præditi ſint, quam Apoſtolus exigit in ſumentibus ad diiudicandum corpus Domini, 1. Cor. 11. ſed quod per Sacramentum regenerationis, Chriſti corpori myſtico incorporati, fiant modo aliquo Euchariſtiæ participes, nempe quantum ad rem ſignificatam; hoc enim ſacramentum huius vnitatis my-

ſtici corporis proprium eſt ſignum. Ita ex mente S. Auguſtini, & Innocentij I. iſto loco Toletus. At ſatis hac de re, de qua fuſiùs Scholaſtici Theologi & Polemici qui ſcripſerunt aduerſus Bohemorum errores.

§. II.

Calicem ſanctum non manu, ſed ore dumtaxat Laïci, etiam ſummates contingebant.

CANONES, vt ſuprà demonſtrauimus, Laïcis diſtrictè prohibent ſacra vaſa contrectare, maximè verò calicem, qui cæteris queiſque vaſis ſemper habitus eſt ſacratior; ori dumtaxat admouere ipſis Imperatoribus licebat, quemadmodum ex verbis elicitur S. Ambroſij ad Theodoſium Magnum, quæ in hiſtoria tripartita expreſſa leguntur, lib. 9. c. 30. Accedenti ſiquidem Theodoſio ad Communionem, patratæ cædis nondum ſuſceptâ pœnitentiâ, ſanctus ipſe Ambroſius occurriſſe, & ita illum compellaſſe memoratur: *Quomodo huiuſmodi manibus recipies ſanctum Domini corpus? qua temeritate ſacrati ſanguinis poculum ore tuo ſuſcipies?*

§. III.

Quotidiano miniſterio, calice ſcilicet & patena parua, cum Euangeliorum Codice ad collum appenſo, ſeruatus fuit à naufragio S. Maximus diſcipulus S. Martini, deinde Abbas Cainonenſis in diœceſi Turonenſi.

Ex Gregorio Turonenſi de gloria Confeſſorum, c. 22.

FVIT *autem quidam Religioſus*, (ait præfatus Gregorius Turonenſis) *& virtutibus & nomine Maximus, & vt liber vitæ eius docet, quam verſu conſcriptam legimus, noſtri fuit Martini diſcipulus. Qui occulere quod erat cupiens, apud inſulam Barbaram Monaſterij Lugdunenſis peregrinari expetiit. Manifeſtatus autem & ibi, ad patriam redire diſpoſuit. Denique cùm Ararim fluuium tranſire cuperet, naue impleta demergitur, ac ipſe Sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Euangeliorum libro, miniſterium quotidianum, id eſt patenulam paruam, cum calice. Sed pietas diuina non pertulit perire quod ſuum eſt*, (nempe Euangelium, calix, & patena) *ita de hoc periculo, Domino iubente reſtitutus eſt littori, vt nec vitæ damna perferret, nec rerum* (ſacrarum) *detrimenta lugeret: impletúmque eſt illud quod Pſalmographus Spiritu ſancto influente cantauit, Cùm ceciderit iuſtus non collidetur, quia Dominus firmat manum eius.* Hæc Gregorius. Ex cuius dictis habes Sacerdotes iam in Gallia ſolitos ſingulis diebus ſacrificare: ideóque Euangelium ſecum, calicem & patenam circumtuliſſe; quæ ideo ſcitè & congruenter Gregorius nuncupat *miniſterium quotidianum*, quemadmodum ipſa Euchariſtia in Dominica oratione *Panis noſter quotidianus* appellatur.

§. IV.

Subdiaconus acetum ſupponens in ſancto Calice pro vino, diuinitùs detegitur.

Ex eodem Greg. Turon. eodem lib. c. 65.

DVOS *in hac vrbe* (Lugdunenſi) *fuiſſe ferunt, virum ſcilicet & coniugem eius, ſenatoria ex gente pollentes. Sed vir priùs obiens, in baſilica S. Mariæ ſepultus eſt. Mulier verò per annum integrum * ad hoc templum degens, aſſiduè orationi vacabat, celebrans quotidie Miſſarum ſolennia, & offerens oblationem pro memoria viri, non diffiſa de Domini miſericordia, quòd haberet defunctus requiem; in die qua Domino oblationem pro eius anima delibáſſet, ſemper ſextarium gazeti vini præbuit in ſacrificium Baſilicæ ſanctæ, ſed Subdiaconus nequam, reſeruans gulæ gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice: muliere non ſemper ad communicandi gratiam accedente. Igitur cùm fraudem hanc Domino placuit reuelare, apparuit vir mulieri dicens, Heu! heu! dulciſſima coniux, defluxit labor meus in ſæculo, vt nunc acetum in oblatione delibem? Cui illa, verùm* (inquit) *quia charitatis tuæ non immemor, ſemper gazetum potentiſſimum obtuli pro requie tua in ſacrario Dei mei. Expergefacta autem admirans viſionem, candémque obliuioni non tradens, ad matutinum ſecundùm conſuetudinem ſurrexit. Quibus expletis, celebratíſque Miſſis accedit ad poculum ſalutare: quæ tam feruens acetum hauſit ex calice, vt putarit ſibi dentes excuti, quæ nequiter fuerat defraudata. Sed nec hoc miraculum ſine operis boni merito geſtum puto.* Hactenus Gregorius Turonenſis.

* Nota anniuerſarij Miſſalis pro defunctis conſuetudinem, ante annos 1000. vſitatam in Gallia.

§. V.

Anathema ſcriptum aduerſus Pyrrhum Conſtantinopolitanum Antiſtitem, Monothelitarum hæreſis anteſignanum, à Theodoro Papa: intincto calamo in ſancto calice, & pretioſo liquore Dominici ſanguinis vice atramenti, ad ſacrorum apicum exarationem, infuſo.

CVM Paulus regiæ vrbis Conſtantinopoleos Antiſtes, (quem Patriarcham dicunt) præcipuus fautor Monothelitarum hæreſis, non ſemel admonitus à Theodoro Papa ac pleriſque Conciliis Africanis, vt ad cor rediret, damnatæque à Sede Apoſtolica, & omnibus ferè Eccleſiis, tam pernicioſæ hæreſis deſereret defenſionem; is tanta pertinacia in ſua impietate nihilominus perſiſteret, vt etiam Imperatorem contra Catholicæ fidei impelleret aſſertores: edito typo quo iis ſilentium imponebat, Theodorus Papa pio zelo animatus, ſynodum Romæ habuit, in qua totius huius nequitiæ Paulum pſeudo-patriarcham diro anathemate percuſſit. Refert in annalibus Theophanes, ſub. ann. 20. Heracl. ipſum Theodorum Papam ad ſepulchrum S. Petri accedentem diuina myſteria celebraſſe, & ex calice diſtilla-

Anno 648. vbi vide Baronium.

to in atramentarium, de Chriſti ſanguine, Pyrrhi eiuſdem ciuitatis Pſeudopatriarchæ, qui iam antè ob hæreſim depoſitus fuerat, & abiurata Romæ hæreſi in præſentia ipſius Papæ, cui pœnitentiæ obtulerat libellum, dehinc in illam fuerat relapſus; vnáque Pauli excommunicationem, & abdicationem conſcripſiſſe.

Quod mirum ſanè! haud enim aliqua huiuſmodi maledictionis in ritibus ſacris Eccleſiæ Romanæ Lex præſcripta, vel vllum editum antehac, nec pòſt à ſummis Pontificibus ſimilis execrationis exemplum. At Anaſtaſius Bibliothecarius, qui fulminati anathematis à Theodoro Papa, aduerſus Pyrrhum, & Paulum, Conſtantinopolitanos Præſules, hiſtoriam deſcribit, ritus adeò inſoliti ac formidabilis nullam facit mentionem. Græcis tamen fuiſſe hunc in vſu, aliquot exemplis Theodoro Papæ, vt reor, innotuerat, quem morem ad deteſtationem tam execrabilis perfidiæ, vſurpandum aduerſus Græcum hunc hominem vt pote damnatione, & æterna maledictione dignum, ad incutiendum terrorem hæreſiarchis, & hæreticis relapſis, non abs re Theodorus Pontifex exiſtimauit. Veruntamen factum eiuſmodi, vt à nullo eius Anteceſſorum editum, ita à quoquam ſucceſſorum eius nuſquam reperitur in vſum fuiſſe traductum. Quod ideò propter ipſam eius ſingularitatem hîc annotandum arbitrati ſumus.

§. VI.

In Calicem S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis ſacrificantis, ſpecioſa gemma cœlitùs immiſſa.

QVODAM *Dominico die* (ſic enim geſta ferunt ab anonymo quodam, ſed vetuſto, & digno fidei auctore conſcripta*,) *in ** Bardone prædio; Euchariſtiæ myſterium illo conſecrante coram Sacerdotibus & Leuitis, gemma cœlitùs labebatur in calicem, inter manus illius, corporis, & ſanguinis Domini commixtionem celebrantis. Qua gemma radio micante pulcherrima, diu apud Senones conſeruata, Rege iubente inter reliqua Sanctorum pignora in eius palatio repoſita eſt.* Apparet hinc, quàm Chriſtus eum charum habuerit, inter cuius manus præclariſſimum edidit miraculum.

* *Apud Surium tom. 8. de SS. 1. Septemb. c. 11.*

** Rectiùs *Briamone*, quod ad ſe ſpectans hæreditario iure, cum pleriſque aliis poſſeſſionibus, Eccleſiæ Senonenſi teſtaméto legauit, vbi & diem ſuum clauſit extremum.

§. VII.

S. Leo IX. ſummus Pontifex diuinitus euocatus ab Epiſcopatu Tullenſi, ad ſummum Eccleſiæ principatum, quot annis ſeſſurus eſſet in ſede Apoſtolica, & aliquot eius ſucceſſores: per ſymbolum aureorum calicum, quos Beatus Petrus ipſi apparens in manus dedit, accepit myſticum indicium.

IN *hac ergo pia intentione* (ſcribit Wibertus Archidiaconus, in eius vita, lib. 2. c. 1.) *quadam nocte ſoporatus per viſum ad principalem Eccleſiam Wangionum eſt adductus: vbi contemplatur quaſi concreſcentem infinitam multitudinem albatorum, quorum maior pars videbatur eſſe Sacerdotum: inter quos vnum*

recognoſcebat quondam ſibi familiarem Bezelinum Archidiaconum, qui huius comes in Romano itinere exuerat hominem. Quem interrogans quæ eſſet tanta multitudo? audiuit hos omnes mundanam finiſſe vitam in principis Apoſtolorum ſeruitio. De hoc intra ſe miranti, veluti cœlorum clauiger B. Petrus ſuperueniebat, & illam multitudinem ſancta communione eius manibus participaturam eſſe aiebat. Quem Pontificaliter indutum idem B. Petrus, cum Protomartyre Stephano ad altare prædictæ Eccleſiæ, cum ineffabili cantus melodia deducebant, & ſacris peractis officiis omnes de eius manibus viuificum munus percipiebant. Viſum quoque ei fuerat quòd poſt ſacram communionem, ipſi S. Petrus quinque Calices aureos conferret: alteri verò ſe ſubſequenti tres, tertio verò vnum calicem tribueret. Hæc ergo ſuis familiaribus referens, quid portenderent ſecum mirabatur. ſed quis totum fuerit exitus in ſequentibus loco ſuo dicetur. Nimirum eiuſdem libri 2. c. 6. ſub finem, vbi hæc habentur. Exemptus eſt autem hic vir magnificus ab huius vitæ laboribus quinquagenarius, anno Incarnationis Domini M. LV. *Leucorum Epiſcopatus* XXVIII. *Apoſtolatus autem* VI. *ſiquidem Romæ ſedit annis* V. *adiectis duobus menſibus, & nouem diebus, impleta viſione quam ſuprà de reuelatione Calicum retulimus. Nam quinque calices ei à B. Petro collati ſignabant quinquennale vitæ eius ſpatium. Reliqui tres ſucceſſoris ſui Victoris triennium: ſequens vnus, beatæ memoriæ Frederici* (fuit is Stephanus X.) *in Apoſtolatu vnius anni curſum.* Hactenùs Wibertus.

§. VIII.

Henricus II. Imperator tam graui morbo affectus, vt ipſi vix adhuc in pectore vitalis halitus ſupereſſet: repente ſanatus eſt à S. Laurentio ſibi apparente, & è calice aureo, aquam refrigerantem ſuper eum aſpergente.

TEMPORE *Conradi patris, à quodam Clerico, Henricus ille fiſtulam tulerat argenteam, qua pueri aquam iaculantur, pactus Epiſcopatum cùm foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multò pòſt aſpera valetudine correptus decubuit. Morbo creſcente triduo exſenſus, & mutus iacuit, cùm in ſolo pectore vitalis halitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat, quàm quod manu ad nares appoſita quantulumcumque ſentiebatur anhelitus. Epiſcopi præſentes triduano indicto ieiunio, lachrymis & votis pro vita regis, ſuperos pulſabant. Quibus, vt credi fas eſt, remediis conualeſcens, accitum Epiſcopum quàm iniuſtè fecerat, ſententia Concilij depoſuit: profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flammam in ſe per fiſtulam iaculantes adeò pertinacem, vt noſter ignis in comparatione illius leuis putetur, & nil calere. Iuuenem inter hæc ſpectauit vſtulatum, lætum aduentaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum: cuius viſione, & laticis aſpergine delinitum extinctis ardoribus in ſanitatem euaſiſſe. Ephœbum illum beatum fuiſſe Laurentium, cuius Eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum compaginauit, & præter alia xenia, calice aureo honorificauit.* Ita ad verbum refert Willelmus Malmeſburienſis de geſtis Regum Angliæ, lib. 2. c. 12. Ex quo idem recitat Cardinalis Baronius tom. 11. Annal. ſub annum 1047. n. 10.

§. IX.

Victore II. celebrante, toxico imbutus Calix, in quo conſecratus erat ſanguis Domini, de more vt adoraretur leuari non potuit ab ipſo Pontifice: vnde veneficus hippodiaconus confeſtim arreptus à dæmone, reatum ſuum fateri compulſus eſt: Pontifexque fide ſubnixus, immunis à præparato ſibi veneno, diuina virtute euaſit.

anno 1055. MIRVM dictu! quò prorumpit latentis inuidiæ, & impietatis auſus? quàm periculoſa ſunt hominum abſque Dei metu ingenia! Auſus eſt homo Chriſtianus, profeſſione Clericus, gradu Subdiaconus, patri Chriſtiani orbis, cruentâ mente, ſacrilegâ manu, venenum in ipſo ſalutis ſacrificio, non ſemel propinare. Sed cordi Deo fuit vita Pontificis, & parricidam inſigni miraculo prodidit.

Celebranti myſterium pietatis Victori II. vini ampullam hippodiaconus veneno infectam porrexit. Pontifex cum cœleſtibus Chriſti verbis calicem conſecrâſſet, eundem de more leuaturus, tollere de altari, quamuis ſæpius conatus non potuit. Demiratus quid id eſſet, cùm nec cogitatione rem poſſet aſſequi, quòd innocentia Pontificis tantum ab altero ſcelus concipi poſſe vix arbitraretur, cœpit cum populo publicis Deum votis exorare, vellet aperire, quæ res ea eſſet, quamobrem leuare pretioſum filij eius dilectiſſimi ſanguinem non poſſet, cùm illicò ſceleratus parricida, qui ſtygiam cum vino aquam, etiam Pontifici miſcuerat, à dæmone correptus, & immaniſſimè tamdiu cruciatus eſt, donec ſacrilegum parricidium palam confeſſus, rurſus per Pontificis, & populi preces ab tartareo carnifice liberaretur. Impium ſanè factum erat, & mille culeis, & rotarum ſuppliciis expiandum, voluiſſe per ſalutis azilum ſalutem adimere ei qui pro omnium ſalute, & ipſius qui ſcelus exequebatur, ſalutari hoſtia litabat. Verùm pius Pontifex, cuius vicem gerebat, morem quoque voluit imitari: indulſit nefario miniſtro, & pro eius à dæmonio ereptione preces cum lachrymis ipſo in altari fudit: ne verò tormentis ab hominibus in vltionem tanti facinoris torqueretur, ſumma ſua auctoritate prohibuit. Cæterùm Papa calicem cum ſanguine Dominico, cuidam altari iuſſit includi, & pro reliquiis in perpetuum conſeruari.

Conradus Abbas Vrſpergenſis in Chronico rem geſtam paucis his verbis denarrat. *Anno*, inquit, M. LV. *Leoni Papæ Gebehardus, qui & Victor Eihaſtatenſis Epiſcopus ſucceſſit. Huic cùm Diaconus eius venenum in calicem miſiſſet: calicem de altari leuare non potuit. Pro hoc populo orante, Diaconus à dæmonio vexatur, confeſſóque crimine liberatur, calixque cum ſacramentis in quodam altari pro reliquiis includitur.* Hæc Vrſpergenſis, qui ſceleratum illum veneni propinatorem ad altare, Diaconum facit. At Lambertus Subdiaconum tantùm denominat. Cauſa tentati tam impij ſceleris inui-

inuidia fuit, delatæ homini extero, Germano ſcilicet, Apoſtolicæ tiaræ; quemadmodum non rudis auctor his verſibus, quibus elogium Victoris II. complexus eſt, inſinuat.

Me flamen ſanctum triplici diademate cinxit,
Communémque orbis fecit in vrbe patrem.
Conſilium ſceptris dederam priùs, atque regebam
Cæſareos faſces, Cæſareamque domum.
Velabat noſtram tunc ſimplex infula frontem:
Nec lituum fulgens irradiabat onyx.
Tergeminam nobis inuidit Roma tiaram:
Sed cùm fata volunt, nulla cicuta nocet.

§. X.

In Calicem iniectis Cardinalium ſchedulis, electionis Pontificis Romani fieri ſcrutinium: ita enim habet Cæremoniale Romanum, approbatum ſpeciali decreto à Gregorio XV. Pontifice Max. Conſtitut. 19. edita anno 1621. quæ incipit Decet Romanum Pontificem *&c.*

SEQVITVR *ſecunda Actio, quæ nomine ſcrutinij appellata fuit. Octo ſunt huius Actionis actus; videlicet, delatio ſchedulæ, iuramenti præſtatio, poſitio ſchedulæ in calicem, ſchedularum mixtio, earum enumeratio, ſcrutinij publicatio, ſchedularum in filum inſertio, earúmque depoſitio ſeorſum.*

Delatio ſchedulæ, & duo ſequentes actus qui meliùs ſimul deſcribuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam ſchedulam, poſtquam illam ſcripſerit, obſignauerit & complicauerit, duobus primis digitis ſumet, ac eleuata manu palam deferet ad altare, penes quod ſtant ſcrutatores, in quo eſt calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & patena coopertus, ibíque genuflectens aliquantulum orabit, deinde ſurgens, alta & intelligibili voce iurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper altari poſita habetur deſcripta: Teſtor Chriſtum Dominum, qui me iudicaturus eſt, me eligere quem ſecundùm Deum iudico eligi debere: & quod idem in acceſſu præſtabo. Poſt hæc ſchedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in calicem: quo facto, inclinabit ſe ad altare, & ad ſuum locum reuertetur. Et hæc ſeruanda erunt ſi Cardinalis ad altare pergere poſſit: nam ſi ob infirmitatem non poſſit, & præſens in capella ſit, vltimus ſcrutator diſcum cum ſchedulis ad eum deferet, ex quo Cardinalis infirmus vnam accipiens, eam in loco ſuo diſcretè, vt ſuprà dictum eſt conficiet, deinde præuio iuramento prædicto, ſchedulam obſignatam & complicatam eidem ſcrutatori tradet, qui eam palam deferet ad altare, & ſine oratione & iuramento in patenam ponet & per eam in calicem mittet. Quæ omnia obſeruanda erunt per vltimum ſcrutatorem erga eos Cardinales, qui in Capella præſentes, ob valetudinem ad altare pergere non poterunt: ſi verò aliqui Cardinales in ſuis cellis infirmi ſint, tres Cardinales infirmarij, vt ſuprà extracti ad eos accedent cum capſula altitudine vnius palmi, in cuius ſuperiori parte ſit rima, ſeu foramen eius magnitudinis, vt per illud ſchedula complicata poſſit per ſuam latitudinem intus capſulam tranſmit-

ti: quam capſulam, antequam ſcrutatores infirmariis tradant, aperient palam, vt cæteri Cardinales poſſint eam inanem & vacuam conſpicere: deinde claudent, & clauem ponent ſuper altare: deinde infirmarij cum capſula clauſa & cum paruo diſco tot ſchedulas continente quot ſunt infirmi Cardinales, ad vnumquemque eorum accedent, & infirmi acceptas ex diſco ſchedulas ſecretò ſcribent, obſignabunt, & complicabunt, & præuio iam dicto iuramento, in capſulam per rimam mittent. Quòd ſi infirmi ſcribere non poſſint, alij eorum arbitrio deligendi, præſtito de ſecreto ſeruando in manibus infirmariorum iuramento, prædicta facient: atque hi aduertere debent quòd non ſolùm iuramenti vinculo tenentur ſeruare ſecretum, ſed etiam in excommunicationem latæ ſententiæ, ſi contrà fecerint, incurrent. His peractis, infirmarij ad capellam reuertentur cum capſula; quam ſcrutatores aperient, & ſchedulas in ea contentas palam numerabunt, & tot repertas quot ſunt infirmi, ponent ſigillatim in patenam, & per patenam ſimul omnes in calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur ſcrutinij actio, infirmarij poterunt proprias ſchedulas poſt decanum conficere, & in calicem ponere, deinde dum cæteri Cardinales ſcrutinium agunt, ad infirmos pergere, ad accipienda eorum ſuffragia, eo modo quo ſuprà dictum eſt.

Quartus actus ſcrutinij, eſt ſchedularum permixtio, quæ fiet per primum ſcrutatorem, calice in quo ipſæ ſchedulæ poſitæ fuerunt, patena cooperto, pluries agitato.

Quintus actus, eſt numeratio ſchedularum, quæ palam fiet per vltimum ſcrutatorem, capiendo ſigillatim vnamquamque ſchedulam ex calice, eámque ponendo in alium, qui ad hoc paratus ſit, calicem vacuum. Quòd ſi numerus ſchedularum non reſpondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ ſunt, & iterum, id eſt ſecundâ vice, ad ſuffragia ſtatim eſt deueniendum: ſi verò numerus ſchedularum, numero Cardinalium reſpondeat, proſequendi ſunt alij actus ſcrutinij.

Sextus actus, eſt publicatio ſcrutinij, quæ per ſcrutatores qui ſedent ad menſam ante altare poſitam, fiet hoc modo: primus ſcrutator accipiet vnam ſchedulam, eámque intactis ſigillis explicabit, & viſo in ea Electi nomine, eam tradet ſecundo ſcrutatori, qui pariter eodem Electi nomine perſpecto, eandem tradet tertio, qui eam alta & intelligibili voce perleget, vt omnes Cardinales præſentes notare poßint ſuffragium in folio impreſſo quod penes ſe habebunt cum nominibus omnium Cardinalium. Notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex ſchedula recitati; idem faciendum erit de ſchedulis in calice poſitis vſque ad vltimam. Quòd ſi in ſcrutinij publicatione inueniant ſcrutatores duas ſchedulas ita complicatas, vt ab vno tantùm datas fuiſſe appareat, ſiquidem vnus & idem in vtraque electus fuerit, ſchedulæ prædictæ habebuntur & notabuntur pro vno ſuffragio; ſi verò diuerſi fuerint nominati, neutrum ſuffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana ſtatuitur de illa ſchedula in qua plures nominati ſunt, ſcrutinium tamen neutro caſu vitiatur. Cæterùm ſuffragia prædicta, finitâ ſcrutinij publicatione, poterunt à Patribus iuxta nomina Cardinalium qui ea obtinuerunt, in vnam ſummam redigi, vel in ſeparato folio notari, hoc modo: Reuerendiſſimus D. Cardinalis A. habet ſuffragia 20. & Reuerendißimus D. Cardinalis B. habet ſuffragia 15. & ſic de aliis: quod ſit ne Cardinales, cùm opus eſt, cogantur ſemper numerare ſuffragia, quæ iuxta numerum Cardinalium notârunt.

Septimus actus ſcrutinij, eſt ſchedularum in filum inſertio, quæ vt ſchedulæ ipſæ cautiùs conſeruari poſſint, excogitata fuit. Hæc autem inſertio fiet per vltimum ſcrutatorem, inſerendo ſchedulam vnamquamque poſtquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato in loco vbi eſt verbum, Eligo.

Octauus & poſtremus ſcrutinij actus, eſt depoſitio ſchedularum, ſeorſum, quæ ſimiliter fiet per vltimum ſcrutatorem, qui finita inſertione ſchedularum omnium in filum capita fili nodo iunget, & ſchedulas omnes ita colligatas in alium calicem vacuum, vel menſa ſeorſum ponet.

Sequitur octaua & poſtrema Actio, quæ poſtſcrutinium appellata fuit, cuius actus ſi ſecuta ſit Electio per ſcrutinium, tres tantùm ſunt, videlicet, numeratio ſchedularum, recognitio ſuffragiorum, & ſchedularum combuſtio: de quibus inferiùs ſuis locis dicetur: Si verò per ſcrutinium non ſit ſecuta electio, actus ſunt ſeptem, videlicet, Acceſſus, ſigillorum & ſignorum aperitio: eorum annotatio; ſuffragiorum examen; ſuffragiorum ſcrutinij, vel ſcrutinij & acceſſus numeratio: eorum recognitio & ſchedularum combuſtio. Hæc ibi, aliáque nonnulla quæ ad præſentem tractationem non faciunt, cùm circa Calicem non verſentur. Cæterùm ritus hos omnes circa electionem ſummi Pontificis non probauit tantùm Gregorius XV. præſignata Conſtitutione, at etiam Vrbanus VIII. propria ſanctione, quæ incipit, *Ad Romani Pontificis prouidentiam* &c. Pontificatûs anno 3. qui fuit Domini 1625. 5. Kal. Februarij, id eſt die 28. Ianuarij: Quæ extat in nouo Bullario, tom. 4. p. 61.

§. XI.

Rex Francorum Chriſtianiſſimus in die conſecrationis ſuæ Rhemis, communicat poſt Miſſæ ſacra ſolennia ad ſummum altare, de manu Archiepiſcopi Rhemenſis, ſub vtraque ſpecie: Etenim poſt ſumptum ſub ſpecie panis adorandum corpus Domini, itidem ſumit ſanguinem, ab ipſo Archiepiſcopo ſibi exhibitum in Calice ſancto, *quo communicauit ipſe Pontifex cum miniſtris.*

RITVS hic in continua fuit hactenùs praxi, viridique, vt aiunt, permanet obſeruantia. De quo obiter legitur, *In ordine ad conſecrandum & coronandum Regem Franciæ*, qui editus extat lib. 5. *Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ* Tit. 2. c. 1. ſub finem. *Poſt offertorium, Pares deducunt Regem ad altare, coronam eius ſuſtinentes: Rex autem debet offerre panem vnum, vinum in vrceo argenteo, tredecim biſantios aureos &c. Et in eundo, & redeundo gladius nudus defertur coram Rege. Finita Miſſa iterum Pares adducunt Regem coram altari, & ibi communicat corpus & ſanguinem Domini de manu Archiepiſcopi Miſſam celebrantis.* Hæc ibi. à pag. 711. ad 716.

Hoc priuilegio ſolus Rex Francorum præſtat; quod facilè colligi poteſt ex Pontificali Romano, ſub titulo, *de benedictione & coronatione Regis*, cuiuſuis ſcilicet, qui vngi & coronari debeat: non autem Regis Franciæ, cuius initiatio non dicitur ſimplex benedictio,

ſed conſecratio, proprióque ritu celebrari ſolet, ab hoc communi diuerſo: ſic enim præſcriptum extat in ipſo Pontificali, titulo prænotato: *Poſtquam Metropolitanus ſe de corpore, & ſanguine Domini (quem totum ſumere debet) communicauerit, Rex detecto capite de thalamo ſuo accedit ad altare, coram quo in ſupremo gradu genu flectit, & Metropolitanus conuerſus ad Regem, ipſum communicat: Rex priùs quàm communionem ſumat, oſculatur manum dextram Metropolitani, & ſumpta communione ex calice de manu Metropolitani, ſe purificat, & purificatus ad thalamum ſuum reuertitur.* Cæterùm quamuis Francorum Rex ſolus, hoc priuilegio gaudeat, ſemel tantùm hoc vtitur, nempe ipſo die conſecrationis ſuæ: poſteà nonniſi eo more quo ſolent Laïci fideles, diuinam Eucharistiam ſumit, videlicet ſub vna panis ſpecie.

In Cõcilio Tridentino, cùm quæſtio de communione ſub vtraque ſpecie ventilaretur: interceſſit Lanſacus Chriſtianiſſimi Francorum Regis Caroli IX. Legatus: ne quicquam decerneretur, quod in præiudicium huius priuilegij iampridem Francorum Regibus conceſſi, & hactenùs conſeruati, verti poſſet: qua de re monimento ſunt ipſius Legati litteræ ad ipſum Regem Carolum directæ 19. Iulij anni 1562. inter inſtructiones, & reſcripta Regum, & eorundem Legatorum, ad prædictum Concilium ſpectantia. ſic porrò ſcribit *: *Nouerit etiam Maieſtas veſtra Chriſtianiſſima, nos ſedulò interceſſiſſe, ne quæcumque à Synodo, hac de re ſanctiones emanabunt, vllatenus derogent laudabili conſuetudini, qua ſolet Maieſtas veſtra in die coronationis ſuæ recipere ſub vtraque ſpecie, ipſum venerabile ſacramentum. Nec quicquam itidem fiat, in præiudicium aliquot monaſteriorum regni veſtri, in quibus mos idem ex longæua obſeruatione retinetur.*

* Patrio quidẽ idiomate: at hic fideliter Latia phraſi redditio.

§. XII.

In regali Monaſterio ſancti Dionyſij in Francia, miniſtri altaris, Diaconus, & Subdiaconus communicant ex ſpeciali priuilegio, cum Abbate, vel alio Sacerdote celebrante, Corpus & Sanguinem Domini ſub vtraque ſpecie, hauſto de ſancto Calice ipſo ſanguine ſacro per canulam auream conſecratam, Papali ſcilicet more, de quo conſtat in Cæremoniali Romano.

Ex Antiquitatibus Abbatiæ S. Dionyſij in Francia à Iacobo Dubletio, eiuſdem loci Cœnobita patrio idiomate editis lib. 1. c. 48. quo tractat de Cæremoniis inſignioribus eo in Monaſterio, in diuino officio obſeruati ſolitis.

*POST *Euangelium, decantato ſymbolo, Cantor, Procantor, Subcantor intonant offertorium. Tum Prior magnus cappa pretioſa inſignis, ſua è ſede ad altare, quod portatile vocant, (Romani Credentiam appellant) procedit, velaménque quo operitur Calix eleuat, humeróque ſiniſtro imponit: dextráque hoc amictu inuoluta, ſacrum aſſumens vino iam delibutum poculum, læua verò patinam, cum tribus ſuperpoſitis hoſtiis, Abbati has offerendas continuò defert. Manu ipſius Prioris vinum è priori vaſe ſacro in alterum æquè pretioſum ef-*

* Ita & hîc. Nam Dubletius Gallicè ſcripſit.

ſunditur in calicem, per meatus aurei coclearis pleriſque locis perforati, ne quid impuri effluat in ipſum calicem ſanctam, qui aliàs dicitur conſecrationis. Tum Abbas aquam benedicit, effunditque in calicem, quem in medio altaris conſtituit, patenáque cooperit ſacrata, hoſtiis impoſitis; totámque hanc ſacrificij materiam ſolenni verborum formula diuinæ offert Maieſtati. Iſtiuſmodi coclear cum canula aurea ritu ſolenni benedictum, purificatur Religioſi miniſterio, quem ſocum vocitant, quia veſte auriphrygiata, à tergo aperta, ipſáque à poſteriori parte profuſiori, quæ ſocus Latinè dicitur, indutus eſt. A quo venerabili Aſceta, Cœnobiarchæ præſentatur calix præcipuus cum vrceolo aqua pleno, quæ infundi debet in ipſum calicem. Facto offertorio, Abbas manus lauat in pelui argentea ſibi exhibita à ſoculato illo miniſtrante, aquam in manus Abbatis alter duorum Diaconorum qui ei aßiſtunt, effundit, alter manutergium eidem miniſtrat. Capellanus quem honorarium vocitant, myſtici libri folia verſat, & alius mitram quandoque imponit, & demit quando decet. Cùm diuina hoſtia, calixque benedictionis ad latriæ cultum attollitur, Diaconus qui Euangelium, Subdiaconus qui legit Epiſtolam, accenſa intorſtitia tenent, itidem duo Diaconi ſuffragantes, & quatuor nouitij. Interim dum Agnus Dei concinitur, venerabilis Abbas ſolennem benedictionem eo more formuláque qua Epiſcopi ſolent, munus benedictionis aſtanti Clero, populóque impendit. Tum Prior magnus, ſumptá pace de mobili altari, quoad vſque Abbas celebrans pacis oſculum Diacono, hícque Subdiacono impertierit, expectat: mox verò oſculandum tribus illis præbet gradatim, & hinc ad ſedem ſuam reuertitur. Procidunt tunc in genua Diaconus, & Hippodiaconus, orántque aliquantulum, fuſáque prece conſurgunt. Sacra dum fit ſynaxis, Religioſi quatuor, totidem candelabra argentea, in hiſque defixos cereos, & accenſos, quos de minori altari leuauere, hinc inde gerunt, & ante maius altare procidunt, donec ſacra Communio peracta fuerit, qua expleta, ſuum quiſque locum repetit.

Communio autem hoc ſolenni ritu fieri ſolet. Poſtquam ſumpſit Corpus Domini venerabilis Abbas: Diaconus ſacram canulam in calicem ponit, tum Abbas aſpirando ſumit partem pretioſi ſanguinis: reliquum in calice Diacono tradit, quem ille ſuſcipiens cum profunda reuerentia, reponit ſuper minus altare, Subdiacono eum comitante; mox de geniculis diuina munera adorant; factáque confeßione, à Celebrante abſoluuntur; ſurgit ſubinde Diaconus, & ad altare procedit, vbi Corpus Domini ſumit de calice cum ſanguine, cuius haurit cum ſacra canula dimidiam partem: Subdiaconus eodem modo alteram hoſtiæ partem quæ erat in calice accipit, & quod ſupereſt Dominici ſanguinis aſſumit. Vterque enim Diaconus, ſcilicet & Subdiaconus ſub vtraque ſpecie communicant ſingulari priuilegio, quod vnicæ S. Dionyſij Abbatiæ reor eſſe conceſſum. Dum verò ſacri duo miniſtri diuinæ ſynaxi participant, hinc inde Nouitij duo ſericeum pannum fimbriis aureis in vtraque ora decoratum, ſub eorum ore extenſum tenent. Peracta Communione, qui ſoci officio fungitur, vinum fundit in calicem ſanctum, quo ſcilicet conſecratio facta eſt, dátque Diacono, deinde Subdiacono, qui id è canula ſacra hauriunt, eóque modo tam calicem, quàm ipſam canulam purificant, adeò vt nihil omnino ſacri liquoris ſuperſit. Et ſic Mißâ peractâ ſolenni ritu, à Diacono alto præconio canitur, Ite Miſſa eſt.

§. XIII.

S. Philippi Nerij mira circa ſanctos Calices deuotio.

VITA eius à Petro Iacobo Baccio Aretino, Congregationis Oratorij Sacerdote conſcripta nitido ac eleganti ſtylo, Romæ edita prodiit typis Vitalis Maſcardi, anno 1645. in qua ſpeciatim memoratur vir ſanctus in calicibus tangendis conſueuiſſe ingenti conſolatione ſpirituali repleri: calicem ferè ſemper impleſſe, nec quantumuis eſſet ſenio vel infirmitate debilis, vnquam guttulam vini, vel minimam ſanguinis effudiſſe. Cùm verò Dominicum ſanguinem ſumeret, eo vſque calicem lambere ſolitum, dentibúſque premere, vt non ſolùm auream ſuperficiem ſugendo paſſim abraſerit, ſed etiam dentium veſtigia argento impreſſerit, lib. 2. c. 1.

§. XIV.

Calix ſanguine Martyrum imbutus, ab Angelo oſtenſus eſt in ſignum perſecutionis Anglicanæ Eccleſiæ, futuræque eius pacis cùm impletus fuerit, indicium.

IN hoc onere Præfecturæ Eccleſiaſticæ Pariſienſis, & Vicariatûs Generalis, quo immeritus perfungor, multa perſæpe contingunt, quæ vix euentura quandoque poſſent exiſtimari. Vix biennium elapſum eſt *, ex quo ad me venit vir Eccleſiaſticus: à quo cùm percontatus fuiſſem cuiuſnam rei causâ me conueniret? Adij te, inquit, muneris tui publici neceſſitate, vir Anglus ſum origine, profeſſione Catholicus, Sacerdos dignitate. Quantas verò calamitates Eccleſia Anglicana ab hæreticis perpetiatur multis abhinc annis, reor non te latet. Cùm vix adoleſcerem, mea ex patria exiui, vt meæ ſaluti conſultum irem, ſpretis hæreticorum impiis legibus, Romam adij, vbi quandiu neceſſum fuit, in ſeminario enutritus, Deíque ſpeciali dono, gradatim ad Preſbyteratum prouectus, hinc Galliam perluſtrandam adij, regni non tam ſplendore, quàm Pariſienſis Academiæ deſiderio, illuc impulſus. Iam redeo in patriam iuuandæ in Chriſto gentis noſtræ, ſupra modum afflictæ ab hæreticis, cupiditate feruens. Verùm priùs quàm me viæ accingerem, petendam benedictionem ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo regiæ huius Vrbis apud me conſtitui, quo regreſſus mihi fauſtus ſit ſucceſſus. Verùm abeſſe didici ab hac regia Ciuitate illuſtriſſimum Præantiſtitem: procraſtinari verò reditum meum vltra non valeo, quamobrem tuam reuerentiam, quæ vices gerit tanti Præſulis adeundam cenſui, ſupplex petiturus cum benedictione, patrium regrediendi in ſolum, licentiam; túmque mea ad genua corruit. Subſtiti parumper, hominem adeò pium, & feruentem pro fide tuenda, & ſaluanda gente propria, benignè intuitus. mox vt ſurgeret in pedes eum admonui, grauari me conteſtatus tanta eius demiſſione, qui martyrij candidatus, ad coronam Deo duce,

* Hoc ſcripſi anno decurrente 1650.

vt ſperabam, præclari ineundi certaminis, tam alacriter própetabat. Acquieuit monenti ſatis illibenter: ſurrexit tamen: túmque re quæ vertebatur, accuratiùs perpensâ, ipſum de ſtatu regni Angliæ olim florentiſſimi in fide Catholica, iam verò tetræ hæreſis pernicie deſolatiſſimi, non ſine ſuſpirio, & gemitu inquiſiui, num ſcilicet res meliùs ſe haberent, vel ſecus, poſt tantas Catholicorum miſerias? Nihil, inquit, adhuc nobis tandiu deſideratæ tranquillitatis affulget: tum ego: Perſæpe de eo apud me miratus ſum, vnde veſtræ genti tanta acciderit calamitas, quum de illa dici non immeritò poſſit, quod olim Gennadius Conſtantinopolitanus Patriarcha dixiſſe legitur * de Græcia tunc nuper oppreſſa, tam fœda, quàm crudeli Turcarum tyrannide. *Natio noſtra fuit inter cæteras ſapiens, clara, generoſa, prudens, fortis, & quæ regna nonnulla ſuo ſubegit imperio; præterea virtutis ſtudio pleraſque ſupergreſſa gentes, ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & vt vno dicam verbo, velati ſpongia omnem hauſit virtutem, Deo ſemper accepta.* Vnde igitur tantus in eam diuini furoris ardor exarſit, qui neque poſt annos centum deferbuit, at etiamnum tanto cum perſecutionis æſtu perdurat? Tum ille: Rectè cecinit cœleſtis Pſalmographus, *iudicia Domini abyſſus multa:* verùm miſericordias ſuas, ſua in ira non ſemper, vt ſperamus, Dominus continebit; affulget iam nobis aliqua ſpes ſerenioris auræ, ſuſcepto quodam prænuncio diuinæ benignitatis. Digna res eſt quæ memoriæ commendetur.

* *Lect. 15. expo. pro Concil. Florent. quæ exta. in Biblioth. SS. PP. to. 4. p. 1047.*

Contigit non ita diu noſtra in Anglia (meliori iam inſignienda nomine) vt quidam probatæ vitæ Sacerdos ab hæreticis in odium fidei Catholicæ, quam Apoſtolico planè ſpiritu aſſerebat, extremo ſupplicio addiceretur: triduo antequam iniret glorioſum agonem, nocte dum oraret in antro carceris, totus effuſus in ſuſpiria & lacrymas, Dominum obſecrabat, vt afflictæ tamdiu gentis dignaretur aliquando demum miſereri, nec diutiùs pateretur ſuam ab impiis hæreditatem fœdis veſtigiis conculcari. Cùm ingenti ardore ſpiritus ita vir pius precaretur, adfuit repentè Angelus Domini, magna luce circumfuſus, qui verba eius intercipiens, Sine, inquit, quo vſque anxiaris? Miſerebitur Dominus regni huius tandem, ſed nondum venit tempus miſerendi. At exceſſus tui ecce imminet dies, Dominus enim te vocat, & dicit tibi, veni: expectant te fratres tui in gloria, qui pro Domini teſtamento & Eccleſiæ fide fortiter hactenùs ſanguinem profuderunt; illic videbis in diuino lumine, cur gentem iſtam Dominus tanto tempore permiſerit his in fluctibus conflictari: & quo tempore mutabit procellam in auram, ſurgens enim imperabit ventis & mari, & fiet tranquillitas magna. Accingere igitur, alacriter progredere ad paratum tibi certamen, nec amplius grauet te hæc ſollicitudo quæ te premit. Tum ille, Obſecro Domine mi, pro conſolatione mea & afflictorum fidelium, antequam moriar, dic mihi, ſi tempus diuinæ propitiationis adhuc multum optato ab euentu diſtat? Acceſſit tunc propiùs cœleſtis Nuncius, detegénſque calicem pretioſum quem dextera gerebat, Inſpice, inquit, & vide quantum ſit in hoc calice ſanguinis, quantúmque deſit? non enim ceſſabit perſecutio, donec vas totum vſque ad ſummum repleatur. Tertia ſupereſt perſecutio ventura, quæ calicem implebit, túmque ceſſabit ira Dei, & pax populo tuo orietur, & redibit Eccleſiæ huius tamdiu afflictæ decor,

requies, & felicitas antiqua. Reſpexit in ſacrum vaſculum vir ille ſanctus, & aduertit longè plus vltra medium in eo iam aſcendiſſe cruorem; vix ſupereſſe tertiam partem vacuam, quâ repletâ tempus quoque huius preſſuræ intellexit conſummatum iri. Gratias igitur Deo egit quammaximas, & confeſtim diſceſſit Angelus ab eo. Qui hac viſione lætificatus, paulopòſt alacriter, fortíque animo, certamen fidei feliciter conſummauit: ſicque ſupernas ad ſedes euolauit laurea martyrij coronatus.

§. XV.

Hoſtia, quæ conſecratur feria V. in Cœna Domini, ad communionem Sacerdotis in die Paraſceues, (qua ex præſanctificatis tantùm licet diuinis participare) non in vaſe ſolari, ſed ſancto Calice *aſſeruari debet.*

Ex Manuali ſacrarum Cæremoniarum iuxta ritum S. R. E. parte 5. c. 9. De feria v. in Cœna Domini.

HODIE *Celebrans conſecrat duas magnas hoſtias, quarum vnam ſumit de more cum toto pretioſo ſanguine; & alteram reſeruat pro die ſequenti, in quo non dicitur Miſſa, reſeruat etiam quaſdam particulas pro infirmis, & alias conſecrat pro communione fidelium etiam hac die facienda.*

Itaque ad oblationem duæ magnæ hoſtiæ ſuper patenam poſitæ offeruntur, atque etiam particulæ in pixide, vel alio calice, in numero ſufficienti, prout ſuprà. Et ideo in Miſſa ſolenni paulo ante oblationem pixis prædicta, vel calix affertur ad altare per Subdiaconum, aut alium prope crucem &c. Dicto Agnus Dei, miniſtri ſtatim mutant loca, Diacono accedente ad librum, & Subdiacono ad dexteram celebrantis, ſumpto pretioſo ſanguine à celebrante diligentiùs, ſtatim Subdiaconus tegit pallâ calicem, eúmque collocat ſuper corporale verſus cornu Euangelij: tum facta genuflexione vadit ad credentiam, vel alius, & inde calicem ſupradictum vacuum ex pulchrioribus, cum palla, patena & velo pulchro paruo, ſine purificatorio affert ad altare, quem tradit Diacono, qui interea acceſſit ad dexteram ipſius celebrantis, & eum diſcooperit & tenet ante celebrantem apertum: qui facta genuflexione in eo ponit reuerenter ſupradictam hoſtiam dextera: ita vt facilè & commodè illam poſſit extrahere ſequenti die abſque manuum contactu &c. Tum iterum genuflectit, & Diaconus prædictum calicem collocat in medio corporalis, illúmque palla priùs, tum patena inuerſa, denique paruo velo cooperit, & poſteà illum propiùs ad crucem altaris ponit, & pixidem, ſeu aliud vas cum particulis conſecratis in medio collocat pro communione.

Finita Communione, celebrans infuſo tunc vino in ſuo calice, ſumit purificationem & ablutionem, non extra gradus altaris, ſed in loco ſolito, factis tamen debitis genuflexionibus &c. Tum Diaconus, calicem in quo eſt hoſtia collocat in medio corporalis, & pixidem poſt prædictum calicem prope crucem altaris, & ſuper corporale, vel in tabernaculo quod claudit; & celebrans facta genuflexione accedit ad cornu Epiſtolæ vbi legit communionem. Subdiaconus verò calicem Miſſæ tegit vt ſolet etiam, ſuo velo paruo ab aliquo Acolytho allato de cre-

credentia, cúmque defert ad credentiam cum debitis genuflexionibus.

Art. 3. eiuſdem cap. deſcribitur ordo Proceſſionis ſolennis, quæ fieri debet tantùm intra Eccleſiam à ſummo altari ad locum præparatum, pro repoſitione hoſtiæ conſecratæ. Eiuſdem autem art. §. 9. ſic habetur: *Poſito incenſo in duobus thuribulis celebrans genuflectit vt priùs, deinde Diaconus tradit primum thuribulum ſine oſculis celebranti genuflexo, qui facta inclinatione ter incenſat SS. Sacramentum ſuo velo tectum, in ſilentio; Miniſtris eleuantibus partes anteriores pluuialis & ſe inclinantibus cum celebrante, antè & pòſt. Deinde celebrans reddit thuribulum Diacono à dextris genuflexo &c. poſteà ſurgit Diaconus, aſcendit ad ſuppedaneum altaris, genuflectit aliquantulùm ſe vertens ad cornu Epiſtolæ, ne terga vertat celebranti, erigit ſe, & reuoluit anteriorem partem veli parui ſuper calicem, & poſteà partem poſteriorem eo modo: itáque eundem calicem ambabus manibus reuerenter arripit, dextra nodum tenens, ſiniſtra pedem, & conuerſus per eam partem, quæ reſpicit cornu Euangelij, ſtans ipſum calicem porrigit celebranti genuflexo, qui illum capit ſiniſtra per nodum velo paruo circumdatum & dexteram ſuper velum paruum ponit, cuius partem poſteriorem ipſe Diaconus priùs explicuit, ita vt calix ſit vndique coopertus velo paruo excepta parte anteriori quæ eſt ante celebrantem: deinde ipſe Diaconus extremitates veli ſuper manum celebrantis extendit, & iterum genuflectit, & ſurgit.*

Celebrans accepto calice ſurgit & ad planum ſupremi gradus aſcendit, ibíque ad populum ſe conuertit, & interim Diaconus & Subdiaconus mutant loca ſua, vt ille in proceſſione incedat à dextris & ille à ſiniſtris hinc inde, & ambo aſſiſtentes fimbrias anteriores pluuialis, & cùm opus eſt brachia eius ſubleuantes, celebrans erectus conuertit ſe ad populum, & tunc, & non priùs Cantores parati, ſi ſit conſuetudo adhuc genuflexi intonant deuotè hymnum, Pange lingua glorioſi corporis myſterium &c. Sequitur Proceſſio &c.

Celebrans ergo ſub baldachino procedit, tenens eleuatum calicem ferè ob oculos, quos defixos ſemper deuotè habet in eum: Thuriferarij verò praeuntes hinc inde procedunt, quaſi conuerſa facie ad ſe inuicem, ita vt ne terga minimè vertant SS. Sacramento, &c. Poſtquam ingreſſi fuerint capellam, Thuriferarij ceſſant à thurificatione, & Celebrans & Miniſtri aſcendunt ad ſecundum gradum altaris, & Diaconus aſcendit ſuper ſuppedaneum, vbi genuflectit quaſi vertens renes ad cornu altaris in parte Epiſtolæ, & Celebrans ſtans porrigit illi calicem, quem reuerenter accipit, deinde ſurgit & conuerſus ad Celebrantem paululùm expectat, donec Celebrans adorauerit SS. Sacramentum, quod ſemper in ſimili caſu facit, deinde ponit deuotè calicem ſuper corporale in medio altaris explicatum &c. Et vndique cooperit calicem, tum facta genuflexione deſcendit ad celebrantem adhuc genuflexum cum Subdiacono, & ambo remouent velum oblongum ab humeris Celebrantis, quia non eſt daturus benedictionem.

Poſtea ſurgit Celebrans & eodem modo, quo ſuprà, ad altare ponit incenſum in primo tantùm thuribulo miniſterio Diaconi ſine oſculis: tum idem genuflexus ſumpto thuribulo, ter ſanctiſſimum Sacramentum incenſat cum inclinationibus ſolitis antè & pòſt, & interim & non priùs, chorus incipientibus Cantoribus cantat, O ſalutaris hoſtia; vel, Tantum ergo Sacramentum &c. facta incenſatione, reddito thuribulo Diacono, qui illud ſtatim reddet Thuriſe-

rario, ipſe Diaconus aſcendit ad altare, genuflectit, imponit calicem in capſula ſuper corporale, in ea priùs explicatum, & eum tegit vndequaque, interim genuflectit, capſulam claudit, & obſerat claui, quam dat Sacriſtæ, vel Cæremoniario &c.

Et cap. 10. *De feria* VI. *in Paraſceue*, Art. 3. §. 32. *Tum procedunt omnes ad locum vbi eſt calix cum SS. Sacramento per viam breuiorem, hoc ordine: Præcedunt Thuriferarij cum thuribulis & ſuis nauiculis, deinde Subdiaconus cum cruce medius inter Ceroferarios, tum Cæremoniarius ſecum portans velum oblongum pro Celebrante, &c. poſtea Clerici bini cum candelis extinctis, vltimò Celebrans cum miniſtris præcedentibus manibus iunctis, nudo capite.* Art. 4. §. 1. *Cum Celebrans & omnes alij ad ſacellum peruenerint, ipſe & miniſtri ſacri ſtatim ac ſacellum ingreſſi fuerint, genuflectunt, ſurgunt, & ad altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt &c. Sicque parumper orant deuotè, & interim accenduntur faces & candelæ Clericorum, & aliorum, quæ remanent accenſæ vſque ad communionem celebrantis incluſiuè. ſubiunctis verò quibuſdam intermediis cæremoniis, additur* §. 2.

Tum ſolus Diaconus ſurgens ab oratione, & facta genuflexione aperit capſulam in qua eſt SS. Sacramentum, ſumpta claue &c. Deinde Proceſſione deſcripta §. 8. *Celebrans cùm perueneris ad altare, ſtans in ſecundo gradu tradit calicem Diacono genuflexo ſuper ſuppedaneum altaris &c. & facta incenſatione, & reddito thuribulo, Sacerdos aſcendit cum miniſtris ad altare: vbi iterum genuflectunt; Diaconus amouet paruum velum de calice, quod per aliquem Acolythum portatur ſuper credentiam, facta genuflexione, & ſimiliter remouet patenam & pallam deſuper cum debitis genuflexionibus. Tum idem Diaconus accipit & tenet patenam eleuatam ſuper corporale coram celebrante. Hic verò calicem accipiens, ex eo deponit hoſtiam ſacram ſuper dictam patenam quam tenet Diaconus, ambo aduertentes, vt nullo modo hoſtiam tangant, & eundem calicem reponit in loco ſolito &c.* Reliqua ſiquidem quoad cultum & vſum hodiernum venerabilis Sacramenti in Miſſali ſunt expreſſa.

Prolixiùs autem hunc ritum proſecuti ſumus, vt mori nupero iremus occurſum, quem ferè paſſim irrepſiſſe in pleraſque Eccleſias etiam Vrbicas animaduertimus, collocandi ſcilicet Venerabile Sacramentum feria v. in cœna Domini conſecratum ad communionem Sacerdotalem ſacræ diei Paraſceues, in vaſculo, pretioſo quidem, at ſolari decore inſigni: quum præſcriptæ huius diei, tam in Miſſali, quàm Cæremoniali formulæ tanta auctoritate decernant, tanta inſtantia incutiant, Hoſtiam ſacroſanctam, quæ pro feriæ VI. myſteriis deſtinatur, in calice ſancto collocandam eſſe. Certè dies tam lugubris, terríſque tenebris offuſa, nihil cum ſole ſuo in decore rutilanti affinitatis habet. Eclipſim paſſus eſt die iſta ſol iſte naturalis: myſticus verò qui *Sol eſt Iuſtitiæ*, hodie tot liuoribus coopertus, in cruce occaſum diræ mortis perpeſſus eſt. Nihil igitur diei huic adeo funeſto cum ſolis ſpecie commercij intercedit. At calicis nomen atque ſymbolum optimè cum huius diei myſterio congruit, qui Chriſti paſſi mortuíque anniuerſarium eſt. Euchariſtia memoriale

crucis & mortis eſt Domini, quæ quotieſcumque calix ſanguinis ipſius Domini in altari proponitur, annunciari debet; at hac die potiſſimùm, quæ mortis ipſius eſt propria commemoratio. Accedit quòd paſſionem ſuam Chriſtus, & calice myſtico dedicauerit, dicens: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* *Matth. 27. 28.* & calicis nomine deſignauerit: *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Simon, calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Et filiis Zebedei, *Poteſtis* (ait) *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Præ amore, quem erga nos habet, paſſionem ſuam, horam nuncupauit: & tot dolorum amaritudines, quas, mortem pro noſtra ſalute oppetendo paſſus eſt, intra calicis circulum concluſit. Quaſi parum eſſet quicquid propter nos perpeſſus eſt, præ amoris magnitudine, qua nos proſequitur. Optimè Theophilactus ſuper Matthæum & Lucam annotauit, Chriſtum calicis nomine ſuam paſſionem nuncupaſſe, vel propter ſomnum quem facit, vel quod noſtræ lætitiæ cauſa ſit & ſalutis, *enarrat. ad cap. 26.*

§. XVI.

Calices eſſe indicia Sacerdotij, didicit cæleſti viſu, ſancta Lidevvigis virgo, quæ ſub Eugenio IV. vitæ admirabilis curſum feliciter conſummauit.

Ex lib. 1. vitæ eius ſub finem.

SED *quantum placuerint Deo eleemoſynæ huius virginis, cæleſti quadam viſione ei reuelatum eſt poſitæ in exceſſu mentis. Vnde cùm raperetur in paradiſum, videbat frequenter primò menſas collocari, ac viridibus & ſericis mappis operiri. Deinde eleemoſynas ſuas, quaſi de cæleſtibus depoſitas, ſuper menſas eaſdem reponi, nec tamen aliquando minui, ſed potiùs augeri. Potum verò quem in amphoris lapideis ſolebat largiri, videbat in amphoris ad modum cryſtalli perlucidis ibidem præſentari. Videbat etiam glorioſum conuentum Beatorum ſingulos in ordine ſuo per gradus diſtinctos, quaſi cauſa refectionis ad menſam in tempore debito procidere: atque Preſbyteros* CALICES ERECTOS *tenere, & cæteros ſecundùm dignitatem ſuam armaturas congruas deferre.*

Nihil certè ſignando Sacerdotio aptius ſancto calice eſſe poteſt: quo Sacerdos, omnipòtentiæ Chriſti organum (vt S. Hieronymus loquitur) magnum conſecrat pietatis ſacramentum, fideíque præcipuum myſterium. Hinc mos iamdudum celebris fuit cùm Sacerdotes ſepeliuntur, eos non modò induendi Sacerdotali ornatu: at ſpecialiter calicem ponendi in eorum manibus, ſed ſine ſacrificij materia. Quem morem ſecutus proauunculus meus Cæſar Poirier, Caroli, deinde & Henrici Ducum Lotharingiæ primus quondam eleemoſynarius, inſigníſque Eccleſiæ S. Georgij apud Nanceium Canonicus ſupremis tabulis ordinauit, ſe quidem in Eccleſia S. Georgij ſepeliendum: porro cum Sacerdotali habitu & calice; quæ res ne

cederet in Eccleſiæ detrimentum, legauit Capitulo præcipuum ſuum calicem cum caſula holoſerica rubea: ea tamen lege vt minoris pretij apparatus ſibi à Capitulo accommodaretur, vt patet ex codicillis eiuſdem Nancei exaratis 12. Septembris an. ſal. 1622. quorum apographum penes me extat. Cæterum huius ritus ſepeliendi Sacerdotes inſignitos ſacra Panoplia, Calicem verò in manibus habentes: monimento ſunt antiquæ eorum imagines ipſorum tumulis inſculptæ. Quæ paſſim in antiquis Galliæ noſtræ templis conſpiciuntur. Quarum nonnullas videre eſt in ipſa Eccleſia Pariſienſi, vbi pleraſque eiuſmodi effigies obſeruauimus.

CAPVT XVII.

Quæſtio, de ſignis quæ fiunt ſuper calicem ſanctum, de eiúſque eleuatione, & repoſitione, ab Iuone Carnotenſi, & Micrologo, diſcuſſa.

INTER Epiſtolas Iuonis Carnotenſis extat (quæ numero cenſetur 231.) perinſignis ad Pontium Cluniacenſem Abbatem, de præfixo lemmate, hoc ſub contextu: *Quæſiuit à paruitate mea prudens diligentia & diligens prudentia veſtra, quid mihi ſignificare videatur, Calicis eleuatio, & eiuſdem repoſitio? quid ſignificent illæ conſignationes quæ fiunt ſuper calicem, & intra & extra, quæ prætermiſſa videntur in libello, quem compoſui de conuenientia veteris & noui Sacerdotij*. Quæ ideo prætermiſſa mihi, quia ad illam conuenientiam de qua in opuſculo illo agebatur, parum aut nihil pertinere videbantur. Cùm verò per ſe conſiderantur iſta, myſticum aliquid continere videntur* præter illas conſignationes, quæ diſtinctè ante iſtas in tribus locis frequentantur; in his enim ſpecialiter oſtenditur vt illa dona, quæ iam vocantur ſacrificia, in Chriſti corpus & ſanguinem commutentur, vel commutata, ſalutaria nobis efficiantur. Cùm autem panis & calix adhibito Diacono eleuatur, exaltatio Chriſti corporis in cruce commemoratur. Quòd verò cum hoſtia iam conſecrata, intra vel ſupra calicem ſignum crucis imprimitur à latere calicis orientali vſque ad occidentalem, & à ſeptentrionali vſque ad auſtralem: hoc figurari intelligimus, quod ante paſſionem Dominus diſcipulis ſuis prædixit in commendationem ſuæ paſſionis: Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipſum. Hoſtia quoque, quæ iuxta calicem conſignatur, ſic debet eſſe poſita, vt ſua & calicis poſitione dextrum Chriſti latus repræſentet, de quo manauit ſanguis redemptionis & aqua baptiſmatis, quæ vtraque in calice contineri prudentia veſtra non ignorat. At cùm cooperante Diacono calix deponitur, & hoſtia in ſuo loco reponitur, & corporali palla* cooperitur, hoc commemoratur quod Joſeph, & Nicodemus accepta licentia à Pilato corpus Chriſti de cruce depoſuerunt, & venerabiliter ſepulturæ mandauerunt. Hæc de iis ſentio, non reſpuens ſiquis de iis altiora* & ſecretiora ex auctoritate, vel diuina inſpiratione, dicere valuerit.*

* Extat hodie editus inter Sermones Iuonis.

* *propter*

Ioan. 12.

* De ratione huius coopertura extat in vlt. cod. quæſtio Walentini Epiſc. Nuremburg. cum reſponſione Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis.

* *ſacratiora*

De iiſdem myſticis ſignis ſuper ſanctum Calicem, auctor Micrologi, qui ferè ante annos 600. claruit, ipſique Iuoni fuit coætaneus, caput proprium contexuit, ſerie ſui opuſculi de obſeruationibus Eccleſiaſticis, 14. *De ſignis autem quæ ſuper oblationem à diuerſis diuersè fiunt; Nos*, inquit, *ab Apoſtolica Sede potiſſimùm formam ſumere decreuimus, vnde totius religionis Chriſtianæ ordinem & originem ſuſcepimus, nam & illi ſedi, noſtro tempore talem Deus gubernatorem reuerendæ inquam memoriæ Gregorium Papam impoſuit, qui ſub decem anteceſſoribus ſuis à puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſimè inueſtigauit, & inueſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curauit: hunc ergo doctorem religione & auctoritate præcipuum, imò Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſecrandis myſteriis potiſſimùm imitari decreuimus: ſicut nos ipſi per ipſum & per Epiſcopos qui eum imitati ſunt, accepimus, imparem numerum ſemper in diſpenſatione ſignorum ſuper oblationem obſeruamus, videlicet vnam crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc vtique non ſine acti cauſa myſterij, nam in vna & tribus, vnum & trinum Deum intimamus; in quinque autem, quinque partitam Domini paſſionem ſignificamus. Meritò autem impar numerus in Eccleſiaſticis officiis frequentatur, quia nunquam in duo æqualia vnitate impediente diuiditur, ſicut vnitas ſanctæ Eccleſiæ nullatenùs eam in duo ſecari patitur. Imprimis vbi dicitur, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia, tres tantùm cruces ſuper panem, & vinum communiter facimus, nec vnquam panem à calice ſeparamus in conſignatione, niſi vbi ſeparatim nominatur in Canone. Ita autem illa communiter ſignamus, vt erecta pars crucis tantùm ſuper panem, tranſuerſa autem ſuper calicem protendatur, nam erecta pars crucis corpus Dominicum ſuſtinuit, tranſuerſa autem ipſius brachia diſtendit: vnde & calix congruè ſub * brachio eius collocatur, quaſi de latere Dominico ſanguinem Domini ſuſcepturus. Cùm dicimus, hanc igitur oblationem, vſque ad altare inclinamur, ad exemplar Chriſti, qui ſe humiliauit pro nobis vſque ad mortem crucis. Erecti autem cùm dicimus: benedictam, aſcriptam, ratam: tres cruces ſuper vtrumque ſemel facimus; non enim hîc ſola oblata ſignanda eſt, vt quidam faciunt, ſed vtrumque ſignatur in oblatione; nam ſequitur: vt nobis fiat corpus & ſanguis: ſubauditur hæc oblatio; & hoc cùm dicitur, quarta crux ſuper panem, & quinta ſuper calicem ſeparatim imponitur. Congruè autem priùs tres cruces tantùm ſuper vtrumque fecimus *, licèt quinque voces ad ſigna facienda æquipollentes haberemus, id eſt benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem videlicet, vt quinarium numerum non excederemus, & quintam crucem ſuper calicem, quaſi quinti vulneris indicem, vnde ſanguis profluxit, competenter faceremus*

Gregor. Papa VII.

Signorum impar numerus ſemper obſeruandus.

* *brachia*

Inclinatio vſque ad altare.

* *facimus*

CAPVT XVIII.

In forma conſecrationis Calicis Domini, cur potiùs quàm in conſecratione panis Euchariſtia dicitur, Myſterium fidei, cùm dua ſpecies non conficiant niſi vnum idémque ſacramentum?

EXPOSTVLANT Nouatores, quòd Romana Eccleſia in forma conſecrationis Calicis præter Euangeliſtarum conſenſum, & S. Pauli adſtipulationem, verba hæc addiderit, *Myſterium fidei?* Reſpondet Cardinalis Bellarminus, lib. 4. de Euchariſtia, c. 14. §. vlt. Myſterium fidei rectè vocari calicem ſanguinis Domini, cùm nulla in re alia magis, & frequentiùs exercenda ſit fides, quàm in hac, reclamantibus omnibus ſenſibus. Tamen Ioannes Lorinus epithetum iſtud exiſtimat eſſe fundatum in Scriptura: *Eccleſia* (inquit comm. in Act. c. 6. ℣. 3.) *in forma conſecrationis calicis, hæc verba, Myſterium fidei, ex Apoſtolo Paulo mutuata eſt*, ſcilicet 1. ad Timoth. 3. quam ſententiam amplexi ſumus atque aſtruximus in noſtro opere *de Galliæ Scriptoribus myſticis, in beato Paulo, Ritu 2.* Sed hæc præfixam quæſtionem non dirimunt, quia hîc non quæritur, an iſta nuncupatio vera, pia, & legitima ſit, nec vnde verba eiuſmodi Eccleſia acceperit? At cur potiùs calici Dominici ſanguinis, quàm hoſtiæ ſacræ ſub ſpecie panis, hanc attribuerit inſignem denominationem? Certè S. Dionyſius edoctus à Sancto Paulo, dehinc Sancti, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, ſacram Euchariſtiam vocant paſſim non modò *myſterium fidei*, ſed antonomaſticè *myſterium;* cæteri autem Patres *tremendum myſterium* appellitant, quæ cùm Euchariſtiæ tribuant, æquè venerabili ſacramento ſub ſpecie panis ac ſub ſpecie vini ſanè conueniunt; cur itaque Eccleſia in ſola forma conſecrationis calicis hæc vſurpat?

In Paulo myſtico ſuperiùs citato, ego equidem hanc rationem aſſignaui, quòd ex diſpenſatione Apoſtoli ſpeciale ſit Diaconorum munus, miniſtrare populo fideli calicem ſanguinis Domini: quapropter de iis dixerit Apoſtolus ſcribens ad Timoth. c. 3. *habentes myſterium fidei in conſcientia pura*, id eſt portantes, ſeu diſpenſantes ſanguinem Domini in ſancto calice cum illæſæ conſcientiæ teſtimonio: ſed hæc doctrina oſtendit quidem calicem Euchariſtiæ à S. Paulo fuiſſe nuncupatum Myſterium fidei, non autem difficultati propoſitæ ſatisfacit, quare potiùs eiuſmodi titulum inſcripſerit, calici Chriſti ſanguinis, quàm corpori eius ſub panis ſpecie conſecrato? Propiùs igitur vt ad ſcopum accedam, reuoco in memoriam hîc, inſigne illud S. Hieronymi pronunciatum: *Niſi verum eſſet Euangelium, ſanguine non defenderetur.* Obſignauit Chriſtus obedientiam quam præſtitit Patri profuſione ſanguinis, *Vt cognoſcat*, inquit, *mundus, quia diligo patrem, & vt mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* Obſignauit & doctrinam

Ioan. 14. 31.

ſuam eodem teſtimonio; vnde Apoſtolus ad Timoth. ep. 1. c. 6. *Præcipio tibi*, inquit, *coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum, &c. irreprehenſibile vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti*, id eſt eius Euangelium tibi creditum defendas vſque ad extremum vitæ ſpiritum, & vltimam ſanguinis profuſionem, ſicut ipſe fecit. At eodem ſignaculo obſignauit ipſe Chriſtus eximiam ſuam in nos dilectionem: quamobrem hoc inſtitutioni ſacramenti ſui amoris, ſcilicet Euchariſtiæ, S. Ioannes præludium indidit, *Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos;* id eſt vſque ad ſupremum teſtimonium amoris. Huc ſpectabat Apoſtolus cùm ad Epheſios ſcripſit, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea:* copula hîc videtur cauſalis, adeò vt Apoſtolus dicat, Chriſtus dilexit Eccleſiam, nam tradidit ſemetipſum pro ea: & ſingulariter *qui dilexit me* (ait idem vas electionis Paulus) *tradidit ſemetipſum pro me.* Si de morte dumtaxat, cui in cruce occumbendo ſe tradidit pro nobis Chriſtus, hoc intelligi deberet; minùs in ea amoris eſſe videretur, quàm doloris: quia nimirum cruenta Chriſti immolatio, neſcio quid violenti habere videbatur; quamobrem, vt ſolerter, & acutè ſcripſit Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, S. Hieronymi ſynchronus, *Chriſtus, vt anticiparet inimicorum ſuorum impetum violentum, ſponte ſemetipſum vltima in cœna obtulit.* Corpus quidem verum ſub panis ſpecie: ſanguinem verò ipſum in calice, quem fuſurus in cruce mox erat; ergo erat in calice ſanguis; ſanguis inquam noui teſtamenti, nam nouum Teſtamentum propriè in Chriſti ſanguine, ſiue viſibiliter in cruce effuſo, ſiue incruentè oblato in calice, dedicatum fuit. Hinc apud Matthæum ait Chriſtus, c. 26. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, ita & Marcus habet c. 14. Lucas verò c. 22. *Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo*, ita & Paulus 1. Cor. 11. *Hic eſt Calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo* &c. Ergo calix Chriſti ſanguinis, noui Teſtamenti eſt ſigillum, & ſignaculum, eſt munus & pignus. De corpore idem non dicitur, at de ſanguine ſolùm, quia vt ait Apoſtolus, *ſine ſanguinis effuſione* (ſiue cruenta, ſiue incruenta) *non fit remiſſio, & Chriſtus futurorum bonorum aſſiſtens Pontifex, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta*, Heb. 9. Non tam in corpore igitur quàm in ſanguine, non tam in pane, quàm in calice conſummatum eſt myſterium noſtræ redemptionis. Quapropter calix ille ſalutaris rectè *Myſterium fidei* per excellentiam appellatur: nam hoc pignore Chriſtus exoluit fidem, quam de ſaluando humano genere, ſuæ mortis merito & ſanguinis pretio, Patri æterno obſtrinxerat, ſuúmque in nos immenſum amorem hoc condito teſtamento, quod conſecratum eſt in ſanguine, potiſſimùm teſtatus eſt: fideíque omnia myſteria hoc ſigillo effuſi, ſpontaneo, incruentóque ſacrificio ſanguinis obſignauit, nóſque conſimili ſibi deuinxit fidei oppigneratæ nexu, fundendi ſcilicet ſanguinis pro eius nomine & gloria, quoties neceſſitas poſtulabit. Pulchrè ac eleganter hoc theorema incutit S. Cyprianus, ep. 53. *At*

Ioan. 13. 1.

Epheſ. 5.

verò (inquit) *nunc fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos contra aduerſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemur: nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confeſſione nominis Chriſtiani ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Hactenùs S. Cyprianus.

CAPVT XIX.

De arcanis Calicis, & Tropologia; ſeu, de diuerſis Calicibus in ſacra Scriptura deſignatis, eorúmque tam bona quàm mala ſignificatione.

ARTICVLVS I.

De calicis in diuinis litteris myſtica moralique theoria, in bono ſenſu.

CALICIS frequens eſt mentio in diuinæ veritatis Codicibus: túmque in bono, tum in malo etiam ſenſu nomen iſtud in iis vſurpari ſolet; ſiquidem ſacras euoluenti paginas occurrit in bono ſenſu ac ſignificatu, calix hæreditatis, calix inebrians, calix ſalutaris, calix paſſionis, calix Domini, calix benedictionis, calix denique per excellentiam ſine adiuncto cognomine, quia in omnibus præclarus eſt. De iis ſingulis obiter hîc aggredimur diſſerere.

§. I.

Calix hæreditatis.

DOMINVS *pars hæreditatis meæ & calicis mei*, (ait diuinus Pſalmographus Pſal. 15. 5.) *tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* Cuius ſcilicet calix ipſe pignus eſt. Certè hîc opportunè monet doctiſſimus Genebrardus, hebraiſmum eſſe: apud Hebræos enim duo ſubſtantiua pro vno ſubſtantiuo & adiectiuo vſurpari ſolent; igitur pars hæreditatis idem eſt ac pars mea & hæreditas mea, ſeu pars mea, ſeu pars mea hæreditaria: & pars calicis, nihil aliud eſt, quàm pars calicea & pocularis. Calix autem pro mercede & retributione ſacris in litteris accipitur: hinc de reprobis Pſal. 10. 7. *Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*, id eſt retributio & ſupplicium, eorum flagitiis debitum. Pars igitur eſt Dominus iuſtorum hæreditatis, quemadmodum ait ad Abraham, *Ego ſum merces tua magna nimis*, Geneſ. 15. 1. Quò ſpectat iſtud reſponſum S. Thomæ Aquinatis, qui cùm ante Crucifixum oraret, ipſi inquirenti, *Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem recipies?* Reſpondit, *Non aliam Domine, quàm te ipſum; Tu enim es ſpes mea, merces mea, amor meus, gaudium meum & omnia.*

§. II.

§. II.

Calix inebrians, quàm præclarus!

Psal. 22.

PARASTI *in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Ad Euchariſtiæ ſacramentum verba hæc prophetica Dauidis paſſim referunt Patres. Cyprianus ep. 63. Origenes tract. 35. in Matth. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. Auguſtinus lib. 2. cont. litt. Petill. c. 47. Paulinus ep. 9. quin & S. Baſilius & Theodoretus hoc aſſerunt adeo eſſe perſpicuum, vt nulla declaratione indigeat: & S. Ambroſius ſuccenſet iis, qui aliter locum tam inſignem interpretantur. Per menſam porrò, in qua apponitur panis, qui confortat cor hominis, quemadmodum ipſi Patres conuiuium Chriſti corporis: ita per inebriantem calicem poculum eius ſanguinis ſpecialiter exponunt. Inebriat certè iſte calix vigore pleno ſpiritus, quem influit in eorum corda, qui illo perfunduntur. Hoc muſto ſpirituali Apoſtoli pleni erant, Act. 2. *Quaſi homines madidi vino à facie Domini*, Ierem. 23. 9. Orátque Eccleſia *, vt

Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus

* In hymno Ambroſiano, *Splendor paternæ gloriæ* &c. quem canit feria 2. ad Laud.

Eſt quædam profectò ebrietas bona. Commendatur ſiquidem in diuinis litteris in ſtatu gratiæ: vnde ſponſa in Cantic. c. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* ea eſt quæ virtutem generat, meritáque parit. At alia eſt quæ præmiis gaudet, gloriæque donis exuberat, de qua ait Pſalmographus, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.* In ſtatu gratiæ quot ſunt Spiritus ſancti dona, quot Sacramenta Chriſti: tot pocula, tótque ſpiracula vitæ. At in his calix ſanguinis Domini præcipuus eſt. Egregiè Cyrillus Hieroſolymitanus voces illas Pſalmiſtæ, *Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt*, de calice ſanguinis Chriſti explicat. Et rectè diuinus ille potus pleno mero calici comparatur: quia, vt inquit S. Ambroſius, ſerm. 18. * *Sicut calix lætificat cùm bibitur, ac omnis humor noxius eius calore decoquitur: ita & Chriſti ſanguis hauſtus omnes peccatorum fæces expurgat, cordi præſtat lætitiam, calorem fidei, animæ puritatem.* Pulchrè Beda expendens hanc Pſalmiſtæ vocem, *Et calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!* iungit, id eſt præcellens, ſpecioſus, eximius, deſiderabilis, fortis, viuidus. Sicut patet in ſancto Laurentio ipſius calicis ſancti miniſtro & participe, qui totus inebriatus & tanquam dementatus iſto diuino potu, ignis ardores non ſentiebat.

Pſal. 35. 9.

Catech. 4.

* Siue de S. Cyprian.

Prudent. Periſteph. hymno de S. Laurentio.

Poſtquam vapor diutinus
Decoxit exuſtum latus,
Vltro è cataſta iudicem
Compellat affatu breui.
Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter:
Et fac periculum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet:
Tunc ille, coctum eſt, deuora!
Et experimentum cape,
An crudum, an aſſum, ſuauius.

Eodem muſto inebriata S. Agnes puella fortis, de pœnis & minis ludebat : quàm graphicè eam deſcripſit S. Ambroſius, didaſcalus Virginum : *Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina, virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu: mirari plerique quod tam facilè vita ſuæ prodiga quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret: ſtupere vniuerſi, quod iam diuinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex, vt timeretur, quantis blandiciis vt ſuaderet, quantorum vota vt ad nuptias perueniret? At illa: Et hæc ſponſi iniuria eſt expectare placituram, qui me ſibi prior elegit, accipiet: Quid percuſſor moraris? pereat corpus quod placere poteſt oculis quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dexteram, pallere ora, alieno timentis periculo, cùm puella non timeret ſuo.* Amore enim Chriſti cuius ſanguinem ſuxerat, erat inebriata. *Mel & lac*, inquit, *ex ore eius ſuſcepi, & ſanguis eius ornauit genas meas.* Hinc *tanquam vitta coccinea labia eius, & genæ eius erant tanquam fragmen mali punici.*

Lib. 1. de Virginib.

Cant. 4. 3.

Paulus Vas electionis, eodem calice, quem vocat calicem benedictionis, 1. Cor. 10. inebriatus quoque erat : quo incenſus idcirco has in voces erumpit, *Charitas Chriſti vrget nos. Cor noſtrum dilatatum eſt, os noſtrum patet ad vos Corinthij : Quis ſcandalizatur, & ego non vror, Quis* (ait ad Romanos c. 8.) *nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Cecidit ſuper Petrum mentis exceſſus, Act. 10. ipſéque Paulus diuinos raptus ſe paſſum fatetur; quin Sanctos extaticos omnes appellat. *Mente*, inquit 2. Cor. 5. 13. *excedimus Deo*; quem locum verſans Theophilactus, *Si inſanimus Dei cauſa, ita inſanimus, vt vos ad eum perducamus : inſaniebat itaque Paulus amatoriâ quadam inſaniâ Deum amans, ac amatoris inſtar illi viuens, nempe ab amato extra ſeipſum raptus, ac totus in Deum tranſlatus, nec ſuam ampliùs ipſius vitam viuens, ſed illius quem amat, amatoriam planè dilectam & valde charam.*

In calice ſancto Chriſtum nobis dediſſe ignem ſimul & ſanguinem, S. Chryſoſtomus alicubi ſcribit, vnde primi Chriſtiani tam altos ſpiritus imbibebant, vt ad martyria currerent, extremáque pati ludum putarent *, Chriſti nimirum ſanguine tanquam inebrianti poculo inflammati. Exibant à ſacra menſa, *tanquam leones ignem ſpirantes, facti mundo & diabolo terribiles* : calix enim ille præclarus ſuperiorum ſpirituum, in fidelium præcordiis æſtum accendit. Teſtis eſt porro S. Dionyſius in cœleſti hierarchia, c. 7. Amorem Seraphim calidum eſſe, acutum, ſuperferuentem : Vrit calore, acumine perrumpit omnia, feruore ſupereminenti ſupremos illos ſpiritus ardenti in Deum affectu liquefacit. Sic pro vitæ huius ſtatu & naturæ modulo, hauſtus à fidelibus Chriſti ſanguis illos inflammat, pene-

* Prudentius lib. de Coronis: *Mors Chriſtianis ludus eſt.*

Homil. 61. ad pop. Antioch.

trat & transfundit erga Deum in ipſos ſanctos affectus, ebriiſque prorſus conſimiles facit: Amor ſiquidem ebrietati ſimilis eſt: ſicut enim videmus qui vino madent, ſua liberaliter profundere, veſtimenta ipſa abiicere, non curare de illatis ſibi iniuriis, in prælium audacius proſilire, in conflictu non ſentire ictus & vulnera: ita planè hæc mirificè omnia calix iſte inebrians dum amorem infundit ſumentium cordibus, in iis operatur: Quamobrem rectè inebrians appellatur, & quia tam mira facit, ſuper omnes potus certè præclarus eſt, ſeu vt verti poteſt ad verbum ex Hebræo, *profectò bonus eſt*: quin ex Græco, *quàm optimus eſt*, cùm nihil eſſe poſſit eo melius. Huc ſpectaſſe videtur Zacharias Propheta dum ait, *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* *Zach. 9.17.*

§. III.

Calix aquæ & ignis, qui & intellectus & ſapientia.

ESDRAS calicis huius meminit, quem ait ſibi datum à Domino: *Ecce vox*, inquit, *vocauit me dicens, Eſdra aperi os tuum & bibe, quod te potauero: & aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi; hoc erat plenum ſicut aqua; color autem eius vt ignis ſimilis. Et accepi & bibi, & in eo cùm bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſeruabatur memoria, & apertum eſt os meum, & non eſt clauſum ampliùs.* Hoc calice potati ſunt non tantùm priſcæ legis Prophetæ, ſed & Eccleſiæ Doctores: quapropter de eorum ſingulis cùm memoriam eorum recolit venerandam, ipſa canit Eccleſia, *In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus* Primus omnium ille repletus eſt dilectus diſcipulus, qui ſuper pectus Domini in ſuæ paſſionis conuiuio recumbens, inde fluenta cæleſtis ſapientiæ, qua inundauit Eccleſiam, pleno hauſtu potauit. *Eſdr. 4.14.*

§. IV.

Calix mixtus.

QVONIAM *Dominus Judex eſt, hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto; & inclinauit ex hoc in hoc.* Præclarè de temperamentis diuinæ iuſtitiæ & miſericordiæ, vitæque humanæ per diuinam prouidentiam iuſtis & benignis viciſſitudinibus, hæc ſcribit S. Ioannes Chryſoſtomus, hom. 8. in Matth. ante med. * *Miſericors Deus, mæſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcet: quod certè in ſanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates ſinit habere continuas, ſed tum de aduerſis, tum de proſperis iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit.* Nec peccatores etiam ſinit perpetua proſperitate frui, alternat eorum vices, vt tædio tam peccati, quàm mundi huius fucatæ felicitatis afficiantur; *hunc igitur humiliat, &* *Pſal. 74.7.8, 9.*

* Καὶ γὰρ ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς τοῖς ἐπιπόνοις τερπνὰ καὶ ἡδέα ἀναμίγνυσι. ὅπερ γὰρ ἐπὶ πάντων τῶν ἁγίων ποιεῖ, οὔτε τοὺς κινδύνους, οὔτε τὰς ἀνέσεις συνεχεῖς ποιεῖ, ἀλλὰ καὶ διὰ τούτων καὶ δι' ἐκείνων ὑφαίνει τὸν τῶν δικαίων βίον.

Pſ. 74. *hunc exaltat Dominus* (ait verè Propheta) *quia calix in manu Domini plenus mixto; & inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

§. V.

Calix ſalutaris, ſeu ſalutis.

HEBRÆI veteres pro traditione habuerunt, in conuiuio iuſtorum fore, vt nemo calicem benedicere audeat, niſi ſolus Dauid. Chriſtus hic Dauid eſt, qui cœnantibus Apoſtolis accepit calicem, ac benedixit, atque hoc ipſum facere in ſui commemorationem præcepit. Putatitius Hieronymus ſcribit, in Hebræo haberi, calicem Ieſu accipiam, ſiue acceptum ſcilicet, ſiue datum. Acceptus à Patre hic erat, Ioan. 18. 11. de quo dicebat Petro, *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Eundem & nobis obtulit Chriſtus, nam participes nos eſſe voluit ſuæ paſſionis, quapropter ante pugnam quærentibus victoriam, Matt. 20. 22. gloriámque ante laborem aculeatè dixit, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* neque enim ſedere licet in regno meo, nedum meam ambire dextram vel ſiniſtram, niſi calix iſte laboris, doloris, anguſtiæ & amaritudinis priùs delibetur.

Calicis protrita eſt notio pro morte, quoniam veneno plenus olim porrigebatur damnatis, vt ebibentes interirent, quemadmodum Socrati datum conſtat. Ioanni Apoſtolo & Euangeliſtæ fuit iuſſu Domitiani intoxicatus eiuſmodi calix propinatus, ſed diſpari longè exitu, Socrates enim hauſto veneno è calice protinus occubuit: Ioannes priuilegio diuino potitus, immunis hauſto etiam venenato potu Marc. vlt. euaſit, quemadmodum Chriſtus ſuis diſcipulis promiſerat, *Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Verùm hic potus non eſt calix ſalutaris; quid enim ex ſe parit quàm ebibentis perniciem & mortem? ſed Saluator nobis ſuo in calice vitam & ſalutem offert: huc, ſi Chaldaico interpreti adhibeatur fides, ſpectant verba Dauidis, vbi enim vulgata legit, *Calicem ſalutaris accipiam*, Chaldaïcè habetur, *Calicem redemptionis portabo;* Hebraïcè nomen eſt plurale, *Calicem ſalutum*, nomen multitudinis denotat ingens auxilium, ſingulare beneficium, & ſalutem inCatech. 4. ſignem. Opponit ideo S. Cyrillus Hieroſolymitanus nouum teſtamentum veteri, quòd in antiquo eſſent quidem panes propoſitionis, ſed neutiquam viuificantes, poculáque nonnulla, at quæ itidem nihil ad vitam, neque ſalutem conferebant, *Sed in nouo Teſtamento, panis* (inquit) *eſt cæleſtis, & calix ſalutaris, qui & animam & corpus ſanctificant.*

§. VI.

Calix paſſionis, ſeu martyrij.

SANCTVS Ambroſius lib. 5. Comm. in Luc. c. 6. præcitatum lo-

cum ex Pſal. 115. ad paſſionem & martyrium traducit, quod ſummum Dei donum eſſe ac beneficium arbitratur: *Tu dic de omnibus quæ retribuit tibi Dominus, calicem ſalutaris accipiam, hoc eſt paſſionem: Vnde etiam illis qui ad dexteram vel ad ſiniſtram ſedere cupiebant ait, Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? vſque in finem te ducit, vſque ad martyrium proſequitur. Ibi conſtituit beatitudinum palmam.* Sed ſi ita res ſe habet, quotuli ſunt, qui hoc tempore ad hanc palmam peruenire poſſint, cùm perſecutiones pro fide iampridem magna orbis parte ceſſarint? Sanè martyrium in voto, eſt de præcepto. Cùm res enim tulerit, perſecutiones, tribulationes, tentationes, mortémque ipſam omnis Chriſtianus tenetur pro Chriſti fide & gloria ſubire, ſéque interim offerre in ſacrificium & oblationem; ſiquidem monet Apoſtolus, *vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem* (proinde non ſine anima) *ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum.* Præclarè huc ſpectans Clemens Alexandrinus 4. Stromatum ait: *Quicumque ſeruatoris mandata exequuntur, in vnaquaque actione ſunt Martyres* &c. *cùm cruci carnem affixerint cum vitiis & concupiſcentiis.* Nec minùs piè, quàm eleganter S. Hieronymus, *Non ſolùm effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur, ſed deuotæ quoque mentis ſeruitus, quotidianum martyrium eſt.* *ep. 27.*

Vocamus calicem S. Eligij, non in quo dumtaxat conſecrabat Chriſti ſanguinem, ſed quem ad hoc fecit aurifaber egregius, vt ipſi conſecrationi dedicaretur. Fecit ſibi calicem Chriſtus, impleuítque illum amaritudine: erat enim vt ait Propheta, *vir dolorum.* At non *Iſa. 53.* tantùm vſui ſuo hunc addixit, nobis ſecum voluit eſſe communem; *Accipite*, inquit, *& diuidite inter vos.* Nemo erit regni eius particeps qui partem amaritudinis, fellis & aceti paratas cuique guttulas non ebiberit aut exſuxerit. Inuitat nos ad hoc ſympoſium Chriſtus, ſimúlque etiam allicit, *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Expende quæſo attentiùs; non dixit, quem vobis porrecturus ſum; ſed quem ego bibiturus ſum: Ego, inquam ipſe, *qui veſter ſum magiſter & dominus.* Mira res! ſi ſeruus in poculum vel labra infigere detrectaret, quod eius rex & dominus, eius amore & commodo, auido ferè ebibiſſet hiatu?

Hîc mihi penè exciderat memorabilis narratio de martyrio S. Andreæ, illi reuelato ſub titulo calicis, quem proximè tandem bibiturus erat. *Sequenti nocte* (ſic legitur lib. 3. hiſt. Apoſt.*) *vidit per quietem B. Andreas viſionem quam fratribus enarrauit dicens: Audite ſomnium meum dilectiſſimi. Videbam, & ecce mons magnus erat in ſublime elatus, qui nihil ſuper ſe de terrenis rebus habebat, niſi quod luce reſplendeſcebat in tantum, vt mundum putaretur illuminare. Et ecce adſtiterunt mihi dilectiſſimi fratres Petrus & Ioannes. Et Ioannes quidem extenſa manu Petro Apoſtolo, leuabat eum in verticem montis, & conuerſus ad me rogabat aſcendere poſt Petrum dicens, Andrea poculum Petri bibiturus es. Et extenſis manibus ſubdidit; Appropinqua mihi & extende manus tuas, vt coniungantur manibus meis, & caput tuum capiti meo ſocietur: quæ cùm feciſſem, inuentus ſum breuior eſſe Ioanne. Et poſthæc ait mihi, vis cognoſcere imaginem huius rei, quam cer-*

* Quæ Abdiæ Babylonico Epiſcopo paſſim aſcribitur.

nis? vel quis tibi loquatur? Et ego deſidero, inquam, & ait mihi: Ego ſum verbum crucis, in qua pendebis in proximo, propter nomen eius quem prædicas: Et multa alia dixit, quæ nunc ſilere oportet; prodebuntur autem tunc quando ad hanc æmulationem acceſſero. Hæc ibi, ex quo infert Cardinalis Baronius S. Andream poſt B. Petrum crucem aſcendiſſe, quam calicis Petri nomine, S. Ioannes illi prædixerat.

Ad ann. Domini 69. n. 34.

§. VII.

Calix Benedictionis.

1. Cor. 10. 16.

CALIX *benedictionis, cui benedicimus, nônne communicatio ſanguinis Christi eſt?* Ita ſanè: ſed fortè quæris, cur calix Dominici ſanguinis, calix benedictionis ab Apoſtolo vaſe electionis nuncupetur? ſile obſecro, & parumper auſculta. Si quæras ab Optato, quid eſt altare? *Sedes corporis Chriſti*, reſpondebit. Si à Germano ſecundæ Sedis Patriarcha, quid eſt calix? *Calix*, inquit, *eſt vaſis loco, quod puncti immaculati lateris recepit effuſum ſanguinem.* Dico verò, Quid eſt calix Euchariſtiæ? ſolutio eſt in promptu, eſt ſiquidem centrum omnis benedictionis; *Cùm Euchariſtiam dico*, ait ſanctus Chryſoſtomus, *omnem theſaurum Dei in nos benignitatis aperio.*

In theoria rerum Eccleſiaſticarum.

Homil. 24. in 1. ad Corinth.

Sed hic calix ideo inſuper benedictionis dicitur, quia ſupremus Deo latriæ cultus per huius exhibetur myſticam libationem: duos, quæſo, hîc illuſtriſſimos Patres audiamus. S. Auguſtinus diſcutiens illa verba diuini Pſalmiſtæ *, ex Dei parte, adeóque eius in nomine loquentis: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò oſtendam illi ſalutare Dei. Quod eſt autem* (ſubdit) *ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? & vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro eius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt: cuius vmbra fuerunt omnia genera priorum ſacrificiorum.* Et reuerà nobiliſſimum Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentum & ſacrificium, quod cum gratiarum actione à Chriſto inſtitutum eſt, nomen claturam ſuam à gratiarum actione accepit, nihil enim aliud eſt εὐχαριστία, niſi gratiarum actio, vnde S. Chryſoſtomus hom. 26. in Matth. * *Apoſtolus dicit Grati eſtote. Optima quippe cuſtos beneficiorum, eſt beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum confeſſio: propterea & reuerenda ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni certè Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt gratiarum actio, nuncupatur, ſunt enim recordatio beneficiorum plurimorum, capútque ipſum diuinæ in nos charitatis oſtendunt, nóſque faciunt debitas Deo gratias exſoluere.*

* *Cont. aduerſ. leg. & Prophet. lib. 1. c. 8.*

* Διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἔλεγεν. εὐχάριστοι γίνεσθε. φυλακὴ γὰρ εὐεργεσίας ἀρίστη ἡ τῆς εὐεργεσίας μνήμη, καὶ διηνεκὴς εὐχαριστία. διὰ δὴ τοῦτο καὶ τὰ φρικώδη μυστήρια, καὶ πολλῆς γέμοντα σωτηρίας. τὰ καθ' ἑκάστην τελούμενα [λέγω] σύναξιν. εὐχαριστία καλεῖται, ὅτι πολλῶν ἐστιν εὐεργετημάτων ἀνάμνησις, καὶ τὸ κεφάλαιον τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας ἐνδείκνυται, καὶ [ὅτι] διὰ πάντων παρασκευάζει εὐχαριστεῖν.

Obſeruat doctiſſimus Genebrardus in Pſal. 115. ad illa verba, *Calicem ſalutaris accipiam*: nullam oblationem ſine libatione, & nullum feſtum celebratum, ſiue conuiuium, pridem apud Hebræos extitiſſe, in quo calix vini non benediceretur, & in orbem non daretur conuiuantibus guſtandus in gratiarum actionis, charitatis & communionis ſacræ ſymbolum. Præter ſacrificiorum libamen, (vini enim libamina ſuper hoſtiam ſolebant offerri effundíque, Num. 28. 7. 14.)

mos receptus erat, calicem circumferendi conuiuialem ad guſtandum, in ſymbolum fœderis & amicitiæ inter ſacrificantes: cæterùm hic eſt gratiarum actionis & benedictionis erga Deum. Calix iſte igitur rectè ab Apoſtolo *Benedictionis* appellatur, quia eſt fons omnium benedictionum, omniúmque eſt cauſa gratiarum: quapropter etiam dicitur calix ſalutaris, hoc eſt ſalutis, quoniam nos ab inferni hiatu ereptos, in æternæ felicitatis aditum introducit.

§. VIII.

Calix Domini.

CALICEM Domini Apoſtolus opponit calici dæmoniorum, 1. Cor. 10. *Non poteſtis*, inquit, *calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Diabolus, vt rectè Tertullianus notat, eſt ſimia Dei: *Et hic quoque* (inquit lib. de baptiſmo c. 5.) *ſtudium diaboli cognoſcimus, res Dei æmulantis.* & in præſcript. c. 40. *Ipſas quoque res Sacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos, expiationem de lauacro repromittit &c. ſignat in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem.* Non porro ſine calicis proprij libatione. Iam ætate Apoſtoli hoc erat, qui idcirco ad Corinthios ſcribit, res oppoſitas eſſe calicem Domini & calicem dæmoniorum, fierique non poſſe, vt quis ſit calicis Domini particeps, idémque dæmoniorum delibet poculum. Cur verò? id porro docet idem Apoſtolus 2. Cor. 6 *Quæ enim*, inquit, *participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* proinde nec calicis Chriſti, cum calice diaboli. Sunt tamen apud Chriſtianos qui vtrumque delibant. In Eccleſia Chriſti ſunt, nec tamen prorſus extra Synagogam Antichriſti. Volunt ſiquidem vtriuſque ciuitatis eſſe municipes, cœli ſcilicet & mundi, veritatem fidei cum mundi vanitate amplecti: Chriſti quidem calicis aliquando meditari amaritudinem, at mera cogitatione, non re ipſa fellis & abſynthij eius eſſe participes. Cæterùm calicis diaboli, aurei poculi Babylonis philtra, ita ardenter exſitiunt, vt pleno hauſtu ebibant, neque ſatis vnquam (tam ſuaue hoc venenum eſt) inde delibaſſe putant, niſi his immergantur exitioſis illecebris. Hæc euomant oportet venenata pocula, ſi Chriſti calicis, ex quo vita fluit, ſalutiferis volunt fluentis potari. Non magis mors vitæ aduerſatur, quàm diaboli calix, calici Domini: quamobrem diuino planè oraculo ait Apoſtolus, *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*, quemadmodum ſalutare pharmacum, vt vim ſalutiferam retineat, non debet venenoſæ cicutæ immiſceri.

Inſignia magnatum calicibus, ipſorum capellæ ſeu ſacelli inſculpi ſolent, quibus ipſorum eſſe res pateat, ab alieníſque diſcernantur. Calix Chriſti æuo Tertulliani, qui vicinus fuit Apoſtolicorum temporum, imagine boni paſtoris ouem perditam humeris impoſitam cum gaudio ad caulas ſuas reuehentis inſigniri conſueuerat:

Ab oppoſito igitur calix diaboli figura lupi rapientis ouem, inſigniri deberet, ſicut enim Chriſti proprium opus eſt quærere & ſaluum facere quod perierat: ita diaboli perpetuus eſt conatus rapere, deglubere quodcumque falcatis vnguibus è grege boni paſtoris auferre poteſt. Sed de calice dæmoniorum iterum infrà.

2. Reg. 12 Cæterùm ſignum ingentis eſt amoris, quod Chriſtus calicis nos ſui participes effecit. Meminerimus parabolæ Nathan ad Dauid de ouicula dilecta, quam vir ille bonus emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis ſuis, *ſimul de pane illius comedens & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, erátque illi ſicút filia*. Ita enim Chriſtus animas noſtras diligit, quas omnes vt vnicas ſibi computat. Fouet nos paterno planè amore, quieſcere facit in ſinu ſuo, pane vitæ nutrit, & calice ſalutis refocillat, imò carne ſua alit, potat ſanguine, titulo nobilitat adoptionis, calicis denique hæreditatis ſuæ candidatos facit in ſtatu gratiæ, vt in ſtatu gloriæ regni ſui demum præſtet eſſe participes. Huc ſpectabat Dauid cùm gratulabundus cecinerat, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. (Pſal. 15.) Calix enim Domini iam noſter eſt, quia ipſe dedit: hinc Pſal. 22. vbi vulgata habet, calix meus inebrians, quàm præclarus eſt! Græcè eſt ποτήριόν σου poculum tuum; quemadmodum etiam legunt ex Latinis S. Cyprianus, ep. 63. S. Ambroſius lib. de Elia, S. Auguſtinus lib. 2. cont. litt. Petil. c. 47. Sed tamen LXX. & Hebræi & omnes interpretes conſtanter legunt, calix meus &c. Verùm hoc nihil refert, quia Chriſti eſt, & noſter iſte calix. Eius quidem iure proprietatis ideo dicitur Calix Domini; noſter verò eius beneficio largitatis; *accepto enim calice* (ait S. Lucas) *gratias egit & dixit: accipite & diuidite inter vos*, quia totum inter vos, vt inter conuiuas, fratres & amicos meos, quin & filios diſpertiendum do & trado, vt pignus hæreditatis æternæ, quam ipſe meo ſanguine vobis comparaui.

ARTICVLVS II.

De calicis ſequiori in ſcriptura ſacra ſignificatione.

§. I.

Calix iræ Dei.

SATIS frequens eſt in Scripturis, calicis iræ Dei interminatio vel immiſſio, Iſa 51. 17. *Conſurge Ieruſalem quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti & potaſti vſque ad fæces*. & Apoc. 14. *Siquis adorauerit beſtiam & imaginem eius & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum &c.* De hoc eodem calice iræ Dei, diuinus etiam ſcripſit Pſalmographus, *pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. (Pſal. 10.) Et iterum Apoc. 16. 19. *Babylon*

bylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Vbi notare iuuat non dixiſſe, dare illi calicem iræ indignationis, ſed calicem vini indignationis iræ, ardentiſſimæ ſcilicet, & quæ ex æterna indignatione procedit. Sed cur vino plenus hic dicitur calix? ſanè ad vim feruentis iræ Dei deſignandum: Sed quo vino? eo ſcilicet quod appellat Amos Propheta *Vinum damnatorum*, quod ſcilicet non refrigerat ſitim, ſed accendit, facítque vt quò plus potant impij, ipſorum ardor eò ampliùs augeatur. *Amos 2. 8.*

§. II.

Calix furoris Domini.

APVD Ieremiam de hoc calice ſic legimus, c. 25. *Sic dicit Dominus Exercituum, Deus Iſraël: ſume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas mittam te, & bibent & turbabuntur, & inſanient &c. & accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus ad quas miſit me Dominus, Jeruſalem & ciuitatibus Iuda, & regibus eius, & principibus eius, & vt darem eos in ſolitudinem & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem &c.* Quæſtio hic moueri poteſt non ineptè, quænam ſit differentia inter calicem iræ Dei, & calicem furoris? iſta ſynonyma non eſſe ex Pſal. 6. colligitur, vbi furor & ira diſtinguuntur ſicut res diuerſæ, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Sanctus Bernardus hunc verſans locum ſerm. 69. in Cant. furorem ait eſſe quo Angelum extollentem ſe in cœlo arguit, iram qua hominem in paradiſo corripuit. S. Gregorius furorem refert ad damnationem æternam; iram ad purgatorium. Econtra S. Auguſtinus exiſtimat iram ad correptionem temporalem ſpectare, furorem pertinere ad æternam damnationem, *Furor enim*, inquit, *plus videtur eſſe quàm ira.* quod & Ieremias præſignato loco ſubindicare videtur: ne enim temporalibus tantùm flagellis eos plectendos cenſeremus qui verbo diuino rebelles ſunt, vim vltionis qua percellendi ſunt maledictione concludit, quæ damnationis æternæ indicium eſt. *Enarrat. in Pſ. 6.*

§. III.

Calix dexteræ Domini, id eſt potentia peccatores punientis.

DE hoc Habacuc locutus eſt, vaticiniorum ſuorum c. 2. *Repletus es*, inquit, *ignominia pro gloria; bibe tu quoque & conſopire, circumdabit te calix dexteræ Domini & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* de dextera Domini Pſalmiſta canit, *Iuſtitia plena eſt dextera tua.* Dextera videtur læuâ validior ad percutiendum, ideo iuſtitiæ vindicatiuæ flagella, Propheta ponit in dextera Dei, quia eſt effectus non tantùm eius iuſtitiæ, ſed & potentiæ. *Pſal. 47. 11.*

§. IV.

Calix inebriationis.

HIC calix à Ieremia in Threnis ita memoratur: *Filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix* (inebriationis) *inebriaberis, atque nudaberis;* Nihil fœdius in fœmina quàm ebrietas, quia nihil tunc ei ſupereſt pudoris, magnúmque ipſa diſcrimen incurrit caſtitatis ac pudicitiæ. In viris quoque vini immoderatus vſus admodum turpis & periculoſus eſt: quamobrem in dotibus Epiſcopi, Apoſtolus maximè ſobrietatem exigit, vinolentum verò excludit à pontificatu & ſacerdotio. Nihil magis ſapientiæ officit quàm vini exceſſus: huc illud collineat Iſaiæ 28. *Verùm hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino.* Hinc hæreticorum pugnæ ac emotiones; Paulus eos vbique fluxos, vacillantes, oculis turgidos, iudiciíque ſolidi (quemadmodum ebrij ſolent) prorſus expertes facit: *Volentes,* inquit, *eſſe legis doctores non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. Timoth. 1. 7. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Et ſicut vbique titubant & impingunt qui vino madent, ſic ſectarum magiſtri, qui vento inflantur ſuperbiæ, tument, nutant, omnémque in ventum perſuaſionum futilium circumferuntur. Eleganter illorum ridiculos circuitus exprimit Propheta: *Stulti facti ſunt,* inquit, *principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.*

Rom. 1. 21.

Iſa. 19. 13.

§. V.

Calix ſoporis.

IDEM Iſaias huius calicis meminit: *Bibiſti,* inquit, *de manu Domini calicem iræ eius, vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti.* Effectus eſt ſopor ebrietatis, quaſi diceret, Ex quo inebriata es vino furoris iræ Domini, facta es quaſi ſtupida & immobilis; de tua ſalute nihil cogitas amplius, ſiquidem obdurata in malo, quaſi graui ſomno depreſſa in ſceleribus tuis obdormiiſti; quamobrem deſperata eſt ſalus tua, ebibiſti fundum ipſum calicis, veniſti vſque ad profundum malorum culpæ, ideo & pœnæ, in qua etiam induruiſti.

§. VI.

Calix dæmoniorum.

1. Cor. 10. 20.

IAM ſuprà, vbi de calice Domini, ad illa Apoſtoli verba, *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum,* de iſto calice nonnulla prænotauimus, pauca hîc eo ſubiunctum: loco iſto ſpectat

Apoſtolus verum Dei cultum, & idolorum culturam, cuius dæmones erant artifices: opponit igitur ſacrificium Euchariſtiæ, ſacrificiis infidelium; menſam Domini, menſæ idolorum; calicem Domini, calici dæmoniorum: ſiquidem vt Tertullianus ait lib. de baptiſmo, c. 5. *celebrat diabolus, diuinæ maieſtatis æmulator, & panis oblationem:* calicis etiam, S. Cyprianus ſubiungit in ſerm. de lapſis. *Illi* (puellæ nimirum à nutrice ſua ad impia ſacrificia perlatæ) *apud idolum quò populus confluebat, quòd carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt.* At deinde à matre pia fœmina, portata ad fidelium conuentum puellula, *calice diaboli inquinata, particeps Chriſti calicis eſſe non potuit*, vt ſuprà narrauimus c. 16. §. 1. tam verum eſt quod ait Apoſtolus, *Non poteſtis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum.* Quæ ſententia etiam ad mores ſpectat, nam qui philtris diaboli inebriatus eſt, Chriſti Sacramenta & Spiritus ſancti nequit dona percipere.

§. VII.

Calix Babylonis, ſeu abominationis.

DE eo inſigniter meminit Ieremias propheta: *Calix aureus Babylon* (inquit) *in manu Domini, inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt.* luculentiùs dilectus Ieſu diſcipulus reuelationis ſuæ c. 17. *Abſtulit me* (ait) *ſpiritu in deſertum, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ &c. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum & de ſanguine Martyrum Ieſu, & miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magna.* Quæ verba pulchrè & appoſitè ſic ediſſerit Richardus à S. Victore part. 2. lib. 4. Comm. in Apoc. c. 9. *Babylon* (inquit) *per confuſionem, magna per elationem, mater fornicationum & abominationum terræ per inuentionem vitiorum abominabilium, quibus fœdantur omnes qui ſe inuoluunt terrena cupiditate.* pergit verò expendens verba Angeli ad ſanctum Ioannem: *Quare miraris? quaſi diceret, Noli mirari, ſed intellige quid ſit, ego dicam tibi ſacramentum* (ſeu myſterium) *mulieris & beſtiæ, id eſt oſtendam tibi quid ſit vtraque: Nempe beſtia, diabolus eſt: mulier meretrix, vniuerſitas reproborum.* Sed quid calix aureus, niſi omnium iniquitatum colluuies, illecebrarúmque carnis & peccati intoxicata confectio? Ierem. 51.

§. VIII.

Calix ignominiæ, mœroris, atque triſtitiæ.

MINATVR apud Ezechielem Dominus hoc triſti poculo, potare Ieruſalem, vt Samariam. *In via ſororis tuæ ambulaſti,* (inquit) *& dabo* Ezechiel. 23. 31. &c.

calicem eius in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus: Calicem ſororis tuæ bibes, profundum & latum: eris in deriſum & ſubſannationem, quæ eſt capaciſſima. ebrietate & dolore compleberis: Calice mœroris & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ, & bibes illum, & epotabis vſque ad fæces & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua deuorabis ac lacerabis, quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus. Quaſi diceret, idem cum Samaria, cuius impietatem ſectata es, ſupplicium feres; calicem eius bibes, profundum pœnarum magnitudine, latum amplo tempore captiuitatis ſcilicet ſeptuaginta annorum; ideo calicis huius amplitudo dicitur capaciſſima. Vbi verò Latina verſio habet calicem *mœroris & triſtitiæ*, ex Hebræo alij legunt *ſolitudinis & vaſtationis.* At ſic etiam erit calix mœroris atque triſtitiæ. *Et potabis vſque ad fæces*, quia ſcilicet totum calicem pœnarum hauries, extrema mala patieris, quin & fragmenta eius deuorabis: ſiquidem exhauſto calice, fractóque, etiam guttulas quæ in fragmentis manſerint, lambere cogeris vſque ad vltimam eius guttulam. Grauis ſanè erat illa interminatio, ſed quæ ex iuſto Dei iudicio procedebat. Exaſperauerat Ieruſalem Deum ſuum, patrem miſericordiarum innumeris peccatis. Patientia nimis læſa fit furor; eouſque igitur ſe Deus oſtendit iratum, vt vindictam acerrimam propè ſit inflicturus. *Nolite errare* (ait Apoſtolus Gal. 6. 7.) *Deus non irridetur. Horrendum eſt in eius manus incidere*, Heb. 10. 31.

CAPVT XX.

Arcana quædam ſacri Calicis ex Scriptura, Patribus & Theologis, ac Hiſtoria Eccleſiaſtica.

ARTICVLVS I.

Prophetia Iacob de ſanguine vuæ.

VENIET *qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam: lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Geneſ. 49. Hoc vaticinium Iacob Patriarchæ filiis in ſua cuiuſque tribu, ventura quæ tandem erant afflatu diuino prænunciantis: pertinere ad Chriſtum naſciturum de tribu Iuda, vniuerſus ſanctorum Patrum chorus ſummo conſenſu aſſeuerat. Loci non eſt huius ſingula minutim expendere, his dumtaxat verbis hæreo, *lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Lectorem non multis morabor. S. Ambroſij, locum hunc doctè, accuratim & ſolerter interpretantis, præclara expoſitio audiatur (lib. de benedictionibus Patriarcharum c. 4.) vbi per ſanguinem vuæ, Chriſti ſanguinem intelligit, per ſtolam verò Eccleſiam, quam Chriſtus ab omni ſorde & næuo, ſuo emendauit cruore, *lauit Ieſus ſtolam ſuam, non vt ſuam quæ non erat, ſed*

vt noſtram quæ erat, ſordem ablueret. Et in ſanguine vuæ anaboladium, id eſt pallium ſuum; hoc eſt in paſſione corporis ſui diluit gentes ſuo ſanguine, &c. *Et bene vuam dixit, quia ſicut vua pependit in ligno; ipſe eſt vitis, ipſe eſt vua; vitis ligno adhærens: vua, quia lancea militis apertum latus emiſit aquam & ſanguinem: aqua ad lauacrum, ſanguis ad pretium: aqua nos abluit, ſanguis nos redemit.* Verùm ſanguis eius non modò nos redemit, ſed nos etiam abluit, nutrit, potat & ſanctificat: *Sanguinem ſuum fudit* (ait S. Thomas op. 57.) *in pretium ſimul & lauacrum*, quin etiam in poculum dedit, cùm ſcilicet tranſiturus de hoc mundo ad patrem, *poſtquam cœnauit accipiens calicem gratias egit, & dedit diſcipulis ſuis dicens, Bibite ex hoc omnes; hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ecce igitur in calice ſancto quem dedit, ſui ſanguinis pretium & poculum, remiſſio & lauacrum, quo peccata purgantur, quoniam remittuntur: ſanguis autem iſte, quamuis ſit verus Chriſti ſanguis, idémque qui pro nobis in cruce effuſus eſt, nihilominus vt ex pane fit corpus Chriſti, & ex vino ſanguis; iſte ſanguis qui eſt in calice, dicitur ſanguis vuæ, quia ex vino vitis tamquam ex materia tranſeunte conficitur: lauat verò ſtolam ſuam Chriſtus, id eſt carnem ſuam, vt exponit loco ſignato S. Ambroſius, in ſanguine vuæ, per commiſtionem quæ fit in calice, carnis cum ſanguine. Licèt etenim ſub vnaquaque ſpecie ſit integer Chriſtus: quia tamen vi verborum ſub ſola ſpecie panis eſt caro, ſub ſola ſpecie vini eſt ſanguis, cùm particula hoſtiæ calici immiſcetur, lauat & immergit Chriſtus ſtolam ſuam in ſanguine vuæ, id eſt carnem in ſanguine ſuo; quamobrem Sacerdos miniſter huius permixtionis ſic orat: *Hæc commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat nobis in vitam æternam.* Sic fit enim vt calix Domini totam plenitudinem contineat Sacramenti: cuius virtute ita per myſticam copulationem adunata, Sacerdos, miſericordiæ Dei miniſter adprecatur Eccleſiæ pacem, id eſt benedictionem perfectam, tam in præſenti ſtatu gratiæ, quàm in futuro regno gloriæ: Pax enim Chriſti, omnis piæ actionis & boni deſiderij, perfectio eſt.

Matt. 25.

ARTICVLVS II.

Cur paſſionem ſuam & memoriale mortis ſuæ poculum, ſcilicet ſui ſanguinis, Chriſtus Calicis nomine inſignierit?

ORAVIT Chriſtus in procinctu ſuæ conſummationis, vt à ſe calix tranſiret. Patres vnanimiter intelligunt hanc deprecationem de eius paſſione & cruce: ſed mirum videtur, cur paſſio vel tormentum dicatur calix? verumtamen congruenter admodum hoc nomine Chriſtus paſſionem ſuam deſignauit; quia paſſiones & oblectamenta ab anima imbibuntur ſicut pocula varia à corpore: quapropter dicebat Chriſtus Dominus, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Accedit quod paſſio illa fuit veluti medicina quædam à capite Chriſto, pro cæte- *Matt. 26. 38.*

ris membris ſumenda. Hinc tam enixè orauit patrem, vt omnes vnum eſſent in eo, ſiquidem medicina ab ipſo capite ſumpta omnibus membris illi coniunctis prodeſſe poteſt: ſed non prodeſt membris à capite abſciſſis, vel diuulſis à corpore, ſicut anima non prodeſt membro ſecto; ſed vnitis omnibus, motum, & cætera vitæ beneficia impertit. Diuino prorſus acumine S. Ignatius in epiſtola ad Epheſios vocauit Euchariſtiam *antidotum mortis, & immortalitatis pharmacum*. Calice enim ſalutari, poculo ſcilicet Chriſti ſanguinis, mors eſu pomi vetiti ab Adamo delibata, & in nos omnes transfuſa destruitur, & vita infunditur ſumentibus, immortalitate perpetua.

ARTICVLVS III.

Calix plenus mixto, iuſtitiæ & miſericordiæ Dei hieroglyphicum.

ID notat Pierius lib. 3. c. 25. hieroglyph. ex Pſal. 74. ſibi (vt ait non ſignato loco) Eucherio præcinente*; qui quidem in intelligentiæ ſpiritualis formulis ita deſcribit, *Merum, ſynceritas indicij aut veritatis, vel calor fidei, vt in Pſal. vini meri plenus mixto.* Vbi Eucherius nihil de miſericordia meminit; niſi per calorem fidei intelligat charitatem, cuius proles ipſa eſt miſericordia; ſed planè S. Hieronymus calicem meri vini plenum miſto de iuſtitia, & miſericordia diuina contemperatis, exponit in Malach. c. 3. *Chriſtus eſt ille*, inquit, *Angelus teſtamenti, quem vos quæritis, cui mala non placent, qui perſonam in iudicio non accipit: qui nulla, nec miſericordia, nec ſeueritate mutatur: Calix enim in manu Domini vini meri plenus miſto, & inclinauit ex hoc in illud: id eſt miſericordia iuſtitiam temperat, & iuſtitia miſericordiam* Et rurſus in Oſeam, c. 2. *Duos calices*, inquit, *in 74. pſalmo legimus; Calix in manu Domini vini meri plenus miſto, & inclinauit ex hoc in illum: de iuſtitiæ calice in calicem miſericordiæ, & rurſum de calice miſericordiæ in calicem iuſtitiæ: ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit, quia apud te propitiatio eſt.* Et verò calicem temperat Deus, & iuſtis, & iniuſtis, nam peccatoribus quidem ſemper aliquid de pœnæ atrocitate detrahit, iræque meracum benignitate temperat, adeo vt ſemper ex ſeueritate ad lenitatem inclinet, iuxta illud, *cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* At iuſtorum etiam Deus tribulationes moderatur; calicem tenet de manu ſua, tantúmque ex eo illis dat ad bibendum, quantum nouerit expedire, nec enim vnquam ſinit ſupra id quod poſſunt tentari: *Fidelis Deus*, ait Apoſtolus 1. Cor. 10. 13. *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed vt poſſitis ſuſtinere, facit etiam cum tentatione prouentum.*

* *Extat Chron. Lerin. part. 2. p. 18.*

Tob. 3. 13.

ARTICVLVS IV.

Calix ſanguinis Domini, ſymbolum etiam diuinæ iræ, & gratiæ.

ISIDORVS Peluſiota, lib. 2. epiſtolarum didacticarum in ſacram Scripturam (in quibus præmiſſo ſemper eximię interpretationis acu-

mine, præclaris ſententiis & breuibus adhortationibus, lectoribus ſuis aliquem aculeum ad virtutem mira dexteritate infigit.) ep. 172. directa Iſidoro Preſbytero, eos notanter reprehendit qui celebria illa verba Dauidis: *Quoniam calix in manu Domini vini meri plenus miſto, & inclinauit ex hoc in illud*, de calice Euchariſtiæ interpretantur: *Nam quod quidam*, inquit, de myſtico poculo (περὶ τοῦ μυστικοῦ ποτηρίου) *Pſalmiſtam vaticinatum aſſerunt, eorum opinionem & Judæi & gentiles, cæterique omnes qui huius expertes ſunt refutant, atque etiam eos maximè Pſalmiſta ipſemet refellit, vt qui antè hæc verba dixerit, Deus iudex eſt, hunc humiliat & hunc exaltat.*

Atqui in Euchariſtia hoc diuinum iudicium inſigniter exercetur: *Nam qui indignè ſumit, iudicium ſibi manducat & bibit, reúſque ſit corporis & ſanguinis Domini:* at qui peccatorum pœnitens, & ſeriæ conuerſionis appetens de hoc calice bibit, & de pane illo comedit, gratiam inuenit & miſericordiam, dicente Domino, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Ex eodem fonte nunquid*, ait S. Iacobus, *emanare poteſt aqua amara & dulcis?* At de calice Domini dulcedo & amaritudo, iuſtitia & miſericordia, ira & gratia, mors & vita, benedictio & maledictio dimanant, vnde hoc de tremendo myſterio Eccleſia concinit. *1. Cor. 11.* *Ioan. 6. 55.*

Mors eſt malis,
Vita bonis:
Vide paris
Sumptionis
Quàm ſit diſpar exitus.

Idémque ſanguis Domini in cruce effuſus, hoc in calice propinatus, clamat vindictam & miſericordiam: vindictam aduerſus incredulos, impios ſuis in peccatis obduratos, qui nihilominus audent diuina ad myſteria (ad quæ ipſi Angeli pauent & contremiſcunt) ſine vllo terrore accedere. At verò miſericordiam humilibus & contritis corde, iiſque præſertim qui diuinum hoc munus non indignè ſuſcipiunt, ſcilicet vt ait Apoſtolus 1. Timoth. 1. 5. *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

ARTICVLVS V.

In ſancto Calice, myſterium lateris Chriſti in cruce percuſſi repræſentatur.

EXTAT editus Pariſiis anno ſalutis 1533. libellus, cui titulus eſt *Alphabetum Sacerdotum*; in quo ordo continetur ad dicendam Miſſam more Eccleſiæ Gallicanæ: cuius in exordio poſtquam Sacerdos parumper orauit genuflexus ad gradus altaris, benedicit vinum & aquam & imponit in calicem dicens: *De latere Domini noſtri Ieſu Chriſti exiuit ſanguis noſtræ redemptionis, & aqua pariter baptiſmatis in remiſſionem peccatorum*, deinde fundendo vinum & aquam, ait, *Com-*

mixtio vini & aquæ pariter fiat in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Erat ſuperioribus ſæculis ex longæua obſeruantia, in Eccleſia Pariſienſi hic ritus in vſu, vt ex antiquis Miſſalibus conſtat; in nouis at verò ſuppreſſus fuit, quoniam ad Romanum morem propiùs quàm olim acceſſum eſt; laudabili ſanè ſtudio, & à Carolo Magno pridem intento perfectæ vnanimitatis & conformitatis cum Romana Eccleſia communi omnium matre & magiſtra, non modò in dogmatibus fidei, ſed etiam in ſacris ritibus & cæremoniis, iuxta hoc ipſius Caroli Magni pragmaticum: *In memoriam B. Petri Apoſtoli, honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.*

Capit. Aquiſgr. edit. ſub Carolo Magno c. 80.

Certè in vſitato Romano Ordine, fit itidem vini & aquæ benedictio & commixtio: ſed non ante introitum Miſſæ, at in offertorio; tum enim Sacerdos fundendo aquam in calicem, cui iam vinum infudit, his verbis orat: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabiliùs reformaſti, da nobis per huius vini & aquæ myſterium eius diuinitatis eſſe conſortes, qui noſtræ humanitatis dignatus eſt fieri particeps, Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter, qui tecum & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.* Vbi vides incarnationis tantùm hîc fieri mentionem, cuius extenſionem, Euchariſtiam eſſe iamdudum S. Chryſoſtomus memorabili oraculo pronunciauit. Ritus igitur Romanus optimus & aptiſſimus eſt; attamen Gallicanus mos vetus, ſua quoque laude dignus erat, non quidem in eo quod ante ſacrificium inchoatum Sacerdos vini & aquæ, benedicendo vtrumque, mixtionem faciebat, at in eo quod orando commemorabat myſterium aquæ cum ſanguine fluentis è latere Domini aperto in ara Crucis: mos enim iſte commemorandi in hac commiſtione myſterium percuſſi Chriſti lateris, antiquus eſt, atque etiamnum à Græcis ex antiqua traditione conſtanti in vſu retinetur; ſiquidem hodiéque Sacerdos apud Græcos, dum vinum & aquam miſcet in calice, recitat illa verba S. Ioannis, *& continuò exiuit ſanguis & aqua;* túmque vtraque ſimul in calicem infundit: Qua non muta cæremonia, & ſanguinem eſſe verum Chriſti in calice, quoad ſubſtantiam, & ad eum modum eſſe quo ex latere fluxit, quoad repræſentationem ſignificat.

Ioan. 19. 34.

Patres vno eodémque reſpectu, calicem, cum Chriſti latere in cruce aperto, ſpectarunt, idémque eſſe in calice quod ex latere ipſo defluxit, ſumma auctoritate inculcarunt; duos dumtaxat hîc, ſed præcipuos audire operæ pretium eſſe reor: vnum è Græcis; ex Latinis alterum.

S. Ioannes Chryſoſtomus, homil 24. in priorem ad Corinthios, *Τὸ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὂν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν.* Quod eſt, inquit, in calice, eſt id quod ex latere fluxit.

S. Auguſtinus in ſermone ad Neophytos, *Hoc*, inquit, *accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc accipite in calice, quod manauit de Chriſti latere.*

Hîc

Hîc notare iuuat in Miſſa S. Chryſoſtomi, lanceolam adhiberi, cuius manubrium factum eſt ad formam crucis, reliquum lanceæ figuram habet, vice illius quæ latus Domini effudit; dicitur etiam cultellus, quia hac non modò pungitur calix, ſed & panis ad conſecrandum propoſitus eadem pungitur, & diuiditur; ſic verò ritus ille ſolet celebrari, vt videre eſt in Græcorum Euchologio, in quo ipſa S. Chryſoſtomi Liturgia, authenticis ex Codicibus refertur.

Εἶτα λαμβάνει ὁ ἱερεὺς ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν προσφορὰν, ἐν δὲ δεξιᾷ τὴν ἁγίαν λόγχην, καὶ σφραγίζων σὺν αὐτῇ ἐπάνω τῆς σφραγῖδος τῆς προσφορᾶς τρὶς λέγει.

Εἰς ἀνάμνησιν τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Καὶ εὐθὺς πήγνυσι τὴν ἁγίαν λόγχην ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῆς σφραγῖδος, καὶ ἀνατέμνων λέγει·

Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη.

Ἐν δὲ τῷ ἀριστερῷ ὁμοίως πηγνὺς τὴν ἁγίαν λόγχην, λέγει·

Καὶ ὡς ἀμνὸς ἄκακος ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ.

Ἐν δὲ τῷ ἄνω μέρει τῆς σφραγῖδος πηγνὺς τὴν ἁγίαν λόγχην, λέγει·

Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη.

Ἐν δὲ τῷ κάτω μέρει τῆς σφραγῖδος, πάλιν πηγνὺς τὴν ἁγίαν λόγχην, λέγει

Τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται;

Ὁ δὲ Διάκονος ἐν ἑκάστῃ ἀνατομῇ λέγει·

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν. κρατῶν δὲ τὸ ὠράριον αὐτοῦ ἐν τῇ δεξιᾷ.

Μετὰ ταῦτα λέγει ὁ Διάκονος· Ἔπαρον δέσποτα;

Καὶ ὁ ἱερεὺς ἐμβάλλων τὴν ἁγίαν λόγχην ἐκ πλαγίου τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς προσφορᾶς, ἐπαίρει τὸν ἅγιον ἄρτον, λέγων οὕτως·

Ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ, πάντοτε, νῦν, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Καὶ θεὶς αὐτὸν ἐν τῷ ἁγίῳ δίσκῳ ὕπτιον, εἰπόντος τοῦ Διακόνου· Θῦσον δέσποτα. Ὁ ἱερεὺς θύει αὐτὸν σταυροειδῶς, λέγων·

Poſt hæc ſumit Sacerdos in ſiniſtra quidem manu panem: dextera verò ſanctam lanceam, & cum ea ſignum crucis faciens ſuper ſigillum oblatæ, dicit ter:

In memoriam Domini, & Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Et ſtatim infigit ſanctam lanceam in dexteram partem ſigilli, & ſcindens dicit:

Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt.

In ſiniſtra verò ſimiliter infigens ſanctam lanceam dicit:

Et vt agnus manſuetus, coram tondente ſe obmuteſcens, ſic non aperiet os ſuum.

In ſuperiore autem parte ſigilli rurſus infigens ſanctam lanceam, dicit:

In humilitate eius, iudicium eius ſublatum eſt.

In inferiore verò parte ſigilli infigens iterum ſanctam lanceam, dicit:

Generationem autem eius quis enarrabit?

At Diaconus in qualibet inciſione dicit:

Dominum precemur. tenens etiam dextrâ manu ſtolam eius.

Dehinc dicit Diaconus; Tolle Domine?

Et Sacerdos immittens ſanctam lanceam in dextram partem oblatæ ex obliquo, extollit ſanctum panem, ſic dicens:

Quoniam tollitur de terra vita eius, perpetuò, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Et ponens illum in ſancto diſco ſupinum, poſtquàm dixit Diaconus, immola Domine: Sacerdos ſacrificat il-

Θύεται ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, καὶ σωτηρίας.

Καὶ στρέφει τὸ ἕτερον μέρος τὸ ἔχον ἐπάνω τὸν σταυρὸν, καὶ λέγει ὁ Διάκονος, Νύξον δέσποτα.

Ο δὲ ἱερεὺς νύττων αὐτὸν ἐν τῷ δεξιῷ μέρει μετὰ τῆς ἁγίας λόγχης, λέγει,

Καὶ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ ἔνυξεν, καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν αἷμα, καὶ ὕδωρ.

Ο δὲ Διάκονος ἐγχέει ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ ἐκ τοῦ νάματος, καὶ ὕδατος, πρότερον πρὸς τὸν ἱερέα εἰπὼν, Εὐλόγησον δέσποτα.

Καὶ ὁ ἱερεὺς εὐλογεῖ. Εἶτα λαβὼν ὁ ἱερεὺς δευτέραν προσφορὰν, λέγει.

Εἰς τιμὴν καὶ μνήμην ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, ἧς ταῖς πρεσβείαις πρόσδεξαι κύριε τὴν θυσίαν ταύτην εἰς τὸ ὑπερουράνιόν σου θυσιαστήριον.

lum in modum crucis, dicens, Immolatur Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, pro mundi vita, & ſalute.

Et conuertit aliam partem quæ habet ſurſum crucem; & dicit Diaconus, Punge Domine?

Sacerdos autem ipſum pungens in dextera parte ſanctâ lanceâ, dicit:

Et vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & ſtatim exiliuit ſanguis, & aqua.

Diaconus autem infundit in ſanctum calicem vinum, & aquam ſimul, cùm priùs Sacerdoti dixerit, Benedic Domine.

Et Sacerdos benedicit; dehinc capiens Sacerdos ſecundam oblatam, dicit:

In honorem, & memoriam ſuper omnes benedictæ, & glorioſæ Reginæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ; cuius precibus ſuſcipe Domine, ſacrificium iſtud in ſupercœleſte tuum altare.

ARTICVLVS VI.

De Communione intincta, probatáne, vel damnata fuerit?

COMMVNIO intincta, eſt qua ſpecies panis conſecrati, in calicem ſanguinis Domini immittitur, ipſóque tingitur, & ſic extra ſacrificium communicanti cuique fidelium traditur. Ante annos ferè 1300. cœpiſſe vſurpari in Ægypto patet ex epiſtola Iulij Papæ I. directa Epiſcopis per Ægyptum conſtitutis, quam refert Iuo Carnotenſis potiori ex parte, decreti parte 2. ſub titulo, de ſacramento corporis & ſanguinis Domini, c. 11. cuius non omnia, ſed ea tantùm quæ magis ad rem faciunt, hîc retexam. *Audiuimus* (ait Pontifex) *quoſdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra diuinos ordines, & Apoſtolicas inſtitutiones, lac pro vino in diuinis ſacrificiis dedicare: alios quoque intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigere: quoſdam etiam expreſſum vinum in ſacramento Dominici calicis offerre: alios verò pannum lineum muſto intinctum per totum annum reſeruare, & in tempore ſacrificij, aqua partem eius lauare, & ſic offerre. Quod quàm ſit Euangelicæ atque Apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini Eccleſiaſticæ aduerſum, non difficilè ab ipſo fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipſa ſacramentorum myſteria proceſſerunt.* Et infrà, enarrata Euchariſtiæ inſtitutione, ſubiungit: *Illud verò quod pro complemento communionis, intinctam tradunt communionem populis, nec hoc prolatum ex Euangelio teſtimonium receperunt, vbi Apoſtolis corpus ſuum, & ſanguinem* (*Dominus*) *commendauit; ſeorſum enim*

panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur: nam intinctum panem aliis Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illi tantùm diſcipulo, quem intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet, non quæ ſacramenti huius inſtitutionem ſignaret &c. Et rurſùm infrà: *Et ideò nulli deinceps licitum erit, aliud in diuinis ſacrificiis offerre, niſi iuxta antiquorum ſententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vino & aqua permixtum: de cætero aliter quàm præceptum eſt faciens, tamdiu à ſacrificio ceſſabit, quamdiu legitima pœnitentiæ ſatisfactione correptus, ad gradûs ſui officium redeat, quod amiſit.* Refertur hoc Iulij I. decretum à Burchardo, lib. 5. c. 1. & à Gratiano, de Conſecr. diſt. 2. can. *Cùm omne crimen.* num. 7.

At contrà eſt can. *Omnis preſbyter:* relatus ab Iuone, Decreti parte 2. *De ſacram. Corp. & ſanguinis Domini.* c. 19. hac ſub ſerie: *Omnis preſbyter habeat pixidem, aut vas tanto ſacramento dignum, vbi corpus Domini cum diligentia recondatur ad viaticum recedentibus de ſæculo. Quæ tantùm ſacra oblatio debet eſſe intincta in ſanguine Chriſti, vt veraciter preſbyter poßit dicere infirmo, Corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam,* &c. Eundem recenſet can. Burchardus, lib. 5. c. 9. ex Concil. Turonenſi, c. 4. Volui, & reuolui Turonenſes canones ac Synodos, nec quicquam huic affine quod allegant Iuo, & Burchardus, in iis reperire licuit. Gloſſa *Euchariſtiam.* in can. *preſbyter*, diſt. 3. de conſec. dicit licere Euchariſtiam intinctam dare cauſâ neceſſitatis; & Burchardum citat lib. 5. c. *Vt omnes;* (rectiùs, *Vt omnis*) quem Burchardus ipſe notat depromptum ex Concilio Turonenſi c. 4. at in Turonicis Conciliis, vt præmonuimus, nihil tale reperitur. Cæterùm Gloſſa *intinctam*, in prædictum canon. *Cùm omne crimen*, inſinuat, auctore Hugone; illud fuiſſe abrogatum, ſed à quo, vbi, quando? non indicat Gloſſiſta. facilius eſt humores mouere, quàm diſcutere.

Ad hæc igitur dico tria reſponderi poſſe, 1. à Concilio Turonenſi nullo, cuius memoria conſpicua ſit, canonem illum emanâſſe, qui apud Burchardum & Iuonem recenſetur. 2. Etiamſi inueniretur, nihilominus canonem eiuſmodi eſſe erroneum, falſum enim apertè continet, dum ſupponit non poſſe Sacerdotem (niſi hoſtia ſit intincta) veraciter dicere infirmo, cui viaticum porrigit; Corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proficiat tibi in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam: Axioma enim Theologicum eſt, imò etiam dogma Catholicum, totum Chriſtum ſub vtraque ſpecie, & earum qualibet contineri; tametſi vi verborum ſub ſpecie panis ſit tantùm corpus, & ſub vini ſpecie ſanguis: quandoquidem ex quo Chriſtus reſurrexit, iam non moritur, viuúmque ideò ſit eius corpus in Euchariſtia, & conſequenter integrum ac indiuiſum: vnde ſicut ab anima corpus nequit eſſe diſiunctum, ita nec à carne abeſſe ſanguis, alioquin diuiſus eſſet Chriſtus, & non viuus, quod manifeſtè abſurdum eſt. 3. Denique ritum, ſeu potiùs morem communicandi Laïcos, & infirmos quoſuis ſub communione intincta fuiſſe potiùs abuſum, quàm vſum quendam legitimum: enimuerò falſo fuiſſe nixum principio, vt ex dictis

patet; & inſuper tametſi alicubi forſitan fuerit vſurpatus, nunquam ab Eccleſia probatum, nec receptum, imò potiùs reiectum & reprobatum fuiſſe, ſtatim ex quo ad Sedis Apoſtolicæ peruenit notitiam. Ipſo enim ſæculo quo pſeudo-canonem illum *Omnis presbyter*, ſuam in collectionem retulit Burchardus, & ex eo in ſuam Iuo retexuit, damnatum fuiſſe vſum communionis intinctæ conſtat, à Paſchali II. Pontifice, ſpeciali reſcripto, quod Pontio Cluniacenſi Abbati directum eſt hac ſub epigraphe, *De non porrigenda communione intincta*, ſic enim dicit Pontifex; *Scribens ad Cæcilium Beatus Cyprianus ait: Quando aliquid Deo inſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt Domino ſeruus fidelis obtemperet, excuſatus apud omnes quod nihil ſibi arroganter aſſumat, ne aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit; igitur in ſumendo corpore, & ſanguine Domini, iuxta eundem Cyprianum, Dominica traditio ſeruetur, nec ab eo quod Chriſtus magiſter, & præcepit, & geſſit, humana & nouella inſtitutione diſcedatur; nouimus enim per ſe panem, per ſe vinum, ab ipſo Domino traditum. Quem morem ſic ſemper in ſancta Eccleſia conſeruandum docemus, atque præcipimus, præter in paruulis ac omninò infirmis qui panem abſorbere non poſſunt.*

Eſt Paſchalis II. epiſt. 32.

Eodem ſæculo vixit Micrologus (ſiquidem ſub Gregorio VII. ſe vixiſſe ipſe inſinuat) qui c. 26. *de Eccleſiaſticis obſeruationibus*, de vitanda intincta Communione, ſic ſcribit; *Non eſt authenticum quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complementis communionis, populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, imò diuinus, vt ex Sancto Cypriano Paſchalis Pontifex oſtendit; quin diu ante eum ex Euangelio Iulius I. definierat.* At contra hanc definitionem duo obiici poſſe videntur: 1. eſt quòd Paſchalis non abſolutè prohibet intinctam communionem, cùm paruulis dari, & valde infirmis permittat; at ſi res eſſet per ſe mala, & iure diuino prohibita, diuinæque inſtitutioni repugnans, nullo in caſu, nullóque reſpectu à Papa, vel Eccleſia concedi poſſet, vt notum eſt. Verùm vt Paſchalis Pontificis exceptio ab hac obiectione ſit immunis, obſeruare iuuat, intinctam communionem dupliciter conſiderari poſſe; vel enim intingebatur buccella conſecrata in ſanguine Domini, vel dumtaxat vino communi imbuebatur, ad ſolidæ ſpeciei commodam facilémque ſumptionem: Priorem modum reiicit Pontifex: alterum pio intuitu infirmitatis ſumentium recipit. Secundum argumentum ex ipſo Miſſæ ſolenni ritu elicitur, nam poſt orationem, *Libera nos Domine ab omnibus malis*, & ſacræ hoſtiæ fractionem, tertiam partem hoſtiæ Sacerdos in calicem ſanguinis Domini immittit dicens, *Hæc commixtio, & conſecratio corporis, & ſanguinis Domini fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* At ſi eiuſmodi intinctio eſt mala, vt pote (ſicut docent Iulius & Paſchalis Pontifices) diuinæ contraria inſtitutioni, quomodo in ipſo ſacrificio Miſſæ ritu adeò celebri à Sacerdote obſeruatur? Cuius probatæ vniuerſa in Eccleſia praxis teſtes ſunt cum veteri ordine Romano Amalarius Fortunatus lib. 3. de Eccleſ. offic. c. 31. Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus c. 23. Radulphus Tungrenſis de obſeruatione canonum

propoſ. 23. Huic obiectioni priuſquam ſatisfaciam, præſupponere conuenit, dici à Sacerdote fieri commixtionem corporis, & ſanguinis Domini, non ſecundùm ſuas vires ac reales eſſentias vt ſcholaſtici loquuntur, ſed ſecundùm formas, & ſpecies ſacramentales, ſub quibus corpus, & ſanguis Chriſti realiter continetur. Quia verò (ait Gabriel Biel) ſpecierum ſacramentalium fit in calice commixtio, dicitur hîc fieri commixtio rerum contentarum; frequenter enim multa quæ ad ſpecies pertinent, vſus loquendi tribuit rebus contentis ſub ipſis ſpeciebus; ſic corpus Domini frangi dicitur, quamuis non frangatur res ipſa, ſed ſola ſpecies panis ſub qua veraciter exiſtit. Hac ſuppoſita doctrina quæ ad euellendam omnis abſurditatis ſuſpicionem neceſſariò debuit præſtitui, iam reſpondeo aliter Euchariſtiam ſpectari in ſacrificio, aliter in ſacramento: licitè quidem communicatur ſub vna tantùm ſpecie; at ſine ſacrilegio ſacrificium celebrari nequit, niſi ſub vtraque, quemadmodum iampridem definiuit Gelaſius Papa in reſcripto ad Maioricum, & Ioannem Antiſtites, hoc decreti tenore, *Comperimus autem quòd quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant, qui proculdubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione dicuntur obſtringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio vnius eiuſdémque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.* Mors enim Chriſti in Miſſæ ſacrificio non ſolùm recolitur, at etiam myſtico ritu repræſentatur: Fractio igitur fit in ſacrificio, quæ in Sacramenti communione non vſurpatur. At verò paſſio Chriſti, vt decet, non exprimitur, niſi corpus, vt immolatum eſt, & ſanguis vt effuſus eſt, repræſentetur: Debet igitur ſeorſim offerri corpus, & ſanguis ſeorſim, quo meliùs Chriſti morientis in cruce referatur oblatio. Pari ratione intinctio in Sacramenti diſpenſati one prohibita eſt, quia Chriſtus ipſe, cùm primùm dedit Euchariſtiam ſuis diſcipulis, in calicem corporis ſui hoſtiam non intinxit: At ſecus eſt in ſacrificio, quo non modò recolitur eius mors, ſed myſticè celebratur. Quia igitur Chriſtus in paſſione ſua attritus vulnere ſuper vulnus, ſuo veluti ſanguine inundatus fuit, quin antequam ſuffigeretur in cruce, dum oraret in horto ſanguineo maduit ſudore: Eapropter in ſacrificio quo annunciatur eius mors & paſſio quaſi præſentanea & recens, immergitur ipſius corpus in ſanguinem congruenter ipſius Chriſti verbis, qui ſuam ipſius paſſionem baptiſmi nomine deſignauit: *Baptiſmo*, inquit, *habeo baptiſari, & quomodo coarctor, donec perficiam.* Et Iſaiæ vaticinio, ipſum propter cruorem quo patiens coopertus erat, ſic interpellantis, *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Reſpondet verò, *Torcular ego calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Accedit quòd Chriſtus ipſe Dominus in paſſione ſua coccinea chlamyde fuit in deriſionem amictus: Reuocatur in memoriam hoc ludibrium ritu commixtionis hoſtiæ cum ſanguine, ita enim fit vt ipſe Dominus ſponſus ſanguinum, ſit non tantùm in hoc ſacrificio candidus, ſed etiam rubicundus.

Refertur de Cõſecrat. diſt. 2. c. Comperimus. ſerie 12.

Iſa. 63.

ARTICVLVS VII.

In ſancto Calice eſſe vinum quod lætificat cor hominis.

INTER eximia Dei erga hominem beneficia, quæ Pſal. 103. diuinus Citharœdus ſuauiſſimis decantat modulis, illud non poſtremum videtur, quod ipſius hominis ſuſtentationem ſpectat, *Vt educas panem de terrà* (inquit) *& vinum lætificet cor hominis.* Ad litteram, verba hæc denotare videntur alimentum hominis præcipuum: Pane enim, & vino potiſſimum humana vita ſuſtentatur; de pane aliàs: de vino hîc parumper differendum. Sanè calor eſt lætitiæ parens, eapropter qui complexionem habent ſanguineam, cæteris ſunt alacriores, viget enim in iis natiuus calor; ſanguis enim vt docet Galenus*, non tantùm præbet animalibus alimentum, ſed etiam natiui caloris perſeuerantiam: Vnde Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalium c. 4. Cor, inquit, ſicut caloris natiui, ita etiam lætitiæ fontem facit; Atque hæc eadem eſt cauſa cur vinum lætificet cor hominis, quia ſcilicet calidum cùm ſit, vitales reficit ſpiritus & cor ipſum calore fouet & recreat, vt deducitur ex Ariſtotele problemate 1. ſ. 30. ſi namque non per calorem, ſed per qualitatem aliam eam hilaritatem cauſaret, ſanè cùm multum eſt non redderet homines triſtes: reddit autem, ídque quia eos frigefacit, vt ait præfatus Philoſophus, conſumpto videlicet calore natiuo à vehementiori calore vini: Quod ſi moderatè & cum iuſto temperamento ſumatur, excitat & acuit ipſum calorem naturalem, & lætitiam parit. Hinc Genebrardus Comm. ad locum ſignatum diuini Pſalmographi, *Et vinum lætificet cor hominis.* Vinum (ait) triſtitiam & ſocordiam pellit, & ad lætitiam excitat hominem, dum vitales reparat ſpiritus, membríſque indit vigorem. Atque hæc de ſenſu litterali.

* *Lib. de ſanguinis miſſione.*

Verùm in myſtico ſenſu (qui certè in pſalmis præcipuus eſt) vinum iſtud, non eſt de genimine vitis naturalis, ſed ſpiritualis qui Chriſtus eſt, quíque de ſe ait: *Ego ſum vitis vera*, Ioan. 15. 1. propter fructus copiam. 2. propter fructus ſuauitatem. 3. propter expanſionem & diffuſionem, ſiquidem Chriſtus ipſe Dominus

In cruce diſtentus totum ſibi colligit orbem.

4. propter vinum quod ex eius fructu conficitur: cuius vtilitas quanta ſit, vix vnquam ſatis homines prædicarunt. Duo ſunt in hoc liquore omnium præſtantiſſimo commoda præcipua, quòd ſit nempe ſimul medicina & alimentum, ſanat enim & nutrit, purificat & ſuſtentat. Chriſti vitis veræ ſanguis, nos in cruce effuſus ſanat: in Euchariſtia propinatus nutrit & lætificat. Præclarè de ſe vitis ait, Iudicum c. 9. ℣. 13. *Nunquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum, & homines?* Chriſtus illa eſt vitis vera ſingularis, cuius vinum, id eſt ſanguis, ſacrificium ſimul eſt, & ſacramentum. Effuſus in cruce ſanguis hic pretioſus lætificauit Deum, aſcendit ante eum in odorem ſuauitatis, placauit eius iram, nobis conciliauit gratiam, & miſericordiam, omnia noſtra delicta deleuit, omnia dona, & beneficia impetrauit. Quotidie verò in ſacrificium religionis oblatus, diuinæ Ma-

ieſtati, ſupremum rependit cultum, honorem, gloriam & obſequium: nec enim excellentiori munere, quàm hoſtiæ huius oblatione Deus ab homine poteſt honorari & glorificari. Et quia ipſum hoc ſacrificium omnes differentias continet hoſtiarum, ſimúlque eucharisticum eſt, & propitiatorium, expiatorium & impetratorium: his omnibus titulis nobis proficit, ſiquidem mortis ipſius Chriſti meritum nobis confert, ſedat Dei indignationem, impetrat veniam, obtinet gratiam, auxilia, & dona omnia nobis neceſſaria ad ſalutem æternam, & ipſius vitæ temporalis ſolatium impendit. Vt ſacramentum verò, quàm vberes ſalutaréſque nobis eius ſint fructus vix exprimi poteſt; dat enim augmentum habitualis gratiæ, dum animam nutrit & corroborat; paſſionis Chriſti applicat meritum, cuius perenne memoriale eſt, effundit in cor ſpiritualem delectationem, venialium peccatorum ſordes abſtergit, reatúmque remittit, præſeruat à mortalibus, reprimit concupiſcentiæ fomitem, animam coniungit Chriſto per amorem, imò per *naturalem*, vt ait S. Hilarius, *vnionem*, *& ſocietatem germaniſſimam*; inſuper fidem auget, ſpem corroborat, charitatem inflammat, metum gehennæ minuit, gloriæ excitat fiduciam, denique etiam pignus confert vitæ & felicitatis æternæ. Quid mirum igitur ſi vinum hoc calicis ſalutaris, lætificat cor hominis? id eſt præcordia animæ ineffabili gaudio lætitiáque perfundit? *Epoto iſto calice* (ait diuinus Martyr Cyprianus) *mæſtum ac triſte pectus, quod priùs peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia ſpirituali reſoluitur. Dicitur tamen iſte calix inebrians, quòd ſic ſcilicet bibentes inebriet, vt ſobrios faciat, vt mentes ad ſpiritualem ſapientiam redigat, vt à ſapore iſto ſæculari ad intellectum Dei, vnuſquiſque reſipiſcat. Vini igitur in calice mentio eſt, & ideo ponitur, vt Domini ſanguis vino intelligatur, & quod in calice Dominico poſteà manifeſtatum eſt, prophetis annunciantibus prædicetur. Torcularis quoque calcatio, & preſſura taxatur: quia quomodo ad potandum vinum veniri non poteſt, niſi botrus calcetur antè & prematur: ſic nec nos ſanguinem Chriſti poſſemus bibere, niſi Chriſtus calcatus priùs fuiſſet & preſſus, & calicem priùs biberet, quem credentibus propinaret.* Atque id eſt, quod perſpicimus in Sacramento calicis contineri.

Lib. 8. de Trinit. & S. Cyrill. Alex. lib. 4. c. 17. in Ioan.

ep. 63.

ARTICVLVS VIII.

De lacteo Calice, ſeu vino quod germinat virgines.

MEL *& lac ex Chriſti ore ſuſcepi*, (ait fortis puella Agnes) *& ſanguis eius ornauit genas meas.* Chriſtus mel in ore, melos in aure eſt, inquit mellifluus Bernardus; lac nobis in ſacra menſa propinat. *Neceſſe erat*, ait magnus pater Auguſtinus, *vt iſta menſa lacteſceret, nam mater hoc fecit.* A matre enim virgine Chriſtus ſumpſit carnem & ſanguinem: carnem ſub ſpecie panis, ſanguinem ſub vini ſpecie nobis dedit. Porro *vinum cum ſanguine habet aliquam ſimilitudinem* (ait S. Cyrillus Hieroſol.) At quid quæſo affinitatis, ſiue colorem, ſiue ſaporem ſpectes, vel vini cum lacte, vel vtriuſque cum ſanguine, & tamen inuitat nos per Spiritum ſanctum, Propheta; *Venite*, inquit, *emite abſque argento, vel vlla commutatione vinum & lac*; ſcilicet *de fontibus ſaluatoris* quæ effluunt vinum & lac. Olim vtrumque recèns baptiſatis dabatur, ſed lac præcipuè: hinc

Catech. 4. Myſtag.

Iſa. 55. 1.

tanquam infantes, hortatur nos S. Petrus, *vt lac concupiſcamus*. Et S. Chryſoſtomus ad Domini menſam, vt ad fontem lactis inuitat. *Nónne videtis* (inquit hom. 60. ad populum) *quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt. Accedamus nos quoque cum tanta alacritate ad hanc menſam, & ad vbera poculi ſpiritualis: quinimò cum longè maiori trahamus (tanquam infantes lactentes) ſpiritus gratiam, & vnus ſit nobis dolor, hac eſca priuari*. Certè lac ſimul eſt cibus & potus, & in calice ſancto non tantùm eſt Chriſti ſanguis, ſed & tota caro, anima & ſpiritus: ſic animas lactat, *Ad vbera*, inquit, *mea portabimini*, quanquam in ſponſam, animam ducit, materno tamen amore lactat: *Ego*, inquit, *ducam eam & lactabo eam*. En quot ſententiis hanc lactis metaphoram inculcat? ſanè puritas eſt in lacte, ſimplicitas & innocentia: in vino eſt luxuria; quomodo hæc itaque coniunguntur, & æquiparantur? ſed eſt vinum quod accendit concupiſcentiam, & vinum quod caſtitatem parit; vinum illud ſcilicet, de quo ait Zacharias Propheta; *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, 9. 17. *Virginitas eſt flos Eccleſiaſtici germinis* (ait S. Cyprianus.) *In altari* (ait S. Ambroſius) *ſacrificium virginitatis offertur*; immaculata ſcilicet Chriſti caro ſumpta de puriſſimis viſceribus Beatiſſimę Virginis Deigenitricis, eiúſque ſanguis: Quid mirum igitur ſi incorruptus iſte cibus potúſque in iis à quibus ſumitur, incorruptionem generat: & lacteus iſte ſanguis, vinúmque veræ vitis in calice ſancto quem benedixit Chriſtus, Virginis filius, & virginum ſponſus, ipſéque agnus ſine macula, ſumentibus infundit de ſua puritate munditiam, ac integritatem de ſua incorruptione inſtillat, imò virgines parit & conſeruat? Acutè equidem & præclarè omnino S. Hieronymus (cuius hoc die felix celebratur ad Chriſtum migratio) *Sapientia* (inquit ep. 2. ad Nepot.) *impolluta eſt, virginitatíſque perpetuæ, & quæ in ſimilitudinem Mariæ, cùm quotidie generet atque parturiat, incorrupta eſt*. Quomodo quæſo Deipara Virgo, quæ ſemel tantùm Chriſtum peperit, quotidie generat & parit? Hic auſpicatò occurrit os aureum Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dicens: *Eſt Euchariſtia extenſio Incarnationis*. Iam igitur myſterium capio. Per Euchariſtiam quotidie beatiſſima Virgo Deigenitrix generat & parit animas, eáſque per hoc myſterium ſanctificatas in puritate, cum filio ſuo nutrit carne ſua, nam *caro Chriſti eſt caro Mariæ*: & ſanguis Mariæ Chriſti ſanguis, qui velut lac in Euchariſtia ſugentibus animabus piis influitur. Sic factum vt lacteſceret hæc menſa, nam mater hoc fecit, itaque fit vt virgo ſemper generet & pariat virgines: per ſacrificium enim Virginitatis quod filius de ſua ſubſtantia offert, animas quas lactat hoc eſu & potu caſtificat, accendítque ad perennem integritatis amorem: has omnes velut filias, dilectiſſimo filio Virgo benedicta in die nouiſſimo, quo ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, ſumma cum lætitia offeret ac præſentabit. *O quantas illa Virginibus occurret?* (ait Virginum Doctor Ambroſius) *quantas complexa ad Dominum trahet! dicens, Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore*. (lib. 2. de Virginibus) Atque hæc obiter notata volui, vt innoteſceret quale ſit illud poculum, qualéque ſit vinum quod germinat virgines.

Iſa. 66. 11.

PRIMÆ

PRIMÆ PARTIS PANOPLIÆ SACERDOTALIS LIBER IX.

DE PATENA SACRI CALICIS.

CAPVT PRIMVM.

Patena quid, & vnde dicta?

VSV communi patena ſumitur pro operculo calicis; ſed nomen hoc apud veteres latioris eſt ſignificationis: Patena enim eſt vaſis genus à patendo dictum, vel, vt ait Varro lib. 4. de lingua Latina, patenas à patulo dixerunt, quòd his libarent cœnis patellas: inde patellæ vaſa, pocula parua ſacrificiis apta, auctore Feſto. Hinc Patellarij Dij *, qui his vaſis placabantur. Veteres aliquid de cœna libabant Diis, illúdque patellæ imponebant. inde Ouidius in Faſtis:

* *Apud Plautum in Ciſtellaria.*

Fert miſſos Veſtæ parua patella cibos.

Iſidorus lib. 20. Originum c. 4. non poculis adhibet patenas, ſed eſcis, numerat enim non inter vaſa potatoria, ſed inter vaſa eſcarum; *Patina*, inquit, *quòd deſpanſis patentibúſque oris ſit.* Sic ſumitur pro diſco: apud Græcos etiamnum diſcus vas illud dicitur in quo panem ſanctum ponunt: in ipſorum Euchologio, vbi de ſacrorum donorum in propoſitionis menſa diſſerunt præparatione, vas illud vocant τὸν ἅγιον δίσκον, lancis enim, & diſci profundioris figuram habet, inquit doctiſſimus Goarius, in ſuis ipſum in Euchologium eruditis Scholiis. At conſtanti vſu vaſculum, in quo conſecrata hoſtia poni-

tur inter ſacrificandum, à Latinis Patena appellatur: cuius rei & nominis frequens eſt mentio non ſolùm apud rituum ſacrorum interpretes, ſed etiam quoſuis Scriptores Eccleſiaſticos, qui de Calice meminerunt; cui adeo affinis eſt patena, vt potiùs pars quædam calicis quàm appendix eſſe videatur. Tamen in Pontificali Romano ſub titulo *de Patenæ & Calicis conſecratione*, ſeorſim conſecratur, hac ſub verborum formula, ℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum & terram. Oremus. Fratres chariſſimi, vt diuinæ gratiæ benedictio conſecret & ſanctificet hanc patenam, ad confringendum in ea Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui crucis paſſionem ſuſtinuit pro noſtrûm omnium ſalute.* Tum Pontifex depoſita mitra dicit, *Dominus vobiſcum*, ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui legalium inſtitutor es hoſtiarum, quique inter has conſperſam ſimilaginem deferri in patenis aureis & argenteis ad altare tuum iuſſiſti, bene✝dicere, ſancti✝ficare, & conſe✝crare digneris hanc patenam in adminiſtrationem Euchariſtiæ Ieſu Chriſti filij tui, qui pro noſtra omnium ſalute ſeipſum tibi Deo patri in patibulo crucis elegit immolari, ac tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.* Tum Pontifex, accepta mitra facit cum pollice dexteræ manus chriſmate intincto, crucem ſuper patenam, & mox linit & perungit totam eius ſuperficiem cum ipſo pollice, dicens, *Conſe✝crare & ſancti✝ficare digneris Domine Deus, hanc patenam per iſtam vnctionem & noſtram benedic✝tionem, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

CAPVT II.

Patena conſecrata, in ſacrificio Euchariſtiæ vſus ſolennis.

SVBDIACONVS in Miſſa ſolenni, hora competenti cum Diacono accedit ad Eccleſiam, vbi aliquantulùm orat, vel in ſacriſtia: quo facto Epiſtolam perquirit in libro ſuo, eam perlegit & ſignaculo ſuo notat. Tum lauat & tergit manus. Calicem aptat, purificatorium ſuper expandens, ſuper quod ponit patenam cum hoſtia integra, ac bene terſa, deinde pallam, poſteà velum paruum ac burſam deſuper, eúmque cum libro Epiſtolarum & aliis neceſſariis aſportat ad credentiam.

In offertorio, dicto *Oremus* à Celebrante, genuflectit & ad credentiam accedit, vbi à Cæremoniario vel alio imponitur humeris eius velum oblongum ſericeum & pulchrum, coloris paramentorum, ita vt à latere dextro longiùs pendeat, & accipit calicem &c. manu nuda ſiniſtra per nodum. Et parte illa longiori veli depoſita eundem calicem tegit, ſuper quam partem extenſam apponit manum dextram, & cautè aduertens ne aliquid decidat procedit ad altare per breuiorem viam, id eſt per latus Epiſtolæ à dextris Cære-

moniarij, ibíque deponit calicem, quem Diaconus diſcooperit, ea parte longiori depoſita, & ipſe Diaconus dat patenam celebranti &c.

Poſt oblationem calicis, Diaconus illum tegit, quo tecto ab eodem Diacono, accipit Subdiaconus in dextera manu nuda patenam, quam ipſe Diaconus oblongi veli extremitate ab eius humeris dependentis adiuuante Cæremoniario tegit, ita vt pars interior ipſum Subdiaconum reſpiciat. Quo facto ſine genuflexione redit poſt celebrantem ad medium altaris in plano, vbi facta priùs genuflexione ſtat Subdiaconus ſubſtinens eandem Patenam eleuatam ob oculos, vſque ad finem orationis Dominicæ.

Cùm in oratione Dominica Celebrans dicit: *Et dimitte nobis debita* &c. accedit ad celebrantem cum Diacono per viam breuiorem à cornu Epiſtolæ ad dextram ipſius Diaconi, & ibi ſtat, illíque offert patenam, quam ipſe Diaconus detegit velo, & eam exterſam purificatorio præbet celebranti, inter pollicem & indicem manus dexteræ ipſius celebrantis illam ponens: qui poſtquam dixerit Amen, Diaconus cum oſculo ipſius patenæ, oſculatur manum ipſius celebrantis.

Celebrans antequam dicat, *Da propitius pacem*, eleuat manu dextera patenam de altari, & ſeipſum cum ipſa ſignat à fronte ad pectus, dicens, *Da propitius pacem in diebus noſtris.* Cùm ſignat ſe, manum ſiniſtram ponit infra pectus, deinde patenam ipſam oſculatur & proſequitur, *vt ope miſericordiæ tuæ adiuti* &c. ſubmittit patenam hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accommodat ſuper patenam, diſcooperit calicem, & genuflexus ſacramentum adorat, tum ſe erigens accipit hoſtiam inter indicem & pollicem dexteræ manus, & cum illis ac pollice & indice ſiniſtræ manus, eam ſuper calicem tenens reuerenter, frangit per medium dicens, *Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum*, & mediam partem quam inter pollicem & medium digitum dexteræ manus tenet, ponit ſuper patenam. De alia media, quam ſiniſtra manu tenet, frangit cum pollice & indice dexteræ manus particulam, proſequens, *Qui tecum viuit & regnat*, & eam inter ipſos dexteræ manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam ſiniſtra tenet, adiungit mediæ ſuper patenam poſitæ, & interim dicens: *In vnitate Spiritus ſancti Deus*, & particulam hoſtiæ quam in dextera manu retinuit tenens ſuper calicem, quem in ſiniſtra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit, *Per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* Et nunc ipsâ particulâ ſignans ter à labio ad labium calicis, dicit *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Reſponſo per miniſtrum, *Et cum Spiritu tuo*, particulam, quam in dextera manu tenet, immittit in calicem, dicens ſecretò, *Hæc commixtio & conſecratio &c.*

Si verò adſint conſecratæ ſuper corporale poſitæ, facta priùs genuflexione reponit eas in vaſe ad hoc ordinato, & diligenter aduertit ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat

ſuper corporale, quod ſi fuerit, reponit accuratè in calicem. Poſt exterſionem patenæ iunctis pollicibus & indicibus, calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit, & ſiniſtra patenam, dicens, *Calicem ſalutaris:* & ſignat ſe ſigno crucis cum calice dicens, *ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.* & manu ſiniſtra ſupponens patenam calici, ſtans reuerenter ſumit totum ſanguinem, cum particula in calice poſita. Quibus ſumptis dicit ſecretò, *Quod ore ſumpſimus*, & ſuper altare porrigit calicem miniſtro in cornu Epiſtolæ: quo vinum fundente ſe purificat, deinde vino & aqua abluit pollices & indices ſuper calicem, quos abſtergit purificatorio, interim dicens, *Corpus tuum Domine quod ſumpſi &c.* ablutionem ſumit & extergit os. Quo facto Subdiaconus accedit ad cornu Euangelij genuflectens in medio plani cedens locum ſuperiorem Diacono, ibíque calicem mundat purificatorio, patena & palla cum cooperit, plicat corporale quod reponit in burſam, & accepto paruo velo plicato ab Acolytho, extendit illud ſuper prædictum calicem, tum ſuperimponit burſam, ſuper quam velum replicat in parte anteriori, ſolúſque ſine ſocio reportat illum ad credentiam, facta genuflexione in plano ſuper infimum gradum per viam breuiorem.

CAPVT III.

De vſu Patenæ in adminiſtratione Corporis Domini.

IN Communione quæ fit in Miſſa, Sacerdos poſt communionem ſanguinis, antequam ſe purificet, facta genuflexione ponit hoſtias conſecratas in pixide, vel ſi pauci communicandi ſunt ſuper patenam, niſi ab initio poſitæ fuerint in pixide ſeu alio calice, quàm quo diuinis operatus eſt. Datáque abſolutione, factáque benedictione ſuper eos qui ad diuinam ſynaxim accedunt, genuflectit, accipit deinde manu ſiniſtra pixidem ſeu patenam cum Sacramento, dextera verò ſumit vnam hoſtiam quam inter pollicem & indicem tenet aliquantùm eleuatam ſuper pixidem, vel ſuper patenam &c. & more ſolito illos communicat. Omnibus diuino munere refectis, reuertitur ad altare nihil dicens, & non dat illis benedictionem, quia illam daturus eſt in fine Miſſæ. Si particulæ ſeu paruæ hoſtiæ conſecratæ poſitæ erant ſuper corporale, extergit illud cum patena, & ſi qua fuerint in eo fragmenta in calicem immittit, quæ ſumit cum ipſa purificatione &c.

CAPVT IV.

De patena & pixidis differentia, patenarúmque, etiam quoad vſum Euchariſtiæ diuerſitate: vbi etiam de columbis aureis aut argenteis, & ciboriis pretioſis, in quibus ſuper altare Corpus Domini reponi ad cultum conſueuerat.

ERANT olim præter paruas patenas, quæ ſancto calici conformes erant, & quibus Sacerdos in ipſius ſacrificij diuina actione vtebatur: aliæ patenæ magnæ in quibus diuina munera collocabantur, quibus populus communicandus erat, quia enim tunc communio erat frequentior & in Eccleſia maiore fideles ſimul communicabant, vt plurimùm in fine Miſſæ Epiſcopalis: patenæ magnæ conficiebantur, vt Euchariſtiam pro tanta multitudine ſuſcipere capaces eſſent, hinc in libro Pontificali, patenarum frequens mentio occurrit, ingentis ponderis, quod earum magnitudinis euidens eſt indicium: quemadmodum dignitas materiæ & formæ præſtantia earumdem, patenti ſunt argumento eximiæ fidelium in ſacram Euchariſtiam reuerentiæ, ſimúlque eiuſdem ſummæ excellentiæ, nixæ verâ præſentiâ Chriſti Domini in ea realiter exiſtentis. Exempli gratiâ, in Pontificali, de Gregorio III. memoriæ proditum eſt, *Hic fecit patenam auream magnam*, (expende hanc vocem qua clarè indicat alias fuiſſe minores) *cum diuerſis lapidibus penſ. lib.* 27. & de Hadriano I. *fecit patenam & calicem in Baſilica S. Petri pro quotidianis miniſteriis ex auro puriſſimo, penſ. ſimul lib.* 24. *In baſilica S. Pauli patenam ex auro obrizo &c. penſ. lib.* 20. Et in Leone III. de Carolo Magno ibidem: *Obtulit patenam auream cum gemmis diuerſis, penſ. lib.* 30. Et de ipſo Leone PP. *Fecit in baſilica S. Pauli patenam auream, penſ. lib.* 28. *& vncias* 9. Et infrà, *Hic fecit B. Petro &c. calicem aureum præcipuum &c. pari modo fecit & patenam auream ſpanoclyſtam ſimiliter ornatam pretioſis lapidibus, penſ. lib.* 25. Et infrà iterum; *Necnon fecit & patenam auream ſpanoclyſtam miræ magnitudinis decoratam, penſ. lib.* 25. *& vncias* 9. Et in Leone IV. *Obtulit patenam ex argento puriſſimo, aureo ſuperinductam colore cum crucis trophæo, ſaluatoríſque effigie & ſanctorum Apoſtolorum pulchro ſchemate decoratam, penſ. lib.* 7. Quæ omnia notanter ſunt ex Anaſtaſio. At Damaſus in Silueſtro, iam hoc tempore inſinuat vaſtæ magnitudinis fuiſſe pateras quaſdam, earum enim meminit quæ lib. 30. ponderabant. Anaſtaſius in Sixto III. *fecit patenas argenteas tres penſantes ſingul. lib.* 20. Hæ verò quæ miræ magnitudinis dicuntur & ingentis ponderis, non erant in vſu ſacerdotis conſecrantis; Patenam enim calici ſancto quo diuinum myſterium celebrabat, habebat proportionatam, quæ minor erat: ad cuius differentiam, vt ex præmiſſis conſtat, patena quæ diſtribuendæ populo Euchariſtiæ vas erat pro-

prium, patena magna dicebatur. Et de iis patenis intelligendus eſt canon qui Zepherino attribuitur à Damaſo, ex illo enim cæteri deriuârunt: *Fecit conſtitutum de Eccleſia, vt patenas vitreas miniſtri ante ſacerdotes portarent.* Quamobrem verba iſta Concilij Triburienſis ſub Formoſo, cap. 18. *Zepherinus XVI. Romanus Epiſcopus patenis vitreis Miſſas celebrari conſtituit*, ad hunc ſenſum reuocanda ſunt: vt de patenis intelligantur, non quibus ſacrificabat ſacerdos, ſed quibus populo fideli ſacra impertiebatur communio. De calicibus enim vitreis nihil (vt ſuperiùs euictum) Zepherinus conſtituit. Vnde decretum eius de patenis quæ ſancti calicis opercula erant, & ſuper quæ confracta diuina hoſtia imponebatur, accipi non poteſt. Nam ſancti calicis patena, vt conſtat ex Pontificum geſtis, eiuſdem materiæ & ornatus, cuius ipſe calix, eſſe conſueuerat.

Pixidem verò quam vocant, hoc nomine deſignatam apud veteres non inuenimus * in ipſo Pontificali Romano: in hoc enim ſeorſim à conſecratione patenæ & calicis, aſſignatur propria benedictio Tabernaculi ſeu vaſculi pro Sacro-ſancta Euchariſtia conſeruanda: quod tamen nec chriſmate, nec oleo ſancto delinitur, ſed ſola fit verbali benedictione.

* Ab Iuone tamen memoratur, decreti part. 2. tit. de Sacramentis corp. & ſang. Domini, c. 19. ex Concil. Turonico, c. 4.

De columbis argenteis, aureiſque, in quibus recondebatur Corpus Domini.

SACRAM Euchariſtiam iam olim collocari conſueuiſſe ſuper altaria, ad adorationem, ex S. Paulini elicitur epiſtola 12. ad Seuerum, *Seruabatur autem diuinum munus ſub titulo crucis, etiam ſuper altare erectæ*, vt ex hoc canone patet II. Concilij Turonenſis, habiti anno 570. Ioanne III. Pontifice: *Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine*, (id eſt inter imagines, ne figura ideo putaretur) *ſed ſub crucis titulo componatur.* Quibuſdam in locis tamen in columbis aureis vel argenteis (quarum fuit paulatim frequentior vſus etiam in Gallia) appenſis ſuper altare includebatur. Vetuſtiſſimum de iis eſt monimentum in vita S. Baſilij, Amphilochio Epiſcopo Iconij aſcripta. Refert enim, S. Baſilium Dominum obſecraſſe, vt daret ei gratiam, ſapientiam & intellectum ſacrificij offerendi, & myſticæ ſcribendæ Liturgiæ, viſo noctu cum Apoſtolis Domino propoſitionem panis in altari faciente, eúmque exaudiente & excitante, ſurgentem ad altare acceſſiſſe, celebraſſe officium, poſt orationum finem, panem exaltaſſe, eúmque in tres diuiſiſſe partes, quarum vnam cum timore multo communicauerit, alteram columbæ aureæ ſuper altare pendenti impoſuerit &c.

Can. 2.

De his columbis, earúmque in Eccleſiis vſu, aliquanto pòſt, in V. Synodo extat hoc teſtimonium, Act. 1. *Queruntur Clerici & Monachi Antiocheni contra Seuerum eius vrbis non iam paſtorem, ſed lupum, ſic inter cætera, Nec ſanctis ille pepercit altaribus neque ſacris vaſis, ea conflans & ſuis ſimilibus erogans. Præſumptum eſt & hoc ab eodem, ô beatiſſimi. Nam*

columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus ſancti ſuper diuina lauachra & altaria appenſas, vnà cum aliis ſibi appropriauit. Relegit hanc querimoniam in II. Synodo Nicæna act. 5. Antonius Monachus. Teſtis eſt Eſpencæus lib. 2. de Euchariſtiæ adoratione c. 5. non defuiſſe adhuc ætate ſua (ſuperiore autem ſæculo claruit) in Monaſteriis columbarum inſtar ſcriniola in vſum Euchariſtiæ ſuper altare appendendæ; taléque à ſe viſum in Monaſteriolo ſeu Prioratu Conuentuali Vallis Dei non procul à Seſanna in Trecenſi agro. Ex quo tamen tetra hæreſeωn recentiorum caligo, Euchariſtiæ maieſtatem offundere tentauit: Eccleſia quæ fabulis hæreticorum (ſcitè vt ait Theodoretus) aduerſatur, venerabile ſacramentum ad cultum latriæ ipſi debitum in vaſculis ad Solis rutilantis effigiem efformatis, exponere cœpit, ad indicandum tanti ſacramenti ſplendorem, vt iubar fulgentiſſimum toto orbe coruſcare, hæreticorúmque longè latéque diſpellere claritate ſua perfidiam; aduerſus apertiſſima Chriſti verba non ſatis dolenda obcæcatione diſputantem. Sed hoc πάρεργον. Proſequamur aliorum vaſculorum, quibus includebatur Corpus Domini ſuper altare collocatum, deſcriptionem.

De turriculis, ſeu turribus pretioſis, in quibus reponi itidem conſueuerat.

HÆC verba ſunt Teſtamenti S. Remigij, quod refert Flodoardus lib. 1. c. 18. hiſtor. Eccleſ. Rhemenſis: *Illud quoque vas aureum decem librarum, quod mihi ſæpe memoratus Dominus, &c. Ludouicus * Rex, &c. donare dignatus eſt, tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſuprà memoratæ* (Rhemenſi ſcilicet) *iubeo turriculum, & imaginatum calicem fabricari, & epigrammata quæ Lauduni in argenteo ipſe dictaui, in hoc quoque conſcribi volo.* Sunt qui cenſeant legendum thuribulum; ſed thuribulum fieri ex auro vix mos tulit Eccleſiaſticus vnquam, Cl. Briſſonius igitur meliori iudicio exiſtimat legendum eſſe turriculum *: quia ex ipſo Flodoardo conſtat diuinam Euchariſtiam ſuper altare reponi conſueuiſſe in parua turre argentea vel aurea, ſic enim lib. 2. c. 6. ſcribit de Laudone Archiepiſcopo: *Turrim quoque auream quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper altare poſuit S. Mariæ Rhemenſis Eccleſiæ, & patenas tres *, &c.* Laudat Fortunatus Felicem Archiepiſcopum Bituricenſem, lib. 3. Carminum 25. qui Corpori Domini hierothecam ſeu turrim ſacram fecerat, ita enim de eo canit,

Quàm benè iuncta decent, ſacrati vt corporis agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Chryſolitis Salomonia vaſa metallis;
Iſta placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Chriſte, tibi Felicis munera ſic ſunt,
Qualia tunc tribuit de grege paſtor Abel.
Et cuius tu corda vides, pietate coæquas,
Sareptæ merito, quæ dedit æra duo.

* *Clodoueus*

* *rectiùs tamen* Turriculam.

* Idem porrò Flodoardus lib. 2. c. 3. *Quorum quidam in Eccleſia ſignorum deaurata conſpiciens relucere metalla, cupidus auri pecuniæ tectum conſcendit Baſilicæ, viſuſque diſſipare turriculam, ſubitò delapſus ad terram corruit, membriſque cōfractis interiit.*

Similis turris *in qua miniſterium Dominici corporis habebatur*, meminit Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyr. c. 86. vbi narrat miraculum, quomodo turris ex impuri Diaconi manibus elapſa, ſe ſponte per aëra ad altare Domini receperit.

De Ciboriis etiam pretioſis, &c.

IN geſtis veterum Pontificum Romanorum paſſim occurrit mentio ciboriorum eiuſmodi, in quibus mos erat ſuper altare ſplendido cum ornatu reponere Corpus Domini: Anaſtaſius in Symmacho: *Infra ciuitatem Romanam* (ait) *Baſilicam Sanctorum Silueſtri, & Martini à fundamento conſtruxit, vbi & ſuper altare tigurium* *, (in margine *Ciborium*) *argenteum fecit, penſ. lib. 120.* Idem in Gregorio II. *Hic maximam partem Baſilicæ B. Pauli Apoſtoli, quæ ceciderat, allatis de Calabria trabibus cooperuit, & altare à nouo fecit, & Ciborium argenteum quod fuerat ruina quaſſatum.* In Leone III. *In Eccleſia Beatorum Martyrum Nerei & Achillei obtulit ciborium ex argento puriſſimo, penſ. lib. 215. calicem, & patenam ex argento puriſſimo deauratos, penſ. libras duodecim, & vncias 10. Hic renouauit tectum Sancti Chryſogoni Martyris, & camergam ſiue parietum picturas, ciborium autem de argento, &c.* Idem Anaſtaſius in Paſchali I. *In Eccleſia S. Mariæ Dominæ noſtræ de Dominica, obtulit ciborium de argento, penſ. lib. 332. & propitiatorium ſacri altaris ex laminis argenteis promptè decorauit.* Et in Leone IV. *In Eccleſia S. Petri fecit miræ magnitudinis, ac pulchritudinis ſuper illius venerandum altare, ciborium, & columnas, ac lilia exaurata ex argento puriſſimo penſ. lib. 1606. Nam & ſuper ciborium obtulit coronas quatuor, & calices ſexdecim ex auro mundiſſimo, &c.* Et infrà, *Ad honorem, & gloriam ipſius, ciborium fecit, calicéſque, & coronas numero 46. penſ. lib. 22. & vncias 7. necnon & ſuper columnas ipſius ciborij fecit cophinos numero quatuor, penſ. lib. 42.* Idem fuiſſe videtur turricula altaris, & ciborium; ſed aliquando ſuper turriculam appendebat columba, in qua corpus Chriſti incluſum erat; in turre verò, vt ait Gregorius Turonenſis, miniſterium Dominici corporis, ſcilicet calix ſanctus cum patena. Huc ſpectat iſtud Bulengeri, lib. 2. de donariis Pontificum, c. 3. *Conſtantinus fecit patenam ex auro puriſſimo cum turre, & columba, ornatam gemmis praſinis, & hyacinthinis quæ ſunt numero cum margaritis albis ducentis, & quindecim, penſantem lib. 15.*

* meliùs *tugurium*.

Erant porrò quoad dignitatem materiæ, & decorem formæ ſpectat, quemadmodum calices, ſic & patenæ aureæ, argenteæ, gemmatæ; erant quædam planæ, & nulla ſcriptura, aut imagine notabiles: erant & ſculptæ, & imaginibus decoratæ: hæc eiuſmodi erat de qua Anaſtaſius memoriæ prodidit in Paſchali I. *Patenam obtulit ex argento puriſſimo, aureo ſuperinductam colore cum crucis trophæo, Saluatoriſque, ſanctæ Deigenitricis, & ſanctorum Apoſtolorum pulchro ſchemate decoratam, penſ. lib. 7.* Erant magnæ & minores, vt notaui ſuprà. Erant etiam modicæ, qualis ea erat, de qua, & calice conformi idem ait Anaſtaſius, in Leone IV. *Obtulit patenam, & calicem ſanctum modicum de argento, penſ. lib. 1. & ſemis.* Hæc pro ſacrificio erat, nam appendix erat calicis

licis non cuiuſuis, ſed ſancti, in quo conſecratur ſanguis Domini.

Maiores patenæ, in quibus hoſtiæ conſecratæ poni conſueuerant ad communicandum populum, potiùs diſco ſimiles erant, propter amplitudinem, & profunditatem, quàm patenis quæ apud nos paſſim in vſu ſunt. Græci paruis eiuſmodi patenis non vtuntur, ſed diſcis, vt ſuprà ex eorum Euchologio obſeruauimus. Minores & modicæ, calicum minorum & modicorum, quorum quoque meminimus, pridem appendices erant, quarum adminiculum dumtaxat in diuini ſacrificij celebratione vſurpari ſolebat. Veſtigium eiuſmodi patenarum ampliorum, ad officium communionis populi, Romæ etiamnum quoddam ſupereſt in Miſſa Papali; ſiquidem poſt communionem ſummi Pontificis, & eius aſſiſtentium, data ab ipſo Papa abſolutione, Diaconus ſumit vas chryſtallinum de altari, in quo hoſtias reponit quæ accedentibus ad diuinam menſam impertiendæ ſunt, ſicut legiſſe iam olim memini in Tractatu de Cæremoniis, & ſacris ritibus Romæ vſurpari ſolitis in diuinis officiis, & ſacris conſeſſibus, &c. Qui mos chryſtallini vaſculi vſitati ad ſacram ſynaxim prodiiſſe videtur ex veteri Zepherini Papæ inſtituto ſæpiùs ſuprà memorato: *Fecit conſtitutum de Eccleſia, vt patenas vitreas* (non calices) *miniſtri* (id eſt Diaconi &c.) *ante Sacerdotes portarent*, quibus ſcilicet Sacerdotes imponerent ſacras particulas, quibus populus communicandus erat. Pixidis igitur vſus qualis nunc eſt ad communionem ſacram, dudum non fuit, ſed patenarum, earúmque maiorum, & quæ à patenis diuerſæ erant minoribus, quibus inter ſacrificandum Sacerdos vtebatur. Non enim primus vſus pixidum eiuſmodi, communionem ſpectabat, ſed dumtaxat repoſitionem, & aſſeruationem corporis Domini in tabernaculo, quod veteres itidem tugurium, turriculam, & ciborium appellabant, vt ſuprà demonſtrauimus. Hinc in Pontificali Romano ſub titulo de benedictione tabernaculi, ſeu vaſculi pro Euchariſtia conſeruanda, orat duntaxat Pontifex (ſeu Sacerdos vice eius defungens) *Omnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices deprecamur, vt vaſculum hoc pro corpore filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, in eo condendo fabricatum, benedictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Dominum, &c.* Tum aſpergit illud aqua benedicta. Commodioris vſus gratiâ, fateor eiuſmodi pixides receptas demum fuiſſe, quæ etiam deferendæ infirmis diuinæ Euchariſtiæ aptiores ſunt. Sed miror, cùm tantæ rei deſtinatæ ſint, cur non vt patenæ conſecrentur, ſed ſimplici tantùm benedictione dedicentur?

pag. 36.

Pariſiis editus prodiit, auctore M. Claudio Vaure Doctore Theologo, anno 1613.

CAPVT V.

De Patenis Chriſmalibus.

SVPRA ex Damaſo, & Anaſtaſio, fuiſſe calices miniſteriales ad varios vſus oſtendimus, nec enim duntaxat ad diſpenſationem Euchariſtiæ fuiſſe adhibitos, ſed etiam chriſmatis, alióſque vſus tam baptiſmi, quàm pœnitentiæ. Porrò iiſdem teſtimoniis palam fecimus fuiſſe ad diuerſa miniſteria etiam diſpoſitas patenas, maximè verò ad ſacri chriſmatis diſpenſationem, quæ potiſſimùm fieri ſolet in Baptiſmo, & Confirmatione, de qua ſpecie Damaſus in Silueſtro, *Patenam argenteam chriſmalem Conſtantinus obtulit auro cinctam.* Neſcio quomodo contigit vt mos iſte inualuerit, qui in Eccleſiis Galliæ, maximè verò Pariſienſibus, paſſim viget, vt Sacerdos ad liniendum in vertice baptizatum adultum vel infantem, ſacrum chriſma ex vaſculo quo incluſum ſeruatur, eliciat argenteo baculo ſacrum liquorem, quo nuper tinctum ſalutari lauacro leniter inungit. At Rituale Romanum morem antiquum retinet, nam ſic præſcribit: *Deinde Sacerdos intingat pollicem in ſacrum chriſma, & perungat verticem electi in modum crucis dicens, Deus omnipotens, &c. Tunc bombacio vel re ſimili pollicem tergit;* ſic in Pontificali Romano. In ritu Confirmationis conferendæ, Pontifex ſummitate pollicis dextræ manus chriſmate intincta dicit, *Signo te ſigno crucis*, &c. *Omnibus confirmatis Pontifex tergit cum mica panis pollicem, & manus ſuper peluim*, &c. Ita fit etiam in ordinatione Preſbyteri, & conſecratione Epiſcopi. At vt commodè tingere poſſet pollicem in ſanctum chriſma, patena quouis alio vaſe commodior erat. Pauxillum igitur effundebatur olim ſacri liquoris in patenam, quo facilè pollicem imbuebat, diſpenſatóque ſacramento, ſiquid ſupererat chriſmatis, in vaſculum è patena confeſtim refundebatur; ſi vix quicquam ſupereſſet, tergebatur mox patena bombacio, &c.

Fundendi chriſma ſuper patenam, ad Pontificis pollicem faciliori negotio ſacra vnctione imbuendum, illuſtre certè veſtigium extat in Ordine conſecrationis Chriſtianiſſimi Regis Francorum*, hac ſub epigraphe, *Hîc præparatur vnctio.* Incipit Cantor,

** Extat inter decreta Eccleſiæ Gallicanæ, lib. 5. Titul. 2.*

Gentem Francorum inclytam
*Simul cum Rege nobili**
Sumpto cælitùs chriſmate
Sancto ſacrauit gurgite.
Spiritûs ſancti munere,
Qui in columba apparuit
Diuinum chriſma cælitùs
Miniſtrauit Pontifici.

** B. Remigius*

℣. *Ora pro nobis B. Remigi.* ℟. *Vt digni efficiamur, &c. Oremus. Deus, qui*

populo tuo æternæ ſalutis B. Remigium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Chriſtum &c.

Hic debet fieri miſtio de chriſmate, & oleo cælitùs miſſo.

Chriſma ponitur in altari, ſuper patenam conſecratam, & Archiepiſcopus ſacro-ſanctam ampullam, quam Abbas ſancti Remigij attulit, ſuper altare debet aperire, & inde cum acu aurea aliquantulum de eo cælitùs miſſo attrahere, & chriſmati parato in patena diligentiùs cum digito immiſcere, ad inungendum Regem, qui ſolus inter vniuerſos reges terræ hoc glorioſo præfulget priuilegio, vt chriſmate miſto cum oleo cælitùs miſſo, alio modo, quàm cæteri Reges ſingulariter inungatur.

Vbi notandum, *diligenter cum digito immiſcere*, non cum baculo: quia nimirum, vbi digitus Sacerdotis, vel Pontificis, *ibi digitus Dei eſt:* eſt enim Pontifex, quin & Sacerdos, vt eleganter ait S. Hieronymus, *omnipotentiæ Dei organum:* quæ ratio eſt cur Sacerdos inungitur in manibus à Pontifice dum ordinatur, hoc modo: Pontifex cum oleo Catechumenorum inungit vnicuique (quem promouet ad preſbyteratum) ambas manus ſimul iunctas in modum crucis producendo cum pollice ſuo dextro (non baculo) in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet à pollice dexteræ manus, vſque ad indicem ſiniſtræ, & à pollice ſiniſtræ vſque ad indicem dexteræ, vngendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet inungit: *Conſecrare, & ſanctificare digneris Domine, manus iſtas, per iſtam vnctionem, & noſtram benedictionem, vt quæcumque benedixerint benedicantur, & quæ conſecrauerint conſecrentur, & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* In conſecratione Epiſcopi, illius manus non inunguntur, quia in preſbyterali ordinatione iam inunctæ fuerunt, ſed ſolùm caput. *Pontifex* (ſic habet formula) *pollicem ſuum dextrum intingit in ſanctum chriſma, & caput electi coram ſe genuflexi inungit &c.* Vbi vides ſemper pollicem conſecrantis imbui ſacro liquore.

In veteri Pontificali MS. ad vſum Eccleſiæ Pariſienſis apertè legitur, infundendum in eiuſmodi vnctionibus eſſe ſacrum oleum in patenam, ita enim expreſſum eſt in ordinatione Preſbyteri: *Amouet Epiſcopus chirothecas &c. & accipit oleum ſanctum cum chriſmate ſuper vnam patenam mixtum faciens crucem ſuper ambas manus &c. quibus manibus conſecratis iungat eas, & habeant digitos ſacratos, non tangentes non ſacratos, & ſuſtentatores, vſque ad reſolutionem caſulæ. Hoc facto lauet Epiſcopus manus ſuas, & pòſt recipiat de manibus Capellani ſui, calicem cum vino & aqua, & patenam cum pane deſuper poſitam, & ſingulis inter digitos ſacratos ſimul iunctos, & non conſecratos tradat & ponat, cuilibet dicendo, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium,* &c. At de his ſatis.

CAPVT VI.

Patena quaſi thalamus eſt Corporis Chriſti, è cruce depoſiti, in ſancto die Paraſceues.

CVM Celebrans incipit *Pater noſter*, Diaconus genuflectit, & deſcendit poſt ipſum, vbi ſtat ante Subdiaconum ſtantem in plano vſque ad eleuationem hoſtiæ. Sacerdos verò dicto ſub ſilentio à ſeipſo *Amen*, eadem voce qua dixit *Pater noſter*, abſolutè, ſine oremus, in tono ferialis orationis dicit *libera nos*: manibus extenſis vſque ad finem, non ſignans ſe cum patena, vt aliàs, quia tum Chriſti corpus conſideratur vt è cruce depoſitum, patena velut gremium Virginis, vel locus eius depoſitionis, vbi ad ſepeliendum vnctum fuit, vel exaltationis eius in ſua humilitate, de peccato, dæmone, & inferno triumphantis: quamobrem Sacerdos illa die, per patenam ſignum crucis non efformat.

Oratione dicta Celebrans genuflectit deuotè, atque erectus poſteà ſubmittit patenam hoſtiæ, quam dexterâ tantùm accipiens eleuat, ita vt à populo videri poſſit, figens ſemper in illam oculos, & aduertens ne limites corporalis, quod inſtar eſt ſindonis mundæ qua Chriſti corpus inuolutum fuit, excedat; non tamen eleuat patenam cum ea, ſed eam ſiniſtra tenet ſuper corporale, &c.

Eleuatâ hoſtiâ, Celebrans eadem manu reponit eam ſuper patenam, &c. ſtatim iterum genuflectit, & ſurgit, & miniſtri ſacri cum eo. Denique ritu præſcripto ſumit Corpus Domini, &c.

CAPVT VII.

Exhibito Corpore Domini ſuper patenam, S. Bernardus dæmonem expellit; & Guilielmum Pictauiæ Comitem, Deo, & Eccleſiæ rebellem proſternit, & conuertit.

Ex lib. 2. de ipſius vita, per Bernardum Abbatem Bonæuallis conſcripta, c. 3.

MVLIER grandæua, ciuis Mediolanenſis, & honorata quondam matrona, vſque ad Eccleſiam B. Ambroſij, poſt beatum virum à multis tracta eſt, in cuius pectore pluribus annis Diabolus ſederat. & iam ita ſuffocauerat eam, vt viſu, & auditu, & verbo priuata, monſtrum non fœmina videretur, ſordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitantis Sathanæ colluuia teſtabantur. Hanc cùm accepiſſet Vir Dei, nouit inhærentem ei, & inuiſceratum Diabolum, nec facilè egreſſurum de domo, quam tanto poſſederat tempore: conuerſus ad populum (cuius innumera aderat multitudo) orare iubet attentiùs, & Clericis, & Monachis ſecum iuxta altare conſiſtenti-

bus, mulierem ibidem iubet conſtitui & teneri; illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute recalcitrans, non ſine aliorum iniuria ipſum Abbatem pede percuſſit; quem diaboli auſum manſuetè ille contempſit, & ad expulſionem non indignatione iræ, ſed pacifica, & humili ſupplicatione Deum inuocat adiutorem, & ad immolationem hoſtiæ ſalutaris accedit; quotiens tamen eandem ſacram hoſtiam ſignat, totiens ad mulierem quoque conuerſus, eodem ſigno crucis edito, ſpiritum nequam athleta fortis impugnat, &c. Expleta autem oratione Dominica, efficaciùs hoſtem aggreditur vir beatus. Patenæ ſiquidem calicis ſacrum Dominì corpus imponens talia loquebatur, Adeſt, inique ſpiritus, iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas, iam reſiſte ſi potes? adeſt ille qui pro noſtra ſalute paſſurus, nunc inquit princeps mundi huius eiicietur foras; Hoc illud corpus eſt quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus Apoſtolis aſcendit in cœlum: in huius ergo maieſtatis terribili poteſtate tibi, ſpiritus maligne, præcipio vt ab hac ancilla eius egrediens contingere eam deinceps non præſumas. Cúmque eam inuitus deſerens, & manere vltrà non valens, affligaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus habebat. Rediens pater ſanctus ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris ritè compleuit, diffundendámque in populo pacem miniſtro dedit, & confeſtim pax, & ſalus integra mulieri reddita eſt.

Ex eodem libro c. 6.

DIV *per internuncios protractus eſt ſermo, & dum viciſſim verbis ſe mutuò occupant, vir Dei efficaciora arma corripiens, ad altare ſanctum oblaturus & ſupplicaturus accedit; intrauerunt Eccleſiam quibus licebat diuinis intereſſe myſteriis: Comes ſuſtinebat pro foribus. Peractis igitur conſecrationibus, & pace data & diffuſa in populum, homo Dei iam non ſe agens vt hominem, corpus Domini ſuper patenam ponit, & ſecum tollit, atque ignea facie & flammeis oculis, non ſupplicans, ſed minax foras egreditur, & terribilibus aggreditur verbis Ducem: (non ſolùm enim erat Pictaniæ Comes, ſed etiam Dux Aquitaniæ) Rogauimus te, inquit, & ſpreuiſti nos: ſupplicauit tibi in altero, quem tecum habuimus, conuentu ſeruorum Dei ante te adunata multitudo, & contempſiſti: Ecce ad te proceſſit filius Virginis, qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ quam tu perſequeris: Adeſt iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur cæleſtium, terreſtriũ, & infernorum: Adeſt iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet: Nunquid & ipſum ſpernes? nunquid & ipſum ſicut ſeruos eius contemnes? Lachrymabantur vniuerſi, & orationibus intenti præſtolabantur exitum rei: & omnium ſuſpenſa expectatio, neſcio quid diuinum fieri cœlitùs expectabat. Videns Comes Abbatem in ſpiritu vehementi incedentem, & ſacratiſſimum Domini corpus ferentem in manibus, expauit & diriguit, membríſque tremebundis metu diſſolutis, quaſi amens ſolo prouoluitur: eleuatus à militibus rurſum in faciem ruit, nec cuipiam aliquid loquens, aut intendens in aliquem, ſaliuis in barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulſans, acclinum ſurgere iubet, & ſtare ſupra pedes, & Dei audire ſententiam: Præſens eſt, inquit, Pictauienſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti, vade & reconciliare ei, & in oſculo ſancto pacis cum eo*

iungito fœdera, & ipſe ad ſedem ſuam eum reducito, & ſatisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerſo principatu tuo diuiſos & diſcordes ad charitatis reuoca vnitatem; ſubdere Innocentio Papæ, & ſicut ei vniuerſa obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo, tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus ſancti, & ſanctorum Sacramentorum præſentiâ victus, non audebat reſpondere, nec poterat, ſed ſtatim occurrit & in pacis oſculo recepit Epiſcopum, & eadem qua eum abiurauerat manu, cum totius exultatione ciuitatis ad ſedem reduxit, ſed & deinceps Abbas cum Comite iam familiariùs, & ſuauiùs loquens, paternè eum monuit, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Hæc ibi.

CAPVT VIII.

De myſteriis patenæ ſacræ ex priſcis interpretibus Eccleſiaſticorum rituum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.

IN libello, qui Ordo Romanus inſcribitur, quando inchoatur Canon, venit Acolythus habens ſub humero ſindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus in parte dextra vſque ad medium canonem. Tunc Subdiaconus ſequens ſuſcipit eam ſuper planetam, & venit ad altare ſpectans, quando eam ſuſcipiat Subdiaconus regionarius: finito verò Canone, Subdiaconus regionarius ſtat cum patena poſt Archidiaconum, quando dixerit (Pontifex) *& ab omni aduerſitate ſecuri*, vertit ſe Archidiaconus, & oſculatam patenam dat ſecundo Diacono; ſed extra Papæ præſentiam, Subdiaconus & Diaconus repræſentant patenam, quam Sacerdos accipiens oſculatur, & cum ea ſignum crucis facit in facie. At vbi Sacerdos ſolus celebrat, dum dixerit *ab omni perturbatione ſecuri*, eàm de ſub corporali abſconditam recipit, & oſculatam in altari deponit, vt hoſtiam in ea confringat.

Amalarius Fortunatus, lib. 3. de Eccleſ. offic. c. 27. cuius titulus eſt *de præſentatione patenæ*, illa omnia quæ fiunt circa patenam, ſignificare cenſet piæ ſollicitudinis officia, quæ mulieres circa Domini ſepulchrum præſtiterunt. Micrologus idipſum arbitratur de Eccleſiaſticis obſeruationibus c. 17. Honorius Auguſtodunenſis rem eamdem cæremoniis eiuſmodi ait inſinuari, quas ſic explicat lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, c. 48. inſcripto, *De Acolytho qui patenam tenet, quòd Nicodemum figuret;* ſic porro theoriam illam elucidat: *Acolythus infrà Canonem, patenam inuolutam tenet, quam hic Subdiaconus defert; Subdiaconus præbet Archidiacono, quam ipſe oſculatam, vni de Diaconibus ad tenendam, & corpus Domini in ea confringendum porrigit. Acolythus qui patenam tenuit formam Nicodemi gerit, qui mirrham, & aloë ad ſepulturam Domini attulit. Porrò Subdiaconus, & Diaconus cum alio Diacono patenam tenenti, tres Marias præferunt, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt. Dum ſeptem*

petitiones in Dominica oratione dicuntur, Diaconi inclinati ſtant, & communione confirmati expectant, quia Apoſtoli ſeptem hebdomadas poſt mortem Christi firmari à Spiritu ſancto expectabant: Subdiaconi interim quieſcunt, quia mulieres in Sabbato quæ ſeptima dies eſt, ſiluerunt. Hæc Honorius, qui potiùs ingenioſè quàm ſolidè mihi videtur ritus eiuſmodi perſcrutari. Innocentius III. lib. 6. Myſteriorum Miſſæ inhæret quidem eidem ſententiæ, quòd ritus circa patenam ſepulturæ Domini ſignificet myſteria: hæc verò ſic exponit: *Hi* (ſcilicet miniſtri) *tam numero quàm obſequio*, inquit, *ſanctas illas mulieres ſignificant, de quibus narrat Matthæus, quòd veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum. Præſentemus ei patenam, id eſt cor patens latitudine charitatis in obſequium ſepulturæ, iuxta quod legitur, quia mulieres emerunt aromata &c. Hanc ergo patenam, id eſt cor amplum latitudine charitatis Sacerdos accipit, id eſt Chriſtus acceptat. Quia verò crucifixus ardenti deſiderio quærebatur, iuxta quod Angelus inquit mulieribus, ſcio quod Ieſum quæritis crucifixum, idcirco crux cum patena ſignatur in facie Sacerdotis &c.* ita Innocentius.

Cæterùm de patenæ myſterio, nemo eſt, qui meliùs mihi ratiocinatus videatur Hildeberto Archiepiſcopo Turonenſi, qui in inſigni Carmine *de Miſſæ officio atque myſteriis*, ſub finem, ita cecinit de cruce, calice, patena & ſindone, ipſóque Domino myſtico ritu immolato:

Fit cibus hic ouis in ligno, leo fortis in vrna,
Ales ad aſtra volans, Rex ſuper aſtra ſedens.
Néve putes illi tumulúmve, crucémque deeſſe,
. . . .
Ara crucis, tumulíque calix, lapidiſque patena,
Sindonis officium, candida byſſus habet.

Tametſi in quibuſdam exemplaribus vltimi verſus, huius ſint texturæ,

Ipſe calix tumulum denotat, ara crucem.*
Vtque fides adſit, terrórque recedat & horror,
Fit cibus ipſe caro, panis imago manet.

* Hîc cum calice patenam intelligit, quæ eius eſt pars quædam indiuiſa.

Hactenùs Hildebertus; cuius Carmen prædictum extat ad calcem eius epiſtolarum, Biblioth. Sanctorum Patrum tom. 3. Alluſiſſe ad hos Hildeberti modulos mihi videtur Petrus Bleſenſis, annos circiter centum illo poſterior, in poëtico tractatu *de ſacro-ſanctis Venerabilis Euchariſtiæ myſteriis*; cuius opuſculi c. 25. penultimo ſcilicet, ita cecinit, tametſi incultiori verborum ſerie, & metrico nexu parumper rudiori:

Chriſtum cottidie deuotio preſbyterorum
Mactat in altari, mactator, & ipſe ſacrorum,
Panis fomentum vitæ, vinúmque ſacratur,
In cruce ſuſpenſus Saluator commemoratur.
Ara crucis lignum, ſignátque calix monumentum:
Hîc obit, hîc dormit Chriſtus, dat vtrumque momentum,

Agnus in hac, leo fortis in hoc ſurrexit, & ales
Aſtra petens; aquilas ad ſe trahit ſpirituales.

Facem vtrique prætuliſſe, mihi Rabanus Maurus videtur, ſic ſcribens lib. 1. de Inſtit. Clericorum, c. 33. *Immittitur ſuper altare corporalis pallium, quod ſignificat linteum quo corpus Chriſti inuoluebatur*, &c. *Ponuntur quoque tunc vaſa ſancta, quod calix eſt & patena, ſuper altare, quæ quodammodo Dominici ſepulchri typum habent, quia ſicut tunc corpus Chriſti aromatibus vnctum in ſepulchro nouo, per officium condebatur: ita modò in Eccleſia, myſticum corpus illius, cum vnguentis ſacræ vnctionis conditum, in ſacris vaſis ad percipiendum fidelibus per Sacerdotum officium adminiſtratur.* Hæc Rabanus. Cæterùm ſi calix, & patena Chriſti tumuli typum gerunt: quid conuenientiùs quàm calicem ſepulchro, patenam verò lapidi ſuperpoſito, comparare?

CAPVT IX.

De Myſteriis patenæ, ritu Græco, ſecundùm theoriam S. Baſilij: necnon etiam Syriaco more, & iterum Latino vſu.

IN Anaphoris S. Baſilij, quæ Andreas Maſius ex vetuſtiſſimo Codice, Syriaca lingua & charactere ſcripto, Latinum in ſtylum traduxit: poſtquam Sacerdos fregit hoſtiam, de ea particulam demittit in calicem ſanguinis Domini, ac deinde patellam cum corpore Chriſti ſuſtollit, veluti oſtendit populo; túmque Diaconus inuitat populum ad ſacram ſynaxim. Hæc eleuatio hoſtiæ ſuper patenam, vt teſtatur Moſes Mardenus, in litteris ad præfatum Andream Maſium ſuum diſcipulum, apud Syros non eſt in vſu. Eleuant quidem corpus Domini, ſed nudum nunquam, at opertum ſindone ſacra. Apud Latinos autem eleuatio hoſtiæ fit quoties ſacrificium celebratur, ſed corpus Domini ſolùm attollitur, nec imponitur patenæ in exaltatione ipſa, niſi in die Paraſceues; ſic enim ſeruandum notat Manuale ſacrarum cæremoniarum, titulo de Feria ſexta in Paraſceue, art. 15. §. 18. *Dominica oratione dicta, celebrans genuflectit deuotè, atque erectus poſteà ſubmittit patenam hoſtiæ, quam dextera tantùm accipiens eleuat, ita vt à populo videri poſſit, &c.* Quid patena ſignificet, habes ſuprà ex Hildeberto Turonenſi, calicem eſſe inſtar ſepulchri, at verò patenam lapidis, quo tumulus ipſe Domini fuit opertus. Tamen ſi attendamus Græcorum ritum, qui Liturgiam S. Chryſoſtomi ſequentes, quotidie hoſtiam ſuſtollunt cum patena: eiuſmodi exaltationem fieri reor in memoriam Domini Aſcenſionis, qua ad dexteram patris clarificatus conſcendit; Patenam verò hoſtiæ ſuppoſitam, eſſe ſymbolum nubis, de qua prædixerat Propheta, *Qui ponis nubem aſcenſum*
Pſal. 103. 3. *tuum*, vnde S. Lucas Act. 1. ſignatim obſeruat, *& nubes ſuſcepit eum*

ab oculis eorum. Cæterùm eleuatio hoſtiæ quæ fit ſuper patenam in die ſancto Paraſceues apud Latinos, fieri in memoriam exaltationis Domini in cruce; ideóque cùm primùm patenæ imponitur à Sacerdote ante orationem Dominicam, Cæremoniale monet, contra quotidianum morem, non efformandum ſuper eum ſignum crucis per patenam, nec cùm dixit orationem *Libera nos Domine ab omnibus malis, non ſignat ſe cum patena* (habet ſacer ordo) *vt aliàs.* Cuius rei aliam non eſſe cauſam exiſtimo, quàm hac die ſpectari Chriſtum vt in cruce pendentem: patenam verò vicem tenere ipſius crucis, in qua Dominus ipſa die immolatus eſt.


CAPVT X.

De patenæ myſteriis iuxta ordinem diuini officij Gothici Muſtarabum.

EXTAT iſtius officij Ordo excerptus, & in Latinum ſermonem conuerſus ex Hiſpanico libro, de vita & rebus geſtis Franciſci Ximenis Ciſnerij S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopi Toletani ſcripta ab Eugenio Robleſio Parocho Toletanæ Eccleſiæ, editus ex Bibliotheca perilluſtris Domini Renati Poterij Epiſcopi Belloüacenſis, tom. 6. Bibliothecæ ſanctorum Patrum. In hoc autem, ſub titulo de ſacrificio Miſſæ, Muzarabico more, eiúſque cæremoniis, ritus eſt memorabilis. de fractione hoſtiæ, eiúſque diuiſione in nouem partes, ſingularúmque collocatione ſuper patenam; ſic autem habet ritualis illa ſeries.

In feſtis duplicibus, annique Dominicis, Sacerdos loco antiphonæ ad confractionem panis, ait, Dominus ſemper vobiſcum, ſtatímque ſubdit, fidem quam corde credimus ore autem dicamus. Tunc ſacramentum præ manibus habens ſupra calicem, Sacerdos, quem Chorus in hac parte comitatur, recitat ſymbolum Apoſtolorum, Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, &c. Et quia multi ſimul ſymbolum recitant, ideò dicunt, credimus, non credo, ſicut in officio Romano obſeruatur. Eſt autem locus hic admodum proprius ad fidem profitendam, cum adoratione veri corporis Domini noſtri. *Symbolo Apoſtolorum recitato, vel dum in Choro illud abſoluitur, frangit hoſtiam Sacerdos, & patenæ imponit, neque tantùm in tres partes eam diuidit, vt eſt mos officij Latini, verùm in nouem eam diſperſcit*, ſecundùm præcipua nouem fidei noſtræ myſteria in ſymbolo quod abſoluitur contenta: dúmque ſingulas partes frangit, ad earum quamlibet myſterij plena quadam profert, illáſque illo, quem dicturi ſumus ordine in patena diſponit,* * *diſpertit.*

* eſt Incarnatio.



* Epiphania.

Et ponuntur buccellæ, ſeu particulæ hoſtiæ ſic diuiſæ in nouem fragmenta hoc ordine ſuper patenam. Fractâ hoſtiâ, ſicque diſpoſitâ, Sacerdos ſacramentum reſpiciens meminit viuentium, & in eo Memento quod profert, omnes fideles Chriſtianos Chriſto commendat, nominatim verò eos qui ſacro interſunt. Commemoratione peracta dicit Sacerdos, Oremus, cum oratione vna, quæ propriè capitulum dici poteſt, éſtque quaſi præfatio quædam, & via ad Dominicam Orationem non diſcrepans ab ea, quæ in officio Romano incipit, Oremus, præceptis ſalutaribus moniti. *Præfatio verò hæc orationi Dominicæ connectitur, & ſub eorum finem reſpondetur Amen, vt ſuperiùs dictum eſt: finis autem Dominicæ orationis eſt, liberati à malo, confirmati ſemper in bono &c. Cùm verò ait Sacerdos,* Pone Domine finem peccatis noſtris, *pectus ſemel percutit &c. His dictis Sacerdos vltimam partium patenæ impoſitarum,* REGNVM *appellatam accipit ordine, & modo prædictis, dicénſque hæc verba,* Sancta Sanctis, & coniunctio corporis & ſanguinis, *calici iniicit, eáque ſanguini tunc commiſcetur. Res autem notatu digniſſima iſthic obſeruatur, quòd ſcilicet à Paſchate ad Pentecoſten, & in feſto Corporis Chriſti, Sacerdos præ manibus habens, tenénſque ſupra calicem præfatam particulam* REGNVM, *ter alta voce effert, quaſi canens hæc verba, quæ Chriſto quaſi mortis victori celeberrimo gratulari videntur:* vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid; *quibus reſpondetur ſingulis vicibus,* qui ſedes ſuper Cherubim, radix Dauid, Alleluia. *Statim verò Sacerdos, aut Diaconus populum hortatur, vt humilitatem exhibeat in benedictione ſuſcipienda his verbis,* Humiliate vos benedictioni. *Sacerdos verò eam impertit cum tribus ordinariis petitionibus, quarum cuilibet reſpondetur* Amen. Ita ibi.

CAPVT XI.

De myſtico ritu Patenæ, apud Indos.

IN Miſſa qua vtuntur antiqui Chriſtiani Epiſcopatûs Angamalenſis, in montanis Malabarici regni apud Indos orientales, expurgata ab erroribus, & blaſphemiis Neſtorianorum, ab illuſtriſſimo Domino Alexio Macreſio Archiepiſcopo Goano, Indiæ Primate, in Synodo Diœceſana Angamalæ anno 1559. è Syriaco in Latinum ſermonem conuerſa, &c. quæ edita extat Tom. 6. Bibliothecæ ſanctorum Patrum, ſub hac inſcriptione: *Miſſa Chriſtianorum apud Indos. Sacerdos frangens hoſtiam per medium dicit; Accedimus, Domine mi, fide veritatis nominis tui, ad hæc ſancta myſteria, ac pietate tua frangimus, & miſericordia tua ſignamus corpus, & ſanguinem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; tum Sacerdos partem hoſtiæ, quam manu ſiniſtra tenet imponit patenæ, alteram verò ſanguine intingit vſque ad medium dicens, Signetur ſanguis pretioſus corpore ſancto Domini noſtri Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & particulâ ſanguine inductâ ſignat alteram partem, & ſuperponit patenæ dicens, Signetur corpus ſanctum ſanguine propitiationis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et coniungens ambas particulas ad inuicem dicit, Prædeſtinata ſunt, conſecrata, perfecta, abſoluta, & coniuncta ad inuicem, myſteria hæc ſupergloriosa, ſancta, & viuificantia, & diuina, in nomine venerabili, & præclaro Trinitatis ſupergloriosæ, vt ſint nobis, Domine mi, in propitiationem delictorum, & in ſpem magnam reſurrectionis ex mortuis, & innouationem vitæ in regno cæleſti.* Hæc ibi.

COROLLARIVM.

De Patena.

IN veteri libello iam citato, cui titulus eſt, *Alphabetum Sacerdotum,* quo Ordo Miſſæ ritu Gallicano deſcribitur, mos iſte obſeruandus ſignatur in fine Miſſæ, vt *poſtquam Sacerdos dixerit Ite Miſſa eſt, Placeat tibi ſancta Trinitas, &c. oſculetur altare, deinde dicat, ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Tum faciat crucem cum Patena & dicat, Oremus, Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Soli Deo honor & gloria.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS PARS ALTERA.

DE MVLTIPLICI SACERDOTVM munere ac officio in Eccleſia Dei

LIBRI QVINQVE.

Ex Pontificali Romano, titulo de ordinatione Preſbyteri, in admonitione ad ordinandos.

SACERDOTEM OPORTET OFFERRE, BENEDICERE, PRÆESSE, PRÆDICARE, ET BAPTIZARE.

Auctore ANDREA DV SAVSSAY *Pariſino, J. V. Doctore, Concionatore Regio, Illuſtriſſimique, & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Pariſienſis Vicario Generali, necnon fori Eccleſiaſtici Ordinarij ac Metropolitani Præſide.*

PRÆFATIVNCVLA.

RECTE, ſapienter, ac prorſus diuinè S. Carolus, alter ille ſuperioris ſæculi Ambroſius, cuius zelo, pietate,& doctrina, Eccleſiæ decor (qui lapſu temporis nonnihil emarcuerat) toto ferè orbe Chriſtiano refloruit; in Concilio V. Mediolanenſi, modum examinis præſcribens, quo qui ad Ordines promouendi ſunt, interrogari debent: hæc de iis qui ad Preſbyteratum aſpirant, examinandis conſtituit: *Vt ab iis qui Sacerdotio initiari volunt, hæc ſigillatim perquirantur: an piè ac fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, an ſpectata pietate, atque caſtis moribus, an præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab iis expectari poſſint? Hæc præterea quærantur: Quid ſit Miſſæ ſacrificium, qui illius effectus, quæ eiuſdem partes, quæ neceſſaria in eo inſint, quæ ſacrarum veſtium ſignificationes, quæ in eo ſacrificio offerendo requirantur; vbi, & quando illud fieri non licet, quæ dubia aliquando incidere poſſunt, quæ explicatione opus habeant, vt illud rectè fiat? tum experimentum eorum, ex præſcriptis infrà regulis*, &c. Loci huius non eſt ſingula hæc accuratim expendere, cùm priora quæſita, non tam ſint de iure, quàm de facto. Nam ſi Ordinandi ad Sacerdotium, ſe in inferioribus gradibus & officiis, piè ac fideliter geſſerint, ſi ſpectata pietate atque caſtis moribus: hoc non pendet ſolùm ab Eccleſiaſtica theoria, neque à praxi præſcripta à ſacris Canonibus, & Pontificiis monitis; ſed maximè ab vſu, actibúſque particularibus Clericorum, Sacerdotij candidatorum, Canonicæ diſciplinæ conſonis, vel aduerſis. Si verò præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab iis expectari poſſint, inquiſitionis eſt Examinatorum, quorum curæ ac diligentiæ officium eſt, prænotionem optandi huius ſucceſſûs, ex ſpectatis circumſtantiis, perſonarum, loci, & temporis elicere. Cæterùm quoad ſacrarum veſtium ſignificationes, illas priori parte huius operis luculenter explicauimus. Porrò quid ſit Miſſæ ſacrificium, Polemici Theologi, aduersùs huius temporis Hæreticos copioſè docent; qui ſint eius effectus & partes, Scholaſtici demonſtrant; denique quænam in ipſo ſacrificio ritè offerendo requirantur, Theologi Morales, Doctoréſque ſacrorum Canonum, fuſis tractationibus exponunt. Eapropter nihil ferè nobis hîcupereſſe

videtur, quo de re tam diuina impræſentiarùm diſſeramus, cùm abundè ac ſufficiẽter, à tot tantíſque Scriptoribus de ea fuerit hactenus pertractatum. Sed verò operis ratio non permittit, vt de diuini huius muneris myſterio, eiuſdémque miniſterio penitus hîc conticeamus. Fruſtra enim Sacerdotem Panopliâ ſacrarum veſtium in priori parte huius operis inſtruximus, niſi in hac altera ipſos actus, ad quos ſignificandos ornatus ille totus deſtinatur, operam demus ad amuſſim exprimere doctrinæ ac diſciplinæ Eccleſiæ Catholicæ. Communis eſt equidem omnibus Sacerdotibus noui Teſtamenti, ſacrificandi poteſtas, quorum hæc ſumma dignitas eſt, & ſacra corona. Quamobrem cuilibet promouendo ad tam ſublime munus, dicit ordinator Pontifex: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptiZare.* Igitur *offerre* eſt fons, radix & apex actuum omnium Sacerdotij noſtri. Cæterùm huius poteſtatis vſus (ingentis cùm ſit momenti) nos pleraque noſſe expoſtulat: primùm ratione ſubiecti, & rei oblatæ: item & obiecti ſacrificij, deinde conſideratione finis propter quẽ offertur: poſtmodum etiam reſpectu principij, & auctoris huius ſacrificij, denique ratione vſûs & officij; ſiquidem vt vicariam Chriſti perſonam hîc gerit Sacerdos, ſic eius intentum ſequi, & exemplum gnauiter imitari debet. Hæc ſunt quæ primo hoc libro alterius partis huius Panopliæ, ſtatuto ordine explicanda, diuino confidentes auxilio (ſine quo nihil ſumus, nihil poſſumus) ad æternæ Maieſtatis gloriam, Eccleſiæ decus, Sacerdotum inſtructionem, & totius populi Chriſtiani vtilitatem, vltrò iam aggredimur, aurei illius moniti Vincentij Lerinenſis nuſquam immemores: *Depoſitum cuſtodi (ait Apoſtolus) id eſt talentum Catholicæ fidei inuiolatum illibatúmque conſerua: aurum accepiſti, aurum redde; ne plumbum, ne æramenta ſupponas: eadem quæ didiciſti, ita doce, adorna, illuſtra, vt cùm dicas nouè, non dicas noua.* Tantùm enim abeſt vt noua hoc in opere ingeramus: quin potiùs Nouatores (vocũ ſcilicet profanarũ, quas horret Apoſtolus, propolas) ſacro-ſanctæ antiquitatis auctoritate, acerrimóque diuinæ veritatis gladio, viriliter (vt pio & erudito Lectori, diſſertationem iſtam attentè, & ſeriò peruoluenti, palam fiet) à ſacri altaris venerandis adytis, temerandis; aduerſus quæ vt ſordidi muli, magno Antonio pridem (indicante Deo) viſi, ferociter calcitrant, ab hoc inſano impetu coërceamus: *Sanctáque,* procul miſſis profanis, *Sanctis,* vt pium, & æquum eſt, vindicemus. Apud nos enim inconuulſis radicibus Catholicæ fidei, viuit antiquitas, cui ſacri Canones, ab initio, in Eccleſia perenniter obſeruati, inuiolabilem ſanxerunt reuerentiam.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS PARS ALTERA.

LIBER I.

DE OFFICIO SACERDOTIS: quatenùs ad offerendum Deo ſacrificium ordinatur.

CAPVT PRIMVM.

Corpus & ſanguinem Domini, eſſe id ſacrificium quod in Miſſa propriè offertur & ſacrificatur.

SACRIFICIA omnia ſeu ratione materiæ, ſeu ratione formæ, aut modi quo offeruntur, ſeu ratione principij, aut ratione finis, vſúſque, & officij quo celebrari ſolent ac debent, conſiderantur. Hoc præfixo generali theoremate, hîc imprimis dicendum reſpectu materiæ, ſeu rei oblatæ, quid ſit ſacrificium quod noui Teſtamenti Sacerdotes ex iniuncto diuinitùs munere, iugiter Deo offerunt in Eccleſia. Huius quæſtionis ſolutio in præſentis capitis inſcriptione ſufficienter exprimitur: ſiquidem (vt præſignauimus in titulo) corpus & ſanguis Domini eſt id ſacrificium, quod in Miſſa propriè offertur & ſacrificatur. Dogma hoc eſt Catholicum, ab Apoſtolis traditum, ab Eccleſia ſemper & vbique creditum & prædicatum; denique aduersùs hæreticos aſſertum, & confirmatum, in poſtrema Synodo Oecumenica, ſeſſ. 22. c. 1.

&c. vbi ſacroſanctum Concilium ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini, Deo patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis (quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat) vt ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit.* Quæ verba Nouatores etſi nonniſi cum fremitu audiant: tamen ab Apoſtolicorum diſcipulis, eorúmque auditoribus iam olim pronunciata, non eſt quod inficientur, ſic enim ante annos 1500. edoctus in Apoſtolicorum virorum ſchola ſcripſit S. Irenæus, lib. 4. contra Hæreſes, c. 32. *Eum qui eſt ex creatura, panem* (Dominus) *accepit, & gratias egit dicens, Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundùm nos, ſanguinem ſuum confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo Mundo.*

ARTICVLVS I.

Vnicum, & proprium noui Teſtamenti ſacrificium eſſe Chriſti corpus & ſanguinem; nec aliâ potuiſſe hoſtiâ legem gratiæ conſecrari & propagari. Ad quam oblationem legis antiquæ omnia ſacrificia, vt ad rem vmbra, ad archetypum figura referebantur, & in ea conſummantur.

ERANT quid em in lege veteri, variæ ſacrificiorum ſpecies, ſed ad quatuor capita præcipua referebantur, quæ videlicet hæc erant: holocauſtum, mincha, hoſtia pacifica, & victima pro peccato.

I. Victima holocauſti, ſecundùm legem (Leuit. 7. 8.) maſcula eſſe debebat & integra, totáque Deo comburebatur, excepta pelle, quæ Sacerdoti cedebat ſacrificanti. Sumebatur verò ex bobus, vel ouibus, aut capris, aut ex turturibus, & columbis, Leuit. 1. Tamen ex ſolis agnis fieri poterat iuge ſacrificium: præceptum enim diuinum erat, vt quotidie in holocauſtum duo agni offerrentur, alter mane, alter veſpere (qui tota nocte cremabatur) cum decima parte ephi ſimilæ, quæ conſperſa eſſet oleo, quartæ partis Hin, cui infundebat Sacerdos eiuſdem menſuræ vini quartam itidem partem. Num. 28. 3.

II. Mincha ſacrificium erat farreum, quod offerebatur, vel ex ſimila, vel ex ſpicis, vel panibus coctis ſiue clibanô, ſiue ſartagine, ſiue craticulâ, Leuit. 2. Sale, Mincha condiebatur, eíque infundebatur oleum, & imponebatur thus, ſed ſine fermento, & abſque melle offerebatur. Ex ea pugillus cremabatur Deo, reliquum Sacerdoti cedebat.

III. Hoſtia pacifica, erat bos, ouis, aut caprá. Ex ea primò ſanguis, & adeps cum renibus, & cauda ſi eſſet ouis, Deo adolebatur. Secundò pectus, & armus dexter erat pro parte Sacerdoti ſacrificanti, ſed caro reliqua cedebat lucro offerenti, Leuit. 3. Immundus non

comedebat ex ea. Leuit. 7. 20. ſed ſoli mundi, tam mares quàm fœminæ, idque primo die, ſi eſſet hoſtia gratiarum actionis: vel etiam ſecundo die, ſi eſſet hoſtia votiua & ſpontanea, ſi quid ſupereſſet tertio die, igne comburebatur. Leuit. 7. 15.

Hoſtia pro peccato per ignorantiam commiſſo à Pontifice, vel populo, erat hircus: à plebeio, erat hircus, vel capra, aut ouis. Leuit. 4. Ex hac ſanguis, adeps, renes, & cauda Deo cremabantur, reliquam partem comedebant Sacerdotes cum pueris maſculis. Leuit. 6. 6. Qui calumniam aut iniuriam proximo fecerat, offerebat pro peccato arietem.

Cæterùm victima quælibet debebat eſſe integra, ſine macula, nec admitti poterat, ſi eſſet cœca, fracta, ſcabioſa, &c. Leuit. 22. ſi eſſet ex carne, libamina ſua habebat, ſimilam, oleum, vinum, thus, ea menſura quæ Num. 15. 4. præſcribitur. Erant inſuper ſolennes oblationes primogenitorum, primitiarum, & decimarum. Et offerre poterant filij Iſrael pro fabrica, & ornatu Tabernaculi, aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum byſſum, pilos, caprarum, pelles arietum, ligna Setim, oleum, aromata, lapides onychinos, & gemmas. Exod. 25. Varia denique erant ſacrificia pro Nazaræis conſecrandis, pro leproſis expiandis & emundandis, pro mulieribus menſtruatis, pro hæmorrhoiſſis, & quibuſlibet immundis. Leuit. 15. &c. præter ſacrificium vitulæ rufæ, quæ ſolenni ritu cremabatur à Pontifice extra caſtra, cum ligno cedrino, cocco bis tincto & hyſſopo, cineréſque eius ſuper populum cum aqua luſtrali ſpargebantur, Num. 19. Heb. 9. Et ſacrificium agni Paſchalis, Exod. 12. quod ſemel dumtaxat quolibet anno offerebatur. Erat prætereà peculiare ſacrificium in feſto Expiationis, quod à ſolo ſummo Sacerdote offerri poterat. Leuit. 1. Materia igitur ſacrificiorum quorumlibet, duplicis generis erat; nam erat ex rebus animatis, vel ex rebus inanimatis. Non omne genus animantium poterat Deo ſacrificari, ſed octo dumtaxat quæ tantùm ſibi offerri præſcripſerat. Hæc erant, ouis, capra, hædus, bos, vitulus, columba, paſſer, & turtur.

Res inanimæ quæ ſacrificabantur, vel erant liquidæ, vt ſanguis, vinum, oleum: hæc effuſione offerebantur; vel erant ſolidæ, vt panis, ſimila, ſal, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum: hoc leuabat Sacerdos in altum, varieque conficiebat & immutabat; in qua immutatione conſiſtebat ratio ſacrificij: nam panis in fruſta diſſecabatur; ſimila ſartagine, clibano, vel craticula coquebatur; ſal vrebatur, thus adolebatur, manipulus ſpicarum torrebatur, triticum conterebatur.

De horum ſacrificiorum virtute & efficacia, diſputationem mouerunt Nouatores; docent enim per ſacrificia vetera æquè ac per nouæ legis ſacramenta homines fuiſſe reconciliatos, peccata expiata, beneficia impetrata, Deóque gratum æquipariter fuiſſe cultum redditum. Ratione hac nituntur, quòd etiam noſtra ſacramenta gratiam ex opere operato non conferant, ſed fides quam ipſa excitant,

ceu motiua, indicia, & ſigilla gratiæ; tam noua etenim, quàm vetera ſacramenta, ſeu ſacrificia non iuſtificare niſi per fidem quam excitant pari modo. Quod dogma hæreticum eſt, nam è diametro pugnat cum vniuerſa Apoſtoli doctrina, maximéque cum tota eius epiſtola ad Hebræos, in qua diſertè ait c. 7. *reprobationem factam fuiſſe prioris mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum legem adduxiſſe, fuiſſe verò introductionem melioris ſpei, per quam peruenimus ad Deum. Tabernaculum prius fuiſſe vmbratile, & figuratiuum, reſpectu noui quod fixit Deus & non homo*, c. 8. ſacrificia vetera (quæ alibi vocat *egena & infirma elementa*, Gal. 4. 9.) deſeruiſſe *ſicut vmbras nouis quæ ipſorum exemplaria ſunt, quin & illa terrena fuiſſe, iſta porrò eſſe cœleſtia, Chriſtum longè meliùs quàm Aaron, & eius ſequaces Pontifices & Sacerdotes, ſortitum fuiſſe miniſterium, noui eſſe Teſtamenti Mediatorem, quod in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt. Hoc nouo Deum veterâſſe prius*, quod iam *ob imperfectionem* per ipſum nouum antiquatum eſt. *Tabernaculum vetus fuiſſe parabolam temporis inſtantis*. c. 9. *iuxta legem oblata fuiſſe munera, & hoſtias quæ non poterant ſecundùm conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodò fuiſſe illa ſacrificia in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis* &c.

Heb. 10. 1. &c. ibidem. *Legem habuiſſe vmbram, & futurorum bonorum, non ipſam imaginem* (ſeu vt legit Syrus interpres, *Kenuma*, ſubſtantiam) *rerum*: vel vt ex autographo intelligit ſanctus Chryſoſtomus, *veritatem*: & ſolidè prorſus ac perappoſitè, nam vt ait Ioannes Baptiſta apud Euangeliſtam, *Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ioan. 1. 16. Multum eſt igitur diſcriminis inter ſacrificia, ſacramentáque legis Moſaïcæ, & legis gratiæ, cuius auctor, & mediator eſt Chriſtus. Nec verum eſt parem vim reconciliationis, placationis, expiationis, propitiationis, impetrationis habuiſſe priſcæ legis ſacrificia atque ſacramenta, ac noſtra: fatentur tamen Theologi vim quandam expiationis, veniæ, & propitiationis, quin & impetrationis fuiſſe ex antiquis illis religionis adminiculis, priſcæ legis cultoribus impertitam. Sacrificia enim veteris Teſtamenti valebant ad expiationem peccati quoad pœnam temporalem, & quoad immunditiam legalem, non quoad culpam, & pœnam gehennæ, niſi per modum ſigni, vt mox dicetur. Hæc porro ratio eſt cur lex non inſtituerit ſacrificia pro omnibus peccatis, ſed ſolùm pro peccatis ignorantiæ, præſertim contra cæremonias legis, vt patet Leuit. 4. & 5. & etiam pro peccatis in damnum proximi, in rebus externis, & pro periurio, ex cupiditate habendi res alienas prolato. Leuit. 6. Pro aliis peccatis grauioribus, vt pro blaſphemia, adulterio, idololatria, nullum inuenitur ſacrificium, quia gratia remiſſionis peccatorum ſub Euangelio tantùm ex merito Chriſti ſperanda & obtinenda erat.

Vide Cardinal. Bellarm. lib. 2. de ſacramentor. effectu c. 18. int. init. & med.

Sed neque vim illam habebant expiationis peccati, quoad pœnam temporalem, & quoad legalem immunditiam, aut impetrationis beneficij cuiuſcumque, vetera ſacrificia, niſi quantùm ſigna erant futuri ſacrificij Chriſti. Piè, aptè, & pereleganter hoc inſinuat theorema

rema S. Chryſoſtomus ſerm. 25. in epiſt. ad Hebræos; *Sicut*, inquit, *regnantium ſtatuæ, quæ ſine ſermone atque anima ſunt nonnunquam ad ſe confugientibus hominibus anima atque ratione decoratu ſubuenire conſueuerunt, non quia ſunt ex ære confectæ, ſed quia retinent imaginem principalem; ita & ſanguis ille animalium, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberauit, non quia ſanguis fuit, ſed quia Chriſti ſanguinis præſignabat aduentum.* Sanguis agni Paſchalis fuſus ſuper poſtes domus cuiuſque Hebræorum, eos præſeruauit ab excidio, percuſſorémque Angelum ne feriret quemquam ipſorum ſua reuerentia cohibuit. Non virtute ſua hoc effecit iſte ſanguis, ſed quia ſanguinis Chriſti veri agni qui effundendus erat ſub lege gratiæ in remiſſionem peccatorum, ſignum myſticum erat. Sic enim habet ſacer textus Exod. 12. 12. *Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia: ego Dominus; erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis, & videbo ſanguinem & tranſibo vos (dicam enim*, vt ait alio loco, *Angelo percutienti, ceſſet hic manus tua.) Nec erit vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Quaſi diceret, ſanguis hic vobis ſalutis viæ erit ſignum, & teſſera, quòd non percutiet vos Angelus vaſtator, non quòd hoc ſigno corporeo indigeat, ipſe enim per ſe ſatis videt quæ ſint domus Hebræorum, in quibus comeditur Phaſe, & quæ Ægyptiorum; ſed quòd vos hoc ſigno tutelam, cuſtodiam & ſalutem expectare velit, ídque ob typum agni eius, qui ſanguine ſuo liberabit vos ab ira ventura & morte æterna.

Verùm hîc elabi contendunt Nouatores, ſpecioſæ diſtinctionis effugio: fatentur enim agnum Paſchalem fuiſſe figuram Chriſti, agni veri pro mundi ſalute immolati, ſed excipiunt hanc figuram fuiſſe impletam in cruce, in qua pro ſalute mundi factus obediens patri vſque ad mortem, oblatus eſt. Porro non abnuunt Theologi Chriſti ſacrificium in cruce fuiſſe per immolationem agni Paſchalis figuratum, proinde typicum illum agnum ad Chriſtum oblatum in cruce, ſicut ſignum ad rem ſignatam referri. Sed dicunt nihilominus ipſum agnum Paſchalem typum fuiſſe Euchariſtiæ, quin principaliùs, & immediatiùs figuraſſe Chriſtum in ſacrificio Miſſæ quàm in ſacrificio crucis, ídque patet ex circumſtantiis in lege præſcriptis. 1. Agnus Paſchalis decima quarta die primi menſis ad veſperam immolari debuit, Exod. 12. At paſſio Chriſti non incidit in diem 14. nec in veſperam, ſed in meridiem diei 15. Verùm Euchariſtiam inſtituit Chriſtus die 14. primi menſis circa veſperam. 2. Agnus immolabatur in memoriam tranſitus Domini, & liberationis populi de Ægypto: atqui Chriſtus non fuit crucifixus in memoriam tranſitus alicuius aut liberationis, ſed Euchariſtia celebratur in memoriam tranſitus Domini per paſſionem, ex hoc mundo ad Patrem, & liberationis noſtræ de poteſtate diaboli, quæ facta eſt per ipſam Chriſti mortem. 3. Agnus immolabatur vt manducaretur, & eſſet quaſi viaticum peregrinorum, nam ad hoc ſignificandum manducabatur

à Iudæis habitum peregrinorum præ ſe ferentibus, cum baculis, & calceis &c. Porrò Chriſtus non fuit crucifixus vt manducaretur, nec fuit vllus tunc, qui eum ſic immolatum manducauerit: ſed verò Euchariſtia nihil aliud eſt quàm refectio, & viaticum peregrinantium ad ſupernam ciuitatem, & vitam æternam. 4. Denique Agnus non poterat manducari, niſi à circumciſis & mundis hominibus, & in Ieruſalem. Ita Euchariſtia rite, & fructuosè non poteſt ſumi niſi à regeneratis, & emundatis, & intra Eccleſiam Catholicam exiſtentibus: Chriſtus verò non in domo, nec Hieroſolymis, ſed extra ciuitatem in cruce oblatus eſt, tam pro Iudæis, quàm gentibus & vniuerſo modo. His de cauſis communi conſenſu ſancti Patres docent Agni Paſchalis immolationem fuiſſe propriè, & adæquatè figuram, & ſignum myſticum ſacrificij incruenti, quo Chriſtus verus, & immaculatus Agnus in altari Deo offertur, & nobis datur, & communicatur. Quò ſpectans Apoſtolus nos ad huius ſacrificij participationem inuitat dicens, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur.* Quæ verba perpendens S. Ambroſius Com. in cap. 1. Lucæ, *Quando ſacrificamus*, inquit, *Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Eadem mente S. Cyprianus in ſerm. de Cœna Domini. *Cœna diſpoſita* (inquit) *inter ſacramentales epulas obuiauerunt ſibi antiqua inſtituta & noua; & conſumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.* Idem docet S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paſcha, magnúſque eius diſcipulus B. Hieronymus in c. 26. Matth. item S. Auguſtinus lib. 2. cont. litteras Petiliani c. 37. Iſichius in Leuit. lib. 2. c. 8. Gaudentius tract. 2. in Exod. S. Chryſoſtomus hom. de proditione Iudæ, tom. 3. *In ipſa menſa* (inquit, vltimæ Cœnæ Dominicæ) *vtrumque Paſcha & typi, & veritatis, celebratum eſt.* Et homil. 83. in Matth. *Veritatem figuræ adiunxit.* Sed elegantiſſimè S. Leo ſerm. 70. de Paſſione Domini. *Vt ergo vmbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſeruantia nouo tollitur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur.* Hinc clarè patet Agnum Paſchalem antiquæ legis, typum Chriſti in Euchariſtia immolati fuiſſe proprium, tantúmque ab hoc ſacrificio differre illud Paſcha typicum, quantùm vmbra à corpore, & figura à re ipſa, per eam adumbrata longè diſtat.

Alia omnia ſacrificia priſcæ legis eiuſdem ſacrificij noſtri ſigna quoque, & figuræ erant. Longum hoc eſſet per ſingula demonſtrare. ſtrictim igitur hîc aliqua, ſed præcipua hac de re puncta notabimus.

I. Holocauſtum ſe obtulit Chriſtus in cruce profuſa anima, vita, & toto ſanguine, paſſúſque in anima & corpore, in honore, denique vt ait Apoſtolus, tentatus per omnia, *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis.* Hinc peracto ſuo ſacrificio cùm iam ſpiritum emiſſurus erat, alta voce clamauit *Conſummatum eſt*, quia nihil reliquum erat quod facere, vel pati pro huma-

no genere ampliùs iam poſſet, *ſic vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*, Heb. 10. Ergo inferunt Nouatores, iam non relinquitur pro peccato hoſtia, ergo ſuperflua Miſſa eſt, nec ſacrificium eſſe poteſt, vt mundo hactenus fuit perſuaſum. Verùm toto cœlo aberrant, iiſque rectè aptari poteſt quod Chriſtus olim dixit Saducæis, *Erratis neſcientes ſcripturas*, ſi enim ſeriò attenderent quid importet figura holocauſti, à Chriſto adamuſſim impleta ſecundùm diuinæ legis præceptum, facilè deprehenderent quàm grauiter impingant, & miſerè hallucinentur.

Nihil ſolennius erat in veteri lege quàm iuge ſacrificium, quod quotidianum holocauſtum erat, præceperat enim Deus Exod. 29. Num. 28. ſingulis diebus duos agnos in holocauſtum offerri, vnum mane, & alterum veſpere, quod idcirco *iuge ſacrificium* appellabatur. Hanc figuram Chriſtus impleuit, ſemel ſiquidem in cruce viſibiliter & cruenter ſeipſum agnum immaculatum patri acceptiſſimum obtulit in holocauſtum, quaſi ſacrificium matutinum: nobis autem ſe ſub ſpeciebus panis & vini, modo incruento, iugiter vſque ad ſæculi conſummationem, quaſi ſacrificium veſpertinum, cuius tota nocte crematio perdurabat (Leuit. 6.) æterno Patri offerendum reliquit. Vnde ſignanter ſcribit Apoſtolus: *In qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens, hic calix nouam Teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* 1. Cor. 11. &c.

Nec obſtat quòd duo agni diuerſi olìm mane & veſpere ſeorſim offerebantur in holocauſtum, fieri enim non poterat vt qui mane immolabatur, & conſumptus fuerat ab igne, rurſum ad veſperam ſacrificaretur, & tota nocte crematetur: at Chriſtus qui in cruce oblatus eſt, idem eſt qui in Euchariſtia immolatur; modus eſt quidem diſſimilis, nam viſibiliter, & cruento modo crucifixus fuit, ſed in Euchariſtia inuiſibiliter, & incruenter ſe obtulit, offerendúmque in perpetuum præcepit mortem ſuam annunciando, hoc eſt memoriam matutini (id eſt prioris) ſacrificij in cruce peracti, hac in veſpertina, ſeu poſteriori oblatione iugiter celebrando. Sed agnus eſt idem prorſus qui vtroque modo immolatur: qui etſi fuerit verè in cruce mortuus, in ſepulchro tamen non corruptus, ſurrexit poſt triduum glorioſus, & nunc in Euchariſtiæ ſacrificio viuus & incorruptibilis perenni oblatione immolatur; quod egregiè S. Andreas ſua in paſſione profeſſus eſt, dum Ægeæ Proconſuli; qui cum ad nefaria ſacrificia impellebat reſpondit: *Ego omnipotenti Deo qui vnus & trinus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec vitulorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari: huius carnem poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus.* Eò ſpectauit Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, contemporaneus S Am-

broſij, tract. 2. in Exod. vbi totam agni celebrationem tam paſchalis quàm quotidiani, ad Euchariſtiæ ſacrificium, viuum & perenne memoriale crucis retulit: *In vmbra*, inquit, *illius legalis Paſchæ, non vnus agnus occidebatur, ſed plures. Singuli enim occidebantur per domos: nam ſufficere vnus non poterat vniuerſis.* Et paulò infrà. *Idem per ſingulas Eccleſiarum domos in myſterio panis & vini reficit immolatus, viuificat creditus, conſecrantes ſanctificat conſecratus; hæc enim agni caro, hic ſanguis eſt.*

Et verò neceſſe omnino fuit (quamuis ſacrificium crucis verum & perfectum eſſet holocauſtum) Euchariſtiæ ſacrificium à Domino inſtitui, ne ſcilicet coactè & inuitè paſſus & mortuus in cruce cen-
1. Cor. 1. 23. ſeretur: *Prædicamus Chriſtum* (ait vas electionis Paulus) *& hunc crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus verò ſtultitiam.* Probro vertebant Chriſtianis, quod hominem vili crucis ſupplicio interemptum mundi fuiſſe redemptorem crederent, & humano generi perſuadere niterentur. Rectè S. Leo, ſerm. 8 de paſſione Domini. *Exaltato per crucem Chriſto, non illa tantùm ſpecies aſpectui mentis occurrat quæ fuit in oculis impiorum; iſti enim nihil in Crucifixo Domino præter facinus ſuum cogitare potuerunt.* Paſſionem idcirco eius putabant fuiſſe ſupplicium, neutiquam ſacrificium: quamobrem Chriſtus ipſe crucem propè paſſu-
Ioan. 10. 17. 18. rus non ſemel obteſtatus eſt, *ſe ſponte ſua mori, pro ouibus vltro animam ponere. Proptereà me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo*, ſcilicet volente, lubente, & non coacto, nec inuito; ídque ipſum Iſaias expreſſè prædixerat, c. 53. *Omnes nos quaſi oues* (inquit) *errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. Et poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrorum, oblatus eſt quia ipſe voluit.* Verùm nutus iſte quo ſe vltro patri obtulit in ſacrificium confixus in cruce, hominibus incognitus erat, quibus externam ſpeciem duntaxat reſpicientibus, mors ipſa violenter inflicta ei fuiſſe videri poterat, niſi alia ſigna ipſe antea dediſſet, quibus mortem ipſam non fuiſſe ſontis hominis ſupplicium, ſed inſontis ſponte ſe tradentis pro mundi ſalute ſacrificium voluntarium palam oſtenderetur; *Anticipauit igitur ſacrificium crucis* ſui ipſius immolatione incruenta, oblatione pacifica dum ſacrificium Euchariſtiæ pridie ſcilicet quàm pateretur inſtituit. Id ſapienter iamdudum notauit arcanum S. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de Reſurrect. * *Pro ineffabili* (inquit) *arcanóque, & qui ab hominibus cerni nequit ſacrificij modo, ſua diſpoſitione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem ac victimam offert pro nobis, Sacerdos ſcilicet ſimul & agnus Dei. Quando hoc accidit? cùm ſuum corpus ad comedendum & ſanguinem ad bibendum familiaribus præbuit.* Hinc igitur luce clarius eſt quomodo quotidianum holocauſtum, ſeu iuge veteris legis ſacrificium, Miſſæ ſacrificium præſignificauerit, quod Chriſtus vt figuram eiuſmodi impleret ſimúlque ſpontaneam eſſe ſuam oblationem oſtenderet, & in perenne cruenti ſui holocauſti in cruce peracti cederet monimentum, in ipſius ſuæ mortis procinctu, apparatu tam ſplendido, ritu planè nouo, ſed modo prorſus miro ac verè diuino inſtituit. Rectè ad hæc Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 6. *In*

* Ἀλλὰ προλαμβάνει τῇ οἰκονομίᾳ τὴν ὁρμὴν κατὰ τὸ ἄῤῥητον τῆς ἱερουργίας εἶδος τοῖς ἀνθρώποις ἀόρατον, καὶ ἑαυτὸν προσφορὰν καὶ ἱερεῖον προσάγει ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ ἱερεὺς ἅμα καὶ ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. Πότε τοῦτο; ὅτε βρωτὸν ἑαυτοῦ τὸ σῶμα εἰς βρῶσιν.
S. Gregor. Nyſſ. orat. 1. de reſurr.

anguſtia paſſionis agonizans, priùs propriis manibus Deo patri ſemetipſum immolauit.

II. *Mincha* quoque figura fuit ſacrificij Euchariſtiæ. Vbi vulgata habet, Leuit. 2. 1. *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino;* iuxta Hebraïcum exemplar legitur; Oblationem Mincha, quod Aquila vetus interpres vertit *donum de frumento.* Mincha enim Hebræis propriè eſt ſacrificium, quod ex farre aut ſimila fit, ſiue coctа clibano vel ſartagine aut craticula. Communis eſt hîc Patrum obſeruatio, ſcilicet quod ſicut victimæ animalium iugulatorum, hoſtiæque cruentæ ſignificabant ſacrificium Chriſti in cruce occiſi; ita ſacrificium Mincha ſignificabat ſacrificium ipſius Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini. Hoc enim eſt illud ſacrificium Mincha ſacrificium purum & oblatio munda, quod Malachias in omni loco totóque orbe à Gentibus offerendum prædixit c. 1. 11. Quid enim purius Chriſti corpore, quod virtute Spiritus ſancti de Virgine natum eſt? Corpus illud incruentè hoc in myſterio immolatum oleo perfuſum eſt miſericordiæ, in clibano coctum, quoniam in ligno crucis aſſatum fuit igne ardentiſſimæ charitatis; thure fumigatum eſt, quia offertur Deo in odorem ſuauitatis; ſale aſpergitur, quia eſt ſumma cum reuerentia & diſcretione offerendum & ſumendum, ſine melle ob amaram memoriam Dominicæ paſſionis; ſine fermento, quia hic agnus innocens & impollutus ac abſque vlla macula immolatur, nonniſi puris corde apponitur ex ipſa ſacrificij lege: *Expurgate vetus fermentum* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 5. 7.) *vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azimi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis.* Quærunt Rabbini, cur poſt tot ac tanta ſacrificia victimarum, Deus hoc ſacrificium Mincha ſeu farreum inſtituerit? Varia varij dicunt, ſed aptior & ſimplicior hæc videtur eorum reſponſio qui aiunt, *propter pauperes;* Non enim omnium facultatis erat emere & offerre oues, capras, hœdos, boues, vitulos, columbas, turtures, &c. Sed facile erat pugillum ſimilæ, & pauculùm olei, thuris & ſalis inuenire, Deóque offerre, qui non tam pretium oblationis quàm offerentis pium affectum reſpiciebat. Quàm rara eſſet Euchariſtiæ oblatio, ſi materia ex qua conficitur, tanto eſſet pretio vt non niſi à diuitibus comparari poſſet? Proſpexit eò diuina bonitas & ſapientia rem pretioſiſſimam omnibus donans, (*Sic enim Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ioan. 3.) & exiguam à nobis exigens oblationem; tantillum panis & vini offerimus; Deus ea æquè tam à paupere quàm diuite acceptat. Sed omnipotentia ſua tranſmutat in dilectiſſimi filij ſui corpus & ſanguinem; quod oblatum ſuſcipit de manibus Sacerdotis in memoriam beneficiorum, in remiſſionem peccatorum, in gratiarum actionem, in ſummi cultus & reuerentiæ teſtimonium, in gratiſſimum munus & ſuauiſſimum ſacrificium. At de hac ſacrificij ſpecie pro inſtituto ſatis.

III. Iam verò pacifica hoſtia, quid magis meliúſve præſignabat

quàm ſacrificium illud incruentum ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui pane & vino ſimplici puróque ſacrificio Chriſti dedicauit Sacramentum? Melchiſedech, inquam, Rex ille iuſtitiæ & Rex pacis, quem viuam fuiſſe Chriſti imaginem Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos perſpicuis demonſtrat argumentis, adæquatiſque conuenientiis inſinuat. Pulchrè ad hæc glorioſus Martyr & pontifex Cyprianus lib. 2. ep. 3. *Quis magis Sacerdos* (ait) *Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Nec minùs diſertè & appoſitè S. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitat. Dei c. 22. *Ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum.*

S. Hieronymus in epiſt. ad Euagrium. de Melchiſedech.

IV. Hoſtia pro peccato, noſtri etiam ſacrificij fuit typus. Repugnare tamen videtur ipſe delectus hoſtiæ, quia quæ pro peccato commiſſo per ignorantiam, vel à Pontifice, vel à populo offerebatur, hircus erat. Chriſtus verò eſt agnus; Et agnus quidem immaculatus & puriſſimus, à quo longè differt hircus, qui animal fœtidum eſt & impurum, vnde electi per agnos & oues, reprobi per hircos in Euangelio deſignantur, Matth. 26. Nihilominus per hircum Chriſtus potuit bono ſenſu ſignificari, quemadmodùm dicitur leo, ſerpens, bos, vel vitulus. Siquidem bos appellatur non propter craſſitudinem & ſtupiditatem, ſed propter conſtantiam & patientiam; vitulus propter innocentiam; ita & ſerpens, non quidem propter ſerpentis malitiam, ſed propter prudentiam; ſic etiam dicitur leo neutiquam reſpectu furoris & rapacitatis, ſed fortitudinis & magnanimitatis; ſic & hircus Chriſtum quidem non ſignat in quantum ipſe hircus animal eſt petulcum & laſciuum, ſed propter alias rationes, ſcilicet ob laudabiles qualitates quæ myſticè Chriſtum eiúſque ſacrificium tam in cruce quàm in altari deſignant. Tritum eſt quod Naturaliſtæ de ſanguine hirci tradiderunt, adeo ſcilicet eſſe calidum, vt emolliat adamantem, cuius duritiam nec ferrum domare poteſt, *Sic charitate filij Dei* (quam maximè in cruce teſtatus eſt, quotidiéque in altaris ſacrificio, ſuíque amoris Sacramento nobis demonſtrat) *liquefacta eſt duritia mundi* (ait S. Aug.) *vt agnoſceret beneficium ſuæ redemptionis, quæ non agnouerat beneficium ſuæ creationis.* Inſuper clauſi erant cæli, quorum aditum nobis aperuit Chriſti ſanguis: *In ſanguine ſuo cœlorum nobis initiauit viam.* Mira longè plura dicunt de hirci ſanguine, nimirum quòd hirci hederâ nutriti miro modo calculum diſſoluit ſanguis, cornu eius exuſtum fugat ſerpentes & vlcera corrodit, fel eius viſum clarificat, iecur iuuat contra morſum canis rabidi, vrina cum felle leproſis ſalutem confert & lentigines tollit. Longè magis mira Chriſti ſanguis operatur in nobis. *Sanguis Chriſti* (ait dilectus Apoſtolus) *emundat nos ab omni peccato*, proinde & omni pœna peccati: huius ſanguinis meritum & virtus in ſacrificio Miſſæ nobis applicatur; vbi fit agnus immolatus, vera & vnica hoſtia pro peccato. *Clamat multo meliùs iſte ſanguis, quàm ſanguis Abel;* hic enim vin-

Plin. lib. 28. c. 4.

dictam poſtulat, ille verò gratiam inclamat, & miſericordiam: quapropter myſticum offerens Chriſtus calicem ſignanter ait, *hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui effunditur in remiſſionem peccatorum.* Nec enim tantùm eſt ſacrificium impetrationis, & gratiarum actionis, ſed etiam propitiationis, vt infrà dicetur.

Sed ſenſim longiùs progredior quàm putaram. Redeo igitur ad theorema præfixum, quòd nempe varia illa ſacrificia veteris legis fuerint omnia, typi & figuræ Euangelici ſacrificij quod in Euchariſtia celebratur. Sicut itaque figuræ ad res ſignatas referuntur; lineæ omnes à circulo tendunt in centrum, & hoc vnico puncto connectuntur; ſic planè, magnus ait Chryſoſtomus in Pſal. 95. *Omnia veterum ſacrificia, noua ſuperueniens gratia* (id eſt Euchariſtia) *vno completur ſacrificio:* Aliis verbis idem ait S. Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei c. 20. *Menſa* (inquit) *quam exhibet Sacerdos noui teſtamenti de corpore, & ſanguine ſuo, id eſt enim ſacrificium quod ſucceſſit omnibus ſacrificiis quæ immolabantur in vmbra futuri; propter quod etiam agnoſcimus vocem illam in Pſal. 39. eiuſdem mediatoris: Corpus autem adaptaſti mihi, quia pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus, corpus eius offertur* (Deo) *& participantibus miniſtratur.* † Idem quoque Leo Magnus effatur ſerm. 8. de paſſione Domini, elegantiſſima hac ſua ad ipſum Dominum apoſtrophe, *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante vna corporis, & ſanguinis tui implet oblatio; & ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gente ſit regnum.*

† Eò ſpectans Eccleſia, Dominica 16. poſt Pent. ſic orat in ſecreta Miſſæ, *Deus qui legalium differentias hoſtiarum, vnius ſacrificij perfectione ſanxiſti, &c.*

ARTICVLVS II.

Propter eximiam hoſtiæ dignitatem, quæ à Sacerdotibus noui Teſtamenti iugiter immolatur, iiſdem, & inferioribus altaris miniſtris, perpetuam continentiam fuiſſe iniunctam.

SI quod offertur in tremendis Myſteriis Sacerdos tanti ſacrificij miniſterio fungens attentiùs reſpiciat, bone Deus! quanta hîc, etiam pluſquam Angelica, ſanctitas requiritur? * *Terribilia atque horrifica fuerunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt,* (ait S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio) *quod genus fuerunt tintinnabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis, itémque alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intus quies atque ſilentium; at verò ſiquis ea quæ gratiæ tempus aduexit examinet, terribilia atque horrifica quæ dixi iudicabit eſſe admodum leuia; ac quod de lege à Paulo dictum eſt, hîc demum eſſe comperiet, quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte, propter eminentem gloriam, nam dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem ac preces fundentem &c. Etiam te ne inter mortales verſari cenſes?* Mox etiam Eliæ confert Sacerdotem, imò præfert dicens: ** *Adeſt Sacerdos non ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctum; is preces diuturnas fundit, vt flamma cœlitùs delapſa, ſacra appoſita abſumat, ſed vt gratia in ſacrificium influens per*

* Φρικτὰ μὲν καὶ φρικωδέστατα τὰ πρὸ τῆς χάριτος, οἷον οἱ κώδωνες, αἱ ῥοαί, οἱ λίθοι οἱ ἐπὶ τοῦ στήθους, οἱ ἐπὶ τῆς ἐπωμίδος, ἡ μίτρα, ἡ κίδαρις, ὁ ποδήρης, τὸ πέταλον τὸ χρυσοῦν, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἡ πολλὴ ἔνδον ἐρημία. ἀλλ' εἴ τις τὰ τῆς χάριτος ἐξετάσειε, μικρὰ ὄντα εὑρήσει τὰ φοβερὰ καὶ φρικωδέστατα ἐκεῖνα· καὶ τὸ περὶ τοῦ νόμου λεχθὲν, καὶ ἐνταῦθα ἀληθὲς ὄν. ὅτι οὐ δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης. ὅταν γὰρ ἴδῃς τὸν κύριον τεθυμένον, καὶ κείμενον, καὶ τὸν ἱερέα ἐφεστῶτα τῷ θύματι, καὶ ἐπευχόμενον.

** Ἕστηκε γὰρ ὁ ἱερεὺς, οὐ πῦρ καταφέρων, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ τὴν ἱκετηρίαν ἐπὶ πολὺ ποιεῖται, οὐχ ἵνα τις λαμπὰς ἄνωθεν ἀφεθεῖσα καταναλώσῃ τὰ προκείμενα, ἀλλ' ἵνα ἡ χάρις ἐπιπεσοῦσα τῇ θυσίᾳ δι' ἐκείνης τὰς ἁπάντων ἀνάψῃ ψυχάς. S. Chryſoſt. lib. 3 de Sacerdotio.

illud omnium animos inflammet. Ideò idem ſanctus Doctor orat. 4. contra Iudæos, hoc à Malachia, purum ſacrificium dicit nuncupari; *quia cum Moſäicis collatum, purum ſolum dici & cenſeri debeat.* Argumentis non eſt opus vt quantum ſit diſcriminis inter corpus Chriſti, & cruentas illas victimas, quæ in veteri lege de carne, & ſanguine brutorum animalium offerebantur, cuiquam vel mediocriter ſenſato perſuaderi poſſit. Idem os aureum Eccleſiæ, hom. 28. in 1. Cor. 11. non ſine indignatione ferre poteſt huius differentiæ diſcuſſionem, ſed tamen vnicam inducit conſiderationem, * *Si didiceris*, inquit, *diligenter qui ſit propoſitus, & quis ille ſeipſum exhibet, nullius alterius indigebis ratione, ſed hoc tibi ad omnem ſobrietatem ſufficiet, niſi ſis omnium ignauiſſimus.* Et hom. 83. in Matth. hoc ex principio Sacerdotes aggreſſus: *Quos* (ait) *radios ſolares, non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat?* Fuerunt in Eccleſia magni viri qui ſtuperent vehementer, quî fiat vt Sacerdotes tam parum ſollicitì eſſent de condigno ſuo ad tantum ſacrificium acceſſu, ad nonnullorúmque temeritatem attoniti putarent Sacerdotes illos manifeſtè ſe à fide excidiſſe prodere, qui rem ſacratiſſimam, myſteria tam tremenda, ſordidè & ſceleratè pertractare non perhorreſcunt. Characterem (inquiunt) habemus Sacerdotalem, proinde legitima poteſtate fungimur: nec de re dubitamus, nam credimus nos etſi peccatores verum Chriſti corpus recipere. At Sanctus ipſe Chryſoſtomus his friuolis argutiis rectè & ſolerter occurrit. *Cum fide enim accedere* (inquit) *non eſt vt propoſitum corpus tantùm recipias, verùm multò magis vt mundo corde tangas, vt ſic adeas quemadmodum ad ipſum Chriſtum.*

** Εἰ γὰρ μάθοις ἀκριβῶς τίς ποτέ ἐστιν ὁ προκείμενος, καὶ τίς ὢν τίνι ἑαυτὸν δίδωσιν, οὐδενὸς ἑτέρου δεήσῃ λόγου, ἀλλ' ἀρκεῖ σοι τοῦτο εἰς ἅπασαν νῆψιν, εἰ μὴ σφόδρα εἴης ἀναπεπτωκώς. Hom. 28. in 1. Cor. 11.*

Stapletonus & alij, &c.

Si priſcis Leuitis, & Sacerdotibus diuino dudum oraculo dictum eſt, *Mundamini qui fertis vaſa Domini?* At non hîc vaſa Domini, ſed ipſum Dominum ferunt Sacerdotes. Chriſtus etenim inſtituendo Euchariſtiam, ſeipſum ferebat in ſuis manibus: quod fecit, Sacerdotibus vt hoc ipſum facerent præcepit. Idcirco rectè à S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſ. 4. χριστόφοροι dicuntur. Ferant igitur Dominum puris manibus, ſi ex huius nominis & muneris, Angelis ipſis tremendi & reuerendi, velint merito gloriari. Docet S. Baſilius in breuioribus Regulis ad interrogat. 172. & poſt eum S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. c. 17. Fidem ſacrificij veritati adhibitam, mirabiliter & incredibiliter excitare ſacrificantis charitatem. Vigor ille Sacerdotalis, qui in primitiuæ Eccleſiæ Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & cæteris altaris miniſtris dudum inter Martyria refulſit, hoc ex fonte defluxit. At ex oppoſito tepor, imò frigiditas, quæ nunc in pleriſque Sacerdotum ac miniſtrorum conſpicitur, inde profectò manat, quòd fides eorum emortua, charitatis ignem nutrire non poſſit.

S. Auguſtinus.

Impuritas etiam multum officit ne tanti ſacrificij fructum percipiant, qui diuini altaris ſunt ex credito munere participes. Quàm eximia reuerentia huic debeatur ſacrificio, docuit Saluator quum ante plenam huius inſtitutionem diſcipulorum pedes lauaret in ſi-

gnum

gnum perfectæ puritatis, qua cum id celebrare ac diſpenſare conuenit. Hinc ortus ille ritus eſt, quo hodiéque ſacrificaturi Sacerdotes, manus ad altare lauare ſolent. Meminit huius obſeruationis antiquiſſimus Pater Dionyſius Areopagita in ſua Eccleſiaſtica Hierarchia, c. 3. p. 3. * *Aſtans coram ſignis ſanctiſſimis* (inquit) *Pontifex manus lauat cum honeſtiſſimo Sacerdotum ordine: quod quidem iuxta Saluatoris eloquium, is qui totus lotus eſt nulla alia, niſi tantùm ſummitatum, extremitatúmve ſuarum lotione indigeat, &c. Eos enim qui ad ſacramenta cœleſtia conficienda procedunt, eâ oportet eſſe munditiâ, vt ipſas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, ſicque ad reuerenda myſteria (quantum fas eſt) ſimilitudine puritatis accedere.* Et in epiſtola ad Demophilum, num. 8. ** *Si Sacerdotum ſanctus ordo is eſt, qui illuminat, procul dubio ille à Sacerdotali ordine, & virtute prolapſus eſt, qui illuminans non eſt, multóque ſanè magis qui neque illuminatus eſt.*

Ob ſacrificij Chriſtiani excellentiam fuiſſe cœlibatum ſacris Eccleſiæ miniſtris iniunctum, Patres & Theologi paſſim docent. Annexum enim volunt iure Apoſtolico ſacris ordinibus perpetuæ continentiæ debitum multas ob rationes; v. g. quia matrimonium impedit ſtudium orationis & lectionis, officium prædicationis, curam paſtoralem, pauperum ſolatium, ipſámque ſacramentorum adminiſtrationem: ſed cauſa præcipua cur cœlibes eſſe Sacerdotes, primarióſque eorum adminiſtros Apoſtoli voluerunt, Synodi decreuerunt, Patres docuerunt, præcipuo Sacerdotij officio quod ſacrificium eſt Euchariſtiæ, nititur, & ex hoſtiæ quam offerunt dignitate elicitur. S. Clemens epiſt. 2. ad Iacobum (ſeu potiùs Simonem) fratrem Domini, à Sacerdotio & altari arcendos ſtatuit quoſcumque myſterij Dominici miniſtros qui continentiam non ſeruant; *Adeò vt ſi poſt ordinationem, miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij* (inquit) *non intret limina, nec ſacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocauſti oblationem ſuſcipiat, nec ad Dominici corporis participationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus &c. vrceum ſiue calicem ad altare non ferat.*

Origenes primus Eccleſiæ poſt Apoſtolos magiſter, hom. 4. in Leuit. *Ante omnia* (inquit) *Sacerdos qui diuinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi.* Idem hom. 23. in Num. adducto illuſtri loco Apoſtoli, 1. Cor. 7. *Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi.* ſic infert, *Certum eſt, quia impeditur ſacrificium indeſinens iis qui coniugalibus neceſſitatibus ſeruiunt; vnde videtur mihi quòd illius eſt ſolius offerre ſacrificium, qui iugi & perpetuæ ſe vouerit caſtitati.* Euſebius Cæſarienſis lib. 3. demonſtr. Euangelic. c. 9. *Veruntamen eos qui parati, & ſacrati ſint, atque in Dei miniſterio cultúque occupati, continere deinceps à commercio vxoris decet.* Siricius Papa in celebri epiſtola ad Tarracon. ex qua Canonem collegit Gratianus, diſt. 82. c. *Plurimos*, inſigni decreto perpetuâ ſacrorum hominum continentiâ vindicatâ, ſignanter ait: *Vt integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerant*; laudatáque Apoſtolica de hac obſeruantia traditione, aliiſque Eccleſiaſticis ſanctionibus, *Quarum*,

* Ἑστὼς ὁ ἱεράρχης πρὸ τῶν ἁγιωτάτων συμβόλων, ὕδατι τὰς χεῖρας ὁ ἱεράρχης ἀπονίπτεται μετὰ τοῦ σεπτοῦ τῶν ἱερέων τάγματος. Ὅτι μὲν οὖν, ὡς τὰ λόγιά φησιν, ὁ λελουμένος οὐ δεῖται πλὴν ἢ τοὺς πόδας, ἢ τὰ ἄκρα, νίψασθαι, &c. Τοὺς γὰρ ἐπὶ τὴν παναγεστάτην ἰόντας ἱερουργίαν, ἀποκεκαθάρθαι δεῖ καὶ τὰς ἐσχάτας τῆς ψυχῆς φαντασίας, καὶ δι' ὁμοιότητος αὐτῇ κατὰ τὸ δυνατὸν προσιέναι.

S. Dionyſ. Areopag. de Eccl. Hierarch. c. 3.

** Εἰ τοίνυν ἡ τῶν ἱερέων διακόσμησίς ἐστιν ἡ φωτιστική, παντελῶς ἀποπέπτωκε τῆς ἱερατικῆς τάξεως καὶ δυνάμεως, ὁ μὴ φωτιστικός· ἢ πού γε μᾶλλον ὁ ἀφώτιστος.

Idem epiſtol. ad Demophilum 8.

inquit, *ſanctionum Sacerdotes omnes atque Leuitas inſolubili lege conſtringimus, vt à die ordinationis noſtræ, ſobrietati ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in iis, quæ quotidie offerimus ſacrificiis placeamus.* Sunt inter Nouatores quidam, huius epiſtolæ qui ſinceritatem impugnant, verùm prorſus abs re: ſiquidem pro genuina agnita eſt ante annos ferè 1200. à Patribus Agathenſis Concilij, qui can. 9. iis eam verbis commendant: *Placuit vt ſi Presbyteri, vel Diaconi coniugati, ad thorum vxorum ſuarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Epiſcopi auctoritas, &c. ſeruetur.* Et infrà, *Si qui autem ſciſſe formam viuendi à Siricio ſancto Epiſcopo* (editam) *deteguntur* &c.

Vixit eodem tempore quo ſedebat Siricius Papa, ſanctus Ambroſius, (cuius etiamnum extat epiſtola, ſcripta ad ipſum Siricium) is porro lib. 1. de officiis, c. vlt. Sacerdotes, & miniſtros altaris debito obſtrictos continentiæ perpetuæ docet; *quo inoffenſum, & immaculatum Deo miniſterium exhibeant.*

S. Hieronymus eiuſdem S. Ambroſij ſynchronus, lib. 1. cont. Iouin. citato etiam loco Apoſtoli ſuprà ſignato; *Si Laicus* (inquit) *& quicunque fidelis orare non poteſt, niſi coniugali careat officio, Sacerdoti cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper eſt orandum, ſemper carendum matrimonio: nam & in veteri lege, qui populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur, ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare.*

Florebat ſanctus Greg. Nyſſen. circa ann. 380.

* Πῶς ἱερατεύεις Θεῷ, καίτοι εἰς αὐτὸ τοῦτο χρισθείς, εἰς τὸ προσφέρειν δῶρα τῷ Θεῷ; Πῶς δὲ ταῦτα προσοίσεις Θεῷ, ὁ μὴ ἀκούων τοῦ κωλύοντος τὰ ἄχραντα. S. Gregor. Nyſſ. de Virginit. c. vlt.

** Habita eſt hæc Synodus anno 397.

S. Gregorius Nyſſenus lib. de Virginit. c. vlt.* *Quomodo, inquit, Dei Sacerdotio fungeris qui ad hoc ipſum vt munus offerres vnctus es? quomodo hæc ipſa Deo offerres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne ſacra impurus facias?* &c.

** Circa hoc tempus, Concilium II. Carthaginenſe habitum eſt, in quo edita eſt hæc celeberrima ſanctio, can. 2. *Aurelius Epiſcopus dixit. Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur; Gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitatis per conſecrationem annexi ſunt. Epiſcopos, inquam, Preſbyteros, & Diaconos. Ita placuit vt condecet ſacro-ſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare, vt quod* APOSTOLI DOCVERVNT, *& ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ, caſtitatiſque cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant? Ab omnibus dictum eſt, placet: Vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari ſeruiunt:* Verſio Græco-Latina hanc clauſulam paulo aliter refert, hac ſcilicet ſerie: *Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Polentinæ, prouinciæ Piceni, Legatus Romanæ Eccleſiæ dixit: Placet vt Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes ab vxoribus ſe abſtineant? Ab omnibus Epiſcopis dictum eſt, placet, vt in omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari deſeruiunt.* Vbi patet continentiæ perpetuam obſeruantiam ſacris viris indictam

fuiſſe reuerentiæ ſacrificij ſalutaris intuitu, idque ex Apoſtolorum inſtitutione conſtantique traditione ab hinc vſque perenni vſu cuſtodita. *Placuit enim ſanctis Patribus* (inquit S. Iſidorus lib. 2. de diuinis officiis, c. 10.) *vt qui ſacra myſteria contrectant caſti ſint & continentes, & ab omni carnali immunditia ſint liberi.* Profuſiori igitur inductione canonum aut teſtimoniorum ſanctorum Patrum, quibus id axioma firmetur haud opus eſt, cùm ex adductis vetuſtiorum Patrum teſtimoniis, & hoc ſolenni decreto ſecundùm Apoſtolicam traditionem, & vniuerſæ Eccleſiæ vnanimem conſenſum, & perpetuum ab initio vſum promulgato, hoc ſit ſatis ſupérque comprobatum.

Id porrò cùm non ignorarent ſectarum recentiorum auctores, difficiléque poſſe aduerterent viros Eccleſiaſticos ſuas in partes abduci, ſtante illorum perpetua continentia, omnibus quos potuere modis, iis perſuadere niſi ſunt tyrannicum eſſe ipſum cœlibatûs decretum, iugum enim imponere naturæ prorſus contrarium, adeóque viribus humanis inſupportabile: ſed quia tamen videbant Sacerdotes diuino metu, hac in obſeruantia contineri, & religionis cauſâ ſe credere huic debito eſſe obſtrictos, falſo id niti fundamento clamauerunt, nimirum ipſius officij Sacerdotalis dignitatíſque futili perſuaſione: inductum ſiquidem fuiſſe cœlibatum hoc obtentu, quòd viri Eccleſiaſtici altari diuino miniſtrantes conſecrarent, offerrent, & diſpenſarent verum Chriſti corpus & ſanguinem. Negârunt igitur vllum verum ſacrificium, & proinde Sacerdotium in Eccleſia eſſe, Nota.
perfractéque inficiati ſunt Chriſti corpus & ſanguinem verè & realiter in Euchariſtia contineri. Abs re igitur propter realem hanc præſentiam & ſacrificij officium, viros Eccleſiaſticos huic obligationi aſtringi, quæ his duabus columnis innixa, iis euerſis funditus corruebat, proinde illos ab eiuſmodi debito, iam hoc admiſſo dogmate, eſſe prorſus exemptos; licere igitur iis honeſto matrimonio copulari, deliciíſque frui omni humano generi, ex æquo à natura conceſſis.

Funeſtum ſanè, ſagáxque nihilominùs diaboli inuentum! quo ſeducti & illecti quotquot à ſanctæ Eccleſiæ gremio viri ſacri, ad ſectariorum partes transfugerunt, in libidinem laxatis habenis, nefariis ſeſe nuptiis propudioſo auſu, luctuoſo caſu, exitiali exemplo innexuerunt. Andreas Carolſtadius Archidiaconus Wittembergenſis, primis ex diſcipulis Lutheri vxorem publicè duxit cùm eſſet Sacerdos, in cuius facti commendationem Canonici Wittembergenſes iam hæreſis Lutheranæ infecti contagio, Miſſam propriam concinnarunt, cui hanc Collectam intexere illos non puduit: *Deus qui poſt tam longam & tam impiam Sacerdotum cæcitatem, Beatum Andream Carolſtadium ea gratia donare dignatus es, vt primus nulla habita Papiſtici iuris ratione, vxorem ducere auſus fuerit: da quæſumus, vt omnes Sacerdotes recepta ſana mente, eius veſtigia ſequentes, eiectis concubinis, aut iiſdem ductis, ad legitimum conſortium thori conuertantur. Per Dominum &c.* Ioannes Oecolampadius Vide Cochlæi in actis Lutheri.
& Huldricus Zuinglius, mox Carolſtadij ſunt funeſtum hoc exem-

plum conſectati. Sed antequam eò impudentiæ proſilirent, cœlibatûs fundamentum ſubruerunt, ſiquidem negârunt in Euchariſtia eſſe Chriſti corpus, niſi vt in ſigno & figura. Et quia ſanctorum Patrum imagines quæ eorum oculis iugiter obuerſabantur, ſtimulos eorum conſcientiis perennes incutiebant proditæ fidei, temerati voti, & deſertæ ſacræ militiæ, eos ipſo ſuo obiecto coarguentes, cùm conſtaret quotquot fuerunt ſancti Epiſcopi & Sacerdotes, realem Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiam credidiſſe & docuiſſe, incruentum ſacrificium ex ſuſcepto diuinitùs munere obtuliſſe, continentiam ideo perpetuam coluiſſe & ſeruâſſe: ne diutiùs aculeis conſcientiæ, conſpicuis ſibi vbique memoriæ Sanctorum monimentis pungerentur, impuri illi apoſtatæ deturbandas eſſe omnes Sanctorum imagines contenderunt, confringendáſque aut delendas omni ſtudio procurârunt. Quod ſtupendo auſu ipſe Carolſtadius de facto primus aggreſſus eſt: euerſis Witembergæ aut eraſis ſacris quibuſque imaginibus, vt fidem Sanctorum cum ſignis illorum venerabilis memoriæ ſub æterna obliuione ſepeliret, ſéque ſuóſque ſymmyſtas ſic à ſtimulis interioribus quibus torquebantur, tandem eximeret.

Nota.

Docet deplorabile hoc exemplum Sacerdotes, quanto cum animæ periculo in lapſum carnis deuoluantur, oblita ſui officij dignitate, & tremendi quod tractant quotidie Myſterij reuerentiâ. Infelices illi quos memorauimus, hæreſis anteſignani, cœlibatum abrogari non poſſe cenſuerunt, niſi Sanctorum memoria & cultus oblitteraretur, qui perpetuam continentiam ſummo ſtudio in Sacerdotio ſeruauerunt: ac præſertim niſi ipſe Chriſtus præſens in Euchariſtia realiter exiſtere penitùs negaretur, & ſacrificium ac Sacerdotium ſimul tollerentur, quibus nititur debita ab altaris Dei miniſtris carnis & ſpiritus intemerata puritas atque mundities. Attonitum me fecit hæc grauiſſimi Doctoris pronunciatio: *Mihi dubium non eſt eos Sacerdotes fide carere, & perſecutionis hæreticæ tempore ad hæreſes tranſituros, qui perfunctoriè hoc ſacro munere funguntur.* Si qui perfunctoriè, quid ij qui impiè? quid, qui ſceleratè?

Staplet. tom. 2. p. 564.

Durus ſanè eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? audire, inquam, ſine fremitu, ſine terrore, ſine metu? Abſit vt hæc dicta veliim in ſolum Sacerdotum terrorem! Mitiganda eſt prædictæ ſententiæ aſperitas, ſat enim eſſe arbitror dicere, ingens eſſe miſericordiæ Dei beneficium, quòd Sacerdotes impurè viuentes, & ſacra nihilominùs miniſtrantes, naufragium non faciant circa fidem: periculoſum eſſe tamen, diu hac Dei bonitate & patientia abuti: *Qui enim diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnunt, nec attendunt quoniam Dei benignitas ad pœnitentiam eos adducit,* (ait Apoſtolus Rom. 2.) *ſecundùm duritiam ſuam, & impœnitens cor, theſaurizant ſibi iram in die iræ.*

Verùm hîc fortaſſis quiſpiam reſpondebit plus exigi ab homine, quàm humana conditio patiatur, ſi ea requiratur puritas in Sacer-

dote celebrante ſacrificium Domini, quæ huic myſterio & eius perfunctioni ſit condigna; Apoſtolum quidem docere omnis Pontificis & Sacerdotis eſſe officium, dona & munera offerre pro peccatis, aſſumi enim ex hominibus & pro iis conſtitui quæ ſunt ad Deum. talem enim eſſe debere *vt condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Vbi duplicem intelligit infirmitatem, priorem naturæ, ſecundam concupiſcentiæ & culpæ; vtrâque igitur eſt Sacerdos & Pontifex omnis circumſeptus. Quamobrem non eſt exigenda in Epiſcopo, vel Preſbytero &c. tanta puritas quæ Angelorum munditiæ par eſſe poſſit. Cùm nec ſi tantam quis haberet, tamen dignus eſſet tam diuino munere perfungi, quale eſt ſacrificium corporis & ſanguinis Domini. *Hebr. 5.*

Verùm nec hoc Eccleſia ab vllo Sacerdote depoſcit, vt par ſit Angelis puritate, quin nec vt ſanctis quibuſdam hominibus coæquetur: v. g. S. Carpo, de quo refert B. Dionyſius ep. 8. ad Demoph. tam miræ fuiſſe, ac Deo gratæ ſanctitatis, vt nunquam celebrare diuinum myſterium inciperet, niſi priùs habita aliqua ſacra viſione: aut S. Epiphanio, qui nunquam oblationem perficiebat, niſi Spiritum ſanctum deſcendentem ſuper propoſita munera intueretur. Sat ſit in præſenti tempore quod vel in omni Chriſtiano dudum exigebat Apoſtolus, nempe *vt mente ſeruiat legi Dei, vt non regnet peccatum in corpore ſuo mortali, vt hoc mundo vtatur quaſi non vtatur; vt vas ſuum poſſideat in ſanctificatione.* Sed vt candidè dicam, æquum eſt vt Sacerdos ſit populo perfectior; proinde longè maior puritas in eo requiritur quàm in populo, ne ei quod ait propheta exprobretur, *vt populus ſic Sacerdos.* Admonet in Tito & Timotheo Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos Apoſtolus, de virtutibus, miniſterio ſanctificationis propriis; ſed nihil eſt quod inſtantiùs in iis quàm caſtitatem depoſcat; *Oportet Epiſcopum*, inquit, &c. *ſobrium eſſe* &c. *pudicum; ſimiliter & Diaconos pudicos, habentes myſterium fidei* (quod eſt Euchariſtiæ venerabile ſacrificium) *in conſcientia pura &c.* Et infra *, *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Idem verò ad Titum c. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe &c. ſobrium, iuſtum ſanctum, continentem &c.* *Rom. 7. 8. 1. Cor. 7. 1. Cor. 10. Iſa. 24. 2. 1. Timoth. 3. * c. 2. 12.*

Dices, *ſed nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det?* Sap. 8. 21. ita eſt ſanè. Verùm pete, & accipies. Media ſunt diuerſa, quibus caſtitas comparari poteſt.

I. eſt humilitas. *Niſi antea fundata fuerit humilitas vera* (inquit Caſſianus lib. 6. inſtit. c. 1.) *nullus poterit vitij vnquam triumphus acquiri &c.* etenim *caſtitatem ſeniores dicunt apprehendi non poſſe, niſi priùs humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata.* Et S. Gregorius lib. 21. Moral. c. 3. *Si vel caſtitatem humilitas deſerat, vel humilitatem caſtitas relinquat, apud auctorem humilitatis & munditiæ prodeſſe quid prævalet vel ſuperba caſtitas, vel humilitas inquinata?*

II. Medium eſt caſtigatio corporis per ieiunia, vigilias, chameunias, flagellationes ſpontaneas.

III. Contritio ſpiritus, mortificatio paſſionum.

IV. Fuga occaſionum &c. S. Cyprianus in lib. de ſingularit. Clericorum aſſerit ſe diuina reuelatione cognouiſſe, ne Clerici cum fœminis commorentur; dignus eſt totus liber qui legatur: (hunc porro eſſe genuinum partum ſancti ipſius Epiſcopi & Martyris clarè & ſolidè Baronius demonſtrat tom. 2. Annal.) Alia ſunt pleraque media, vt cuſtodia ſenſuum, maximè viſus, guſtus & tactus, item confeſſio & communio frequens, nouiſſimorum meditatio, lectio ſacra, exemplorum ſanctorum conſideratio. Sed medium omnium efficaciſſimum eſt oratio: quamobrem cùm Sapiens loco ſuprà citato dixiſſet, *Sciui quoniam aliter non poſſim eſſe continens, niſi Deus det*; continuò ſubiungit, *Et idcirco adij Dominum & deprecatus ſum illum, dixi ex totis præcordiis meis, Deus patrum noſtrorum &c.* Hinc Paulus Apoſtolus cùm ſtimulis carnis pungeretur refugium habuit ad preces, *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ qui me colaphiſet: propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me.* Sic gratiam reſiſtendi huic tentationi impetrauit, nam à Domino reſponſum eſt, *ſufficit tibi gratia mea.* Ideo S. Cyprianus lib. de bono pudicitiæ, vbi pleraque media ſignauit, quibus poſſit comparari virtus caſtitatis, tandem orationem, ſummum eſſe concludit, *Sed inter hæc, imò & ante hæc omnia de diuinis caſtris auxilium petendum eſt.* Hoc medio ſanctus Auguſtinus caſtitatis donum obtinuit, quemadmodum lib. 10. Confeſſionum c. 29. his verbis declarat: *Tota ſpes mea, nonniſi in magna valde miſericordia tua Domine: O amor qui ſemper ardes & nunquam extingueris! Charitas Deus meus accende me? continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.* Ipſum Euchariſtiæ ſacrificium fons eſt caſtitatis. Ex hoc igitur, qui ſitit, hoc donum poteſt profluuio haurire. Hinc in Miſſali Romano orationes propriæ ad impetrandam caſtitatem aſſignantur; Et præliminares ad ſacrificium Sacerdotis preces paſſim ſpirant obtinendæ caſtitatis affectum. Alba qua Sacerdos induitur, candore ſuo, munditiam & puritatem qua par eſt Sacerdotem totum nitere deſignat. Zona qua præcingitur, proprium eſt continentiæ indicium. quapropter hanc ſumens Sacerdos hunc in modum orat; *Præcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis ardorem libidinis, vt maneat in me tenor continentiæ & caſtitatis.*

CAPVT II.

De obiecto ſacrificij Chriſtiani, videlicet, Quòd Deo vni & trino, ſolique debetur & offertur.

INTER diuerſas ſacrificij definitiones, quæ à Theologis Scholaſticis hactenus traditæ ſunt, nulla mihi videtur iſtâ vberior, aptior & apertior quam Cardinalis Bellarminus aſſignat lib. 1. de Miſſa c. 2. §. *His ergo*: Quamuis à Gabriele Vaſquez rigidiùs excuſſa, tacito nomine auctoris, minùs probetur.

Sacrificium eſt oblatio externa ſoli Deo facta ; qua ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem diuinæ Maieſtatis , à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens , ritu myſtico conſecratur & tranſmutatur.* Bellarminus (& ex illo Vaſquez) partes ſingulas huius definitionis accuratè expendit & declarat. Quamobrem hîc prætermiſſa partium earum explicatione, quæ materiam oblationis, miniſtrum, mutationem & ritum myſticum ſpectant : iis ſolùm terminis inhærebimus, quibus exprimitur proprium ſacrificij obiectum, videlicet *ſacrificium eſt oblatio externa facta ſoli Deo, ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem diuinæ Maieſtatis.*

* S. Aug. l. 10. de ciuit. Dei, c. 4. cuius titulus eſt: Quòd vni vero Deo ſacrificium debeatur. *Nam vt alia*, inquit, *nunc taceam quæ pertinent ad religionis obſequium; ſacrificium certè nullus hominum eſt qui audeat dicere, deberi, niſi Deo ſoli.*

Dicendum igitur, quòd gratum hominem eſſe Deo, à quo tot bona, eſſéque ipſum accepit, iuſtum & æquum erat. Patres ſollicitè perquiſierunt, quodnam fuerit primum hominis peccatum ? fuerúntque de hac re varia ipſorum placita : quidam etenim fuiſſe gulam & intemperantiam : quidam immoderatum Adæ erga ſuam coniugem amorem : quidam vtriuſque infidelitatem ; quidam ambitum & ſuperbiam : quidam inobedientiam & præſumptionem, diuerſis nixi argumentis aſſeuerârunt. Verùm non minùs rectè quidam alij cenſuerunt fuiſſe ingratitudinem. *Creatus eſt homo à Deo vt eſſet præcipuum diuinæ clarificationis organum* (ait S. Irenæus lib. 4. c. 24.) *& exceptorium totius eius bonitatis.* Qui perpenderit quantis hominem beneficiis Deus ab initio cumulârit, obſtupeſcet profectò ad eius erga Deum ingratitudinem ; *Creauit* (ait Sapiens, c. 2. 23.) *Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Dedit ei adiutorium ſimile ſibi ; minuit illum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronauit eum, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum : Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cæli, & piſces maris.* (Pſ. 8.) *Creſcite* (ait Adæ & vxori eius) *& multiplicamini & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* (Geneſ. 1.) *Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus terræ & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* (Geneſ. 2.) videlicet in ſignum excellentiæ & dominij quod ei Deus ſuper illa contulerat. Sed quid hæc ad cætera bona quibus amator hominis Deus ipſum repleuerat? inſignierat eum ſua imagine, decorârat ſimilitudine, creauerat rationis participem, deſponſauerat in fide, dotauerat in ſpiritu, deputârat cum Angelis, inſtruxerat omnibus donis gratiæ, capacem fecerat beatitudinis, hæredem bonitatis & gloriæ deſignauerat, in horto voluptatis interim collocauerat. (*S. Bern. in med.*) Quid ad hæc homo? Animaduertite quæſo, ſi vel vnum verbulum homo emiſerit, quo gratias vel minimas tam munifico ſuo conditori referret? tacuit ingratus, nec ipſi creatori ſuo tulit eſſe ſubiectus. Id verò prudenter notauit S. Irenæus loco ſuperiùs laudato; *Neque* (inquit) *Deus ceſſat aliquando in benefaciendo & locupletando hominem, neque homo ceſſat beneficium accipere & ditari à Deo. Exceptorium enim bonitatis & organum clarificationis eius homo, gratus ei qui*

ſe fecit (ſi fuiſſet.) Et iterum: *exceptorium iuſti iudicij eius, homo ingratus & ſpernens plaſmatorem, & non ſubiectus verbo eius.*

Lapſus igitur hominis, ab hac labe deſcendit, quòd Deo fuerit ingratus. Cauſam verò ſuæ infelicitatis hanc fuiſſe non diu poſteà ignorauit. Sacra narrat hiſtoria, Cain & Abel, Adam & Euæ filios ſacrificia Deo obtuliſſe. *Factum eſt vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Vnde eis quæſo hic ſolennis ritus Deum per ſacrificia honorandi, eiúſque gratiam ſacris eiuſmodi muneribus ſibi conciliandi? Appoſitè hîc reſpondet S. Athanaſius, Tract. ſeu ſermone in hoc Dominicum pronunciatum, *Omnia mihi tradita ſunt* &c. Cain & Abel didiciſſe ab Adamo ſuo parente religionem & ritum ſacrificandi: hìncque rectè inferri Adamum primum omnium hominum, Deo ſacrificâſſe.

Geneſ. 4.

Vnde patet rectè ratiocinatum fuiſſe Durandum, in 4. diſt. 14. q. 2. n. 2. &c. vbi docet vnam & eandem virtutem iuſtitiæ verſari erga proximum reddendo illi debitum, & circa Deum, reddendo illi honorem, neque eſſe ſpecialem aliquam virtutem religionis à iuſtitia diſtinctam. Proinde ſacrificium eſſe quoddam peculiare opus iuſtitiæ erga Deum. Hoc bene agnoſcit palámque profitetur Eccleſia in vero myſticóque Euchariſtiæ ſacrificio: nam Sacerdos antequam tremendam incipiat actionem, ſic populum ad reddendum Deo hoc iuſtitiæ debitum inuitat, *Surſum corda*, reſpondet populus, *Habemus ad Dominum*, tum Sacerdos inſtat, *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, cui reſpondet populus, *Dignum & iuſtum eſt.* inde infert Sacerdos, *Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum,* qui ſcilicet noſter eſt Sacerdos & ſacrificium, quod eius mandato, ad referendum tibi debitas pro immenſis beneficiis gratias, ad reddendum Maieſtati tuæ cultum ſupremum, ad impetrandam peccatorum noſtrorum veniam, & neceſſaria nobis ad ſalutem æternam conſequendam, tuæ omnipotentiæ auxilia, gratiæque dona, tibi offerimus. Quia ſcilicet dignum & iuſtum eſt; *dignum*, pro excellentia tuæ æternæ Maieſtatis; *iuſtum*, pro ſuſceptis de tua bonitate tot & tantis beneficiis; *æquum*, pro ſeruitutis noſtræ debitis obſequiis: *ſalutare*, pro gratiæ quæ poſcimus per hanc Chriſti filij tui dilectiſſimi incruentam, ſed veram corporis & ſanguinis oblationem, cuique noſtrûm neceſſariis ſubſidiis.

S. Auguſtinus alta mente perpendens ſacrificij huius inſtitutionem, iuſtitiæ per id ſatisfieri debito paſſim agnoſcit & docet. *Theoſebia* (inquit lib. de ſpiritu & littera, c. 11.) *ſi ad verbi originem Latinè expreſſam interpretaretur, Dei cultus dici poterat, qui in hoc maximè conſtitutus eſt, vt anima ei non ſit ingrata; vnde & in ipſo veriſsimo & ſingulari ſacrificio, Domino Deo noſtro gratias agere admonemur.* Delibârat hanc doctrinam ex eo fonte Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, cùm aduerſus Petrobruſianos ſacrificium Euangelicæ legis propugnans inſignem hanc

Vide eundem ep. 120. ad Honoratum, c. 19. tom. 3.

hanc ſententiam enunciat, illos qui Eccleſiæ ſacrificium auferre contenderent, id facere diabolo ſuggerente, vt gens illa præ omnibus aliis Deo ſit ingrata quæ plura & maiora ab eo beneficia accepit.

Deo igitur iure debetur ſacrificium, & quidem Deo ſoli: orare poſſumus homines & reuereri, verùm ſacrificare non licet niſi ſoli Deo; eſt enim ſacrificium externus actus religionis continens ſupremum latriæ cultum, ſolíque Deo debitum: hinc lex diuina Exod. 22. *Qui ſacrificat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Neque id ſolùm ſcriptura docet, ſed etiam idipſum naturali lumine omnes gentes agnouerunt. *Quis verò* (inquit S. Auguſtinus, lib. 10. de Ciuit. Dei, c. 4.) *vnquam ſacrificandum cenſuit, niſi ei quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit.* Et lib. 1. cont. aduerſar. legis & prophetar. c. 18. *Dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret; Nam obſequia cætera quæ diuinitati exhibentur, auſi ſunt ſibi etiam ſuperbiæ faſtu homines arrogare, rariſſimi autem commemorantur, qui ſibi vt ſacrificaretur cùm regia poteſtate poſſent, auſi fuerint imperare; Quicunque tamen auſi ſunt, per hoc ſe Deos haberi voluerunt.*

Ea eſt ratio cur in definitione ſacrificij ſuperiùs aſſignata, expreſſè dicitur quòd ſit *oblatio externa ſoli Deo facta, ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ Maieſtatis.* Sacrificia ſunt ergo velut tributa, quibus ſupremum Dei dominium in nos profitemur, dominatorémque mortis & vitæ auctorem eum agnoſcimus, noſtrámque ipſi ſubiectionem declaramus & atteſtamur.

Nec obſtat quòd Miſſæ ſacrificium in Sanctorum honorem celebretur: nec enim eis offertur ſacrificium, ſed pro eorum victoriis & triumphis, quæ Dei dona ſunt, ſub eorum memoria & patrocinio Deo ſoli ſacrificium offertur. Præclarè id docet pleriſque locis S. Auguſtinus, lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 27. *Quis audiuit fidelium aliquando ſtantem Sacerdotem ad altare dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud memorias eorum offertur?* Et lib. 22. c. 10. *Vni Deo & Martyrum & noſtro ſacrificium immolamus; Ad quod ſacrificium ſicut homines Dei qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur; non tamen à Sacerdote qui ſacrificat inuocantur; Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamuis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum.* Et lib. 20. cont. Fauſtum, c. 21. *Nulli Martyrum* (inquit) *quamuis in memorias Martyrum, conſtituimus altaria.* Et infrà, *Quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronauit.*

Nec modò ratione actûs ſacrificij, ſed & cauſæ materialis, ſeu hoſtiæ quæ offertur in Miſſa, ſoli Deo debuit victima noſtra immolari: Corpus enim & ſanguis Chriſti eſt. At verò Chriſtus nulli creaturæ æquè poteſt offerri: Filius enim ſoli Patri defert, cui refert omnia quæ habet, tanquam proprio & naturali principio. Et hæc ratio eſt huius Eccleſiaſticæ praxis, vt orationes quæ in ſacrificio fiunt, ad Patrem dirigantur. Pridem hoc in Concilio III. Carthaginenſi, c. 23. ſancitum eſt, vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; & cùm ad altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem di-

rigatur oratio. hinc clauſula communis collectarum, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum*, &c.

Qua ex regula cùm Breuiarium Pariſienſe non ita diu recenſeretur, ego qui ex Recognitoribus ab illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo deputatis (cum ſimul Capituli delectis) vnus eram, admonui collegas meos (eo in conſeſſu qui in palatio Archiepiſcopali agebatur) Antiphonam, quæ cantari iam olim conſueuerat in 1. Veſp. feſti S. Thomæ Apoſtoli, aliqua emendatione indigere, in hoc ſcilicet quod habebat, *O Thoma Dydime, per Chriſtum quem meruiſti tangere, te precibus rogamus &c.* melius enim videri ſic pronunciari poſſe, *O Thoma Dydime, qui Chriſtum meruiſti tangere*, &c. Quoniam ſcilicet ex can. Carthaginenſi, nemo rogatur per Filium niſi ſolus Pater: huic ſuggeſtioni meæ acquieuit vniuerſus ille conſeſſus, ſicque correctio facta eſt, prout in nouo Breuiario adhibita conſpicitur.

Sed vt ad rem è diuerticulo redeamus, hîc obſeruâſſe operæpretium erit, apud Græcos morem eſſe perantiquum, vt ſacrificaturi Sacerdotes varias particulas offerant, & primam quidem paulò maiorem particulam offerunt in memoriam Saluatoris, alteram & minorem portionem offerunt in memoriam, & honorem ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ, tertiam B. Ioannis Baptiſtæ, quartam Apoſtolorum, quintam Martyrum, ſextam in honorem Sancti cuius pro tempore natalis feſtiuitas celebratur. Emotæ mentis is erat, qui non ita diu ſuaſit nobiliſſimæ matronæ Ruthenæ, ne ampliùs Euchariſtiam ſumeret à Ruſſorum preſbyteris, eo quòd vt dicebat non diſtribuerent corpus Domini, ſed corpus B. Mariæ, & corpus B. Nicolai, ratus videlicet, eo quod Græci has particulas offerunt in memoriam Sanctorum eaſdem ab iis conſecrari, & virtute conſecrationis tranſmutari in illorum corpus Sanctorum, quorum memoriam ſacris in myſteriis venerantur. Audiendus hîc Arcudius Corcyreus Preſbyter, lib. 3. de Concordia Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, in administratione ſeptem ſacramentorum, qui inſcriptus eſt de ſacramento Euchariſtiæ, c. 9. §. poſtremo circa medium. Hanc eſſe (inquit) antiquam Orientalis Eccleſiæ conſuetudinem, (offerendi μερίδας) qua vtitur illa Eccleſia ad declarandos varios fines ſacrificij, &c. varia item membra corporis myſtici, &c. quæ ſignificantur in hoc ſacrificio, nec enim eas offert veluti corpora Sanctorum viuorum & mortuorum; quare S. Germanus in fine ſuæ Theoriæ in Liturgiam, non particulas, quæ alioquin extra ſacramentum minimè diſtribuuntur populo: ſed panem vnde ſumitur maior particula in memoriam Chriſti, *vocari typum virginalis corporis*, & panem corporis Deiparæ: vt enim ex puriſſimis ſanguinibus Virginis formatus eſt Chriſtus, ita etiam ex illo pane ſumitur particula in corpus Chriſti tranſmutanda; vnde ille panis gerit ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ figuram.

Vide Arcudium lib. 3. c. 9.

Sed corpus Virginis benedictæ verè, & propriè in ſacrificium non offertur, niſi eo ſenſu quo ait S. Auguſtinus, *Caro Chriſti eſt caro Mariæ.* quo ſenſu eleganter dixit S. Ambroſius in altari ſacrificium Virgi-

nitatis immolari, quia ſcilicet puriſſimum Chriſti corpus à Virgine immaculata deſumptum ſine ſorde & cruore, ſub externa elementorum omni macula expertium formâ, à Sacerdote cœlibe quotidie Deo ſoli omnis ſanctitatis & puritatis fonti, ritu ſacratiſſimo offertur; hanc doctrinam diffuſiùs explicat Sanctus ipſe Doctor, in Comm. ſup. c. 9. ep. ad Heb. ad illa verba. *Omnis Pontifex.* vbi ait, *Dum* (Saluator) *in ſempiterna diuinitatis ſuæ natura non habuit quid offerret, ſumpſit ex nobis quod pro nobis offerre potuiſſet, id eſt carnem humanam. Quid tam aptum immolationi quàm caro mortalis pro mortalibus? Et quid tam mundum pro mundandis * vitiis mortalium, quàm ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata ex vtero virginali. Et quid tam gratè offerri, & ſuſcipi poſſit quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri? Et quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Nec alicui ſacrificium debetur niſi ſoli vero Deo, proinde Pontifex pro nobis ſemetipſum offerebat, idem Sacerdos, & ſacrificium.* Et infrà, *Propter hoc etiam omnia ſacrificia veteris Teſtamenti* (facta) *leguntur, vt hoc vnum ſacrificium deſignarent, per quod vera eſt remiſſio peccatorum, & mundatio animæ in æternum.*

*malè in editis Com. legitur *mundanis*

Ex tam inſigni ſententia præſertim hæc verba perpendo, *Quid tam gratè offerri?* Nihil enim Deo acceptius hac hoſtia eſſe poteſt, quæ corpus & ſanguis eſt vnigeniti filij ſui. Et caro quidem non mortua, ſed viua, animæ vtpote vnita, & æterno Verbo perſonaliter coniuncta: hac denique hoſtia, quæ totus eſt Chriſtus, de quo Pater ipſe ait, *Hic eſt filius meus chariſſimus, Filius, inquam,* (vt Leo Magnus eleganter enunciat) *qui mecum eſſe ſine tempore eſt,* &c. *Filius meus dilectus, quem à me non ſeparat Deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt filius meus dilectus non adoptiuus, ſed proprius, non aliunde creatus, ſed ex me genitus, non de alia natura factus mihi comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis.*

Homil. de Transfig. Dom.

Quæ ratio eſt cur incruenta illa, quæ fit in Miſſa æterno Patri oblatio, tantæ ſit excellentiæ, vt qui offert principaliter, & realiter offertur, ipſi Patri cui offertur æquipariter adæquetur: nulla alia hoſtia inueniri poterat, quæ Maieſtati cui offertur non ſolùm grata eſſet, ſed & condigna. Quod in ſpiritu diuinus Pſalmographus mirè agnouit & cecinit dicens, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Propter verſiculum hunc præſertim recitatur iſte pſalmus ab Eccleſia in feſto Corporis Chriſti, eundémque vſurpat Sacerdos priuſquam ſumat ſanguinem Domini. S. Hieronymus calicem hunc de Euchariſtico etiam intelligit, in epiſt. ad Hedibiam 150. Præclarè Hugo à S. Victore, triplicem malum calicem diſtinguit, fraudis, & hæreſis (quem vocat aureum Babylonis poculum) & ſoporis. Primum inebriare vim rationabilem, ſecundum iraſcibilem, tertium concupiſcibilem. Contra primum valere calicem Euchariſtiæ inebriantem, ſed præclarum: contra ſecundum, eum qui eſt in manu Domini plenus mixto: contra tertium, eum quem bibit Chriſtus, ſcilicet de quo dicebat Petro, Ca-

Pſal. 115.

Ioan. 18. 11. *licem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Bibit igitur, ſed antè gratias egit, & benedixit; vnde quem dedit Apoſtolis ebibendum calicem in vltima cœna, in perpetuam memoriam paſſionis ſuæ, vocari voluit calicem benedictionis.

Hebræi veteres dixerunt in conuiuio iuſtorum fore vt nemo calicem benedicere audeat, niſi ſolus Dauid. Chriſtus hic Dauid eſt (vt paſſim ſcripturæ docent) qui cœnantibus Apoſtolis gratias agens calicem accepit & benedixit. *Matth. 26.* Ad hoc enim ſacrificium iſtud inſtituit, vt gratiæ Deo condignæ per nos referri poſſent, & gratiæ quælibet impetrari. Maius beneficium quod contulit vnquam homini Deus, ipſe filius eius eſt vnigenitus, vnde ait Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt filium vnigenitum daret.* Et Paulus Apoſtolus ad Rom. 8. *Deus qui proprio etiam filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Non erat in hominis poteſtate quicquam offerre Deo, eius maieſtati condignum, vel tantis quæ ab eius accepit bonitate beneficiis adæquatum? Iuſtum tamen erat vt tale munus quod Deo dignum eſſet & acceptum, & eius donis commenſuratum, homo eius Maieſtati offerret. Moyſes cum tot ſacrificiis & oblationibus, earúmque adminiculis, præſtare hoc nunquam potuerat. At hoc nobis contulit Chriſtus, quando accepto pane gratias egit & fregit, deditque ſuis diſcipulis dicens, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur* (id eſt offertur:) *hoc facite in meam commemorationem*, id eſt ipſum donum offerte eius auctori, in eius gloriæ teſtimonium & condignam gratiarum actionem. *Luc. 22. 1. Cor. 11.* Pater dedit vobis filium ſuum per eius incarnationem: ipſum ei filium reddite, illum offerendo in tanti beneficij recordationem, quod omnia cætera & complectitur & tranſcendit. S. Ioannes Chryſoſtomus elegánti & longa oratione demonſtrat quàm ſit difficile, atque etiam impoſſibile gratias referre pares, obſequiáve diuinis beneficiis, quæ nec modum habent, nec numerum, nec terminum. *Tom. 1. hom.* Quod primus homo omni prælatus ſit creaturæ. Negat ſenſum ſufficere nobis ad inueſtigandum, ſcientiam ſuppetere ad laudandum, quia immenſitas ſuperat cogitationes ſenſuum, & innumera multitudo omnem copiam verborum; nec ſi totum vitæ tempus eius obſequia occupent, laudes teneant, gratiarum actiones inſiſtant, poſſe quemquam eorum quæ debet aliquam partem perſoluere. Subdit quod iſtis verbis quærit Propheta ſanctiſſimus, quibus muneribus aut officiis beneficia diuina compenſet? quo famulatûs genere dona percepta coæquet? quibus obſequiis poſſit tantis muneribus reſpondere? nihil ſibi tandem ait ſuppetere, niſi hoc ſummum & ſingulare ſacrificium, quo Deo offertur donum illud pretioſum, quod eius beneficiis non modò ſatisfacit omnibus, ſed & eius gloriæ ac Maieſtati adæquatur. *Quid retribuam*, inquit, *Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini inuocabo.* Id eſt, condigno colam honore, & accepriſſimo gratiſſimóque omnium munere, pium & placabilem, beneuolum & beneficum mihi vt ſe præbeat efficiam. *Igitur Eccleſiæ oblatio* (inquit S. Irenæus *) *quam Dominus docuit offerri in vniuerſo mundo,*

** Lib. 4. c. 33. in ipſo initio.*

purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei, quoniam glorificatur in eo. Eſt enim hoc ſacrificium λατρευτικὸν ſeu σεβαστικὸν, id eſt honorarium, quod ſe teneat ex parte holocauſti, quo veluti re omnium excellentiſſima Deum honoramus, veneramur & colimus; & ἱλαστικὸν expiatorium, quo diuinum numen placamus & propitium reddimus quando pro peccatis illud offerimus: Et ἐπιτευκτικὸν, impetratorium, quo cœleſtem opem imploramus, aſſequimúrque, cùm in eo repræſentetur Chriſti paſſio, & ideo aptiſſimum ſit ad impetrandum omnia bona quæ Chriſtus nobis ſua paſſione promeruit; denique εὐχαριστικὸν, quo debitas gratias Deo pro acceptis beneficiis, adeóque pro hoc eodem ſacrificio, tanto beneficio, referimus.

Vtinam hoc ſeriò apud ſe perpenderet Sacerdos, qui Chriſti vice, hoc in admirabili ſacrificio fungitur. Sàlomon Rex ille omnium ſapientiſſimus cùm templi illius admirabilis quod toto orbe celeberrimum fuit, ſtructuram meditaretur, maieſtate Dei attonitus cui hæc domus conſecranda erat: *Domus* (inquit 2. Paral. 2.) *quam ædificare cupio magna eſt, magnus enim Deus noſter, ſuper omnes Deos: Quis ergo poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? ſi cœlum, & cœli cœlorum capere eum nequeunt, quantus ego ſum, vt poſſim ei ædificare domum? ſed ad hoc tantùm vt adoleatur incenſum coram illo.* Si ergo ad hoc ædificata fuiſſet, non vt fumus incenſi, ſed veritas & ſubſtantia corporis & ſanguinis vnigeniti filij Dei in ſummo & ſingulari Euchariſtiæ ſacrificio offerretur? Quanta quæſo & loci magnitudine, & offerentis dignitate ac ſanctimonia fuiſſet opus? quanto terrore, quantáve reuerentia? Appoſitè hìc omnino S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerd. * *Non mortalis quiſpiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe paracletus ordinem eiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus, etiamnum in carne manentibus auctor fuit, vt Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cœlis collocatus inter cœleſtes illas virtutes medius ſtaret.* Nec minùs aptè S. Gregorius Nazianz. alludens ad ſolennia illa verba quæ præfatur Sacerdos in ipſo diuinæ actionis limine, *Laudant Angeli &c. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur. Quis perinde atque è luto quodam, hodierno die finget eum qui veritatis curam gerat, Angelis aſſiſtat, cum Archangelis Deum glorificet, & ſacrificia ſurſum ad altare cœleſte deſtinet, ac cum Chriſto Sacerdotium peragat, figmentum Dei refingat, imaginem Dei reſtauret, &* (vt quod maius eſt dicam) *Deus exiſtat & homines Deificet, Noui cuius ſumus miniſtri, & quo loco poſiti, & quò dirigamur.*

*Οὐ γὰρ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἀρχάγγελος, οὐκ ἄλλη τις κτιστὴ δύναμις· ἀλλ' αὐτὸς ὁ παράκλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἔτι μένοντας ἐν σαρκὶ τὴν τῶν ἀγγέλων φαντάζεσθαι διακονίαν. Διὸ χρὴ τὸν ἱερωμένον ὥσπερ ἐν αὐτοῖς ἑστῶτα τοῖς οὐρανοῖς, μεταξὺ τῶν δυνάμεων ἐκείνων οὕτως εἶναι καθαρόν. *S. Ioan. Chryſ. 3. de Sacerdotio, c. 3.*

CAPVT III.

DE MINISTRO HVIVS SACRIFICII.

Vbi demonſtratur, quòd licèt Chriſtus ſit qui præcipuè illud offert, tamen Sacerdos propriè quoque id offerat, ſed Chriſti nomine, cuius vices gerit, & perſonam repræſentat.

QVONIAM *in hoc diuino ſacrificio, quod in Miſſa peragitur* (ait ſancta Trident. Synodus*) *idem ille Chriſtus continetur & incruentè immolatur &c. vna eadémque eſt hoſtia, idémque nunc offerens, Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.*

** Seſſ. 22. in qua traditur doctrina de ſacrificio Miſſæ c. 2.*

Hac poſitâ Concilij Oecumenici ſententiâ, mirum non abs re videri debet, quid viſum fuerit quibuſdam recentioribus in quæſtionem vocare, num Chriſtus actu impræſentiarùm offerat, ſitque principalis Sacerdos in ſacrificio Euchariſtiæ? cùm ex verbis Concilij citatis id clarum & liquidum prorſus euadat: Nam ſi Chriſtus idem eſt offerens qui obtulit ſacrificium in cruce, nempe ſeipſum, nec negari poſſit ipſum fuiſſe in cruce actu & reipſa Sacerdotem: futile eſt contendere hìc ſolùm remotè & ratione ſolius inſtitutionis ſacrificij Euchariſtiæ, offerre. Cúmque ſubiiciat Concilium ipſum Chriſtum offerre nunc, Sacerdotum miniſterio: vnde ſequitur eſſe primum & principalem offerentem; Durum profectò videri debet, aduerſus tam expreſſam & perſpicuam Concilij declarationem, quoſdam niti euictum ire, ſolùm Sacerdotes proximè & actu hoc ſacrificium offerre, ita vt illius immolatio ipſis ſolùm tanquam miniſtris tribui poſſit; Chriſtum autem tantùm offerre remotè & ratione ſolius inſtitutionis qua præcepit vt hoc ſacrificium in memoriam ipſius & in perſona eius immolaretur. Qua in voluntate, vt ratum ſit ſacrificium etiamnum perſeuerat. Verùm enim pugnat hæc doctrina cum perpetuo Chriſti Sacerdotio, Chriſtus eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſ. 109. Vnde ſequitur quòd ſacrificium perpetuò offerre debeat; Omnis enim Pontifex conſtituitur vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis &c. Heb. 5. Nec valet illa reſponſio per modum deductionis ad abſurdum: Neceſſe igitur fore vt offerat etiam poſt mundi conſummationem, tunc enim cauſa ceſſabit remanente effectu. At nunc multiplex inſtat neceſſitas cur actu Chriſtus per miniſtros offerat. Nec rurſum illa valet obiectio: Chriſtus non eſt ampliùs in ſtatu merendi, ergo actu non poteſt offerre. nam verum eſt quidem Chriſtum mereri non poſſe ampliùs, ſed tantùm poteſt impetrare, quæ vis eſt præcipua ſacrificij Miſſæ, quia ſacrificium Miſſæ (ait Cardinalis Bellarminus*) præcipuam vim habet, vt à Chriſto ſummo Sacerdote offertur. Chriſtus autem nunc, nec mereri, nec ſatisfacere quidem po-

Vaſquez in 3. p. S. Thom. q. 83. a. 1. diſp. 235. c. 2.

** Lib. 2. de Miſſa c. 4. circa med. §. ſecundò probatur.*

teſt, at poteſt impetrare, iuxta illud Apoſtoli Heb. 7. *Chriſtus ſempiternum habet Sacerdotium: vnde ſaluare in perpetuum poteſt, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quo ex principio rectè deducitur, ſi Chriſtus non ſit præcipuus offerens & ſi actu non offert, eum quoque non orare, nec impetrare; proinde Miſſæ ſacrificium præcipua ſua vi excidere, quæ in eo ſita eſt quod Chriſtus ſit offerens principalis, qui pro nobis interpellat Patrem, & impetrat quæ per nos aſſequi non poſſumus, vt Apoſtolus docet Heb. 7. & Rom. 8. &c. Accedit alia ratio à Concilio Tridentino indicata, *Vt hæc,* (inquit loco ſup. cit. c. 1.) *illa munda eſt oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt* &c. Nec enim alia huius rei eſt cauſa, niſi eo quod miniſtrorum duntaxat vice fungantur, præcipuus verò offerens ſit ille de quo ait Apoſtolus Heb. 7. *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ex hominibus aſſumptus, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* proinde ab omni macula & corruptione immunis & expers. At omnis Sacerdos & Pontifex ex hominibus aſſumptus, circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis, Heb. 5. Aptè hic referri poteſt quod de baptiſmo ait S. Auguſtinus ſuper hæc verba diuina: *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ioan. 1. *Hæc indicare ſcilicet quandam proprietatem in Chriſto futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat; Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat.* Adde, Iudas baptizet, hic eſt qui baptizat; ſic dici poteſt, quiſquis ſit Sacerdos qui conſecrat & offert, hic eſt qui ſacrificat. Idem quoque docet S. Chryſoſtomus hom. 60. ad populum: *Tu laice* (ait) *cùm videris Sacerdotem offerentem, ne vt Sacerdotem* (primarium ſcilicet & principalem) *eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam; ſicut & dum baptizaris ipſe non te baptizat, ſed Deus.* Conſtans hæc eſt Conciliorum & ſanctorum Patrum ſententia, in Concilio III. Lateranenſi ſub Innocentio III. c. firmiter. *Chriſtus idem ipſe eſt Sacerdos & ſacrificium.* In Florentino ſub Eugenio IV. in Decreto Vnionis, *Sacerdos in perſona Chriſti loquens, hoc myſterium conficit.* In Tridentino, ſeſſ. 22. c. 2. *Vna eadémque eſt hoſtia, idémque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum in cruce obtulit.*

Tract. 6. in Ioan. ante med.

Idem docent Patres, S. Irenæus lib. 4. c. 33. *Per Ieſum Chriſtum offert Eccleſia.* S. Cyprianus ep. 63. ad Cæcilium inter med. & finem; *Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit. Vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo, ſi ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Sanctus Chryſoſtomus in ſua Liturgia, *Chriſtus ipſe eſt qui offert, ipſe qui offertur.* Et hom. 83. in Matt. * *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita, quæ tunc in illa cœna præſtitit, ipſe quoque nunc operatur, nunc per-*

* Οὐκ ἔστιν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα τὰ προκείμενα· ὁ τότε ταῦτα ποιήσας ἐν ἐκείνῳ τῷ δείπνῳ οὗτος καὶ νῦν αὐτὰ ἐργάζεται· ἡμεῖς ὑπηρετῶν τάξιν ἔχομεν· ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ καὶ μετασκευάζων αὐτός.
S. Ioan. Chryſ. homil. 83. in Matth.

ficit. Nos miniſtrorum locum tenemus, qui verò ſanctificat & immutat, ipſe eſt. S. Ambroſius lib. 1. Offic. c. 48. in fine, *Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe tanquam Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat.* Idem porro in Pſ. 38. ad illa verba, *Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Vidimus* (inquit) *principem Sacerdotum ad nos venientem; vidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum: ſequamur, vt poſſumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium, etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio, quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offert in terris, quando Chriſti corpus offertur; imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur.* Idem docet S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 14. & lib. 10. de Ciuit. Dei c. 6. vocat Chriſtum Sacerdotem magnum, *qui victima noſtra & ſacrificium eſt, qui offert, & oblatus eſt.* Et c. 20. eiuſdem lib. *Per hoc*, inquit, *Sacerdos eſt, ipſe offerens, ipſe oblatio; cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium &c. Huic ſummo verόque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.*

Nimius forem ſi coaceruandis aliorum Patrum conſonis hac de re ſententiis ampliorem operam vellem inſumere. Sat quæ ſunt citata eſſe poſſunt inſigniorum illorum Patrum ſuffragia, adeò enim clara, & aperta ſunt, vt ne minimam effugiorum nebulam poſſint admittere. Fixo igitur & ineluctabili hoc manente axiomate, quòd Chriſtus in Miſſæ ſacrificio præcipuus ſit Sacerdos, qui illud primariò, & principaliter offerat, quotieſcumque peragitur, ſeu à quocumque miniſtro offeratur, ſiue bono, ſiue malo, ſiue ſummo, ſiue infimo Sacerdote. Aliud hinc ſubſequitur theorema, videlicet Sacerdotem, non modò Chriſti eſſe miniſtrum, qui per eum ſe offert: at ſic eius obire vicem, vt locum teneat, perſonam induat, verbis vtatur, & omnipotentiam exequatur.

CAPVT IV.

Quo enucleatiùs agitur de ipſo Sacerdotali miniſterio.

ARTICVLVS I.

Sacerdotem Deo offerre vt Chriſti miniſtrum, itidémque populo fideli diſpenſare ex officio hoſtiam ſalutarem.

QVAMVIS Sacerdos actu, & proximè (vt aiunt in ſcholis Theologi) conſecret & offerat, tamen non primariò nec principaliter hoc facit, ſed Chriſtus, cuius miniſter eſt, & cauſa inſtrumentalis, vt dicunt, non coniuncta quidem, ſed ſeparata. Patet id manifeſtè ex eo quod non tantùm ex Chriſti inſtitutione & mandato ſpeciali hoc agit, ſed etiam ex eius virtute, & poteſtate, qua Chriſtus velut prima cauſa efficiens, actu influit in effectum: ídque ſatis

ſatis conſtat ex dictis. Verùm hîc iuuat expendere quanta hinc dignitas Sacerdoti conferatur.

Tertulliani laudatum paſſim dictum eſt, *Dignitatem eſſe, ſeruum eſſe potentis*; gloriatur Sacerdos hoc nomine in tremendo ipſo ſacrificio, vbi hunc ſibi titulum arrogat quaſi ſibi proprium atque præcipuum. *Hanc igitur oblationem* (inquit) *ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ.* Et poſt conſecrationem: *Vnde & memores Domine, nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta*, &c. Quamuis enim omnes fideles ſint ſerui Dei, quapropter cùm Græci baptizant, hoc eos nomine inſigniunt, *Baptizetur N. ſeruus Ieſu Chriſti in nomine*, &c. Tamen excellenti priuilegio dignitatis, Sacerdotes titulo illo perfruuntur, quo & Apoſtoli, vt inſigniori nomine ſeſe in epiſtolarum ſuarum exordio paſſim inſcripſerunt: ſic B. Paulus orditur epiſtolam ſuam ad Romanos, *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti*, &c. Et ad Philippenſes, *Paulus, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti.* Et ad Titum, *Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti.* Sic & B. Petrus, ep. 2. *Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti.* Et S. Iacobus, ita enim præfatur, *Iacobus, Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus.* Sic & S. Iudas cognomine Thadæus, *Iudas, Ieſu Chriſti ſeruus, frater autem Iacobi.* Sed & dilectus Domini diſcipulus potiorem ſuam hanc eſſe dignitatem palam inſinuat, Apoc. 1. *Quæ oportet*, inquit, *fieri citò ſignificauit, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.* Mirum dictu hoc vltimum exemplum! Quid enim? Eum vocauerat Ieſus tonitrui filium, vbique Ioannes eius audit dilectus diſcipulus, imò diſcipulus quem diligebat Ieſus. Simon quoque, Petrus cognominatur, petráque ipſa eſſe iudicatur, ſuper quam Eccleſia ædificanda erat. Mirum ſanè, & ſingulare priuilegium! cuius obtentu S. Hilarius hanc in vocem erumpit: *O in nuncupatione nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignáque ædificationis illius petra, quæ infernas leges & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret!* Tamen his omiſſis omnibus prærogatiuis, quæ eius ex cognomento, adeo admirabili, reſultabant, ſe Chriſti Ieſu ſeruum ſimpliciter deprædicat. Et Paulus nihili ducit *Apoſtoli* titulum, *vaſiſque electionis* eximiam nuncupationem, propter *ſerui Chriſti* incomparabile decus. Iudas Thadæus frater erat Iacobi, qui frater Domini dicebatur, ipſéque in Euangelio dicitur frater Domini. Et tamen tam auguſtum nomen quaſi nimis anguſtum eſſet, poſtponens, vnicum ambit Chriſti ſerui elogium, quaſi omnium ampliſſimum & illuſtriſſimum. Vnde tanta quæſo ſeruitutis gloriatio? cùm nihil fœdius ſeruitute cenſuerint veteres, quia ad libertatem nati ſumus; verum eſt tamen Tertulliani pronunciatum, *Dignitas eſt ſeruum eſſe potentis.*

Marc. 3.

In Matth. can. 16.

Quæ vox vt intelligatur, obſeruaſſe ſemel operæ pretium fuerit, olim fuiſſe tres ſeruorum gradus. Primi & viliſſimi erant mancipia, qualem ſeſe Abraham coram Deo fatebatur, *Cùm ſim*, inquit, *puluis & cinis loquar ad Dominum.* At hoc loco Chriſtus diſcipulos ſuos conſiſtere non paſſus eſt, *Iam enim non dicam vos ſeruos ſed amicos.* Secundi dicebantur mediaſtini, vt ſunt iam famuli ciuium & nobilium. Ter-

Geneſ. 18.27.

Ioan. 15.14.15.

Tt

tij honorarij, vt ſunt actores, diſpenſatores, œconomi, vicarij, qui Hebræis *Meſcaretim* dicuntur: huius generis ſunt Chriſti ſerui, Sacerdotes, qui dum Chriſto ſeruiunt, verè regnant; quamobrem & corona inſigniuntur, & Sacerdotium regale appellatur; Réxque ideo dicitur Chriſtus, Regum, vt princeps eſt Sacerdotum. Aptè & acutè more ſuo S. Auguſtinus enarratione in Pſ. 44. ad illa verba, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos ſuper omnem terram. Quid eſt* (inquit) *pro patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi.* Et etiam Preſbyteri, quia ſcilicet, hi illíque *ſoli ſunt propriè Sacerdotes*, vt idem S. Auguſtinus diſertè ait, lib. 20. de Ciuit. Dei, c. 10. *Soli Epiſcopi & Preſbyteri propriè vocantur in Eccleſia Sacerdotes, inde & principes ſuper omnem terram: Eccleſia enim Catholica eſt, vniuerſaliter ſcilicet toto orbe diffuſa.* Non ſunt igitur ſerui, id eſt mancipia, nec mediaſtini, id eſt famuli tantùm & domeſtici, ſed ſunt miniſtri, actores, rectoréſque regni Dei.

Ita B. Paulus ſuam & collegarum ſuorum noui Teſtamenti miniſtrorum denunciat omnibus hominibus ſuſpiciendam eſſe dignitatem: *Sic*, inquit, *nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* (1. Cor. 1. 4.) Quaſi diceret: Tanti fecit Regina Saba ſeruorum Salomonis qui ei aſſiſtebant & miniſtrabant in menſa felicitatem, vt ei palam diceret, *Beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper.* 3. Reg. 10. Sed ſicut Salomonis ad Chriſtum nulla comparatio eſſe poteſt (*Ecce enim * pluſquam Salomon hic.*) (Matth. 12. 42.) ita & ſeruorum Salomonis ad Chriſti miniſtros nulla fieri debet æquiparatio. Miniſtrabant Salomoni ſerui eius, vel ei aſtabant in menſa diſcumbenti. At Chriſtus longè digniori loco ſtatúque ſuos miniſtros habet, his enim vltima in cœna dixit, *Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos* &c. *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.* (Luc. 22. 29. 30.) Aſſident Chriſto, cum eo epulantur, eiúſque menſæ faciunt quoſcumque volunt participes, & calicem eius quem de manu eius accipiunt, delibant ipſi & cæteris propinant, vt ſummi eius regni adminiſtri, & bonorum eius diſpenſatores: *Sic igitur nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Dicebat dudum Moyſes Sacerdotibus & Leuitis: *Audite filij Leui, num parum vobis eſt, quod ſeparauit vos Deus Iſraël ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu Tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi, & miniſtraretis ei?* (Num. 16. 9.) Tanto ſanè eos Deus extulerat honore: ſed quid hoc eſt ad noui Teſtamenti Sacerdotum gloriam; *Habemus altare* (ait Apoſtolus Heb. 13. 10.) *de quo edere poteſtatem non habent, qui tabernaculo deſeruiunt*, his enim animalium carnes mactare, ſanguinem fundere, victimas cruentas immolare, panes propoſitionis offerre & amouere, incenſum Deo adolere datum fuit. At veri agni corpus & ſanguinem conſecrare, eúmque in ſacrificium Deo gratiſſimum offerre & populo diſpenſare, nullatenus illis conceſſum eſt, cùm neque iis fas ſit de hoc diuino ſacrificio tantillum participare. At noui Teſtamenti Sacerdotes, vt miniſtri Dei, Chriſti corpus & ſan-

guinem ſacro ore conficiunt, diuinæ Maieſtati offerunt, ſibi ſumunt & fideli populo diſtribuunt, cum ſumma admittendi, vel arcendi ab hoc diuino altari, quoſcumque vel dignos, vel indignos iudicarint, poteſtate; hinc apoſtrophe hac inſigni os aureum Orientalis Eccleſiæ illos compellat & hortatur: *Ad vos miniſtrantes, ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis; Non parua vobis imminet vltio, ſi quem cuiuſpiam conſcium nequitiæ, huius menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur; ſiue dux militiæ ſit, ſiue Præfectus, ſiue Princeps diademate coronatus. Indignè autem accedat prohibe, maiorem illo poteſtatem habes; propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis, hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona.* *S. Chryſoſt. hom. 60. ad popul.*

Omnem Miniſtrorum Chriſti poteſtatem, Neoterici ſectarij in ſola prædicandi diuini Verbi facultate conſtituunt: ſed eos malè habet quod Apoſtolus citato ad Hebræos loco diſertè dicat *nos habere altare*. Hinc enim à relatis elicitur, ergo habemus ſacrificium, proinde & Sacerdotium. Vbi vulgata fert editio, habemus altare, in Græco eſt θυσιαστήριον, id eſt ſacrificatorium, in quo nimirum ſacrificatur & offertur hoſtia illa diuina, quæ Iudæis communicari non poteſt, ſolis fidelibus diſpenſatur, videlicet à Sacerdote, qui conſecrandæ huius oblationis, immolandæ & diſtribuendæ diuinam à Chriſto poteſtatem accepit. Eapropter in poſtrema Synodo Oecumenica, ſeſſ. 23. ſub titulo de Sacramento Ordinis, aduerſus Nouatores ſententia hæc promulgata fuit, c. 1. *Sacrificium & ſacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta ſunt, vt vtrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in nouo Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione, Catholica Eccleſia acceperit: fateri etiam oportet in ea nouum eſſe, viſibile & externum Sacerdotium, in quod vetus tranſlatum eſt*. Hoc autem ab eodem Domino ſaluatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus in Sacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem eius, nec non & peccata dimittendi & retinendi, ſacræ litteræ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.* Cæterùm de hac præeminenti & diuina Miniſtrorum Chriſti poteſtate, infrà proprio loco, articulo ſcilicet 4. huius capitis opportuniùs diſſeremus. ** Hebr. 7.*

ARTICVLVS II.

Vicem Chriſti gerit ſummi Sacerdotis, Epiſcopus, ac Preſbyter, in hoc ſacrificio.

SANCTVS Ignatius in Epiſtola ad Magneſianos, Epiſcopum ait præſidere εἰς τόπον θεοῦ, in locum Dei, in quantum ſcilicet omnia luſtrat, regit, paſcit, & gubernat. Hinc Pius Papa & Martyr, ep. 1. quam ſcripſit ad vniuerſos Chriſti fideles, Epiſcopos *Dei oculos* eleganter appellat, ſcilicet in viſibili Eccleſiæ regimine. Tamen quemlibet Sacerdotem, ſiue maiorem, ſiue minorem, in præcipuo ordinis ſacri munere, quod auguſtum & planè diuinum eſt Euchariſtiæ ſacrificium, Epiſcopi locum tenere & eius obire vicem, immo Chriſti, *Extat tom. 1. Concil. part. 1.*

certo certius eſt. Nec probatione ferè eſt opus, cùm ſuperiori articulo planè demonſtratum fuerit, Chriſtum nunc quoque illo in myſterio ſe offerre miniſteriô Sacerdotum; ſi enim illi, tametſi actu & proximè offerant, non ſuo nomine, ſed Chriſti voluntate, mandato, muneréque faciunt: conſequens eſt eos vices eius agere & locum implere. Non tamen hoc ſic intelligendum venit, vt agant has partes, ſicut mortalium regum aut principum miniſtri, qui Proreges dicuntur, Legatique ac Vicarij ſui principis, ſed abſentis. At Chriſtus ſemper præſens eſt in altari, quia ipſe eſt hoſtia quæ offertur, & ſummus Sacerdos qui ſeipſum offert inuiſibiliter, ſed qui viſibiliter à Sacerdotibus immolatur tanquam ſuis miniſtris & Vicariis, à ſe ad hoc inſtitutis, cum quibus actu & influxu concurrit; *Sacerdos in altari vice Chriſti fungitur*, (ait S. Cyprianus ep. 63.) Inter potiora Apoſtolorum elogia hoc Eccleſia refert, quod Chriſtus ſua vice vt fungerentur illis conceſſerit, *Quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores.*

Pſ. 110. Præcipuum opus Chriſti eſt Euchariſtia, vnde ait diuinus Pſalmographus, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus.* Hoc eſt enim opus exquiſitum in omnibus voluntatibus eius: quia eſt non modò ſummum, ſed cæterorum omnium epitome atque compendium. Petit à ſanctiſſima Trinitate Sacerdos in Miſſa, *vt ſuſcipiat hanc oblationem in memoriam paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſeque in ipſa ſacra actione memorem eſſe ait, tam beatæ paſſionis, glorioſæ reſurrectionis, & aſcenſionis eiuſdem Domini noſtri, &c.* Et verò in hoc opere ineſſe videtur quicquid in aliis operibus mirabile eſt, ſiquidem in eo exiſtit opus quoddam creationis, tum quando gratia producitur, tum quando conuerſio & tranſubſtantiatio fit; quadam ratione reperitur etiam incarnatio, quatenùs Chriſtus per illam vnam ſemel factam vnionem hypoſtaticam homo factus, vnit ſe ſpeciebus Sacramentalibus, quaſi Deificans illas, & coniungit ſe ſumentibus ipſum, *Qui manducat*, inquit,
Ioan. 6. *meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Idcirco S. Chryſoſtomus eleganter Euchariſtiam appellat *incarnationis extenſionem.* Clemens V. Papa *, non minùs aptè vocat idem myſterium, præcipuum opus gratiæ & inſigne memoriale amoris diuini erga nos eximij, quia ſcilicet eſt mnemoſynon Dominicæ paſſionis & humanæ redemptionis, huius enim vnio & pretium nobis, hoc per ſalutare ſacrificium applicatur. Tanti porro operis Chriſtus fecit ſuos Apoſtolos Vicarios, quin & omnes poſteros miniſtros, qui eis ſuccedunt in Sacerdotio. Fuit olim eximia dignitas Vicariorum ſub imperio Romano, Vrbicus vice ſacra principis iudicabat, Senatoria ideo honeſtatus dignitate; chlamyde militari induebatur, & carpento vtebatur, vt colligi poteſt ex Caſſiodoro lib. 6. in Form. Vic. Vrb. Rom. Sed Vicarij Imperatoris, ſeu Præfecti Prætorio Vrbis, ad Dei Chriſtíque Vicarium nulla eſt comparatio. Atqui Sacerdos in altari offerens Euchariſtiæ ſacrificium Chriſti locum tenet; eius enim vice ſacra ſacrificat, iudicat, & diuinas largitiones diſtribuit,

* Clement. *Si Dominum de reliq. & ven. Sanctorum.* in Concil. Viennenſi promulgata.

Vide Notitiam imperij, c. 48 de Vicario Vrbis Rom.

ideo Senator regni Dei eſt, chlamyde ſacra induitur, id eſt caſula quæ chlamydis illius purpureæ, qua indutus ſua in paſſione fuit Chriſtus, indicium eſt, ceu inſigni vicariæ poteſtatis, quam pro Chriſto gerit: & ſi non vehitur carpento, Chriſtum ipſe portat dum offert & miniſtrat in tremendis myſteriis, quibus aſſiſtunt Angeli ipſum Sacerdotem comitantes, quin & ei miniſtrantes & diuinas vices gerenti, & diuina operanti. Pulchrè dixit Hugo à S. Victore (dictus æui ſui Auguſtinus) lib. 2. Miſcell. tit. 28. Sacerdotes *deambulare, ſedere, docere.* Docent quidem, quia animarum ſunt pædagogi, verba vitæ æternæ proferentes: deambulant, omnia quæ fiunt in regno Dei reſpicientes atque dirigentes: ſedent, in Eccleſia præſidentes; Præſunt enim, teſte Apoſtolo, Preſbyteri, & *qui bene præſunt, duplici* (inquit) *honore digni ſunt.* Sed altari adſtant vt ſuperni illi Spiritus qui ſunt circa thronum Dei: altare enim *Chriſti ſedes eſt*, ait Optatus, & adſtant ſedenti Chriſto vt regi ſuo, ſed honorificentiſſima ſtatione: dicere enim non abs re poteſt, Sacerdos dum ſacrificat, cum Raphaele Archangelo, *Ego enim ſum vnus ex iis qui aſtamus ante Dominum.* Stare coram Deo honos eſt ſingularis; vnde proſtrato Eliæ dicit Angelus, *Quid hîc agis Elia? Egredere & ſta in monte coram Domino.* Sic *ſtetit Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio*, Pſ. 105. Sic ✝. 30.
ſtetit Moyſes; *Et dixit Dominus vt diſperderet eos ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione, in conſpectu eius.* Ibidem. Quin & Chriſtus ✝. 23.
ipſe ſtare viſus eſt à dextris Dei, vt Stephanum pro ſe dimicantem adiuuaret. Act. 7. 55. Sic etiamnum coram Patre aſſiſtit ad interpellandum pro nobis: *Introiuit in ipſum cœlum* (ait Apoſtolus Heb. 9. 24.) *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Quod per ſe in cœlo facit, hoc in terris efficit per Sacerdotem vices ſuas gerentem, in ſummo & ſingulari Euchariſtiæ ſacrificio.

ARTICVLVS III.

Sacerdos in noui æternique Teſtamenti ſacrificio, perſonam Domini induit.

ANGELOS plerumque hominum effigiem induiſſe, ſatis ſupérque ex diuinis litteris vtriuſque Teſtamenti fit compertum: in quibus humana forma, habitúque & aſpectu permultis apparuiſſe memorantur; vicéque verſa, Sancti aliquot Angelica ſpecie viſi ſunt effulgere, ſic Moyſen olim dum tabulas legis de monte ad populum deferret; ſic ſubinde S. Stephanum dum pro gloria Chriſti Domini in ſynagoga peroraret, ac B. Laurentium dum craticulæ ignitæ ſuperponeretur, eluxiſſe ſplendido vultu ac planè Angelico, Aurelius Prudentius, Chriſtianus ille Maro & Homerus, in hymno triumphali de ipſo S. Laurentio, eleganter cecinit:

Hæc ſante Præfecto, truces
Hinc inde tortores parant

Nudare amictu Martyrem
Vincire membra & tendere.
Illi os decore ſplenduit,
Fulgórque circumfuſus eſt,
Talem, reuertens legifer
De monte, vultum detulit &c.
Talémque & ille prætulit,
Oris coruſci gloriam
Stephanus per imbrem ſaxeum,
Cœlos apertos intuens.

De eo ſiquidem ſic ſacer textus Actuum expreſſè commemorat (c. 6. ✝ 15.) *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Eadem ſpecie S. Vrbanus Pontifex & Martyr emicuit. Vnde in officio S. Ceciliæ Virg. & Martyris canit Eccleſia, *O beata Cecilia quæ duos fratres conuertiſti, Amalachium iudicem ſuperaſti, Vrbanum Epiſcopum in vultu Angelico demonſtraſti* &c. Nec adeo mirum cùm ſancti & iuſti ſint fratres Angelorum, quibus & in futuro ſæculo prorſus aſſimilabuntur. *Erunt enim ſicut Angeli in cœlo;* Matth. 22. 30. Et quia moribus eis fuerunt ſimiles in terra, ideo participatione anticipata iam quamdam gloriæ illorum ſpeciem viſi ſunt aliquoties, externa tantùm & tranſitoria ſimilitudine (non tamen lucidæ huiuſmodi imaginis ambitu, ſed metu diuino) imitari, quo Angelicæ virtutis puris ſuis mentibus inſitæ adæquatio in ipſis manifeſtaretur; ſic eſt rota in medio rotæ, & facies aquilæ & facies hominis in curru ſimilitudinis gloriæ Domini, mira connexione concurrunt. Amatores hominum ſunt Angeli, quamobrem eorum forma & ſimilitudine delectantur. Geſtit homo qui paulominus factus eſt ab Angelis, eiſdem aſſimilari; quantum igitur poteſt enititur aſſequi illorum imaginem. Sed quod Angelus diuinam appetat ſimilitudinem, aut homo affectet etiam in hac imitatione eidem æquiparari, vix vlla ratione concipi poteſt. At nihilominùs Angelus ſæpe ſæpius in ſcripturis, non modò Dei geſſit imaginem, ſed & nomen, & perſonam aſſumpſit. Accepit Moſes ab Angelo legem quam populo tradidit. Hinc S. Stephanus ad Iudæos Act. 7. 52. *Accepiſtis*, inquit, *legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Et Apoſtolus ad Gal. 3. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt Moyſis, qui inter Deum & populum ſequeſter & internuntius erat. Angelus tamen qui Moyſi legem dedit, loquebatur vt Deus, ferebátque nomen Domini, quia eius perſonam ſuſtinebat. Quemadmodum & Angelus qui ipſi apparuit in medio rubi; vnde ait ſcriptura, *Apparuit ei Angelus in flamma ignis de medio rubi, & ait, Ego ſum Deus patris tui. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Philo viſam tum fuiſſe Moyſi memorat formam quandam pulcherrimam, ſimulachrum planè diuinum, & luce fulgens præclariſſima, vt ſuſpicari poſſet Moyſes Dei eſſe imaginem. Tamen fuiſſe Angelum qui Dei ſub nomine & perſona Moyſi apparebat, docent ſancti Patres, Iuſtinus contra Triphonem, Tertullianus lib. 2.

Die 22. Nouëb. ✝. 8.

Exod. 19.
Exod. 3.

contra Marcionem, S. Hilarius lib. 4. de Trinitate, S. Ambroſius lib. 1. de fide, S. Chryſoſtomus in Act. 7. Qui etiam cenſent in his repræſentationibus ſeu apparitionibus, fuiſſe filium repræſentatum. Quod & Eccleſia patenter agnoſcit hac inſigni apoſtrophe, venturum propè Chriſtum compellans & obſecrans: *O Adonai, & Dux domus Iſrael! qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento.* Et tamen vt conſtat ex dictis, non ipſe Dei filius, ſed Angelus erat, per quem apparebat & loquebatur Dei filius. vnde Angelus ipſe eius ferebat nomen, quia perſonam repræſentabat, quemadmodum & alius ille Angelus qui deſcendit cum Azaria & ſociis in fornacem, & excuſſit flammam ignis, vidit eum Rex Nabuchodonoſor, attonitúſque ait: *Ecce video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, id eſt Chriſto. Vnde tempore Paſchali lætabunda canit Eccleſia, *Surrexit Chriſtus de ſepulchro, qui tres pueros liberauit de camino ignis ardentis, Alle-luia.* Et tamen non ipſe Chriſtus erat, ſed Angelus, vt expreſſim ſacer textus Danielis innuit. Quem in locum ſcitè & appoſitè S. Hieronymus: *Cæterùm in typo præfigurat iſte Angelus, ſiue filius Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui ad fornacem deſcendit inferni, in quo clauſæ &c. animæ tenebantur, vt abſque exuſtione & noxa ſui, eos qui tenebantur incluſi mortis vinculis liberaret.* Pulchrè & eleganter ad hæc S. Chryſoſtomus, hom. de tribus pueris, *O quibus triumphis te incorrupta fides extendis! adeſt tibi amica Maieſtas, vt innocentia liberetur, patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari: & poteſt videre Dominum* (Rex) *ſacrilegus, ſed non permittitur noſſe, vt creſcat gloria puerorum.* Vbi manifeſtè eorum liberatorem Chriſtum fuiſſe inſinuat, quemadmodum Tertullian. lib. 4. contra Marcioni & S. Auguſt. in Concione ad Catechumenos, qui putant cum SS. Iuſtino & Hilario, ipſum fuiſſe Chriſtum, qui hac mira ſpecie in fornace ſpectabilis apparuit: quia ſcilicet Angelus ille eius mandato venerat, nec modò ipſius nomine agebat, ſed eius perſonam ſuſtinebat, cuius & gloriam præ ſe ferebat, & exercebat virtutem.

Daniel. 3. 49. & 92.

Planè ſic præfert Sacerdos in Miſſa veſtes regias, quia ſunt regalis Maieſtatis inſignia. Hæc nemo geſtat, niſi Rex ipſe. vnde Proreges neque ſibi imponunt diadema, neque ferunt ſceptrum, quod indicium eſt regiæ poteſtatis. At Sacerdos in diuina actione, quia Chriſti gerit perſonam, ipſius Chriſti inſignia ſumit. Eſt hoc ſacrificium *magnum* pietatis *Sacramentum.* Et quia memoriale mortis Chriſti, ita & amoris eius in nos eximij, quem ſua potiſſimum paſſione teſtatus eſt. *Hoc facite*, ait Apoſtolis (quibus Sacerdotes ſucceſſerunt) *in meam commemorationem*, *Annunciantes* (vt Vas electionis ait) *mortem Domini donec veniat.* Ideo totus apparatus ille Sacerdotalis, nihil aliud eſt quàm Chriſti ſchema patientis, vt Sacerdos intelligat, & agnoſcat populus, illum Chriſti ſuſtinere perſonam, cuius myſtica inſignia gerit. Quid enim quæſo, Amictus refert, niſi triſte illud velamen, quo vt expiaret Euæ primæ noſtræ matris exitioſos obtutus, in Paraſce-

Nota. 1. Timoth. 3. 16. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 25.

ue ſuæ tragicæ immolationis, ſacra eius facies obducta fuit? Quid Alba aliud, quàm tunicam illam candidam repræſentat, qua in Herodis palatio inter aulicorum cachinnos, & Phariſæorum furores, ludibrij causâ, at innocentiæ patenti indicio fuit indutus? Zona quid, niſi vincula & indignos nexus illos refert, quibus Rex ipſe omnium tam Angelorum, quàm hominum, quaſi vile mancipium, imò turpis crucifer ab impiis conſtrictus eſt? Manipulus (quem mapulam veteres Myſtæ vocitabant) ſudores illos à nobis abſtergendos perpetuis lachrymarum profluuiis, nonne in memoriam reuocat, quos ipſe Dominus factus in agonia vſque ad ſanguinem exundauit? Caſula ſeu planeta, nónne illius veſtis eſt ſpecies purpureæ, ſeu radioſæ, at infamis chlamydis, qua illum Pilatus illudendum expoſuit? Dixerim Pontificale pedum, arundinis illius eſſe loco, quam Chriſtus ipſe portauit ſceptri ridicula ſpecie, vt ſapientia ipſa æterna, abſcondita in carne, tot probrorum nebulis, in oculis hominum ſtultitia putaretur. Crux ipſa per ſe loquitur, quæ Caſulæ hæret inſignis: nam illius ſignaculum eſt, quæ ipſi Chriſto (cùm velut agnus *Iſa. 53.* innocens ad lanienam duceretur) ab impiis impoſita, ſanguinéque eius in aram conſecrata, omnia mundi peccata eluit; & ſcala cœli, clauis paradiſi, ſpeíque omnis noſtræ & felicitatis columna, baſis, anchora, alueus, fons, & ſcatebra totius benedictionis effecta eſt. At quid ſignat illa Corona quæ in vertice Sacerdotis adeo inſigniter expreſſa conſpicitur, quàm ludibrioſum & funeſtum illud ſertum, conſertum ex ſpinis, quibus hoſtia illa ſalutis noſtræ parens, ſua in immolatione paſſa eſt inſigniri?

Nec exteriori tantùm hoc habitu, qui totus myſticus eſt, Chriſtum refert Sacerdos dum diuinis myſteriis operatur, ſed virtutem & auctoritatem exerit, ipſámque eius perſonam internis actibus non minùs quàm externis gerit. Sublimi hoc acumine mentis aduertit & graphicè expreſſit myſterium, Petrus Bleſenſis dictus, Bathonienſis dudum Archidiaconus, ſerm. 41. paulo ante med. *Loquitur* inquit, *tanquam Pater ad Filium, Spiritus ſanctus ad Sacerdotem celebrantem diuina, quando ſcilicet expanſis manibus tanquam crucifixus, vero crucifixo aſtat, imò cùm in crucem ante ſe poſitam, imaginem crucifixi viſibiliter intuetur.* Sed hanc ipſam obſeruationem accuratiùs expendit & fuſiùs proſequitur in tract. Rythmico de SS. Euchariſtia, c. 7. Cuius eſt titulus, *Quod Preſbyter in conſecratione ſacrificium* (crucis) *commemorans & imitans cum lacrymis paſſionem Chriſti, ſit Chriſtus, & ſacrificans & ſacrificatus.* Quo ſub lemmate, Auctor ille ſic eloquitur.

Adſiſtens aræ pro ſacris Preſbyter orat,
Menſam cœleſtem Deus implet, gratia rorat:
Compluit à ſuperis diuina prouidentia totum,
Quicquid Preſbyteri ſacrat admirabile votum.
Nihil aliud ſacrifex eſt quàm Chriſti ſimulachrum,
Dum tractat corpus Chriſti cum ſanguine ſacrum.
Dúmque ſuos oculos in cœlum cordáque figit,

Exten-

Extendendo manus & brachia ſe crucifigit:
Et dum quæ fuerit mors Chriſti flendo retractat,
Facta ſuæ carnis Domino velut in cruce mactat.
Sic Chriſtum Chriſtus offert, homo victima factus:
Sicque crucem patitur dum commemorat crucis actus
Qui recto Chriſtus, quomodo crucifixus & unctus,
Per fidei membrum cum Chriſti corpore iunctus.

Hildebertus celebris ille Cenomanenſis Epiſcopus, dehinc Turonenſis Metropolita, qui non minùs raræ eruditionis gloriâ, quàm eximiæ pietatis laude ſub Vrbano II. emicuit, præclaros verſus cecinit *de myſterio Miſſæ*, qui editi ſuperſunt & extant tom. 4. Bibliothecæ SS. Patrum; in his inſignis ille auctor totus eſt in ea demonſtratione explicanda, Quòd Preſbyter ſacrificans, & voce, & actu, & habitu Chriſtum Dominum offerentem ſeipſum tam in cruce, quàm in vltima cœna, repræſentet, adeóque perſonam gerat myſticam. Paucula, ſed ſelecta, ex aureis eius dictis hîc referam, quibus hæc ſpecialiter conuenientia declaratur.

Secreta ſiquidem procedit ab æde Miniſter:
Ortu ſecreto venit ad ima Deus.
Veſtibus ille ſacris tegitur; texit caro Verbum,
Tota carens macula, tota ſacrata Deo.

Tum enarratis ſingulis quæ diuinam ipſam actionem præcedunt, ſubiungit.

His ita præmiſſis, ſecretò Preſbyter orat
Secretas memorans aſſimilánſque preces.
Quas egit Chriſtus, cùm te iam Iuda remoto
Abceſſit modicum térque precatus ait

. . . .

His actis populum ſublimi voce ſalutat
Presbyter, & ſurſum corda leuare monet.
Inde patri grates per Chriſtum ſemper agendas
Aſſerit, & poſthæc dona ſacranda ſacrat.
Si benè cuncta notes, hoc totum filius egit
A prece diſcipulos, inde petendo crucem.

. . . .

Tempore quo ſupplex aſſiſtit Presbyter aris,
Mactatúrque patri filius ipſe manens.
Æthra patent, cæleſtis adeſt chorus, ima ſupernis
Iunguntur: fiunt auctor & actus idem.

. . . .

Tanquam ſub nebula ſacra dona frequentat & offert
Quiſquis agit Chriſti, Chriſtus & ipſe, vices.
Hoc etenim virtus, hæc efficientia verbi &c.

. . . .

Hoc ſanè totum verbis confertur in illis
Quæ ſubdit ſacrifex non ſua ſed Domini.
Quippe recenſurus quæ protulit ille, vel egit,

Cùm cœnans idem, cœna beata fuit.
Panis in hoc verbo ſed adhuc communis ab ara
Sumitur, & ſumptum tollit vtraque manu.
Presbyter hinc idem cùm peruenit ad Benedixit,
Imprimit elato myſtica ſigna crucis.
Nec priùs in menſam demittit quàm tua Chriſte
Verba repræſentans explicat iſta ſuper.

. . . .

Sub cruce, ſub verbo, natura nouatur & aram
Panis honorificat carne, cruore calix.
Presbyter idcirco, cùm verba venitur ad illa
In quibus altari gratia tanta datur,
Tollit vtrumque, notans quòd ſit communibus eſcis
Altior, & quiddam maius vtrumque gerat.

. . . .

Hinc ſequitur panis infractio tradita nobis
A Domino, quoddam legis & ipſa gerens.
Legis præcepto minui ſimilago iubetur,
Nonniſi fruſtatim ſacrificanda Deo.
Sic ſacrum panem, cœnans fregiſſe Redemptor
Dicitur, & fractum diſtribuiſſe ſuis.
Nos quoque non fruſtrà legem Chriſtúmque ſequentes
Aptè partimur dona dicata Deo.

. . . .

Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Myſterio ſimplex, vtilitate triplex.
Fit cibus hic ouis in ligno, leo fortis in vrna,
Ales ad aſtra volans, Rex ſuper aſtra ſedens.
Néve putes illi tumulúmve crucémve deeſſe:
Ipſe calix tumulum, denotat ara crucem.
Vtque fides adſit, terrórque recedat & horror,
Fit cibus ipſe caro, panis imago manet.

Hæc aliáque perplura Hildebertus, qui quod paſſim inculcat ſacro hoc poëmate, Sacerdotem, Chriſti obire vicem, perſonam gerere, proferre vocem, facta eadem agere, mirabilia eadem operari, non ex genio poëtico luſúque verſuum effudit, ſed ex ſacra penu Eccleſiæ, nimirum venerandi Patrum conſeſſus ſententiis delibauit. Nam Sanctus Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium ſignanter ait: *Verè Sacerdotem in altari Chriſti voce fungi, ídque quod fecit Chriſtus imitari; & ſacrificium verum & plenum in Eccleſia offerre Deo Patri, offerendo ſecundùm quod ipſum Chriſtum conſtat obtuliſſe.* Sanctus Chryſoſtomus hom. 60. ad populum, *Non ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* Et hom. 8. in Matth. *Qui tunc in illa cœna confecit, ipſe tunc operatur, qui enim ſanctificat, & immutat ipſe eſt. Hæc eſt illa menſa, & minus nihil habet, non enim illam quidem Chriſtus, hanc autem homo perfecit; verùm & hanc ipſe quoque.* S. Ambroſius lib. 4. de Sacram.

c. 4. *Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt qui panis eſt corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu, nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris? vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Et infrà: *Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti &c. ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ergo vt tibi reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem: ſed poſt conſecrationem dico tibi quod iam corpus eſt Chriſti, ipſe dixit & factum eſt, ipſe mandauit & creatum eſt.* At verò nec ibi videtur Chriſtus offerens, nec loquens auditur. loquitur tamen & offert per Sacerdotem, non tantùm vt vicarium & miniſtrum: ſed quaſi per proprium ſuppoſitum, nempe per ſeipſum, quia Sacerdos hoc diuino munere fungens, perſonam eius aſſumit, profert verba, auctoritate nititur ac omnipotentiam eius exequitur. Ideo diuino honore potitur Sacerdos in ſacrificio: Quid enim ſibi vult ſolennis iſte ritus quo in Miſſa celebri iubetur Diaconus poſtquam thurificauit altare & librum Euangeliorum, etiam flexis genibus thurificare Sacerdotem? eius oſculari dexteram pleriſque vicibus, & alia id genus indicia diuini cultûs ei exhibere? niſi quod tunc Sacerdos non vt homo mortalis conſideratur, ſed vt ipſe Chriſtus, cuius perſonam tremenda in illa actione repræſentat. Quod dudum in ſerm. 2. in Nat. S. Petri dicebat S. Leo, *Petrum in conſortium indiuiduæ vnitatis Dominus aſſumpſit;* de ſacerdote quoque tremenda myſteria celebrante meritò dici poteſt: vox enim eius Chriſti vox eſt, manus ipſa Chriſti dextera, idem actus, idem opus, eadem virtus & potentia, vt ſequenti articulo vberiùs demonſtratur. Fixum interim maneat hoc Spiritus ſancti voce editum in Concilio Florentino oraculum, *Sacerdos, in perſona Chriſti, hoc conficit Sacramentum.*

ARTICVLVS IV.

Sacerdotem celebrantem diuina myſteria, verè eſſe omnipotentiæ Chriſti organum.

SANCTVS Auguſtinus in ſerm. de adlectione Eradij, Preſbyteri ordinationem ſignanter appellat opus Dei: *At illi propter opus Dei clamauerunt, nec enim ordinationem Presbyterij, non dixero opus Dei*, ſcilicet propter quandam ſingularem excellentiam Sacerdotij, quod reuera Deo dignum opus eſt, adeóque inter eius opera rarum & admiratione dignum: haud dubium enim Sacerdotium puri hominis excogitari non poſſe, etiam pro libera & abſoluta potentia Dei, quod perfectius ſit, imò ei exæquari poſſit, quo nunc gaudent noui Teſtamenti Sacerdotes. Ratio eſt, quia ſibi inuicem reſpondentia ſeu relata ſunt ſacrificium & Sacerdotium: vnde quo ſublimior eſt dignitas ſacrificij, eo maior eſt dignitas Sacerdotij. Quòd ſi nec diuina virtute eſſe poteſt nobilius ſacrificium, (vt ſuprà euidenter oſtendimus) nec fingi poterit nobilius Sacerdotium. Quare cùm nec manu

Heſychius l. 4. in Leuit. c. 9. Sacerdotes noui Teſtamenti ait Chriſti eſſe miniſtros & cooperatores.

Dei fieri, nec aliter conſiderari queat ſacrificium perfectum, perfectius & illuſtrius eo quod in Euchariſtia peragitur: conſequens eſt, vt nec puri hominis Sacerdotium à Dei potentia fieri valeat huic noſtro præponendum, aut adæquandum. Porro nec obiici poteſt Epiſcopos, & maximè ſummum Pontificem, Preſbyteris qui ſunt meri Sacerdotes, nullóque alio titulo inſigniuntur abſolutè antecellere, ſiquidem vt abnui non debet, Epiſcopos, & præcipuè Romanum Pontificem, quoad poteſtatem œconomicam, & quæ in myſtici corporis regimen deſtinatur, ſuperiores eſſe & illuſtriores aliis Sacerdotibus. Sic ingenuè fatendum eſt quoad nudum munus Sacerdotij, in ſe præcisè conſiderati, æquales eſſe: idem enim Chriſtus eſt, & Sacerdotium vnum eſt, nec diſpar eſſe poteſt, cùm æqualis ſit dignitas ſacrificij ſiue à Preſbytero, ſiue ab Epiſcopo, ſiue à ſummo Pontifice oblati, *In omni enim Sacerdote* (ait S. Hieronymus *) *corpus Chriſti eſt perfectum: nec maius eſt quod Epiſcopus, minus verò quod Preſbyter benedicit.* Gradus igitur Eccleſiaſticæ Hierarchiæ penes myſticum Chriſti corpus locum habent, non autem circa verum & reale incruentè offerendum in Euchariſtia; inde enim in Sacerdotes æqualis omnino dignitas reſtagnat, & quæ etiam de potentia Dei nequit eſſe inæqualis.

* *Tract. de 7. ord. Eccleſ. Gradu 6. eius operum tom. 9. qui libellus etſi fortè non ſit S. Hieronymi, ex eius tamen dictis eſt contextus.*

Hæc dignitas adeo ſublimis eſt, & poteſtas tam admirabilis, vt ſancti Patres quicquid aliud magnum & excelſum cenſeri poteſt, hac inferius eſſe vnanimi iudicio arbitrentur; tritum eſt quod paſſim Regiæ poteſtati Sacerdotalem anteponant S. Ambroſ. lib. de dignitate Sacerdotali, c. 2. Gregorius Nazianz. orat. ad popul. metu perculſum, & S. Chryſoſtomus hom. 4. in c. 6. Iſaiæ. At vlteriùs progrediuntur, etenim ſupra omnem humanam poteſtatem non modò Sacerdotalem efferunt; verùm etiam ſupra vim & dignitatem attollunt Angelicam: *Presbyteris data eſt poteſtas* (inquit S. Chryſoſtomus **) *quam Deus nec Angelis, nec Archangelis conceſſam eſſe voluit; Operantibus enim illis, tum ſacra hæc quæ dico perficiuntur,* (nempe conſecrationis myſteria) *& eorum precibus hominum peccata remittuntur.* Porrò S. Epiphanius, hæreſ. 79. quæ eſt Collyridianorum, eximiam hanc poteſtatem, nec beatiſſimæ Virgini conceſſam fuiſſe, obſeruare & aſſerere non dubitat.

** *Lib. 3. de Sacerd. & l. 6. & hom. 51. & 83. in Matth. & 60. ad populum.*

Et verò tanta eſt hæc Sacerdotalis poteſtas, vt quanto penitius introſpicitur, tanto magis admirabilis & ineffabilis appareat. Paucis de excellentia Sacerdotis multa miráque complexus eſt Petrus Bleſenſis præcitatus, ſerm. 47. quem habuit in ſynodo ad Sacerdotes & Prælatos; vbi quibuſdam præmiſſis de legitimo per ſex gradus ad Preſbyteratum aſcenſu ſubiungit: *Tanquam per cantica graduum aſcenditur ad Sacerdotium; hic eſt thronus eburneus cuius reclinatorium aureum eſt, ad quem aſcenditur ſex gradibus purpureis, media charitate conſtratis propter filias Hieruſalem, vbi Sacerdos Dei ſummi aſcendit ad dignitatem familiaritatis; in opere creationis non fuit qui adiuuaret ſpiritum Domini, aut conſiliarius eius eſſet: in myſterio autem redemptionis noſtræ voluit habere coadiutores dicens, hoc fa-*

cite in meam commemorationem. Eſt ergo Sacerdos coadiutor redemptionis, conſiliarius Domini Sabaoth &c. hic dapifer menſæ Chriſti, &c. cuius verbum accedit ad elementum, & fit Sacramentum. Verbum, inquam, diuinum prolatum ore Sacerdotis, quaſi ore proprio ipſius Domini. Quod in Tract. Rythmico prænotato, non inconcinnè explicat idem Petrus Bleſenſis, c. 8. dicens:

Non alius celebrat quamuis alius videatur,
Myſterium ſacrum; verbum Deus hoc operatur;
Verbum namque caro factum ſacra verba magiſtrat,
Et per ſacrificem, carnem de pane miniſtrat.
Hic opus, hic opifex Deus eſt, ſacrat atque ſacratur,
Fitque creatura, per quem res cuncta creatur;
Nam res quæ panis pridem ſubſtantia manſit,
In Chriſti carnem deitatis munere tranſit.
Neſcit homo, neſcit, ſtupet Angelus hoc ita factum,
Arcaníque ſacri pauet inſcrutabile pactum.
Neſcit quo modulo, quo virtutis documento,
Rex elementa creans, prodit Deus ex elemento.
Sed dextræ excelſi talis mutatio cedit,
Qua viget omne quod eſt, cui mundus & æther obedit.

Mirum dictu! Sacerdos vt os Chriſti eſt eius proferendo verbum, ſic conficiendo Sacramentum eius dextera eſt. * *Cùm Sacerdotem videris* (ait magnus Chryſoſtomus) *offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* videlicet ſub viſibili manu Sacerdotis, quæ manum Chriſti repræſentat, & vim eius habet ac elicit. Manus Hebræis dicitur *Jadh* à verbo *Iadhan* manauit, quoniam vigorem habet à brachio, vt brachium à capite vim ſuam omnem mutuatur. Theologi ſcholaſtici vbi tractant de cauſa efficienti Sacramentorum, dicunt Deum eſſe cauſam primam, quia poteſtatem habet auctoritatis, Chriſtum vt hominem eſſe cauſam inſtrumentalem coniunctam, quia homo ipſe verbo vnitur, & ideo poteſtatem habet excellentiæ: porro Sacerdotem eſſe meram cauſam inſtrumentalem, ſed ſeparatam, vt quæ non influat in effectum per ſe & tanquam primum principium, ſed vt organum & adminiculum, quod nihil per ſe agit aut influit, ſed virtute & influxu cauſæ efficientis, primæ atque præcipuæ. Igitur vt manus dependet à brachio, & brachium à capite, ſic Sacerdos à Chriſto, & Chriſtus à Deo; ſed Chriſtus agit in Sacramentis vt Deus eſt iure ſuo, & ſecundùm quod homo eſt, vt cauſa inſtrumentalis coniuncta primæ cauſæ efficienti: Sacerdos verò duntaxat vt cauſa inſtrumentalis ſeiuncta, ſicut eſt calamus reſpectu manus qua homo ſcribit; ita iſti Theologi. Verùm Patres pluris faciunt in diuinis Myſteriis Sacerdotis concurſum: Chriſtum enim ſpectant vt cauſam primam, *Auctor Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus?* ait S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis, c. 4. Proinde Sacerdotem conſiderant vt cauſam ſecundam, ſeu vt cauſam inſtrumentalem coniunctam & non ſeparatam. Hinc, *os Chriſti* Sacerdo-

Vide ſuprà.

tem agnoſcit eodem loco S. ipſe Ambroſius; hincque Fortunatus canit, lib. 4. vitæ S. Martini.

Immaculata Deo cùm dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ceremonia diua ſacraret
Munera, vel Chriſti benediceret ore Sacerdos.

Porrò S. Chryſoſtomus, *manum Chriſti Sacerdotem appellat;* manus autem eſt inſtrumentum coniunctum & non ſeparatum, ideo dicitur à S. Thoma, *organum organorum*, quia facit omnia inſtrumenta, & eſt loco omnium inſtrumentorum, 3. p. q. 83. a. 5. *Mira res!* ait S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, *Eccleſia non eſt quæ Sacerdotes non habet.* Etenim nec habet ſacramenta, nec ſacrificia, ſine quibus nulla poteſt conſtare religio. Quapropter ſcitè & eleganter Sacerdos appellatur *Omnipotentiæ Dei organum.* Omnem enim poteſtatem ſuam Dominus, diſcipulis ſuis (& eorum ſucceſſoribus) dedit, quando eos Sacerdotes noui & æterni Teſtamenti conſtituit.

De 7. gradibus Eccleſiaſticis.

CAPVT V.

Qualiter Sacerdos offerre debet, vt dignè & fructuosè ſuo officio defungatur.

Ep. 1. inter init. & med. tom. 1. & refertur diſt. 40. c. non eſt. & 2. q. 7. c. non omnes.

NON *eſt facile* (ſcribit præfatus S. Hieronymus) *ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri cum Chriſto regnantium.* vnde S. Bernardus ad ſuum Eugenium ep. 237. *Terribilis prorſus* (inquit) *terribilis eſt locus iſte? locus in quo ſtas terra ſancta eſt, locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius.*

Sed ſi loco Petri ſtare vel ſedere, non modò difficile, ſed terribile eſt? quàm formidabile debet eſſe Sacerdoti diuina Myſteria celebranti! ſtare loco Chriſti, vicem eius obire, perſonam gerere, & non modò eius loco offerre: ſed ipſum offerre & ſacrificare æterno Patri pro totius mundi expiatione & ſalute? Hoc enim opus omnium diuinorum eſt profectò diuiniſſimum, vt edoctus à Paulo Dionyſius verè & conuenienter appellat: qui ideo acriter ſuccenſet hoc tantum, támque tremendum officium temerè aggredienti*: *Qui audes* (inquit) *ſceleſtas blaſphemias ſuas* (*neque enim preces dixerim*) *ſacris aris inferre, eáſque ſuper ſigna illa diuina ad Chriſti ſimilitudinem dicere: non eſt Sacerdos, non eſt, ſed infeſtus, atrox, doloſus, illuſor ſui, & lupus in Dominicum gregem ouina pelle armatus.* Ita inuehitur diuinus Dionyſius in Sacerdotem impurè tractantem cœleſte hoc myſterium, acerbè quidem, ſed iuſtè & piè, & vt verbo vtar S. Auguſtini, verè Epiſcopaliter.

* Καὶ τολμᾷ τὰς ἐναγεῖς αὐτοῦ δυσφημίας (οὐ γὰρ εἴποιμι προσευχὰς) ἐπὶ τὰ θεῖα σύμβολα χριστοειδῶς ἐπιλέγων. Οὐκ ἔστιν οὗτος ἱερεύς, οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δυσμενής, δόλιος, ἐμπαίκτης ἑαυτοῦ, καὶ λύκος ἐπὶ τὸν θεῖον λαὸν τῷ κωδίῳ καθωπλισμένος.
S. Dionyſ. Areopag. epiſt. ad Demophilum. §. 2.

Quo ſpiritu, tametſi leuioribus verbis S. Cyprianus, periculi ſui Sacerdotes admonebat inclytus Dei Martyr & Pontifex, vbi ait Sacerdotibus maximum laborem incumbere in aſſerenda, propitianda, procuranda Dei Maieſtate erga homines; neque enim etſi ſacrificium ipſum, maximè autem apud Deum vim habeat, ex ipſo (vt loquuntur Scholaſtici)

Ep. 88. ſeu l. 1. ep. 3.

opere operato, tamen operantis Sacerdotis, aut nulla, aut exigua hîc pars eſſe cenſenda eſt. Sacrificium enim Miſſæ, ſeu tota actio ſacrificalis non rem tantùm oblatam dicit, non ipſum præciſè corpus & ſanguinem Chriſti: ſed hæc quatenùs certo & ſolenni ritu Deo offeruntur; at ſacrificij huius diuiniſſimi ratio, nec à ritibus & cæremoniis adiunctis, nec ab ipſius ſacrificantis blanda aliqua ac deuota ſupplicatione: ſed à ſola elementorum conſecratione qua hoſtia conficitur Deóque ſiſtitur, vim ac naturam ſuam accipit. At vſum eius ac finem, cùm reſpicimus, vt hac confecta, oblatáque Deo hoſtia aliquid à Deo impetremus: hîc ſacrificantis actio, pietas, deuotio, humilíſque & ſupplex obſecratio, valent plurimùm. Quamuis itaque res Deo ſacrificata & per hoc oblata Deo infinitæ ſit virtutis, non tamen cuiuſuis Sacerdotis ſacrificalis actio, paris etiam & infinitæ virtutis erit, ſed certus eſt applicationis gradus operi Sacerdotis connexus, ſicut & deuotioni quoque ipſorum pariter offerentium, id eſt ad oblationem illam à Sacerdote factam piis votis ac deſideriis concurrentium. Quemadmodum enim Sacramentum etſi infinitæ ſit ſemper virtutis, tamen nonniſi digniùs ſumentibus magis prodeſt, & quemadmodum Chriſti in cruce ſacrificium ſufficientiſſimum fuit ex ſe vt omnium peccata deleret: efficax tamen non eſt niſi per Sacramenta & per hoc maximè ſacrificium: denique quemadmodum vt fiat omnino ſacrificium, operantis Sacerdotis intentio prorſus neceſſaria eſt, ita planè vt ad certos vſus ac fines magis proſit ſacrificium, vt magis ſit efficax à parte miniſtri, deuotio Sacerdotis admodum proficit, eſt enim hoc ſacrificium non commemoratio tantùm, ſed & applicatio paſſionis Chriſti per miniſterium Sacerdotis.

Accedentem igitur ad altare Sacerdotem, luminis inſtar (ait S. Chryſoſtomus) *vniuerſum orbem luſtrantis, animum ſplendeſcentem habere oportet.* *lib. 6. de Sacerd.* Tunc lucerna ſuper candelabrum collocatur, cùm Sacerdos ad offerendum Deo ſacrificium, accedit ad ſanctuarium, diuinúmque altare ingreditur. In veteri Teſtamento lucernæ, quæ ſuper candelabrum ante propitiatorium accendebantur, erant lampades aureæ, quæ ponebantur ſuper extremitates brachiorum & haſtilis candelabri luminis, quod totum ex auro conflatum erat. Antiquiſſimus eſt candelabrorum in Eccleſia vſus, nam huius meminit S. Clemens ep. 2. ad Iacobum (ſeu potiùs Simonem) fratrem Domini. Et S. Athanaſius ep. ad Orthodoxos, vbi exprobrat Arianis quòd candelabra Eccleſiæ ad parietem apponerent, & certis idolis in fidei deriſum adolerent. S. Auguſtinus ſerm. 17. in dedicat. Eccleſiæ candelabra fuiſſe refert *circa fin. to. 10.* ſolenni ritu benedicta, his verbis: In Chriſto ædificatur Eccleſia, quæ abſcondi non poteſt, neque accendunt lucernam & ponunt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt; bene occurrit lectio quando candelabra dedicantur, vt ſit qui operatur lucerna poſita in candelabro. Sic Sacerdos in ſanctuario fulgere debet: nam Chriſtus ait Apoſtolis ſuis, quos primos Sacerdotes

ordinauit, *Vos eſtis lux mundi;* Et per Prophetam ait Deus, *paraui lucernam Chriſto meo:* Porrò Sacerdotalis iſta lucerna eſt, quia per hanc vniuerſo mundo Chriſti nomen, fides & gratia innotuit. Lucernarum tunc vſus adhibetur cùm ſol receſſit, ſic Sacerdotes remoto iam Chriſto & ſe ſecundùm viſibilem præſentiam remouente, mundum cœperunt illuminare, vnde Apoſtolus 2. Cor. 2. 14. *Deo gratias* (inquit) *qui ſemper triumphat, nos in Chriſto Ieſu & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* Non notitiam modò, ſed cultum per ſacrificium incruentum, quo *mors Domini* in omni loco *quotidie annunciatur:* Quam oblationem (inquit Beatus Irenæus lib. 4. c. 32.) Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo mundo, ſicut per Malachiam prænunciatum erat. Sed vt redeam ad propoſitum, lucerna vt aliis lucere poſſit, priùs in ſe ardet: ſic accedens ad altare Sacerdos, vt fideles illuminare poſſit, priùs in ſe exardeſcere debet igne charitatis & ardore pietatis, *Ambulat enim hic vt Cherub in medio lapidum ignitorum.* Putant plerique Sacerdotes, ſi pretioſa panoplia fulgeant cùm introeunt in Sancta, multum decori hoc ornatu ſplendido afferre religioni, aſtantéſque fideles ſacro hoc apparatu plurimùm ad diuini myſterij reuerentiam commouere. Et valet quidem ſplendida hæc panoplia ad conciliandum rebus ſacris decorum; ſed hæc non eſt præcipua ratio, qua Sacerdos in fidelium animis pietatis affectus ingenerare poſſit. *Non vt albam & ſplendidam tunicam* (ait ſanctus Chryſoſtomus hom. 60. ad populum) *circumeatis induti, Deus hoc vos inſigniuit honore. Sacerdotes eius* (ait Propheta Pſ. 133.) *induantur iuſtitiam, & ſancti eius exultatione exultabunt.* Nam Angeli & beati ſpiritus gaudent in cœlis, cùm Sacerdotem conſpiciunt introeuntem in Sancta, puritate, innocentia, pietate, fide, charitate exornatum. interior ille ornatus præcipuus eſt, quo accedens ad altare Sacerdos effulgere debet. Dicitur de S. Ioanne Bapt. *Erat hic lucerna ardens & lucens.* Ad hæc S. Bernardus ſuo modo, appoſitè & eleganter ſerm. in natiuit. B. Ioan. Bapt. *Eſt tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum, ardere & lucere perfectum;* Magis tamen conuenit Sacerdoti intus feruere, quàm foris fulgere, quia Deus cor intuetur, nec curat de externa ſpecie. Quamobrem idem B. Bernardus ingenioſè & ſapienter, *Quid lucere feſtinas? nondum enim aduenit illud tempus, in quo fulgebunt iuſti vt ſol in regno patris eorum, interim pernicioſus eſt iſte appetitus lucendi, feruere enim multo melius.* At verò in Sacerdote vtrumque neceſſarium eſt, feruere coram Deo ardore deuotionis; fulgere coram hominibus ſplendore bonæ opinionis & integræ famæ; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus,* (ait Dominus) *vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

Verùm quia de vtroque ornatu hîc ſermo incidit, excidere mihi non patior monitum non contemnendum: Non ita diu opus in lucem emiſi, cuius titulus eſt *Panoplia Epiſcopalis*, ſeu *de ſacro Epiſcoporum ornatu* libris VII. cum Analectis. In hoc totus ſum, vt per ſacra hæc dignitatis inſignia, quibus Chriſtiani antiſtites ſummo decore collucent,

cent, eos debita cum obſeruantia commonefaciam interioris ornatus, quo par eſt illos Dei in populo effulgere. De Clericis me ſuggeſſiſſe idem theorema liquet eo in opere quod *Panoplia Clericalis* inſcripſi, ſeu *de Clericorum tonſura & habitu*, ſcilicet magni Hieronymi documentum ſecutus: *Vetus lex noua congruit, id ipſum Moſes quod & Apoſtolus, ille Sacerdotis ſcientiam ornat in veſtibus, iſte Timotheum & Titum inſtruit diſciplinis &c.* Tum vno verbo omnia complexus: *In Sacerdote neceſſe omnia vocalia eſſe aſſerit, vt veritatem mente concipiat (non inanem virtutis ſpeciem) & toto eam habitu reſonet & ornatu, vt quicquid agit, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum; abſque tintinnabulis enim & diuerſis coloribus & gemmis, floribúſque virtutum, nec Sancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.* Quo ex monitu habet certè Sacerdos ingrediens in Sancta, per ſacra ipſa inſignia quæ gerit, vnde ſibi graues aculeos incutiat, ad piè & ſanctè, ac prorſus ſalubriter diuino officio perfungendum. Nicolaus Aurificus, tract. de dignitate Cleric. ex incerto Auctore refert quoſdam verſus, Sacerdotum memoriæ non inutiliter infigendos.

Tu quicumque voles Miſſam celebrare, Sacerdos,
Sis memor, & tota deuotus mente reuoluas,
Qualia ſit Chriſtus pro te certamina paſſus,
Velatum capite & deriſum ſignat amictus:
Linea veſtis item, quod ſit deſpectus in alba,
Vincula ſignificant fera, tortáque zona, maniplus;
Eſt ſtola imago crucis, quam humeris geſtauit Ieſus,
Cernis amictus, atque inde quater tu cernis in alba
Signa terebrati capitis, manuúmque pedúmque,
Purpureæ ſpectans caſulam veſtis memor eſto,
Vt rubro fuerit perfuſus ſanguine Chriſtus.

Túmque verba vertens ad fidelem ſacrificio aſſiſtentem, breuiter ſic eum affatur:

Cúmque Sacerdotem cernis ad aram properantem,
Tunc voluas animo memori vt conſcenderis vltrò
Caluariæ montem moriturus de cruce pro te, &c.

S. Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſ. c. 34. mirificè inſtruit Sacerdotem, qualiter ſacrificium hoc ſingulare & per omnia admirandum offerat, nempe, *Mundè*, (inquit) *& rectè, & legitimè.* *inter init. & med.*

ARTICVLVS I.

Sacrificium Euchariſtiæ, eſt mundè offerendum.

§. I.

De cordis & manuum offerentis munditia.

BEATI *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Munditia cordis duplex eſt, ſcilicet ab affectionibus inordinatis per virtutes & *Matth. 5. 8.*

dona appetitus, & à phantaſmatibus per donum intellectus *. Sacerdos ingrediens ad altare vtraque hac munditie nitere debet ſi Deo gratus eſſe velit, & ſacrificium quod oblaturus eſt, cupit ſua ex parte coram ipſa diuina maieſtate ratum & acceptum. Quamobrem ipſo in exordio Liturgiæ ſacræ hoc donum à patre luminum, à quo omne donum perfectum, & omne datum optimum, vt à viuo fonte dimanat, ſuppliciter depoſcit: *Emitte,* inquit, *lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua.* Lucem petit ad affectuum purgationem, & veritatem ad intellectus illuminationem; orat, inquam, vt munditia ſit ſibi caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Mos fuit antiquiſſimus orientalis Eccleſiæ, vt in diuina ſynaxi vox illa Diaconi è ſanctuario perſonaret, *Sancta Sanctis τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις* *. Scilicet ad monendum diuinis myſteriis aſſiſtentes, quanta cordis munditia & ſpiritus puritate iis non tantùm adeſſe, ſed communicare eos oporteat. Mundis corde ſiquidem Deus gaudet ſancta illa munera tribuere, quæ immundis horret communicari; nam prohibet in Euangelio Dominus, *ſancta dare canibus, & margaritas proiicere ante porcos. Foris canes* (clamat ſpiritus in Apocalypſi 22.) *& venefici & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* hinc foras expellebantur omnes immundi, energumeni, & pœnitentes, ſolúſque ſanctus populus diuinæ actioni intereſſe poterat. Pulchrè ad hæc ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſ. 5. Myſtag. *Sancta ſunt in altari propoſita quæ Spiritus ſancti aduentum ſuſceperunt; ſancti quoque vos eſtis, vt qui ſancto Spiritu donati eſtis; atque ita Sancta Sanctis conueniunt.* Porrò ſi in populo tanta puritas exigitur, quanto maior in Sacerdote requiritur munditia, cuius officium eſt fideles purgare & illuminare, ſacráque hac communione quam conſecrat & diſpenſat, reficere & perficere? Diuinæ ſuæ mentis acumen hic attollit magnus Dionyſius, indagando enim cur ſacrificans manus cum ſacris ſymmyſtis & miniſtris ſolenniter ad altare lauat, hoc theorema hinc elicit: ** *Aſtans coram ſignis ſanctiſſimis, Pontifex manus lauat cum honeſtiſſimo Sacerdotum ordine. Quod quidem iuxta Saluatoris eloquium, is qui lotus eſt, nulla alia niſi tantum ſummitatum extremitatúmve ſuarum lotione indigeat &c. Eos enim qui ad Sacramenta cæleſtia conficienda procedunt, eá oportet eſſe munditiâ, vt ipſas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, ſicque ad reuerenda myſteria (quantum fas eſt) ſimilitudine puritatis accedere.* Cuius aſſimilationis pro modulo Sacerdoti affectandæ hanc rationem ſubnectit: * *Si enim id verum eſt quod qui ſe Deo omnino deuouit, videlicet qui digniſſimè diuinis participandis admittitur, qui quantum fas eſt homini, ad ſummam prouectus eſt diuinæ imitationis effigiem, is neque ea quæ carnis ſunt geret, niſi in quantum vrgebit neceſſitas naturæ &c. templúmque diuini ſpiritus erit profectò, qui eiuſmodi eſt nunquam aduerſis imaginibus, terroribúſque vexabitur, ſed ridebit potiùs, accedentéſque profligabit ac perſequetur, agétque magis quàm patietur.* Vtinam Sacerdoti cuique celebranti tanta cordis animíque munditia ineſſet, verè ſancta ſanctè conficeret ac offerret. Verùm tametſi vix iam vllus ſit qui tantam

* *S. Thom. 2.2. q. 8. a. 6. o.*

Pſ. 42. 3.

S. Greg. hom. 13. in Euang.

* Etiamnum hæc extant verba in Liturgia S. Chryſoſtomi, mox poſt hoſtiæ adorandæ eleuationem. Vide Rituale Græcorum, p. 81.

** *S. Dionyſ. Areopag. Eccl. Hierarch. c. 3 p. 3. §. 10. vide ſupra.*

* Εἰ γάρ ἐστιν ἀληθὲς, ὡς ὁ τῷ θεῷ θεῖος αὐτὸς ὁ τῶν θείων ἄξιος κοινωνὸς ὁ πρὸς τὸ κατ' αὐτὸν θεοειδὲς ἄκρως ἐν τελείῳ καὶ δυνατῇ θεώσει ἀναγόμενος, οὐδὲ τὰ σαρκὸς ἐνεργήσει πλὴν τὰ κατὰ φύσιν ἀναγκαιότατα, καὶ τοῦτο εἰ τύχοι παρέργως, ναὸς δὲ ἅμα καὶ ὀπαδὸς ἔσται κατ' αὐτὸν ἀκρότατα θεώσεως τοῦ θεαρχικοῦ Πνεύματος ἔσται, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἐνιδρυμένων ἐκ τοῦ ὁ τοιοῦτος οὐκ ἄν ποτε ὑπὸ τῶν ἐναντίων εἰδώλων καταπλαγείη, γελάσεται δὲ αὐτά, καὶ προσιόντα καταλύσει, καὶ ἐκδιώξεται, καὶ δράσει μᾶλλον ἢ πείσεται. *Ibid. §. 7.*

puritatis perfectionem ſit adeptus; eniti tamen pro virili quiſque debet, vt nonniſi mundato intellectus oculo & cordis affectu diuinam ad aram accedat; *Si enim* (inquit idem B. Dionyſius *) *Sacerdotum ſanctus ordo, is eſt qui illuminat, proculdubio ille à Sacerdotali ordine & virtute omnino prolapſus eſt, qui illuminans non eſt, multóque ſanè magis qui neque eſt illuminatus.* Hinc in Latina Eccleſia tot Sacerdotis expurgationum ritus, hinc bina ante ſacrum myſterium Sacerdotis confeſſio, ſecreta ſeu Sacramentalis, & publica ſeu generalis, cum miniſtris & populo in ipſo ad altare ſacrum ingreſſu; bina manuum ablutio, antequam ſcilicet ſacris veſtibus induatur; deinde cum præambulis quibuſque expletis, diuina iam myſteria auſpicatur; tot inſuper ſuper ſe Sacerdos efformat ſalutiferæ crucis ſignacula, tot preces ingeminat, quibus nihil inſtantiùs quàm ab omni labe munditiem oris & cordis puritatem diuinitus ſibi concedi expetit. Iiſdem ferè modis Sacerdos in orientali Eccleſia ſeſe diuinam ad ſynaxim apparat, ſiquidem in Liturgia S. Chryſoſtomi hæc præparatio aſſignatur: *Sacerdos diuinum myſterium peracturus, ante omnia confiteri, & cum omnibus reconciliatum ſe habere debet, necnon cor à prauis cogitationibus cuſtodiuiſſe &c. & vſque ad ſacrificij tempus vigilaſſe; tempore verò ſacrificij inſtante, poſtquam Præſidi quæ fieri conſueuit, reuerentiam exhibuerit, templum ingreditur, & Diacono iunctus, ter ſimul adorant ad orientem coram Saluatoris & ſanctiſſimæ Deiparæ imagine, & ad vtrumque chorum pariter ſemel inclinant, quando autem adorant, ſecretò hanc orationem dicunt: ** Emitte Domine manum tuam de excelſo habitaculo tuo, & confirma me ad propoſitum miniſterium tuum, vt inculpatè tremendo tuo tribunali adſtans, incruentum ſacrificium peragam. Quia tua eſt potentia & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

* Εἰ τοίνυν ὁ τῆς ἱερέων διακόσμησίς ἐστιν ὁ φωτιστικὸς, παντελῶς ἀποπέπτωκε τῆς ἱερατικῆς τάξεως καὶ δυνάμεως, ὁ μὴ φωτιστικὸς, ἢ πολύ γε μᾶλλον ὁ ἀφώτιστος. *Idem ep. ad Demophilum quæ eſt ſerie 8. §. 2.*

** Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ἐξαπόστειλον τὴν χεῖρά σου ἐξ ἁγίου κατοικητηρίου σου, καὶ ἐνίσχυσόν με εἰς τὴν προκειμένην διακονίαν σου, ἵνα ἀκατακρίτως παραστὰς τῷ φοβερῷ σου βήματι, καὶ τὴν ἀναίμακτον ἱερουργίαν ἐπιτελέσω, πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. *Liturg. S. Chryſoſtomi.*

§. II.

De Confeſſione à Sacerdote Miſſam celebraturo præmittenda.

COMMVNICARE *volenti* (ait Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſeſſ. 13. c. 7.) *reuocandum eſt in memoriam Apoſtoli præceptum; Probet ſe ipſum homo; Eccleſiæ autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad ſanctam Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta ſynodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit copia Confeſſoris.* Sic docet, ſic decernit ſapientiſſimum illud Concilium.

Et ſanè neceſſe habuit expreſſim declarare, Sacerdotes qui ex officio celebrare tremendum illud ſacrificium obſtringuntur, non ideo ſi conſcios ſe nouerint grauis reatûs, ab illo debito excuſari, vt priuſquam ad altare Dei accedant, ſuam expurgent conſcientiam per Sacramentalem confeſſionem ab illa exitiali impuritate. Erant enim plerique, qui prætextu obligationis celebrandi ex iniuncto officio, ſeſe

immunes putabant à confeſſionis præmittendæ debito, ſat eſſe dicentes, ſi actu interno dolerent de peccatis admiſſis; cuius actus cùm nec Eccleſia iudex eſſe poſſit (nam Eccleſia non iudicat de occultis) de ipſo nec eliciendo curabant, & ſic cum euidenti animæ exitio, & aliquoties cum graui ſcandalo, præſumebant ad Sancta Sanctorum introire.

* *Steph. Duranti, de ritib. Eccleſ. Cathol. c. 42. §. 4.*

Hîc mihi in memoriam redit pium & præclarum illud viri doctiſſimi * ad Sacerdotes monimentum, *Hac in parte* (ait perpendens illa verba ſacri Canonis: Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam) *Sacerdotes admonitos velim, quàm purè & caſtè, quàm diligenti præparatione, & ſyncera deuotione accedere debeant ad hanc hoſtiam puram, ſanctam, & immaculatam, panem vitæ & calicem ſalutis perpetuæ oblaturi, ne ſi peccatis obnoxij offerant, eorum oblatio ſit quaſi qui victimat filium in conſpectu patris. Eccleſ. 34.* Non poſſum non grauiſſimè commoueri, non dolere & non gemere, videns Miſſæ ſacrum ipſis quoque virtutibus cœlorum adorandum, hoc infeliciſſimo ſæculo à quibuſdam Miniſtris indignè, ſummáque incuria fieri.

Ethnici ſacrificuli ſurgent in iudicio aduerſus ſegnes & impuros illos Chriſtianæ religionis Sacerdotes; quandoquidem ad nefanda illa ſacra quæ diis fictitiis, & inanibus ſimulacris faciebant, magno cum metu & reuerentia accedebant; nec enim illa aggrediebantur niſi ſeria diſpoſitione & ſtudioſa præparatione adhibita. Hinc illa ſolennis apud ipſos proclamatio, *Ad diuos adeunto caſtè, pietatem adhibento, opes amouento; qui ſecus faxit, numen erit vindex.* Nec dicas, verbi causâ & perfunctoriè hoc præcedebat monitum. ſummâ enim curâ hunc ſatagebant morem gerere; ſiquidem Ægyptij Sacerdotes negotiis omiſſis, nunquam mulieribus indulgebant, carnibus & vino abſtinebant, Gymnoſophiſtæ ita erant continentes, vt pomis ſolùm, orizâ & farinâ alerentur, Hierophantæ Athenienſium, poſt ſuſceptum Sacerdotium, vt caſtè & ſanctè ſacrum facerent, cicutæ ſorbitione ſeſe operi coniugali reddebant inhabiles; ita & matris Deorum Sacerdotes. De Numa Pompilio narrant cùm pro frugibus ſacra faceret, vſu carnium & venere abſtinuiſſe. Sacris Iſidis initiandi per decem dies carnibus & vino abſtinebant, ſolitíque erant priuſquam ſacrificarent, noxarum pœnitere, admiſſa fari, vultu & habitu ad omnem modeſtiam compoſito ſacris operari; ſordes etiam corporis abluebant. Hinc Æneas niſi lotus ſacrificare noluit, ait enim Æneidos 6.

——————— *Donec me flumine viuo,*
Abluero. ———————————

Triumphales viri, & qui magiſtratum geſſerant, in triumphali ornatu aut in prætexta ſacrificabant, fronde coronati, lotis manibus, nudis pedibus, vt Plutarchus teſtatur. Addit Virgilius.

———— *Fontémque ignémque ferebant,*
Velati lino, & verbenâ tempora vincti.

Apud Græcos, Sacerdos ſacrificaturus, præfabatur, Quis hîc? qui

intererant ſacris reſpondebant : πολλοὶ ϗ ἀγαθοὶ, id eſt multi & boni, vnde tritum illud Virgilij,

——— *Procul hinc, procul eſte profani!* *6. Æneid.*

Sed ſi pudet Ethnicorum pietate vinci ; his prætermiſſis, ad Hebræos Sacerdotes, quibus omnia in figuran noſtri contingebant, conſiderationis noſtræ aciem conuertamus. Vmbram habebat lex futurorum bonorum non ipſam ſubſtantiam rerum, tamen Pædagoga noſtra ad Chriſtum fuit, etenim eius omnis diſciplina fuit doctrinæ ac politiæ noſtræ quædam præfiguratio, & typus. Quemadmodum enim ſacrificia eorum noſtri ſingularis fuerunt antitypa, ſic Sacerdotium eorum noſtrum præfigurauit; & ideo quicquid eis pro officij ſui digna perfunctione fuit lege præſcriptum, erat adumbratio quædam atque præludium noſtræ inſtructionis ac œconomiæ. Sanè quamuis illorum ſacrificia typica & figuratiua tantùm eſſent, tamen ob relationis quam habebant ad noſtrum, tanquam prototypum, religionem & reuerentiam, Sacerdotes ſacrificaturi non temerè ſeſe diuino huic officio ingerebant, at ſe diſponebant certis modis & ritibus, quibus vt decet præpararentur. *Hebr. 10. 1.*

I. Abſtinebant à vino & omni potu qui inebriare poteſt; Sic enim lex ferebat, Leuit. 10. 8. *Vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis : Tu* (Aaronem alloquitur) *& filij tui quando intrabis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini :* ſubmonendo vt paſſionum carnalium tumidos æſtus & vanitatum ſæculi fumidos ambitus prorſus deponerent, crapulam & quicquid mentem hebetat, ſedulò fugerent, ad Dei altare acceſſuri.

II. Abſtinebant à coniugij vſu, omníque libidine, vt Deo caſtè miniſtrarent.

III. Nudis pedibus accedebant ad ſacrificium offerendum, exutâ ſcilicet omni terrenarum rerum cogitatione & affectu, inſuper profitendæ coram Deo humilitatis causâ. Hinc illud Pythagoricum, *Nudis pedibus ſacrifica.* nam ex libris Moyſis, Pythagoras pleraque dogmata arcanáque deſumpſit.

IV. Purificabant ſe aqua cinerali vitulæ rufæ, ſi eſſent immundi, vt habetur Num. 19. quò ſpectans Apoſtolus, Heb. 9. 13. hinc colligit : *Si cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?*

V. Denique iuxta legem, pedes & manus lauabant. Exod. 30. 19. *Et miſſâ aquâ è labro æneo, lauabunt in ea manus ſuas & pedes, ne fortè moriantur.* Si fortè illoti, cum ſordibus præſumerent ad ſacrificium offerendum prodire.

Hæc omnia antiquæ legis Sacerdotum præparatoria ad ſacrificium officia, Sacerdotes nouæ legis, qui ſacrificio infinitè digniori deſeruiunt : longè etiam amplioris curæ & operæ adhibendæ ad ſe tanto muneri præparandum, commonefaciunt. Chriſtus antequam Apo-

ſtolos ſuos admitteret ad incruenti ſui ſacrificij conuiuium, eorum lauit pedes, quo nimirùm admoneret eximiæ puritatis & munditiæ, quam habere debent diuinis his myſteriis vel operaturi, vel communicaturi. Porrò quia in nouo Teſtamento calceati celebramus, tranſtulit Eccleſia lotionem pedum ad manus ablutionem, quam bis Sacerdos facit antequam diuinam oblationem conficiat; nam antequam ſacras induat veſtes, abluit manus in ſacriſtia, & rurſus ad altare poſt offertorium, cùm præfationem ad Canonem incepturus eſt. Nec mos iſte nouus, ſiquidem S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 5. Myſtag. *Vidiſtis*, inquit, *Diaconum aquam lauandis manibus Sacerdoti porrigentem?* Et S. Chryſoſtomus hom. 61. ad popul. Antiochenum, *Dic mihi, illotis manibus ad ſacrificium eligeres accedere? Non puto.* Quin & antiquior vtroque, S. Clemens lib. 8. Conſtitut. Apoſtolic. c. 11. *Vnus*, inquit, *Subdiaconus aquam Sacerdotibus miniſtret ad lauandum manus, quod eſt ſignum puritatis animarum quæ Deo dicatæ ſunt.* Eundem finem notat huius ablutionis S. Cyrillus citato loco, vbi ait, *Ablutio nobis Sacerdotibus innuit, vt puri conſcientia, mente & cogitatione, quæ ſunt manus animarum noſtrarum, cum timore & manſuetudine & omni clementia ad ſanctam menſam accedamus.* Et S. Germanus in theoria rerum Eccleſiaſticarum, *Lauat* (inquit) *Sacerdos manus hoſtiam oblaturus, vt ſignificet ſe lauare, & purgare debere conſcientiam lachrymis pœnitentiæ.* Hinc aqua cineralis vaccæ rufæ (de qua ſuprà) cum hyſſopo, quæ propter amaritudinem pœnitentiæ ſymbolum eſt, aſpergi conſueuerat. quò ſpectat & illud Dauidicum,
Pſal. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor* &c. Innocentius III. lib. 1. Myſterior. Miſſæ, c. 49. *Sacerdos celebraturus*, inquit, *manus lauat vt ſpiritaliter mundet actus.* Signum eſt igitur externa illa ablutio interioris puri-
1. Reg. 16. ficationis, ſine qua exterior purificatio nihil prodeſt. Nam *Deus in-*
Prou. 23. 26. *tuetur cor*, ideo ait, *Fili, præbe mihi cor tuum?* mundum ſcilicet & purum, nam pollutum Deus odit & reiicit. Porrò quia iſta munditiés eſt ad opus & vſum ſalutarem huius ſacrificij planè neceſſaria, cauere ſummopere debet Sacerdos, ne ſine hac veſte nuptiali accedat, ad diuini huius myſterij ſacrificium celebrandum; niſi enim conuenienter diſpoſitus accedat, diuinam non placabit maieſtatem; at Dei in ſe indignationem potiùs prouocabit.

Poteſt autem hæc diſpoſitio requiri aut ex parte animi, aut ex parte corporis. De diſpoſitione corporali, ſeu externa, puta de Sacerdote quòd ſit ieiunus, quòd ſacris indutus veſtibus, quòd loci & temporis præſcriptas à ſacris Canonibus leges exactè cuſtodiat, iam fuit ſuperiùs ſatis pro inſtituto diſſertatum: de interna autem iam etiam pleriſque libri huius locis dictum eſt; idcircò hîc propriè nonniſi de ea quæ in præfixo huius Articuli lemmate ſignatur, mihi incumbit tractandum. Sunt qui putant non alia ratione Sacerdotem obſtringi præmittendæ confeſſioni ante ſacrificium, quàm quia in eo communicaturus eſt. Ego non ſic cenſeo: Euchariſtia enim dupliciter conſideratur, vt eſt ſacrificium, & prout eſt Sacramentùm: In quantum eſt ſacrificium, Deo offertur: vt eſt Sacramentum, nobis

communicatur, nec magis de ea Sacerdos participat quatenùs eſt Sacramentum, quàm ſimplex laicus. Quapropter quantum ad communionem, æquipariter cum eo ad expurgandum conſcientiam ſi peccato lethali laboret, per ſinceram confeſſionem Sacramentalem, vt purè & fructuoſè communicet, obligatur: qui enim accedit ad Euchariſtiam ſine diſpoſitione ad gratiam & cum conſcientia peccati mortalis, lethaliter peccat, quemadmodum egregiè docet S. Cyprianus, lib. de lapſis circa med. & ſerm. de Cœna Domini, Cyrillus Alexandrinus, lib. 12. in Leuit. S. Hieronymus ad 3. cap. Euang. Marc. & inſinuat verè & eleganter S. Iſidorus lib. de ſummo bono, c. 24. his verbis: *Qui ſcelerate viuunt in Eccleſia & communicare non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari: diſcant nihil ad emundationem ſibi proficere, dicente propheta, Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* Et Apoſtolus, *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat.*

Ierem. 11. 15.

1. Cor. 11.

At verò, vt Euchariſtia eſt ſacrificium, longè maiori iure Sacerdos obligatur, quia nimirùm ſacrificium directè reſpectum habet ad Deum, & actio eſt diuinior, illud ſacrum & ſingulare ſacrificium facere, quàm ſumere Sacramentum: vnde illæ omnes præparationes quæ in lege Moyſis Sacerdotibus præſcriptæ erant in typum legis gratiæ, ſacrificia ſpectabant. Nec valet inſtantia ex eo quòd ſacrificia illa rationem etiam Sacramenti coniunctam habebant, nam qui offerebant ſacrificia, de illis comedebant, vnde illud Apoſtoli 1. Cor. 10. *Videte Iſraël ſecundùm carnem, nónne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?* Siquidem aperta eſt reſponſio, licèt enim de pleriſque ſacrificiis comederent offerentes, non tamen de omnibus manducabant; holocauſtum omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum erat, & de illo fas non erat quicquam comedere, cùm totum neceſſe eſſet incendio conſummari, & nihilominùs holocauſtum offerentes, ad præparationes lege præſcriptas obligati erant: igitur ordinatæ erant præcipuè propter ſacrificium. Quapropter Sacerdos celebrans ſacrificium Miſſæ, diuinum auxilium, Sanctorum ſuffragia, & aſſiſtentium preces, directè & principaliter propter actionem ſacrificij quam aggreditur, implorat:* *Pontifex* (ait S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 3.) *priùs quàm hoſtiam ſalutarem quæ ſupra ipſum eſt, litet, ſe excuſat ad ipſum exclamans, tu dixiſti, hoc facite &c.* Et in orat. S. Ambroſij præparatoria ad Miſſam (quæ etiamnum in vſu eſt) die Dominica, ſic orat Sacerdos: *Propter magnam clementiam tuam* (*Domine*) *concede mihi quæſo hodie Miſſarum ſolennia mundo corde & pura mente, & vt decet celebrare.* Et feria 2. *Rex Virginum, caſtitatis & integritatis amator Deus, cœleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, vt maneat in me tenor caſtitatis corporis & animæ &c. Da mihi veram & perpetuam caſtitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt ſacrificium laudis caſto corpore & mundo corde valeam tibi offerre.* Et feria 3. *Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, vt concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate & lachrymarum fonte &c.* Feria 4. *Ego*

* Ὅτι (ὁ θεῖος ἱεράρχης) εὐλαβῶς τε ἅμα καὶ ἱεραρχικῶς μετὰ τοὺς ἱεροὺς τῶν θεουργιῶν ὕμνους, ὑπὲρ τὸ αὐτοῖς ἱερουργίας ἀπολογεῖται, πρότερον ἱερῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοῶν, Σὺ εἶπας, Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

De Eccl. Hierarch. c. 3. § 12.

ctore, Sacerdotem non ita ſtrictè obligari ad ſe exactè præparandum circa ſacrificij celebrationem, ac laïcus tenetur ſe accuratè diſponere ad ſacram communionem. * *Neque enim ad celebrandum quotidie,* (inquit) *eam requiri ſanctitatem, quam ad communicandum quotidie, aut bis in hebdomada in laicis requirimus.* Maiorem enim diſpoſitionem ad ſacrificandum requiri, quàm ad communicandum, abſolutè loquendo ſuprà demonſtratum eſt. Igitur quoties celebrat Sacerdos, perfectiùs ſemper, quàm laïcus communicans, præparatus eſſe debet.

* *Vaſquez diſp. 232. q. 83. a. 3. fine, tom. 3. in 3. p. S. Thom. p. 482.*

Nec valet ratio ab illo Doctore (quem alioqui multa cum veneratione ſuſpicio) ibidem aſſignata, eo quòd Sacerdoti conuenit munus ſacrificandi, non tantùm in ſuam, ſed etiam in populi vtilitatem: & ita propter vtilitatem publicam dubitare non debet quotidie celebrare, etiam ſi non communicaret, ſi laicus eſſet cum eadem animæ diſpoſitione, vtilitatis enim publicæ intuitu non tenetur quotidie celebrare, igitur cùm mera ex voluntate hoc faciat, ad aliquid admittendum non vrgetur, quod ipſimet ſibi detrimentum afferat; at verò accidit eiuſmodi diſpendium, ſi minùs ſibi quàm proximo conſulit, & minùs Deo placere curat quàm proximo prodeſſe. Adde quòd in culpa eſt Sacerdos, ſi minùs piè & purè præparatus frequenter accedat ad ſacrificium offerendum, quàm laicus ad communicandum: tum quia frequens celebratio quæ ſine communione non fit nec fieri poteſt, debet parere Sacerdoti maius incrementum ſanctitatis, quàm laïco fideli ſimplex communio, *Qui enim bene miniſtrauerit,* (ait Apoſtolus 1. Timoth. 3. 13.) *gradum bonum ſibi acquiret.* Plus igitur meriti eſt in bene offerendo, quàm in bene communicando tantùm. Tum quia peculiarem gratiam habet Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis ad officio Sacerdotali rectè & fructuoſè fungendum, iuxta illud Apoſtoli ad Timotheum, *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* 2. ep. 1. 6. Et 1. ep. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt &c. cum impoſitione manuum Preſbyterij.* Negligit autem ſi ea non vtitur: at ſi vtitur bene, creſcit illa gratia, eſt enim talentum illud myſticum, quod ad multiplicandum datum eſt. Sicut igitur Sacerdos qui non celebrat, vel raro admodum celebrat ſacrificium, hoc augmentum perdit, ſic è contra qui quotidie vel frequenter celebrat, augmentum gratiæ Sacerdotalis acquirit, proinde ſi bene diſpoſitus hodie celebrat, craſtina die ſi itidem celebrat, maiorem gratiæ gradum conſequetur ad perfectiùs poſtea ſe diſponendum, meliúſque ideo celebrandum. Quia igitur per hanc gratiam Sacerdotalem quæ officio annexa eſt, & per ordinationem confertur, ſeſe poteſt perfectiùs diſponere, ad hoc tenetur: Etenim ſi minus perfectè, ipſi imputabitur qui negligit chariſma gratiæ, quod in ſe eſt. hæc enim vt ea non vtendo minuitur, ſic vtendo augetur. At iſtud donum Sacerdoti proprium eſt. quamobrem Sacerdos non excuſatur à culpa, ſi minus rectè diſpoſitus accedat ad celebrandum, quàm laïcus præparatus ſit ad communicandum.

Porrò de diſpoſitione multiplici, quam debet Sacerdos celebra-

habet, vel qui notoriè ſuſpenſus, aut excommunicatus eſt, idoneus non eſt Confeſſor, quia vt legitimè non poteſt abſoluere, ideo nec legitimè poteſt pœnitens ſi hoc ſciat, confiteri. Item ſi quis foret peccata confeſſurus, caſus haberet ſuperiori reſeruatos: tum enim ab inferiore abſolui non poſſet; quapropter Sacerdos ille inferior non foret Confeſſor idoneus. At verò quamuis pœnitens non haberet caſus reſeruatos, & qui adeſſet Sacerdos, iuriſdictione ſeu ordinaria, ſeu delegata ſufficienter fulciretur, nec vllâ cenſurâ eſſet, quod noſci poſſet, irretitus; nihilominus ſi metus impenderet infamiæ aut periculi cuiuſdam, ex eo quod vel Sacerdos iſte odio eſſet præoccupatus, vel ſilentij parum tenax, cùm nemo teneatur prodere ſeipſum: meritò cenſeretur, tum etiam præſente tali Sacerdote, communicare volentem copiam non habere Confeſſoris; quemadmodum & cùm eo idiomate nequit peccata declarare, quod à Sacerdote cæterà idoneo poſſit intelligi.

De neceſſitate vrgente, cuius occurſu Concilium immunem reddit à piaculo communicantem Sacramentali confeſſione non præmiſſa, Theologi paſſim conueniunt, his in cauſis locum habere.

I^a. Si inſtet mortis periculum ei qui communicaturus eſt, & Sacerdos non adſit, ſed Diaconus tantùm, qui poteſt quidem in hoc caſu diſpenſare corpus Domini, at abſoluere non poteſt defectu clauis ordinis; hæc neceſſitas non ſolùm magna, at etiam maxima eſt.

II. Cui hæc proximè accedit, ſiquis verſetur in periculo mortis imminenti, & petit viaticum: tum enim Sacerdos præſens, ſi adeſſet ad conſecrandum hoſtiam, celebrare ſacrum teneretur, ad hoſtiam conſecratam illi in extremis conſtituto communicandam; hæc enim proximi neceſſitas grauis eſt & ſpiritualis, & ex charitatis debito obligat Sacerdotem laboranti fideli in tali diſcrimine ſubuenire.

III^am Imminere cenſere eſt, ſi quis non poſſit celebrationem omittere, vel communionem ſine graui infamia, quam vitare non poſſit aliam probabilem excuſationem prætexendo.

IV^a eſt, ſi ſequatur ſcandalum ex omiſſione celebrationis vel communionis.

V^a eſt, neceſſitas abſoluendi inchoatum ſacrificium. Tum enim maximè ſi Sacerdos dicta præfatione meminerit alicuius peccati mortalis, quod in confeſſione non expreſſerit, nihilominùs eſt ei progrediendum; actu tamen quantum poteſt contritionis tunc & ibi elicito. Similiter & laicus ſi iam ad altare communicaturus eſt, & porrectâ ſibi hoſtiâ, vel proximè porrigendâ, peccati huiuſmodi omiſſi in confeſſione recordetur, à ſacra menſa recedere non debet, aiunt plerique, quia non decet, nec enim fieri poſſet citra ſcandalum circumſtantium. Verùm cauſa hæc tenuis texturæ mihi videtur, quia longè facilius eſt laïco recedere ſine ſcandalo à menſa Domini, communione non ſuſcepta, quàm Sacerdoti ab altari, Miſsâ iam inceptâ, & nonnihil poſt initium productâ.

VI. cauſa; Quando Sacerdoti incumbit ex officio celebrare, maximè die Dominica vel feſto, quibus populus ſacrum audire de præcepto tenetur: Quæ cauſa vrgentis neceſſitatis à Concilio Tridentino ſpecialiter indicatur, *Quod ſi* (inquit) *neceſſitate vrgente Sacerdos* (cui ex officio incumbit celebrare) *abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* Sic enim illum in eo caſu excuſat, quamuis ſubinde obſtringat quamprimùm confiteri.

Sed circa illud aduerbium, *quamprimùm*, oritur quæſtio, an pariter laïcus qui communicauerit confeſſione non præmiſſa, propter aliquam ex cauſis prædictis, teneatur etiam facta communione, quamprimùm confiteri? ſed omiſſis peculiaribus D D. nonnullorum placitis, ſatius eſt reſpondere ex decreto Tridentino non teneri, in quo hæc capitis clauſula manifeſtè de ſolis Sacerdotibus ſubiungitur. Sed tamen ab hoc debito laïcus non ſit immunis, cui aliunde obnoxius eſt, nempe obligatione reparandi quo citiùs poteſt grauis illius defectûs, tantùm ex certa occaſione pro hîc & nunc tolerati, & animæ ſuæ ſecuritati & ſaluti promptè & ſincerè proſpiciendi, *Maledictus eſt enim qui facit opus Dei negligenter;* Et qui facta ſic communione deinceps ſedulò non curaret abſtergendi eiuſmodi peccati, haud omnino foret immunis in Dei iudicio à reatu imminutæ religionis erga diuinum hoc Myſterium, quod vt ait S. Epiphanius, *præcipua noſtra ſalus eſt.*

Ierem. 48. 10.

Apud S. Hier. ep. 60. ad Ioan. Hieroſol.

Porrò illud, *quamprimùm*, non ita tamen, etiam Sacerdotis celebrantis reſpectu, ſtrictè intelligendum venit, vt ſtatim peracto ſacro, relictis omnibus, neceſſe ſit illum perquiſitum ire Confeſſorem idoneum, cui mox abdita conſcientiæ exactè aperiat; tum enim ex hac feſtinatione ſuſpicio facilè ſuboriretur, haud fortè citra ſcandalum, quòd inexpiatâ conſcientiâ ſacris fuiſſet operatus. Adde quod in pagis & vicis, vbi vtplurimùm vnus eſt ſolùm Sacerdos, huic non ſuppetit facultas eo inſtanti quo abſoluit ſacrum, parochiâ exeundi ad quærendum ſibi idoneum Confeſſorem, eo quod ſcilicet præpediatur alia neceſſitate obeundi ſui paſtoralis officij, circa infirmos in extremis laborantes, aut pueros baptizandos, aut quia ipſe Sacerdos ſit ſenio grauis, aut aliqua infirmitate debilis, & ſic nequeat promptè & expeditè aliò proficiſci: tunc enim ſufficit ſi quamprimùm confiteatur, ſcilicet tempore commodo & opportuno, quod arbitrio boni viri, ſincerè, ſecundùm veras circumſtantias temporis, loci, & perſonæ iudicantis, arbitror eſſe relinquendum.

Cur autem ſapientiſſimum Concilium Tridentinum indulſerit Sacerdotibus, quibus ex officio neceſſitas celebrandi incumbit, vbi deeſt copia idonei Sacerdotis Confeſſoris, confeſſione non præmiſſa ſacrum facere: quamuis ratio cuique pateat ex cauſis præſignatis; alia inſuper quæ magni momenti eſt, hîc annotanda venit, nempe vt occurſum iret periculo quod olim contigit miſero cuidam Sacerdoti, cuius luctuoſum facinus refertur ab Innocentio III. de celebratione Miſſarum, lib. 3. Decret. Greg. tit. 41. cap. *de homine. Quæſiuiſtis,*

(inquit, reſcribendo Rectoribus fraternitatis Romanæ) *quid de incauto Preſbytero videatur, qui cùm ſe ſciat in mortali crimine conſtitutum, Miſſarum ſolennia quæ non poteſt propter neceſſitatem quamlibet intermittere, propter ſui facinoris conſcientiam dubitat celebrare, peractiſque cæteris circumſtantiis, Miſſam celebrare ſe fingit, & ſuppreſſis verbis quibus conficitur corpus Chriſti, panem & vinum tantummodò purè ſumit; ita credens per id quod prætendit, populo ſatisfacere, vt per hoc quod intendit, Deum non debeat prouocare. Cùm verò falſa ſint reiicienda remedia, quæ veris ſunt peccatis grauiora &c. Licèt is qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet grauiter, ſi ſe ingerat irreuerenter ad illud, grauiùs tamen videtur offendere qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare, cùm ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat; iſte verò non ſolùm Deo (cui non veretur illudere) ſed populo quem decipit, ſe aſtringat.*

Vtrumque extremum voluit ſacra illa Synodus Oecumenica ſuo decreto præcidere. Quamobrem diſtrictè iniunxit Sacerdotibus, illis etiam qui ex officio celebrare tenentur, priùs conſcientiam eluere, (ſi labe mortalis piaculi ſint affecti) per Sacramentalem Confeſſionem; ſed tamen quamuis eiuſmodi peccati conſcij ſint, ſi deſit copia idonei confeſſoris & neceſſitas vrgeat, nihilominus ſine reatu violatæ religionis poſſint ſacrificium celebrare declarauit, dummodò ipſi poſtea quamprimùm confiteantur; Proinde operando ſacris ſint in voto confitendi, & ſi non actu pœniteant, ſaltem affectu conterantur.

ARTICVLVS II.

Rectè.

IN ſcripturis ſacris rectum pro iuſto paſſim ſumitur; hinc iuſti, & recti pro ſynonymis accipiuntur. Rectum aliàs ſumi poteſt pro eo quod planum & æquale, nulláque parte curuatum eſt aut diſtortum. Sic linea dicitur recta, cuius medium vtrique extremitati æquali productione reſpondet. Quo ſenſu Sanctus Ioannes Præcurſor Domini clamabat Iudæis, *Parate viam Domini,* *Iſa. 40. 3.* *Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* id eſt curate non ſo- *Mat. 3.* lùm ne quid habeat ſordidi, & cuiuſdam aſperitatis, ſed etiam *Marc. 1.* *Luc. 3.* indecentiæ ac inæqualitatis: ſed vt nitida, & ſpecioſa ſit complanatáque ad lineam, & perpendiculum. In moralibus rectitudo dupliciter attenditur: altera eſt enim circa exteriora, altera quæ dicit debitum ordinem ad finem & ad legem Dei: prior eſt iuſtitiæ, ſe- *S. Thom. 1. 2.* cunda verò omnis virtutis. Quo ſenſu boni & iuſti homines recti *q. 55 a. 4. ad 4.* ſunt & dicuntur. S. Hilarius ad illa verba Pſal. 124. 4. *Benefac Domine bonis & rectis corde;* intelligit de iis qui probitatem facti & voluntatis habent. S. Auguſtinus exponit eadem de iis qui bona bene agunt & ſunt cum Dei voluntate iudicióque concordes. Item S. Chryſoſtomus, pro iis qui ſimplices ſunt, non ficti, nihil habentes adumbratum, ſimulatum, varium, artificioſum, vafrum, doloſum, peruerſum,

diſtortum, obliquum: ſed planam, expeditam, ſinceram, apertam, nitidam, ſolidam, conſtantem & conformem diuinæ legi viuendi rationem.

Hîc igitur rectè offerre ſacrificium Deo Sacerdotem dicimus, ſi recta intentione & fine debito, ſuo officio defungatur. Et verò ſi prolixitatis amantes eſſemus, facile eſſet latè hîc admodum exſpatiari diſſerendo de neceſſitate intentionis miniſtri, tam in ſacrificio quàm in omnibus Sacramentis, item de qualitate huius intentionis: ſed quia quæſtio hæc tam à polemicis Doctoribus, quàm Canoniſtis copioſè admodùm fuit hactenùs pertractata, ſuperuacaneum fore cenſui eandem hîc quaſi nouam refricare, & crambem, vt aiunt, recoquere; nam eruditorum nauſeam & faſtidium prouocarem. Porrò de intentione rectâ quæ finem debitum reſpicit, finéque ipſo legitimo (quæ rectæ intentionis propria eſt regula) opportuniùs infrà dicendum erit, vbi ſcilicet de ſacrificij Euchariſtiæ fine & effectu multiplici nobis incumbit ex inſtituto diſſerendum. Nihil igitur hîc ſupereſt, quàm obiter calumniis reſpondere Nouatorum, maximè verò Petri Molinæi eorum hoc ſæculo anteſignani, acerrimi Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ hoſtis, Chriſtianíque Sacerdotij oppugnatoris infeſtiſſimi; is enim datâ operâ, ſub finem immanis illius voluminis quod *Nouitatem Papatûs* inſcripſit: Controuerſia 13. c. 1. cuius eſt titulus, *De priuatis Miſsis & pudendo earumdem Miſſarum commercio*, modis omnibus ſatagit ipſum auguſtiſſimum ſacrificium in contemptum & deriſum traducere, hoc fucis ſuis, næniíſque Caluiniſticis, ac calumniis putidis & propudioſis ſarcaſmis artificioſo colore adhibito, quòd Sacerdotes non alio fine Miſſas celebrent, quàm causâ turpis lucri, & victûs ſibi comparandi ex hac indigna nundinatione feruenti deſiderio. Locus hic exigit igitur, vt quæ dicit, obiicítque petulantiſſimus hic Miniſter, & efrons calumniator fratrum noſtrorum, ſacrarúmque rerum perpetuus ſubſannator & irriſor ridiculus ſeriò diſcutiamus, Sapientis ſententiæ celebris nequaquam immemores, *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* *Prou. 26. 4. 5.*

DIGRESSIVNCVLA

Aduerſus Petrum Molinæum, intentionem Sacerdotum, Miſſæ ſacrificium celebrantium, ad turpe lucrum & pudendum commercium, impudenti calumnia detorquentem.

MOLINÆVS.

PARISIIS *cùm degerem, non ſine commiſeratione aliquâ me pridem conſpexiſſe memini, pauperculorum Sacerdotum turbam non modicam ante valuas Eccleſiæ ſancti Ioannis in Grauia conſiſtentium, victum ſibi ex Miſſarum eiuſmodi priuatarum mercimonio quærentium, auidéque expectantium ſi fortè veniat quiſpiam, qui tandem eos hoc ad opus conducat.*

RESPONSIO.

OPORTET mendacem eſſe memorem. Eccleſia S. Ioannis non ſita eſt in Grauia. Vrbicum palatium, aditum omnem ad eius valuas intercludit, quin & baſilicæ totum operit conſpectum. Patet quidem Eccleſiæ Spiritus ſancti maior porticus, qua in Eccleſia ob perennem populi concurſum Miſſæ plurimæ quotidie celebrantur à Sacerdotibus, matriculæ ſacræ ipſius ædis adſcriptis; non vagis, non in platea otiantibus, neque auidè inhiantibus ad ſeſe conducentis occurſum: ſed in Secretario ſeu ſacriſtia ſedentibus, & ſua quique vice vocari conſuetis ad diuini muneris officium.

MOLINÆVS.

SI quis vſpiam negotiorum cauſâ profecturus eſt, aut claudum vel morbidum habet equum, vel vineæ ſuæ à gelu vel procella timet, vel ſuorum affinium, vel amicorum aliquem habet, qui morbo quouis periclitetur, conuenit quendam ex his Sacerdotibus ſacrificulis, & pactâ pecuniolâ, obtinet vt miſſam in altariolo aliquo (eorum quæ pleriſque in angulis huius Eccleſiæ ſunt erecta) decantet eo fine, vt ſibi felix fauſtáque ſit mox ineunda profectio, aut iumentum ne pereat, vel vt amicus de morbo conualeſcat. Et hæc Miſſa angularis, incredibili celeritate expeditur, nec opus eſt, vt is pro quo canitur, huic interſit: ſiue enim abſit ſiue dormiat ſemper ei prodeſt, dummodo nullum ex ſua parte afferat obicem qui effectum præpediat.

RESPONSIO.

BEATVS *vir qui non abiit in concilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra *peſtilentiæ non ſedit.* Vbi in vulgata legitur in cathedra peſtilentiæ, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *in cathedra deriſorum*; quos Aquila vetus interpres χλευαστὰς dixit. iſti enim morbi ſunt, qui irridendo bonos, * animis operantur errorem, mentéſque corrumpunt. Graphicè profectò his verbis Molinæum eiúſque ſimiles Propheta depingit peſtilentis doctrinæ ſatores, & deriſores non modò bonitatis & iuſtitiæ, ſed etiam pietatis; & peſſimi animarum corruptores. Salsè ait S. Chryſoſtomus, *Riſus in Eccleſia diaboli opus eſt.* Molinæus igitur, auctore diabolo, res ſacras in ridiculum ſemper & vbique conuertit. Hic verò quàm impiè ioculetur, perditéque & impudenter tremendum Eccleſiæ ſacrificium, altaríſque Dei miniſtros irrideat, nemo non videt. Si diabolus in aſſumpto corpore loqueretur, poſſétne magis impiè, magis ſcurriliter rebus diuinis illudere, putidioribúſque ludibriis, & ſcommatibus magis virulentis, noui & æterni Teſtamenti Sacerdotes ſubſannare? Minutim quæſo ſingula, quæ ſuprà effutiit, expendamus.

Pſal. 1.

* quæ eſt hæreſis.

* *S. Amb. in Pſ. 1. v. 1. in fine.*

Hom. 15. in ep. ad Heb.

Miſſas votiuas dicteriis ſuis primùm aggreditur, ridétque, quòd offerantur hæc ſacrificia pro peregrinantibus, pro ſerenitate, pro hominum ſanitate, pro vinearum conſeruatione, pro animalium integritate, pro quacumque neceſſitate. Quid dicturus eſſet hic Miniſter ironicus, ſi aliqua eſſet humana neceſſitas pro qua Miſſæ ſacrificium non poſſet offerri? Decurtatæ eſſe virtutis mox garriret. Grunnit

enim & ægrè fert, quòd pro quacumque neceſſitate hoc ſacrificium celebretur. At Chriſti facta Eccleſiæ authentica hæc eſt promiſſio, *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Quo nixa promiſſo ſacro die Paraſceues, quo paſſionem Domini ſolenni ritu commemorat; à patre miſericordiarum in filij eius dilectiſſimi nomine, adeóque per eius ſanguinem qui ea die effuſus eſt, inſtanter obſecrat pro vniuerſi generis humani neceſſitatibus, tam generalibus quàm priuatis, ſpiritualibus & terrenis, ſubſidiíſque & ſolatiis tam temporalibus quàm æternis. Recitata ſiquidem Domini paſſione, *Oremus* (inquit Sacerdos) *dilectiſſimi nobis pro Eccleſia ſancta Dei, vt eam Deus & Dominus noſter pacificare & cuſtodire dignetur toto orbe &c.* Túmque orat generaliter pro *omnibus Eccleſiæ ordinibus, pro Pontificibus, Sacerdotibus, Regibus, atque pro omni populo ſancto Dei: Inſuper pro Catechumenis, & etiam pro hæreticis & ſchiſmaticis, pro Iudæis & paganis*: quibus omnibus fidei & gratiæ lumen ſuppliciter adprecatur, auxiliáque ad æternam ſalutem neceſſaria poſtulat. Tum etiam petit in eodem Chriſti nomine & per eius ſanguinis meritum, vt Deus *cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula diſſoluat, peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, nauigantibus portum ſalutis indulgeat.* Quæ omnia & ſingula beneficia obtinere ſe poſſe certò credit & confidit, per virtutem & pretium Dominicæ paſſionis. Quapropter ad cuiuſque Collectæ finem, quaſi ſigillum regale gratiarum quas depoſcit, hanc adhibet obteſtationem ad Patrem æternum: *Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.* Qui nimirum illa die ſeſe pro nobis obtulit in cruce *ſacrificium & oblationem Deo in odorem ſuauitatis.* Sed verò Miſſæ ſacrificium quod incruentum quidem, ſed quotidianum eſt, omnem vim à ſacrificio crucis mutuatur, in cuius commemorationem & applicationem fuit à Domino inſtitutum, quapropter non tantùm eſt euchariſticum & latreuticum, ſed etiam impetratorium & propitiatorium. Quin vt ſuprà oſtendimus potiorem ſuam vim & efficaciam habet in eo quod impetratorium eſt; Nam ſic valet ad malum omne depellendum, & quodcumque beneficium obtinendum. Quæ cauſa eſt cur orans in canone Miſſæ Sacerdos dicit *ſe offerre hoc ſacrificium laudis pro omnibus orthodoxis & fidei Catholicæ cultoribus*, qui itidem per ipſum id offerunt, *pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ:* Ac paulopòſt rogat vt *hanc ſacram oblationem Pater æternus accipiat, diéſque noſtros in ſua pace diſponat, atque ab æterna damnatione nos eripi & in electorum ſuorum iubeat grege numerari, Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde & pro fidelibus defunctis enixè deprecatur, vt Deus locum refrigerij & pacis illis indulgeat; denique pro ſeipſo Sacerdote & aſſiſtentibus ſibi miniſtris diuini altaris preces adiungit. Et quia ſacrificium iſtud in quo Chriſtus eſt ipſe victima & Sacerdos, eſt ſicut fons patens domui Iacob, ex quo haurire omnibus licet quæcumque auxilia neceſſaria ſunt ad ſalutem, víque impetratoria qua maximè valet ſubſidia quæque præſtare poteſt, tam vitæ præſentis quàm futuræ.

Ioan. 14.

turæ. In Codice Liturgico Miſſæ aſſignantur ad diuerſos fines, vt Miſſa *ad tollendum ſchiſma;* Miſſa *tempore belli;* Miſſa *pro pace;* Miſſa *pro vitanda mortalitate;* Miſſa *pro infirmo;* Miſſa *pro agonizante;* Item *pro peregrinantibus & iter agentibus. Miſſa pro quacumque neceſſitate.* Et orationes etiam propriæ ad diuerſa, v. g. contra *perſecutores Eccleſiæ, ad petendam pluuiam, ad poſtulandam aëris ſerenitatem, pro fructibus terræ, pro peſte animalium, pro remiſſione peccatorum, pro petitione lachrymarum, pro publicè pœnitentibus, pro tentatis & tribulatis. Ad poſtulandam continentiam, ad poſcendam humilitatem, patientiam, charitatem, pro inimicis, pro carceratis vel captiuis, pro nauigantibus, pro ſalute viuorum, pro requie defunctorum; pro regno, vel ciuitate, & congregatione* &c. *pro benefactoribus, denique pro quacumque gratia impetranda.* Sic Eccleſia Deum vt auctorem & largitorem omnium bonorum agnoſcit; ſic Chriſtum vnicum Mediatorem redemptionis, fontémque omnis gratiæ & ſalutis confitetur; ſic per eum omnia beneficia à Patre petit & expectat, ſic in omnibus Deum honorificat, per Ieſum Chriſtum, ipſius vnigenitum Dominum noſtrum. *Pet. 4. 11.*

His poſitis, facile eſt dicteria & argutias Molinæi refellere; Nam quæ garrit de Miſſis votiuis quæ Deo offeruntur ad diuerſa auxilia & beneficia impetranda, pro neceſſitate propria offerentium, futilia ſunt & impia, cùm culpari non poſſint quin diuinus cultus reprobetur, & refugium noſtrum ad Deum Patrem omnipotentem per Ieſum Chriſtum, qui noſter Sacerdos ſummus & æternus eſt, vnica hoſtia & ſacrificium auferatur. Quo ſubmoto nihil ſupereſt quàm vt genus humanum hoc deſtitutum ſingulari auxilio & ſolatio, totum pereat. Nec enim alia nobis relicta eſt hoſtia pro peccato, nec alia patet via qua ad Deum recurramus; *Nemo enim venit ad Patrem niſi per me*, ait Dominus, *qui factus omnibus obtemperantibus ſibi* (inquit Apoſtolus) *cauſa ſalutis æternæ. Per quem habemus acceſſum ad Deum.* Cùm igitur per ſacrificium corporis eius & ſanguinis, vel peccatorum veniam, vel opem aliquam, aut quæuis beneficia poſtulamus, nihil aliud facimus quàm id quod nos Apoſtolus docet vbi ſic hortatur, *Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Quòd ſi veteres Hebræi in tribulationibus ſuis & quibuſuis neceſſitatibus ad Deum per vota & ſacrificia recurrebant, próque ope & auxilio quo indigebant, aut beneficio quod poſtulabant, varias oblationes & hoſtias offerebant, non inani piæ ſuæ in Deum fiduciæ ſucceſſu: Cur Chriſtianis fas non erit in periculis, in anguſtiis, in quibuſcumque neceſſitatibus diuinam opem & gratiam implorare? per ſummum & ſingulare ſacrificium *quod omnes implet differentias hoſtiarum?* Memor ſui par erat vt fuiſſet Molinæus, qui eiuſdem lib. c. 3. vbi eludere tentat clariſſima Patrum teſtimonia, quibus docent & aſſerunt Euchariſtiam eſſe verum, & plenum, ſummúmque ſacrificium quod antiquis omnibus ſacrificiis ſucceſſerit, coactus demum euidentiâ veritatis, dicit & fatetur, ſic cenſuiſſe Patres, *quòd Chriſti mors & paſſio in ſacra cœna re-*

Ioan. 14. 6.
Heb. 5. 9.
Epheſ. 2. 18.
Hebr. 10. 4.

præſentatur, in qua offerimus Deo Filij ſui vnigeniti paſſionem, ſupplicantes, vt illam pro redemptione noſtra velit ſuſcipere. pag. 900. * Cur non igitur & pro conſolatione noſtra in afflictionibus, & pro auxilio impetrando in opportunitatibus? Ait certè Dominus, ** *Siquid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis.* Si in nomine, quanto magis in ſanguine, qui illo in ſacrificio effunditur, vt corpus eius pretioſum pro nobis datur, & immolatur?

* P. 911. Agnoſcit rectè à Patribus Euchariſtiam ſacrificium fuiſſe appellatam; quia in ſancta cœna, inquit, offerimus Deo ſacrificium Ieſu Chriſti deprecantes, vt pro peccatis noſtris acceptare velit eius mortis pretium.

** *Ioan. 16. 23.*

Ridiculum porrò eſt quod tam auguſtum ſacrificium minui putat, ſi non in magno, ſed paruo altari offeratur, ſi non in choro, ſed in ſacello (nam Templi ſacella, *angulos* per ludibrium vocat) celebretur & à Sacerdote non bene nummato. Dignitas enim Sacerdotij & ſacrificij ex hoſtiæ ſumma excellentia pendet, non ab externis circumſtantiis, idem Chriſtus in præſepio, idem in cœlo, idem in ſummo altari vel minimo, idem oblatus ab infimo Sacerdote, vel ab Epiſcopo, aut ab ipſo ſummo Pontifice.

Mirum verò nonnihil eſt, quod qui paſſim ſanctam Romanam Eccleſiam calumniatur, quaſi mortis Chriſti merito non ſatis tribuat: ipſemet tamen inficietur, ſacrificium quo mors Chriſti applicatur, & quod corpus eius ac ſanguinem continet, ex opere operato proficere, hoc eſt vt ipſe exponit, *ex ipſo Chriſti facto & merito*; ſi enim contrarium verum eſſet, ſequeretur non ſolùm ſacrificium Euchariſtiæ, ſed & cætera omnia ſacrificia non à Chriſti merito ſumere ſuam virtutem, ſed omnem ſuam efficaciam habere ex merito ſumentis aut offerentis.

MOLINÆVS.

AVARITIA *& turpe lucrum hunc abuſum introduxit, (ſcilicet quod ſacrificanti Sacerdoti aliquid pecuniolæ in laboris præmium tribuatur) Eapropter is pro quo ſpeciatim Miſſa dicitur, priuatim etiam honorarium ſoluit celebranti. Et qui Miſſas vult annuales habere, cenſum etiam annuum conſtituere debet; ſiquidem Miſſa priuata nunquam pro eo cantatur qui nihil perſoluit.*

RESPONSIO.

1. Cor. 9. 13. 14. INSIGNIS ſententia eſt Apoſtoli; *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt, & qui altari ſeruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Quid igitur hîc carpere poteſt Caluiniſta Miniſter, ſi Sacerdos de altari viuat, honorarium de ſacrificio, ídque valde modicum recipiat, non tamen exigat? Nónne ipſe Molinæus & eius ſymmyſtæ, tametſi Euangelij hoſtes, de Euangelio quamuis à ſe corrupto, lautè viuunt, & vxores ſuas, liberóſque & domeſticos ſuos de ſtipendiis ſuſtentant, quæ de ſuo percipiunt miniſterio, quamuis animas ſeducant, ſuiſque venenatis concionibus trahant in perditionem? Mirum quomodo quæ Molinæus addit, Miſſam priuatam nunquam pro eo cantari, qui nihil perſoluit, cum ſuperiori hoc eius dicto, *Sæpe offerri Miſſam pro eo qui dormit, aut qui abeſt, & de hoc ſacro nihil ſcit aut cogitat,* cohæreant? ipſe viderit. Certè multi ſunt Sacerdotes qui ſæpe ſæpius Miſſas celebrant ex mera deuotione & aliquando pro amicis, qui nihil de ipſa celebratione nouerunt; alij quoque in ipſis

ſacrificiis quæ rogati offerunt pro particularibus, peregrinantibus, vel infirmis, aut quouis modo afflictis, aliorum ſunt ipſa in oblatione memores atque ſolliciti, qui ipſi ſacrificio non interſunt, & pro iis rogant inſciis pij huius officij; à quibus ideo nihil expectant muneris pro hac ſuffragatione.

MOLINÆVS.

SI *Euchariſtia non celebraretur niſi in publico conuentu fidelium, difficile eſſet tot aßiſtentibus manum in crumenam immittere, ad pretium ex collatitia pecunia ſoluendum Sacerdoti: vixque ipſe poſſet Miſſam hanc generalem accommodare priuato commodo & intentioni ſingulorum aßiſtentium.*

RESPONSIO.

IN Miſſa Parœciali, in qua fit (vt aduerſarij fatentur) publicus Eccleſiæ conuentus, fideles qui adſunt, oblationes ſuas ad altare faciunt, ſingulíque fiunt huius ſacrificij participes, ſicque orat pro omnibus Sacerdos, vt pro ſingulis etiam accommodatè ad eorum propriam cuiuſque intentionem preces Deo ſupplicationéſque offerat. *Memento*, inquit, *Domine famulorum famularúmque tuarum, N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibíque reddunt vota ſua æterno Deo viuo & vero.* Et infrà, *vt quotquot ex hac altaris participatione &c.* Porrò in Miſſa quæ Parœcialis vel pontificia non eſt, nec ſolennis, ſed quæ fit feriali die ex ſpeciali deuotione in altari non ſummo, à Sacerdote, ſine celebri apparatu & affluentia plebis, hæ ipſæ preces ex Canone à Preſbytero diuinæ Maieſtati offeruntur, ideóque eius qui celebrat, intentio ſemper & vbique accommodatur fidelium tam generali quàm propriæ intentioni & vtilitati. Ex quo ſequitur meras eſſe nugas & chimæras quæ Molinæus ex ioculandi genio, vel carpendi pruritu, ſectione huic reſponſo præfixa, effutiit. Quo ſpiritu impotenter abreptus, nihil frequentius toto hoc capite quàm contra *Miſſas priuatas*, ſeu vt contemptim ait, *angulares*, declamitat. Ad quas eius importunas vociferationes putidáſque calumnias, vt paucis verbis ſatisfaciam, dicam, de induſtria ipſum Molinæum inſanire, nec velle ſanari, ſed duntaxat rixari & cauillari, & in ignorantiæ cœno ſponte ſua volutari. Si enim vellet inſtrui, & doceri ſe pateretur, peruium profectò erat apud Cardinalem Bellarminum inuenire plenam & perfectam doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ de illis Miſſis, quas priuatas Nouatores vocant, rationem, lib. 2. de Miſſa, c. 9. Ex quo quia præſentem rem ſpectat viſum eſt ſequentem articulum hoc loco tranſcriptum ire. *Tertiò dici poteſt Miſſa priuata à fine, quo nimirum pro particulari homine, vel negotio celebretur, vt pro hoc aut illo defuncto, pro iſta vel illa neceſſitate. Et quidem ſi Miſſa aliqua vni ſoli applicaretur, excludendo omnes alios homines, tum verè priuata dici poſſet; ſed talis nulla eſt, aut fuit vnquam in Eccleſia: nam omnis Miſſa offertur à Miniſtro publico, & publico nomine pro tota Eccleſia, tum quæ in terris, tum quæ in cœlis, vel quæ in purgatorio eſt, nam horum omnium in qualibet Miſſa mentio*

coarctatur, at ſecundùm leges ſuas ab hominibus ſupremò cultu honoratur.

MOLINÆVS.

ET *cur (dicant quaſo Sacerdotes) priuatæ iſtæ Miſſæ applicantur contra gelu & turbines, aut aduerſus animalium peſtilitatem, vel pro felici itinerationis ſucceſſu, niſi vt vndique emungatur pecunia, ex turpi illa huius officij nundinatione?*

RESPONSIO.

Ex dictis ſatis patet præmiſſis, finem celebrationis ſpecialium Miſſarum nunquam fuiſſe pecuniæ corrogationem, ſed Dei honorificationem, & hominum tam priuatum quàm commune ſolatium, ſemper in ordine ad æternam ſalutem. Quod ſi qui eſſent tam rudes, imperitíque Sacerdotes, qui præcipuam intentionem ſuam eò dirigerent, vt laboris mercedem tanto ex ſacrificio adipiſcerentur: acceſſorium ſanè ante principale ponerent, digníque eſſent qui vtroque priuarentur. Nihil tamen hinc excideret ſupplicum fidelium piæ expectationi, quæ ex diuina inſtitutione ſacrificij, & intentione Eccleſiæ ſemper in bonum finem directa, pium & iuſtum ac vtilem effectum conſequeretur.

MOLINÆVS.

AT *verò Chriſtus ſacram Cœnam inſtituit, in remiſſionem peccatorum, & ad ſuam mortem annunciandum donec veniat.* 1. Cor. 11.

RESPONSIO.

HOC quidem veriſſimum eſt; nec Eccleſia alium in finem quàm ad quem à Chriſto inſtitutum eſt, diuinum Euchariſtiæ ſacrificium vnquam deflexit. Nam vt eſt Sacramentum, proprios habet fines & diuerſos effectus, quorum præcipui ſunt, nutritio animæ, augmentum gratiæ habitualis, remiſſio peccatorum venialium, præſeruatio à mortalibus, repreſſio fomitis & concupiſcentiæ, vnio cum Chriſto, tam per amorem, quàm carnis & ſpiritus coniunctionem. Sed præter id quod eſt Sacramentum, eſt inſuper ſacrificium. Iam verò præmonuimus Miſſam non modò eſſe ſacrificium euchariſticum & latreuticum, ſed præterea eſſe propitiatorium & impetratorium, habet enim per applicationem Chriſti mortis vim Deum placandi, ac reconciliandi peccatis noſtris offenſum: id patet ex verbis inſtitutionis: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur; hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Legunt diuina hæc verba hæretici, & tamen negant Euchariſtiam eſſe verè ſacrificium propitiatorium & impetratorium. Mirus profectò ſtupor & pertinacia! Quam vnanimi ſententia Patres condemnant. Nam S. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini, Euchariſtiam prædicat *holocauſtum ad purgandas iniquitates & infirmitates ſanandas.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 5. Myſtag. *Poſtquàm confectum eſt* (inquit) *ſpirituale illud ſacrificium & cultus ille incruentus, obſecramus Deum ſuper ipſa propitiationis hoſtia, pro communi pace Eccleſiarum.* Et paulò pòſt, *Offerimus Chriſtum pro nobis mactatum, vt Deum nobis & defunctis propitium reddamus.* S. Hieronymus in

Luc. 22. Marc. 14.

cap. epiſt. ad Titum, Sacerdotem ait *pro ſuis populíque peccatis illibatas Deo victimas offerre*. S. Auguſtinus lib. 1. cont. Creſconium, c. 26. docet Euchariſtiam eſſe *vnicum ſacrificium pro ſalute noſtra*; & q. 57. in Leuit. *Vetera*, inquit, *ſacrificia vnum hoc noſtrum ſacrificium figurabant, in quo fit vera remiſsio peccatorum*. S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa, c. 14. ait: *Incruentam hanc & puram hoſtiam offerri ab ortu ſolis ad occaſum, vt ſit omnis nocumenti reparatio & ſordis omnis purgatio*. Editus eſt iampridem typis, Miſſalis ſeu Liturgicus liber ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ: voluant & reuoluant ſacrum hunc Codicem, ſacrificij Chriſtiani, proinde & noui ac æterni Chriſti Teſtamenti negatores: & attentè perſpiciant, ſi Miſſa alios in fines quàm hos à Chriſto præſcriptos, & ab Apoſtolis traditos, atque ab Eccleſia ipſa primitiua, totáque hactenùs ſequente, ſemper & vbique obſeruatos, ipſo in Miſſali aſſignetur? ſi vlla extet collecta vel minima precatiuncula quæ ab hoc ſcopo deſultet, vlla vocula in Canone, quæ optimè & ad amuſſim cum his finibus à Chriſto præfixis, ab Apoſtolis traditis, & ab Eccleſia conſtantiſſimo vſu ſeruatis non cohæreat?

MOLINÆVS.

DENIQVE *quando Preſbyter quiſpiam facit Chriſtum, in quodam angulo Eccleſiæ, pro vili pretio, videlicet quinque aut ſex ſolidis Turonicis, ſi nullus eſt qui communicet, vendit Chriſtum quem non tradit. aut ſi quiſpiam communicat, ſicut Judas loqui poteſt, qui dicebat, Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?*

RESPONSIO.

INDIGNA eſt prorſus, atrox & horrenda hæc diuini ſacrificij, & Sacerdotum irriſio, quæ aliis verbis refellatur, quàm iis quibus Montani Hæreſiarchæ impia paradoxa S. Hieronymus olim refutauit: *Hæc ſunt* (ait) *quæ redargutione non indigent, perfidiam enim eorum indicâſſe, ſuperâſſe eſt.*

MOLINÆVS.

O quàm lepidum negotium, & factum fuiſſet ſpectatu & memoria dignum! ſi S. Paulus Apoſtolus poſtquam miniſtrauerat cœnam Domini, Act. 20. mox ſe in angulum recepiſſet, & ſacram Cœnam decantaſſet in gratiam cuiuſpiam particularis pro condicto pretio: Proculdubio hoc lucrum illi fuiſſet percommodum, atque à labore manuum, ſcenofactoriæque artis opere, eum facilè exemiſſet, quô vitam ipſe diebus ſingulis ſuſtentabat.

RESPONSIO.

IAM ex S. Chryſoſtomo animaduertimus, *Riſum in Eccleſia, rebúſque Eccleſiaſticis, eſſe opus diaboli.* Si Molinæus delectaretur videre B. Paulum, vas electionis, Cœnam pro pecuniola decantare, quia hoc ipſi ſancto Apoſtolo foret admodum conducibile ad ſe hoc onere eximendum, propriis manibus, ex ſcenofactoria arte ſibi victum & vitæ neceſſaria comparandi: certè ſanctus ipſe Apoſtolus qui omnia propter Chriſtum detrimenta cenſuit, hoc tripudio, quo Miniſter diaboli exilit & ſaltitat, non oblectaretur, at intimo ex pectore

deploraret tam impiam hominis adeo perditi dicacitatem & ſtupendam cæcitatem, qui non videt ſe eodem argumento quo Sacerdotibus inſultat & Apoſtolum perſtringit, arctiùs irretiri. Munuſculum pro labore, & neceſſario vitæ ſubſidio Sacerdos recipit, non exigit. Porrò Apoſtolus nec admiſit nec recuſauit, non quòd non poſſet, ſed quòd nollet, maioris boni quod ſibi præſtituerat intuitu: *Quis enim* (ſcribit ad Cor. ep. 1. c. 9. ℣. 7. &c.) *militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam & de fructibus eius non edit? Quis paſcit gregem & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi, Non alligabis os boui trituranti? nunquid de bobus cura eſt Deo? at propter nos vtique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt. quoniam debet in ſpe qui arat arare, & qui triturat in ſpe fructus percipiendi: ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? ſi alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potiùs nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate, verùm omnia ſuſtinemus*, &c. At verò Miniſtri Caluiniſtici ſtipendium non miniſterij ſalutis, ſed ſeductionis animarum, patulis vlnis & manibus recipiunt, quin ſummo iure exigunt, nec annuis ſtipendiis contenti, quoties aliquas ſui officij partes in priuatorum gratiam obeunt, præſtitæ operæ mercedem vltra meritum percipiunt. Præterea opulentis connubiis quibus auidè inhiant, vt plurimùm locupletantur, liberis ſuſceptis non grauantur, nam ſectæ cura eſt eorum filias nubiles elocare, filios à pueritia in academiis enutrire, inſtructos litteris humanioribus & heterodoxæ doctrinæ principiis, ad miniſterium promouere. Tantum abeſt profectò hæc Miniſtrorum nundinatio ab Apoſtolorum moribus, quantum nox à die differt, & quantum tenebrarum Angeli Angelis lucis ſunt diſſimiles, infernúſque diſtat à cœlo Empyreo. Ceſſet igitur Molinæus cæteríque Miniſtri, Sacerdotibus Catholicis improperare tantillam quam pro ſacrarum functionum honorario recipiunt à fidelibus remunerationem, & qui feſtucam in quorumdam eorum oculis tam acutè perſpiciunt, trabem ingentem quæ ipſorum obtutus inumbrat, maturè auertant, ne mole eiuſdem elidantur. Cæterùm Eccleſiæ Sacerdotes hac digreſſiuncula edocti, ſedulò caueant ab omni re quæ anſam aduerſariis præbeat pro quorundam imprudentia, calumniandi vniuerſum ſacrum ordinem, diuiníſque myſteriis ob illorum indecora facta illudendi; at moniti huius Apoſtolici ſemper ſint memores; *Nemini demus vllam offenſionem, ne vituperetur miniſterium noſtrum* *.

* *Vide Gregor. Nazianz. Apolog. tom. 1. p. 5.*

ARTICVLVS III.

Legitimè.

VT ritè rectéque diuinum Miſſæ ſacrificium celebraretur, neceſſum erat vt certa quædam præſcriberetur formula, qua omnes Sacerdotes vterentur ſemper & vbique ad vniformiter ** ſacra hæc myſteria peragendum. *Cum ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat*, (ait ſa-

** Concil. Mileuit. II. c. 12. *Placuit etiam illud, vt preces vel orationes, vel Miſſæ, quæ probata fuerint in Concilio, ſiue præfationes, ſiue commendationes, ſiue manuũ impoſitiones* (id eſt benedictiones) *ab omnibus celebrentur.*

pientiſſimum Concilium Tridentinum *) *ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium, Eccleſia Catholica, vt dignè reuerentérque offerretur ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſæculis inſtituit ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur quod non maximè ſanctitatem & pietatem quandam redoleat, mentéſque offerentium in Deum erigat. Is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus.*

* *Seſſ. 22. in doctrina de ſacrificio Miſſæ c. 4.*

DIGRESSIVNCVLA De Canone Miſſæ.

ETYMON huius nominis (Canonis videlicet) hîc non inquirimus, quis enim neſciat hoc vocabulum regulam ſignificare: ad hoc igitur fuiſſe aſſumptam ab Eccleſia hanc vocem, vt innueret formulam ſacram quæ hoc nomine inſignitur, regulam eſſe fixam & ſtabilem, qua venerandum Euchariſtiæ myſterium, hoc eſt ſummum & admirabile noui Teſtamenti ſacrificium, ſemper & vbique, ac ab omnibus Chriſti Sacerdotibus debet celebrari. S. Auguſtini inſignis ſententia hîc notanda venit, ep. 118. ad Ianuarium, c. 5. & 6. *Saluator* (inquit) *quo vehementiùs commendaret myſterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſſionem digreſſurus erat: Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Talis eſt regula, vt Euchariſtia ſumatur à ieiunis, cùm tamen Chriſtus poſt cœnam* (ob noui Paſchæ myſterium) *eam inſtituerit.* Rurſum vt aqua vino miſceatur, vt S. Cyprianus inſinuat ep. 63. ad Cæcilianum; inſuper vt Miſſa pro defunctis offeratur. *Ab Apoſtolis* (inquit S. Chryſoſtomus hom. 69. ad populum) *non temerè hæc ſancita fuerunt vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio, ſciebant enim illis inde multum contingere lucrum, multámque vtilitatem.* Idem docet hom. 3. in epiſt. ad Philipp. idem quoque S. Gregorius Nyſſenus & alij Patres à S. Ioanne Damaſceno citati in oratione pro defunctis. Præterea vt Sanctorum Beatorum ſolennis memoria in ipſa ſacra actione fieret, vt teſtatur S. Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 17. & S. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 3. Denique vt certus ordo precationum ſeruaretur. Signatim enim ſtatuerunt vt oratio Dominica recitaretur, quemadmodum monet S. Hieronymus ſcribens aduerſus Pelagianos; & S. Gregorius 64. lib. 7. vbi irrepſiſſe voculam excluſiuam, *ſolummodò*, perſpicuum eſt; quod enim Apoſtoli ad ſolam orationem Dominicam, oblationis hoſtiam conſecrarent, verè dici non poteſt, cùm verba ipſa inſtitutionis Domini recitarent, vt ex Apoſtolo conſtat 1. Cor. 11. & memoriam imprimis eius paſſionis facerent, iuxta illud *Mortem Domini annunciabitis donec veniat.* & Sanctorum cum Chriſto regnantium agerent ſpecialem commemorationem: denique etiam pro defunctis offerrent & orarent, vt ſuperiùs fit euidenter manifeſtum. Nec ſola hæc particula, *ſolummodò*, hanc in epiſtolam irrepſit

Ibid.

repſit, ſed etiam verbum iſtud, *comprimere*, vbi refertur quorumdam querimonia aduerſus ipſum S. Gregorium, dicentium, *Quoniam Eccleſiam Conſtantinopolitanam diſponit comprimere, qui eius conſuetudines per omnia ſequitur.* Quis enim hîc non facilè perſpicit verbum, *comprimere*, contra ipſam loquentium intentionem fuiſſe inuectum? potiúſque contrarium, v. g. commendare vel imitari, aut exprimere, legendum eſſe.

Cæterùm vt particulam illam *ſolummodò*, iterum, at accuratiùs expendamus: hanc vel addititiam eſſe, vel in ſolido ſenſu defendi non poſſe, indubitanter fatendum eſt; nec enim modò S. Hieronymi illam auctoritas proſcribit, qui loco citato, ait quidem, Apoſtolos ad orationem Domini ſolitos fuiſſe conſecrare Euchariſtiam, ſed ad *ſolam* non dicit. At inſuper S. Auguſtini teſtimonium, excluſiuam hanc particulam euidenter refellit epiſt. 59. ad Paulinum, vbi poſteaquàm de precationibus, orationibus, & poſtulationibus pro Regibus &c. quas Apoſtolus commendat 1. Timoth. 2. 1. verba fecit, mox ſubiungit: *Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis, frequentat Eccleſia; vt precationes accipiamus dictas quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod eſt in menſa Domini incipiat benedici; cùm benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur. Quam totam petitionem, ferè omnis Eccleſia, Dominica oratione concludit.* Conſtans verò eſt eiuſdem S. Auguſtini ſententia: Quod vniuerſa ſeruat Eccleſia, nec ab vllis Conciliis legitur fuiſſe inſtitutum, non niſi ex Apoſtolorum traditione credendum eſt prodiiſſe. Si igitur tot aliæ preces ante orationem Dominicam in celebratione diuini myſterij fieri conſueuerant ex Apoſtolorum traditione, quam S. Pauli ſcripta confirmant: longè abeſt à vero, quod Apoſtoli diuinam hoſtiam ad ſolam precem Domini conſecrarent. Denique ſi tot preces vbique ferè in Eccleſia, Dominica oratione concludebantur, mera eſt illorum illuſio, qui S. Gregorio abſolutè tribuunt Dominicæ ipſius orationis ſuper diuina oblatione recitationem: cùm iam tempore S. Auguſtini, hoc eſt ducentis circiter annis ante S. Gregorium, Liturgicæ orationes ex vetuſto ritu, ipſa oratione Dominica conſueuiſſent concludi. Vt ſtet igitur S. Gregorij inconcuſſa narratio, dicendum eſt quidem, ipſum reperiſſe orationem Domini inordinatè à quibuſdam diuino in ſacrificio recitari, ſcilicet vel ante ſacram oblationem, vel diu poſt ſanctificata diuini altaris munera: ſapienti igitur eius prouidentia factum eſſe, vt loco congruo ipſa Domini oratio diceretur, videlicet non ante conſecrationem Euchariſtiæ, ſed ſuper ipſam ſacram oblationem, mox ac ſolennis illa oratio quam Canonem vocitant, fuiſſet terminata. *Quia orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuiſtis*, vt refert ipſe B. Gregorius ex quorumdam dictis, qui factum eius non probandum cenſebant. Hinc enim conſtat, locum illius orationis dumtaxat mutâſſe, ſeu potiùs eandem, loco cui ab Apoſtolis vel eorum proximis ſucceſſoribus pro ſacræ oblationis clauſula adſcripta fuerat, & vnde ſenſim fuerat ſubmota, aptè & decen-

ter reſtituiſſe: eundem nempe in ordinem, quo iam tempore S. Ambroſij dici conſueuerat, quo & huc vſque conſiſtit, vt videre eſt in Ambroſiana Miſſa: vbi pro iis verbis quæ habemus in Miſſali Romano, *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere, Pater noſter qui es in cœlis &c.* hæc conſimilia leguntur: *Diuino magiſterio edocti & ſalutaribus monitis inſtituti, audemus dicere, Pater noſter qui es in cœlis.* Cuius ritus meminit expreſsè idem S. Ambroſius de Sacram. lib. 5. c. 4. ſed redeamus hoc ex diuerticulo, in viam rectam.

Apoſtoli igitur certam orationum theoriam, quibus ſacrificium Euchariſtiæ celebraretur, proculdubio ſtatuerunt: quæ hinc pleraque nomina recepit. Ordinem vocat ſanctus Clemens ep. 2. ad fratrem Domini; *Te*, inquit, *ex ordine nos decet inſtruere, qualiter tenere debemus de Sacramentis quæ in ſanctis geruntur.* Linus Pontifex in Actibus S. Petri, *Oratione in nocte*, inquit, *celebrata, valedicens fratribus, & cum benedictione illos commendans Deo, ſolus profectus eſt.* Euſebius, *Liturgiam qua docentur Sacerdotes, quomodo ſua officia expleant & miniſteria exhibeant.* Alexander Monachus in vita S. Barnabæ Apoſtoli: *Ipſe verò* (ait) *quum panem & calicem ſumpſiſſet, & diuinæ Liturgiæ ordinem totum compleuiſſet, vnà cum fratribus Sacramentorum Euchariſtiæ factus eſt particeps.* Dionyſius Areopagita, *Sacrorum* ait *myſteriorum ritum. Et precum ad altare Dei ſacrum.* Vnde fortè audire ſacrum, pro Miſſæ intereſſe, defluxit. *Et ſanctiſſimorum myſteriorum morem ac inſtitutum.* Alij precationem Sacerdotalem *. Alij & quidem frequentiſſimè *Actionem* ** (vnde liber Liturgicus etiamnum habet, *infra Actionem:*) quia opus Dei maximum eſt, & actio diuinarum diuiniſſima, qua Sacramenta à Sacerdote, vt Dei omnipotentiæ organo conficiuntur, & gratiarum actio diuinis beneficiis adæquata, Deo ab Eccleſia rependitur. Præterea iam olim ab Optato Mileuitano dicitur *Legitimum.* Nam *quis dubitat* (inquit) *vos illud legitimum in Sacramentorum myſterio præterire non poſſe, offerre vos Deo dicitis pro Eccleſia quæ vna eſt*, lib. 2. contra Parmenianum. Et lib. 3. *Dixiſtis & vos illud legitimum, nec præterire poteſtis.* Inſuper Iſidorus lib. 1. de offic. diuinis &c. c. 15. *Ordinem* vocat *precum, quo oblata Deo ſacrificia conſecrantur.* At à mille annis & ſuprà longè celebratiſſimo nomine, Canon Miſſæ, ſeu abſolutè Canon: quod nomen iam tempore S. Gregorij vſu communi Græcorum & Latinorum erat receptiſſimum; vnde cùm orationem Dominicam recitari in ſacrificio ſanctus ipſe Pontifex præcepiſſet, ipſo teſte ei ſubinfenſi murmurabant, *Quia orationem Dominicam mox poſt canonem dici ſtatuiſtis.* Vbi non reprehendebant abſolutè quòd recitari iuſſiſſet, ſed eo quòd mox poſt Canonem, cùm fortè ante vel longiùs poſt Canonem dici ex minùs probato vſu conſueuiſſet. Quicquid ſit, patet ex hoc vſu loquendi quòd *Canonis* nomen pro myſticis precibus quibus actio diuina celebratur, iam tunc paſſim receptum erat; quæ diuinæ actionis celebrior nuncupatio, quàm apta ſit & propria ipſo ex natiuo ſignificatu patet. eſt enim regula, ordo, formula, ac ritus ſolennis, quo ſacratiſſima hæc oblatio fieri debet, & quam vel prætermittere vel mutare nemini licet. Idcirco enim ſic præ-

Ep. ad Demoph. c. 1. & 3.

Eccl. Hier. c. 4.

* *Berno Augienſis c. 1. de offic. Miſſæ.*

** *Strabo de reb. Eccleſ. c. 2.*

ſcripta hæc regula fuit, tam diuina lege quàm Apoſtolica traditione & Eccleſiæ auctoritate ac conſtanti vſu, vt ex nullius penderet priuato arbitrio, ſed neceſſariâ iſte ritus obſeruantiâ teneretur, adeo vt qui ſecùs facerent, eo ipſo contra ſancitam tanta auctoritate legem cenſerentur præuaricari, & legitimum Chriſtianum haud ſine graui reatu temerare.

At contrà obiiciunt Nouatores: Si Canon iſte à Domino & Apoſtolis fuiſſet inſtitutus, ab Eccleſia fuiſſet ſuſceptus communi conſenſu, & vniformiter vbique ſeruaretur. Verùm in Oriente nunquam vſum habuit, vbi etiamnum aliæ ſacrorum myſteriorum formulæ ſtabili in obſeruantia perſeuerant. Vtuntur enim Eccleſiæ Græcæ Liturgiis S. Baſilij & S. Chryſoſtomi; Hieroſolymitana S. Iacobi, Ægyptiæ S. Marci, & aliæ aliis; nullæ ibi ſunt verò quæ vtantur Romana. Addere poſſent hæretici, etiam in Occidente Canonem Romanum vbique non teneri; Nam Eccleſia Mediolanenſis ſeruat Ambroſianum ritum: Toleti in Hiſpania, Liturgia vetus, quam Mozarabum vocitant, publico in vſu eſt. Porro hoc non negamus, ſed dicimus Liturgias eſſe quidem verbis diuerſas, rebus ipſis non diſſonas, ſed planè conformes, vt inſpicientibus patet; in ſingulis enim & omnibus fiunt, ſicut Apoſtolus præcipit, *orationes, obſecrationes, poſtulationes, pro omnibus hominibus, gratiarum actiones;* maximè verò conſecratio, oblatio, mortis Domini commemoratio & applicatio, Sanctorum memoria, oratio pro defunctis; ſcripturarum lectio, præter cæremoniarum generalem conuenientiam, ab omnibus enim & vbique adhibentur ſacræ veſtes, altare, benedictiones per ſignum crucis, luminaria, incenſum ſiue thymiama, cantus quando Miſſa eſt ſolennis, & cætera omnia generatim, quæ in Romana Eccleſia vſitantur. *1. Tim. 2.*

At inſtant noſtri temporis heterodoxi; in Canone, eſt Miſſæ medulla, adeóque Miſſæ ipſa eſſentia. Qui igitur Canonem adinuenit & compoſuit, Miſſæ auctor fuit; atqui ante ſextum ſæculum elapſum canon iſte nondum conſcriptus erat. Teſtis eſt enim S. Gregorius qui Romanæ Eccleſiæ anno 590 præeſſe cœpit, ipſum Miſſæ canonem à Scholaſtico quodam fuiſſe compoſitum. Reſpondeo: Canonis Miſſæ proprio in ſignificatu, quo accipimus & intelligimus pro ordine præſcripto diuinæ oblationis, citato loco S. Gregorius meminit: & precationis cuiuſdam à Scholaſtico concinnatæ, quæ iam recitari ſuper ipſa oblatione conſueuerat. At ſua ætate quòd compoſita fuerit, & in vſu eſſe cœperit neutiquam dicit, nec ex eius dictis quis iſte Scholaſticus fuerit, vel vtrum hoc nomen pro proprio, vel appellatiuo acceperit, videlicet pro nomine perſonæ vel officij, aut meriti elogio, facilè colligi poteſt: quicquid ſit, manifeſtè ſatis canonem ab hac prece diſtinguit, quæ potiùs canoni adiectitia, atque ideo ab ipſo S. Gregorio ſuppreſſa, inducta eius in locum Dominica oratione, fuiſſe videtur.

Et verò nequit fieri vt priuatus homo, adeóque anonymus, aut certè qui proprio nomine Scholaſticus diceretur, recenti inuento cùm

Lib. 7. ep. 64.

hæc ſcriberet ſanctus Gregorius ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum, canonem compoſuerit. Ratio eſt, quia conſtans eſt Romanæ Eccleſiæ traditio, quòd ipſam Liturgiam, ſeu ritum celebrandi Euchariſtiæ ſacrificium ab ipſo S. Petro Apoſtolorum principe, parente ſuo acceperit; teſtatur id S. Clemens ipſius B. Petri diſcipulus, coadiutor & ſucceſſor, ep. 2. ad fratrem Domini, ipſéque lib. 2. Conſtit. Apoſt. ritum modúmque deſcribit primitiuæ illius Liturgiæ, quæ omnes partes habet quæ etiamnum noſtra in Miſſa Romana reperiuntur. S. Iſidorus diſertis verbis hanc traditionem confirmat; *Ordo*, inquit, *Miſſæ, vel orationum quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primùm à S. Petro eſt inſtitutus*, lib. 1. de diuinis offic. c. 15. idem aſſerit Walfridus Strabo de rebus Eccleſ. c. 22. *Romani quidem* (ait) *vſum obſeruationum à B. Petro Apoſtolorum principe accipientes, ſuis quique temporibus, quæ congrua iudicata ſunt, addiderunt.* quorum morem ideo in rebus ſacris tam multæ gentes imitantur, quia & tanti magiſterij ex apice Apoſtolico primordiis clarent, & nulla per orbem Eccleſia æquè vt Romana *, ab omni fæce hæreſeωn cunctis retro temporibus pura permanſit. Idem ſcribit Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 6. c. 14. & paſſim denique recentiores. Nec modò Latini hoc teſtantur, ſed & Græci litteris id etiam prodiderunt, ſcilicet Simeon Metaphraſtes in vita ipſius B. Petri ex vetuſtis monimentis collecta, & Simeon quidam Græcus auctor à Turriano repertus & citatus Dogm. Charact. lib. 3. præter Egeſippum de excidio Ieruſalem lib. 3. c. 2. alióſque.

* Caluinus hoc ipſum vel inuitus fatetur, Inſtitut. lib. 4. c. Vbi fuiſſe Romanam Eccleſiam apud veteres ſumma in veneratione dicit, *quòd doctrina ſemel accepta fuerit tenacior.*

Sed obiiciunt contra hanc traditionem Nouatores, fieri non poſſe vt vera ſit. Conſtat enim Canonem fuiſſe à multis Pontificibus compoſitum: Nam vt Polydorus Virgilius ſcribit lib. 5. de rerum inuentoribus, c. 10. *Canonis partem, Te igitur, quæ dein initium eſſe cœpit, Gelaſius dedit, ſicut ante eum Syricius, Communicantes, quod nunc tertio loco ponitur. Alexander I. qui Gelaſium & Syricium longo temporis interuallo præceſſit, ob memoriam paſſionis Christi poſuit, Qui pridie quàm pateretur &c. Leo deinde adiecit, Hanc igitur oblationem, vſque, placatus accipias: Gregorius tres ſubiunxit poſtulationes, &, Diéſque noſtros in tua pace diſponas, &c. Eiuſdem quoque primi Leonis eſt, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam: ſic alij alia addiderunt.* Hæc Polydorus, de cuius dictis inferunt hæretici: igitur falſum eſt quod S. Petrus Miſſæ Romanæ auctor fuerit, imò quod ipſa ab Apoſtolorum vllo prodierit. Quibus reſpondeo: Si Alexander, Syricius, Leo, Gelaſius, Gregorius auctores fuerunt noſtri Canonis, multæ illum antiquitatis eſſe oportet, proinde procul à vero eſt quod Scholaſticus quidam verſus initium ſeptimi ſæculi canonis ipſius, vt contendunt Nouatores, fuerit inuentor. Deinde dico: prænominati Pontifices, etſi vulgò exiſtimentur has partes quas notat Polydorus, in canonem inuexiſſe: tamen canonis auctores eſſe non potuerunt, tum quòd canon ipſe antè conſtaret, tum quòd ipſæ partes à Polydoro notatæ, eſſent in vſu diu antequam Pontifices iſti exiſterent. Quod facili inductione probari poteſt. Enimuerò dicit Polydorus à

Gelaſio (qui ſedere cœpit anno Chriſti 492.) primam canonis partem, in qua *pro vniuerſa Eccleſia, pro regibus, pro omnibus hominibus oratur, fuiſſe editam, Te igitur.* At extat in Miſſa Ambroſiana, & huius partis diſertè meminit ipſe ſanctus Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 4. Quin & S. Auguſtinus ep. 59. ad Paulinum. S. Chryſoſtomus homil. 6. in 1. ad Timoth. & hom. 7. S. Cyrillus Hieroſol. Catecheſ. 5. Myſtag. S. Baſilius in Liturgia ſua; quin & obiter Athenagoras in fine Apologiæ pro Chriſtianis ad Marcum Aurelium Antoninum & Aurelium Commodum. Dicit idem Polydorus tertiam partem Canonis à Syricio, qui S. Ambroſio erat coætaneus, fuiſſe additam, ſed hoc non eſt verum, nam S. Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 17. diſertè ſcribit Apoſtolos tradidiſſe, vt ante ſacrificij completionem *Sanctorum nomina recitarentur:* cuius obſeruationis meminit S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 3. part. 2. Sanctus Cyprianus lib. 3. ep. 6. & lib. 4. ep. 5. S. Cyrillus Catech. 5. Myſtag. S. Epiphanius hæreſ. 75. S. Chryſoſtomus in Liturgia & hom. 22. in Acta. Porro quod dicit Polydorus Alexandrum I. Pontificem qui ſextus ſedit à Petro, addidiſſe memoriam Dominicæ paſſionis, tam procul à vero eſt, quàm illum inſtituiſſe Miſſam, hoc eſt diuinum Euchariſtiæ ſacrificium quod Chriſtus inſtituit in ſuæ ipſius mortis commemorationem: vnde ait Apoſtolus (qui vt ipſe teſtatur, *accepit à Domino quod & tradidit nobis) quotieſcumque hoc* diuinum myſterium celebrabitis, *mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quapropter rectè aſſerit Alcuinus lib. de diuinis offic. c. de celebrat. Miſſæ, partem illam canonis, quæ incipit *Qui pridie quàm pateretur &c. vſque ad, in mei memoriam facietis,* Apoſtolos, ab Aſcenſione Domini, in vſu habuiſſe. Et reuera S. Clemens memoriæ paſſionis expreſſim meminit lib. 3. c. 17. Et Patres omnes præcipuam hanc eſſe diuinæ oblationis partem ſummo conſenſu docent ac teſtantur, fidéſque Catholica eſſentialem hanc eſſe mortis Domini in incruento ſacrificio commemorationem conſtantiſſimè profitetur. Quod Polydorus addit inuentam à Leone I. fuiſſe partem canonis quæ incipit, *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ,* etiam friuolum eſt, apertè falſum ne dicam, ſiquidem hæc eadem pars reperitur verbis æquiualentibus apud S. Clementem, & in Liturgiis SS. Baſilij, Chryſoſtomi, & Miſſa S. Ambroſij, cuius & verbis expreſſis confirmatur lib. 4. de Sacram. c. 5. & cognita fuiſſe legitur S. Auguſtino, apud Gratianum, can. *vtrum.* de Conſecrat. diſt. 2. Eſt igitur antiquior S. Leone. Hac itaque ex inductione tantiſper oculato rerum inſpectori ſatis profectò patet, meras eſſe nugas & chimæras quæ Polydorus, & eum ſecuti Nouatores dicunt de Canone, ab his quos memorant Pontificibus ſucceſſiuè compoſito: cùm oblatio & conſecratio ipſa, quæ pars potiſſima & ſola Miſſæ eſſentialis eſt, fuerit, vt ex Euangelio & B. Pauli teſtimonio patet, ab ipſo Domino inſtituta, & ſic ſemper ab Eccleſia obſeruata: Cæteræ verò quæ ſunt integrantes, & poſt eſſentialem illam præcipuæ, videlicet Oratio pro Eccleſia vniuerſa, pro regibus, & omnibus orthodoxis, Sanctorum Beatorum commemora-

1. Cor. 11.

tio, præliminaríſque oratio ad diuinam actionem, & mortis, reſurrectionis, aſcenſioniſque Domini commemoratio, iteratáque beatorum Chriſti teſtium recordatio, & ſolennis illa ſupplicatio pro defunctis, deinde ipſa pro celebrante Sacerdote & miniſtris ipſi aſſiſtentibus deprecatio, Dominicæque orationis recitatio, & (vt vno verbo omnia complectar) ſacra illa formula, quæ Canon dicitur, non ab vllo Pontifice, ſed ab ipſis Apoſtolis fuerit præſcripta & tradita, abhincque conſtantiſſimo vſu in vniuerſa Eccleſia, tam Græca quàm Latina, Orientali & Occidentali, vbique & ſemper obſeruata.

Quaſdam voculas tamen minutáſque particulas fuiſſe inſertas à quibuſdam ſanctis Pontificibus ipſi Canoni per modum interiectionis ſeu appendiculæ, aliquot locis: at quæ nullam partem notabilem Canonis efformat, vltro & candidè confitemur: v. g. ab Alexandro I. paucula hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur.* (ſequentia enim ſunt ex Euangelio deſumpta) à Syricio autem, non ipſam beatiſſimæ Virginis & aliorum Sanctorum commemorationem, ſed ſolùm iſta verba, *Communicantes & memoriam venerantes.* (apud S. Clementem dicitur ſimpliciter, *Memores*) ſiquidem, vt bene notauit Cardinalis Bellarminus, non eſt diuerſa oratio, ſed pars tantùm & continuatio primæ: quia illud, *Communicantes*, non haberet vllum ſenſum niſi continuaretur cum præcedentibus. Poſitæ ſunt igitur tantùm hæ voculæ emphaſis causâ, videlicet ad maiorem commemorationis Sanctorum illuſtrationem. Sic Gelaſius, vt Carthaginenſi canoni ſatisfaceret, quo ſtatutum fuit, omnes Eccleſiæ orationes dirigendas eſſe ad Patrem, per Chriſtum, qui vnus Dei & hominum mediator eſt, præliminarem hanc ad Patrem æternum apoſtrophen & compellationem addidit, poſt finem Triſagij, *Clementiſſime pater, per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum;* cùm ex primordiali ſerie dicto ter, *Sanctus*, Sacerdos abſolutè ſic canonem inciperet; *Te igitur ſupplices rogamus ac petimus* &c. Sic Leo Magnus ad hanc orationem, *Hanc igitur oblationem*, interiecit *ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ:* cùm anteà legeretur ſimpliciter, *Hanc igitur oblationem quæſumus Domine, vt placatus accipias;* ſubiunxit deinde ſanctus Gregorius, *dieſque noſtros in tua pace diſponas.* Sicut & antea S. Leo ad finem orationis, *ſupra quæ, propitio ac ſereno vultu* &c. proximè poſt illa verba, *ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech*, addidit pro corollario, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Verùm modicæ exiléſque hæ particulæ Canonem nec conſtituunt, nec vllam efficiunt partem eius integrantem, at illum ornant duntaxat, concinnioremque reddunt: quamobrem poſſunt adeſſe & abeſſe ſine mutatione canonis, qui ſine his totus & integer, quoad eſſentiam, & partes integrantes, ſubſiſtit. Quamuis ex quo interiectiones hæ pauculæ auctoritate Pontificum in contextum eius inſertæ fuerunt, & communi Eccleſiæ vſu & conſenſu receptæ, ac probatæ, fas non ſit Sacerdoti eas prætermittere: quod ſi lubens faceret, immunis non foret à non leui reatu.

Lib. 2. de Miſſa c. 21. §. Prima igitur.

Cæterùm ex præmiſſis liquidò patet, quàm verum ſit quod Occu-

menicum Concilium Tridentinum docuit loco ſuprà ſignató, Canonem nempe conſtare cùm ex iis ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus. Calumniantur horum temporum Ariſtarchi, ſacroſanctum illud Concilium, quaſi commentum nouum & hactenus inauditum, de hac Canonis, adeóque antiqua & authentica inſtitutione, his verbis pronunciauerit. Sed falluntur apertè, vel fallere nituntur. Id vt palam faciam, non multis eos verbis morabor. Vixit Innocentius III. annis circiter 350. ante inchoatum Concilium Tridentinum. Is verò inquiſitus à Ioanne Archiepiſcopo Lugdunenſi *, de quibuſdam verbis Canonis, luculento reſponſo (quod extat apud Gregor. lib. 3. tit. 41. *de celebrat. Miſſarum.* c. 11. incipítque, *Cùm Martha*) doctè & accuratè ei ſatisfaciens hac inſigni peroratione demum concludit: *Credimus igitur quòd formam verborum ſicut in canone reperitur, & à Christo Apoſtoli, & ab illis eorum acceperint ſucceſſores.* Sed neque Innocentius III. hoc à ſeipſo dixit, vetuſtior enim longè fuit hæc de Canonis origine indubitatáque prorſus in Eccleſia traditio: ſiquidem Vigilius Papa, qui annis 25. S. Gregorium in Pontificatu anteceſſit, epiſt. ad Eutherium c. 5. ſe Miſſæ canonem *ex Apoſtolica traditione* accepiſſe, apertè, palámque teſtatur: *Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum, nullo nos tempore, nulla feſtiuitate ſignificamus habere diuerſum, ſed ſemper eſſe eodem tenore, oblata Deo munera conſecrare.* Et paulò infrà, *Quapropter & ipſius canonicæ precis exitum dixerimus ſubter directum; Quem Deo propitio, ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus.* Id ipſum aſſeuerat luculentiori teſtimonio S. Cœleſtinus Papa, cuius vice & auctoritate S. Cyrillus Oecumenico Concilio Epheſino præfuit: ſic enim ſcribit ſanctiſſimus hic Pontifex, ep. 1. ad Epiſcopos Galliæ, aduerſus Pelagium & Cœleſtium nouæ hæreſis inuentores: *Obſecrationum Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia Catholica vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Quum enim ſanctarum plebium Præſules, mandata ſibimet legatione fungantur, apud diuinam Clementiam, humani generis agunt cauſam.* Quia ſcilicet ſacrificium incruentum offerendo, preces, ſupplicationéſque fundunt pro vniuerſa Eccleſia: pro regibus, pro omnibus fidelibus, imò & in die ſancto Paraſceues (vbi mortis Domini memoria ſolennis ritu ſpeciali recolitur) etiam pro infidelibus. Ineluctabili igitur hoc principio permanente, iam ſupereſt, vt ad Sacerdotes diſſertatiunculæ huius ſeriem conuertamus. Canon tremendi ſacrificij à verbis Domini, ab Apoſtolorum traditione, à coæuo Chriſtianæ Religioni vſu, & vnanimi Eccleſiæ conſenſu, ſuam originem ac obſeruationem mutuatur. Hinc ſubſtantiuè, *Legitimum*, à Patribus appellatur, quia lex eſt inuiolabilis, qua ritè & legitimè diuinum hoc myſterium ab omnibus & vbique celebrandum eſt. nec enim tam diuina actio debet à cuiuſcumque Sacerdotis nutu & arbitrio pendere, vt qualiter ſibi viſum fuerit pro voluntate ſua oret & offerat: ſed omnia ad gnomonem, ad amuſſim, ad perpendiculum ſacræ

* Qui eiurata dignitate, factus eſt ſubinde Monachus Claræuallenſis.

Vigil. Ep. 3. tom. 11. Concil. regiæ edition, p. 512.

huius formulæ, quam præſcriptam ab Apoſtolis Domini accepimus, oportet exæquari. non licet amplius addere, neque tantillum minuere ex quo typus hic ſacro-ſanctus vniuerſi orbis conſenſione, ſtabilem in vſum receptus, tantáque Eccleſiæ reuerentiâ ac obſeruantiâ conſecratus eſt. Geſtit ſemper humana conditio, noui quicquam inuenire, mutationéque ſemper aliqua delectatur, nec in ſacris plerumque abſtinet ab hac prurigine nouitatis. Argutantur hinc Eccleſiæ inimici: Liturgiæ canon à Deo nec eſt, nec eſſe poteſt; ſiquidem quæ ſunt à Deo, ordinata ſunt, firma etiam & immutabilia, ſemper & vbique perſeuerant. *At ſacrificij ordo quem perperàm Papiſtæ*, (vt aiunt heterodoxi) *iactitant eſſe à Deo vel Chriſti Apoſtolis, conſtat ſæpè ſæpiùs fuiſſe mutatum, alteratúmque variis additionibus, detractionibus, & ſectionibus, aut nuperis inuentis & inſtitutis: quin ex toto mutatum. Vnde fit vt alia ſit Liturgia Romana à Mediolanenſi, Ambroſiana ab Hiſpanica (quæ Moſarabum appellatur:) alia Liturgia Baſilij, alia Chryſoſtomi, alia Marci, alia Iacobi, & ſic de cæteris, quæ ſunt omnino ab his & illis diuerſæ. Igitur rei adeo mutabilis, variæ & multiplicis, origo nequit eſſe diuina, quin nec Apoſtolica; Apoſtoli enim acceperunt à Domino, quæ tradiderunt nobis.* Verùm hîc miſerè hallucinantur Eccleſiæ hoſtes, licèt enim quædam Liturgia dicatur Baſilij, alia Chryſoſtomi, alia Ambroſij, alia Gelaſij, alia Gregorij, (noſtra videlicet Romana) alia Iſidori, non tamen iſti auctores Liturgiam compoſuerunt: ſed auſu quorumdam, priuatóque arbitrio, locis quibuſdam alteratam, natiuam in formam redegerunt: vel detrahendo ſiquid irrepſerat minùs conueniens, vel addendo aliquid, modicum tamen, ſed valde conſonum ſummæ Myſterij dignitati: ſic tamen vt ſubſtantiales partes Liturgiæ ab Apoſtolis inſtitutæ, integræ permanerent. Sic S. Gregorius (quem Ioannes Diaconus memorat Codicem Gelaſij coarctaſſe, lib. 2. vitæ eius c. 17. ſcilicet quia quædam inde irrepṫitia reſecuit) lib. 7. ep. 73. refert ſe reſtituiſſe in Miſſa antiquas conſuetudines, & ſuſtuliſſe quædam, quæ ſenſim irrepſerant. Itaque (vt verbis vtar Cardinalis Bellarmini, lib. 2. de Miſſ. c. 19. §. *Vbi illud*) auctor fuit non inſtitutionis Liturgiæ, ſed eius reformationis. Gregorius VII. plus quàm 400. poſteà annis emendauit officium Eccleſiaſticum, ſed vt ipſe teſtatur, non nouum inſtituit, ſed antiquum reduxit. Quod non ita diu fecit etiam Pius V. vnde prodiit Miſſale & Breuiarium Romanum, ex decreto ſacro-ſancti Concilij Tridentini reſtitutum &c.

Can. in die de Conſec. diſt. 5.

Vigili igitur ſemper oculo Præſides Eccleſiæ proſpexerunt, ne in ſacram Liturgiam quicquam inordinatum, ſuperfluum, inconueniens, fictitium, minùs pium, minùs certum, aut probatum, quorundam priuata auctoritate, ſeu potiùs temeritate, vel etiam ſuperſtitione irreperet. Et quotiens id repererunt, falce Apoſtolica ſuperfluas huiuſmodi excretiones, ſedulò amputauêre.

Matthias Illyricus, ex heterodoxis, Miſſam edidit, *antiquam* (vt ait) *ex Bibliotheca Palatina depromptam.* Hanc puram & ſinceram, nulliſque aſperſam mendis, aut refertam additamentis arbitratur: Sed quàm

quàm fœdè hallucinatur, hoc maximè exemplo fit perſpectum. Vbi in vera & primitiua Eccleſiæ Liturgia ſimpliciter legimus: *Vnà cum famulo tuo Papa noſtro N. & Antiſtite noſtro, & Rege N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.* Canon Illyricianus hanc amplificationem habet, *Et pro omnibus orthodoxis atque Apoſtolicæ fidei cultoribus, Pontificibus, Abbatibus, Gubernatoribus, & rectoribus Eccleſiæ ſanctæ Dei, & pro omni populo ſancto Dei;* ſuppreſſo proprij Epiſcopi & Regis ſpecialis nomine. Item vbi canon originalis habet ſimplici ſerie, *Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum N. N. & omnium circumſtantium.* Canon Illyrici effluit in hæc verba: *Cunctorum ſcilicet conſanguinitate mihimet, vel familiaritate & amicitia coniunctorum, cunctorúmque mihi peccata ſua confitentium, méque in tuo nomine bonis reficientium, & omnium circumſtantium.* Rurſus vbi canon authenticus hæc tantùm continet, *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias;* mutat verba Illyricianus Canon, hócque exuberat additítio tenore: *Hanc etiam oblationem humilitatis meæ & deuotionis quam tibi offero pro peccatis meis & criminoſis actionibus meis caſtigandis & dimittendis, pro cæca & lapidea cordis mei duritia diſſoluenda & illuminanda: quæſo Domine vt placatus accipias, & ſinum pietatis ſuper me expandas, méque illumines, ſenſum aperias, ſpiritum corrigendi tribuas, & ad te miſero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ verba, etſi mala non ſint, ſuperflua tamen & per manifeſtam interpolationem, (ſequitur enim poſt eorum clauſulam, *Quam oblationem tu Deus quæſumus vt placatus accipias*) primordialem in contextum intruſa fuiſſe, meridiana luce clarius eſt. Eſt in mea ſupellectile libraria vetus Miſſalis liber, item MSS. in membranis exaratus antiquis characteribus maiuſculis litteris aureis ſparſim expreſſis, imaginibúſque magnam pietatem & antiquitatem ſpirantibus diuerſis locis inſignitus, in cuius limine extat Kalendarium, ſingulis anni diebus natalitia Sanctorum proferens conſignata; inter quæ nulla notata conſpicere eſt nomina Sanctorum, qui à 600. vel 700. annis extiterunt, neque feſtorum poſteriùs inſtitutorum vlla indicia. Ex quo ſpecimine coniicere licet librum hunc Liturgicum, huius eſſe notæ quæ annos ſexcentos ſuperat, nam 700. attingit: porrò Canon concinnè eo in Codice deſcriptus eſt, adeo vt eius exordium litteris aureis membranæ, tinctæ liquore purpureo inaratis ac admodùm eleganter expreſſis conſpicuum effulgeat. Tota porrò huius ſeries maiuſculis characteribus Latinis paſſim exornata, Romanæ Eccleſiæ Canonem verbatim refert accuratiúſque deſcriptum nulla ſyllaba ſummota vel mutata vſque ad finem orationis, *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manum ſancti Angeli tui.* Hic enim poſt huiuſmodi clauſulam, *Omni benedictione cæleſti, & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* reperitur hoc inſigne additamentum: *Memento mei quæſo Domine, & miſerere mei, & licèt hæc ſancta indignè tibi ſancte Pater omnipotens æterne Deus, meis manibus offerantur, qui nec inuocare ſanctum ac venerabile nomen tuum dignus ſum, ſed quæ in honore dilectiſſimi*

filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ cum odore ſuauitatis accendantur. Tum ſequitur memoria defunctorum, & ſubinde oratio iſta poſtrema, *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis* &c. Quæ addititiam quam ad verbum mox expreſſimus, ſuperfluam eſſe prorſus euincit. Inueniuntur alia antiqua Miſſalia, in quibus vbi Sanctorum Beatorum fit tam ante actionem quàm poſt, commemoratio: Sancti cuius Natalis vel feſtiuitas illo die occurrit ſpecialis fit memoria. Quod ex ritu Græcorum ſumptum eſſe patet ex Liturgia S. Baſilij, quæ in hoc differt à Romana, quòd hæc Beatiſſimæ Virginis, Apoſtolorum & Martyrum tantummodò nomina in Canone ſancto recitat, nec eo loco ſanctorum Confeſſorum commemorationem admittit, eo quod celebratur hoc in myſterio memoria paſſionis Domini, cuius Martyres mortem & amorem pro eius fide & gloria profuſo ſanguine imitati ſunt. At feruentior quàm diſcreta quorumdam deuotio, hanc regulam non ſeruauit, ſiquidem patronos præcipuos Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, quibus addicti erant profeſſione aut incolatu pòſt Sanctorum in authentico canone expreſſorum nomina veneranda addiderunt. Sic in quibuſdam Miſſalibus vetuſtis, videlicet Rhemenſi poſt ſanctorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij ſpecialem mentionem, ſubnectitur ſtatim memoria Sanctorum Confeſſorum, Hilarij, Martini, Remigij &c. Benedicti. Et in codice Ratoldi Abbatis Corbeienſis, qui ante annos 650. claruit, legitur expreſſa ſeries nominum Sanctorum Nicaſij, Hilarij, Martini, Benedicti &c. Amandi, Remigij. In Sagienſi itidem vetuſto Codice Liturgico, ſanctorum Martyrum Geruaſij & Protaſij, quorum patrocinio hæc Eccleſia eſt conſecrata. Conſimiles additiones in pleriſque libris Miſſalibus MSS. antiquæ ſat notæ, in contextum ſacri Canonis irrepſiſſe inuenire peruium eſt. Quæ quamuis nec malæ eſſent, nec malo genio inuectæ in ſacram Miſſæ formulam, tamen quia hoc priuato auſu factum fuerat, & à ſacro-ſancta regula diuinæ oblationis ab initio præſcripta exorbitabat, Eccleſia quoties actum animaduertit, continuò reſcidit ac reiecit. Hinc præſignatæ Codicis ſacri vindiciæ prodierunt, verè Pontificiâ curâ ac ſumma auctoritate initæ à Gelaſio I. Gregorio Magno, Gregorio VII. & non ita diu à Pio V. & Clemente VIII. ſacro-ſancti Concilij Tridentini piis ac neceſſariis decretis (Seſſ. 22. & 25) laudabili zelo inhærentibus.

Scribens ad Corinthios Apoſtolus præcipit, vt in Eccleſia omnia cum decenti ordine fiant. 1. Cor. 14. 5. Quo theoremate Apoſtolico edoctus ſanctus Martyr & Pontifex Ignatius, directis litteris ad Smyrnenſes ait, *Omnia in vobis decenti ordine perficiantur in Chriſto.* Rectè S. Thomas 1. p. q. 5. a. 5. ex S. Auguſtino docet, omnem rem ſiue omne bonum habere primò menſuram, qua omni rei certum modum ex determinatione principiorum ſuorum efficientium & materialium præſtat. quo ex principio præfatum Concilium Tridentinum diuinæ oblationis canonem rectè ac neceſſariò factum deducit. *Cùm,*

inquit, *ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimum ſacrificium, vt dignè reuerentérque offerretur ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur quod non maximè ſanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentéſque offerentium in Deum erigat; is enim conſtat cùm ex ipſis Domini verbis, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum piis inſtitutionibus.*

Ritus ille ſolennis, iure ideo Canon dictus eſt, quia ſtata ſit lex & regula pro ſacris myſteriis dignè & decenter ab omnibus ſemper & vbique celebrandis, quam nemini liceat tranſgredi, ſiue addendo, ſiue minuendo, ſiue tantillum quid immutando. Hinc dilecto Ieſu Diſcipulo, Apoc. 11. 1. *Datus eſt calamus virgæ ſimilis, vt metiretur templum Dei, & altare, & adorantes in eo.* Ad ſignificandum quod myſteria quæ in templo Dei celebrantur, & ſacrificia quæ ſuper altare offeruntur, à diuinæ Maieſtatis piis & verè timoratis miniſtris atque cultoribus, certo ritu & ordine peragi debent, ſtatutáque & determinatâ menſurâ contineri, quam excedere vel minuere abſque graui piaculo, virgâ diuinæ vltionis vindicando, nemo poteſt. Eſt igitur quod ſumma cura ac diligentia Sacerdotes inuigilent præſcriptæ ſibi tanta diſtrictione regulæ obſeruandæ, ne verbulum quidem è ſacro Canone ſibi oſcitanter ſinant excidere, ne ſyllabam vllam prætereant, ſed accuratè & adæquatè tam verba quàm ritus cuſtodiant, quibus diuinum illud ſacrificium, vt Deo gratum & acceptum ſua ex parte eſſe poſſit, ab ipſis debet offerri: *Deus enim non irridetur.* ſed ſanctè & timoratè ab omnibus fidelibus, maximè verò à ſuis Sacerdotibus & miniſtris vult adorari, & ea præſertim in actione, qua ſupremus illi cultus & reuerentia exhibetur. Scitè dudum ſanctéque à B. Bernardo dictum eſt, *nugæ in ore Laicorum, ſunt in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* Alludere ſi licet, dicere non verebor, leues quæ ſunt in humanis moribus culpæ, ſi à Sacerdote in ſacrificio admittantur, graues reatus cenſendi ſunt: *Si rides* (ait Chryſoſtomus) *dum Sacerdos orat in Eccleſia, quando erit ſalus?* Porrò ſi Sacerdos in ipſo tremendo ſacrificio otiatur, ſi attentè non cogitat quæ Dei ſunt, ſi regulam ſibi ſacræ oblationis præſcriptam negligenter tranſgreditur, vel lubens menſuram ſibi determinatam exactè ſeruare vllo modo contemnit, quando placare ſibi Deum poterit, & ſibi populóque reddere propitium, quem in ipſo propitiationis ſacrificio irritat & offendit? abſit vt ſic cuiquam Sacerdotum contingat. Canon Miſſæ eſt *Legitimum Chriſtianum:* ſumma igitur religione ab ipſis ſeruandus eſt, de quibus ad Angelos ſuos Spiritus ſanctus per prophetam ait, *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Sancti erunt Sacerdotes & miniſtri altaris, *Si portent myſterium fidei in conſcientia pura,* Si populo vnuſquiſque illorum verè dicat cum Apoſtolo, *Quod accepi à Domino, hoc & tradidi vobis*, ſeu quod ſalutis miniſterium eius mandato obeunt ſecundùm inſtitutionis eius præceptum, & Apoſtolorum eius præſcriptum, ritè & legitimè exequantur. Hoc præclarè

Galat. 6. 7. *Homil. 24. in Acta.* *Pſal. 49. 4.* *1. Tim. 3. 9* *1. Cor. 11.*

docet S. Cyprianus, ep. 63. ad Cæcilianum, inter med. & finem, vbi ſic ait : *Quòd ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſoluere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſum Dominicæ Paſſionis & noſtræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud quàm quod diuinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare?*

CAPVT VI.

Sacerdotem acceptius Deo ſacrificium offerre non poſſe, quàm ſi Chriſtum offerentem in ipſa ſui immolatione imitetur.

ARTICVLVS I.

Sacerdos offerendo Chriſti corpus & ſanguinem, eius non tantùm præceptum implere debet: ſed & exemplum ſequi, vt ſuum ſacrificium ſit plenum & perfectum.

ECCLESIAM Catholicam calumniari recentiores hæretici non verentur, quaſi ſummam Chriſtianæ Religionis in externis duntaxat cæremoniis & ſacrificio merè repræſentatiuo, éxque certis ritibus & formulis tantùm conſtanti, collocaret. Non puduit Martinum Kemnitium in peſtilenti ſuo libro, quod Examen Concilij Tridentini impudentiſſimè prænotauit, doctrinam Romanæ Eccleſiæ de Miſſæ ſacrificio, breui hoc axiomate perſtringere : *Sacrificulum debere mimicis geſtibus, ritibus & actibus, in pane & vino repræſentare paſſionem Chriſti, & illam actionem eſſe ſacrificium Deo gratum pro viuis & mortuis.* Quæ quàm atrox impoſtura ſit, opus non eſt prolixa demonſtratione euincere; palam enim, & euidenter Romana Eccleſia ſe credere profitetur, Chriſtum in vltima Cœna corpus ſuum & ſanguiné verè ac realiter ſub ſpecie viſibili panis & vini Deo patri obtuliſſe, & id ipſum iuſſiſſe fieri ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus vſque ad mũdi conſummationem : proinde illud incruentum, & (vt Patres vocant) verum, plenum, & ſummum ſacrificium, quod ad rei ſubſtantiam in ſola corporis & ſanguinis Domini oblatione ſitum eſſe, facta à Sacerdote ritè ordinato, ſecundùm Chriſti præceptum & exemplum.

Quæ fides & doctrina quàm vera & ſincera ſit, vel ex eo patet quòd eadem fuerit in primitiua Eccleſia inter ferrum & ignes prædicata & credita, atque ab ipſis Martyribus qui pro Chriſti nomine & teſtamento ſanguinem profuderunt conſtanti teſtimonio obſignata: ſic enim tot Martyrum dux, & doctor Beatus Martyr & Pontifex Cyprianus, diſertis verbis docet & prædicat in inſigni illa Epiſtola quam ſcripſit ad Cæcilium, de Sacramento Calicis Domini, ep. 63. poſt medium. *Si Ieſus Chriſtus, Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri*

in ſui commemorationem præcepit, vtique ille Sacerdos vice Chriſti fungitur, qui id quod fecit Chriſtus imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.

Licèt enim ad intrinſecam ſacrificij rationem ſufficiat, quòd Sacerdos vt Chriſti miniſter legitimè ordinatus, cum intentione debita panem & vinum in corpus & ſanguinem Domini per eius verba conſecrauerit, eadémque Deo Patri obtulerit; (neque enim ſacrificij huius eſſentia pendet à ritibus & cæremoniis adiunctis, nec ab ipſius ſacrificantis miniſtri, bonitate, vel malitia, ſed à ſola elementorum conſecratione, qua hoſtia conficitur, Deóque ſiſtitur, vim ſuam ac naturam accipit: *Quia hoc ſacrificium non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris:*) tamen ſi nudum Sacerdos miniſterium præbeat, nec aliud quicquam ex ſua parte afferat, ſacrificium quidem erit verum, ſed non erit plenum & perfectum ex parte miniſtri ipſius operantis. Nec enim ad hoc tantùm requiritur ab eo, vt Chriſti impleat præceptum: ſed neceſſe eſt vt exemplum etiam imitetur. vnde rectè ac verè S. Cyprianus dicit: *Sacerdos vice Chriſti fungitur, qui id quod fecit Chriſtus imitatur; & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.*

ARTICVLVS II.

Chriſti exemplo offerat Deo Patri Sacerdos incruentam hoſtiam, in odorem ſuauitatis.

CHRISTVS equidem dixit Apoſtolis, & in iis ipſorum ſucceſſoribus in Sacerdotio, *Hoc facite in meam commemorationem.* Igitur vt dignè & congruè Sacerdos hoc miniſterium impleat, non ſufficit vt dicat quod Chriſtus dixit, ſed vt faciat quod ipſe fecit; Chriſtus verò non dixit duntaxat, *hoc eſt corpus meum:* ſed ſic dicendo (ait magnus Tertullianus) *acceptum panem corpus ſuum effecit.* nec nobis tantùm dedit, ſed pro nobis, *hoc eſt*, inquit, *corpus meum quod pro vobis datur.* Nam (vt ait Apoſtolus Epheſ. 5. 2.) *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* oblationem in cœna, hoſtiam in cruce, in odorem ſuauitatis: ſcilicet victimam, & pacificam, & pro peccato, in gratiarum actionem ſimul & propitiationem. Duo enim hæc iſtis verbis Apoſtolus complectitur & ſpectat: Erant duo altaria in lege, altare holocauſtorum, & altare thymiamatis: ſeipſum obtulit holocauſtum in cruce Chriſtus, quamobrem totus ibi decoctus, crematus & conſumptus exclamauit, *Conſummatum eſt.* nihil enim ſupererat quod pati poſſet, ſe etenim & omnia ſua æterno Patri in teſtimonium perfecti obſequij & amoris obtulerat. In cœna verò etiam ſemetipſum obtulit quaſi incenſum ſuauiſſimum, quódque ſua puritate & fragrantia totum oppleret ſanctuarium, & aſcenderet non tunc modò, ſed in perpetuum coram

Luc. 22.19. *1.Cor.11.24.25.* *Luc. 22.* *Ibid.* *Ioan. 19.30.*

Deo in odorem ſuauitatis, vbi legimus Leuit. 1. *in odorem ſuauitatis*, Hebræus textus habet לריח ניחוח *lereach nicoach*, id eſt *in odorem quietus*, quo ſcilicet ſuauiſſimè paſcitur odoratus, in eóque iucundiſſimè & placidiſſimè conquieſcit. Deus hoc vnicum filij ſui vnigeniti ſacrificium deſiderabat. Cætera antiqua omnia faſtidiuit (vt docet Apoſtolus Heb. 10.) quapropter hoc vno inſtituto illa omnia abrogauit, vnde & iſtud oportuit eſſe iuge & perpetuum, *Mortem Domini annunciabitis* (inquit 1. Cor. 11. 26. quotieſcunque hoc facietis) *donec veniat*. Non ceſſabit hæc oblatio, nec in fumum vnquam conuertetur, ſed permanebit in perpetuum: Et aſcendet ſemper coram Deo in odorem ſuauitatis. *in odorem redolentiæ* (vt S. Hieronymus vertit) & bonæ fragrantiæ quæ fœtorem peccatorum noſtrorum à naribus Dei amouebit, & ipſum placabit, & ipſum nobis propitium efficiet, ſuauiſſimo meritorum filij ſui vnigeniti odore delinitum.

Thymiama in veteri lege Sacerdos bis adolebat quolibet die, ſcilicet manè & veſpere: erat autem confectum expreſſo Dei iuſſu, Exod. 30. ex ſtacte, onyche, galbano & thure lucidiſſimo, ℣. 34. *Dixítque Deus ad Moyſem, ſume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciéſque thymiama compoſitum opere vnguentarij, mixtum diligenter & purum, & ſanctificatione digniſſimum. Cúmque in tenuiſſimum puluerem vniuerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* Figura enim erat ſacrificij puriſſimi atque ſanctiſſimi, quo Chriſtus ſe pro nobis immaculatum Deo obtulit, *dedítque ſeipſum oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis.* Stacte eſt lachryma myrrhæ (ſeu flos myrhræ, vt LXX. & S. Hieronymus ep. ad Principiam vertunt). liquor myrrhæ eſt fragrantiſſimus, vnde condiendis cadaueribus aptus eſt. Oblatámque fuiſſe ideo dicunt Patres à Magis myrrham Domino, in ſignum mundæ eius ſepulturæ & glorioſæ reſurrectionis: Verùm etiam propinatum ei fuit mox crucifigendo *vinum*
Marc.15.23. *myrrhatum* propter amaritudinem, ideóque myrrham ſymbolum eſſe aiunt interpretes mortificationis carnis, & repreſſionis paſſionum noſtrarum. Porrò onycha eſt oſtreola parua redolens, inſtar vnguis humani, quam ideo Dioſcorides vocat *vnguem odoratum* lib. 2. c. 28. dicítque eſſe conchylij indumentum in nardiferis Indiæ paludibus, ideóque ſuauem ſpirare odorem eo quòd conchylia puri nardi pabulo veſcantur. Galbanum autem ſuccus eſt ferulæ naſcentis in Syria, valde eſt efficax ſuo appoſitu vel ſuffitu ad partum felicem accelerandum: inſuper aduerſatur toxicis, necat ſerpentes, deuoratur ad tuſſim mitigandam, difficultatem ſpirandi ſedat, aliáque confert pleraque remedia. Cæterùm notat Plinius lib. 12. c. 14. thus naſci in Arabia felice, illúdque quaſi parturiri & coqui æſtiuis caloribus, colligíque in autumno iam concoctum, illúdque eſt lucidiſſimum, album enim eſt & candidum. At quod hyeme colligitur ex corticibus thuriferæ arbuſculæ inciſis, id rufum eſt, nec priori & puriori illi com-

parandum. Thus eſt diuini cultus & religionis ſymbolum. hinc thus à θύειν, id eſt ſacrificando deducunt, quòd thus in ſacrificiis Deo offerri ſoleat ex communi hominum ſenſu. Ex Ethnicis Ouidius lib. 4. Metamorph.

Templa tibi ſtatuam, ſoluam tibi thuris honores.

puta diuinos, téque vt Deum colam & vt verum numen cui ſoli thus debetur, honorabo. hinc Martyres olim ſine dubitatione habiti, qui quòd thus pſeudo-numinibus offerre noluerunt, agonem extremum cruenta morte obiere. Et è contra thurificantes inter impios cenſiti, qui vt ſe morte eximerent, thus diis falſis adolere non exhorruiſſent. Nec alia de cauſa Magi in cunabulis Chriſtum adorantes, thus illi primùm inter pretioſa munera obtulerunt, quàm vt diuinitatis eius fidem profiterentur, ideo canit Prudentius:

Regem, Deúmque annunciant,
Theſaurus & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis ſepulchrum prædocet.

Arctiùs quidem, ſed non minùs eleganter Iuuencus:

Thus, aurum, myrrham, Regíque, hominíque, Deóque
Dona ferunt.

nimirum thus Deo, aurum Regi, myrrham homini in cruce morituro.

Chriſtus itaque ſemetipſum obtulit Deo pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis, quia vt thymiama perfectum in lege figuratum, ſeipſum Patri ſacrificauit. Piè, præclarè & appoſitè S. Bernardus, ſerm. 1. in die ſancto Paſchæ: *Chriſtus in paſsione ſua* (inquit) *patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, charitatem perficit. His virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur, & eſt ſupereminentior charitas, à dextris obedientia, à ſiniſtris patientia, in profundo radix virtutum humilitas.* At non in cruce ſolùm, ſed in vltima quoque Cœna Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe Patri pro nobis obtulit in odorem ſuauitatis; háſque quatuor virtutes ſuo in ſacrificio adhibuit, quibus thymiama Deo adoleret ſuauiſſimum atque puriſſimum: Thus videlicet feruentiſſimæ in nos charitatis, *cùm dilexiſſet ſuos in finem dilexit eos.* Stacten obedientiæ, *Sicut enim mandatum dedit mihi pater, ſic facio.* Myrrham patientiæ, *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet.* Matth. 26. Galbanum humilitatis: nam *quis maior eſt*, inquit, *qui recumbit, an qui miniſtrat: nónne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum ſicut qui miniſtrat;* Luc. 22. 27. *Cœpit enim lauare pedes diſcipulorum ſuorum:* Qua de ſtupenda humilitate attonitus Petrus dixit ad eum, *Domine tu mihi lauas pedes! Cui reſpondit Ieſus, niſi lauero te, non habebis partem mecum?* Cùm igitur in Miſſa idem offerat ſacrificium Sacerdos quod obtulit Chriſtus, ſitque in hoc diuino officio eius miniſter & vicarius, eiúſque ipſam gerat perſonam, acceperítque ab eo mandatum, vt quemadmodum fecit, itidem faciat, *hoc facite in meam commemorationem:* hoc eſt in perennem memoriam ſuæ paſſionis, cuius diuinum ipſum Miſſæ ſacri-

Ioan. 13. 1.
Id. 14. 31.

ficium vera repræſentatio eſt quoad actionem, & res eadem quoad ſacram oblationem: profectò Sacerdos non ſolùm veſtibus & ſignis externis, ſed virtutibus & actibus internis, ac etiam exterioribus exemplis Chriſtum ipſum imitari debet; proinde ſummopere intendere vt iiſdem virtutibus quas in ipſo incruento ſacrificio Chriſtus exhibuit, inſignitus effulgeat: ſcilicet vt imprimis ardenti deuotione & feruenti charitate, deinde perfecta obedientia in diuinorum placitorum ſedula obſeruatione, patientia inſuper eximia, & ingenti, Chriſto compatiendi deſiderio; denique vera humilitate ex ſui ipſius ſerio ac ſincero deſpectu inſtructus quantum aſſequi poteſt, piis affectibus tremendum hoc myſterium celebrare aggrediatur, aureum hoc dictum S. Gregorij memoriâ recogitans, *Thymiama ex aromatibus compoſitum facimus, cùm in altari virtutum multiplicitate redolemus.* Lib. 1. Moral. c. 39.

S. Baſilius in cap. 1. Iſaiæ, thymiama quod Sacerdos adolere debet, ad altare Dei, ingenioſo non minùs artificio concinnat. Thymiama hoc, inquit, eſt corporis ſanctimonia per temperantiám, & frænum rationis in corpus, quod quatuor elementis conſtat: ſtacte ad aquam refertur, (& ſignat effuſionem lachrymarum & cordis compunctionem) thus ad aërem (& indicat rerum ſupernatum meditationem) onyx ad terram, ob ariditatem (& caſtitatem ac continentiam denotat:) galbanum ad ignem, ob calorem perferuidum, &
Pſal. 140. innuit feruentem deuotionem: de qua dicit Propheta, *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Ferunt Rabbini inter templi Hieroſolymitani mirabilia, quòd ex altari thymiamatis fumus aromatum incenſorum rectà in cœlum ſic aſcendebat, vt nunquam vllo turbine, flatu, imbre, vel pluuia in obliquum tantiſper agitaretur aut flecteretur; húcque alluſiſſe ſponſum, dum de amica ſua dicit in Canticis 3. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij?* videlicet ob ſtaturam rectam & proceram, odorémque ſuauiſſimum ex eius veſtibus exhalantem, vnde ſequitur c. 4. 11. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* Sed latiùs patet quod ſuperiori loco ſuperadditur, *Et vniuerſi pulueris pigmentarij*, propter virtutum diuerſam congeriem, qua fragrare debet anima quæ cupit Deo cui approximat, complacere. Eleganter S. Gregorius hom. 6. in Ezech. faſciculum hunc virtutum ſub diuerſorum florum ſymbolis ac appoſitè deſcribit: *Aliter enim* (ait) *olet flos vuæ, quia magna eſt prædicatorum virtus & opinio, quæ inebriat mentes audientium; aliter flos oliuæ, quia ſuaue eſt opus miſericordiæ, quod more olei feruet & lucet. Aliter flos roſæ, quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna eſt virtus humilium, qui ex deſiderio vltima loca tenentes ſe per humilitatem à terra in altum non ſubleuant, & cœleſtis regni purpuram in mente ſeruant. Aliter redolet ſpica cùm ad humilitatem perducitur, quia bonorum operum perfectio ad ſatietatem eorum qui iuſtitiam eſuriunt, præparatur.*

Iacob veſtimentorum primogeniti fratris ſui, quibus indutus erat ſua-

ſuaueolenti odore, vt demulſit ſenſum patris ſui Iſaac, ſic eius gratiam & benedictionem ſibi conciliauit, *Statimque vt ſenſit* (Iſaac) *veſtimentorum illius fragrantiam benedicens ei ait, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Certè ſi Sacerdos ingrediens altare Dei, Chriſti habitus & virtutes ſuo in apparatu præ ſe ferret, facilè æterni patris oculis complaceret, eiúſque in ſe paternos concitaret affectus: Ait Pater cœleſtis de vnigenito ſuo, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* Induantur itaque Sacerdotes ſalutari, vt dicere valeant cum Apoſtolo, *Chriſti bonus odor ſumus.* Tunc enim gratum erit & acceptum diuinæ maieſtati quod offerunt in nomine & perſona Chriſti ſacrificium, ſi Chriſti quoque fragrantiſſimos halitus ſedula imitatione redoleant, eiúſque veſtigia pro modulo virium, aut donorum menſura, quæ per eius merita acceperunt, piè & generosè conſectentur.

ARTICVLVS III.

Sacerdos offerendo incruentum Miſſæ ſacrificium, paſſionem Domini potiſſimùm imitetur.

I. OMNIS Sacerdotalis apparatus, meditationis mortis Domini hoc in ſacrificio ſeriò ineundæ tacitè admonet Sacerdotem. Nec enim ſacram Panopliam induere poteſt, quin multis ſalutiferæ crucis ſignaculis, in manipulo, ſtola & caſula expreſſis viſus afficiatur, ſenſúſque interior iiſdem indiciis excitetur, ad mortis Domini myſterium attenta mente recolendum. Myſticam prætereà hanc panopliam induendo, fierine poteſt, ſi tantiſper oculos in ſingulas eius partes defigat, quin ipſi veniat in mentem ſummus ille & verus Pontifex Chriſtus Ieſus, cuius acerbiſſimos cruciatus ac fœda ludibria, & mortem crudeliſſimam hæ ſacræ veſtes reuocant in memoriam, ipſo ſuo aſpectu & indutu. In amictu, velum eſt facile agnoſcere, quo benigniſſimos Chriſti patientis oculos milites occluſerunt, cùm excuſſiſſimas palmas infligentes, *Dic nobis quis te percuſſit*, velut de coniectore quærebant. In podere ſeu alba, veſtem candidam qua illum Herodiani traduxerunt. Cingulum, manipulus, ſtola, vincula referunt & funes, quibus in patibularij morem conſtrictus ad ſupplicium raptatus eſt. Caſula purpuream veſtem exprimit; crux in ea contenta crucem, ſub cuius onere in via ad Caluariam gemuit; corona Sacerdotis, ſpineam eius coronam; altare, Caluariæ collem; linea vela ſeu mappæ & corporalia (vt vocant): ſudaria & lintea quibus pretioſiſſimum corpus eius eſt obuolutum cùm ſepulchro mandaretur.

II. * Signum crucis quo ſe munit Sacerdos ingrediendo in Sancta, quódque pleriſque vicibus efformat in ipſo ſacrificio ſuper hoſtiam & calicem ſalutarem, ſéque ipſum paſſim conſignat: cuius quæſo rei monumento eſt, quàm crucis & paſſionis Domini alta mente meditandæ & intimis Sacerdotis infigendæ præcordiis, in diuini huius

* *Vide S. Aug. ſerm. 19. de SS. & ſerm. 18. de tēpore, ac tract. 118. in Ioan. Fortunat. lib 3. in vita S. Martini Epiſt. Epiſcopor. è Synodo apud Cariſiacū ad Lud. Germaniæ Regem c 15. Iuonem Carnotenſem, ep. 235.*

ſacrificij celebratione? Quod ideo ſalutare ſignaculum, non leuiter & præcipitanter Sacerdos efformare debet, ſed decenter & attentè exprimere: quemadmodum Synodus quæ ſub S. Vldarico Auguſtano Epiſcopo habita eſt, Sacerdotes grauiter admonet & docet can. 19. *Calicem & oblatam,* (ait ſacer ille contextus) *rectâ cruce ſignate, id eſt non in circulo & variatione digitorum, vt plurimi veſtri faciunt, ſed ſtrictis duobus digitis & pollice intus recluſo, per quos Trinitas innuitur. Hoc ſignum rectè facere ſtudete, non aliter enim quicquam poteſtis benedicere.* Hoc enim *ſignum niſi adhibeatur, ſiue frontibus credentium, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur,* ait S. Auguſtinus tract. 118. in Ioan. Signum certè illud, vnicum ſalutis chirographum à Chriſtianis in omnibus rebus adhibendum eſt, ex traditione Apoſtolica, vt Tertullianus docet & teſtatur lib. de Corona militis, vbi ait *ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum atque exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad menſas, ad lauachra, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quandocumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Quod ſi in omnibus rebus ſalutiferum hoc ſignaculum ab omnibus Chriſtianis exprimendum eſt. Quanto magis à Sacerdote memoriam crucis, paſſionis, & mortis in eo myſterio celebrante, quod in perennem mortis Domini commemorationem ab ipſo Domino fuit inſtitutum? Aptè ad hæc Iuo Carnotenſis ſerm. de Conuenientia veteris & noui Teſtamenti, *Quid eſt inter ipſa myſteria* (inquit) *rebus ſacratis vel ſacrandis ſignum crucis ſuperponere, niſi mortem Domini commemorare?* Addere liceat, quid eſt Dominicum hoc ſignaculum fronti vel pectori imprimere, niſi menti & cordi infigere Chriſti pro nobis initam in cruce paſſionem?

III. Sed his pius commemorandi & practicæ intelligentiæ conſignandi tanti beneficij affectus Eccleſiæ, terminis non ſtetit: vbique in oculis Sacerdotis & aſſiſtentis Cleri & populi fixit & appinxit crucem. Nec ſatis hoc ei fuit, vt efficaciùs ſacrificantem ipſum commoneret, ac etiam commoueret piiſſimo hoc obiecto, ab humeris ſuper caſulam crucis figuram attexuit, eiúſque obtutibus ſuper altare poſitam Chriſti crucifixi imaginem expoſuit. Quo de ritu diſſerit ex profeſſo Innocentius III. lib. 2. Myſteriorum Miſſæ cap. 21. cuius titulus eſt, de Candelabris & cruce, quæ ſub medio collocatur altaris.

IV. Fuit & alius ritus apud maiores noſtros ſolennis, vt Preſbyter ſacrificans manus extenderet ad modum crucis. Qui mos hodie paſſim exoleuit. Nam Sacerdotes à cubito brachia tantùm verſus altare protenſa ferunt, manibus etiam expanſis ſed non in crucis modum. Fortè quòd incongruum iis qui recenſuerunt ſacros ritus viſum fuerit, Sacerdotem ſic exporrectis brachiis & manibus orare. Sed fortè non ſatis perpenderunt hoc ſub ſolenni pridem ritu latens myſterium. Attigit id ſolerti acumine ante annos ferè 500. Petrus Bleſenſis, qui in tractatu de venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ myſteriis c.7. expreſſo lemmate demonſtrat, quòd Preſbyter in conſecratione ſacrificium commemorans & imitans cum lacrymis paſſionem Chriſti,

ſit Chriſtus & crucifixus, & ſacrificans & ſacrificatus; ait verò in ſubiuncto tenore:

Nihil aliud ſacrifex eſt quàm Chriſti ſimulachrum,
Dum tractat corpus Chriſti cum ſanguine ſacrum,
Dúmque ſuos oculos in cælum cordáque figit,
Extendendo manus, & brachia ſe crucifigit:
Et dum quæ fuerit mors Chriſti flendo retractat,
Facta ſuæ carnis Domino velut in cruce mactat.
Sic Chriſtum Chriſtus offert homo victima factus,
Sícque crucem patitur dum commemorat crucis actus,
Qui recto Chriſtus quomodo crucifixus & vnctus,
Per fidei membrum cum Chriſti corpore iunctus.

v. Cæterùm inſigni alio, & ab initio huc vſque permanenti exitu Sacerdos Chriſti conficiendo Sacramentum, & offerendo ſacrificium admonetur memoriæ excitandæ crucis & mortis Domini; mox enim ac conſecrauit hoſtiam ſalutarem, hanc ſolet Sacerdos attollere & populo oſtendere, íſque antiquus ac Apoſtolicus mos eſt: de quo ætate Apoſtolica vſitato, illuſtre hoc extat Sancti Dionyſij, B. Pauli diſcipuli, luculentúmque teſtimonium, Pontifex cùm diuina munera laude proſecutus fuerit, ſacratiſſima & auguſtiſſima myſteria conficit, & quæ antè laudauerat venerandis operta ſignis, atque abdita in conſpectu agit, diuináque munera reuerenter oſtendens ad ſacram communionem & ipſe conuertitur. Idem teſtatur Sanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 27. Inuocationis verba: *cùm oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis*, inquit, *Sanctorum nobis ſcripto reliquit?* Hæretici neoterici hunc ritum Apoſtolicum magno odio inſectantur, vt quid? quia nimirum ex eo elicitur adoratio Euchariſtiæ, ita eſt reuerà: ſed cùm adoratio Chriſti vbique, & ſemper ſit licita, imò vt fatetur, quin & contendit Caluinus contra Weſphalium Lutheranum, neceſſariò ex præſuppoſita reali præſentia conſequatur; *nec deeſt præceptum*, ait, etenim ſcriptum eſt: *In nomine Ieſu omne genu flectatur; At ſi in nomine, multo magis in ſanguine flectendum eſt.* Sed non ex hac cauſa tantùm Euchariſtia extollitur, populóque oſtenditur; *Elatio ſiquidem in altum ſacro-ſancti corporis Chriſti* (inquit ſanctus Germanus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, in theoria rerum Eccleſiaſticarum) *Chriſti in cruce exaltationem & mortem in ea, ſanguiniſque effuſionem calicis itidem exaltatio repræſentat.* Falsò igitur & impiè Caluinus ſcribere haud erubuit, *Non poteſt erigi altare, niſi euertatur crux Chriſti*; vt enim dicebat dudum Iudæis Apoſtolus, Rom. 3. 31. *Legem per fidem deſtruimus? abſit, ſed legem ſtatuimus.* Sic licet nobis Caluino & eius aſſeclis reſpondere, Crucem per Miſſam deſtruimus? abſit, ſed crucem exaltamus; Neque enim fieri poterat vt Chriſti crux & paſſio mórſque ſalutifera alia ratione, modóque vllo meliùs annunciaretur, honorificaretur, & magnificaretur, quàm hoc diuino ſacrificio, in quo verbis, ſignis, rebus, ac ritibus, Chriſti ipſius immolatio mirè exprimitur, verè repræſentatur, realiter exhibe-

tur, ac piè & ſuauiter commemoratur. Hinc rectè ait S. Gregorius hom. 17. in Euangelia, *Quoties Chriſto hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram, paſſionem illius reparamus.* Et alibi, videlicet Dialog. lib. 8. c. 58. *Penſemus quale pro nobis ſit hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra, paſſionem vnigeniti filij Dei ſemper imitatur.*

ARTICVLVS IV.

De ipſa ratione, modóque imitationis mortis & paßionis Domini, quibus vti debet Sacerdos celebrando incruentum Miſſæ ſacrificium.

QVID *dignius & ſalubrius fieri poteſt*, (ait magnus Alcuinus lib. de diuinis officiis, cap. de celebrat. Miſſæ) *quàm vt hæc myſteria frequentando, memor ſit Eccleſia beatæ paſſionis, quæ totius mundi peccata deleuit?* Eſt igitur imprimis neceſſarium vt Sacerdos vice Chriſti & pro Eccleſia myſterium hoc diuinum aggreſſurus, apud ſe ſedulò recogitet & animo perpendat, quid Chriſtus ipſe fecerit, & quomodo ad hoc ſacrificium comparatus acceſſerit.

§. I.

Imitandum ante omnia feruens Chriſti deſiderium.

Luc. 22. 15. DESIDERIO *deſideraui* (ait Dominus diſcipulis ſuis) *hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Mortis ſuæ diem, quin & horam toto vitæ decurſu Chriſtum vehementer exoptaſſe ſancti Euangeliſtæ paſſim commemorant. Apud quos ipſius Domini has inſignes voces ex eius intimo pectore ſæpè erumpentes, veluti ex fornace ardentiſſimo emicantes ſcintillas licet aduertere: *Nondum venit hora mea.* (*Ioan. 2.*) *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* (*Luc. 12.*) *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* (*Ioan. 18.*) *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* (*Idem 17. 1. & 10. 17.*) *Propterea diligit me pater, quia ego pono animam meam &c. Nemo tollit eam à meipſo.* Hinc ait propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Iſa. 53. Imò quia deſiderauit: eapropter *cucurrit vt gigas ad currendam viam.* Pſ. 44. Et cùm demum aſcenderet Hieroſolymam, vt impleret omnia quæ prædicta erant de ipſo, *Præcedebat diſcipulos ſuos, & ſtupebant ac timebant ſequentes eum.* (*Marc. 10. 32.*) Præcurrebat enim ardore patiendi, ſpreto omni ludibrio & cruciatu, ex ingenti amore quo ſe ipſum tradebat pro nobis. Illi verò verbum crucis de eo nec audire ferebant; *Sitio*, ait, iam cruci affixus, quia nihil ardentius quàm mori pro viuificatione noſtra deſiderabat, ſempérque concupierat. At hîc aliud deſiderium oſtendit, *Deſiderio deſideraui*, inquit, *hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Quid hoc quæſo, erat quod intentiſſimo deſiderio hactenùs exoptauerat? Hoc paſcha nobiſcum manducare, de quo Paulus ait, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* (*1. Cor. 5. 7.*) Nam Dominus Ieſus (ait maximus Eccleſiæ Doctor Sanctus Hieronymus, in ep. ad Hedibiam, q. 2.) *ipſe conuiua eſt, atque conuiuium,*

ipſe comedens & qui comeditur. Sic & qui immolat & qui immolatur. Vnde S. Ambroſius in cap. 1. Luc. *Quando ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, cruenter in cruce, incruenter in cœna, vtrobique idem, ſed diuerſo modo. Perſecutorum manibus fuit immolatus in cruce, quamuis interiori affectu ſemetipſum offerret: at inſtituendo Euchariſtiam ſe ſolus ipſe obtulit, vt ſacrificium ſuum oſtenderet prorſus liberum & voluntarium, ſicut antè per Prophetam dixerat, *Voluntariè ſacrificabo tibi*: & de eo alius Propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit*; Ideo ſacrificium Euchariſtiæ inſtituit, antequam morti addictus eſſet *in ipſa nocte in qua tradebatur*; & vt ſacra habet Liturgia, *pridie quàm pateretur*, vt ſpontaneæ ſuæ oblationis eſſet perenne monimentum: ideo dicebat, *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequàm patiar*, quia non tantùm mox paſſurus ſum pro vobis, ſed etiam quia inſtituo ſacrificium ad fructum paſſionis meæ vobis applicandum: perpetuum erit memoriale mei in vos amoris, & theſaurus ſemper inexhauſtus, ac omnibus apertus meritorum meorum: denique oblatio perpetua, Deo gratiſſima ad laudem, gloriam & honorem ei referendum pro infinitis ſuis in vos beneficiis, & ad conciliandam vobis in æternum eius miſericordiam & gratiam; propterea *hoc paſcha deſideraui manducare vobiſcum antequam patiar*. Hoc certè Chriſti deſiderium feruentiſſimum, accedens Sacerdos ad altare Dei, debet ſedula mente reuoluere, ardoriſque huius ſcintillas ſuo in pectore pro affectu imitationis Domini ſui (cuius vicem & typum gerit) excitare. Prædixit Zachariæ Gabriel Archangelus de filio ei naſcituro, *Ipſe præcedet ante Dominum in ſpiritu & virtute Eliæ*, Luc. 1. 17. Fuit Ioannes Chriſti præcurſor; at Sacerdos Chriſti debet eſſe ſectator & imitator. Satagat igitur oportet, cùm eius vicariam obit perſonam, venire poſt eum ad altare Dei, in ipſius Chriſti ſpiritu & virtute. Virtus Chriſti propria, charitas eſt, quam ideo rectè appellat magnus Auguſtinus, *Diſcipulorum Chriſti characterem*, ſeu ſpeciale ſymbolum ac ſignaculum; ſpiritus eius eſt deſiderium humanæ ſalutis. Oret igitur imprimis Sacerdos, cùm Chriſti ſacrificium oblaturus eſt, Spiritum ſanctum, vt in ſuis præcordiis hunc Chriſti ignem, hunc Chriſti ardorem accendere dignetur, vt dicere cum Domino verè poſſit fidelibus ſuo aſſiſtentibus ſacrificio, *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam moriar*, quaſi moriturus iam propè eſſet, próque ouibus Chriſti animam ſicut ipſe fecit poſiturus. Sitiuit Chriſtus in cruce, ſed quid? *Sitio*, inquit; Aptè & ſolerter S. Bernardus, *Cur Domine de cruce ſiles, & de ſiti clamas?* Nempe quia ſiti acutiſſima adurebatur: Quid ſitiebat? reſpondet (apud S. Auguſtinum) *Sitis mea ſalus veſtra eſt, ſitis mea redemptio veſtra, ſitio fidem veſtram, gaudium veſtrum, plus animarum veſtrarum ſalus quàm corporis mei cruciatus me tenet*, & ſemper reuera tenuit: arſit enim ſemper hoc vehementiſſimo deſiderio quod in vltima vitæ ſuæ nocte teſtatus eſt, deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. Vtinam Sacerdos aggreſſus idem ſa-

Pſal. 53. 8.
Iſa. 53. 7.
1. Cor. 11.
Serm. 1. in Ramis Palmar. & in Pſal. 33. & 61.

Ccc iij

crificium eodem æſtu & deſiderio humanæ ſalutis inflammetur! Prima hæc eſt (poſtquam animæ ſordes abſterſerit) diſpoſitio, qua tanto myſterio Deo dignè & acceptabiliter offerendo, ſeſe poteſt præſtare idoneum.

§. II.

Agonia Christi, contritio Sacerdotis.

PRÆCLARE Hildebertus in ſuo pereleganti Carmine de Miſſæ myſterio notat Chriſtum à prece & agonia in horto, holocauſtum quod obtulit in paſſione ſua inchoaſſe.

A prece diſcipulos, inde petendo crucem.
Nam ter humi ſtrato, contritio cordis, & ille
Sanguineus ſudor, crux fuit ante crucem.

Torqueat ſe Sacerdos antequam ſacrificium Miſſæ exordiatur intimo cordis dolore pro ſuis & populi peccatis; Apoſtolicum illud axioma seriò recogitans: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus* Heb. 5. 1. *conſtituitur vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis; qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam ipſe circumdatus eſt infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Chriſtus peccata non habuit pro quibus doleret vel offerret; at peccata noſtra horruit, fleuit, eluit, ſua agonia & acerbiſſima paſſione: *Qui* Heb. 5. 7. *in diebus carnis ſuæ* (id eſt mortalitatis) *preces ſupplicationéſque cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* At Sacerdos propriis oneratus peccatis, inſuper populi peccatis aggrauatur. Sat eſt Laïco antequam ad diuinam menſam accedat, *vt probet* (hoc eſt expurget) *ſemetipſum, & ſic de pane illo edat & de calice bibat;* at hoc non ſufficit Sacerdoti, neceſſe eſt vt non ſolùm pro ſuis, ſed & populi delictis doleat, conteratur, anxietur, lugeat, oret, & offerat, ſi exoptat ſuo dignè officio perfungi. Agoniam igitur Chriſti in horto ſanguineum ſudorem exundantis attentè meditetur, ac pro virili imitetur hanc Domini ad ſuum holocauſtum inſignem paraſceuen. Totus oculus eſſe debet Sacerdos, non modò vt internas, externáſque labes exactè perſpiciat, verùm etiam vt ſuas effusè lugeat & alienas noxas. Idem priuatim & ſecretò ſua peccata confiteatur antequam ſacris incipiat operari: tum illam Confeſſionem generalem quæ fieri ſolet ante Miſſæ introitum ſic corde & ore faciat, vt memor ſit circumſtantis populi pro quo interceſſor accedit, peccata eorum cum ſuis, adeóque vt ſua propria exhorreat, cordéque contrito & humiliato veniam ſibi & illis indulgeri obnixè à Domino deprecetur: vox Ioel. 2. 17. digna eſt Sacerdotis, *Parce Domine, parce populo tuo!* Vox digna eſt Pſal. 50. peccatoris pœnitentis, *Auerte faciem à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Vtramque perſonam Sacerdos ſuſtinet publicam & priuatam: vtroque igitur munere æquanimiter defungatur, *Si eſt Sacerdos* (ait S. Ambroſius) *oret pro populo.* At ne ſui ipſius immemor ſit, quà enim homo, peccator eſt.

Agoniam Chriſti in horto ſudorémque ſanguineum, quo orando patrem madefactus apparuit, plerique interpretum adſcribunt pugnæ quam pertulit ſenſualitatis, meritò horrentis mortem proximam eámque turpiſſimam & acerbiſſimam, & rationis ipſam acceptantis: Putant enim agoniam hanc fuiſſe colluctationem quandam ſenſus & naturæ Chriſti delicatiſſimæ exhorreſcentis mortem, cum ratione ſuperiori ad Dei gloriam & humani generis ſalutem, ipſam mortem vltro ſuſcipiente & de illo metu & formidine ſenſitiuæ partis triumphante. *S. Cyrill. l. 4. in Ioan. c. 1. S. Damaſcen. l. 3. orthodox. fid. c. 20 S. Bon. ſup. c. 12. Lucæ &c.* Cæterùm hoc non inficior, ſed ſolam hanc fuiſſe cauſam, ſeu præcipuam rationem huius extremi Chriſti doloris (agoniam enim definiunt, extremam conturbationis ſpeciem:) non cenſeo: Spiritus ſancti oraculum eſt ore S. Petri pronunciatum, *Chriſtum peccata noſtra in corpore ſuo pertuliſſe.* Cui verba Iſaiæ conſonant, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Attritus eſt propter ſcelera noſtra, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus &c. Et poſuit Dominus in eo omnes iniquitates omnium noſtrûm. Propter ſcelus populi ſui, Dominus percuſſit eum.* Hoc pondere igitur Chriſtus in procinctu ſuæ paſſionis degrauatus, & omnium mundi peccatorum quæ ſanguine ſuo mox expiaturus erat ſuper crucem, ingenti horrore correptus ſudauit & arſit, vſque ad lachrymas & ſanguinem, ipſámque agoniam, qua affectus diſcipulis ſuis dicebat, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* In hac anguſtia quam horror diuinæ offenſionis & peccatorum totius generis humani grauitas & magnitudo excitabat, *apparuit ei Angelus Domini confortans eum:* Sed *tali confortatione,* (ait Beda in cáp. 22. Luc.) *quæ dolorem non minuit, ſed magis auxit; confortatus enim eſt ex fructus magnitudine, non ſubtracta doloris amaritudine.*

Sacerdos ingrediens in Sancta, hanc Chriſti agoniam & confortationem Angelicam, vtinam æqua lance apud ſe perpenderet! Primùm enim conciperet, non dubito, in corde ſuo immenſum de peccatis totius mundi dolorem & horrorem, quo pro Dei amore ea omnia & ſingula deteſtaretur, ſéque intra ſe, præ confuſione & pœnitudine abſorberet, vt in ſe illud Prophetæ impleretur, *Thren. 2. 13.* *Magna eſt velut mare contritio tua.* LXX. vertunt, *Magnum eſt poculum, ſeu calix contritionis tuæ.* Quis calix magnus, niſi ille *qui præclarus eſt?* Niſi ille de quo Chriſtus dicebat Petro, *calicem quem dedit mihi pater non vis* *Ioan. 18. 11.* *vt bibam illum?* Calix, inquam, ille, de quo dicebat ipſe duobus fratribus Zebedæis, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? poſſumus,* *Matth. 20. 22.* aiunt, & quidem *calicem Domini biberunt & amici Dei facti ſunt.* Hunc ipſum calicem bibit Sacerdos in tremendo illo ſacrificio, quod in memoriam offert paſſionis & mortis Domini. Sanè ſi alta mente conſiderat, ſanguinis Domini plenum hoc eſſe poculum, non poterit cruorem iſtum pretioſum ſanguinémque pro ſe & toto mundo effuſum delibare, quin cauſæ huius horrendæ effuſionis, ſuorum ſcilicet & mundi vniuerſi delictorum recordetur, & ſic amaritudine repleatur, Dominóque ſuo compatiatur cum tanto dolore crucifixo, atque tanto ex amore, quo nos dilexit, & vt redimeret in tam diram ſe mortem tradidit, immolato.

§. III.

Chriſtus in procinctu ſuæ paßionis confortatus fuit ab Angelo. Opem Angelicam Sacerdos tremenda myſteria celebraturus imploret, qua indiget plurimum.

QVIS *fidelium* (ait S. Gregorius Dialog. l. 4. c. 58.) *habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, vnum quoque ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri.* Conſtans eſt hæc ſanctorum Patrum ſententia, Angelos in Miſſæ ſacrificio venerabundos adeſſe, Chriſtum adorare, diuina myſteria mirari, Sacerdotem comitari, ſpectare Clerum, ſpeculari populum, templum perluſtrare, circumcingere altare, implere ſanctuarium. S. Ambroſius in c. 1. Lucæ, *Vtinam* (inquit) *nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus, Angelus aßiſtat, imo præbeat ſe videndum! non enim dubites aßiſtere Angelum quando* Chriſtus *aßiſtit, Chriſtus immolatur.* S. Chryſoſtomus hom. 3. in ep. ad Epheſios. *Contemplare obſecro* (inquit) *adſtat menſa regia, adſunt Angeli menſæ huius miniſtri, adeſt Rex ipſe.* Et rurſus hom. 3. contra Anomæos. *Tempore illo* (ſacrificij ſcilicet) *non ſolùm homines &c. ſed etiam Angeli Domino genuflectunt & Archangeli rogant &c. habeat vt ſibi ſacram illam actionem in fauore.* Et hom. 36. in ep. 1. ad Corinth. *Et tu igitur ante illud horrendum tempus, animo tremiſce, animo commoueare, priuſquam vela reducta, & chorum Angelorum progreſſum vides, in ipſum vltro cælum aſcende.* Et lib. 6. de Sacerdotio. *Per id tempus & angeli Sacerdoti aßidentes, & cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo, clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Ne verò oratorio more loqui os illud aureum quiſquam arbitretur, ſed ex rei compertiſſima veritate, ipſum audire iuuat, huic de ſe opinioni, verbis huiuſmodi occurrentem. *Ego* (inquit ibidem) *commemorantem quendam audiui, cùm diceret ſenem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narrâſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo fuiſſe: ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenùs humanus aſpectus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat.* Affine narrationi huic eſt, quod refert Cyrillus Anachoreta in vita ſancti Euthymij, eum ſcilicet frequenter vidiſſe terribilem Angelorum viſionem vnà ſecum Deo miniſtrantem, & ſacra contrectantem. Geſta Sanctorum innumeris referta ſunt huiuſmodi exemplis. Quibus profectò Sacerdos admonetur quanto cum timore & reuerentia diuino huic ſacrificio celebrando ſe debet præparare ac illi incumbere. Ad Angeli vnius conſpectum Daniel ita ſtupefactus eſt, vt corruerit protinus feréque ſpiritu toto defecerit. Dilectus quoque ille diſcipulus qui in vltima cœna recubuerat ſuper pectus Ieſu, videns

Idem hom. 22. in Acta.

dens Angelum apparatu mirabili ſibi apparentem, exterritus *ad pedes eius cecidit tanquam mortuus:* Quin Angelo apparente ad ſepulchrum Domini, *præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes & facti ſunt velut mortui.* Matth. 28. 4. Quanto igitur terrore & tremore Sacerdotem concuti par eſſet, ad horrendum hoc myſterium accedentem, cui tot Angeli aſſiſtunt, immò vbi Rex ipſe Angelorum adeſt cum omni cœleſti militia, id eſt beatorum ſpirituum choris, ipſa maieſtate (quam vix intueri audent) perculſis, quemadmodùm ipſe Sacerdos in præfatione ad hanc terribilem actionem, agnoſcit & prædicat. *Per Chriſtum*, inquit, *Dominum noſtrum. Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates. Cœli cœlorúmque virtutes ac beata Seraphim, ſocia exultatione concelebrant*, &c. Audis hîc Angeli non modò laudes concinunt, ſed & cum eis Dominationes adorant: at etiam tremunt poteſtates, cœli, cœlorúmque virtutes ac beata Seraphim &c. Quid igitur hîc faciet Sacerdos tanto indigniſſimus officio, vilis vermiculus, puluis & cinis, miſerrimus peccator? ſtupebant quidam olim videntes Saul inter choros prophetarum, diuina cantica modulari: *Quænam res* (aiebant) *accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?* Quid coruo cum columbis? homini peccatori cum Angelis? reo inferni & gehennæ cum cœli ciuibus, Dei domeſticis & miniſtris puriſſimis, potentiſſimis, ac beatiſſimis? Perterruit olim Dauidem vehementer Angelus cum gladio viſus euaginato ad percutiendum populum. Multi indignè accedentes ad tremenda myſteria, ab Angelis ſacri altaris cuſtodibus ſæpe percuſſi ſunt, iámque ſuo tempore Apoſtolus multos propterea variis infirmitatibus contabuiſſe teſtatur, multóſque præpropera morte affectos; *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi.* Nec exempla deſunt Sacerdotum impura mente, *præcidendíſque manibus* (vt verbis Tertulliani vti liceat) diuinam hanc hoſtiam immolantium, quos diuina vltio cùm per bonos Angelos, tum quandoque per malos inflicta extemplò, non ſine publica reorum infamia percelluit. At verò demus quod æquanimius eſt credere: Sacerdotum accedere neminem ad altare Dei, ſacrificium vt offerat incruentum, qui non priùs ritè expurgata mente & lotis * manibus (vt aiunt) ſe ad tam diuinum opus pro virili præparauerit: Apoſtolis ſanè nullus purior eſſe poteſt, quorum tamen antequam ſacri huius conuiuij participes Chriſtus efficeret, pedes abluere voluit: *Qui enim lotus eſt* (inquit) adhuc indiget *vt pedes lauet vt ſit mundus totus.* Tantam enim munditiem exigit hoc tremendum myſterium, vt ſatis purus eſſe nemo poſſit, ad cœleſtis huius muneris dignam participationem. Nec dubium quin maior puritas in celebrante requiratur, quàm in communicante tantùm deſideratur: plus eſt enim ſacrificare, quàm de ſacrificio participare; offerre & conſecrare quàm ſacrificio aſſiſtere: fungi vice Chriſti, quàm puri hominis partes agere; Sacerdotis exequi verendum ipſis Angelis officium, quàm in turba plebis cenſeri, & in vltimo Eccleſiæ loco conſiſtere. *Pauete ad ſanctuarium meum*, ait Deus

Apoc. 1. 17.

1. Reg. 10. 11.

1. Cor. 11.

* *Vide Gregor. Naz. Apolog. ſeu orat. 1. tom. 1. paulo poſt init. p. 3.*

Ioan. 17. 10.

Leuit. 26. 2.

Sacerdotibus. Chriſtus ipſe in procinctu ſuæ immolationis pauere cœpit & tædere: in agoniam vſque deſcendit, hoc eſt extremam doloris ſpeciem; ſudauit & arſit, lachrymatus eſt, orauit, clamauit, in clamore valido *& lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*, qua ſcilicet patrem æternum cui ſe offerebat, reuerebatur. Vertunt Nouatores, *ex ſuo metu*. Eſto. ſed Chriſtus non ſibi, ſed nobis metuebat, quos nimirum prævidebat magna ex parte fore ingratos, fructúque ideo priuatos iri ſuæ redemptionis. Timebat miniſtris ſuis, quibus tanti ſacrificij officium ſui vice committebat, ne ſcilicet impurè id exequendo, ipſi exciderent à gratia & benedictione, quam cæteris diſpenſarent, & vnde haurire ſibi ſalutem potuiſſent, ſibimet parerent perniciem. Memores ſint igitur ſemper diuinæ huius interminationis, *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos.* Exod. 19. 21.

At bene eſt, quod Angeli non modò altari aſſiſtunt, vbi Chriſtus Rex gloriæ & auctor ac fons gratiæ immolatur: ſed etiam aſſident Sacerdoti, quin (vt ſæpe viſi ſunt) eidem reuerenter ſubminiſtrant. Docet S. Ioannes Chryſoſtomus hom. in Encæniis, Angelos offerre cum Sacerdote, & tempore ſacrificij ipſum corpus Domini adorantes, rogare pro omni genere humano, dicentes; *pro iis, Domine, obſecramus, quos tu adeo dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam efflares in cruce; pro iis ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro iis oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Quòd ſi rogant pro plebe, quanto magis pro Sacerdote ipſo, cuius ore conſecratur Chriſti corpus & offertur? Eiuſdem S. Chryſoſtomi doctrina eſt inſignis, Angelos precum ſuarum ſimilitudines in mente Sacerdotis transformare, hanc illuſtrare, & fraternæ ſocietatis affectu, precum eius imbecillitatem ſua viuacitate adiuuare, totóque quo ſacris operatur tempore ipſi adeſſe, & iugiter comprecari. Huc ſpectat illa Sacerdotis oratio, qua in canone, hunc in modum precatur: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ.* Sic enim petit & exoptat Angelorum interceſſione iuuari, & commendari ſuum Deo obſequium & cultum, quem (hoſtiam hanc pretioſam offerendo) exhibere deſiderat.

Ipſemet S. Chryſoſtomus Sacerdotem offerentem corpus Domini, ac illud diſpenſantem, eleganter appellat *Angelum Seraphicum:* alludendo ſcilicet ad Seraphim, qui calculo ignito ſumpto per forcipem, ab altari diuino, tetigit labia Iſaiæ & eum mundauit. Calculus iſte carbunculus erat (ſecundùm S. Hieronymum) lapis nimirum pretioſus flammeo & igneo colore collucens. Ignis enim cœleſtis quo Dei altare ardet, non carbonibus ligneis, ſed pyropis nutritur & carbunculis, ſcilicet quia inextinguibilis eſt. Arcano igitur Iſaiæ purificationis per Seraphim peractæ, Sacerdos officij ſui admonetur, vt diſcat hominem exuere cùm ad altare procedit, leuare ſe ſupra ſe, Angelum induere, Seraphim imitari: etenim purus & feruens vt Seraphim eſſe

S. Cyrill. lib. de Incarnat. vnigeniti c. 8.

debet; vt corpus Chriſti ab altari capiat, illúdque diſpenſet, ſed verò capiat forcipe myſtica quæ bifida eſt, fide ſcilicet conſtans & charitate, vel gemina legis perfectione, Dei nimirum dilectione & proximi. Túmque tradat diuinum illud pignus Iſaiæ, id eſt peccatori confeſſo, plangenti, & venerabundo. At Sacerdos etſi officio ſit Angelus, imò Seraphim dignitate comparetur, natura tamen homo eſt, & fragilitate peccator. Opus igitur habet ope Angelica, atque Seraphica puritate, vt dignè obeundo tanto myſterio præparetur. Dicat igitur intenta mente cùm ad tremendam aram accedit, *Deus qui labia Iſaiæ prophetæ calculo mundaſti ignito &c.*

§. IV.

Sanctorum etiam ſuffragiis poſtulet adiuuari, cùm & Chriſtus, qui paſſionem ſuam ab oratione incepit, Petrum, Iacobum, & Ioannem orare & vigilare ſecum voluerit, ad præbendum exemplum expetendæ Sanctorum comprecationis, quandò ſacrificium Deo eſt offerendum.

Hildeb. in Carmine de Myſter. Miſſæ.

SI *bene cuncta notes, hoc totum filius egit,*
A prece diſcipulos, inde petendo crucem.
Primùm iuſſit eos vigilare ſtatimque precari,
Pòſt dormire, dehinc agnus & ara tulit.

Species tibi datur, & forma præſcribitur, quam debeas æmulari (ait S. Ambroſius lib. 5. Comm. in Lucam) *Quando vis officium pietatis adoriri, Chriſti exemplum ſequi debes; qui cum Apoſtolis orauit;* Sic autem orauit *non propter ſuffragium ſed propter exemplum.* Ideò Eccleſia, ne propriis fidat meritis, Sacerdoti præſcribit aſſiſtentium ſibi miniſtrorum, plebíſque circumſtantis orationes poſtulare, antequam diuinam ipſam actionem exordiatur. *Orate fratres,* (inquit) *vt meum ac veſtrum ſacrificium fiat acceptabile apud Deum patrem omnipotentem.* Sic expetit ſuffragia Eccleſiæ militantis: verùm quia in hoc myſterio ſummis ima ſociantur, terrena cœleſtibus iunguntur: aduocatis in vnum Angelis cum hominibus, Sanctorum etiam beatorum (hoc eſt Eccleſiæ triumphantis) opem & communionem depoſcit. *Communicantes,* inquit, *& memoriam venerantes, imprimis glorioſæ ſempérque Virginis Mariæ, Genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, &c. & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibúſque concedas, vt in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilio.* S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ. 5. hanc precem his verbis recitat, *Rogamus te nos omnes, & hoc ſacrificium tibi offerimus, vt meminerimus etiam eorum qui ante nos obdormierunt: primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Nempe rectè intelligit Sacerdos, fauorabile Dei conſilium hoc eſſe, & eius miſericordiæ benignum artificium, vt ad Sanctorum ſuffragia,

qui cùm hîc viuerent, ei fide & opere placuerunt, auxilij ſui faciliùs impetrandi cauſa confugiamus. Acutè id ac perappoſitè dudum S. Chryſoſtomus obſeruauit (hom. de pœnit. & confeſſ. quæ incipit, obſecro, flagito, ſupplico, tom. 5. circa finem.) *Mihi*, inquit, *aliud maius eſt indicium diuinæ miſericordiæ, quod dicam: Cùm enim non inuenit homines viuos & fiducia præditos, qui poſſint intercedendo veniam obtinere, confugit ad defunctos, & per illos, inquit ſe remiſſurum peccata, quemadmodùm Ezechiæ dicit* 4. Reg. 19. & Iſa. 37. *protegam ciuitatem hanc propter me & propter Dauid puerum meum.* iam olim enim Dauid mortuus erat. Recurrit igitur Sacerdos hoc inductus documento, ad Sanctorum qui mortalitatem exuerunt, charas Deo ſupplicationes, quibus Deum fore mortalibus indulgentiorem non immeritò confidit. Petrus beatus Apoſtolorum princeps propè migraturus è corporis tabernaculo, opem ſuam apud Deum fidelibus vltro promiſit. *Certus ſum*, inquit, *quia velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* 2. Pet. 1. 14. 15. Fidenter igitur eum poteſt Sacerdos interpellare vt ſuæ ſponſionis memor ſit, det operam apud Deum, vt mortis Domini perennem & ſalutarem hoc in myſterio commemorationem faciamus, & commoriamur, concrucifigamur, conſepeliamur, cum eo reſurgamus è tumulo, & in cœlum conſcendamus. Sic & Paulus vas electionis exorandus eſt, vt qui quod accepit à Domino tradidit nobis, de hoc ineffabili myſterio; hoc ipſum, vt Chriſtus ipſe inſtituit ad amuſſim eius mandati exequamur. Cupiamus diſſolui & eſſe cum Chriſto, & interim mortem eius donec veniat annunciemus. Rogandus Andreas, amator crucis, vt mortis Domini perennem memoriam, & ipſi compatiendi deſiderium illud ardentiſſimum quo flagrauit, animæ noſtræ præcordiis altè infigat, illúdque ſacrificium quod per ſingulos dies Deo omnipotenti tanta puritate, fide, charitate offerebat, impetret nobis ſecundùm ſuum exemplum immolare. Iacobus mundi ſupplantator & deſiderator feruidus calicis Domini, obſecrandus eſt, munus conciliet, vt mundi ſpurcitiis proculcatis, fontem aquæ viuæ, qui Chriſtus eſt, ardenti pectore ſitiamus. Ioannes eius frater, dilectúſque Domini diſcipulus, qui ſupra pectus eius in cœna recubuit, dignus eſt qui etiam interpelletur, ſuis vt ipſum Dominum gratiſſimis precibus pro nobis exoret, vt adſtare ſecum ipſi Crucifixo nobis obtineat; concito curſu & præcordiali affectu eum in ſepulchro quærere, aliena ſpecie obuelatum fide viua agnoſcere, & colere; ipſum amare ſuper omnia, terrena deſpicere, cœleſtia meditari, Dominíque in gloria aduentum pro deſideriorum cumulo exoptare. Hac ratione quotquot ſancti Apoſtoli & Martyres, qui in ſacro Canone nominatim recenſentur, gratiam qua dignum Deo ſacrificium & ſaluiferum nobis ſupremæ eius maieſtati offeramus, impetrent, interpellari poſſunt.

§. V.

Imprimis glorioſæ ſempérque Virginis Mariæ Deigenitricis ſuffragia imploranda ſunt, à Sacerdote celebrante.

ÆQVVM certè erat, vt ſanctiſſima Virgo Deigenitrix hîc in apice omnium Sanctorum collocaretur: quæ ſcilicet regina facta eſt omnium creaturarum, cùm regis omnium effecta eſt mater. Senſit hanc ſingularem prærogatiuam beatiſſimæ Virginis, diuino afflatu irradiata Eliſabeth, cùm ad ipſius ſalutationem ſtupefacta hanc in vocem erupit: *Et vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* Nempe Domina ad ancillam ſuam, ſiquidem mater Domini mei, mea Domina eſt. Ideo non modò Angelorum, ſed & Sanctorum omnium Regina, beata ipſa Deigenitrix, ab Eccleſia prædicatur: quia omnibus præeminet dignitate, honore, auctoritate, loco, donis, meritis, titulis, gratiæ plenitudine, & gloriæ ſplendore ac magnitudine. Hinc S. Epiphanius oratione de eius laudibus, *Solo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtis.* Et meritò quidem. Matris Dei etenim dignitas eſt incomparabilis, incomprehenſibilis, & immenſa: habet enim hoc titulo dignitatem quandam infinitam ex bono infinito quod eſt Deus, vt ait Theologorum apex 1. p. q. 25. a. 6. ad 4^m^. Hac de cauſa igitur in Canone prima omnium ponitur veneranda eius memoria, *Communicantes & memoriam venerantes, imprimis glorioſæ ſempérque virginis Mariæ genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti.* *Luc. 1. 43.*

Sed primo loco non tantùm, at etiam principaliter, in Canone commemoratur: quia nimirùm, tametſi Sanctis quibuſque in omnibus antecellat, hoc in myſterio poſt Chriſtum præcipuum ius habet. *Caro Chriſti eſt caro Mariæ.* hoſtia igitur quæ in hoc ſacrificio immolatur, eſt caro de carne eius, & os de oſſibus eius. Præclarè S. Auguſtinus, *Quia*, inquit, *horribilius eſt carnem humanam comedere quàm occidere, & ſanguinem bibere quàm fundere: neceſſe erat vt hæc menſa lacteſceret, nam mater hoc fecit.* Supponit enim quod ad vitandum horrorem Chriſtus hîc nobis dederit corpus ſuum & ſanguinem, non in aperta ſpecie, ſed panis & vini accidentibus obuelatum: ſicut mater ſuum ſanguinem infanti communicat in lac transformatum: hoc eſt coloratum albedine, & ſuaui ſapore conditum, vt ab infante libentiùs exſugatur. At ſicut mel opificium eſt apis, ſic menſa hæc lactea (qua alimur ad vitam æternam) opus eſt Virginis Deiparæ: nam ex ea Verbum diuinum carnem & ſanguinem aſſumpſit, quem hoc in ſacrificio ſumendum nobis exhibet, quaſi lac ad ſugendum. Hinc gratulabunda de hoc ſanctiſſimo diuinóque beneficio, canit Eccleſia:

Pange lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguiníſque pretioſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generoſi

Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine.

Ideo in officio feſti & octauarum ſanctiſſimi Sacramenti, ad Primam ℟. breue hoc aſſignatur, *Qui natus es de Maria Virgine, miſerere nobis:* Et Præfatio in Miſſa dicitur de Chriſti natiuitate, *Quia per incarnati Verbi myſterium.* Appoſitè prorſus. Etenim Euchariſtia teſte S. Chryſoſtomo nihil aliud eſt, quàm *Incarnationis extenſio.* Sed & Hymni Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, & Completorij per totam octauam venerabilis Sacramenti, hoc verſiculo terminantur,

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine, &c.

Aurea eſt S. Anſelmi ſententia, lib. de Excell. Virg. Mariæ c. 6. *Nihil vtilius poſt Deum, memoriâ matris eius.* Hinc myſtica illa theoria ortum duxit, vt in ſacris officiis frequentiſſima ſit venerabilis memoria ipſius Beatiſſimæ Virginis. Eccleſia hanc habet in deſiderio animæ: idcirco generales fiunt aut quotidianæ eiuſdem commemorationes in Breuiario & Miſſali Romano. Et in Choro, paruum quotidie ipſius recitatur officium. Sabbato officium proprium de ea agitur. Quotidie in fine Laudum, & Veſpertini officij, antiphona dicitur de ea ſpecialis, tempori quod occurrit accommodata. Pulſus campanæ mane, meridie & veſperè ad eius honorem inſtitutus eſt. In Concionibus ad eius opem implorandam angelica ſalutatione honoratur. Pleriſque ſolennibus per annum feſtiuitatibus colitur. Dies Sabbati cuiuſque hebdomadæ illi conſecratus eſt. In præliminari Sacerdotis Cleríque ac populi ad ſacrificium confeſſione, nomen eius honorificè profertur, eiúſque ſuffragium inuocatur: *Confiteor Deo omnipotenti, & Beatæ Mariæ ſemper Virgini &c. ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem.* Commemoratur in Symbolo, *Natus ex Maria Virgine &c.* Nec ſatis hoc fuit Eccleſiæ deuotioni. in feſtis propriis beatæ ipſi Virgini peculiarem aſſignauit præfationem: nec his adhuc ſtetit ſui pij affectus indiciis. quotidie Sacerdos cùm oblata ad conſecrationem diſpoſuit, ſecretò orat, in medio altaris inclinatus: *Suſcipe beata Trinitas hanc immaculatam hoſtiam in memoriam paßionis, reſurrectionis & aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in honorem beatæ Virginis Mariæ* &c. Deinde præfatione recitata, decantato Triſagio, incepto Canone, paulo antequam diuinam actionem (conſecrationem videlicet) aggrediatur, inſignem hanc precationem in diuinæ Maieſtatis conſpectu pronuntiat: *Communicantes & memoriam venerantes imprimis glorioſæ ſempérque Virginis Mariæ Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.* Nec eſt cur Nouatores, colendæ Virginis benedictæ memoriæ ſemper infeſti, morem hunc eſſe Romanæ tantùm Eccleſiæ cauillentur: patet etenim, nec ſine diuino conſilio, & perpetuo orbis Chriſtiani conſenſu factum eſt; vt in veterum non modò Latinorum, ſed & Græcorum Liturgiis quæ extant, honorifica mentio beatæ ipſius Deiparæ habeatur, eiúſque commemoratio, quo eius

In Biblioth. SS. PP. tom. 2. Græco-Lat. editio. Pariſ. p. 5. in fine.

meritis & precibus poſſimus iuuari, paſſim interponatur. In Miſſa S. Iacobi, quæ eſt propria Eccleſiæ Hieroſolymit. poſt lectiones de vtroque Teſtamento, Sacerdos ait: *Commemorantes ſanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam D. N. Matrem Dei & ſemper Virginem Mariam, cum omnibus ſanctis & iuſtis, nos ipſos & mutuò inter nos & omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus.* Et iterùm poſt preces pro omnium neceſſitatibus, *Commemorationem agamus ſanctiſſimæ, immaculatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ matris Dei & ſemper Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum & iuſtorum, vt precibus & interceſſionibus eorum indulgentiam conſequamur.* Et in Liturgia Alexandrina quæ dicitur S. Marci: *Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia peperiſti ſeruatorem animarum noſtrarum.* Et elata voce: *Imprimis ſanctiſſimæ, intemeratæ & benedictæ D. N. Deigenitricis & ſemper Virginis Mariæ.* Et in Miſſa S. Baſilij Sacerdos dicit, *Fac vt nemo noſtrûm ad iudicium & condemnationem ſit particeps ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, ſed vt inueniamus miſericordiam & gratiam cum omnibus ſanctis qui tibi à ſæculo placuerunt &c. præcipuè ſanctiſſima, impolluta, perquàm benedicta, glorioſa D. N. Deipara & ſemper Virgine Maria.* Et in Liturgia S. Chryſoſtomi, cùm accepit Sacerdos ſecundam oblationem dicit: *In honorem & memoriam inſigniter benedictæ & glorioſæ D. N. Deiparæ & ſemper V. Mariæ, cuius interceſſionibus, ſuſcipe Domine ſacrificium hoc in cœleſte tuum altare.* Et infrà proſequitur Sacerdos: *Præterea offerimus tibi rationabilem hunc cultum* &c. Et memoratis Sanctorum ordinibus hoc addit corollarium, *Præcipuè ſanctiſſima, intemerata, ſupra modum benedicta, glorioſa D. N. Deipara ſemper Virgine Maria.* In Miſſa S. Cyrilli, vbi Sacerdos etiam cuiuſcumque ordinis Sanctorum gradus expreſſit, continuò ſubiungit: *Maximéque ſanctæ & glorioſæ ſemper Virginis Deigenitricis Mariæ.* Item in Miſſa Moſarabe, ſeu ordine diuini officij Gothici Muſtarabum; *Per gloriam nominis tui, Chriſti filij Dei viui, & per interceſſionem V. Mariæ, B. Iacobi, & omnium Sanctorum, auxiliare & miſerere indignis ſeruis tuis.* Item in Miſſa Chriſtianorum apud Indos. * *Commemoremus autem beatiſſimam Dominam Mariam matrem Dei viui & Saluatoris ac redemptoris noſtri &c. Memoriam etiam veneremur Prophetarum, Apoſtolorum, ac Martyrum, Confeſſorúmque.* Conſtantiſſima ſanè illa omnium gentium conſpiratio, tanto cum venerationis affectu commemorandi etiam in intima diuinæ Liturgiæ parte beatiſſimam Deigenitricem Virginem Mariam: manifeſto indicio eſt, grauem admodum ſubeſſe rationem, cur tam inſigni loco, verbíſque adeo honorificis benedictæ ipſius Virginis memoria fiat. Vt cauſa hæc pateat, ſupponendum eſt commune Sanctorum theorema. *Nihil Deus nos habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret* *, ſeu *Nihil à throno Dei, diuini muneris defluere,* ** *quod per Mariam ad nos non deſcendat.* Hîc verò ipſam hoſtiam ſalutarem quæ offertur, de ipſis caſtiſſimis eius viſceribus productam eſſe manifeſtum eſt. Cauſa hæc eſt igitur cur in hoc ſacrificio tanta cum veneratione recolitur: *In hac veneranda communione Sanctorum* (inquit Florus Magiſter, qui ſub

P. 9.

P. 34. in fine.

P. 52.

P. 62.

P. 8.

Tom. 6. Biblioth. SS. PP. col. 96. verſus finem.

Ibid p. 103.

* Ibid. col. 134.

* Ita iiſdem verbis S. Bernard. ſerm. 3. de vigil. Natiuit. Domini.

** Richard. à S. Victore apud Pelbartum l. 1. p. 4. a. 10. c. 1. qui citat etiam S. Anſelm.

Tom. 6. Biblioth. SS. PP. col. 168. & 169.

Carolo Caluo claruit, in exegeſi ſeu expoſitione Miſſæ) *beata Virgo Maria prima ponitur, per quam & illi & nos auctorem vitæ meruimus ſuſcipere.* Et iterùm exponens orationem quæ Dominicæ ſubnectitur: *Libera nos Domine ab omnibus malis, & intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemper Virgine Deigenitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea:* Subiungit Florus, *Hoc autem pauciſſimis, ſed eminentiſſimis ſanctis nominatis, à Deo* (Sacerdos) *exorat, videlicet, vt intercedente imprimis Deigenitrice, per quam humano generi ſalus exorta eſt.* Hinc in Liturgia Æthiopica quæ peruetuſta eſt, Sacerdos exclamat venerabundus, ad ipſam glorioſam Virginem, *Lætare Domina, quia ſalutem deprecamur, O Virgo in omni tempore, Mater Chriſti & Dei effer ſurſum & in altum orationem noſtram!* Et cùm incenſat altare Sacerdos dicit, *Salue Virgo Maria Deigenitrix, tu es thuribulum aureum, quæ carbonem ignitum portaſti &c. qui peccata remittit & culpam delet, & ex te homo factus eſt, & patri ſeipſum verum incenſum, & pretioſum ſacrificium obtulit.* Deinde coadiutor Sacerdotis, alius à Diacono, alta voce inclamat: *Omnes qui non amant Dominum noſtrum, & in natiuitatem ſuam minimè credunt, & in ſanctam Mariam Virginem, Anathema ſit vſque ad aduentum eius.* Vnde quæſo tantus Sacerdotis ſacrificantis zelus? niſi quia poſt Chriſtum, primam omnium Beatiſſimam Virginem eius genitricem colimus, ex qua natum ipſum confitemur: per quam ipſum Chriſtum agnum hìc immolatum pro mundi ſalute, hoſtiam viuam & & viuificam ſuſcipimus. Non immeritò igitur, qui benedictam ipſam Virginem non amat, qui opem eius non implorat, qui in eius interceſſionibus non confidit, anathema ſit. Cæterùm ſi vſquam eius ſunt poſtulanda ſuffragia, hìc certè & nunc potiſſimùm depoſcenda ſunt, vbi victima illa ſalutaris, quam nobis peperit, æterno patri offerimus, in tanti beneficij gratitudinem, in remiſſionem peccatorum, ad omnis mali depulſionem, denique ad gratiæ, omníſque boni temporalis & æterni impetrationem. Pulchrè omninò S. Bernardus in ſerm. de aquæductu, eam ſic ideo compellat, *Inueniſti* (ait Angelus) *gratiam apud Deum, ſemper hanc inuenies gratiam, & ſola eſt gratia qua egemus.*

Miſſa Æthiopum to. 2. Bibl. SS. PP. col. 46.

Gratius eſt Deo obſequium quod Mariæ impenditur (inquit Fortunatus antiquus ille Pictauienſis Epiſcopus) quàm quod Sanctorum cuilibet exhibetur. At Fulbertus ſanctiſſimus Carnotenſis Antiſtes, etiam obſequium quod Deo per Virginem impenditur, gratius ei ac acceptius eſſe quàm quod per alios Sanctos defertur, egregiè docet*: *Inter hæc* (inquit) *fratres, cum toto mentis affectu, beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus committamus, omnes eius patrocinia omni niſu imploremus, &c. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre prêtium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.* Inde igitur iam liquidò conſtat, quàm aptè atque vtiliter Sacerdos tremenda offerens myſteria, Virginis beatiſſimæ commemorationem, aliorum omnium Sanctorum memoriæ anteponat, præſertímque ambiat eius fauore ac patrocinio communiri. *Communicantes & memoriam venerantes, imprimis glorioſæ ſempérque Vir-*

* In ſerm. qui habetur apud Auguſt. 35. de SS. & in appendice. Sed tandē inter Fulberti genuinos fœtus repertus eſt.

Virginis Mariæ &c. Mirum hìc in modum ſuccinit Arnoldus Carnotenſis: *Vna eſt Mariæ & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum & donum, ideo filij gloriam cum matre non tam communem iudico, quàm eandem.* Tract. de laud. Virginis.

Tu igitur ô Sacerdos! agnum Dei immolaturus, qui tollit peccata mundi: auſpicato ſub eius beatiſſimæ Deigenitricis præſidium confugito, eámque cum tota animi deuotione obſecrato, tibi vt tam arduum aggredienti opus, ſubſidium conferre opportunum dignetur. Aſtitit Chriſto filio ſuo vnigenito, in ara crucis ſe hoſtiam Deo patri & oblationem pro mundi totius redemptione immolanti. Enixè igitur illam interpella, tibi quoque vt adſit, idem ſacrificium, licèt incruentum, offerenti, téque Chriſto ſiſtat, alterúmque vt caſtiſſimum Ioannem ſibi in comitem & filium cooptare velit, efficeréque apud Dominum, vt de te illi miſericorditer dicat, *Ecce filius tuus*; tibíque *Ecce mater tua.* Sufficit hoc tibi pro omni gratia, nam ſi filius es Mariæ, frater Chriſti eris: ſi compaſſus fueris Chriſto patienti, & compatienti ſuæ beatiſſimæ parenti, ſtanti ante crucem: etiam conglorificaberis*. Etenim quiſquis eſt ſocius Chriſti paſſionum, erit & conſolationis, 2. Cor. 11. 7. Dic igitur huic beatiſſimæ Virgini, magno cum pietatis affectu. *Ioan. 19.26.27.*

* *Vide S. Leon. ſerm. 9. de Quadr.*

Sancta Mater iſtud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
In planctu deſidero.

§. VI.

Chriſtum ſeſe totum hoc in ſacrificio (vt in Cruce) æterno Patri offerentem, Sacerdos celebraturus potiſſimum imitetur.

SENTENTIA admodùm illuſtris, & à Sacerdote diuinum offerente ſacrificium, præcordiis animæ altè incutienda, ea profectò eſt quam de ſeipſo ſcripſit S. Gregorius Nazianzenus, Theologus per excellentiam à Patribus vocitatus, & os Chriſti, à B. Hieronymo qui ſe eius fuiſſe diſcipulum non immeritò gloriatur; * *Quum ſcirem* (inquit in Apologetico, ſeu orat. 1. to. 1.) *quod nemo magno illo, vel Deo, vel ſacrificio, vel pontifice dignus eſſet, qui non priùs ſemetipſum Deo ſacrificium viuum & ſanctum obtulit, & vt rationalem cultum, Deo acceptum exhi-*

* Ταῦτα οὖν εἰδὼς ἐγὼ, καὶ ὅτι μηδεὶς ἄξιος τοῦ μεγάλου καὶ Θεοῦ καὶ θύματος καὶ ἀρχιερέως, ὅστις μὴ πρότερον ἑαυτὸν παρέστησε τῷ Θεῷ θυσίαν ζῶσαν ἁγίαν, μηδὲ τὴν λογικὴν λατρείαν εὐάρεστον ἐπεδείξατο, μηδὲ ἔθυσε τῷ Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως καὶ πνεῦμα

Ece

bxit, & ſacrificium laudis & ſpiritum contritum immolauit: Quomodo auſus fuiſſem externum illi ſacrificium offerre, quod magnorum eſt myſteriorum ἀντίτυπον, aut quomodo mihi Sacerdotis ſpeciem & nomen vendicaſſem, priuſquàm operibus ſanctis manus meas conſecraſſem?

συντετριμμένον, ἣν μόνην ὁ πάντα δοὺς ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν θυσίαν, πῶς ἔμελλον θαῤῥῆσαι προσφέρειν αὐτῷ τὴν ἔξωθεν, τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον, ἢ πῶς ἱερέως σχῆμα καὶ ὄνομα ὑποδύεσθαι, πρὶν ὁσίοις ἔργοις τελειῶσαι τὰς χεῖρας; &c.
S Gregor. Nazianz. orat. 1. tom. 1. p. 38. noua edit. Pariſ.

PVNCTVM I.

Quæſtio celebris, de re in qua conſiſtit ſacrificij Miſſæ formalis ratio?

ANTEQVAM doctrina hæc ad ſenſum quem ſpectamus, adaptetur, hac obſeruatione opus eſt, celebrem verti apud Theologos quæſtionem, *In qua parte Miſſæ propriè ſita ſit ſacrificij eſſentia?* Sunt enim qui volunt eſſentiam huius ſacrificij in oblatione panis & vini poſitam eſſe. Alij in oblatione verbali corporis & ſanguinis Domini, quæ fit poſt conſecrationem per illa verba, *Vnde & memores &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ, de tuis donis & datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam:* Alij in fractione hoſtiæ: Alij in ſpecierum commixtione; alij in diſtributione & participatione; alij denique in ſola conſecratione corporis & ſanguinis Domini, aſſerunt conſiſtere totam ſacrificij eſſentiam. Si quæſtionem huiuſmodi hîc minutim diſcuſſum ire vellem, multorum eſſet dierum opus, nec vnica hac ſectione tanta poſſet diſceptatio comprehendi. Breuiter vt rem totam complectamur, 1. Statuendum venit, in panis & vini oblatione ſitam eſſe non poſſe eſſentiam ſacrificij noſtri; ſi res enim ita ſe haberet, antiqua ſacrificia hoc ipſo nobiliora forent: Nam agnus paſchalis v. g. pane aut vino ſimplici ſua natura ritúque ipſo immolationis, nonnihil antecellit. Adde quòd ſit de fide, corpus & ſanguinem Domini eſſe id quod in Miſſa propriè offertur & ſacrificatur, prout definiuit Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. c. 1. Falſum eſt igitur quòd ſacrificij huius eſſentia in oblatione panis & vini conſiſtat. Tametſi enim ante Canonem ſacrum, oblatio fiat in Miſſa panis & vini, tamen panis & vinum non offeruntur vt ſacrificium perfectum, ſed vt ſacrificium inchoatum, & perficiendum per ſubſtantialem panis & vini in corpus & ſanguinem Domini tranſmutationem: Proinde propriè id quod offertur non eſt panis & vinum, ſed corpus Chriſti, (id eſt caro & ſanguis eius) ſub ſpeciebus panis & vini, & ex pane & vino, vt ex materia tranſeunte conſecratum. 2. Eſſentia huius ſacrificij in verbali oblatione, quæ profertur poſt conſecrationem per verba deſignata, non conſtat: Hac enim Chriſtus non vſus eſt, vt ex Euangeliſtis & Apoſtolo patet; & tamen vt omnes Catholici fatentur, verè obtulit & ſacrificauit. 3. Nec in fractione hoſtiæ, eſſentia ſeu formalis ratio ſacrificij ſita eſſe poteſt; ſiquidem de fide eſt, quod Eccleſia ſolenni præconio profitetur.

Nulla rei fit ſciſſura,
Signi tantùm fit fractura,
Qua nec ſtatus nec ſtatura
Signati minuitur.

Si igitur in hac fractione conſiſteret ſacrificij eſſentia, cùm fractio ſit ſigni tantùm & non rei, ſacrificium quoque ſigni eſſet & non rei; Proinde nec ſacrificium eſſet verum, nec reale, ſed tantùm ſignificatiuum, ſeu repræſentatiuum. Quæ quanta ſit abſurditas, aures eruditæ (vt verbis loquar S. Auguſtini) in Eccleſiæ magiſterio, ſine monitore facilè deprehendunt. 4. Nec in commixtione ſpecierum panis & vini, quando particula hoſtiæ mittitur in calicem. Etenim canon Miſſæ ſtatim poſt conſecrationem diſertè declarat iam ſacrificium in altari exiſtere, *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, &c. Et infrà, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Igitur ſacrificium à commixtione non pendet, quæ poſt expletum Canonem, & recitatam orationem Dominicam, pacíſque ſalutationem populo à Sacerdote impertitam fieri conſueuit. Adde quòd illa mixtio fuit ab Eccleſia inſtituta, vt omnes fatentur, propter myſticam quandam ſignificationem, neque ex Euangelio, aut Chriſti exemplo de quo liqueat, colligi poteſt. Accedit quòd Chriſtus corpus ſuum Apoſtolis dederat, priuſquam calicem conſecraret; *Cœnantibus enim illis accepit Ieſus panem &c. ſimiliter & calicem poſtquàm cœnauit &c.* Ergo non miſerat hoſtiam in calicem ſed ſeorſim dedit: proinde in illa mixtione non conſtituit ſacrificij ſubſtantiam. 5. Nec in comeſtione, quam etſi ad integritatem ſacrificij pertinere fateamur, ad eſſentiam tamen ſpectare abnuimus, etenim manducatio ad vſum potiùs & effectum Euchariſtiæ refertur, quàm ad formalem eius rationem, & potiùs neceſſaria eſt de neceſſitate præcepti, quàm de neceſſitate Sacramenti, vel etiam ſacrificij; Vnde Diaconus poteſt quidem in neceſſitate Euchariſtiam ſumere & diſtribuere, ſed conſecrare & ſacrificare non poteſt: aliud eſt enim ſacrificium offerre, aliud de ſacrificio participare; aliud hoſtiam conſecrare, aliud eandem diſpenſare.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Gammach. Com. in 3. p. S. Thom. c. 5. p. 473.

Dico igitur formalem ſacrificij rationem duplici in actione, coniuncta & inſeparabili, eſſe conſtitutam: Scilicet in perfecta conſecratione & reali oblatione. Dico *in perfecta conſecratione*, ſiquidem quando ſola hoſtia conſecrata eſt, conſecratio eſt adhuc imperfecta, nec perfici poteſt niſi itidem fiat conſecratio * calicis. At quia conſecratio præcisè ſumpta facit tantùm hoſtiam præſentem quam conſtituit in altari, & tamen de fide eſt quod Chriſtus Euchariſtiam inſtituẽdo obtulit & ſacrificauit, neceſſe eſt aſſerere illum & conſecrando obtuliſſe, & offerendo conſecraſſe: aliàs Euchariſtiæ Sacramentum ex diuinis litteris probaretur, ſed non ſacrificium, quia eum conſtaret conſecraſſe, ſed non conſtaret obtuliſſe, at verò oblatio de intrinſeca ratione ſacrificij eſt. Nec obſtat quòd graues Theologi, puta Card. Bellarminus, Vaſquez, Leſſius, Gammachius &c contendant oblationem quæ immediatè conſecrationem ſequitur, non pertinere ad eſſentiam ſacrificij, ſed ad integritatem tantùm, ſiquidem diſtinguendum eſt inter oblationem verbalem & oblationem realem; verum eſt quidem oblationem illam verbalem quæ poſt conſecrationem à Sacerdote pro-

** Vide Bellarm. in recognitione libror. de Miſſa ad l. 1. c. vlt. §.* Denique manducatio.

nunciatur, non eſſe de ſacrificij eſſentia, neque in ea ſitam eſſe ſacrificij ſubſtantiam, nam Euchariſtiam offerendo Chriſtus hanc orationem non adhibuit: vnde verba illa non dicuntur in perſona Chriſti, ſed in perſona Sacerdotis eius miniſtri, & Eccleſiæ diuino huic myſterio conſentientis. At oblatio realis, quæ fit in ipſo inſtanti conſecrationis & mentaliter & de facto à Sacerdote, eſt de ratione intrinſeca ſacrificij; aliàs ſiquidem formalis ratio ſacrificij quæ in oblatione reali ſita eſt, in Euchariſtia deeſſet. Nec hanc doctrinam Theologi illi impugnant, ſi penitiùs inſpiciantur & attentiùs audiantur.

Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Miſſa, c. 27. *Manducatio ſeu ſumptio* (inquit) *non videtur propriè ſacrificium, cùm non fiat à ſolo Sacerdote: Et quamuis ad eſſentiam ſacrificij pertineret, non poteſt tamen in ea ſola eſſentia ſacrificij conſtitui, nam ſine oblatione & dedicatione præcedente ſacrificium eſſe non poteſt. Atque hæc eſt ratio cur apud Catholicos feria* V I. *maioris hebdomadæ non cenſeatur ſacrificium Miſſæ propriè celebrari, licèt vera hoſtia adſit, & frangatur, & conſumatur, quia videlicet conſecratio & oblatio deeſt.* Et §. Quarta propoſitio, apertè fatetur *aliquam oblationem ad eſſentiam ſacrificij neceſſariò requiri.* Et §. Secundò in conſecratione, expreſsè ait, *rem ſacram ex profana per diuina verba effici, Deóque offerri.* Et continuò agnoſcit oblationem realem cum conſecratione concurrere, nam victimam in altari ponere, eſt reipſa illam Deo offerre; & quia vi conſecrationis fit vt corpus Chriſti & ſanguis incipiat reipſa eſſe ſuper altare, mediante manu Sacerdotis, ideo verbis conſecrationis vera & ſolennis oblatio celebratur.

Vaſquez diſput. 221. q. 88. art. 1. §. 2. idem, quamuis aliorum referendo ſententiam hoc axioma recenſeat, *Omne ſacrificium eſt oblatio quædam, eo quod ſub oblatione tanquam ſpecies ſub genere continetur:* ſubinde propriam aperiens mentem, *Ego verò*, inquit, *non modò contra doctores priùs memoratos cenſeo in ſola illa oblatione quæ poſt conſecrationem verbis illis* (vnde & memores nos ſerui tui) *fit à Sacerdote, totam ſacrificij*
» *eſſentiam ſitam non eſſe:* verùm etiam contra poſteriores eam oblatio-
» nem (verbalem ſcilicet) ad eſſentiam ſacrificij nullo modo pertine-
» re, ſed ſolùm verbis illis oblationem priùs in ipſa conſecratione fa-
» cta denotari. Vidit igitur iſte Doctor ſicut olim propheta *Rotam in medio rotæ*, ſcilicet perfectam conſecrationem in reali oblatione, & realem oblationem in perfecta ipſa conſecratione, ſicut ſuprà expoſuimus.

Cæterùm Leſſius, in opere de perfectionibus moribúſque diuinis lib. 12. de miſericordia Dei c. 13. cuius eſt titulus *de venerabilis Euchariſtiæ beneficio, vt eſt ſacrificium & quomodo peragatur:* Et Gammachius Commentarior. in 3. p. S. Thom. c. 5. *In qua actione formaliter ſitum ſit Miſſæ ſacrificium?* ſolùm negant verbalem illam oblationem quæ fit poſt conſecrationem, dicente Sacerdote, *Vnde & memores*, non eſſe eſſentialem in Miſſæ ſacrificio: at ſatis apertè concedunt oblationem realem in eodem ſacrificio formalem & intrinſecam eſſe. Hac autem

præſtituta doctrina, iam peruium eſt ad moralem Sacerdotis inſtructionem præmiſſum S. Gregorij Nazianzeni documentum reflectere.

PVNCTVM II.

Conſecratio & oblatio Sacerdotis Miſſæ ſacrificium celebrantis.

DICIT hic diuinus Doctor & venerabilis Pater, *neminem eſſe tanto ſacrificio idoneum qui non priùs ſemetipſum Deo ſacrificium viuum & ſanctum obtulerit:* Scilicet quemadmodum fecit Chriſtus, qui *ſemetipſum obtulit hoſtiam & oblationem Deo in odorem ſuauitatis*, Apoſtolíſque ſuis & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus præcepit vt facerent quod fecit, *hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem:* vtique etiam ſecundùm eius modum offerendi & diſtribuendi. Porrò actio ſacrificij Chriſti Euchariſtiam inſtituentis & celebrari mandantis in ſui memoriam, conſiſtit, vt demonſtrauimus, in perfecta conſecratione & reali oblatione. Conſecratio noſtra eſt repetitio illius primæ quæ à Chriſto facta eſt, quæ cauſa eſt cur Sacerdos in perſona Chriſti, adeóque eius ipſiſſimis verbis conſecrationem facit. Id porrò efficit ipſa conſecratio, vt qui panis antè erat ſit verum Chriſti corpus. Cauſa conuerſionis huius eſt ipſa conſecratio, cuius inſtrumenta ſunt verba ex diuina inſtitutione à Sacerdote pronunciata, quæ habent vim conuertendi tanquam ſacra & efficacia organa diuinæ gratiæ & virtutis. Luculenter id S. Ambroſius docet lib. de iis, qui myſteriis initiantur, c. 9. *Potior eſt lux quàm vmbra, veritas quàm figura, corpus auctoris quàm manna de cœlo. Fortè dicas, aliud video* (*panem videlicet*) *quomodo tu mihi aſſeris, quòd corpus Chriſti accipiam? Et hoc nobis ſupereſt vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis vt probemus hoc non eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maiorémque vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* Et lib. 4. de Sacram. c. 4. *Quomodo poteſt qui panis eſt corpus eſſe Chriſti? conſecratione: conſecratio igitur cuius verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu, &c. Iuſſit Dominus & omnis natura generata eſt: ſi ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt quæ erant in aliud commutentur? ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ergo vt tibi reſpondeam non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi quia corpus eſt Chriſti.* Caluiniſtæ contra expreſſum Chriſti verbum negant hanc perſpicuam veritatem, volunt enim nullam realem hîc effici mutationem, ſed tantùm Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia tanquam in ſigno. quamuis neſcio quam energiam per fidem dicant hinc deriuari. Lutherani realem præſentiam in ipſo Sacramento agnoſcunt, ſed tantùm in vſu, negántque Euchariſtiam vt eſt Chriſti corpus rem eſſe permanentem. Fides Catholica vtramque illam hæreſim condemnat, ſed non ſatis eſt, vt Sacerdos firmiter teneat hanc orthodoxam fidem, at ſi rectè ſacro officio fungi velit, debet practicè ab vtroque illo errore diligenter cauere. Si extrinſecè tantùm Chriſtum imitetur, veſtitu ſcilicet myſtico & externa tantùm ſpecie Chriſtum repræſentet, quoad

Ephеſ. 5. 2.

Doctrina notabilis.

fictionem, falſi ſcilicet ſigni impreſſionem, Caluiniſtarum fit ſuſpectus erroris, quibus externa duntaxat placet panis conuerſio. At debet in Euchariſtia ipſa natura mutari, vt loquitur organum Spiritus ſancti Ambroſius, proinde conuerſio panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem debet eſſe realis. Et Sacerdotis quoque, qui Miſſam celebrans à peccatorum confeſſione auſpicatur, ſéque proinde peccatorem confitetur, conuerſio eſſe debet vera, realis, intrinſeca, & non tantùm externa, adeo vt peccator eſſe & actu & affectu deſinat, qui conſecratione panem & vinum in verum Chriſti corpus & ſanguinem tranſmutauit; *Nihil enim aliud efficit hæc menſa*, (ait S. Leo) *niſi vt in id quod ſumimus tranſeamus.* Huc etiam S. Ambroſius conuerſionem refert, quæ fit à Sacerdote per conſecrationem, virtute verbóque Domini. * *Ipſe dixit & factum eſt* (ex pane Chriſti corpus) *ipſe mandauit & creatum eſt. Tu ipſe eras, ſed eras vetus creatura; poſteaquam conſecratus es, noua cratura eſſe cœpiſti.* Vtinam ſic reipſa conuertatur Sacerdos actu ſacrificans, vt cum Apoſtolo dicere verè poſſit, *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Mori enim hîc debet ſibi Sacerdos, vt Chriſto viuat, mori culpæ, vt viuat gratiæ. *Amplius peccator non eſt* (ait S. Hieronymus) *qui iuſtus eſſe cœpit*, deſinat Sacerdos eſſe quod eſt in ſe, incipiat eſſe totus in Chriſto, vt ſit quod Chriſtus eſt, *Expoliando veterem hominem cum actibus ſuis, induat nouum hominem qui renouatur &c. ſecundùm imaginem eius qui creauit illum.*

In ſerm. de paſſ. Domini.

**Citato loco l. 4. de Sacram. c. 4.*

Gal. 2. 19.

Col. 3. 9.

Doctrina item inſignis.

Sed parum tamen hoc fuerit, ſi fiat per modum actus tranſeuntis. Dogma Catholicum eſt, Euchariſtiam rem eſſe permanentem: Nam ex quo conſecratio facta eſt Chriſti corpus & ſanguis permanet ſub ſpeciebus, quamdiu ſubſiſtunt, tam in vſu quàm extra vſum. Hoc myſterio Sacerdos edocetur conuerſionem ſuam non debere eſſe tranſitiuam & inſtantaneam, ſed permanentem & ſtabilem, ita vt extrema quæque potiùs oppetat quàm admittat vllo deinceps crimine à Chriſto ſeparari. Leonis Magni ad quemlibet fidelem eſt egregia parænesis, ſerm. 1. de Natiuitate Domini: *Agnoſce ô Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ factus conſors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire; Memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum! Reminiſcere, quòd erutus de poteſtate tenebrarum tranſlatus es in Dei lumen & regnum!* Quòd ſi omnis Chriſtianus tanta obſeruantia cauere debet ne à Chriſto cui per fidem, charitatem & ſacramenta, maximè verò per Euchariſtiam coniunctus eſt, aliquando ſeparetur: quantò magis Sacerdos qui in hoc ſacrificio celebrando Chriſti perſonam gerit, & non tantùm hîc eius corpus & ſanguinem ſumit, ſed conſecrat, efficítque vt eſt viuum diuinæ omnipotentiæ organum, quod Chriſtus ipſe conſecratione ſemel facta, hîc non ſolùm realiter adeſt, ſed ſub ſignis viſibilibus firmiter exiſtere perſeuerat; ſtudere debet ſic Chriſto ipſi per hoc ſacrificium coůniri, vt inſeparabiliter cum eo poſtmodùm permaneat, promiſſúmque Chriſti in ſe impleatur, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo. Ioan. 6.* Hanc certè gratiam, vt ipſo ex ſacrificio Sacerdos conſequatur ſpecialis

Vide Bell. l. 4. de Sacram. Euchar. c. 3. 4. & 5.

hæc, recitanda paulò ante Communionem in Miſſali, eidem præſcripta eſt reliquas inter petitiones deprecatio: *Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu ſancto per mortem tuam mundum viuificaſti: libera me per hoc ſacro-ſanctum corpus & ſanguinem tuum ab omnibus peccatis meis & vniuerſis malis, & fac me tuis ſemper obedire mandatis. & à te nunquam ſeparari permittas. Qui cum Deo patre & Spiritu ſancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Mos fuit celebris perſecutionum tempore, vt fidelibus extremum agonem pro fide propè inituris, diuina hoſtia ad eis robur mentis & corporis impertiendum, diſpenſaretur. Hinc S. Cyprianus ep. 54. & 56. *At verò nunc fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cùm ad hoc fiat Euchariſtia vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos quoque contra aduerſarios volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus in confeſſione nominis Chriſtiani ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus?* Quòd ſi tanta vis eſt Euchariſtiæ, vt hac refecti primi fideles, alacriter horrenda quæque tormenta, ipſámque mortem atrociſſimam pro fidei aſſertione oppeterent: quid facere oporteret Sacerdotem quotidie ſacrificantem, & carne & ſanguine Domini nutritum & refectum pro eius fide & gloria? Nónne centies & millies ſi fieri poſſet, quæque terribilia potiùs deberet perpeti, quàm vllum actum committere, quo à Chriſto, eiúſque amore & gratia diuelli poſſet? ita planè animatus erat Apoſtolus, cuius vox ex affectibus intimis profecta, hæc ſublimis erat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Hinc rectè admonet fideles ſanctus Chryſoſtomus (hom. 61. ad popul.) perpendens cauſam præcipuam ob quam ſe nobis in hoc ſui amoris myſterio, Chriſtus tanta dignatione communicat: *Propterea Dominus, corpus ſuum in vnum contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum, ardenter enim amantium hoc eſt. Tanquam leones igitur ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles; & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem quam nobis exhibuit.* Expendo illud præſertim, *Tanquam leones ignem ſpirantes, facti diabolo terribiles, ab hac menſa recedamus.* Illúdque in mentem reuoco beatorum ciuium decantatum Chriſto, triumphale præconium: *Vicit Leo de tribu Juda.* Chriſtus hic Leo eſt, qui vincit & regnat. In tremendo ſacrificio Sacerdos eius perſonam gerit, vt leo igitur exeat de altari, quo Chriſti regalem poteſtatem & fortitudinem inuictam, triumphúmque de carne, mundo, diabolo, & inferno perpetuum, victoriali ſuo inceſſu repræſentet; fiat diabolo terribilis, ignémque ardentis in Deum &

Rom. 8. 35.

Apoc. 5. 5.

Luc. 12. 49. proximum charitatis ſpiret, & longè latéque diffundat, vt dicere poſſit cum ipſo Domino, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Omnia (vt eleganter Tertullianus ait) Dei, ignea ſunt: *Eliam ſurrexiſſe* (ait Scriptura) *quaſi ignem:* Tradúntque Hebræorum magiſtri, paſtum fuiſſe ab Angelis in infantia ſua globulis igneis: ideo velut *facula verbum eius ardebat.* Chriſtus dedit Sacerdoti (ait B. Chryſoſtomus) haurire ſpiritum in altari, ignem & ſanguinem. Spiritum igitur vitæ, ignem amoris, ſanguinémque fortitudinis hauriat quidem, ſed diffundat; diffundat, ſed non exhauriat: at ſic effluat, vt ipſe non exſiccetur; memor vtique illius arcani, nempe quòd ſacrificium iſtud, quod ad aram Chriſti celebrauit, vt fons eſt limpidiſſimus & inexhauſtus, qui nunquam areſcit, ſed ſpiritûs gratiæ & ſalutis perenni fluxu dimanat. Conſtat enim Euchariſtia in re permanenti. Atque hæc de conſecratione, quæ non pars ſolùm integrans, ſed eſſentialis eſt ſacrificij Miſſæ, vt ſuperiùs oſtendimus.

Ezech. 1. Iam de oblatione, quæ altera *rota eſt in medio rotæ*, in hoc myſtico curru gloriæ Domini: quiddam ſupereſt quod ad mores itidem ſpectet, diſſerendum. Inter maxima mirabilia, quæ omnipotentia Verbi incarnati hoc in myſterio operatur, hoc non poſtremo loco Theologi recenſent, quod Chriſtus realiter in Sacramento altaris exiſtit, id eſt non ſolùm eius corpus & ſanguis, ſed ipſum corpus & ſanguis cum anima, eáque cum tota ſua ſanctitate, cum viſione & amore beatifico, denique cum omnibus ſuis ornamentis & dotibus naturalibus & ſupernaturalibus, imò non ſine ipſa vnione hypoſtatica, qua caro & anima Verbo diuino perſonaliter vniuntur: éſtque hoc dogma fidei, in Oecumenico Concilio definitæ. Siquidem ſacro-ſancta Tridentina Synodus, ſeſſ. 13. c. 1. ſic ait: *Principio docet ſancta Synodus & apertè ac ſimpliciter profitetur, in almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum ac hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*, ſcilicet per concomitantiam. Ita enim iſta coniuncta ſunt in Chriſto, vt ſeparari nequeant ſine eius diſſolutione: porrò ipſe diſſolui iam poſt reſurrectionem nullo modo poteſt. Quapropter ipſum generale Concilium diſertè declarat, non ex vi quidem Sacramenti iſta omnia hoc in myſterio exiſtere, ſed vi naturalis illius connexionis. Verba eius ſunt, ſeſſ. 13. c. 3. *Quia ſunt ibi vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini (qui iam à mortuis ſurrexit non ampliùs moriturus) inter ſe copulantur.* Non tamen tam neceſſitate phyſica, quàm morali hæc concomitantia conſtat: ne qua ſcilicet imperfectio aut aliud minùs dignum in glorioſo illo Chriſti corpore poneretur. Quamobrem non ſolùm tota gloria illius corporis, ſed etiam anima, & tota animæ ſanctitas, ſapientia, & gloria eſt in hoc Sacramento per illam connexionem. Poterat verò efficere Chriſtus vt ſolùm ſua caro & ſanguis, ex quibus corpus conſtat, hoc in Sacramento reperiretur, ſed ex abundantia ſui in nos amoris, vt ſe totum pro nobis in pretium redemptionis tradidit in cruce; ſic ſe totum

&

integrum hoc in myſterio nobis dedit in animarum noſtrarum alimentum & perennem ſuarum gratiarum theſaurum. At verò quod nobis per Sacramentum hoc dedit, Patri hoc obtulit ſacrificium latreuticum, euchariſticum, propitiatorium & impetratorium, prout in libri huius exordio demonſtrauimus. Quo ex principio Sacerdos offerens incruentum hoc ſacrificium admonetur, vt aliquam vicem Chriſto rependat pro tantis beneficiis, ſeſe totum debere hoc in ſacrificio ipſi immolare & offerre, corpus, animam, iudicium, voluntatem, actus omnes & affectus, & omnes ſenſus, nihílque prorſus relinquere quod ſibi proprium ſuperſit. Recordetur enim quòd ſacrificium ſit *oblatio non modò externa, ſed longè magis interna, facta ſoli Deo, quæ ad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem diuinæ Maieſtatis, res quæ ritu myſtico offertur Deo, conſecratur, & transmutatur.* Manca igitur & hiulca & aliqua parte mutila eſſe non debet, (victimas idcircò aliquem defectum patientes Deus in priſcæ legis ſacrificiis reſpuebat) ſed integra, tota, & perfecta, vt Deo grata eſſe poſſit. quæ cauſa eſt cur S. Gregorius Nazianz. ſuprà auditus, ſignatim docet, nullum Sacerdotem magno illo, vel Deo, vel ſacrificio, vel Pontifice (qui Chriſtus eſt) dignum eſſe, qui non priùs ſemetipſum Deo ſacrificium viuum & ſanctum obtulerit, & vt rationalem cultum Deo acceptum exhibuerit, & ſacrificium laudis, & ſpiritum contritum immolauerit. Verba hæc præſertim notanda ſunt, ſacrificium viuum, ſanctum, & rationabile: ſiquidem Sacerdos ſe imprimis Deo offerre debet hoſtiam viuam non mortuam, inſtar boum & ouium veteris Teſtamenti. Agnus qui in altari incruenter quotidie immolatur, ait S. Andreas, integer perſeuerat & viuus: ſic & Sacerdos, qui Chriſti vicem & typum gerit in altari, ſeipſum debet Deo offerre, hoſtiam viuam non mortuam, quia caro vitiis dedita mortua eſt; viua igitur eſt virtutibus, debita charitate formata, ſpiritu Chriſti animata: non mortua quidem, ſed tamen mortificata; quia mors & vita hoc in myſterio mirabili quodam modo concurrunt: mors, quia Chriſti mors & paſſio non tantùm recolitur, ſed etiam per ſuam efficaciam nobis applicatur; vita, quia Chriſtus qui via, veritas & vita eſt noſtra, hîc ſe nobis ad nos viuificandum communicat: *Panis enim* (inquit Ioan. 6.) *quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Mortificatio autem ex vita conſtat & morte, nam eſt viua quædam mors, facit enim in corpore mori concupiſcentias carnis, dum eas truncat per viuos continentiæ, abſtinentiæ, patientiæ, & pœnitentiæ actus: ita vt corpus propriè ſit hoſtia mortua, quia moritur ſuis vitalibus concupiſcentiis, eáſque mortificat, occidit, & immolat Deo: Sit tamen idipſum hoſtia viua per viuos contrariarum actionum, virtutum videlicet motus & actus. Offerat igitur Sacerdos ſeipſum oportet, exhibendo cor & corpus ſuum Deo hoſtiam viuam, quod perinde fit ſi mortificationi corporis, eiúſque paſſionum refrænationi inſtanter incumbit, atque ad vitam quietam, ſanctam & perfectam, adeóque ad martyrium ſi opus ſit pro Chriſto & pietate ſubeundum comparatus, vt verè poſſit

dicere cum Apoſtolo, 2. Cor. 4. 10. *Mortem Ieſu in corpore circumferimus, vt & vita Ieſu in corpore noſtro manifeſtetur.* Breui tamen compendio totum hoc Sacerdos conſequi poteſt. Scitè Petrus Bleſenſis ſuprà laudatus ait, in altaris myſterio *Spiritum ſanctum loqui ad Sacerdotem quaſi patrem ad filium.* ſed quid ei dicit? *Fili*, (inquit) *præbe mihi cor tuum*, ſicut Chriſtus cor ſuum patri ſuo tradidit; *Non mea* (inquit) *voluntas, ſed tua fiat: Non ſicut volo, ſed ſicut tu.* Idcirco ait Propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Meritum eius oblationis fuit in ſuæ abrenunciatione voluntatis. Chriſtum igitur vt Sacerdos imitetur, ſuper omnia hoc præſtare debet, vt Deo præbeat cor ſuum, nihil cupiat, nihil velit, niſi ſecundùm Dei beneplacitum; imò verò nihil niſi quod gratum & acceptum eſt coram Deo, nihil niſi quod Deus voluerit ſiue per voluntatem ſigni, ſiue per voluntatem beneplaciti, petat & exoptet, aut quærat. Hebræorum eſt Rabbinorum non contemnendum ſcitu theorema, quòd ſi quis partem aliquam animalis immolare deuouerit, tum nexu voti iure ſolutum iri, ſi armum animalis, vel pectuſculum, aut aliquod eius membrum notabile Deo obtulerit: verùm ſi cor animalis offerre vouerit, tum à lege voti liberum non fieri, niſi totum animal ac integrum obtulerit in ſacrificium, in corde enim vitæ eſſe ſedem, radicémque omnium partium animalis. Recogitet hoc apud ſe Sacerdos, vt ſeſe præbeat Deo hoſtiam viuam & integram, cor imprimis cum omnibus affectibus, votis & deſideriis ſuis, omnibúſque animæ facultatibus & toto corpore ſingulíſque eius partibus ac ſenſibus ſciat eſſe offerendum. Dicit ei Spiritus ſanctus, *fili præbe mihi cor tuum.* ſi dederit Deo hoc quod tanta dignatione Deus ipſe petit, diuinæ tum Maieſtati complacebit; nam ſi hoc obtulerit quod Deus quærit & optat, omnino ſatis erit.

Prou. 23. 26. *Luc. 22. 42.* *Matth. 26. 39.* *Iſa. 53. 7.*

Nota.

Verùm addit Gregorius Theologus, *ſacrificium ſanctum*, hoc eſt purum & illibatum: offerat igitur corpus ſuum Sacerdos hoſtiam mundam & impollutam per intentum ſtudium caſtitatis & puritatis: ſed ſanctum adhuc idem eſt, quod Deo & eius cultui dicatum & conſecratum, & ab omni ſecretum profano vſu. Quid iuuat aures offerre puras ad altare, ſi mens ſit offerentis impura? linguam mundam, ſi procaces & lubrici ſunt oculi? manus lotas efferre in Sancta, ſi conſcientia ſit polluta, & cor carnalium paſſionum affectibus coinquinatum? Dare linguam Deo, ſed cor mundo carníſque appetitum concupiſcibilem habere deditum, & curis ſæcularibus deſideriíſque carnalibus immerſum? In altari ſemper ſunt caſta, pura, & ſancta eloquia Sacerdotis, quia omnia ex præſcripto tenore dicit; ſed caueat ſi manus inquinatas aliquo malo opere ferat, audire hanc à patre luminum vocem: *Vox quidem, vox Iacob eſt, manus autem ſunt manus Eſau. homo reſpicit faciem, ſed Deus cor intuetur, nec admittit vllam hoſtiam, niſi quæ lota fuerit & mundata intus & foris.* Studeat Sacerdos cùm ad Deum accedit, & Chriſtum & ſeipſum immolaturus eſt, ne aliqua labes, aliqua macula ſibi inſita ſit. Ex parte Chriſti ſemper Deo gratum & acceptum eſt ſacrificium: ſed ex parte Sacerdotis tum

Geneſ. 27. 22. *1. Reg. 16. 7.*

ſit ingratum, ſi antequam ſe ſiſtat coram Deo, quicquid ſordium habebat, lachrymis ſuis non eluerit, & niſi fontis pœnitentiæ puris laticibus abſterſerit labes & maculas quæ puros Dei oculos offendunt; vt ſacrificium ſit ſanctum & non profanum, debet Deo totum eſſe conſecratum, & ab omni ſorde ſecretum, ſeu mundatum, & purificatum.

Addit iterum S. Gregorius Nazianzenus Sacerdotem dum ſacrificat, debere Deo offerre *cultum rationabilem:* talem ſcilicet qualem creatori ſuo debet creatura rationalis, qualem eum decet qui pro omni humano genere apud Deum, vice ſummi mediatoris intercedit. Rationabilis profectò cultus, eſt quem dictat recta ratio, vera fides, Chriſtiana in Deum fiducia & charitas non ficta: Deus enim (vt egregiè S. Auguſtinus docet in Enchirid. c. 2.) *fide, ſpe, ac charitate colendus eſt.* In Miſſa orat Sacerdos ante conſecrationem vt oblationem ſuam Deus facere dignetur *benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem & acceptabilem:* quæ voces neutiquam ſynonymæ ſunt; *Benedicta* enim dicitur, id eſt conſecrata, iuxta illud Apoſtoli, *Calix benedictionis cui benedicimus. Adſcripta,* id eſt in numerum munerum quæ Deus probat & recipit, admiſſa: *Rata,* id eſt obſignata ſigillo diuinæ virtutis, & perpetua firmitate munita: *rationabilis*, cum iuſtitia & pietate acta: *acceptabilis*, hoc eſt grata, beneplacens, & perfecta: In Liturgia S. Petri legimus pro rationabilis εὐαπολόγητον, excuſabilem, quia ſcilicet Sacerdos infirmitatis ſuæ conſcius ſe indignum tanto munere confitetur. Senſum hunc elicio diuinis ex dictis S. Dionyſij Areopagitæ, qui in lib. de Hierarch. Eccleſ. c. 3. p. 3. referens Sacerdotis ſuam indignitatem agnoſcentis, iuſtam ac piam excuſationem: [a] *Pontifex* (inquit) *quòd hoſtiam ſalutarem, quæ ſupra ipſum eſt litet, ſe excuſat ad ipſum exclamans, Tu dixiſti, hoc facite.* Sed ſatis huc vſque de conſecratione & oblatione ex parte ipſius Sacerdotis offerentis: Déque modo, quo diuino hoc munere congruè & vtiliter debet perfungi.

[a] *Vide ſuprà textum Græcum.*

CAPVT VII.

Pro quibuſnam Miſſæ ſacrificium offerri poteſt?

PONTIFEX ordinando Sacerdotem, ſic eum affatur dum ei calicem cum vino & aqua, patenámque cum hoſtia ſuperpoſita, ſolenniter tradit: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare, tam pro viuis quàm pro defunctis.* Diuiſio eſt adæquata, nullum enim medium inter hæc aſſignari poteſt. Sed quæſtio hinc oritur neceſſariò diſcutienda: vtrum pro omnibus hominibus qui viuunt, vel cunctis qui mortui ſunt, ſacrificium iſtud venerabile & ſalutiferum queat offerri? S. Auguſtinus lib. 1. de origine animæ c. 9. hanc breui axiomate diſſoluiſſe videtur: *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis qui membra ſunt Chriſti?* Inde enim ſequi-

tur (vt apparet) offerri non poſſe, niſi pro Chriſtianis, & iis quidem qui Catholici ſunt, Chriſtíque corpori myſtico, quod eſt Eccleſia, vt huius corporis partes integrantes, coniuncti. Attamen non ſic ſe res habet, nec id in hunc ſenſum dicere intendit S. Auguſtinus. Spectabilis eſt in hunc locum S. Thomæ diſtinctio in 4. diſt. 12. q. 2. ad 4. ſacrificium Euchariſtiæ offerri nec poſſe, nec debere, niſi pro iis qui membra ſunt Chriſti actu, vel potentia, id eſt qui reipſa hoc ſunt, vel eſſe poſſunt. Porro homines qui viuunt, aut ſunt iuſti, aut peccatores, aut fideles, vel impij & infideles. Qui mortui ſunt, alij in cœlo iam beati degunt, alij ſunt in purgatorio, alij in inferno. De ſingulis hîc ſeorſim & obiter dicendum.

ARTICVLVS I.

De Sanctis in cœlo Beatis.

In Nouitate Papatus. Controuerſia 3. c. 1. p. 592. &c.

PVTAT Molinæus rigidorum Caluiniſtarum præcipuus ſignifer, ex hoc euictum ire, diſceſſiſſe Romanam Eccleſiam ab antiquæ Eccleſiæ moribus & placitis, quòd Sanctos beatos colat & oret, cùm vetus Eccleſia pro iis ipſis oraret atque etiam offerret; ídque probat ex S. Clemente lib. 8. Conſtit. Apoſtolic. c. 18. ſic enim legitur ibi: *Adhuc offerimus tibi pro omnibus Sanctis, qui à ſæculo tibi placuerunt; Patriarchis, Prophetis, iuſtis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus.* Sed miſer hic miniſter Caluiniſticus non aduertit, hîc quidem offerri pro Sanctis illis glorificatis, at non pro iis orari. Offerri pro Sanctis beatis rectè poteſt, pro iis autem non licet orare, quia axioma eſt Catholicum, *Iniuriam irrogare Martyri qui orat pro Martyre;* offerri poteſt verò pro iis ſacrificium, non quatenùs propitiatorium eſt & impetratorium, quaſi pro iis qui iam beati ſunt, aliquid quod eis deſit ad ſalutem, poſtuletur: Sed offerri poteſt ſacrificium ipſum, vt eſt latreuticum & euchariſticum, ad Deum cum eis adorandum, & pro iis glorificandum, cuius gratia ad æternam gloriam per tantas victorias & triumphos peruenerunt; quæ Dei dona ſunt & gratiæ ac bonitatis eius opera glorioſa. Quamobrem S. Auguſtinus Tract. 84. in Ioan. & ſerm. 17. de verbis Apoſtoli rectè monet, *In Eccleſiæ ſacrificio honorificam Sanctorum memoriam fieri, ſed non orari pro illis*, offertur enim pro eorum honore, ſed non pro eorum ſalute; ſcimus enim quod ait Apoſtolus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Ideo apud ipſum Clementem, quem vel Molinæus non legit, vel ſi legit malignè diſſimulat, proximè ſequenti capite diſertè ait Pontifex in altaris ipſo myſterio, *Memoremus Martyres ſanctos, vt mereamur certaminis eorum participes fieri.* At pro iis qui purgantur adhuc poſt mortem, addit continuò, *Precemur quoque pro iis qui in fide requieuerunt*, pro iis, inquam, quia nondum beati ſunt, ſed expetunt Sanctis in gloria ſociari. Cæcus eſt igitur Molinæus, qui hoc diſcrimen non videt apud eundem auctorem. Citat verò perperàm in ſui delirij munimentum, antiquas Liturgias & Patres, qui ei ex diametro

aduerſantur. Quamobrem cautè abſtinuit à verborum eorundem expreſſione, ſed facile eſt fraudem eius palam facere, in Liturgia S. Iacobi ſic Sacerdos ait: *Sanctiſſimæ, intemeratæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ Deigenitricis & ſemper Virginis Mariæ, & omnium SS. qui tibi à ſeculo placuerunt memoriam celebrantes, noſmetipſos & inuicem atque omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendamus.* Vbi manifeſtum eſt honorificam tantùm de iis mentionem fieri, & non pro iis orari, ſed pro nobis ſub eorum obtentu & patrocinio, vti etiamnum in Liturgia Romana dicimus poſt Sanctorum commemorationem, *quorum meritis precibúſque concedas vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* Sic in Liturgia S. Marci, oratur pro fidelibus defunctis *per Sanctorum beatorum memoriam, & interuentionem Deo gratam*, his ſcilicet verbis: *Animabus patrum & fratrum noſtrorum, qui anteà in Chriſti fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noſter: memor Maiorum noſtrorum, qui à ſeculo ſunt, Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, &c. Imprimis ſanctiſſimæ, intemeratæ, & benedictæ Dominæ noſtræ, Dei genitricis & ſemper Virginis Mariæ.* Porro in Liturgia S. Baſilij, quam nominatim notat Molinæus, Sacerdos ſic orat ſecretò: *Fac vt nemo noſtrûm ad iudicium vel condemnationem ſit particeps ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, ſed inueniamus miſericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis, qui tibi à ſeculo placuerunt &c. Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis &c. præcipuè ſanctiſſima, impolluta, perquàm benedicta glorioſa Domina noſtra Deipara & ſemper Virgine Maria.* Idem diſertè habetur in Liturgia S. Chryſoſtomi, quam etiam Molinæus indicat, ſiquidem cùm accepit Sacerdos ſecundam oblationem dicit: *In honorem & memoriam inſigniter benedictæ & glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ, cuius interceſſionibus ſuſcipe Domine ſacrificium hoc in cœleſte tuum altare &c. Venerandi quoque glorioſi prophetæ, præcurſoris & Baptiſtæ, Sanctorum glorioſorum & omni ex parte benedictorum Apoſtolorum, ſanctorum Patrum &c. Protomartyris Stephani &c. & omnium Sanctorum Martyrum &c. & iuſtorum Deiparentum Ioachim & Annæ, Sancti N. cuius hodie feſtum agitur, & omnium Sanctorum, quorum precibus protege nos Deus.* Porrò in Miſſa qua Æthiopes communiter vtuntur, quæ etiam appellatur, *Canon vniuerſalis*, hac apoſtrophe Sacerdos Beatiſſimam Virginem Deiparam venerabundus compellat: *Lætare Domina quia ſalutem deprecamur: O Virgo mater Dei & Chriſti in omni tempore effer ſurſum & in altum orationem noſtram, apud electos * filij tui, vt remittantur peccata noſtra. Lætare Domina, quia peperiſti nobis lumen verum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum; ora pro nobis apud eum vt miſereatur animæ noſtræ; ora pro nobis in conſpectu throni filij tui Ieſu Chriſti.* Deinde memoriam Sanctorum ſubiungit, & per eos Deum ſic obſecrat; *Viſita nos, & fac nos participes orationum eorum omnium.* In Miſſa antiquorum Chriſtianorum apud Indos *(qua vtuntur Chriſtiani Epiſcopatus Angamallenſis in montanis Mallabarici regni, apud Indos Orientales) Sacerdos poſtquam ſuperpoſuit altari oblata ſub ſilentio dicit: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto; ſuper altare ſanctum fiat commemoratio Virginis Mariæ ma-*

* Ideſt, *inter electos*, vel *cum electis*.

* *Extat correcta tom. 6. Bib. SS. PP. edit. Pariſ. an. 1624. p. 131. &c.* Notandum quòd fuerit è Syriaco in Latinum ſermonē conuerſa &c. ann. 1599.

tris ipſius Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Diaconus reſpondet, *A ſæculo & vſque in ſæculum, Amen & Amen; Apoſtoli ipſius filij Dei & amici vnigeniti, orate vt fiat pax in creatura.* Sacerdos addit: *Dicat omnis populus Amen & Amen:* Subiungítque S. Thomæ Indorum proprij Apoſtoli ſpecialem commemorationem, & ſupplet: *ſuper altare ſanctum cum iuſtis qui vicerunt, & Martyribus qui corona donati ſunt.* Tantum verò abeſt, vt quicquam pro eis à Domino depoſcat, qui cùm de SS. Martyribus &c. facit etiam commemorationem, precem ſic concludit: *Oremus vt ipſorum precibus & paſſionibus quas ſuſtinuerunt, faciat nobis Deus cum eis ſpem optimam ac ſalutem: efficiamur quoque digni eorum commemorationibus benedictis & viuis ac veris promiſſionibus in regno cœlorum.* Sic & de SS. Doctoribus, vbi memoriam fecit, adiicit pro corollario: *Oremus, vt ipſorum interceſſionibus veritas pura & ſincera doctrina, quam ipſi docuerunt & profeſſi ſunt in omni Eccleſia ſancta cuſtodiatur, vſque ad ſæculi conſummationem.* Sed imprimis venerabilem agunt memoriam ſanctiſſimæ Virginis, dicit enim Sacerdos: *Commemoremus autem Beatiſſimam Dominam Mariam, matrem Dei viui & Saluatoris ac redemptoris noſtri: Oremus igitur vt Spiritus ſanctus qui in ea habitauit, gratia ſua nos ſanctificet, & voluntatem ſuam in nobis impleat & veritatem ſuam in nobis ſignet, omnibus*
Ibid. p. 105. &c. *diebus vitæ noſtræ.* Miſſa Moſarabe, qua Chriſtiani ritus S. Iſidori in Hiſpania olim Arabibus permixti, paſſim vtebantur, & quæ etiamnum Toleti in Cathedrali Eccleſia & ſex parochiis obſeruatur, incipit hoc tenore, dicit Sacerdos indutus veſtibus ſacris: *Per gloriam nominis tui, Chriſte fili Dei viui, & per interceſſionem Virginis Mariæ, B. Iacobi, & omnium Sanctorum, auxiliare & miſerere indignis ſeruis tuis, & eſto in medio noſtri Deus noſter. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum.* Reſpondetur, *Amen.* Atque de Liturgiis, quarum ſerie fruſtra errorem ſuum fulcire contendit Molinæus, ſatis ſupérque. Iam verò quod Patres ſpectat, æquè peruium eſt oſtendere, quàm procul ſint ab ea mente quam ipſis idem Molinæus appingit. S. Cyprianus ep. 24. morem Eccleſiaſticum circa Martyrum ſolennem memoriam, hunc fuiſſe ſcribit, *Sacrificia pro eis* (loquitur autem de Celerina & aliis non ita diu coronatis in Africa) *ſemper, vt meminiſtis offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies, anniuerſaria commemoratione celebramus.* Anſam hinc arripuiſſe videtur Molinæus aſſerendi veterem Eccleſiam pro Sanctis etiam martyrio coronatis vota & preces ad Deum fudiſſe: ſed quàm longè à mente ipſius B. Cypriani hinc palam eſt, quòd idem S. Cyprianus non vno loco docet Chriſti Martyres ſtatim gaudiis ſupernis frui, v. g. ep. 16. & 26. hácque ipſa epiſt. 24. vbi quos prædicat Martyres, apertè dicit, *palmas & coronas commeruiſſe.* Quid igitur ampliùs pro iis poſtulaſſet ſuis in ſacrificiis Eccleſia? niſi duntaxat quod diebus eorum natalitiis, de eorum victoriis & triumphis, gratias Deo ipſorum coronatori referebat, ipſorúmque memoriam ſacris honoribus, perennique poſterorum memoriæ ac venerationi obſeruandam commendabat? Eundem ritum paucis inſinuat verbis ſua iam ætate florentem, magnus Tertullianus in libello aureo de Militis corona:

Oblationes, inquit, *pro natalitiis annua die facimus.* non dicit pro Sanctis ipſis, ſed pro eorum natalitiis, id eſt pro eorum coronis & triumphis, quos Eccleſia ſpeciali honore annuatim ipſa die qua victores de hoc mundo exierant, recolebat. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 5. Myſtag. luculentum profert nobis teſtimonium de vero hoc offerendi pro Sanctis glorioſis ſacrificij ſenſu, à prece pro ope eis aliqua poſtulanda certè remotiſſimo, cùm & ipſos tam celebri more fuiſſe commemoratos, vt nos ſuis orationibus apud Deum adiuuent, patenter doceat & teſtificetur: *Et hoc ſacrificium tibi offerimus* (inquit, verba ipſa Liturgiæ Hieroſolymitanæ ſeriatim referens) *vt meminerimus etiam eorum qui ante nos dormierunt, imprimis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.* S. Auguſtinus idem prorſus monet & aſſeuerat Tract. 84. in Ioan. *Ideo*, inquit, *ad menſam Domini non ſic Martyres commemoramus quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, vt etiam pro eis oremus: ſed magis vt ipſi orent pro nobis.* & ſerm. 17. de verbis Apoſtoli, *Habet*, inquit, *Eccleſiaſtica diſciplina, cùm Martyres eo loco recitentur ad altare Dei, vbi non pro eis oratur.*

Sed hîc fortè quiſpiam pro Molinæo inſtabit. In Romana Eccleſia oratur in ipſo ſacrificio pro ſanctis defunctis, ſcilicet paulo ante Canonis præfationem, hac Sacerdotis deprecatione: *Suſcipe ſancta Trinitas &c. hanc oblationem quam tibi offerimus in memoriam paßionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in honorem B. Virginis Mariæ, B. Ioannis Baptiſtæ ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & iſtorum* (quorum ſcilicet hîc ſacræ reliquiæ poſitæ ſunt) *vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem.* Item in hac collecta poſt communionem, *Sumpſimus Domine ſancta myſteria, quæ ſicut Sanctis tuis proſunt ad gloriam, ita nobis quæſumus proficiant ad medelam.* & in vigilia S. Andreæ Apoſtoli: *Perceptis Domine Sacramentis ſuppliciter exoramus, vt intercedente Beato Andrea Apoſtolo tuo, quæ pro illius gerimus veneranda paßione, nobis proficiant ad medelam.* Verùm non difficilis eſt ad hanc obiectionem reſponſio. Innocentius III. in cap. *Cum Martha. de Celebrat. Miſſarum.* rectè dicit, *Non prodeſſe ſacrificium Sanctis vt ſaluentur, cùm iam ſint beati: ſed ad hoc vt magis à fidelibus in terris glorificentur.* Nec eſt quòd in odium Sedis Apoſtolicæ, reſponſum hoc Innocentij Papæ Nouatores aſpernentur, atque vt accommodatum ad ſuperſtitiones, vt dicunt, Romanæ Eccleſiæ reiiciant: idem enim Græcis ſenſus ac conſenſus eadem de re prorſus eſt. Audiendus Nicolaus Cabaſilas in Expoſit. Liturgiæ c. 33. *Sunt*, inquit, *Eccleſiæ agendarum Deo gratiarum cauſæ, pro iis offert rationabilem hunc cultum tanquam Deo gratiarum actionem.* Et infrà; *Propterea nihil pro eis orat Sacerdos, ſed potiùs eos orat vt ab eis orationibus adiuuetur; quia non ad ſupplicationem, ſed ad gratiarum actionem vt dictum eſt pro ipſis donorum oblationem facit, in eorum gloriam.* ſcilicet externam, non verò eſſentialem, quam feliciter ſunt adepti: ideo in oratione recitata S. Andreæ, oblatum Deo ſacrificium legimus pro eius veneranda paſſione: *Feſtiuitates enim Sanctorum A-*

Extat Biblioth. SS. PP. tom. 2. Græcolat. edit. Pariſ. ann. 1624. p. 243. col. b. in med.

poſtolorum & Martyrum (inquit S. Auguſtinus lib. 20. cont. Fauſt. c. 21.) *antiqui Patres in venerationis myſterio celebrari ſanxerunt ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum aſſociemur, atque vt orationibus adiuuemur; vt Deo* (ſicut alio loco dicit) *gratias debitas referamus pro illorum victoriis & triumphis. Populus Chriſtianus memorias* (inquit lib. 20. contra Fauſt. c. 21. & lib. 8. de Ciuit. Dei, c. 27.) *Sanctorum Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, vt ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoria renouatione adhortentur.*

ARTICVLVS II.

De fidelibus defunctis in Purgatorio detentis.

CVM Pontifex ordinando Sacerdotem ei dicit, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare, tam pro viuis quàm pro defunctis.* dubium eſſe non poteſt, quin de iis defunctis propriè intelligat qui in recta fide obierunt, atque nihilominùs quibuſdam leuibus piaculis aſperſi in purgatorio emundantur, donec ab omni labe expiati diuinæ ſint tandem quam ſummoperè exoptant, viſionis & fruitionis compotes. Negant (vt cuique notum eſt) temporis huius ſectarij purgatorium, negant & ſacrificium. Quapropter nec mirum eſt ſi ſubſidium & ſolatium quod defunctis fidelibus ex ſacrificio comparatur & conciliatur, pertinaciter abnuunt & impugnant. Iam anni 1200. & ſuprà ſunt, cùm auctor huius hæreſis, quam renouant, primus apparuit. Fuit hic Aërius qui in furorem abreptus, eo quod Epiſcopatum obtinere nitendo, repulſam paſſus fuerat: docere cœpit Epiſcopos & Preſbyteros eſſe omnino æquales, indicta ab Eccleſia ieiunia & feſta ſeruanda non eſſe, denique neque ſacrificium eſſe offerendum pro defunctis, quemadmodum teſtatur S. Epiphanius hæreſ. 75. & S. Auguſtinus hæreſ. 53.

Hæreſis eſt igitur ab antiqua Eccleſia in Aërio condemnata, aſſerere quòd pro fidelibus defunctis non ſit orandum nec offerendum. Nouatores ſectarij hoc ipſum dicunt & contendunt; iudicio igitur primitiuæ Eccleſiæ notâ hæreſeos ſunt inuſti. Sed Molinæus vt hoc dedecus amoliatur, enixè contra Cardinalem Perronium laborat, nititúrque variis effugiis & artificiis S. Epiphanij teſtimonium eludere. Fatetur primùm numerari inter hæreticos Aërium, & inter eius hæreſes hanc recenſere, quòd docuerit preces quæ fiunt pro defunctis fidelibus, inutiles & ſuperuacaneas eſſe. Quæ confeſſio ſufficit ad Molinæum cum ſuis aſſeclis damnandum hæreſeos, ex iudicio primitiuæ Eccleſiæ, idem enim prorſus cum Aërio & ſuis ſimilibus ſentit: accedit porrò ad robur latæ ſententiæ quod ipſe S. Epiphanius * ſuo ex priuato arbitrio non loquitur, ſed refert duntaxat iudicium peremptorium Eccleſiæ, quemadmodum & S. Auguſtinus & S. Damaſcenus, qui eadem ducti auctoritate iudicij Eccleſiæ vniuerſalis, Aërium propter hoc impium dogma vnanimiter inter hæreticos recenſuerunt, non vt Doctores

* Aërius adhuc, cùm hæc de eo ſcriberet S. Epiphanius, in viuis erat, vt ipſe S. Epiph. loco ſignato ſcribit.

ctores aut iudices, ſed vt teſtes omni exceptione maiores, ſenſûs & conſenſûs Eccleſiæ Catholicæ.

Vnde ridiculum eſt quod ſubinde Molinæus ait, S. Epiphanium diſſertatione ſubiuncta, nihil dicere quod purgatorium ſuadeat aut confirmet, his enim argumentis ritum confirmare orandi pro mortuis.

I. Vt qui viuunt, hinc ſibi planè perſuadeant, mortuos noſtros viuere, nec in nihilum eſſe redactos, ſed exiſtere adhuc, atque apud Deum viuere. ita quidem; ſed quid tum? Nónne hoc Eccleſia Catholica etiamnum non credit? quæ in inuitatorio noſtro officij defunctorum, tanta celebritate pronunciat, *Regem cui omnia viuunt, venite adoremus.* Sanè defuncti, pro quibus preces & ſacrificia offeruntur, ſi eſſent in nihilum redacti, *ſuperfluum & vanum videretur orare pro mortuis,* prout liber 2. Machabæorum (c. 2.) à Molinæo ipſo allegatus rectè concludit.

II. Quia addit S. Epiphanius religioſiſſimum hoc dogma prædicandum eſſe, quo qui pro fratribus precantur, bene de iis ſperare conſtat, quaſi peregrè profectis. At hoc ipſum dogma orandi & offerendi pro ipſis confirmatur; ſi enim adhuc ſunt in via, ergo nondum in patria, quamobrem, vt ad finem quò tendunt citò perueniant, piè & conuenienter oratur.

III. Ait Epiphanium dicere, quæ concipiuntur preces pro mortuis, iis vtiles eſſe, tametſi non omnes culpas extinguant. At hoc ipſum Eccleſia docet, viuorum ſuffragia pro defunctis, leuioribus culpis medelam afferre; Porro reis grauium peccatorum, id eſt in mortali reatu de hac vita egreſſis, non conferre ſubſidium. Iuxta quod S. Ioannes ſcribit *eſſe fratris peccatum non ad mortem, pro cuius venia* 1. Ioan. 5. 16. 17.
vnuſquiſque orare poteſt, nam dabitur venia. Si ſit autem peccatum eius ad mortem, non (inquit) *dico pro illo, vt roget quis.* Diuinè ad hæc S. Auguſtinus ſerm. 34. de verbis Apoſtoli: *Orationibus ſanctæ Eccleſiæ & ſacrificio ſalutari & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur: non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt.* HOC ENIM A PATRIBVS TRADITVM VNIVERSA OBSERVAT ECCLESIA, *vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur. Cùm verò eorum commemorandorum cauſâ, opera miſericordiæ celebrantur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo, non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis; ſed talibus qui ita vixerunt ante mortem, vt poſſint iis hæc vtilia eſſe poſt mortem. Nam qui ſine fide quæ per dilectionem operatur, eiúſque Sacramentis, de corporibus exierunt, fruſtra illis à ſuis huiuſmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hîc eſſent, pignore caruerunt, vel non ſuſcipientes, vel in vacuum ſuſcipientes Dei gratiam, & ſibi non miſericordiam theſauriſantes, ſed iram.*

IV. Ait Molinæus, Epiphanium docere quòd preces quæ pro defunctis fiunt, indicio eſſe, illos cùm hîc viuerent, ad perfectionem non perueniſſe, ſed impegiſſe ſæpius. Ita quidem eſt, nam Eccleſia pro iis orando, veniam leuium eiuſmodi culparum depoſcit, purgandíſque quibus aſperſi ſunt maculis, docet ideo adhiberi. Hæc ſanè eſt

fides Eccleſiæ, háncque & genuinè refert & graphicè depingit S. Epiphanius, iis ipſis verbis, quæ legit quidem Molinæus, ſed non intellexit. *Cæterùm quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis vtiles ſunt, tametſi non omnes culpas extinguant (ſi quæ eſſent ſcilicet mortales,) verùm ex eo proſunt quòd plerumque dum adhuc in terra degimus, ſponte aut inuiti titubemus, vt id quod perfectius eſt, ſignificetur: nam & iuſtorum pariter & peccatorum mentionem facimus: vt iis à Domino miſericordiam imploremus. Quæ verba perfidè Molinæus refert, *Regardans* (ait) *à la miſericorde de Dieu.* Cùm vertere debuiſſet, *Pour leur implorer la miſericorde de Dieu.* Quid pro fidelibus peccatoribus per preces, & ſacrificia iuuandis ad impetrandam diuinam miſericordiam expreſſius dici poteſt? Veruntamen hîc adhuc Molinæus cauillatur, ſic enim ſancti Epiphanij apertum ſenſum corrumpit & in tranſuerſum detorquet: *Quoad alios* (à Prophetis, Apoſtolis, Martyribus) *dicit Epiphanius pro iis quidem orari habito reſpectu ad diuinam miſericordiam, ſiue quam ſunt iam conſecuti, ſiue quam iis facturus eſt in die iudicij, quemadmodum ſcribit ad Timotheum Sanctus Paulus, det miſericordiam Dominus Oneſiphoro* (ſeu vt habet textus Apoſtoli, Oneſiphori domui) *quia ſæpè me refrigerauit, det illi Dominus miſericordiam inuenire à Domino in die illa?* Sed delirat hîc planè Molinæus, loquitur enim hic Apoſtolus de homine viuente & eius domeſticis; At S. Epiphanius de fidelibus defunctis; *pro quibus ait miſericordiam imploramus.* Non igitur illam quam iam conſecuti ſunt, vt inſulsè Molinæus exponit, nec quæ ad diem vſque iudicij protelletur, ſed quæ præſentaneam confert opem & promptum in preſſura poſitis ſolatium. Nam loquitur Epiphanius de tempore præſenti. *Cæterùm*, inquit, *quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis vtiles ſunt &c.* Et paulò infrà dicit: *Nos pro illis oramus, vt iis à Domino miſericordiam imploremus;* Quos ſcilicet à Sanctis beatis manifeſtè diſtinguit, hos quidem vocans iuſtos, illos autem peccatores, quia ſcilicet pœnis quibus ob peccata ſua obſtricti ſunt (iam licèt culpâ remiſſâ) affliguntur.

*Ὠφελεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν ([illegible]) γινομένη εὐχή, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι. ἀλλ' οὖν γε διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως, ἵνα τὸ ἐντελέστερον σημανθῇ. καὶ γὰρ δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν. ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους Θεοῦ δεόμενοι.
S. Epiphan. hæreſ. 75. quæ eſt Aërij.
2. Timoth. 1.

Porrò ex accurata deſcriptione teſtimonij S. Epiphanij planè patet, Molinæum qui de ſingulari mentis accumine tantoperè gloriatur, hîc prorſus hebetem, vel certè cæcum ſe prodere. *Quid* (inquit) *in Epiphanij dictis conferat pro purgatorio non perſpicio.* At quiſquis non videt S. Epiphanium, doctrinam Eccleſiæ de purgatorio, praxímque eius totam orandi & offerendi pro fidelibus defunctis toto loco quem expreſſimus, aſſerere & confirmare, planè cæcum eſſe & ſtupidum oportet, vt conſtat ex dictis.

Pergit tamen Molinæus, & ab Epiphanio tranſit ad Dionyſium Hierarchiæ Eccleſiaſticæ auctorem, quem etſi non Areopagitam agnoſcit, fatetur tamen auctorem eſſe perantiquum, ſuſpicatúrque circa annum 400. floruiſſe, *doctúmque & vtilem eſſe* ait. Cæterùm ex cap. 3. Hier. Eccleſ. locum affert, ex quo perſuadere nititur ex æquo oratum fuiſſe in diuino myſterio, deprecatione quæ fiebat ſuper ſacra diptycha: pro Sanctis iam beatis & aliis fidelibus carne exu-

tis. *Ex dictis Dionyſij palam eſt*, inquit, *quòd illa oratio quæ tum fiebat pro mortuis, pro perſonis ſanctis & iam beatis fieri conſueuerat: & non ad ex trahendum illas ex purgatorio &c.* Semper enim Molinæus in craſſo illo errore verſatur, quem ſuperiori articulo confutauimus, commemorationem Sanctorum beatorum quæ fiebat in diuina Liturgia, fuiſſe conſimilem deprecationi quæ pro aliis fidelibus defunctis proferri à Sacerdote conſueuerat. adeovt non vereatur hoc paradoxum SS. Patribus, præſertim verò S. Epiphanio imponere. Immunem ab eo Epiphanium iam oſtendimus, Dionyſium quoque eius expertem haud minùs facile eſt demonſtrare; ſanè toto loco quem citat Molinæus, nihil niſi de Sanctis beatis & glorioſis S. Dionyſius eloquitur, pro quibus fundi preces à Pontifice, vel Sacerdote ne minimo quidem verbo diuinus hic auctor ſignificat. Integrum locum * ex Græco in margine deſcripſimus, vt impoſturam Molinæi ſtudioſus veritatis lector perſpiciat. Tantum verò abeſt vt B. Dionyſius pro iis orari vel offerri conſueuiſſe ad eos iuuandum inſinuet, quin potiùs honoris tantùm causâ & imitationis in diuino ſacrificio eoſdem commemorari diſertiſſimè teſtatur, quos prædicat nequaquam mortuos, ſed ex morte ad vitam diuiniſſimam tranſlatos, in iiſque impletum ait hoc diuinum oraculum: ** *Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius*, morte eorum pro ſancta conſummatione accepta, *quæ indiuiduam cum Deo coniunctionem & vnionem ſacratiſſimam & ſupermundialem* (id eſt cœleſtem) *adepti ſunt*. At longè propter aliam rationem pro aliis fidelibus defunctis orationem fudiſſe Pontificem, S. ipſe Dionyſius eodem lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 7. part. 3. ex viventi praxi declarat, his verbis, *** *Accedens deinde venerandus Antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit*, (exequias enim ritu Chriſtiano recitat) *precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, cùmque in luce ſtatuat & regione viuorum.*

Ad S. Auguſtinum hinc progreditur Molinæus (ſibi tamen hac in cauſa inuiſum:) *S. Auguſtinus, qui ſcribebat* (inquit) *circa annum 420. primus fuit qui docuit, non eſſe orandum pro SS. mortuis. Et quod quiſquis pro Martyre rogat, ipſi Martyri irrogat iniuriam:* Ideóque nihil aliud eſſe preces quæ fiunt quum ad altare nominantur, quàm meras gratiarum actiones. Sed hoc falſum eſſe ſuperiori articulo, vbi agimus de Sanctorum beatorum in diuino ſacrificio commemoratione, manifeſtè euicimus. Quamobrẽ haud neceſsũ eſt tã apertæ impoſturæ refellendæ diutiùs hîc immorari.

Pergit iterum attamen Molinæus: *Hoc*, inquit, *quod de Auguſtino dixi, verum eſſe ex eo patet, quòd veteres orabant pro iis animabus quæ in placido ſomno dormiebant, proinde quæ in tormento vllo eſſe neutiquam credebantur. Quæ precationis formula etiamnum ſupereſt Canoni Miſſæ his verbis inſerta* Quotidie enim Sacerdos dicit, *Memento Domine famulorum famularúmque tuarum, qui nos præceſſerunt in ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Quæ dum fit deprecatio, ſubmiſſa voce mortuorum nomina recitat, pro quibus propinqui vel amici pecuniam aliquam dependerunt, vt Miſſa illa proficiat,*

* [Greek text illegible] ... *S. Dionyſ. c. 3. de Eccl. Hierarch. edit. Antuerp. p. 294. & 295 § 9. Contra SS. quid.*

** [Greek text illegible]

*** [Greek text illegible] ... &c. *S. Dion. Areop. cap. 7. Eccleſ. Hierarch. part 3. § 4. edit. Antuerp.*

afferátque ſolatium iiſdem ſpiritibus defunctorum, qui in igne purgatorio cruciantur. Clauſula hæc non ſine arcano Dei nutu in Miſſa permanſit ad purgatorium condemnandum, neque enim vlla eſt ſcintilla rationis, cur quoduis pretium tribuatur, ad excitandum animas quæ in ſomno pacis requieſcunt: aut qua quiſquam ſibi perſuadere poſſit, animas quæ in igne torquentur ſepties vſuali noſtro ardentiore: in tanto hoc cruciatu, poſſe in ſomno pacis conquieſcere? Hæc Molinæus qui præter ironias & impiam dicacitatem nihil noui iſto loco dicit. Lutherus enim (hæreticorum omnium recentiorum anteſignanus) in lib. de abroganda Miſſâ, verba illa canonis, *Memento etiam Domine famulorum, famularúmque tuarum N. qui nos præceſſerunt in ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis &c.* Sic impugnat vt ſecum pugnare hanc orationem & ſeipſam deſtruere arguetur. *Nam ſic oratur,* inquit, *pro iis qui dormiunt in ſomno pacis & qui in Chriſto requieſcunt, & tamen eis Sacerdos bene precatur locum refrigerij, lucis & pacis; ſi dormiunt ac requieſcunt, quid illis refrigerium petit; ſi pacem habent, cur pacem illis poſtulas?* Cui obiectioni hunc in modum Cardinalis Bellarminus ſolita perſpicacitate & ſoliditate reſpondit: *Pacem illi quandam & quietem habent, quia certi & ſecuri ſunt de præmio æternæ felicitatis, & quia liberi ſunt à bello tentationum & concupiſcentiæ, & ab omni opere malo: Sed nondum pacem & quietem habent à tormentis & à deſiderio viſionis diuinæ. Nec poterat aptiùs hæc oratio componi, vt ſolis iis conueniret qui in purgatorio degunt; Nam qui ſunt in gehenna, ij nullam pacem & quietem habent; ij qui ſunt in regno omnem pacem & quietem poſſident: qui in purgatorio exercentur, ita in ſomno pacis requieſcunt, vt adhuc refrigerio & pace indigeant.* Hæc doctè & appoſitè Bellarminus. Cuius dictis, maioris tantùm illuſtrationis causâ addi poteſt, ſic Dominum ipſum, vt Eccleſiam hæretici in hac parte canonis reprehendunt, in ſuo Euangelio ab iis poſſe reprehendi. Dicit Apoſtolis Dominus, paulò ante paſſionem ſuàm, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, Ioan. 14. 27. & mox eiſdem dicit c. 15. *Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Si enim pacem habent, & quidem Chriſti pacem (quæ, vt
Philipp. 4. 7. ait vas electionis, *exuperat omnem ſenſum*) quomodo & cur plorabunt & flebunt? ſi ita futuri ſunt triſtes & mœſti, afflicti & anguſtiati, *vt mulier quæ parit*, prout dicit ibidem Dominus: quomodo tantum gaudium ac donum pacis poſſidebunt? quod vt promittit eis Dominus, ab ipſis nemo poſſit auferre. Pugnare hæc profectò inuicem videntur: ſed tamen non pugnant, at bene conueniunt, vt ex ſequentibus Domini verbis colligitur: *Hæc* (inquit) *locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis; in mundo autem preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.* Ioan. 15. 33. Pacem igitur habebant cum Deo, ſed bellum cum mundo; pacem in corde, bellum in corpore; pacem à vitiis & animi perturbationibus, bellum cum impiis & perſecutoribus, à quibus ob Chriſti nomen & fidem tanta odia, tanta tormenta erant perpeſſuri. Sic planè in ſacro canone animæ fidelium pro quibus oratur, dicuntur *dormire in ſomno pacis*, non quia exemptæ ſint à purgatorij pœnis, ſed quia iam animi nulla perturbatione vexantur, nul-

lis vitiorum ſtimulis agitantur, & quamuis ſic paternis flagellis exerceantur, vitam æternam nihilominus cum omni ſecuritate expectant.

Hac ratione & comparatione, quicquid effutiit ſuprà Molinæus aduerſus celebrem illam precationem pro defunctis, facilè euaneſcit; Sed hinc tamen habeo quo Sacerdotes admoneam. Carpit eos paſſim hic ſcurra Caluiniſticus, de turpi lucro; arguítque ſemper auaritiæ, & ex hoc in contemptum traducit, quòd Miſſæ ſacrificium nonniſi illecti vili pretio concelebrent. Hic taxat inſuper crudelitatis impiæ, nimirum eò quòd eorum dumtaxat fidelium defunctorum in loco generalis commemorationis memoriam faciant, quorum propinqui aut amici propter hoc conciliandum ſuis conſanguineis aut amicis ſolatium, ipſis Sacerdotibus pecuniam perſoluerunt; cæteris defunctis qui propinquorum diuitum cura & ſubſidio deſtituuntur, in preſſura flammæ ſine vlla compaſſione perpetuam in obliuionem relictis. Abſit vt de iis mihi hoc perſuadeam, *qui corpus ſanguinémque Domini ſacro ore conficiunt*, & Chriſti vicem gerunt, ſúntque ab eo miniſtri humanæ reconciliationis, & diſpenſatores non modò myſteriorum Dei, ſed etiam donorum ac munerum conſtituti; ſi qui ſunt tamen, qui minus officij ſui hactenùs fuerint hac in parte memores, quàm par eſſet: eos enixè oratos velim, vt tenorem ſacri Canonis accuratiùs attendentes, apud ſe recogitent, non eſſe intentionis Eccleſiæ vt tantùm pro ſpecialibus amicis defunctis, aut iis qui ab aliis ſibi nominatim commendati ſunt, fundant preces. Canon enim diſertè habet poſt quoſdam nominatos arbitrio Sacerdotis, vt ſuppleat generaliter pro aliis cunctis fidelibus piam & feruentem obſecrationem, ſequitur enim, *Et omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij, lucis, & pacis, vt indulgeas, deprecamur.* Si remunerationem præſtiti pauperculis his animabus ſolatij cupit, *quæ hominem non habent, à quo immittantur in piſcinam:* pergat nihilominus & non deſinat his ſua prece opitulari: Dominus enim qui dixit Abrahæ, *ego ſum merces tua magna nimis*, illi officium charitatis retribuet abundanter, iuxta promiſſum ſuum, ait enim per Prophetam, *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

Vide S. Aug. lib. de cura pro mortuis c. 4.

Ioan. 5.

Geneſ. 15.

Pſal. 40.

Cæterùm egenæ illæ ipſius opis & pauperes animæ, liberatæ è ſuo carcere aliquando per miſericordiam Dei, à Sacerdote pio hoc ſuffragio & optimo ſubſidio conciliatam, ei non erunt ingratæ, ſed iunctæ Deo in regno gloriæ, vicem ei vltro rependent, deprecantes interceſſione ſedula, pro ipſius ſalute, *menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum eius.* Exemplum illuſtre huius gratitudinis in noſtro Martyrologio Gallicano, & obſeruationi præſentium, & memoriæ piæ poſteritatis conſignauimus 8. Kal. * Octobris, vbi de S. Iſarno Abbate Maſſilienſi, hac verborum ſerie: *Qui patria Toloſanus per gradus humilitatis ad virtutum culmen conſcendit, charitatéque feruens immenſa, Lerinenſes Monachos captiuos deductos in Hiſpaniam ab impia ſeruitute redemit; miſeratúſque eorum qui à carnificibus interficiuntur, procurando illorum ſpirituum ſolatio, ſacrificia diuinæ Maieſtati fre-*

Luc. 6. 38.

* 24. Septemb.

quenter obtulit; Qua pietate meruit, vt pleræque abſolutæ à purgatorij carcere animæ, ipſi gratias rependerent dum liberatæ ad cælum euolarent.

ARTICVLVS III.

De Damnatis.

In 4. ſent. diſt. 45.

SVPERVACANEVM eſſe videtur diſcutere, An pro damnatis orandum ſit & offerendum, cùm vnanimis ſit Theologorum ſententia, his illos ſuffragiis non poſſe iuuari, nec aliis quibuſcumque ſubſidiis, ſcilicet quia & culpæ damnatorum ſunt irremiſſibiles, & pœnæ æternæ. De culpis patet ex Scriptura, Eccleſ. 14.17. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum;* id eſt gratiam & vitam. cui conſonat illud Euangelicum, *Venit nox quando nemo poteſt operari.* Ioan. 9. 4. Et Matt. 12. 13. *Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Peccatum igitur impœnitentiæ, in qua reprobi moriuntur, perpetuò eſt irremiſſibile, & proinde non poteſt in inferno culpa illa remitti. Quòd verò pœna, cui ideo addicti ſunt, ſit æterna, Scripturæ itidem paſſim & euidenter docent. Pſ. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos;* non dicitur eradicabit, ſed depaſcet, quia pœnæ eorum in æternum pullulabunt. Iſa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et Iob. 10. *Vbi * ſempiternus horror inhabitat.* Iudith 16. *Dabit ignem, & vermem in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum.* Hinc Dominus ad reprobos, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum?* Hinc Patres diſertè dicunt nullis poſſe ſuffragiis damnatos adiuuari: S. Clemens lib. 8. Conſtit. c. 13. & ſeqq. S. Dionyſius de cœleſti Hierarchia: S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei, c. 13. & ſeqq. & lib. de cura pro mortuis, c. 1. & 18. inde etiam Concilia prohibent vel preces vel ſacrificia pro reprobis offerri; ſiquidem Concilium Bracharenſe I. * c. 34. & Triburienſe, c. 31. expreſsè decernunt, ne pro iis qui decedunt in actuali peccato, vllum adhibeatur ſuffragium: *Nulla pro iis in oblatione commemoratio fiat,* (ait Bracarenſis Synodus) *neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur.* Et can. ſeq. *Item placuit, vt Catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimili modo, non oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.* Triburienſis verò Synodus loquens de peccatoribus impœnitentibus, qui in ſuis ſceleribus moriuntur. *Nullus pro eo* (qui eſt huiuſmodi) *præſumat orare aut eleemoſynam dare &c.* B. Auguſtinus de talibus horribilem profert ſententiam dicẽs, *Nemo te poſt mortem fidelium redimit, quia tu te redimere noluiſti.*

* in inferno

* Sub Ioan. III. Papa ann. 563. inter Capitula canonibus ſubiuncta eſt n. 16.

ARTICVLVS IV.

De Infidelibus, & Impiis.

MISSA eſt ſacrificium verum, ſacrificij crucis repræſentatiuum & applicatiuum; propitiatorium ideo & impetratorium. Quibus ex titulis conſequitur offerri poſſe pro iis omnibus pro quibus

Chriſtus in cruce oblatus eſt. Atqui Chriſtus ſeſe Patri obtulit & immolauit pro omni genere humano; *Chriſtus enim pro omnibus* (ait Apoſtolus 2. Cor. 5. 15.) *mortuus eſt*, non tantùm igitur pro iis qui ſibi adhærebant, & qui credebant in eum: ſed etiam pro Iudæis incredulis & Romanis, Ethnicis ac infidelibus, vnde de iis promiſcuè ait dum erat in cruce, *Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt*; ad quæ diuina verba ſcitè S. Leo *Luc. 23. 34.* ſerm. 10. de paſſione Domini, *Admiſit in ſe* (inquit) *impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt ſceleri, famulatæ ſunt redemptori. Cuius etiam circa interfectores ſuos tanta erat pietatis affectio, vt de cruce ſupplicans Patri, non ſe vindicari, ſed illis poſtularet ignoſci.* Quinam erant Chriſti interfectores? Iudæi ſanè & Romani, ſed diſſimili modo: de Iudæis notum eſt illud B. Stephani increpantis eos, *Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius nunc vos proditores & homicidæ fuiſtis.* Act. 7. 52. Sic ad eoſdem Petrus: *Petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfeciſtis,* Act. 3. 15. ſed quomodo interfecerunt? *Non licet nobis* (aiebant) *interficere quemquam:* Et de facto eum non crucifixerunt. Quomodo igitur eum occiderunt? Appoſitè ad hoc poſtulatum reſpondet S. Auguſtinus, ſup. Pſ. 63. ad ℣. 2. *Non dicant* (inquit) *Iudæi non occidimus Chriſtum. Etenim propterea eum tradiderunt Iudæi Pilato. Ille dixit in eum ſententiam, & iuſſit eum crucifigi, & quaſi ipſe occidit. Et vos ô Iudæi occidiſtis: vnde occidiſtis? gladio linguæ. Acuiſtis enim linguas veſtras; Et quando percuſſiſtis? niſi quando clamaſtis crucifige, crucifige.* At S. Petrus vt eos faciliùs ad pœnitentiam inducat, ſpem eis facit veniæ; *Et nunc fratres ſcio* (inquit) *quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* quaſi diceret, animum tamen propter tantum facinus ne deſpondeatis; Peccaſtis ſcio, per ignorantiam. ideo ipſe Chriſtus qui morte ſua nobis peperit vitam, etiam pro vobis in cruce poſtulauit à patre indulgentiam: *Pater* (inquit) *dimitte illis quia neſciunt quid faciunt.* At non pro Iudæis tantùm incredulis qui gladio linguæ ipſum occiderunt, Chriſtus patiens in cruce Patrem obſecrauit, ſed etiam pro militibus Romanis, ethnicis & infidelibus qui ipſum de facto, manibúſque propriis crucifixerunt: *Orauit enim*, ait S. Leo, *pro interfectoribus ſuis.* at iſti fuerunt qui eum cruci affixerunt, & pro quibus tanta cum pietate rogabat, ignoſce illis Pater (ait) quia neſciunt quid faciunt. Doctè hîc & eleganter Simon Caſſianus, lib. de paſſ. *Sciunt, quia crucifigunt: ignorant quem crucifigunt, Romani enim erant, aut de gentibus incircumciſis miniſtri & milites Pilati qui hoc miniſterium exercebant, & nutriti ſub cultura perfidiæ quæ dicebatur ſeruitus Idolorum, nec aſſueti erant vaticiniis Prophetarum, vt coniectare poſſent aliquando Dei filium potuiſſe in carne venire: vnde omninò neſciebant quem crucifigebant. Quamobrem miſericorditer ſubuenit eis gratia Saluatoris, & omnis culpa eſt mitior, faciliúſque meretur veniam quæ ab ignorantia, quàm quæ à malitia ſumit exordium.* Hac ex doctrina ſatis abundè patet Chriſtum in cruce cum lachrymis offerentem, oraſſe Patrem pro infidelibus, militibus ſcilicet gentilibus qui ipſum crucifixerant. Cùm autem Miſſa ſit imitatio crucis & paſſionis Domini, *Ioan. 18. 31.*

non dubium quin poſſit in ea Sacerdos qui Chriſti ipſius ſe offerentis vicem ac perſonam gerit, orare pro infidelibus, idololatris & quibuſcumque paganis; pro quibus die ſancto Paraſceues quo ſolenni ritu ſpecialiter Eccleſia paſſionem Domini repræſentat ac recolit, hæc inter cæteras preces profertur à Sacerdote ſupplicatio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui non vis mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquiris: ſuſcipe deprecationem noſtram, & libera eos ab idolorum cultura, & aggrega Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ad laudem & gloriam nominis tui. Per Chriſtum* &c. Præcedit autem hæc ad populum fidelem exortatio: *Oremus & pro paganis, vt Deus omnipotens auferat iniquitatem à cordibus eorum, vt relictis idolis ſuis, conuertantur ad Deum viuum & verum, & vnicum filium eius Ieſum Chriſtum Deum & Dominum noſtrum &c.* Atque hæc fuit praxis primitiuæ Eccleſiæ; Nam Apoſtolus ſcribens ad Timotheum ſic præceperat: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt &c. hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſaluatore Deo noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* At hoc tempore Reges nulli Chriſtiani erant, ſed omnes infideles, & imprimis Imperator qui omnibus præeminebat. Tamen hoc Apoſtolico monimento fideles edocti, in ipſis diuinis myſteriis preces pro ſalute imperatoris offerebant. Quod teſtatur Tertullianus libro ad Scapulam, c. 2. *Sacrificamus*, inquit, *pro ſalute Imperatoris.* Inſuper, S. Clemens, lib. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 18. ſcribit Apoſtolos obtuliſſe ſacrificium pro Regibus ſui temporis, & etiam pro Catechumenis, (viuentibus ſcilicet, qui ritus etiamnùm ſeruatur in officio Paraſceues & Sabbati ſancti. At verò Bracarenſis ſynodus, orare & offerre vetat pro Catechumenis mortuis, qui ſcilicet Baptiſmum ſua culpa differendo ſine Sacramento regenerationis exceſſerunt) & pro reductione eorum qui verſabantur in errore. Verum eſt quidem ſanctionibus Canonicis ſub pœna excommunicationis, aliiſque grauiſſimis, Chriſtianis eſſe prohibitum arma deferre ad Sarracenos, alióſque infideles. cap. *Ita quorumdam*, & ibi gloſ. 2. *De Iudæis*, Et in Extrauag. *Copioſus*, Ioannis XXII. quia ſcilicet hoc fit in detrimentum fidei & Eccleſiæ: ſed iuuare infideles quoſvis precibus & ſacrificiis apud Deum, vt conuertantur ad fidem & cultum Chriſti, tantum abeſt vt vetitum ſit aut eſſe poſſit, quin potiùs (vt ex doctrina Apoſtoli ſuperiùs inducta patet) hoc ſuffragium Deo gratum eſt & acceptiſſimum. Quamobrem tametſi in Miſſali Romano nullæ ſpeciales ſint & propriæ hac de re aſſignatæ orationes, præter illam ſolennem deprecationem quæ fit quotannis in die ſacra Paraſceues: tamen ſunt aliæ preces quibus implicitè infidelium ad Deum conuerſio poſtulatur, v. g. feriâ 2. poſt Dominicam paſſionis, Sacerdos ita orat, *Vt diebus noſtris, & merito, & numero populus Deo ſeruiens augeatur.* Non poteſt autem augeri, niſi infideles conuertantur; vnde fit vt in ipſo canone dum ſic Sacerdos ſupplicat pro Eccleſiæ pace, vnitate & incremento: *Hæc dona*, (inquit) *hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata,*

1. Tim. 2. 1. &c.

ta, imprimis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum. His verbis profectò, quibus fidelium multiplicatio petitur, implicitè infidelium conuerſio poſtulatur, qua ſola Eccleſia amplificari toto orbe poteſt; Sed & quotidie Sacerdos in oblatione calicis expreſsè rogat vt ſacrificium quod oblaturus eſt *pro totius mundi ſalute coram Deo cum odore ſuauitatis aſcendat.* Cæterùm aduerſus hanc praxim & theoriam obiici poteſt quod S. Auguſtinus lib. de orig. animæ ſignanter docet, c. 9. *Non eſſe offerendum ſacrificium corporis Chriſti, niſi pro iis qui ſunt membra Chriſti.* Sed reſponſio eſt in promptu, hîc illum agere de paruulis qui ſine baptiſmo defuncti ſunt: quia reuera nec ſacrificium, nec vlla oratio eis prodeſſe poteſt, non tam quia membra Chriſti non ſunt, quàm quòd fieri Chriſti membra nunquam poſſunt propter ſtrictum decretum diuinæ iuſtitiæ. Obiici etiam poteſt ſententia S. Thomæ, 3. p. q. 79. a. 7. ad 2. vbi ait *Sacrificium Miſſæ non habere effectum niſi iis qui coniunguntur Chriſto per fidem & charitatem: Atqui pagani non ita vniuntur.* Ad hoc reſpondendum eſt, non habere effectum integrum & perfectum; aut potiùs ſacrificium non habere pro infidelibus effectum immediatè: ſed tamen habere poſſe mediatè, impetrando illis diſpoſitiones, quibus eorum intellectus illuminetur, cor emolliatur, & ad fidem & pœnitentiam conuertatur. Atque hactenùs de paganis ſatis ſupérque.

ARTICVLVS V.
De Judæis incredulis.

EX principiis præmiſſis rectè colligitur, pro Iudæis incredulis iure orari poſſe, proinde & offerri; Chriſtus enim pro iis non modò orauit, ſed & in cruce paſſus eſt, vnde ſic S. Auguſtinus more ſuo acutè & piè ratiocinatur, tractat. 31. in Ioan. ad c. 19. *Non debebant* (Iudæi ipſi Chriſticidæ videlicet) *deſperare, pro quibus in cruce pendens Dominus eſt dignatus orare, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: videbat ſuos inter multos alienos, illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam, non enim attendebat quod ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur. Multum eſt quod illis conceſſum eſt, ab ipſis, & pro ipſis: vt nemo de ſui peccati dimiſſione deſperet, quando illi veniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.* Hôc animatus ſpiritu S. Paulus vas electionis, mirum in modum in populi huius excæcati illuminationem ac conuerſionem ardebat: *Veritatem dico* (ait Rom. 9. 1. &c.) *in Chriſto, non mentior teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ergo ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen.* Poterátne Apoſtolus verbis feruentioribus intimum animi ſui dolorem & ſenſum, indéque eximium ſuum in eos amorem oſtendere?

Verba hæc non tam ſunt verba quàm fulmina, tanta eſt Pauli charitas, vt abſque culpa damnari vellet, modò ij ſaluarentur, *Optabam* inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Pulchrè hîc beatus Chryſoſtomus & appoſitè, *Quid Paule ais? Nónne iam dixiſti, Quid nos ſeparabit à charitate Chriſti? imò quia amo Chriſtum, inquis, cupio ſeparari à fruitione Chriſti, ſcilicet vt Chriſtus à pluribus glorificetur, & eo tandem potiantur.* Magna res eſt & Chriſto longè acceptiſſima, ardere feruentiſſimo affectu animarum ſalutem; imò miſerabilis huius populi exoptare & poſtulare conuerſionem, quem adeo Chriſtus dilexit, vt ex iis carnem ſumeret, & ſuos Apoſtolos eligeret, ſuámque Eccleſiam primùm efformaret, & fidem exinde & gratiam totum per orbem diffunderet. *Salus enim* (ait Ioan. 4.) *ex Iudæis eſt.* Idcircò ſancta mater Eccleſia ipſo die Paraſceues, quo infelix hic populus gladio linguæ Chriſtum vitæ & ſalutis auctorem interfecit, pro iis nihilominus hoc ipſo die quo Chriſti ſanguinem tanto odio, tanto furore effuderunt: ipſo inquam die, quo Eccleſia horrendam hanc tragœdiam (*Chriſtus patiens*) recolit ac repræſentat, quo cruentatam ipſam crucem ſanguine innocentis ipſius agni ſuſpicit & oſtentat, quo funeſtas miſeræ huius gentis audit vociferationes, *Tolle, tolle, crucifige eum! ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros?* Illo, inquam hoc ipſo die, inter ipſa ſacra officia ad altare Dei, vbi crucem Chriſti adorat, paſſionis myſterium tanto cum mœrore celebrat, mortem eius tam profuſo gemitu lamentatur, nihilominùs ſolenni obſecratione diuinam pro huius populi ſalute clementiam, voce Sacerdotis interpellat: *Oremus* (inquit) *& pro perfidis Iudæis, vt Deus & Dominus noſter auferat velamen de cordibus eorum, & ipſi agnoſcant Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaïcam perfidiam à tua miſericordia non repellis, exaudi preces noſtras, quas tibi pro huius populi obcæcatione deferimus, vt agnita veritatis tuæ luce quæ Chriſtus eſt, à ſuis tenebris eruantur. Per eundem Chriſtum.*

Marc. 15. 13. Luc. 23. 21. Ioan. 19. 15.

Dicet hîc fortè quiſpiam: dicit hoc quidem Sacerdos ex præſcripta formula Eccleſiæ, ſed ad hanc orationem populus, vt fit in omnibus aliis orationibus, non reſpondet, *Amen.* Sic igitur ratam non habet hanc precem, ſuóque ſilentio indignationem ſuam aduerſus miſerum hunc populum manifeſtè demonſtrat. Reſpondeo, ſilet reuerà populus, quia interim Chriſtus loquitur, ipſéque Patrem pro hoc ipſo populo interpellat, *Pater*, inquit, *ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Sanguis enim Chriſti melius loquitur, quàm Abel: Quid clamabat Abel niſi vindictam contra fratrem ſuum? At ſanguis Chriſti clamat etiamnùm pro eis in quotidiano Miſſæ ſacrificio (quod mortis ſuæ perenne Mnemoſynon eſt) veniam, gratiam & miſericordiam. At inſtabit fortè aliquis, ad hanc ſupplicationem, non dicit Diaconus ſicut in reliquis, *Flectamus genua*, nec populus ſe inclinat? verum eſt, ſed ſufficit quòd pro eis ſeſe humiliauit ipſe Chriſtus, nec noſtra opus eſt genuflexione, vbi Chriſtus puras & innocentes manus ad patrem ſuum pro iis tanta cum inſtantia pie-

Luc. 23. 34.

tatis extendit, & cum voce ſpiritum & ſanguinem pro iis in odorem ſuauitatis effundit: *Dirigatur*, ait ad Patrem pro illis, *oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*; nam veſperè oblatum eſt & conſummatum pro ipſo incredulo & crudeli populo, qui vt rabioſi canes & feroces lupi agni ipſius ſanguinem fuderant, ſed ſanguinem iuſtum & ſalutarem tam ipſis, quàm nobis, vniuerſóque mundo. *Pſal. 140. 2.*

Inſtabit iterùm quiſpiam. Sed Eccleſia hac ſola die paſſionis Chriſti orationem Deo pro perfidis ipſis Iudæis defert: reliquo toto anni tempore ſilet, nec vlla eſt pro Iudæis in Miſſali aſſignata deprecatio, quæ ad libitum Sacerdotis pro hac miſera gente vſurpari poſſit? Verùm Eccleſia ore Sacerdotis dum orat pro vniuerſo orbe, pro infidelium conuerſione, in his precibus Hebræos quamuis à Chriſto adhuc per cæcitatem auerſos comprehendit, & ſuis votis commendat, patentíque indicio in ipſo ſacrificio Miſſæ oſtendit quanto cum affectu populi huius obcæcati irradiationem & conuerſionem percupiat. Sub finem etenim diuini myſterij codicem Euangelicum refert ad ſiniſtrum cornu altaris, vt innuat ſub finem ſæculi, Iudæos tandem qui tum erunt, ad cor redituros, Chriſtúmque quem patres eorum negauerunt pro vero redemptore ac Domino, veróque Dei filio agnituros & adoraturos, iuxta vaticinium Oſeæ Prophetæ 3. 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael, ſine rege & ſine principe, & ſine ſacrificio & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim: Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum, & pauebunt ad Dominum & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* Vſquedum hæc fiant, ſemper licebit exoptare vt citò compleantur; ſi enim Chriſti gloria, humanáque ſalus nobis cordi eſt, debemus vtique vt Apoſtolus admonet (1. Tim. 2. 1. 2. &c.) *facere obſecrationes, orationes, poſtulationes, pro omnibus hominibus, &c. quia hoc bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Igitur in Chriſto non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber. Gal. 3. 18. Omnium gentium ſalus, vt deſiderari debet, ſic poſtulari poteſt. Accedit hoc ſpeciale de Iudæis, quòd nulla fieri poteſt pro infidelibus deprecatio, quæ Chriſto magis grata ſit & accepta, ea quæ pro Iudæis fit incredulis, quorum ſalutem tanto ardore pietatis in ara crucis immolatus exſitiuit. Romæ Pontifices maximi ſinunt Iudæos ſub aliqua pace viuere, atque cum eis miſericorditer agunt, vt hac pia arte illos inuitent ad fidem, Chriſtíque in ipſos manſuetudinem & benignitatem illis in mentem reuocent. Religioſam hanc induſtriam Sacerdotes ad altare potiſſimùm ſtudeant imitari. Docuit nos Chriſtus tam verbo quàm exemplo pro inimicis orare. Oremus igitur vltrò pro Iudæis, ipſius Chriſti Domini noſtri inimicis, & hoſtibus noſtris, ea intentione qua pro incredulis & infidelibus, orare Timotheum ſuum beatus Apoſtolus admonebat (2. Timoth. 2. 25. 26.) *vt det illis qui reſiſtunt veritati Deus, pœnitentiam ad agnoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur.* Etenim in hoc Chriſtus maximè

glorificatur, quod pro peccatoribus quotidie immolatur. Nec ſuppetit nobis ab eo lectio moralis magis efficax, quàm ſi in ipſo magno myſterio pietatis eorum iuuandorum ſimus memores, qui minùs digni ſunt, at magis indigent illa ope: *Talibus hoſtiis promeretur Deus*, Chriſtus delectatur, & fides ac religio noſtra de proſtrata (ſumma benignitate) perfidia, mirificè triumphat.

Heb. 13. 16.

ARTICVLVS VI.

De Hæreticis, & Schiſmaticis.

HÆRETICO & omni homini, qui Catholicæ Eccleſiæ vnitatem non tenet, non prodeſt Baptiſmus, nec eleemoſyna, nec martyrium etiam pro Chriſti nomine, vel quodcumque bonum: quoad hoc vt vitam æternam conſequatur, Cap. *Firmiſſimè tene.* lib. 5. tit. 5. de hæreticis ex dictis S. Auguſtini. Porrò ſi hæreticis & ſchiſmaticis nihil prodeſt eleemoſyna, nec baptiſmus, nec ipſum martyrium ad ſalutem; nec igitur oratio, nec ſacrificium. Adde quòd licet in neceſſitate (ex Gloſ. *Habebunt*, in can. *Subdiaconus.* & gloſ. in can. fin. 24. q. 1.) ab hæretico baptiſmum ſuſcipere, at non Euchariſtiam: tum quia non poteſt Euchariſtia ſine communione recipi, nam eſt ipſa ſynaxis, tum quia paſſim in baptiſmo formam ſeruant legitimam, ſed in Euchariſtiæ myſterio ſolent formam Eccleſiæ peruertere: Adde quòd hæretici recentiores hoſtes ſunt Sacerdotij Euangelici, & præfractè negant, ac funditùs deſtruere nituntur noui Teſtamenti ſacrificium; indigni ſunt igitur, qui ſacrificio iuuentur, & pro eis ad altare Domini ſupplicetur. Accedit quòd omnes hæretici manifeſti præſertim, ſunt ipſo iure excommunicati, eodem titulo *de Hæreticis* Cap. *ſicut ait B. Leo*, & cap. *ad abolendum.* Verùm Eccleſia diſtrictè prohibuit orare pro excommunicatis, Cap. *A nobis. de ſent. Excommunicationis.* Et conſequenter pro hæreticis, itidémque pro ſchiſmaticis, nam iſti illis æquiparantur c. 3. *de hæreticis*, & gloſ. *conſtat*, & gloſ. ſeq. in can. *Eſaiam* 98. §. *Conſtat* 1. q. 1. licèt certa ratione differant, nam peccat hæreticus contra fidei veritatem, ſchiſmaticus verò aduerſus Eccleſiæ Catholicæ vnitatem: peccant igitur vix impari crimine. Hæreticus omnis ſchiſmaticus eſt, ſed non continuò conuertitur gloſ. 1. in can. *inter hæreſim* 24. q. 3. At ſchiſmaticus initio turbat Eccleſiæ pacem, tum doctrinam corrumpit, & paulatim in apertam hæreſim erumpit: Quamobrem vix ſchiſma ſine hæreſi ſerpit (gloſ. in can. *Per Iſaiam* 98. &c.) in quam demum apertè degenerat; ideóque horret Eccleſia Catholica & tanquam hoſtes & peſtes à ſuorum ſchiſmaticos repellit filiorum conſortio; ſchiſmáque maximè docet fugiendum can. *quæ dignior* 24. q. 1. inſuper prohibet cum eis orare, can. *non liceat* 67. q. 1. nec communionem de eorum manibus recipere, can. *ſuperueniente* 72. 1. q. 1. His igitur ex principiis ſequitur pro eis orare aut offerre haud eſſe licitum.

Verumtamen pro hæreticis & ſchiſmaticis Eccleſia ſolenniter orat in ipſo die

ſacro Paraſceues : Oremus (inquit Sacerdos) *& pro hæreticis & ſchiſmaticis, vt Deus ac Dominus noſter eruat eos ab erroribus vniuerſis, & ad ſanctam matrem Eccleſiam Catholicam atque Apoſtolicam reuocare dignetur. Oremus.* dicit Diaconus, *Flectamus genua, leuate.* Tum Sacerdos perſequitur, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate depoſita errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum &c.* Porrò Eccleſia non aliter canit, aliter credit; aut aliter ſentit, aliter facit. Orat ſpecialiter ad altare pro hæreticis & ſchiſmaticis: Sic igitur apertè docet ac profitetur pro illis orari & offerri poſſe, quamuis excepta illa oratione in die ſancto Paraſceues, nullibi expreſsè pro hæreticis & ſchiſmaticis orat, imò in Canone Miſſæ videtur hæreticos intelligere exceptos, ſignatim enim Sacerdos ait ſe offerre *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.* Indicat igitur excluſos eſſe omnes heterodoxos & ſegreges ab huius ſacrificij fructu : Tales enim quia recta fide & vnione carent, neque Chriſto capiti, neque cæteris Eccleſiæ membris connectuntur, vt docet S. Thomas 3. p. q. 79. a. 7. Gabriel Biel ſuper can. Miſſæ lect. 25.

Cæterùm hæc, quæ diſſona videntur, facilè conciliari poſſunt. Card. Bellarminus lib. 2. de Miſſa c. 6. §. *Sed quamuis*, dicit ſacris canonibus prohibitum quidem eſſe offerre pro hæreticis & ſchiſmaticis ſacrificium directè & expreſsè, concedit igitur licitum eſſe indirectè & implicitè. Et §. rurſus eodem cap. vbi quærit, *vtrum liceat hoc tempore ſacrificium offerre pro hæreticorum & aliorum infidelium conuerſione?* Reſpondet ſe id fas eſſe arbitrari, modò nihil addatur ad Miſſam, ſed ſolùm per intentionem Sacerdotis applicetur ſacrificium conuerſioni infidelium ſiue hæreticorum, *Idque pios & doctos viros habere*, ait, *in praxi, quos reprehendendos non putat, cùm neque contrà extet expreſſa Eccleſiæ prohibitio:* Cenſet tamen tutiſſimum eſſe quod alij faciunt, qui intentionem ſuam ita moderantur, vt directè intendant offerre pro augmento, vnitate, & pace illius Eccleſiæ quæ inter hæreticos, ſchiſmaticos aut infideles quoſuis conuerſatur : Qui enim ita offerunt eundem effectum quem ſuperiores habent; Non enim poteſt augeri, & vniri, ac pacificari Eccleſia in illis locis, niſi hæretici aut infideles conuertantur: Quem morem alteri ſuperiùs indicato Eccleſiæ ſenſui magis conuenire exiſtimat.

Si Patrum ſententia perquiratur, lux magna huic quæſtioni affulgebit: in primis S. Auguſtinus in Pſ. 65. *Quicumque*, inquit, *in Eccleſia eſtis, nolite inſultare eis qui non ſunt intus, ſed orate potiùs, vt & intus ſint.* Et ſerm. 50. de verbis Domini circa finem, *Orate & pro diſperſionibus, veniant & ipſi agnoſcant, & ipſi ament.* Et in Pſal. 82. verſus finem hortatur, *vt impendamus in eos magnam charitatem & abundantem miſericordiam in deprecando Deum pro illis.* Cæterùm S. Leo hac eleganti piáque parænesi admonet fideles de eodem officio pietatis his miſeris exhibendo, ſerm. 4. de ſolennitate Epiphaniæ. *Eccleſiaſticum ſanè* (inquit) *atque diuinitùs inſtitutum non ſolùm inhibemus, ſed etiam incitamus*

affectum, vt etiam pro talibus (de hæreticis agit) *nobiſcum Domino ſupplicetis; quorum & nos deceptarum animarum minùs cum fletu & mœrore miſeremur, exequentes Apoſtolicæ pietatis exemplum, vt cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus: ſperamus enim exorandam miſericordiam Dei multis lacrymis & legitima ſatisfactione lapſorum; quia dum in hoc corpore viuitur, nullius deſperanda reparatio, ſed omnium eſt optanda correctio.* Mediatus eius anteceſſor Cœleſtinus I. cuius auctoritate Oecumenica ſynodus Epheſina conſedit, epiſtola 1. ad Epiſcopos Galliæ contra Pelagium & Cœleſtium, idipſum his verbis docuerat: *Sanctarum plebium Præſules* (inquit) *mandata ſibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam, humani generis agunt cauſam & tota ſecum congemiſcente Eccleſia poſtulant & precantur vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum diuinæ charitatis accipiant, vt lapſis remedium pœnitentiæ conferatur, vt denique Catechumenis ad regenerationis Sacramentum perductis, cœleſtis aula miſericordiæ reſeretur.* Subſcribunt huic doctrinæ alij Patres præcipui. S. Chryſoſtomus hom. de Adam & Eua, & hom. 6. ad c. 2. ep. 1. ad Timoth. Et S. Epiphanius epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum, & plerique poſteriores &c. Cæterùm ad huius doctrinæ concentum reuocandi ſunt canones præſignati, ita vt benignè intelligantur, non abſolutè vetuiſſe offerri aut orari pro hæreticis & ſchiſmaticis, ſed ſpecialiter tantùm aut directè, non autem generaliter & indirectè. Quamuis etiam ſpecialiter & directè (per modum ſuffragationis) illis hæc pia ſubſidia ad ſalutem præſtari poſſe, piâ magis ſententiâ plerique arbitrentur: quorum iudicio, non obſtare (vt reor) canonicas ſanctiones, proximè ſequenti Articulo fiet ſatis perſpectum.

ARTICVLVS VII.

De excommunicatis, atque induratis peccatoribus.

POTIOR ratio, quæ nonnullos eam in opinionem induxit, vt abſolutè eſſe prohibitum legibus Eccleſiaſticis cenſerent orare, vel offerre pro hæreticis & ſchiſmaticis, ex hoc principio ſumitur, quòd ij omnes ipſo iure excommunicati ſunt. At verò cap. *ſacris*, & cap. *à nobis* extra *de ſententia excommunicationis*, pro excommunicatis orare prohibetur. Sed modificatio eſt adhibenda, quam Concilium Conſtantienſe ſubiunxit, ſcilicet *ſi fuerint nominatim à iudice excommunicati, vel notorij Clericorum percuſſores.* Vnde ſequitur quòd quamuis hæreticus excommunicatus ſit à iure, ſeu à canone, (quando hæreſis non eſt purè mentalis) tamen non cenſeatur excommunicatus ab homine donec à iudice lata fuerit nominatim in eum ſententia, quemadmodum luculentiùs docet Nauarrus lib. *de oratione & horis Canonicis*, c. 19. concluſ. 6. & in Manuali c. 27. n. 36. Proinde ~~ſequitur nec~~ non cenſendi ſunt hæretici, nec ſchiſmatici, nec alij quicumque excommunicati hoc decre-

to contineri de non orando pro ipſis, niſi inciderint in duos caſus expreſſos à Concilio Conſtancienſi quod veteris iuris aſperitatem temperauit. Cui conſonant Extrauag. Martini V. *ad euitanda.* qua declaratur excommunicatus etiam à iure, quando de excommunicatione non patet: Et cap. *cùm non ab homine. de ſententia excommunicationis* in 6.

Nec obſtat quòd nulla pro excommunicatis in Miſſali extet oratio, nec quòd etiam Eccleſia quæ pro infidelibus & idololatris, perfidis Iudæis, hæreticis & ſchiſmaticis in ſacra Paraſceue ſolenniter orat, nullam pro excommunicatis proferat ſpecialem orationem. Reſponſio enim eſt aperta, ſiquidem excommunicatus (etiamſi ſit hæreticus,) etiamſi ſit extra Eccleſiam: tamen characterem ſemper vel baptiſmi, vel ordinationis.&c. retinet, & habet aptitudinem ad redeundum in gremium ſanctæ matris Eccleſiæ, cuius membrum eſt in potentia, etſi non in actu. Excommunicatus autem, qui nec hæreticus, nec ſchiſmaticus eſt, ſed tantùm peccator induratus. cenſeri non debet hæretico, vel ſchiſmatico, aut Iudæo, aut idololatra, aut infideli quouis deterior, pro quibus tamen Eccleſia propriè & ſpecialiter orat; non eſt igitur vero ſimile Eccleſiam illa die à pietatis ſuæ maternæ viſceribus, excludere excommunicatos, qui filij ſui ſunt, etſi immorigeri & rebelles, atque donec ad cor redeant, è domo paterna propter ſuam inobedientiam eiecti.

Pro iis igitur etiam Eccleſia orat, ſaltem ſub his clauſulis generalibus: *Oremus dilectiſſimi nobis, pro Eccleſia ſancta Dei, vt eam Deus & Dominus noſter pacificare & cuſtodire dignetur &c. Oremus, Flectamus genua, leuate. Omnipotens ſempiterne Deus qui gloriam tuam omnibus in Chriſto gentibus reuelaſti, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, vt Eccleſia tua toto orbe diffuſa ſtabilis in confeſſione tui nominis perſeueret. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. Oremus dilectiſſimi nobis, Deum patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat &c. vincula diſſoluat &c. Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſaluas omnes, & neminem vis perire &c.* Et id genus aliis obſecrationibus, quibus omnium ſalutem (præter damnatorum dumtaxat) profuſis charitatis viſceribus, & quantâ poteſt pietatis inſtantiâ deſiderat & poſtulat. Quia (vt ait loco ſuperiùs ſignato Leo Magnus) *dum in hoc corpore viuitur, nulla deſperanda reparatio, ſed omnium eſt optanda correctio.* Et ea ratio eſt cur Cardinalis Bellarminus, cùm obiectioni reſponderet factæ à Kemnitio ex S. Thoma, Paludano & Gabriele, qui aſſerunt Miſſam prodeſſe etiam illis ex opere operato, qui non habent in corde pœnitentiam: dicit hos Doctores loqui de ſacrificio, non de Sacramento; porrò ſacrificium prodeſſe impœnitentibus, per modum impetrationis, quia impetrat illis conuerſionem & pœnitentiam, quomodo etiam orationes noſtræ, licèt non tam efficaciter id faciant, lib. 2. de effect. Sacramentorum, c. 1. §. *Quinto probat ex S. Thoma.*

ARTICVLVS VIII.

De fidelibus viuentibus, ſeu populo ſancto Dei.

ASSISTENS *Sacerdos altari* (inquit S. Chryſoſtomus) *pro vniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus atque præſentibus, pro iis qui ante nos fuerunt, pro iis qui poſteà futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito, Deo nos gratias* (& preces) *iubet offerre;* Tametſi verò hoc ſacrificium pro omnibus offeratur, etiámque pro infidelibus, pro Iudæis, pro hæreticis, pro ſchiſmaticis &c. (ſaltem vt diximus) indirectè, & per modum piæ poſtulationis & deſideratæ impetrationis: Attamen directè & principaliter offertur *pro fidelibus & orthodoxis, & Catholicæ ac Apoſtolicæ fidei cultoribus*, vt canon diſertè habet. Hæc pars generis humani illa eſt, quam Patres plebem ſanctam appellabant, ſeu populum ſanctum Dei. Quæ nomina etiamnum permanent in vſu, ſiquidem die ſancta Paraſceues ait Sacerdos; *Oremus, Et pro omnibus Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis confeſſoribus, Virginibus, viduis, & pro omni populo ſancto Dei. Oremus, Flectamus genua, Leuate. Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur ac regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur. Per Dominum.* Et quotidie in canone ſtatim poſt calicis conſecrationem & eleuationem, Sacerdos dicit, *Vnde & memores Domine nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta*, id eſt fidelis, Catholica, conſiſtens in ſinu & gremio ſanctæ matris Eccleſiæ, in Chriſtiana pace &c. Dicuntur autem omnes fideles ſancti, non quòd omnes ſint ſancti actu, ſed vocatione, profeſſione, debito. Quamobrem Eccleſia etſi continet ſua in communione mixtim bonos & malos, iuſtos & peccatores, vocatur nihilominus ſancta, non tantùm propter inhabitantem in ſe Spiritum ſanctum, non tantùm reſpectu capitis ſcilicet Chriſti, qui eſt Sanctus Sanctorum & ſanctitas ipſa, non ſolùm quia ſemper habet fideles ſanctos & ſanctificatos actu: Sed quia reſpectu etiam ſui totius, eſt cœtus & congregatio fidelium qui vocati ſunt ad ſanctitatem, & ipſam fide & religione profitentur. Hinc Apoſtolus in exordio epiſt. ad Rom. *Omnibus* (inquit) *qui ſunt Romæ, dilectis Deo, vocatis Sanctis.* Et in principio Epiſt. 2. ad Corinth. *Eccleſiæ Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis.* Inter hos tamen plerique erant peccatores, vt patet ex his eius verbis, c. 13. *Ecce iam tertiò venio ad vos, in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Prædixi & prædico vt præſens & nunc abſens, iis qui antè peccauerunt & cæteris omnibus, quoniam ſi venero non parcam?* Et reipſa, 1. ep. 5. eos de variis delictis reprehendit, vtque cæteros terreret, inceſtuoſum graui animaduerſione corripuit. Habet igitur Eccleſia filios bonos & malos, ſanos & infirmos, iuſtos & peccatores. Pro iis autem omnibus orat & offert in diuino ſacrificio: quapropter Sacerdos in ſacro Canone diſertè profitetur ſe offerre ſacrificium *pro redemptione animarum noſtrarum, & vt ab æterna dam-*

damnatione nos iubeat Deus hac immaculata hoſtia placatus eripi, & in electorum ſuorum grege numerari. Per eundem Dominum &c. Verum eſt quidem illum orare & offerre generaliter pro omni populo Chriſtiano, ſpecialiter autem pro quibuſdam ſibi commendatis. At neminem prorſus excipit qui ſit membrum Eccleſiæ. *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, vt placatus accipias.* Odo Cameracenſis in expoſitione Canonis hæc verba, *cunctæ familiæ tuæ*, ſic exponit, *Id eſt*, inquit, *totius aſſiſtentiæ collectæ*. At arctiùs quàm par ſit: Sacerdos enim in exordio Canonis etſi commendat ſpecialiter circumſtantes, etiam quoſlibet orthodoxos ſua deprecatione complectitur, ſic enim orat, *Et pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus. Memento etiam Domine famulorum, famularúmque tuarum NN. & omnium circumſtantium, &c.* Meliùs igitur Stephanus ipſa verba *Et cunctæ familiæ tuæ*, de vniuerſo omni cœtu fidelium intelligit, Tract. de Sacram. altaris c. 13. *Hæc oblatio* (inquit) *non tantùm eſt Sacerdotis, ſed cunctæ familiæ, id eſt cleri & populi, & non tantùm aſtantis familiæ, ſed totius Eccleſiæ.* Nec obſtat quod in forma calicis ab ipſo Domino tradita expreſſim habeatur, *qui pro vobis & pro multis effunditur*: trita enim eſt ac vetus Theologorum diſtinctio, effuſus eſt ſanguis Domini pro multis efficaciter, at pro omnibus ſufficienter. Vnde S. Leo ep. 83. directa ad Palæſtinæ Epiſcopos circa med. *Effuſio pro iniuſtis ſanguinis iuſti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, vt ſi vniuerſitas captiuorum in redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Et infrà loquens de ſanctorum martyriis & Chriſti ſalutifera paſſione, *Quamuis* (inquit) *multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, vnius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt iuſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona iuſtitiæ: ſingulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit. Cùm inter filios hominum vnus ſolus Dominus noſter Ieſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſunt etiam ſuſcitati.* Cur non igitur omnes ſalui fiunt? Leonis ipſius ſanctiſſimi Pontificis egregius diſcipulus, ſcriba, & interpres, Proſper dictus Aquitanicus, ex eius & totius Eccleſiæ mente rectè & appoſitè reſpondet, * *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit. Sed ſi non bibitur, non medetur.* Proinde ſanguis Chriſti effuſus eſt pro omnibus quoad ſufficientiam, at pro multis tantùm quoad efficaciam, niſi enim bibitur, non medetur: non proficit niſi applicetur. Patet hoc euidenter ex ipſis Domini verbis, *Hic eſt*, inquit, *calix, nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. 22. 20. Atqui Iudas vnus ex iis erat. Vnde Marc. 14. 18. *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Igitur pro eo effuſus eſt Chriſti ſanguis, & tamen

* *In reſponſ. ad 1. obiect. Vincenty.*

non accepit remiſſionem peccatorum, ſed periit, vnde dictus eſt *filius perditionis* Ioan. 17. 12. Sanguis igitur Chriſti fuſus fuit pro eo ſufficienter; pro aliis verò Apoſtolis efficaciter, paríque modo effuſus eſt pro omnibus ſufficienter, nam *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, ſed pro multis efficaciter. hinc illud eiuſdem Apoſtoli, *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*, heb. 9. Omnium enim qui baptiſati ſunt, Chriſtus peccata expiauit, ſed finaliter tamen non exhauſit, ipſorum ſcilicet culpa, quia ſpiritui gratiæ contumeliam fecerunt, & ſanguinem teſtamenti in quo ſanctificati fuerant pollutum duxerunt, irámque ſibi in diem iræ theſaurizauerunt, iis ſolis qui ſic voluntariè peccant (finali ſcilicet impœnitentia) planè dicit Apoſtolus, *poſt agnitam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Heb. 10. 26. Quamobrem nec oratio, nec oblatio illis proficit. *Dabitur* (inquit dilectus Ieſu Diſcipulus 1. ep. 5. 16.) *vita peccanti non ad mortem. At vbi eſt peccatum ad mortem, non dico vt pro illo roget quis.* Quibuſque Chriſtianis igitur, exceptis his qui in finali impœnitentia moriuntur, multum valet & proficit Eccleſiæ deprecatio, at præſertim oblatio ſacrificij ſalutaris. Hinc in Liturgia S. Iacobi Sacerdos orat generaliter pro remiſſione peccatorum & pro venia erratorum, * *Pro omnibus præſentibus, & abſentibus, infirmis, nauigantibus, peregrinis, captiuis: Item pro omni anima Chriſtiana afflicta & vexata, miſericordia Dei indigente & auxilio Dei, & vt errantes reuertantur & redeant ad pietatem; vt infirmi conualeſcant, captiui liberentur, fideléſque qui obierunt in pace requieſcant.* Sic & in Liturgia ſancti Marci Sacerdos deprecatur, ** *Rex pacis, tuam pacem da nobis? viuifica animas noſtras, & non præualeat mors peccati contra nos, neque contra totum populum tuum: Ægrotos Domine populi tui &c. ſana, auerte ab eis & à nobis omnem morbum & infirmitatem, valetudinarios diuturnis morbis decubantes exſuſcita: ſpiritibus impuris vexatos ſana. eorum, qui vel carceribus, vel metallis, vel accuſationibus, vel condemnationibus, vel exiliis, vel amara ſeruitute, vel tributis diuexantur, miſerere, omnes liberato: quoniam tu Deus noſter qui ſoluis compeditos, qui erigis eliſos, ſpes deſperantium, auxilium deſtitutorum, ſpes lapſorum, portus naufragantium, omni animæ Chriſtianæ afflictæ & oberranti da remiſsionem, da refrigerium.* Sic & in Miſſa S. Baſilij ait Sacerdos, † *Memento Domine circumſtantis populi, & eorum qui abſunt &c. congrega diſperſos & reduc errantes & coniunge ſanctæ tuæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ; eos qui immundis ſpiritibus vexantur, libera: cum nauigantibus nauiga, cum viatoribus vnà iter ingredere; patrocinare viduis, orphanos protege, captiuos libera, ægrotos cura; eorum qui ſunt in carcere, metallis, exilio & omni afflictione memento Deus, & omnium qui indigent magna miſericordia tua, & eorum qui nos diligunt, & eorum qui oderunt, & eorum qui nobis indignis mandarunt vt pro eis oraremus, & totius populi tui memen-*

* *Vide p. 38 & 9. to. 2. Bibl. SS. PP. Græc.* hæc omnib: paſſim

** Βασιλεῦ [illegible] &c. [illegible] *Ib. p. 33. Liturg. S. Mar.*

† Μνήσθητι Κύριε [illegible] &c. [illegible] &c. *Ibid. pag. 54. Liturg. S. Baſily.*

to Domine Deus noſter, & in omnes effunde diuitem tuam miſericordiam omnibus præbens petitiones, quæ ſpectant ad eorum ſalutem, & quorum nos mentionem non fecimus propter ignorantiam, vel obliuionem, vel nominum multitudinem, ipſe Deus recordare, qui ſcis vniuſcuiuſque ætatem & appellationem, qui noſti vnumquemque ex vtero matris ſuæ. Tu enim Domine es auxilium eorum qui carent auxilio, ſpes deſperatorum, eorum qui tempeſtate agitantur ſeruator, nauigantium portus, ægrotorum medicus: ipſe omnibus omnia ſis &c. In Miſſa S. Chryſoſtomi fermè eadem habetur deprecatio, pag. 81. Idem ſpiritus vbique ſpirat. Latina Liturgia hæc omnia quamuis aliis verbis etiam habet: nam præter collectas pro omnibus ad quamcumque neceſſitatem diſpoſitas, & Miſſas proprias quæ in Miſſali Romano continentur, quotidie in Canone dicit Sacerdos ante conſecrationem, *ſe offerre, & à fidelibus quibuſque ſecum offerri hoc ſacrificium pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ* &c. Et paulò infrà precatur, *Vt hanc oblationem Deus placatus accipiat, diéſque noſtros in ſua pace diſponat, atque ab æterna damnatione nos eripi & in electorum ſuorum iubeat grege numerari.* Poſt conſecrationem orat generaliter & ſingulariter pro defunctis, & expleto canone ac Dominica oratione recitatâ, immediatè hanc orationem ſubiungit: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, & intercedente pro nobis Beata & glorioſa ſempérque Deigenitrice Virgine Maria cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, & omnibus Sanctis tuis, da propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum*, &c. Tum Agnum Dei præſentem ac incruenter immolatum obnixè ſic compellat & orat, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis*; omnibus ſcilicet, nullis exceptis, maximè *qui Chriſtiana profeſsione cenſentur.* Quod fit etiam in ſacra die Paraſceues, ſolennibus illis precibus quas Sacerdos recitata Domini Paſſione fundit; Orat enim pro vniuerſa Eccleſia, pro Papa, pro omnibus Epiſcopis, Preſbyteris, & cunctis Eccleſiaſticis Ordinibus, omníque populo ſancto Dei, ſpecialiter pro Rege, & deinde generalem hanc ſupplicationem adiungit: *Oremus dilectiſſimi nobis Deum Patrem omnipotentem, vt cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula diſſoluat, peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, nauigantibus portum ſalutis indulgeat. Oremus*, Diaconus dicit, *Flectamus genua, leuate.* Sacerdos perſequitur, *Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perueniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium; vt omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum* &c. In vetuſto codice Miſſali, ritu Gallicano Miſſa extat propria pro peccatis, cuius introitus eſt eiuſmodi: *Miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcis illis, quia tu es Dominus Deus noſter.* Secreta ſic habet, *Hoſtias tibi Domine placationis & laudis offerimus, vt & delicta noſtra miſeratus abſoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum* &c.

CAPVT VII.

Quo fine Miſſæ ſacrificium offerendum eſt.

EX diſtinctione quadruplici ſacrificij huius venerabilis, quadruplex etiam finis præcipuus, ob quem offerri debet vel poteſt, haud difficilè colligitur: ſiquidem hoc cœleſte & planè diuinum ſacrificium conſideratur, vel vt λατρευτικὸν, ſeu σεβαστικὸν, quaſi dixeris honorarium, & ἱλαστικὸν, expiatorium, & ἐπιτευκτικὸν impetratorium; & εὐχαριστικὸν, quo debitas Deo gratias referimus.

ARTICVLVS I.

Miſſæ ſacrificium offertur præſertim, ad Deum colendum, ſummo obſequio & honore.

HONORARIVM igitur hoc ſacrificium primò appellatur, quia primarius finis huius actionis & obſequij, eſt Deum immediatè colere, videlicet cultu latriæ illi ſoli debito: ideo S. Cyrillus in epiſt. ad Neſtorium rectè appellat Euchariſtiam, ***Latriam incruentam***, nam cruenta in crucis ſacrificio peracta fuit; tunc enim etſi Chriſtus ediderit perfectiſſimas actiones charitatis, patientiæ, fortitudinis, humilitatis, obedientiæ, vt Apoſtolus prædicat Rom. 5. Philipp. 2. Heb. 12. tamen mors eius fuit propriè actus religionis, nam Chriſtus ſe præcipuè in mortem obtulit, vt eſſet oblatio, & ſacrificium Deo ad ſatisfaciendum eius iuſtitiæ pro peccatis totius mundi, & ei gloriam & honorem ſuum reſtituendum, quem homo ipſi per peccatum (quantum fuerat in ſe) abſtulerat; vnde Apoſtolus ait, *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*, id eſt in odorem ſuauiſſimum, gratiſſimum, & acceptiſſimum, quia ſe totum obtulit in holocauſtum perfectiſſimum & puriſſimum, effuſo toto ſanguine, ipſóque profuſo ſpiritu, & immolato ſuper lignum crucis, in extremis doloribus, ſuo immaculato corpore. Fuit igitur hæc latria cruenta & ſacrificium Deo dignum, quia nunquam excellentius holocauſtum oblatum Deo fuerat, vel vnquam poteſt magis dignum & pretioſum diuinæ Maieſtati exhiberi. At Euchariſtia eſt latria incruenta, quia eadem prorſus eſt hoſtia, idémque ſummus Sacerdos, idémque ſacrificium quoad rei oblatæ, ac præcipui offerentis eſſentiam, dignitatem & excellentiam. Inſtitutum enim fuit hoc ſacrificium non ſolùm in commemorationem Chriſti paſſionis & mortis, eiúſque meriti circa nos applicationem: ſed vt eſſet religionis præcipuum & perenne officium, quo ad agnitionem noſtræ infirmitatis, & profeſſionem Dei ſupremæ Maieſtatis, rem eiuſmodi omnium excellentiſſimam ipſóque digniſſimam ei offerremus, ſicque ſupremo venerationis actu & affectu ipſum coleremus.

Epheſ. 5. 2.

Religionis Chriſtianæ excellentia potiſſimùm in ſeptem rebus conſiſtit. 1. In ſublimitate & rectitudine doctrinæ. 2. In perfectione & ſanctitate legis. 3. In perpetua aſſiſtentia & gubernatione Spiritus ſancti. 4. Quòd omnia opera iuſtorum & fidelium faciat ipſius diuini Spiritus (per gratiam inhabitantis) virtus, eſſe non tantùm bona, & Deo grata, ſed etiam meritoria vitæ æternæ. 5. In præſtantia & efficacitate Sacramentorum: habent enim vim delendi peccata, conſtituendi nos filios Dei, eiúſque regni legitimos hæredes & perpetuos poſſeſſores. 6. In excellentia Sacerdotij; nam Sacerdotium noſtrum continet duplicem poteſtatem prorſus diuinam, ac ideo cœleſtibus ſpiritibus ſtupendam: nimirum poteſtatem conſecrandæ hoſtiæ ſacræ ſeu Euchariſtiæ, & poteſtatem condonandi peccata. Quanta res eſt dimittere peccata quantumlibet grauiſſima, liberare à morte æterna, ſanctificare animas, & tribuere ius vitæ æternæ? Poteſtas attamen conſecrandi longè magis eſt ſtupenda, adeovt cum poteſtate creandi conferri, eique non immeritò poſſit æquiparari; nulla itaque dignitas, nulla poteſtas ſiue Regia ſiue Imperatoria, nec ipſa quidem totius mundi Monarchia, cum Sacerdotali dignitate & poteſtate, vlla ex parte conferri poteſt. Hæc ſanè quanto magis conſideratur, tanto plus admirabilis & ſtupenda deprehenditur. 7. Præſtantia Chriſtianæ religionis conſtat in excellentia eius ſacrificij, ſacrificium enim eſt primarium religionis munus, præcipua perfectio, & abſolutum complementum: decebat igitur vt excellentiſſima Religio nobiliſſimum haberet ſacrificium, quale eſt ſacrificium Euchariſtiæ, à quo ipſa Chriſtiana religio præcipuam ſuam excellentiam mutuatur, hoc enim Deus ſummè colitur, nec maiori aut digniori ſacrificio honorari poteſt, ſicut in huius libri c. 1. liquidò fuit demonſtratum. Spiritus ſanctus qui adorare Patrem per Filium, totámque ſimul Trinitatem in hoc diuino myſterio, quod cultus ſummus eſt, Eccleſiam vniuerſam perpeti ſuo afflatu edocuit: Eò ſpectare illud religionis munus præcipuum inſpirauit, quo diuina ipſa Maieſtas, propter ſupremam ſuam excellentiam, rectè & adæquatè (vt ita dicam) coleretur. ſpiritus hic ſeſe manifeſtè prodit & indicat in omnibus Liturgiis, in quibus ſemper Sacerdos Deum glorificat, colit, & aſſerit laudandum & adorandum ab omnibus, in omnibus, per omnia, & ſuper omnia propter ſuam ſummam excellentiam, bonitatem, iuſtitiam, ſapientiam, omnipotentiam, ſanctitatem, æternitatem, maieſtatem, magnificis præconiis. In Liturgia S. Iacobi fratris Domini, Sacerdos cùm primùm aſſiſtit altari, laudis & honoris ſacrificium his verbis intonat atque auſpicatur: * *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, trino & vni lumini diuinitatis, quod eſt ſingulariter in trinitate, & quod ſine diuiſione diuiditur. Trinitas enim Deus vnus omnipotens, cuius gloriam cœli enarrant, terra verò eius dominationem, & mare eius omnipotentiam, & omnis creatura, ſiue ea ſenſu aliquo ſentiatur, ſiue ratione tantùm intelligatur, eius magnificentiam ſemper prædicat; quia eum omnis gloria, honor, potentia, magnificentia, & decus decet nunc & ſemper &*

Tom 2. Græco-Lat. Bibliot. SS. PP. p. 1. & 2.
* Δόξα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, τῷ τριαδικῷ καὶ ἑνιαίῳ φωτὶ τῆς θεότητος, τῆς ἐν τριάδι μοναδικῶς ὑπαρχούσης, καὶ διαιρουμένης ἀδιαιρέτως· τριὰς γὰρ εἷς θεὸς παντοκράτωρ, οὗ τὴν δόξαν οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται· ἡ δὲ γῆ, τὴν αὐτοῦ δεσποτείαν· καὶ ἡ θάλασσα τὸ αὐτοῦ κράτος· καὶ πᾶσα αἰσθητὴ καὶ νοητὴ κτίσις τὴν αὐτοῦ μεγαλειότητα κηρύττει πάντοτε.

in ſæcula ſæculorum, Amen. Et poſtquam Cantores cecinerunt, ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς, Sacerdos inclinans ſe orat & ſubinde dicit: [b] *Altare tuum ingreſſi, beatúmque & ter ſanctum hymnum recinentes vnà cum cœleſtibus virtutibus, illum citra vllam tui offenſionem tibi mittamus: ac tibi grato & diuino oblato ſacrificio digni habeamur vita æterna.* Tum exclamat, *Quoniam ſanctus es Domine Deus noſter, & in ſanctis habitas & requieſcis, & tibi gloriam ac ter hymnum ſanctum illum mittimus, Patri, & Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Tu qui es ſolus Dominus & miſericors Deus.* Et infrà: [c] *Domine Deus, qui nos creaſti, & in hanc vitam protuliſti, qui nobis viam ad ſalutem oſtendiſti, & benignè nobis myſteria cœleſtia detexiſti, quique nos huic miniſterio peperiſti in virtute Spiritus ſancti tui, placeat tibi Domine, vt miniſtri ſimus tui noui Teſtamenti ac ſacrificij &c. Reſpice in nos, & ad hoc rationale obſequium intuere, ídque accipe vt Abel dona accepiſti, Noë ſacrificia, Moyſis & Aaronis Sacerdotia, Samuel pacifica, Zachariæ incenſum: vt de manu Apoſtolorum tuorum verum hunc cultum accepiſti &c.* Illa enim præcedentia erant tantùm figuræ & typi ſingularis huius ſacrificij, quod ſancti Patres verum, plenum, perfectum, & ſummum appellare ſolent. Porrò in Miſſa S. Marci Sacerdos poſt introitum ſuum ad altare, ad incenſum hanc enunciat precem: [d] *Domine Deus noſter, qui duodena luce lucentem lampadem duodecim Apoſtolorum elegiſti, & eos in vniuerſum mundum miſiſti, vt prædicarent & docerent Euangelium regni tui: ita & nos inſpira circumſtantes ſeruos tuos in introitu ſacri miniſterij &c. vt in corde mundo, & conſcientia pura tibi hoc incenſum offeramus in odorem ſuauitatis &c. gratia & commiſerationibus & benignitate vnigeniti Filij tui, per quem & cum quo tibi gloria & imperium cum ſanctiſſimo & bono & viuifico Spiritu nunc & ſemper in ſæcula ſæculorum, Amen.* Hinc Sancta ingrediens Sacerdos, ad altare ſic orat: [e] *Sancte, ſumme, tremende, qui in ſanctis requieſcis Domine, ipſe nos ſanctifica, nóſque dignare tremendo tuo Sacerdotio, nóſque ſiſte venerando altari tuo, ſanctifica mentem & animam noſtram, & da nobis ſanctorum patrum noſtrorum Ritum obſeruare cum timore tuo, tu enim es qui benedicis & ſanctificas vniuerſa, & tibi gloriam & gratiarum actionem offerimus.* Et paulò infrà, *Quia te decet omnis gloria, honor, adoratio & gratiarum actio, Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Et infrà inchoat antiphonam, ſeu oblationem verbis præfationem noſtram æquiualentibus: [f] *Verè quippe dignum & iuſtum, ſanctúmque & decorum, atque animabus noſtris vtile, qui es dominator Domine, Deus Pater omnipotens, te laudibus & hymnis celebrare, tibi gratias agere &c. qui om-*

[illegible] αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν.

[b] [illegible] Λειτουργίας [illegible] ζωῆς. Ἐκφώνησις. Ὅτι ἅγιος εἶ κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ ἐν ἁγίοις [illegible] δόξαν, καὶ τὸν τρισάγιον ὕμνον [illegible], τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. pag. 4.

[c] Κύριε ὁ θεὸς ὁ κτίσας ἡμᾶς [illegible] &c.

Ναὸ [illegible] Ἄβελ τὰ δῶρα, Νῶε τὰς θυσίας, Μωσέως καὶ Ἀαρὼν τὰς ἱερωσύνας, Σαμουὴλ τὰς εἰρηνικάς, Δαβὶδ [illegible], Ζαχαρίου τὸ θυμίαμα [illegible] p. 11. [d] [illegible] Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν [illegible] &c. [illegible] &c. [illegible] pag. 28. [e] Ἅγιε, ὕψιστε, φοβερέ, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, κύριε, αὐτὸς ἡμᾶς ἁγίασον [illegible] &c. [illegible] &c. [illegible] pauló infrà. [illegible] πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ &c. pag. 31. [f] Ἀληθῶς γὰρ ἄξιόν ἐστι καὶ δίκαιον, ὅσιόν τε καὶ πρέπον, καὶ ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς [illegible]

nia feciſti per ſapientiam tuam & lucem veram, vnigenitum filium tuum Dominum & Deum & ſeruatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem tibi cum ipſo & Spiritu ſancto gratias agentes, offerimus rationabilem & incruentam oblationem hanc, quam offerunt tibi Domine omnes gentes ab ortu ſolis vſque ad occaſum, à ſeptentrione ad meridiem, quia magnum nomen tuum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini tuo ſancto, & ſacrificium, & oblatio munda. In Liturgia S. Baſilij in ipſo Miſſæ exordio, ſtatim ac ingreſſus dixit Sacerdos orationem propoſitionis, hanc clauſulam ſubiungit alta voce: *Quia ſanctificatum & glorificatum eſt vndequaque pretioſum & magnificum nomen tuum, &c. in ſecula &c.* Túmque dicit etiam clara voce, * *Benedictum regnum Patris & Filij & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.* reſpondet populus, *Amen.* Et infrà ibidem alta voce, *Quia te decet omnis gloria, honor, & adoratio &c.* Tum dicto ſacro ad præſentes monitu, *Surſum corda &c.* ſubnectit, * *Domine Deus pater omnipotens adorande, verè æquum & iuſtum eſt & tuæ ſanctitatis magnificentiæ conueniens, te laudare, te celebrare, te benedicere, te adorare, tibi gratias agere, te verè glorificare, qui verè Deus ſolus es, & tibi offerre in corde contrito, & ſpiritu humilitatis rationalem hunc cultum noſtrum.* In Liturgia ſancti Chryſoſtomi eadem paſſim habentur, at poſt conſecrationem adiungit Sacerdos: *Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, & oramus te Domine Deus noſter: Præterea offerimus tibi hunc rationabilem & incruentum cultum.* Et infrà Diaconus inclinato capite dum videt Sacerdotem adorantem, & ipſe adorat, Sacerdos autem orat ſecretò proferens adorationis formulam; *Gratias agimus tibi* (inquit) *Rex inuiſibilis qui infinita tua potentia omnia fabricatus es &c. Ipſe Domine è cœlo reſpice ad eos qui inclinauerunt tibi capita ſua, non enim inclinarunt carni & ſanguini, ſed tibi veritati, terribili Deo:* Et dum ſuffumigat ſanctam menſam: *Exaltare ſuper cœlos Deus & ſuper omnem terram gloria tua, perpetuò, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Tibi gloriam & gratiarum actionem & adorationem offerimus &c.* In Miſſa Moſarabe in Hiſpaniis dudum peculiari more recitata, quæ Toleti etiamnum in Cathedrali Eccleſia & nonnullis Parochiis ſeruatur, Sacerdos à diuina glorificatione incipit dicens: *Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui ſancto in ſecula ſeculorum, Amen:* Et poſt decantatum hymnum Angelicum, *Gloria in excelſis &c.* expletíſque aliis precibus & ritibus præparatoriis ad diuinam oblationem, alta voce dicit, *Hagios, Hagios, Hagios, Domine Deus æterne tibi laus & gloria.* In Miſſa Chriſtianorum apud Indos, Deo trino & vni cultum latriæ ſic Sacerdos defert, *Adoretur & glorificetur, honoretur & exaltetur, laudetur, & benedicatur in cœlo & in terra ſupergorioſum nomen Trinitatis tuæ præclariſſimæ, omni tempore rerum, omnipotens Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Amen. Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis miſerere nobis.* Deinde mixta aqua cum vino Sacerdos ait: *Expectans expectaui Dominum, panem ſanctum, & calicem pretioſum ſuper ſanctum altare offerimus, timore pariter & honore, & cum Angelis clamemus Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noſter &c. Offeratur & gloria immoletur Trinitati tuæ ſupergorioſæ in ſecula*

ἐποίησας, δι' οὗ Ἰησοῦ Κυρίῳ Θεῷ, καὶ σωτῆρι ἡμῶν, σὺν αὐτῷ, σὺν ἁγίῳ πνεύματι εὐχαριστοῦντες, &c. ταύτην δὲ ἀναίμακτον διὰ τῆς σοφίας, τοῦ φωτὸς, τοῦ ἀληθινοῦ, τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Δι' οὗ σοὶ σὺν αὐτῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι εὐχαριστοῦντες, προσφέρομεν τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην, ἣν προσφέρει σοι κύριε πάντα τὰ ἔθνη ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου καὶ μέχρι δυσμῶν, ἀπὸ ἄρκτου καὶ μεσημβρίας, ὅτι μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί σου τῷ ἁγίῳ, καὶ θυσία καὶ προσφορά. *Liturg. S. Marci & pag. 32.*

* P. 42.

* P. 79.

P. 83.

P. 86. & 87.

Tom. 6. Biblioth. SS. PP. p. 103.

P. 134. 135.

ſæculorum. Et Ieſus Chriſtus Dominus noſter Dei filius, qui oblatus eſt pro ſalute noſtra, & præcepit nobis vt ſacrificemus in memoriam paſſionis, mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis eius, ſuſcipiat ſacrificium hoc de manibus noſtris per gratiam & amores ſuos in ſæcula ſæculorum. Deinde ſuperponens altari oblata ſub ſilentio dicit, *Conſtituantur & ordinentur myſteria hæc ſupergloriosa & ſancta, vitam conferentia ſuper altare ſanctum Chriſti, vſque ad glorioſum è cœlo ipſius aduentum, cui eſt laus, & gloria, & adoratio, modò, & omni tempore, & in ſæcula ſæculorum.* Latina Liturgia nihil altius ſpirat, quàm cultum hunc latreuticum. Incipit ſacrificium à diuina glorificatione, in introitu enim gloriam Patri, & Filio, & Spiritui ſancto Sacerdos pronuntiat: Hymnus Angelicus paulopòſt ſequitur, in quo cultus ſupremi hæc præconia perſonant, *Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te; gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine Deus Rex cæleſtis, Deus Pater omnipotens: Domine Deus vnigenite Jeſu Chriſte. Cum ſancto Spiritu in gloria Dei Patris Amen.* Porrò in celebri illo præconio quod præfationem appellamus, vbi iubemur à Sacerdote, ſurſum corda erigere, gratias Domino Deo noſtro dignas & iuſtas agere, directâ tum ad Patrem qui prima perſona eſt ſummæ & indiuiduæ Trinitatis apoſtrophe, hac clauſula, quæ choros Angelicos cum humanis iungit, hanc ita concludit celebrem glorificationem: *Per Chriſtum Dominum noſtrum; per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates; cœli cœlorúmque virtutes, ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant; Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes.* Tum Clerus & populus pleno concentu Triſagium modulantur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. pleni ſunt cœli & terra gloria tua, Hoſanna in excelſis, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* Et hæc quidem omnia ante Canonem. Sed in ipſo canone nihil tam elucet, quàm ſupremus ille cultus: ſiquidem ſacrificium hoc Sacerdos ſæpe ſæpius profitetur ſeſe, cum vniuerſa Eccleſia, & pro omni Eccleſia, & cunctis fidelibus offerre, ſoli Deo in ipſius maieſtatis honorem, gloriæ eius confeſſionem, nominis magnificationem, bonitatis prædicationem, gratiæ & miſericordiæ implorationem, omnipotentiæ & ſupremi rerum omnium imperij agnitionem ac adorationem: ideo dicit ſe, & omnes fideles hanc immaculatam hoſtiam offerendo, non tantùm verbis illum colere, *Sed reddere vota ſua æterno Deo viuo & vero.* Et poſt conſecrationem, *Offerimus* (inquit) *præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.* Et infrà, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Denique myſticam illam formulam hac coronide concludit: *Per ipſum* (Chriſtum ſcilicet) *& cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria, Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.* Factáque communione & abſoluto ſacrificio ſic demum Sacerdos perorat: *Placeat tibi ſancta Trinitas hoc obſequium ſeruitutis meæ, & præſta vt ſacrificium quod oculis tuæ Maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihíque & omnibus*

pro

pro quibus illud obtuli ſit te miſerante propitiabile. Ex qua diuini myſterij clauſula, meridiana luce clariùs apparet ſacro-ſanctum illud ſacrificium, à primario ac præcipuo fine latreuticum & honorarium eſſe, vt pote inſtitutum & deſtinatum, ad cultum latriæ, adoratione illa perfectiſſima, & digniſſima hoſtia, diuinæ Maieſtati referendum: quamuis & alios fines ſpeciales habeat, vt ſuperiùs expoſitum eſt, & mox adhuc patebit.

ARTICVLVS II.

Idem offertur, ad Deum placandum, & peccata noſtra expiandum.

DICITVR ideo Miſſa ſacrificium ἱλαστήριον, expiatorium, quo ſcilicet numen diuinum placamus & propitium reddimus, quando illud offerimus. Paucis quidem ſed luculentis verbis hoc docet & declarat poſtrema Oecumenica Synodus, ſeſſ. 22. c. 2. *Huius* (inquit) *oblatione placatus Dominus, gratiam* (ſcilicet excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit: Vna enim eadémque eſt hoſtia, idémque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa.* Hæc eſt fides & doctrina conſtantiſſima Catholicæ Eccleſiæ. A qua præcipuè hoc in articulo omnes recentiores ſectarij diſſentiunt, ſed potiſſimùm Caluiniſtæ: in colloquio ſiquidem Piſſiacenſi, tametſi aliquam ſpem Catholicis fecerint de concordia quoad ſacramentum ineunda, adeo vt proximè acceſſerint ad realis præſentiæ corporis Chriſti in ipſo Sacramento, confeſſionem: de ſacrificio tamen vt aliqua ex parte conuenirent nullatenùs perſuaderi potuerunt. In hoc articulo tamen diuerſas, aduerſáſque opiniones temporis ſucceſſu tenuerunt; primùm ſiquidem, quia ipſorum fidei confeſſio, vnicum Chriſti ſacrificium *art. 17.* quod in cruce obtulit, agnoſcebat, penitùs denegârunt vllum in Eccleſia dari poſſe externum ſacrificium, ipſámque Euchariſtiam ſimplex eſſe Sacramentum, porrò nullatenùs ſacrificium exiſtimandum, ſumma pertinacia contenderunt. Deinde vi auctoritatum & rationum compulſi, quas Catholici ad aſſerendum Euchariſtiæ ſacrificium afferunt, ſenſim eò deuenerunt, vt Euchariſtiam eſſe ſacrificium faterentur: ſed latè & impropriè ſumptum; poſtmodùm etiam conceſſerunt eſſe verè & propriè ſacrificium, ſed laudis & gratiarum actionis. Tandem etiam eſſe ſacrificium commemoratiuum paſſionis & mortis Domini, imò etiam repræſentatiuum ſacrificij crucis (ſed neutiquam applicatiuum) inuitè licèt, apertè tamen conceſſerunt.

Quamobrem Petrus Molinæus qui ætate noſtra (licèt ætate haud parum nobis prouectior) Caluiniſmum ſumma induſtria, nec minori acrimonia contra præcipuos Eccleſiæ Catholicæ defenſores, Eminen-

tiſſimos Cardinales Robertum Bellarminum & Iacobum Peronium propugnauit, in eo totus eſt vt Miſſam ſeu Euchariſtiam, quam libentiùs *Cœnam* appellat, ſacrificium propitiatorium eſſe & expiatorium, ſeu applicatiuum ſacrificij crucis, inficietur: nullúmque lapidem non mouet, quo articulum huiuſmodi (qui ſectæ ſuæ faſtigium eſt) ſtabiliat atque perſuadeat. In libro ſiquidem ſuæ Nouitatis (quam Papatûs vocat) decimam Controuerſiam de ſacrificio Euchariſtiæ inſtituit, cuius caput inſcripſit primum de ſtatu quæſtionis, quam ne attigiſſe quidem vbi maximè oportebat Cardinalem Peronium criminatur, ait enim illum præfixo à ſcopo penitùs delapſum in futiles narratiunculas totum euagari; probare etenim fruſtrà contendere, Miſſam eſſe verè & propriè ſacrificium cùm hac in quæſtione cardo non vertatur, ſed ad duo tantùm capita reuocanda ſit, *Num ſcilicet Chriſtus verè in Euchariſtia immoletur? Et an ipſa ſit ſacrificium propitiatorium?* aſſumendo autem pro conceſſo quod maximè ipſi denegatur: *Conſtare pro certo* (inquit) *nec verè, nec realiter Chriſtum in Miſſa ſeu Cœna immolari. Porrò nec verè vllum aliud quàm Chriſti crucis & mortis dari Chriſtianis ſacrificium propitiatorium ſeu expiatorium.* Quia etenim Chriſti verum corpus realiter exiſtere in Euchariſtiæ Sacramento, cum Caluino eiúſque ſectariis non credit, haud mirum ſi offerri ipſum Chriſti corpus ac immolari hoc in myſterio confiteri detrectat: hoſtia enim debet eſſe præſens vt immoletur, abſurdúmque eſt aſſerere ibi poſſe immolari, vbi ipſa non adſit. Sed hæc prior quæſtio potiùs ad Sacramentum, quàm ſacrificium refertur, quamobrem polemici Theologi contra hæreticos de Euchariſtia ſcribentes, controuerſiam de reali præſentia, vbi de Sacramento Euchariſtiæ agunt, pertractare ſolent; ipſique etiam heterodoxi diſputatores eò reuocant celebrem hanc quæſtionem: Quam præfatus magnus Cardinalis Peronius accuratè diſcuſſit, ſolutiſque omnibus illorum argumentis plenè & ſuperabundè pertractauit luculento hoc opere, cuius titulus eſt, *Tractatus de ſancto Euchariſtiæ Sacramento, Tres in libros digeſtus. Quibus plena refutatio continetur libri P. Pleſſei Mornæi contra Miſſam; vnáque refelluntur cætera quæque aduerſariorum Eccleſiæ Catholicæ opera; Tam per collationem Sacramentorum nouæ legis cum Sacramentis antiquæ, quàm per expreſſionem hiſtoricam fidei vniuerſalis ipſius Eccleſiæ Catholicæ circa hoc Sacramentum, & ſingulas eius partes, ſecundùm omnium ſæculorum continuam ſeriem, & iuxta doctrinam ſanctorum eiuſdem Eccleſiæ Patrum, ac cæterorum auctorum; Adiuncto inſuper examine omnium Liturgiarum, necnon accurata demonſtratione vſus & praxis ipſius Eccleſiæ Catholicæ, circa conſecrationem, tranſubſtantiationem, adorationem, ac reliquos ritus venerabilis altaris Sacramenti.* Si ex hoc limpidiſſimo fonte aquas vitæ & veritatis Molinæus, ſuíque ſimiles haurire voluiſſent, qui ipſis è domo Dei patebat: venenum certè vel inuiti iamiam euomuiſſent, quo inflati fidem impugnant & Eccleſiam efferato ſpiritu perſequuntur. Paucis multa dicam; Cuique homini nullis ſcientiis ſuffulto, ſed prædito tantùm quo homines vt plurimum valent ſenſu communi (ſi quæ Cardinalis Peronius ſcri-

pſit inſigni illo in opere de Euchariſtia, voluerit quadam cum attentione perlegere;) non poſſe quin vera realíſque Chriſti corporis & ſanguinis in venerabili Sacramento præſentia prorſus certa & manifeſta appareat, digitóque Dei obſignata, & vniuerſi orbis ab ortu fulgentis Euangelij ad hæc vſque tempora, quibus nouitas iſta exorta eſt, patenti conſenſu obfirmata. Deſinat igitur Molinæus Cardinalem Peronium calumniari, quòd parcè & arctè nimis hanc quæſtionem pertractâric, & ne attigerit quidem nodum ipſius quæſtionis. Quòd ſi tam luculentum & copioſum opus piget Molinæum eiúſque ſymmyſtas aſſeclâſque peruoluere, quod an ſi in lucem prodierit vnquam ad ſuam perueniſſe notitiam ſolita arte paſſim diſſimulauit, in promptu via facilior & longè breuior conſpicua vel inuitis occurrit. Prodiit his ipſis diebus (cùm hæc ſcribo) opus prorſus incomparabile, æternáque dignum memoria, inſcriptum, *Tractatus, Methodum complectens, haud minus planam & facilem, quàm certam & ſecuram ad deuios quoſque conuertendum, qui ſe ab Eccleſiæ gremio & ſinu ſegregarunt. Auctore Eminentiſſimo Cardinale de Richelieu.* Qui quidem vbi lib. 1. & 2. de vera Chriſti Eccleſia eiúſque genuinis notis doctè & accuratè ſiquis vnquam diſſeruit, lib. 3. particularia ad dogmata progreſſus, ex profeſſo tractat *de præſentia reali Chriſti Domini in Euchariſtia.* Agit ſub hoc programmate vir ille per omnia magnus, cum aduerſariis, ipſóque Molinæo ex propriis eorum principiis: adeóque ſolidè & perſpicuè ipſam veram exiſtentiam demonſtrat, tot tantíſque rationibus & teſtimoniis confirmat, vt qui legerit, ſi ſapit quicquam, haud acquieſcere non poſſit. Satis enim hic vnus eſſe poteſt Tractatus, tametſi mole tenuis, ad Catholicum dogma vndequaque comprobandum. Quamobrem ſuperuacaneum foret hîc nouam de re tanta lucubrationem inire, cùm hæc quæſtio tamdiu ab hæreticis agitata, tótque libris à Catholicis explicata, atque à Conciliis pleriſque etiam generalibus definita, adeo feliciter fuerit ab inclyto hoc auctore pertractata, diſcuſſa & abſoluta, vt nihil deinceps circa eius dilucidationem deſiderari poſſit. Vincit ſic veritas, & in æternum aduerſus omnia hæreticorum mendacia præualebit. Cæterùm manente cum ineluctabili firmitate hoc Catholicæ fidei articulo, de reali Chriſti corporis & ſanguinis præſentia in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, nihil aduerſariis ſupereſt, quo Miſſæ ſacrificium queant inficiari. Hoſpiniano ardentiſſimo Caluiniſta aſſerente, corporali & reali ſtante præſentia, ſacrificium noſtrum euerti non poſſe, part. 2. hiſt. Sacram. fol. 5. & 131. Eſſet igitur cur hîc perpetuum ſilentium Molinæo iure imponerem; ſed tamen quia perfractè adeo negat vllum ſacrificium propitiatorium, niſi ſolum ſacrificium crucis, admittendum eſſe; contendítque ſpeciatim Euchariſtiam, eiuſmodi ſacrificium nec eſſe nec probari poſſe: vt ægro cerebro illius, helleborum afferamus, patienter quicquid graui hac inſania laborans effutiit, audiemus, eiúſque quàm futiles & pudendæ ſint ineptiæ propalam faciemus tam breui quàm ſincero argutiarum eius examine.

DIGRESSIVNCVLA POLEMICA

Pro vero Euchariſtiæ ſacrificio, eóque propitiatorio.

Contra Pet. Molinæum.

HOc ſuppoſito Axiomate: *Cui non conuenit definitio, nec conuenit definitum*, Molinæus nititur propoſita ſacrificij definitione ad ſuum genium efficta, euictum ire Euchariſtiam eſſe non poſſe ſacrificium propitiatorium. *Omnis oblatio* (inquit) *eſt actio quædam religioſa inſtituta à Deo, qua hoſtia vel res viſibilis ipſi conſecratur & offertur, eadémque deſtruitur ſiue in expiationem peccati, ſiue in gratiarum actionem. Definitio enim & eſſentia ſacrificij hæc quinque continet & includit. 1. Vt ſit actio religioſa inſtituta à Deo. 2. Vt ſit oblatio viſibilis. 3. Vt ab offerente ſit Deo conſecrata. 4. Vt dum ſit ſacrificium deſtruatur. 5. Quod ſi ſacrificium fuerit propitiatorium, neceſſum eſt, vt pretium redemptionis offeratur & immoletur ſiue in re & effectu, ſiue in commemoratione & figura. Vnde patet omnino eſſe impoſſibile quòd Miſſa in qua Chriſtum immolari Pontificij volunt, verè ſit & propriè ſacrificium, quia ſcilicet caret his quinque principiis, ex quibus eiuſmodi ſacrificium eſſentialiter conſtat.* Hactenùs Molinæus. Tametſi verò in hac ſacrificij definitione nonnulla ſint quæ meritò reprehendi poſſent: tamen abſque aliarum definitionum quas Catholici Theologi longè rectiùs præſcribunt, minimo præiudicio, vt cum aduerſario agam ſuis ex principiis, ſicque arctiùs eum ſuis propriis laqueis & nexibus conſtringam; ex hac ipſa quam aſſignat ſacrificij veri & propitiatorij definitione, Miſſam eſſe verè & propriè ſacrificium propitiatorium, breui quidem, ſed non minùs ſolida quàm perſpicua demonſtratione patefaciam, eodem ordine quo ipſe Molinæus ſua propoſuit argumenta.

PRIMA OBIECTIO MOLINÆI.

NVLLA *ratione Miſſa poteſt eſſe verum ſacrificium, & quidem propitiatorium: quia Deus, ſacrificare Chriſtum nunquam nobis præcepit.*

SOLVTIO.

CHRISTVM Deum eſſe verum, neque Lutherani, neque Caluiniſtæ hactenus abnuerunt: neceſſe eſt igitur fateantur quicquid iuſſit Chriſtus diuinum eſſe mandatum: At quum obtuliſſet Chriſtus Deo corpus ſuum & ſanguinem in vltima cœna, in gratiarum actionem & remiſſionem peccatorum, Apoſtolis ſuis (& ſic eorum ſucceſſoribus) præcepit vt hoc ipſum facerent in perpetuum: *Hoc facite in meam commemorationem*; igitur ſeipſum præcepit ſacrificari, qui præcepit offerri, nam quod fecit, facere commendauit. Præſentit Molinæus hoc reſponſum, atque ſic eludit Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. can. 2. *Vt probet* (inquit) *iſta ſynodus Euchariſtiam eſſe verum ſacrificium corporis Chriſti: allegat pro omni confirmatione hac verba Domini:* Hoc facite in meam commemorationem, *dicitque anathe-*

ma omnibus & ſingulis qui negatum ire auſi fuerint, iis verbis Domini, ordinem Sacerdotalem contuliſſe, ſimúlque mandatum dediſſe ſuis Apoſtolis realiter ſacrificandi corpus ſuum. Nullum eſt iſto deploratæ cauſæ euidentius indicium, quàm in id genus futilium probationum anguſtias adigi? violentior vllâne poteſt aut ineptior dari interpretatio verborum Domini, Hoc facite in meam commemorationem, *quàm hoc eſt gloſſema, Conſtituo vos Sacerdotes, hoc eſt ſacrificatores ad ſacrificandum corpus meum pro viuis & pro mortuis.* An verò Concilium hoc Oecumenicum, cui aperta facie refragari Molinæum non pudet, ſic nudè & crudè exponat Chriſti verba, textus ipſe canonis 2. 22. ſeſſ. quem ſignatim citat Molinæus, patenti indicio eſſe poteſt, ita verè ſe habet: *Si quis dixerit illis verbis* (ait ipſa ſynodus) *hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe vt ipſi aliíque Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, Anathema ſit.* Habet profectò duas partes canon iſte, alteram quòd Chriſtus Apoſtolos & eorum ſucceſſores Sacerdotes tunc conſtituerit, alteram quòd ipſis offerre ſuum corpus & ſanguinem præceperit. Sed dato quòd tunc Chriſtus ſuum corpus & ſanguinem obtulerit, rectè ſequitur quòd ipſum offerre illis mandauerit dicens, *Hoc facite &c.* & conſequenter eos Sacerdotes conſtituerit. Quæſtio igitur ſolùm in hoc cardine vertitur, an Chriſtus ſe tum Patri obtulerit in ſacrificium? negat cum Caluino & aliis hæreticis Molinæus; aſſerit Concilium Oecumenicum, cui imponit vafer ille Miniſter, quòd verba Domini manifeſtè corrumpat nouo ac inepto (vt ait) gloſſemate. Verùm fraudulenter ipſe Molinæus Concilij doctrinam exponit, ſiquidem Concilium non docet ex his ſolis verbis, *Hoc facite &c.* immediatè elici Euchariſtiæ ſacrificium: ſed hoc fuiſſe & factum & intentum Domini declarat ex perpetuo intellectu, & vnanimi conſenſu Eccleſiæ Catholicæ, ſic enim expreſsè docet Concilium illud ſapientiſſimum, c. 1. præſignatæ ſeſſionis: *Is igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel in ara crucis morte intercedente Deo patri oblaturus erat, in cœna nouiſſima qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud in cruce peractum repræſentaretur, eiúſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur: Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolos quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit.* Igitur nec ex ſolis verborum ſyllabis, ſed ex ſenſu, neque ex violento ac inepto (vt ait Molinæus) gloſſemate: ſed ex perpetuo intellectu Eccleſiæ Catholicæ vnanimíque conſenſu, Concilium hoc colligit & declarat.

Hîc hæreat Molinæus pede fixo iam oportet. Nititur Concilij definitio verbis Chriſti ſemper & vbique ab Eccleſia, ſicuti docet,

intellectis; vel hoc admittit Molinæus, vel negat. Si admittit Eccleſiam Catholicam perpetuo conſenſu ſic verba Domini intellexiſſe: cóne temeritatis progredietur, vt ſibi contrarium aſſerenti ſuíſque aſſeclis potiùs acquieſcendum eſſe velit, quàm Catholicæ Eccleſiæ, *Quæ baſis & columna eſt veritatis*, cui iuxta promiſſum Domini *datus eſt Spiritus ſanctus, ſpiritus veritatis, vt maneat cum ea in æternum, illámque omnem veritatem edoceat*, de qua ideo Chriſtus altè pronunciat, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Neceſſe eſt igitur ſi Eccleſiæ magiſterium Molinæus audire, vel hoc ſolo nomine detrectet, eſſe cum impiis & infidelibus relegandum. At fortè ſi inficias ierit, Eccleſiam Catholicam ſemper ſic vt aſſerit Concilium verba Domini intellexiſſe, ac docuiſſe: iam tunc quæſtio non de iure, ſed de facto erit, probatúque facile fuerit ſic ab Eccleſia ſemper creditum & traditum, vt Concilium docet & declarat, ſcilicet quòd Chriſtus dicendo Apoſtolis, *Hoc facite in meam commemorationem.* vt offerrent ipſum corpus ſuum & ſanguinem ſicut obtulerat, præceperit. S. Irenæum fuiſſe auditorem B. Polycarpi S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipuli nequit Molinæus, ſi frontem habeat, diffiteri. Hic verò Apoſtolicis edoctus oraculis, ſuo tempore Eccleſiam toto orbe martyriis purpuratam ſic cenſuiſſe, ſic docuiſſe teſtatur, lib. 4. aduerſus hæreſes, c. 32. in fine. *Accepit* (Ieſus) *panem & gratias egit dicens, hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter &c. ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo mundo.* S. Cyprianus itidem Martyr glorioſus & Pontifex epiſt. 63. ad Cæcilium: *Quòd ſi nec minima* (inquit) *de mandatis Dominicis licet ſoluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſum Dominicæ paſſionis, & noſtræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non eſt infringere? aut non in aliud quàm quod diuinitùs inſtitutum ſit humana traditione mutare: nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit. Vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri. Si ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Hinc Iuſtinus Martyr in Dialog. cum Triphone, *Certò*, inquit, *conſtat quòd huius nominis ſacrificia quæ Ieſus Chriſtus tradidit, hoc eſt Euchariſtiam panis & poculi vbicumque terrarum apud Chriſtianos fiant, Deus accipiat, & ſibi grata eſſe teſtetur.* Hippolytus Martyr Epiſcopus Portuenſis, Clementiſque Alexandrini diſcipulus, qui inter inſignes Eccleſiaſticos ſcriptores ab Euſebio Cæſarienſi lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 22. & à S. Hieronymo in Catalogo de Eccleſiaſticis quoque ſcriptoribus recenſetur, oratione de conſummatione mundi (quo tempore iuge ſacrificium ab Antichriſto eiúſque emiſſariis ſublatum iri iuxta Danielis prophetæ vaticinia inſinuat) Chriſtum eiuſdem ſacrificij auctorem, iis verbis ad Sacerdotes loquentem inducit: *Venite Pontifices & Sacerdotes, qui pretioſum corpus & ſanguinem meum quotidie immolaſtis.* S. Ambroſius in Pſ. 83. ad

Lib. 2 epiſt. 3.

illa verba *In imagine pertranſit homo. Vidimus*, inquit, *principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum, ſequamur vt poſſumus, Sacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium: Nam etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio, quia etſi nunc Chriſtus non videtur offerre*, (vt in vltima Cœna viſibiliter offerebat) *tamen ipſe offertur in terris, quando ſuum corpus offertur, imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium.* Quiſnam autem ſermo, niſi hic ipſe? *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effunditur in remiſsionem peccatorum: Hæc facite in meam commemorationem.* Iulius I. Romanus Pontifex in epiſtola ad Epiſcopos Ægypti: *Cùm Magiſter veritatis* (inquit) *verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, non illis lac, ſed panem tantùm & calicem ſub hoc Sacramento cognoſcimus dediſſe, legitur enim in Euangelica veritate &c. vbi Apoſtolis ſuis ſuum corpus commendauit & ſanguinem.* Citat Burchard. l. 5. c. 1. Iuo part. 2. c. 2. & Grat. de Conſec. 2. c. 7. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de reſurrect. *Pro ineffabili arcanóque* (& qui ab hominibus cerni nequit) *ſacrificij modo, ſua diſpoſitione præoccupat impetum violentum, ac ſeſe oblationem ac victimam offert pro nobis Sacerdos ſimul & agnus Dei: Quando hoc accidit? cùm corpus ſuum ad comedendum, & ſanguinem ad bibendum familiaribus præbuit; videlicet dicens hoc eſt corpus meum, hoc facite in meam commemorationem.* Sanctus Ioannes Chryſoſt. hom. 24. in 1. ad Cor. *pro brutorum cæde*, * SEIPSVM OFFERENDVM PRÆCEPIT: & hom. 2. in 2. ad Timoth. ** *Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue Paulus, ſiue alius cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quámque Sacerdotes modò conficiunt, nihil habet iſta quàm illa minus, cur id? quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus qui illam antè ſacrauerat.* S. Hieronymus in Ezechielem, c. 45. l. 13. dicit *ſacrificium ſemper Deo offerendum, à vero Sacerdote, qui eum imitetur, de quo ſcriptum eſt, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et in c. 26. Matth. *Poſtquam typicum paſcha fuerat impletum & agni carnes cum Apoſtolis comederat &c. ad verum paſchæ tranſgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.* Et in c. 14. Marc diſertè dicit Chriſtum inſtituendo Euchariſtiam *non ſuſtuliſſe*, SED TANTVM MVTASSE SACRIFICIVM, ſcilicet figuratiuum in verum, typicum in reale, tranſitiuum in perpetuum, quin & cæremoniale in ſacrificium efficaciſſimum. *Transfigurans* (inquit) *corpus ſuum in panem* (id eſt ſub panis ſpecie diſtribuens,) *format ſanguinem ſuum in calicem vino & aqua mixtum, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis.* Subinde adducto Iudæ miſerabili exemplo, qui factus fuit à Chriſto particeps ſacrificij ſui, & nihilominus periit; hinc rectè admonet, *Eſſe in Eccleſia quos ſacrificium nullum emundat;* Sic manifeſtè docens eſſe in Eccleſia ſacrificium, ídque expiatorium, quod Chriſtus inſtituit & offerri voluit in remiſſionem peccatorum; *Sanguis enim noui Teſtamenti*, quem in calice dedit Chriſtus, *etſi effundatur* (vt ipſe ait) *pro multis, non omnes emundat.* S. Auguſtinus

Vide ſuprà textum Græcum.

* Ὥστε εἰ αἱμάτων ἐπιθυμεῖς, φησί, μὴ τῷ εἰδώλων βωμὸν τῷ τῶν ἀλόγων φόνῳ, ἀλλὰ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐμὸν τῷ ἐμῷ φοίνισσε αἵματι. *S. Ioan. Chryſ. in 1. Cor. hom. 24.*

** Τί δὲ τοῦτο ἔστι; ἡ προσφορὰ ἡ αὐτή ἐστι, κἂν Πέτρος, ὁ αὐτὸς ἔστι, ἣν ὁ Χριστὸς τοῖς μαθηταῖς ἔδωκε, καὶ ἣν νῦν οἱ ἱερεῖς ποιοῦσιν. οὐδὲν αὕτη ἐκείνης ἔλαττον, ὅτι καὶ ταύτην οὐκ ἄνθρωποι ἁγιάζουσιν, ἀλλ' αὐτὸς ὁ καὶ ἐκείνην ἁγιάσας. *Idem hom. 2. in 2. Tim. tom. 12.*

in Pſ. 33. Conc. 2. *Ipſe de corpore & ſanguine ſuo ſacrificium inſtituit ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et quia ad hoc ſacrificium offerendum Epiſcopi & Preſbyteri, Sacerdotes in Apoſtolis à Chriſto inſtituti ſunt, ideo hos ſolos propriè Sacerdotes eſſe idem Sanctus Doctor aſſerit lib. 20. de Ciuit. Dei c. 10. & lib. 10. c. 20. *Chriſtus* (inquit) *Sacerdos eſt ipſe offerens, & ipſe oblatio, cuius rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium :* hoc ſi voluit itidem inſtituit & præcepit.

Innumera eiuſmodi Sanctorum Patrum teſtimonia proferri poſſent quæ perennem hac de re apertiſſimè probant Eccleſiæ fidem, ſed minimè opus eſt ampliori inductione: Aduerſarij enim ſtare aduerſum ſe hac in cauſa fatentur Sanctorum Patrum conſeſſum, Eccleſiæque Catholicæ conſenſum, tantúmque vſum conſtanter per orbem obſeruatum. Luther. lib. de Capt. Babyl. c. 1. Caluinus lib. 4. c. 18. §. 1. Rectè igitur Concilium Tridentinum declarauit Euchariſtiæ ſacrificij inſtitutionem & Sacerdotij noſtri originem ex facto & verbis Chriſti rectè elici, *Vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit.*

Accedit quòd ex ipſa Chriſti actione verbíſque ſacris, ſi accuratim expendantur, huiuſmodi inſtitutio ſatis apparet. Dicit Apoſtolis, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, Luc. 22. vel vt habet Paulus 1. Cor. 11. *quod pro vobis frangitur :* Et de calice ſanguinis ſui, *qui pro vobis*, inquit, *effunditur in remiſſionem peccatorum.* Omnia iſta clamant, hoc ſacrificium à Chriſto inſtitutum, loquitur enim in præſenti. Negari non poteſt corpus & ſanguinem Chriſti eſſe ſalutis noſtræ vnicam hoſtiam, hanc verò fuiſſe hîc oblatam verba iſta manifeſtè docent, *pro vobis datur, frangitur, effunditur in remiſſionem peccatorum.* Nónne quod pro nobis datur, pro nobis offertur? Fatetur Caluinus fractionem de qua in cœna loquitur Chriſtus, veram immolationem fuiſſe in 1. ad Cor 11. ℣. 24. tom. 5. c. 392. Quis verò neget vbi fit ſanguinis in remiſſionem peccatorum effuſio, verum ibi ſacrificium eſſe? Hoc ſplendore perſtrictus Kemnitius, quo elabi poſſit, quærit effugium, dicit verſiones aliquas habere effundetur; proinde verba Chriſti de ſacrificio crucis intelligenda eſſe. Sed euaſio hæc eſt futilis, ſiquidem in originali Græco 1. Cor. 11. fatentur plerique Miniſtri Caluiniſtæ, ipſéque Molinæus legendum eſſe in præſenti effunditur, *τῦτο τὸ ποτήριον ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυνόμενον.* Item, *frangitur* apud ipſum Apoſtolum : *Datur*, apud Lucam conſtanter ab omnibus legitur. Et licèt apud Matthæum legamus, vt habet vulgata editio *effundetur*, ſicque legerit S. Cyprianus lib. 2. ep. 3. nihil aliud tamen hoc probat, quàm vtramque locutionem eſſe veram : quod & nos fatemur, fuſum enim fuiſſe Chriſti ſanguinem in cruce agnoſcimus, & hoc reſpectu dicere potuit Chriſtus *effundetur*; ſed fuſum etiam fuiſſe in calice aſſerimus, proinde iam tunc Deo libatum & immolatum : vnde ſignanter ait Dominus apud Lucam : *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo*, Qui calix (hoc enim præciſè Græcus habet contextus, vt ipſe Beza fatetur) *pro vobis fundetur*; fuſus igitur

tur iam erat ſanguis in calice, qui effuſurus adhuc erat in cruce, vel perpetuis temporibus fundendus erat in quotidiano Eccleſiæ ſacrificio, quod tunc iam Chriſtus offerebat, & facere in ſuam commemorationem expreſsè præcipiebat. At inſtat Molinæus, Chriſtus hanc ſuam actionem non appellauit ſacrificium? Reſpondeo neque itidem vocauit Sacramentum. Sed quomodo elicitur ex manifeſtis principiis & circumſtantiis tunc Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum fuiſſe, eadem ratione colligitur tum fuiſſe quoque ſacrificium ab ipſo inſtitutum & commendatum, quemadmodum iam liquet ex dictis.

SECVNDA OBIECTIO MOLINÆI.

HOSTIA *quam Pontificij contendunt Deo offerri in Miſſa, Chriſtus videlicet, hîc non apparet, neque videtur; Ergo eſſe non poteſt oblatio viſibilis, proinde nec externum ſacrificium.*

SOLVTIO.

ADMITTIMVS antecedens, ſed conſequentiam negamus. Chriſtus enim etſi in ſpecie propria hîc non offertur, verè tamen adeſt, & ſub ſigno viſibili, panis ſcilicet & vini ſymbolis immolatur. Sic enim fieri hoc in ſacrificio oportuit, quia Euchariſtia non ſolùm ſacrificium, ſed etiam Sacramentum eſt; eſt autem de eſſentia Sacramenti, vt ſit ſignum viſibile, & res quæ ſub ſigno exhibetur ſit inuiſibilis: quia in omni Sacramento *aliud videtur, aliud creditur*; ſpecies hîc eſt panis quæ videtur, at corpus Chriſti latet quod creditur & adoratur. Satis eſt vt oblatio externa quæ Deo fit, ſit aliqua ex parte viſibilis. In cruce Chriſtus obtulit patri corpus & animam ſuam, nam *ſe ipſum obtulit immaculatum Deo*, at ſolum corpus erat viſibile, anima verò erat inuiſibilis; ſic in Euchariſtiæ ſacrificio, quod ſimul Sacramentum eſt, pars aliqua oblationis cedit aſſiſtentium aſpectibus, ſignum ſcilicet viſibile ſpecierum: aliqua oculis non patet, corpus ſcilicet Chriſti his ſpeciebus ſenſibilibus obuelatum. Appoſitè hîc ſanctus Auguſtinus, *hoc eſt quod dicimus ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Jeſu Chriſti carne & ſanguine, Sacramento & re Sacramenti*, id eſt corpore Chriſti: ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine. Diu ante S. Auguſtinum S. Irenæus idem fermè docuit lib. 4. con. hæreſes c. 32. iam ſignato. Idipſum poſteà docuerunt Paſchaſius lib. de Corpore & Sanguine Domini ſtatim ab initio, & Lanfrancus lib. de Euchariſtia contra Berengarium.

Canon, *hoc eſt quod dicimus.* De Conſecrat. diſt. 2. ex dictis S. Aug. in lib. ſent. Proſperi.

TERTIA OBIECTIO MOLINÆI.

ACCEDIT *quòd hoſtia quæ hoc in myſterio eſſe ſupponitur, à ſacrificante Deo non conſecratur, quia *Deus ab homine conſecrari non poteſt.*

* *Chriſtus*

SOLVTIO.

SI verbum *conſecrari* aſſumit Molinæus pro verbo *offerri*, manifeſtè fallitur in ratiocinatione ſua; cùm enim ſuprà fuerit euidenter probatum, Chriſtum ſemetipſum in Euchariſtia æterno Patri obtuliſſe, atque vt facerent eius diſcipuli quod ipſe fecerat, eiſdem præcepiſſe dicendo, *hoc facite in meam commemorationem*, inde rectè ſequitur à

Chriſti diſcipulis & miniſtris Chriſtum ipſum poſſe legitimè Deo offerri & conſecrari. At ſi capit verbum *conſecrari* pro eodem ac ſanctificari, vltro concedimus Chriſtum à nullo homine poſſe conſecrari. De ſe ait Chriſtus, *Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Ioan. 10. 36. & 17. 19. Iterúmque de ſe ipſo & membris ſuis: *Pro eis* (inquit) *ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſanctificati ſint in veritate. Sanctifico meipſum*, inquit, id eſt me in hoſtiam & ſacrificium offero, nunc incruenter quidem per Euchariſtiam: mox verè cruenter per mortem, vt ſint illi ſanctificati per Spiritum ſanctum quem eis miſſurus ſum, qui eſt ſpiritus veritatis, ſpiritus gratiæ & ſalutis. Chriſtus à nulla creatura ſanctificatur, ſed ipſe omnes qui ſanctificantur ſanctificat, ſuis meritis, ſuo ſpiritu, ſua gratia; attamen à ſanctiſſima Virgine ipſius parente, & B. Ioſeph, aliquo ſenſu ſanctificatus eſt. Lex diuina dudum iubebat Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum:* ideo (ſcribit S. Lucas, c. 2.) *ſecundùm legem Moyſi tulerunt illum in Ieruſalem vt ſiſterent eum Domino:* Sanctificauerunt igitur iuxta legem, dum eum Domino præſentârunt & obtulerunt; ſic à Ioanne voluit ipſe Dominus baptiſari, quamuis Ioannes ipſe ſeſe ab hoc officio excuſaret, ſic ab Angelo confortatur, tametſi ipſe ſit, *qui omnia portat verbo virtutis ſuæ*, Heb. 1. 3. proinde & Angelos & homines confortat: ſic conſecratur à Sacerdote in magno pietatis ſuæ ſacramento, non quòd à Sacerdote vllam recipiat ſanctitatem, ſed quòd per eius miniſterium acquirit ſub elementorum ſignis nouam præſentiam, & nouam ad Deum relationem; quia per Sacerdotem Deo offertur & immolatur; *Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ* (ait ipſe Sacerdos Deo Patri) *hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam*, quæ nimirum ex ſe talis eſt, & quam Sacerdos vt talis eſſet non fecit. Quomodo igitur (inſtabit Molinæus) dicitur conſecrare corpus Chriſti? Non certè quia ſacrum facit, ſed quod verbo diuino & poteſtate ſibi diuinitùs tradita efficit, vt panis iam non communis, ſed conſecratus, ſit corpus Chriſti, materialíſque & vſualis eſſe prorſus deſinat; Quapropter mox ſubiungit, *panem ſanctum vitæ æternæ* (quod certè antè non erat) *& calicem ſalutis perpetuæ.* Adde quòd ſi etiam Chriſtus in altari conſideratur vt victima & hoſtia, Deo oblata & immolata: nihil repugnat quin à Sacerdote dedicari, conſecrari, & offerri cenſeatur, nam & Paulus ait Apoſtolus, Myſticum calicem benedici; *Calix benedictionis*
1. Cor. 10. 16. *cui benedicimus* (inquit) *nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* In Græco τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν. Calix benedictionis quem benedicimus, Chriſtus hoc nos docuit ipſe; & facto, & mandato hoc nos facere præcepit. *Benedixit* (Matth. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.) benedicimus; *fregit* frangimus; conſecrauit, conſecramus; ipſe eſt comedens & qui comeditur, ipſe offerens & qui offertur, ipſe conſecrans & qui conſecratur, id eſt Deo dicatur, offertur, & immolatur. à quo? à ſeipſo & Sacerdote; à ſeipſo vt ſummo Sacerdote principaliter: à Sacerdote miniſterialiter; à ſeipſo inuiſibiliter, à Sacerdote viſibiliter: à ſeipſo per ſe vt prima cauſa efficaciter, à Sacerdote tantùm inſtrumen-

taliter. Hinc S. Chryſoſtomus hom. 60. ad populum, *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita, nos miniſtrorum locum tenemus; Qui verò ſanctificat & immutat ipſe eſt.* Et hom. 2. in 2. ad Timoth. * *Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue Paulus, ſiue alius cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe Diſcipulis, quámque Sacerdotes modò conficiunt; Nihil habet iſta quàm illa minus,* cur id? *quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus qui illam antè ſacrauerat.* Idem docet S. Auguſtinus hac celebri ſententia, *hoc ſacrificium non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris:* quemadmodum etiam paſſim S. Ambroſius, cùm in libro de iis qui Myſteriis initiantur, tum de Sacramentis aſſeuerat. * Vide ſuprà text. Græc. in ſolut. Obiect. 1.

QVARTA OBIECTIO MOLINÆI.

ADDE *quòd in Miſſa Chriſtus non deſtruitur, at nec quicquam patitur in ſe, neque in ſpecie; id eſt neque in re, neque in ſigno.*

SOLVTIO.

FIDE Catholica credimus & profitemur Chriſtum in Euchariſtia neque mori, neque pati in ſe vllo modo; *Chriſtus reſurgens à mortuis* (ait Apoſtolus) *iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Et ideo filios ſuos alto præconio monet Eccleſia, quando Euchariſtiam frangi à Sacerdote conſpiciunt, ne fracturam huiuſmodi cadere in ipſum corpus Chriſti, quod viuum & viuificans eſt, immortale & impaſſibile ſub iis ipſis ſpeciebus, quæ patent oculis, arbitrentur, ſiquidem Rom. 6. 9.

Nulla rei fit ſciſſura,
Signi tantùm fit fractura,
Qua nec ſtatus nec ſtatura
Signati minuitur.

S. Tho. proſâ Lauda Sion.

Non hinc tamen ſequitur quod infert Molinæus, *Ergo non immolatur; Igitur Miſſa* (etiam poſita reali præſentia corporis Chriſti in Sacramento) *Chriſti corporis & ſanguinis ſacrificium verum eſſe non poteſt.* Negatur inquam hæc conſequentia: ſed Molinæus altiori ex principio forſitan inſtabit: Nam vt Deus, ſicut auctor vitæ, & mortis Dominus, per veram oblationem verúmque ſacrificium honoretur: omninò neceſſarium eſt, vt quod offertur Deo in ſacrificium, deſtruatur, & ita mutetur, vt quod erat deſinat eſſe: vnde Theologi in definitione veri ſacrificij externi mutationem illam includunt, dicunt enim: *Sacrificium eſt oblatio externa ſoli Deo facta, quoad agnitionem humanæ infirmitatis & profeſſionem diuinæ Maieſtatis à legitimo Miniſtro, res aliqua ſenſibilis & permanens ritu myſtico conſecratur & tranſmutatur.* Quod certè de Chriſti corpore non fit in Euchariſtia, nam facta conſecratione, fractione, & ſumptione, *Agnus* (vt dixit S. Andreas) *integer perſeuerat & viuus;* proinde non ſacrificatur.

Et verò ſpecioſam hanc eſſe argumentationem non abnuo, at inficior ſolidam: dato enim hoc axiomate, *Sacrificium rem eſſe quæ per ſui immutationem Deo offertur,* ſeu etiam *mutationem rei Deo oblatæ.* Dicunt Theologi plerique ad eſſentiam ſacrificij minimè requiri vt res quæ dicitur offerri in ſacrificium immutetur, ſed (quamuis frequen-

tiùs id accidat) fieri poſſe vt abſque vlla phyſica ſui immutatione Deo offeratur in ſacrificium, dummodò aliquod ſacrum circa illam fiat, quoad ſacros vſus cenſeatur humano more dedicari. Atque huiuſmodi ſacrificia ſine aliqua phyſica ſui mutatione etiam in lege Moyſi fuiſſe inſtituta exiſtimant, v. g. ſacrificium panum propoſitionis, Leuit. 23. & 24. ſacrificium panis & vini à Melchiſedech oblatum, Geneſ. 14. In his enim ſacrificiis nulla legitur realis facta mutatio, ſed tantùm cæremonialis, & tamen hæc vera fuiſſe ſacrificia nemo negat. Poteſt etiam efficaciùs reſponderi haud opus eſſe etiamſi realis mutatio eſſet neceſſaria, quòd ſit totalis, ſatis eſſe ſiquidem quod ſit in re oblata mutatio realis, quoad partem eius, neque enim vt ſit quoad totum ſacrificium, id requiri. Exempla inſignia ſunt, 1 Sacrificij duorum paſſerum pro emundatione leproſi, quorum alter occidebatur, & effuſus ſanguis aſpergebatur cum ligno cedrino & coccino, alter hoc aſperſus cruore viuus dimittebatur, vt liberè auolaret, Leuit. 14. &c. 2. Alterum, de duobus hircis quorum alter mactabatur, alter verò imprecationibus onuſtus, eiiciebatur in deſertum, Leuit. 16. Certum enim eſt quòd ſiue duo hirci, ſiue duo paſſeres, vnum idémque conſtituebant ſacrificium myſtico ſuo binario: Et tamen vtriuſque non tota oblatio deſtruebatur, ſed media tantùm. Ex quo ſequitur ſatis eſſe ad rationem veri ſacrificij, vt immutatio non ſit de toto, ſed de parte: in Euchariſtia porrò partis oblationis fieri realem immutationem, nam elementa panis & vini verè & ſubſtantialiter in corpus & ſanguinem Domini tranſmutantur, adeóque deſtruuntur, quia deſinunt prorſus eſſe quod priùs erant, quin & ipſa ſigna deſtruuntur per fractionem & conſumptionem ſpecierum; re quæ ſub ſignis latebat nempe corpore & ſanguine Domini in ſuo eſſe & ſtatu immutabiliter permanente.

Cardinalis Peronius in eleganti, pereruditо, & luculento ſuo opere de Euchariſtia aduerſus Pleſſeum Mornæum lib. 2. auctore 54. qui eſt Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, vulgò dictus Sententiarum Magiſter, inſignem ponit differentiam inter ſacrificia Hebræorum, & ſacrificium Chriſtianorum; illa enim realia quidem erant, inquit, quoad immolationem, occiſionem & deſtructionem hoſtiarum; at hoſtiam veram non habebant, qua peccata verè & reipſa expiari poſſent, ſed hoſtiam tantùm figuratiuam & repræſentatiuam. Porrò ſacrificium Eccleſiæ Chriſtianæ continet quidem realiter & ſubſtantialiter hoſtiam veram & vnicam, qua peccata deleantur: at immolationem, occiſionem & deſtructionem non habet niſi repræſentatiuam. Cæterùm differre ſic hoc ſacrificium à ſacrificio crucis quoad modum actionis, licèt quoad rem ipſam oblatam idem omninò ſit: vtrobique enim Chriſtus realiter immolatur, cruenter in cruce, incruenter in Miſſa. Idque bene animaduertiſſe & rectè docuiſſe præfatum Petrum Lombardum, qui lib. 4. ſent. diſt. 12. hunc in modum concludit, *Ex his colligitur eſſe ſacrificium & dici quod agitur in altari, & Chriſtum ſemel oblatum, & quotidie offerri: ſed aliter tunc, & aliter nunc.*

Cæterùm quæſtio occurrit hîc notabilis, *Cur Chriſtus qui fracturam non admiſit in cruce, eam tamen in myſterio Euchariſtiæ adhibuit?* Fractio (ipſo Caluino fatente) indicium eſt immolationis: cur igitur Euchariſtiam fregit Chriſtus & frangendam præcepit? vndę Apoſtolus 1. Cor. 11. panis *quem frangimus nónne participatio corporis Chriſti eſt?* Sanè vt ſignaculum immolationis proprium apponeret: præuidebat enim orituros aliquando ita ingratos homines, vt omne ſacrificium externum tollere in Eccleſia niterentur, ipſámque Euchariſtiam quam inſtituebat, vt eſſet perenne ſuæ paſſionis & mortis mnemoſynon, & proprium noui Teſtamenti ſacrificium, latreuticum, propitiatorium, impetratorium & euchariſticum, negarent, vllo titulo, at præſertim propitiationis & impetrationis ſacrificium eſſe. Hanc vt hæreſim ipſius inſtitutionis auctoritate præcideret, omnia quæ ſacrificij huiuſmodi indicio ſunt manifeſto, adhibuit, factíſque & dictis vſus eſt, quibus talis ſacrificij veritas palam oſtenderetur. *Corpus ſuum dari pro nobis, ſanguinem effundi pro nobis in remiſſionem peccatorum* expreſſis verbis aſſeruit; vt ſicut effuſio ſanguinis eſt hoſtiæ immolationis patens indicium, eiuſdem hoſtiæ (quam poſt verba benedictionis & gratiarum actionis diſcipulis porrigebat) fractione, innueret ſe perfectum inſtituere ſacrificium. Alto mentis acumine hoc arcanum præuidit, verbíſque expreſſit ante annos ferè 1300. S. Gregorius Nyſſenus hom. 1. de Reſurrect. Chriſti: *Cùm corpus ſuum diſcipulis congregatis edendum & ſanguinem bibendum præbuit, tunc apertè declarauit agni ſacrificium veri, ſcilicet* (huius ſiquidem de quo Paulus ait *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur*) *iam eſſe perfectum.* Nempe etiam antequam in cruce viſibiliter fuſo cruore immolaretur. Rationem verò affert eximiam, *Quia* (inquit) *victimæ corpus non eſt idoneum, ſi animatum ſit, quare cùm corpus edendum & ſanguinem bibendum dedit, iam victima arcano & inuiſibili modo erat immolata.* Explicant ſic graues Theologi arcanum hunc & inuiſibilem modum, *Quod non ſolùm in Euchariſtiæ ſacrificio mors Chriſti, quam in cruce paſſus eſt commemoretur. Sed etiam quia myſtico quodam modo hîc Chriſtus occiditur, dum per modum hoſtiæ occiſæ, ſeorſim vi verborum, corpus & ſanguis in altari exhibentur. Quo pacto fit vt hoc peragatur ſacrificium non malleo, aut gladio materiali, vt olim vetera ſacrificia, ſed gladio verbi Dei, qui eſt omnipotens: ſicut enim olim fiebat ſacrificium quando hoſtia gladio mactabatur, nempe agnus vel vitulus, & ſanguis ſeparabatur à carne, ita nunc fit ſacrificium quando vi verborum conſecrationis, corpus & ſanguis ponuntur ſeorſim, tanquam rei occiſæ & immolatæ: corpus ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini. vnde verba conſecrationis ſunt inſtar gladij: Corpus Chriſti quod nunc eſt in cœlo viuum, eſt inſtar hoſtiæ viuæ & immolandæ: corpus vt poſitum ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini, ſe habent vt corpus & ſanguis agni tunc immolati.* Quamuis enim per concomitantiam totus Chriſtus ſit ſub vna & vtraque ſpecie, tamen præcisè ex vi conſecrationis ſola caro eſt ſub ſpecie panis, & ſolus ſanguis ſub ſpecie vini, ſicque diuino nutu factum eſt ad plenam expreſſionem ſacrificij, in quo hoſtia realiter vel myſticè

Quæſtio inſignis.

Matth. 26. Luc. 22.

Leſſius lib. 12. de perfection. diuinis c. 13.

mactata, & ſanguis reipſa vel myſticè effuſus eſſe debet. Quæ cauſa eſt cur Eccleſia diſpenſat populo Euchariſtiam, vt ſacramentum eſt, ſub vna tantùm ſpecie, ſub qua integrum eſſe Chriſtum per neceſſariam partium connexionem profitetur: at ſacrificium nunquam celebrat, nec docet celebrari poſſe niſi ſub vtraque ſpecie, quia includit hoc ſacrificium expreſſam repræſentationem Chriſti mortis, in qua ſanguis effuſus à carne ſeiunctus erat, & hoſtiam quam veram habet continet vt immolatam. Quamobrem Gelaſius declarat can. *Comperimus. ſine grandi ſacrilegio, Sacerdotes Chriſti corpus abſque ſanguine accipere non poſſe in altari:* cùm tamen ex viua praxi Eccleſiæ illis liceat in priuata communione, Euchariſtiam ſumere ſub ſola ſpecie panis, quia tunc non ſacrificant, ſed dumtaxat participant Euchariſtiæ ſacramento: cuius integritas propter concomitantiam ſolidè ſub vna ſpecie conſiſtit. Cæterùm cùm docent Theologi vi verborum, Chriſtum myſtica occiſione immolari, non intelligunt quòd ſic Chriſtus in ſeipſo vllatenus patiatur, vel moriatur, ſed tantùm myſtico ritu qui huius ſacrificij præcipuus eſt. Quod enim hîc Chriſtus non moritur, id non ſolùm ex ipſius ſtatu procedit, quo iam eſt impaſſibilis, & immortalis: ſed potiſſimùm quia hoc non permittit ratio ſacramenti, in quo Chriſtus inuiſibilis & indiuiſibilis, proinde & impaſſibilis eſſe debet; ſic res igitur ſe habet in Euchariſtia vt ſacrificium eſt. Chriſtus qui verè adeſt ſub ſignis verè offertur, & immolatur, ſed non in ſe patitur, quia ibi eſt vt in ſacramento, id eſt realiter quoad ſubſtantiam, ſpiritualiter quoad ſpecialem exiſtendi modum; corpus enim hîc cum tota ſua mole ſuíſque qualitatibus diuina virtute eleuatur, & accipit modum exiſtendi ſpiritalem, quo veluti in punctum contrahitur, & ſimul continuè per ſpeciem ita diffunditur, vt inſtar ſubſtantiæ ſpiritalis, ſit totum v. g. ſub tota ſpecie panis, & totum ſub ſingulis eius partibus, ſicut anima rationalis eſt tota in corpore, & tota ſimul in ſingulis eius partibus. Addi poteſt hîc Chriſtum non poſſe pati, neque diuidi, neque mori; nec itidem opus eſſe vt hic denuò patiatur & moriatur, quia mortuus eſt ſemel, ſufficítque eius occiſio in cruce facta ad redemptionem noſtram, pro qua moriendo ſeſe patri obtulit, ad cuius meriti fructum, & pretij applicationem ſatis eſt vt in hoc ſacrificio verè quidem patri offeratur, & nobis realiter communicetur, ſed myſticè tantùm, quoad actionem, immoletur: vnde Patres Euchariſtiæ ſacrificium rectè appellare ſolent *myſticam & veram oblationem*, eſt enim myſtica quoad ritum, ſed vera, & realis quoad ipſam ſacrificij materiam, hoſtiam videlicet illam ipſam, quæ pridem in cruce mactata eſt; hæc eſt enim non tantùm in altaris myſterio vera, ſed etiam tota, & integra cum omnibus donis, & meritis ſuis; nam vt Spiritus ſanctus in Concil. I. Oecumenico (Niceno I. nimirum) expreſſè docet *, *In diuina illa menſa Agnus Dei, qui tollit peccata mundi ſitus eſt, incruentè à Sacerdotibus immolatus, cuius pretioſum corpus, & ſanguinem nos verè ſumimus.*

De Conſec. diſt. 2.

** In allis Vaticanis, qua ſectarij vera eſſe fatentur.*

Vide Bellarm. lib. 2 de Euchariſt. c. 10.

Accedit inſuper quòd in myſterio Euchariſtiæ Chriſtus realiter

exiſtens duplex eſſe habet, alterum naturale, alterum ſacramentale. Porro in eſſe naturali nec frangitur, nec patitur, nec mutatur, nec deſtruitur. At ſecundùm eſſe ſacramentale, quo ſub ſpeciebus panis, & vini conſiſtit, frangitur & immutatur, certóque modo deſtruitur; ſumptio enim ſacramenti eſt de eſſentia ſacrificij: at verò per conſumptionem eſſe Chriſti ſacramentale deſtruitur, deſinit enim ſub ſpeciebus exiſtere, & iſtæ ſpecies per ſacramenti ſumptionem realiter conſumuntur. Falſum igitur eſt quod ait Molinæus, Chriſtum in hoc ſacrificio non immolari, nec in re, nec in ſpecie, ſed verum eſt quod antea dicit, requiri in ſacrificio maximè propitiatorio, vt res oblata ad peccati expiationem deſtruatur, ſiue in re, ſiue in commemoratione, aut rei ſacrificatæ figura, aut in effectu; hæc enim conditio in Miſſæ ſacrificio ſuperabundè reperitur, ſicut ex dictis fit planè perſpectum.

QVINTA OBIECTIO MOLINÆI.

DENIQVE *Miſſa verè eſſe non poteſt ſacrificium propitiationis; cùm ipſa mors non ſit Domini, quæ ſola pretium eſt redemptionis noſtræ.* P. 196. & 197.

SOLVTIO.

FATEMVR mortem Chriſti ſolam eſſe pretium, & quidem pleniſſimum noſtræ redemptionis; ſed negamus hinc ſequi Miſſam non eſſe ſacrificium propitiatorium. Mira eſt ſanè hæreticorum cæcitas! Clamant vbique ſtandum Dei verbo, hícque ipſe Molinæus contendit inhærendum eſſe inſtitutioni à Domino factæ. Annuimus. Verba ipſa Chriſti quæ perſpicua ſunt, iis obiicimus. At quaſi talpæ cæci ſunt, vt vim ſenſúmque Chriſti verborum clariſſimorum non percipiant; dicit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, Luc. 22. *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis funditur in remiſſionem peccatorum*, Matth. 20. Marc. 14. Luc. 22. Ex quibus hæc ratiocinatio rectè colligitur. * Vbi eſt victima, & ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum, ibi eſt ſacrificium propitiatorium. Atqui in Euchariſtia eſt victima, nempe Chriſti corpus, & ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum. Igitur Euchariſtia eſt ſacrificium propitiatorium. Nec derogat ſacrificio crucis, quin potiùs illud confirmat, & commendat: ſiquidem vt in cruce Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, eiúſque ſanguis viſibiliter tunc effuſus, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non tantum pro peccatis noſtris, ſed etiam pro totius mundi:* ſic Chriſtus ipſe hìc incruentè immolatur, & eius ſanguis effunditur in remiſſionem peccatorum, *pro multis:* quam particulam addidit Chriſtus, vt innueret hanc eſſe differentiam inter ſacrificium Crucis, & Euchariſtiæ ſacrificium, quòd illud pro omnibus peractum fuerit, quoad ſufficientiam, hìc verò offeratur pro multis quoad efficaciam, quia ſcilicet ad hoc inſtitutum eſt, vt vim, & meritum ſacrificij crucis efficaciter multis, iis ſcilicet qui verè fiunt eius redemptionis participes, ſingulariter applicaret.

* Nota. Argumentum firmiſſimum pro ſacrificio propitiatorio in Euchariſtia.

1. Ioan. 2.

Meliùs hoc vt intelligatur, aduertendum eſt ſacrificium Miſſæ & ſacrificium crucis in quibuſdam differre, & in quibuſdam conuenire.

Differt 1. In externa ſpecie, nam Chriſtus in propria ſpecie, ſcilicet forma humana, in cruce immolatus eſt: At in altari ſub ſpecie panis & vini, quæ latentis veræ hoſtiæ ſigna ſunt, offertur. 2. In cruce per realem mortem oblatus eſt, ſed in Miſſa per myſticam oblationem immolatur. 3. Vtrobique offert Chriſtus ſeipſum, ſed in cruce ſe ſolus obtulit Patri. At in Euchariſtiæ ſacrificio, tametſi ſit ſimul Sacerdos & principaliter offerens, vtitur miniſterio Sacerdotum. Porrò in tribus etiam conuenit ſacrificium incruentum Miſſæ cum cruento ſacrificio crucis. 1. In re oblata, in vtroque enim offertur Chriſtus vt victima: vnde vt eandem eſſe innueret hoſtiam quæ in Euchariſtia datur, cum illa quæ in cruce fuit immolata, ait *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* 2. In principali offerente, nam ipſe eſt in vtroque principalis Sacerdos & Pontifex, vt ſuprà demonſtrauimus. 3. In fine, oblatus ſcilicet Chriſtus eſt vtrobique pro peccatis noſtris, quia ſicut *in cruce ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*, Heb. 9. 24. ita per eandem hoſtiam in altaris myſterio peccata deſtruit. Quapropter hîc quoque ſanguinem ſuum effundi quoque aſſerit in remiſſionem peccatorum. Sed in hac conuenientia aliqua diſcrepantia eſt.

Etenim ſacrificium crucis ſe habet ad remiſſionem peccatorum, vt cauſa vniuerſalis, meritoria noſtræ redemptionis, & gratiæ quæ nobis communicatur. Sacrificium autem Miſſæ ſe habet in eundem finem per modum cauſæ particularis, per quam fructus ſacrificij cruenti, qui fons eſt redemptionis noſtræ ſingulariter nobis applicatur. Quapropter fatemur ſacrificium crucis vim infinitam & ſempiternam habere ad ſanctificandum, ideóque non eſſe opus alio ſacrificio merę & originalis redemptionis, aut eiuſdem repetitione: neque enim opus eſt, vt aliud pretium pro peccatis perſoluatur, aut alius Chriſtus moriatur, vel vt ipſe iterum patiatur: ſed tamen neceſſe eſt, vt mortis eius meritum & redemptionis huius pretium, & paſſionis eius virtus & efficacia nobis applicetur. Hoc fit autem per ſacrificium Euchariſtiæ quod ad hunc finem directè inter varios reſpectus inſtitutum eſt, quemadmodum egregiè definit & declarat Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. c. 1. vbi ait ſacrificium hoc à Chriſto Eccleſiæ ſuæ in procinctu ſuæ mortis relictum fuiſſe, quo cruentum illud ſemel in cruce peractum repræſentaretur, eiúſque memoria (tantum beneficium erat) in finem ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum quæ quotidie à nobis committuntur peccatorum, applicaretur. Albertus Piggius Controuerſ. 9. §. *Et nos per omnia*, hoc ſignanter ait, hoc ſacrificium relictum fuiſſe Eccleſiæ ad tollendum impedimentum noui peccati, per quod influxus Chriſti paſſionis impeditur, ſcilicet quoad effectum: ſiquidem virtus paſſionis Chriſti per modum cauſæ vniuerſalis meriti vim habet ad tollendum omnia peccata, videlicet originale & actuale, mortale & veniale, præterita & futura quæ quouis tempore committuntur; ſed vis iſta ſufficiens & ſuperabundans, effectus ſuos particulares, vt actu exerat, per hoc fit ſacrificium quod om-

omnem ſuam virtutem & efficaciam, ex illo fontali mutuatur; *Poculum enim iſtud ſalutare* (ait eleganter S. Proſper) *niſi bibatur, non medetur.*

At hîc inſurgit Molinæus obiicítque, plus nos quàm dicimus Miſſæ ſacrificio tribuere: fateri nos ſiquidem pretium noſtræ ſalutis fuiſſe à Chriſto perſolutum in cruce, & partam proinde Chriſti morte plenam redemptionem. At nihilominùs aliam nos agnoſcere, quàm in Miſſa conferri nobis credimus: ſiquidem Sacerdos in canone dicit à ſe & reliquis fidelibus hoc ſacrificium offerri *pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ.* Sed hoc ratiocinari non eſt, at tricari & quærere, vt aiunt, nodum in ſcirpo. Eccleſia ſatis oſtendit quomodo debeat iſta redemptio rectè ac piè, & iuxta Dominicam inſtitutionem intelligi: in feſto enim Chriſti corporis, quo inſtitutionis myſterij huius ſpecialem agit celebritatem, ſic ſanam & rectam quam de eo profitetur fidem declarat: *Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus.* Vbi apertè inſinuat redemptionem ipſam fluxiſſe è cruce Chriſti, tanquam ex primordiali fonte: ſed ad nos eius vim & effectum per incruentum hoc ſacrificium & mirabile Sacramentum ſummo Dei beneficio, & vt ſcitè ait Cæſarius Arelatenſis, *ſingulari diuinæ miſericordiæ artificio* in nos deriuari.

Inſtat Molinæus, *Si eo quod per Miſſam ſeu Euchariſtiam mortis Chriſti virtus nobis applicatur in remiſſionem peccatorum, & mortis eiuſdem memoria annunciatur, Miſſa eſt verum & propitiatorium ſacrificium: à pari, baptiſma & prædicatio Euangelij erunt vera & propitiatoria ſacrificia, quia in eis mors Chriſti nobis annunciatur & applicatur.* Argumentum iſtud ex Caluini Inſtitutione (lib. 4. c. 18. §. 1) Molinæus arripuit, quamuis ſuum eſſe ſimulat: quia igitur à Caluino ſuo hoc accepit argumentum, non eſt quòd grauetur ſibi reponi eandem ſolutionem, quam Cardinalis Bellarminus ipſi Caluino dedit lib. 1. de Miſſa, c. 25. *Eodem argumento* (inquit) *probare poſſem ſuperuacaneam eſſe Cœnam Domini, quia fructus crucis ſatis applicatur per baptiſmum: imò & baptiſmum ſuperuacaneum eſſe, quòd ſola prædicatione verbi poſſit excitari fides per quam* (ſolam, vt aduerſarij volunt) *applicatur fructus crucis.* Addere mihi liceat nec ipſam prædicationem ſic fore neceſſariam, nam lectione ſacræ ſcripturæ, quæ vt volunt, omnia continet ſcitu ad ſalutem neceſſaria, fides facilè poterit excitari, & ſic percipi fructus mortis & paſſionis Domini: *Placuit igitur Deo varia media inſtituere, quibus faciliùs, ſuauiùs, ac pleniùs fructum crucis conſequeremur.*

Euangelium eſt (ait Apoſtolus) *virtus ad ſalutem omni credenti; quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* *Rom. 10. 17.* Baptiſmus eſt lauachrum aquæ in verbo vitæ, quo regeneramur per gratiam ad ſalutem. Euchariſtia eſt cibus nutriens ad vitam æternam, antidotum mortis, pharmacum immortalitatis. Axioma Theologorum eſt, omnia Sacramenta operari & ſuam mutuari virtutem ex merito paſſionis Chri-

Eludere nititur Molinæus hanc rationem ex eo quod ſæpè moneant Patres, Miſſam eſſe ſacrificium commemoratiuum mortis Domini, quod ipſe tandem non diffitetur: Sed inde perperàm infert eſſe ſacrificium dumtaxat typicum & figuratiuum, ſeu repræſentatiuum; ſiquidem iam explicuimus, quomodo Patres vocant Euchariſtiæ ſacrificium, veram & myſticam oblationem; myſticam reſpectu ritus oblationis, veram propter hoſtiæ identitatem. Quapropter ne quis putaret Chriſtum hìc myſticè tantùm offerri, epitheta paſſim addiderunt, quibus docerent verè & realiter hìc adeſſe & offerri per modum victimæ & ſacrificij incruenti. Hinc S. Cyprianus lib. 2. ep. 3. vocat *plenum & verum ſacrificium:* S. Chryſoſtomus hom. 60. ad popul. & cæteri Græci Patres paſſim nuncupant *ſacrificium tremendum & adorandum:* S. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei c. 20 vocat *ſummum & veriſſimum ſacrificium:* & lib. de Spirit. & lit. c. 11. *veriſſimum & ſingulare ſacrificium:* quin & Euſebius Cæſarienſis lib. 1. demonſtrat. Euangelicæ, *ſacrificium Deo plenum.*

Vrgebit forſitan Molinæus, quæſtionem hìc non tam verti de vero ex mente Patrum ſacrificio, quàm de propitiatorio, in quo fiat remiſſio peccatorum. Verùm Sancti Patres inhærendo inſtitutioni Domini, qui calicem ſui ſanguinis aſſeruit in hoc myſterio effundi in remiſſionem peccatorum, ſummo conſenſu hoc ſacrificium expiatorium & propitiatorium agnoſcunt, aſſerúntque in eo veram peccatorum fieri remiſſionem. S. Iuſtinus in Dial. cum Triphone, ait Euchariſtiæ ſacrificium offerri *pro peccatorum expiatione:* Origenes hom. 13. in Leuit. dicit, *Inuenies quòd iſta oblatio ſola eſt, quæ facit Deum propitium hominibus.* S. Athanaſius in orat. de fidelibus defunctis, citata à S. Ioanne Damaſceno, Oratione eiuſdem tituli, dicit, *Incruentum hoc ſacrificium, eiú que oblationem Deum placare ac propitium reddere.* S. Baſilius in Liturgia haud procul ab initio, dicit *hoc tremendum ſacrificium abolere delicta noſtra.* S. Chryſoſtomus in Liturgia ſic orat, *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona & ſacrificia pro peccatis noſtris & populi ignorantiis.* S. Cyprianus in ſerm. de Cœna Domini, *Euchariſtiam dicit eſſe holocauſtum ad purgandas iniquitates.* S. Ambroſius lib. 1. de offic. c. 48. de ipſa Euchariſtia loquens ait, *Offert ſeipſum Chriſtus quaſi Sacerdos, vt peccata noſtra dimittat.* S. Cyrillus Hieroſolym. Cathecheſ. 5. * vocat Euchariſtiam *hoſtiam propitiationis;* S. Hieronymus, Sacerdotes ait dum hoc magnum pietatis myſterium celebrant, *quotidie illibatas Deo victimas pro peccatis offerre;* S. Auguſtinus lib. 20. de Ciuitate Dei, c. 25. ſcribit *hoc ſacrificium pro peccato offerri in Eccleſia, vſque ad diem iudicij, ſed non vlteriùs, quia poſt eum diem non erunt peccata quæ poſſint remitti:* & lib. 1. contra Creſconium dicit *Euchariſtiam vnicum eſſe ſacrificium pro ſalute noſtra inſtitutum:* ſerm. 11. de Sanctis qui eſt 4. de SS. Innocentibus, ait ibi *pro peccatoribus Chriſti ſanguinem effundi:* Quæſt. 57. in Leuit. omnem amplioris diſputationis & pertinaciæ anſam præcidens Molinæo & cæteris huius ſummi & ſalutaris ſacrificij negatoribus, expreſsè ſcribit, *In multis ſacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, vnum hoc noſtrum ſacrificium ſignificari, in quo fit vera remiſſio peccatorum.* Sacrificium autem in quo fit

* Myſtag.

vera peccatorum remiſſio, neceſſe eſt, eſſe verum & propitiatorium.

* P. 911. Premierement (dit-il) pource qu'en la ſaincte Cene nous offrons à Dieu le ſacrifice de Ieſus-Chriſt, le ſuppliant qu'il accepte pour nos pechez le merite de ſa mort.

** Ayant égard à la mort de Ieſus Chriſt repreſentée en la S. Cene, en laquelle nous offrons à Dieu la mort de ſon Fils, priant qu'il la veuille accepter pour noſtre redemption.

Tandem verò vel inuitus hoc ipſum Molinæus agnoſcit & fatetur; cap. enim 6. ſignatæ Controuerſiæ, perquirendo rationes propter quas Patres Euchariſtiam ſacrificium tam conſtanti vſu & conſenſu appellârunt, primam & præcipuam hanc eſſe dicit, * *Quod in ſancta Cœna Deo offerimus ſacrificium filij ſui, obſecrantes vt acceptum habeat pro peccatis noſtris eius mortis meritum*: anteà dixerat ** *Paſſionem Chriſti in ſancta Cœna repræſentari, in qua Deo filij ſui mortem offerimus, ſupplicantes eam vt acceptam habere velit pro redemptione noſtra.* Cæterum quid hoc eſt niſi per oblationem incruenti huius ſacrificij ſibi applicari poſtulare, vim & meritum Chriſti paſſionis in peccatorum remiſſionem, & proinde agnoſcere Euchariſtiam eſſe verum & propitiatorium ſacrificium. Fatetur igitur demum vltrò Molinæus, quod antè tanto cum æſtu contentionis negauerat. At de hac controuerſia hactenus ſatis ſupérque.

ARTICVLVS III.

Hoc ipſum ſacrificium impetratorium eſſe.

FIXO igitur hoc ſtante principio, ſcilicet quòd Euchariſtia ſit ſacrificium verum & propitiatorium, negare non poſſunt aduerſarij, id ipſum impetratorium eſſe, quin ſuprà fatetur Molinæus qui admittit ſacrificium eſſe commemoratiuum ſacrificij crucis: in ipſa actione ſanctæ Cœnæ nos Deo eius filij ſacrificium poſſe offerre, & offerēdo ſupplicare, vt mors eius hîc repræſentata, ab eo acceptetur in remiſſionem peccatorum noſtrorum, noſtrarúmque redemptionem animarum. Etſi igitur non concedat in hoc myſterio ſacrificium expiatorium reperiri, (quod nihilominùs ſuprà probauimus) fatetur tamen per commemoratiuam illam oblationem nos poſſe poſtulare, fructum ſacrificij crucis nobis applicari in peccatorum remiſſionem & animarum ſalutem. Quamobrem negatiuam partem, quòd ſcilicet non ſit ſacrificium impetratorium, ſibi tuendam non aſſumpſit. At hoc caput intactum relinquens, ſuo hoc ſpontaneo ſilentio ſatis innuit, minimè hac de re ſe mouere velle vllam controuerſiam. Nec adeo mirum, cùm Caluiniſtici Miniſtri in formula ſuæ Cœnæ celebrandæ incutiant populo hoc in myſterio *Pignus dari nobis virtutis, paſſionis, & mortis Domini*: proinde ius par eum petendi hoc & impetrandi, quod nobis neceſſum eſt ad ſalutem. Dicunt inſuper hîc excitandam eſſe fidem de veritate promiſſionum Chriſti: atque inſignis eſt Domini pollicitatio, *Amen amen dico vobis, ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Ioan. 16. 23. Si in nomine, quanto magis in ſanguine, qui hîc vt ipſe Dominus dicit, *effunditur pro nobis in remiſſionem peccatorum? Clamat* (ait Apoſtolus, Heb. 12. 24.) *ſanguis Chriſti melius quàm Abel.* Siquidem ſanguis Abel clamat vindictam, Geneſ. 4. 10. ſanguis verò Chriſti clamat miſericordiam, gratiam, remiſſionem peccatorum & omnium bonorum largitatem. Ideo Apoſtoli ſtatuerunt, vt in incruenti huius ſacrificij oblatione oratio Dominica, quæ peccatorum remiſſionem & omnium auxiliorum quæ nobis tam in ordine ad ſalutem æternam,

quàm vitam temporalem neceſſaria ſunt petitiones continet, à Sacerdote recitaretur, ſed ita ſtatuerunt, ſic à Chriſto vt facerent edocti provt id teſtatur S. Hieronymus lib. 3. aduerſus Pelagianos, *Sic docuit Chriſtus Apoſtolos ſuos, vt quotidie in corporis illius ſacrificio, credentes audeant loqui, Pater noſter qui es in cælis.* Id ipſum aſſerit S. Auguſtinus in lib. 50. homiliar. hom. 42. *In Eccleſiis* (inquit) *ad altare Dei quotidie dicitur ipſa oratio Dominica, & audiunt illam fideles,* quam ſcilicet publico voto & nomine Sacerdos alta voce pronuntiat. Einſdem traditionis Apoſtolicæ teſtis eſt S. Gregorius lib. 7. ep. 61. vbi ait, *morem fuiſſe Apoſtolorum ad ipſam orationem Dominicam hoſtiam immolationis conſecrare.* Tertullianus his omnibus antiquior, eò ſpectans lib. de orat. c. 9. ſolerter notat & admonet, poſt ita recitatam orationem Domini, fas eſſe (vt fieri ſolebat) alias ſubiungere ſpeciales petitiones; *Præmiſſa legitima* (inquit) *& ordinaria oratione, quaſi fundamento accidentium, ius eſt deſideriorum.* Ius eſt *ſuperſtruendi extrinſecus petitiones:* Húncque ipſum morem à Paulo Apoſtolo traditum fuiſſe volunt Patres, ſic enim eundem Apoſtolum intelligunt dum ad Timotheum (1. ep. c. 2.) ait, *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Ad quæ Apoſtolica monita mentem reflectens S. Cyrillus Catecheſ. 5. Myſtag. *Deinde* (inquit) *poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus &c.* Et S. Chryſoſtomus hom. 6. in 1. ep. ad Timoth. *Quaſi communis quidam totius orbis pater* (inquit) *Sacerdos eſt. Dignum igitur eſt, vt omnium curam agat, omnibúſque prouideat, ſicut & Deus, cuius miniſterio ſeruit & fungitur vice, idcirco ait* (Apoſtolus ad Timotheum) *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes & orationes &c. Quid ſibi autem vult, primum omnium? in obſequio ſcilicet quotidiano, perpetuóque diuinæ religionis ritu.* Idem notat in hunc ipſum locum Apoſtoli S. Ambroſius: *Hæc regula*, inquit, *Eccleſiaſtica eſt tradita à Magiſtro Gentium, qua vtuntur Sacerdotes noſtri, vt pro omnibus ſupplicent:* Et lib. 4. de Sacram. c. 4. explicans diuinæ ſynaxis theoriam, & ad Miſſæ canonem ſpectans ait: *Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Luculentiùs locum hunc ipſum Apoſtoli tractat S. Auguſtinus, ep. 59. ad Paulinum, q. 5. *Eligo* (ait) *in iis intelligere quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia, vt precationes accipiamus dictas quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, orationes, cùm benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur &c.* Singulas deinde explicat Apoſtoli voces, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones &c. quas fieri ait *in Dei omnipotentis cultu & participatione corporis & ſanguinis Domini, qui Dei & hominum vnus mediator eſt.* Hæc eſt igitur ratio cur hæ preces fiant, (vt ait S. Cyrillus) *ſuper ipſam propitiationis hoſtiam:* quia hæc nimirum ita eſt Deo grata & accepta, vt eius intuitu peccatoribus noxas indulgeat, gratiam conce-

dat, beneficia quæque largiatur. Si reſpexit Deus Abel & ad munera eius, nónne reſpiciet in faciem Chriſti ſui, vnigeniti ſui? de quo ipſe ait, *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Graphicè vim huius Deo gratiſſimæ oblationis incruenter ſuper altari immolatæ, exprimit hæc directa ad patrem æternum piiſſima ſupplicatio.

Oratio inſignis, dicenda in Miſſæ ſacrificio, à fidelibus qui ei aſſiſtunt: vt eius poſſint fructū, per efficaciam impetrationis quam habet, copioſum percipere.

Omnipotens pater, qui ſic dilexiſti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam: per hunc dilectum filium tuum, cuius beatiſſimam paſſionem, & glorioſam reſurrectionem, & in cœlos aſcenſionem recolimus, te oramus vt de excelſo throno gloriæ tuæ ſuper hoc altare oblatam tibi puriſſimam & pretioſiſſimam victimam paterno vultu reſpicias, quem enim alium dirigeremus ad te interceſſorem, niſi hunc agnum immaculatum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Ecce aduocatus noſter ad te Deum patrem, ecce Pontifex ſummus qui non alio eget cruore expiari, quia proprio refulget perfuſus ſanguine. Ecce hoſtia ſancta, beneplacens & perfecta, oblata tibi in odorem ſuauitatis. Ecce pater optime, pater ſancte, agnus ille innocens ſine macula, qui inter manus tondentium obmutuit, ſed nunc te pro nobis in voce ſui ſanguinis interpellat. Hic eſt filius tuus dilectiſſimus, qui alapis cæſus, ſputis illitus, opprobriis affectus, pro ſuis perſecutoribus tanta pietatis inſtantia miſericordiam tuam poſtulauit, & qui peccatum non fecit, qui peccata noſtra pertulit, qui languores noſtros tanta charitate portauit, qui ſe pro nobis redimendis hoſtiam, & oblationem impendit, ac cruentam ſuam immolationem in hoc incruento ſacrificio quotidie renouari pro gloria tua, & reconciliatione noſtra, in Eccleſia ſua renouari voluit. Tribue nobis quæſumus clementiſſime miſericordiarum pater, huic tam admirando quàm ſalutari myſterio piè & reuerenter intereſſe, ac eius participatione & fructu gaudere, vt & nominis tui & gloria in gentibus toto orbe celebretur, & nos per filij tui vnigeniti pretioſum corpus & ſanguinem, plenam delictorum remiſſionem, gratiæ tuæ munera, infirmitatis noſtræ auxilia, & bona verè ſalutaria conſequamur, tibique ſemper placeamus, & fideliter ſeruiamus. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Theologi Scholaſtici hoc ſacrificium adeo eſſe imperratorium docent, vt eius efficientia propria ſit impetrare, & vim præcipuam habeat per modum impetrationis. Quid autem impetrari poſſit per hoc ſacrificium, ita luculenter definit & declarat Oecumenica Synodus Tridentina, vt dilucidiùs nequeat explicari: *Et quoniam* (inquit) *in diuino hoc ſacrificio quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit: docet S. Synodus ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſúmque fieri, vt ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur & gratiam inueniamus in auxilio opportuno: huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia remittit, vna enim eadémque eſt hoſtia, idémque nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuerſa: cuius quidem oblationis* (cruentæ inquam) *fructus per hanc incruentam vberrimi percipiuntur, tantùm abeſt vt illi per hanc quouis modo derogetur; quare non ſolùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis ſatisfactionibus & alia neceſſitatibus: ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apoſtolorum traditionem, offertur.*

Hic tamen multa quæri poſſunt, quæ in ſcholis à Theologis agitantur, v. g. 1. *An proſit hoc ſacrificium ex opere operato, vel ex opere operantis, aut vtroque modo?* Aſſertio certiſſima eſt, vim præcipuam habere ex opere operato, hoc eſt ex parte Chriſti principaliter offerentis: habere tamen etiam ex opere operantis, ſcilicet miniſtri offerentis, ſcilicet Sacerdotis ſacrificantis. 2. *An ex parte Chriſti ſit hoc ſacrificium meritorium & ſatisfactorium?* Sunt qui cenſeant neque meritorium, neque ſatisfactorium eſſe ex hac parte, quia Chriſtus cùm ampliùs non ſit viator, nec mereri, nec ſatisfacere poteſt, ſed tantùm impetrare. Verùm cùm Chriſtus hoc inſtituit ſacrificium adhuc viator erat, & mereri, & ſatisfacere poterat prout fecit. Hæc autem incruenta oblatio eadem eſt ac illa prima: dici igitur poteſt hoc ſacrificium, & meritorium & ſatisfactorium eſſe; meritorium quoad culpam, & remiſſionem eius: ſatisfactorium quoad pœnæ debitum; non quòd nunc Chriſtus vt fecit in cruce mereatur, & ſatisfaciat de facto: ſed quòd meritum & ſatisfactionem, quam in vita, & morte ſua operatus eſt, nobis per hanc ſuam veram & myſticam oblationem applicet, impetrando per antecedentia illa merita & ſatisfactiones, vt fructus ſuæ paſſionis nobis ad hos effectus communicetur. Hoc clarè inſinuat Apoſtolus, Heb. 7. *Chriſtus ſempiternum* (inquit) *habet Sacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum; ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et ad Rom. 8. *Chriſtus qui mortuus eſt & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis;* oratione ſcilicet interpretatiua, repræſentando deſiderium animæ ſuæ, offerendo ſe Patri vt eſt Sacerdos & mediator noſter, exhibendo cicatrices ſuas quas in paſſione acceptas adhuc ſeruat, ſua merita, ſuos labores, ſuas paſſiones allegando, & hoc eſt quod docet Apoſtolus, *Introiuit in ipſum cœlum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* *Hebr. 9. 24.* quemadmodum ſancti Patres intelligunt ac docent, Gregorius Nazianzen. orat. 4. de Theologia, Sanctus Chryſoſtomus in loca Apoſtoli indicata, Sanctus Auguſtinus in Pſ. 29. Sanctus Gregorius in Pſ. 5. pœnitent. & lib. 1. Moral. c. 24. 3. Sed hinc quærunt Theologi: *An omnia Chriſti merita & ſatisfactiones nobis actu per hoc ſacrificium conferantur? vel an fructus Miſſæ ſit finitus vel infinitus?* Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Miſſa, c. 4. aſſerit valorem ſacrificij Miſſæ eſſe finitum, hâncque eſſe ait communem Theologorum ſententiam, quam probari confirmat ex vſu Eccleſiæ. Nam ſi Miſſæ valor infinitus eſſet, fruſtra multæ Miſſæ præſertim ad rem eandem impetrandam offerrentur: Si enim vna infiniti valoris eſt, certè ad omnia impetranda ſufficiet, quorſum igitur aliæ? Et confirmat iterum ex ſacrificio crucis, quod non alia de cauſa vnum tantùm fuit, neque vnquam repetitur, niſi quia illud vnum infiniti valoris fuit, & pretium acquiſiuit pro omnibus peccatis præteritis & futuris remittendis. Sed tamen quia mirum videtur cur valor ſacrificij huius ſit finitus, cùm idem ſit hoc ſacrificium cum ſacrificio crucis; & cùm ipſa hoſtia & offerens Chriſtus infinito modo ſit Deo grata? Ad quem

excutiendum ſcrupulum, aliquot affert rationes, quarum poſtrema quam potiorem iudicat, ſumitur ex ipſa Chriſti voluntate & mero beneplacito; *Nam etiamſi*, inquit, *poſſit Chriſtus per vnam oblationem ſacrificij incruenti, quælibet à Deo & pro quibuſcumque impetrare: tamen petere noluit, nec impetrare, niſi vt pro ſingulis oblationibus applicetur certa menſura fructus paſſionis ſuæ, ſiue ad peccatorum remiſſionem, ſiue ad alia auxilia quibus opus nobis eſt ad ſalutem, ſiue ad alia beneficia quibus in hac vita quomodocumque indigemus; videtur autem Chriſtus id voluiſſe, tum vt hoc modo frequentaretur hoc ſacrificium, ſine quo religio conſiſtere non poteſt: tum quia id requirebat ordo diuinæ prouidentiæ, quæ omnia diſponit ſuauiter.* (Addi poterat ne fierent homines deſidioſi, ſed ſalutis ſuæ magis eſſent ſolliciti, huiúſque ſacrificij forent feruentiores cultores, & huius ac cæterorum Sacramentorum bonorúmque operum ſtudioſiores.) Doctrina hæc Cardinalis Bellarmini ſolida eſt, clara & ſincera: Sed Gamachius loquendi modum in hoc non admittit, quod habet, finitum eſſe valorem ſacrificij Miſſæ: nec enim cenſet hîc dici poſſe ratione hoſtiæ & principalis offerentis; diſtinguendum igitur eſſe inter pretium & valorem ſacrificij in ſe, quoad rem oblatam, & primarium Sacerdotem, cum externo eius effectu (id eſt cum gratia, quæ per illud nobis impetratur). aliud enim eſſe loqui de virtute, aliud de operatione præſertim in moralibus, quæ non ex neceſſitate phyſica & naturali, ſed libera voluntate & inſtitutione pendent, vt in pactione Teſtamenti quod Chriſtus fecit in vltima Cœna: non enim Chriſtus agit neceſſariò, quantùm poteſt, ſed ſolum quantùm vult & prout vult. Confirmat autem iſte Doctor hoc ſacrificium finiti eſſe effectus, quatenùs à Sacerdote offertur, ſiue in perſona propria, ſiue in perſona & nomine totius Eccleſiæ; non enim merita Sacerdotis, imò nec Eccleſiæ cum meritis Chriſti vllo modo comparari poſſunt: nec vllam cum ipſis proportionem habent, & nullius ſunt momenti, niſi quatenùs Chriſti meritis innituntur. Quæ quidem dicta vera ſunt, & in reipſa à ſcitis Bellarmini non diſcrepant. Leſſius tamen cum aliis pleriſque aſſerit ſacrificium Miſſæ vim ſemper habere quodammodo infinitam, quia non eſt determinatum ad certum numerum perſonarum; ſiue enim loquamur de viuis in Eccleſia, ſiue de defunctis, ſiue de aſſiſtentibus ſacrificio: non minùs quiſque particeps eſt fructûs illius dum plures ſunt, quàm cum pauciolis; nec plus ad ſingulos peruenit, cùm pauciores, quàm cùm plures ſunt.

Vide Vaſquez tom. 3. in 3. p. S. Th. q. 83. a. 1 diſ. 230. cuius eſt titulus De magnitudine valoris huius ſacrificij, *c. 1. &c. p. 461. & ſeqq.*

Comment. in 3. p. S. Tho. de Sacerdotio, c. 8. p. 481.

Obiiciet hîc verò quiſpiam. Igitur quid iuuat ſacrificium curare pro ſe, aut pro alio ſingulariter à Sacerdote offerri? Reſponſio eſt, quia etſi ſacrificium prodeſſe poſſit omnibus, quamobrem reipſa pro omnibus offertur, (ſicut ſuprà probatum eſt) tamen iis magis prodeſſe poteſt pro quibus ſingulariter offertur. Applicatio iſta ab intentione pendet Sacerdotis offerentis: at non pendet ex ipſius intentione determinatio fructûs; quem quiſque, ipſéque pro quo ſingulariter offert, debet percipere: ſiquidem hoc Chriſtus auctor huius ſacrificij, hoſtia & præcipuus Sacerdos, ſuo beneplacito prorſus reſeruauit.

Diſtin-

Diſtinguendum tamen hîc quidam arbitrantur; de fructu ſacrificij ratione operis operati, id verum eſſe; haud ſecus tamen ratione operis operantis. Nam ex communi vſu Eccleſiæ, qui curat Sacerdotem pro ſe vel ſuis Miſſam celebrare, expectat non modò fructum, quem habet ſacrificium per ſe, ſed etiam quem habet ex deuotione offerentis. Ex quo ſequitur, non poſſe Sacerdotem plura ſtipendia pro vno ſacrificio accipere, quia qui curat ſacrificium pro ſe offerri, totum fructum expectat, quem Sacerdos per ſacrificium conferre poteſt, iuxta receptum Eccleſiæ morem.

Hinc verò eſt quòd Sacerdos apud ſe perpendat, quanti ſit momenti ſacrificium offerre non tantùm pro ſe, & pro vniuerſa Dei Eccleſia; ſed ſpeciatim, & ſingulariter pro iis, qui ad eius opem & miniſterium confugerunt. Certa res eſt quòd Sacerdos ſolus ſit immediatus, & viſibilis miniſter ſacrificij Miſſæ, quódque ex parte operis operantis pleriſque poſſit clientibus, ſiue æternæ ſalutis ſubſidia, ſiue vitæ præſentis ſolatia, in ipſo ſacrificio impetrare, *Si cum vero corde* (vt loquitur Concilium Tridentinum) *& recta fide, & cum metu & reuerentia, nec non in ſpiritu contrito, & humiliato ad hoc tremendum myſterium peragendum, & ſalutare ſacrificium Deo offerendum, accedat.* Si ſecus igitur ſacro hoc munere defungatur, haud dubium, quin grauis piaculi ſeſe obſtringat reatu. Sententia celebris eſt venerabilis Bedæ, *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in ſe eſt, priuat ſanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpeciali beneficio, & ſeipſum medicina & remedio.* Porrò ſi ex ſimplici omiſſione extra legitimum impedimentum, tantum incurrit reatum: quanto piaculo ſit obnoxius, qui diuinum hoc munus cum impura conſcientia, & ſine metu & reuerentia, ſine fide, ſine contritione & confeſſione, ſine deuotione, & vero diuinæ charitatis affectu, celebrare aggreditur? *Fit ei procul dubio oratio in peccatum*, atque in ſacrilegium vertitur eius ſacrificium: *conculcat enim* (vt ait Apoſtolus Heb. 10. 29.) *Filium Dei, & ſanguinem Teſtamenti pollutum ducit, in quo ſanctificandus erat, & ſpiritui gratiæ contumeliam facit.* Qui ſic voluntariè peccat, *non relinquitur hoſtia pro peccato.* Caueat Sacerdos igitur, hoc extremum ſcelus quanto cum horrore fieri poteſt, ſibique (quia de anima ſua agitur) tota intentione conſulat, ſuppléxque & humilis diuinam Maieſtatem deprecetur, vt ſibi quæ auxilia neceſſaria ſunt ad dignè hoc officio perfungendum concedere dignetur; diſcat ſic orare cum S. Ambroſio in tam tremendæ actionis procinctu: *Ego Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum (licèt peccator) vt offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra; ſuſcipe illud quæſo ſumme Deus pro Eccleſia ſancta tua, & pro populo quem acquiſiſti ſanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te, & eundem populum medium eſſe voluiſti, licèt in me aliquod boni operis teſtimonium non agnoſcas: officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes, nec per me indignum, eorum ſalutis pereat pretium pro quibus victima ſalutaris dignatus es*

eſſe redemptio. Profero igitur Domine (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miſerias orphanorum, neceßitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum: Tu enim miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Atque hactenus de *ſacrificio impetrationis.*

ARTICVLVS IV.

Eſſe etiam ſacrificium laudis, & gratiarum actionis.

EVCHARISTICVM idcircò appellatur, ſiquidem εὐχαριστία, dicitur ἀπὸ τοῦ εὐχαριστεῖν quod gratias agere ſignificat, prout fecit Dominus inſtituendo noui Teſtamenti ſacrificium: *Accepto pane* (ſcribit S. Lucas c. 22.) *gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur,* (ita & Apoſtolus 1. Cor. 11.) *Et accipiens calicem* (inquit S. Matth. c. 26.) *gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Propter quæ euidentia teſtimonia aduerſarij (ſcilicet Lutherani & Caluiniſtæ) non negant in hoc myſterio agendas Deo gratias eſſe, & inde ipſum diuinum myſterium nomine Euchariſtiæ, rectè & propriè appellatum: quin etiam ea ratione ſacrificium iure dici poſſe, & reuera eſſe: at ſacrificium tantummodò laudis, & gratiarum actionis, ſic apertè docet Melanchton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. de Miſſa, Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 18. Martinus Kemnitius 2. part. Exam. Concil. Trident. & nouiſſimè Petrus Molinæus in Nouit. Pap. Controuerſ. 10. c. 6. vbi quaſdam aſſignat rationes cur à ſanctis Patribus Euchariſtia conſtanter appelletur ſacrificium. Primò, inquit, quia eſt commemoratio ſacrificij Ieſu Chriſti: ſiquidem in ſancta Cœna Deo offerimus Ieſu Chriſti ſacrificium, obſecrando, vt meritum eius mortis pro peccatis noſtris acceptare dignetur. Secundò, inquit, *ſancta Cœna ſacrificium eſt gratiarum actionis;* quod & Patres indicârunt, quum Euchariſtiam vocitârunt, & conſequenter ſacrificium Euchariſticum, hoc eſt *ſacrificium gratiarum actionis.* Canon Miſſæ hoc ipſum confirmat, etenim appellat quod offert Sacerdos, *ſacrificium laudis.* Non eſt igitur hac de re nobis cum illis circa hoc controuerſia, niſi in eo quod volunt ſanctam Euchariſtiam eſſe dumtaxat labialem oblationem, non realem, & eſſe quidem ſacrificium laudis, ſed tantùm ſacrificium laudis, non autem religionis neque propitiationis. Quod tamen ſuprà fuit apertiſſimè demonſtratum, & ſatis ſupérque comprobatum. At verò paſſim ludit Molinæus in hoc nomine. Quod enim Patres & Canon Miſſæ appellant hoc ſacrificium laudis, inde infert eſſe tantùm laudis ſacrificium. Quæ illatio quàm ſit inepta, ipſa quam edidit Logica, facilè ipſum docebit. Sanè Patres vocant hoc myſterium, ſacrificium laudis: ſed vocant itidem *Latriam incruentam, hoſtiam propitiationis, corpus Chriſti, veram immolationem, victimam pretij noſtri, ſacrificium*

p. 911.

tremendum, adorandum, ſacrificium ſummum, ſingulare, ſacrificium verum, plenum, perfectum, ſacrificium Deo plenum: ita & canon Miſſæ eodem loco quem citat Molinæus, appellat quidem incruentam hanc Chriſti oblationem, *ſacrificium laudis*, ſed continuò prædicat expiatorium, & ſalutiferum ſacrificium; ſic enim Sacerdos ait: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.* & poſt conſecrationem, *offerimus præclaræ maieſtati tuæ hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.* & infrà, *ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.* Mira ſanè hîc eſt Molinæi, & cæterorum aduerſariorum cæcitas vel pertinacia! Agnoſcunt hoc myſterium, & rectè vocari, & verè eſſe ſacrificium laudis, quia gratias agendo Chriſtus illud inſtituit*: cur non igitur ipſum fatentur eſſe ſacrificium propitiatorium & expiatorium, cùm Chriſtus ſe illud inſtituere pro nobis expreſſè dixerit in remiſſionem peccatorum; ideóque fractionem adhibuerit in conſecrato pane, effuſionémque fieri ſui ſanguinis in calice teſtatus ſit? Fractio ſecundùm Caluinum eſt *genuinum indicium immolationis*; effuſio ſanguinis immolatæ victimæ, ſecundùm Apoſtolum, ſignum eſt expiationis, & remiſſionis peccatorum: quam fieri in hoc myſterio, vt præmonuimus, Chriſtus ipſe diſertis verbis edocuit. Sed nemo magis cæcus eſt, eo qui poſſet videre ſi vellet, at non vult ſibi oblatum lumen aſpicere; ſumma hæc enim dementia eſt, ſeu malitia. Quamobrem Spiritus ſanctus de impiis conſpicuæ veritatis impugnatoribus, apud Sapientem ſignatim dicit c. 2. 20. *Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum.* His igitur dimiſſis, inſtructionem Sacerdotis circa Miſſæ ſacrificium vt eſt ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, recto tramite perſequamur.

* Nota inſignem obſeruationem.

Heb. 9.

Chriſtus inſtituens Euchariſtiæ ſacrificium, *gratias egit*, iuſsítque nos quod ipſe tum fecit, ſemper impoſterùm facere in ſuam commemorationem. hinc praxis Eccleſiæ perpetua, in hoc ſacrificio gratias Deo debitas referendi, & populum voce ſacrificantis Sacerdotis ad eas agendum interpellandi. *Gratias* (inquit) *agamus Domino Deo noſtro.* reſpondet populus, *Dignum & iuſtum eſt:* tum infert Sacerdos, *Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Quæ diuinæ actionis præfatio in omnibus Liturgiis tam Græcis, quàm Latinis ferè iiſdem verbis, at vbique conſono ſenſu repetitur, iámque ab initio in vſu, & praxi fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ paſſim videre eſt apud Patres, S. Irenæus lib. 3. c. 34. *Igitur*, inquit, *Eccleſiæ oblatio, quam Dominus iuſſit offerri in vniuerſo mundo purum ſacrificium reputatum eſt apud Deum, & acceptum eſt ei, &c. Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo &c.* Et longiùs poſt prædicta; *Et hanc oblationem Eccleſia ſola**, *puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione.* Sed quænam iſta eſt oblatio? Ipſe ſanctus Martyr, eiuſdem lib. 3. c. 32. in fine indicat, *ſed & ſuis diſcipulis Do-*

Matth. 26. 1. Cor. 11.

* Caluiniſtarũ igitur hæreſis apertiſſima nota eſt, quòd hoc ſacrificium non habent, at negant, & ſublatum ire cum Antichriſto conantur.

minus dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis &c. vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint: eum qui ex creaturis panis eſt accepit & gratias egit dicens hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens: Deo offert in vniuerſo mūdo, ſicut fuerat prædictum à Malachia Propheta(cuius recitata pòſt oracula mox ſubiungit) *manifeſtiſſimè ſignificans, per hæc quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo; omni autem loco ſacrificium offertur Deo, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus.* ſcilicet quia per hoc ſacrificium Deus adoratur ſupremo cultu, & laudes pro ſuis immenſis beneficiis, gratiarúmque actiones hoc ſolenni ritu puriſſimi ſacrificij referuntur. Hinc S. Cyprianus ſerm. de orat. Dominica, verſus finem, *Ad hæc*, inquit, *inter ſacra myſteria, ad gratiarum actiones reuertitur.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 5. Myſtag. *Poſteà*, inquit, *clamat Sacerdos, Surſum corda; vos reſpondetis, Habemus ad Dominum, deinde dicit Sacerdos, Gratias agamus Domino Deo noſtro.* S. Chryſoſtomus homil. 18. in 2. ad Cor. *Nec ſolus Sacerdos gratias agit, ſed etiam omnis populus: priùs enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, vt dignè & iuſtè hoc fiat, incipit Euchariſtiam.* Idem homil. 26. in Matth. *Ideo aſſiſtens Sacerdos pro vniuerſo terrarum orbe, pro abſentibus atque præſentibus, pro iis qui ante nos fuerunt, & poſtea futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito, Deo nos gratias iubet offerre.* Succinit ſanctus Auguſtinus lib. de ſpirit. & litt. cap. 11. vbi ait: *In ipſo veriſſimo & ſanctiſſimo ſacrificio, Deo noſtro gratias agere admonemur.* Et epiſt. 120. cap. 19. *Hinc gratias agimus Domino noſtro, quod magnum eſt Sacramentum in ſacrificio noui teſtamenti: ſacrificium enim iſtud ad hoc inſtitutum eſt, vt habeamus quo dignas Deo gratias perpetuò rependamus, pro innumeris ac ingentibus eius in nos beneficiis, ſed redemptionis præcipuè.* Tanta enim beneficiorum eius immenſitas, tam inſolitæ & inauditæ omnibus ſæculis miſerationes, ſingularem quoque & inauditam gratiarum actionem à nobis poſtulabant: At nulla poterat eſſe maior aut præſtantior gratiarum actio, quàm quæ oblatione huius ſacrificij perficitur; partim quia nihil præſtantius aut gratius & acceptius pro omnibus beneficiis acceptis offerri Deo poterat iſto ſacrificio, cuius hoſtia tam pretioſa, tam digna eſt, vt ſola ſit, quæ maieſtati eius, cui offertur, valeat adæquari, vnde illud Pſalmographi, Pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*: partim etiam quia nulla alia re magnitudinem beneficiorum eius magis commemorare ac commendare poteramus. Teſtamur enim non modò eum eſſe rerum omnium creatorem, ſed & auctorem redemptionis & ſalutis noſtræ; profitemur etenim Patrem miſiſſe Filium in carnem ad nos redimendos, liberandos, ſaluandos, & omni benedictione cumulandos: cum verò ipſius voluntate pro nobis ſuſcepiſſe crucem, fudiſſe ſpiritum & ſanguinem, ipſámque eiuſdem vnigeniti mortem in hoc ſacrificio repræſentamus, eandémque hoſtiam in tanti beneficij gratitudinem offerimus. Solerti mente, id eſt ſolito acumine, hoc attigit arcanum expreſſitque ſanctus Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuerantiæ, c. 13. *In Sacramentis fidelium dicitur,* (ait)

vt ſurſum habeamus corda, quia munus eſt Domini, de quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à Sacerdote admonemur. Et de bono viduitatis cap. 16. *Et ideo ſequitur* VT DE HOC TANTO BONO *&c.* NON NOBIS GLORIAM *&c.* SED DOMINO DEO NOSTRO GRATIAS AGAMVS. Euchariſtia eſt operum Dei mirabilium anacephalæoſis. Quapropter ait Propheta de hoc myſterio, *Memoriam fecit Dominus mirabilium ſuorum*: non naturæ modò, ſed potiſſimum gratiæ. Eſt *extenſio Incarnationis*, & totius Domini diſpenſationis, noſtræque redemptionis ab ipſo peractæ. Et ideo facta conſecratione ac eleuatione ſalutaris hoſtiæ & calicis, Sacerdos ait: *Vnde & memores Domine tam beatæ Paſſionis, nec non ab inferis reſurrectionis, ſed & in cœlos glorioſæ aſcenſionis offerimus præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ.* Quia nimirùm ſummum Dei beneficium eſt, & donum, & datum, quo cætera omnia Dei erga nos beneficia coaceruantur, hócque ſupereminenti munere cumulantur. Nullum igitur donum aut munus nobis ſuppetebat, quo ſicut *dignum & iuſtum eſt* Deum honorare & gratias pro immenſis ſuis beneficiis, hócque ſingulari, ſummóque dono diuinæ eius bonitati rependere: quàm hoc ipſum diuinum planè & cœleſte munus ipſi offerendo, ſeu potiùs tanquam auctori eius & largitori referendo. Quod notauit obiter quidem, ſed ſcitè & ſapienter S. Irenæus lib. 3. cap. 34. in fine, *Offerimus autem Deo &c. gratias agentes donationi eius.* aliter etenim non poterant eius erga nos beneficia compenſari, nec dignæ ipſo grates referri. Præclarè idcircò monet ſanctus Auguſtinus: *Quid ſacratius eſt*, inquit, *laudis ſacrificium, quàm in gratiarum actione? Et vnde maiores Deo agendæ ſunt gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? Quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cuius vmbra fuerunt omnia priora genera ſacrificiorum.* Nec minus aptè & ſcienter S. Chryſoſtomus, homil. 16. in Matth. ad cap. 8. *Reuerenda* (inquit) *& ſalutaria illa myſteria quæ in omni Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia* *, *id eſt gratiarum actio nuncupantur, ſunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, capútque ipſum diuinæ in nos charitatis oſtendunt, nóſque faciunt debitas Deo gratias ſemper exoluere.* Porrò homil. 26. in Geneſ. inſignem obſeruat hac in re, Dei in nos munificentiam, *Non vt noſtra* (inquit) *gratiarum actione opus habens, ſibi vult gratias agi: ſed vt quicquid lucri eſt, iterum ad nos redeat.* Quæ ſanè, mira Dei in nos bonitas eſt & miſericordia.

Pſal. 110.

Lib. 1. cap. 18. cont. aduerſ. legis & Prophetarum.

* *Origen. lib. 8. contra Celſum*, dicit, Euchariſtiam ſingulare bonum; gratiam de qua, & per quam, conuenienter Deo gratias agimus.

Mira eſt etiam Eccleſiæ induſtria ad gratias proptereà Deo debitas rependendum, ſcilicet nouerat hominem impeditioris eſſe linguæ, ad Deum prout oportet laudandum & glorificandum. Aduocat igitur Sacerdos ad ſupplendum quod vniuerſum humanum genus non ſufficit perſoluere, dignæ & iuſtæ collaudationis debitum. Ideo cœleſtis militiæ exercitus, ſuos vt noſtris præconiis iungant concentus, piè & deuotè interpellat: *Maieſtatem* (inquit) *tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates, cœli cœlorúmque virtutes, ac beata Seraphim*

ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Sed nec vllæ hominum voces, nec cœleſtium ordinum quantumuis pura & ſuauis modulatio diuinæ Maieſtati grata eſſe poteſt, niſi Agni cantico coniungatur. Abſoluta auctoritas eſt. 1. Pet. 4. 11. *Oportere nos in omnibus Deum glorificare, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sine verbo factum eſt nihil, ſine Chriſto nulla laus poteſt æterno Patri complacere; *Hic eſt* (inquit) *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Aduocatis ideo in concentum diuinæ glorificationis Angelis & Archangelis, cunctiſque ſupernæ militiæ ordinibus, decantatóque cum Seraphim & Cherubim triſagio, Sacerdos totum hoc præconium gratiſſima hac Deo melodia complet: *Te igitur clementiſſime pater per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus ac petimus.* Vbi miro pietatis artificio duo ſubordinatim coniungit; cultum etenim ſe Deo ſupremum hac ſolenni per Chriſtum glorificatione referre profitetur: túmque in eius nomine quæque nobis ſalutaria depoſcit, oblatáque ſubinde ad efficaciter impetrandum quod poſtulat, hoſtia propitiationis & ſalutis (quæ ipſe Chriſtus eſt) circulum perficit myſticum: etenim ad laudem & gratiarum actionem, vnde diuinum myſterium inchoauerat, hac clauſulâ redit, *Per Chriſtum Dominum noſtrum: per quem hæc omnia Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis & præſtas nobis, per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti, omnis honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

Ioan. 1.

Matth. 12.

CAPVT VIII.

De loco ſacrificij.

TEMPLVM, altare, & ſacrificium correlata ſunt, & ita coniuncta, vt ſeſe mutuò complectantur. Templum eſt locus altaris, altare ſitus eſt hoſtiæ immolatæ, & proprius locus ſacrificij. Hac de cauſa Nouatores qui omne ſacrificium externum in Eccleſia tollere nituntur; & templis & aris bellum implacabile indixerunt. Quamobrem cùm primùm graſſari cœperunt, quotquot potuerunt templa & altaria ſuo furori ſubiecere, impio auſu, manibúſque ſacrilegis vbique euerterunt. Haud dubium quòd ſi in ipſum cœlum poſſent irruere, templum & altare quod ibi eſt (nam hîc remanet ſacrificium incenſi, id eſt ſummi cultus & honoris) eſſent proculdubio (niſi Angeli obſiſterent) funditus euerſuri. *Datus eſt mihi calamus* (ait S. Ioannes Apoc. 11. 1.) *ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi, ſurge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo:* Quaſi diceret, metire *id eſt conſidera attentiùs ſtructuram & proportionem templi & altaris ſuperni. Calamo metire inquam, ſed percute virga diuini furoris impios, qui templum & altare de regno Dei auferre atque ſubrue-

*Nota.

re moliuntur. Superiori ſæculo patres noſtri non ſine gemitu & lachrymis templa & altaria à Caluiniſtis nefando auſu, ſathanico impulſu & impetu, totâ ferè Europâ, ſolò æquari conſpexerunt. Rudera quæ iacent pleriſque locis, in aceruum teſtimonij, etiamnum patent, diſperſique lapides ſanctuarij in medio platearum, abominationem deſolationis factam in loco ſancto, à prodromis filij perditionis, vbique indicant & teſtantur.

Attamen Caluiniſtæ poſtquàm demum deferbuerunt, pudore facti tam execrabilis eò deuenerunt, vt templa per ſe non eſſe mala faterentur, ipſique habere inceperunt (Conuenticulorum enim ſuorum locis, Templi nomen paſſim indiderunt,) contendentes non vſum, ſed abuſum templorum à ſe reprehendi. Erigi enim debere (vt eos docuit Caluinus lib. 1. Inſtit. c. 11. §. 13. & lib. 3. c. 20. §. 30.) *ad communes preces fundendas, ad habendas conciones, ad Sacramenta miniſtranda; non verò ad ſacrificium offerendum.* Quæ capitalis omnium recentiorum ſectariorum hæreſis eſt, ſuperiùs patentis impietatis conuicta. In Germania Lutherani vim templis non intulerunt, quoad fabricam & ſtructuram, quam ſuis conuenticulis ſartam tectam ſeruari voluerunt. At omnia altaria inde ſubmouerunt, prorſúſque abſtulerunt, quia ſacrificium Chriſtianum omnino totis viribus amoliuntur. Hîc igitur nobis quæſtio cum illis non eſt de templis: at de altari & ſacrificio. Quin probatô iam copioſè ac euidenter ſacrificiô externô, vero & propitiatorio: vix quæſtio ſupereſſe poteſt de altari. Vbicumque enim eſt eiuſmodi ſacrificium nemo negat, aduerſariorum etiam rigidiorum, huic celebrando & offerendo altaria erigenda eſſe. Vix igitur quicquam reſtat de altari etiam nobis cum eis diſputandum; ſed pauca quædam refellenda, quæ Molinæus aduerſus Eccleſiæ Catholicæ altaria, nuper obiecit.

ARTICVLVS I.

Seu *DISCEPTATIVNCVLA*

De altarium antiquiſſimo in Eccleſia vſu: materia, forma, fine, ſitu, ſingularitate, & pluralitate.

Aduerſus Petrum Molinæum, Caluiniſtarum rigidiorum, in Gallia, anteſignanum.

§. I.

An altaris nomen pro primordiali Menſæ vocabulo ſenſim irrepſerit?

MOLINÆI RATIVNCVLÆ.

ISTE Miniſter (*c.17. Contr.16. lib. ſuæ Nouitatis*) vbi ſuo ex genio deſcribit primitiuæ Eccleſiæ circa celebrationẽ diuinæ Euchariſtiæ mores ac

de ſacrificio Euchariſtiæ intelligunt; Theophylactus hîc monet agi de ſacrificio incruento: idem docent S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Sedulius, Primaſius, aliíque plures; igitur ab Apoſtolis habemus vtrumque vocabulum, altare & menſam: Altare propter ſingulare hoc noui Teſtamenti ſacrificium; Menſam ob vſum Sacramenti. Quia tamen Sacramentum eſt ſacrificij participatio & effectus, ſemper & vbique in Eccleſia nomen altaris fuit acceptius & vſitatius menſæ vocabulo, quod nonniſi rarò videre eſt à Patribus vſurpatum, cùm altaris appellatio ſit apud eos adeo frequens & ſolennis, vt perennis meritò dici debeat. S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in epiſt. ad Philadelph. quam Molinæus ipſe hoc ipſo loco citat, *Eccleſiam vnum altare habere teſtatur.* S. Dionyſius, quem perantiquum & vtilem ſcriptorem Molinæus paſſim fatetur, c. 3. Hierarch. Eccleſ. *altaris* expreſsè meminit. Apoſtolorum canones 3. & 4. altare Domini in Eccleſia poſitum indigitant. S. Irenæus *vicinus Apoſtolorum*, vt pote B. Polycarpi Martyris S. Ioannis Apoſtoli auditoris diſcipulus, lib. 4. c. 20. *omnes Domini Apoſtolos aſſerit fuiſſe Sacerdotes,* quia Deo & altari ſemper ſeruiebant. idcirco in Actis c. 13. vbi Vulgata legit, *Miniſtrantibus autem illis Domino*, Eraſmus aliàs ſatis gratus ſectariis, euidentiâ textus originalis conuictus intrepidè vertit, *Sacrificantibus illis Domino.* Tertullianus Latinorum Patrum antiquiſſimus, paſſim meminit altaris, lib. de pœnit. inter alia ſigna humilitatis pœnitentium, hæc duo recenſet, *Presbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari.* Et in lib. de orat. ſub extremam oram, *Solennior*, inquit, *erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris.* Euſebius Cæſarienſis lib. 4. Demonſt. Euangelicæ, de altari Eccleſiæ pleraque dicit. S. Cyprianus eo nomine nullum frequentius habet; non eſt neceſſe ſimul & vbique commemorare omnia: breuiter igitur dicta clariſſima illius ſubindicabo, Epiſt. 40. *Deus*, inquit, *vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata: Aliud altare conſtitui aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare & vnum Sacerdotium, non poteſt; quiſquis alibi collegerit, ſpargit.* Et ep. 55. *Quid ſupereſt* (Nouatiano) *quàm vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in Cleri noſtri ſacrum venerandúmque conſeſſum, ſimulachra atque idola cum aris ſuis tranſeant.* Et ep. 63. ad Cæcilium, qua ex profeſſo de myſterio tractat Dominici calicis; altaris Domini & eius Apoſtolorum, eius miniſtrorum inſignem facit mentionem. Ep. 64. edicit, *ne inceſti, perfidi, profani, ſacrilegi, apud altare conſiſtant; ne ad altaris impiamenta & contagia patrum per ſuum concurſum reuertantur.* Denique ep. 69. ad Florentium, vocat Epiſcopum, *Antiſtitem & rectorem altaris.* Poſteriorum Patrum teſtimonia, ſcilicet Optati, Chryſoſtomi, Ambroſij, Gregorij Nyſſeni & Nazianzeni, Hieronymi, Auguſtini, notat inſignia Card. Bellarminus lib. 1. de Miſſa c. 16. vbi probat ſacrificium propriè dictum, ex ſacro altarium ritu. Quibus addere poſſem Conciliorum de iiſdem ſanctiones, Carthag. V. c. 4. Rom. I. c. 13. Africani c. 5. Conſtantinopolitani III. c. 99. Aurelian. I. c. 14. Aure-

λειτουργούντων δὲ αὐτῶν κυρίῳ. Act. 13.

lian. III. c. 15. Aurel. V. c. 8. Hiſpal. II. c. 7. Agathenſ. c. 14. Narbon. c. 10. Antiſſiodor. c. 10. & aliorum poſteriorum. Sed vltrà progredi ſuperuacaneum foret, cùm habeamus reum confitentem. Molinæus enim qui teſtimonia primæ antiquitatis hîc notata reperiet; dat manus quoad ſequentis antiquitatis conſenſum. A tempore enim Conſtantini Magni altarium conſtantem vſum, prout nunc eſt agnoſcit. Vnde eſt quòd nonnihil ipſum pudeat falſæ ſuæ aſſertionis, qua dicere non erubuit, primis ſæculis menſæ obtinuiſſe nomen, at paulatim tandem altaris vocabulum pro menſæ titulo irrepſiſſe; hoc enim, vt patet ex citatis teſtimoniis, mendacium eſt craſſiſſimum.

§. II.

An Altaria primis Eccleſiæ ſæculis fuerint tantùm lignea?

MOLINÆVS.

DIXI (inquit c. 18. Controu. 16.) *primis ſæculis Menſam ſacram ligneam paſſim fuiſſe. Hoc didicimus ab Athanaſio in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes: vbi queritur quòd inimici ſui Ariani combuſſerint ante valuas Eccleſiæ ſubſellia, thronum, menſam, quæ lignea eſſet, vela Eccleſiæ, &c.* *

Tom. 1. ep. ad ſolitar. vitam agentes p. 847. in fine, & 848. initio.

RESPONSIO.

SANCTVS Athanaſius florebat ſæculo 4. circa ann. 330. & teſte S. Hieronymo obiit ſub Valente, qui regnare cœpit an. 364. mirus eſt igitur Molinæus Chronologus & ſolers diſputator, qui probatum ire pollicetur, primis Eccleſiæ ſæculis non fuiſſe lapidea altaria, ſed lignea; menſæque non altaris nomine ſolita eſſe vocitari. Quàm bellè id præſtet, videamus? Omiſſis primis ſæculis, ſcilicet ipſo 1. 2. & 3. ſolùm ad 4. recurrit: & in probationem adducit, quod in quæſtione non vertitur, ſic enim arguit: *Teſte Athanaſio, in Eccleſia Alexandriæ erat menſa lignea, quam Arriani flammis iniecerunt: ergo ibi nullum erat altare lapide exciſum.* Conſequentiam hanc eſſe nullam quis non videt? S. Athanaſius dicit Arianos combuſſiſſe vela Eccleſiæ, thronum, & menſam, quæ lignea erat; quæ additio ſatis clarè inſinuat fuiſſe aliam, quæ lignea non erat, alioquin hac diſtinctione opus non erat. Nam hos hæreticos narrat extuliſſe extra Eccleſiam quæ poterant transferri, flammis intuliſſe quæ poterant abſumi; cætera verò in Eccleſia intacta reliquiſſe, quæ vtique fixa & ſaxea erant: addit enim conſultò *& cætera quæ poterant &c.* Neutiquam igitur dicit quod Molinæus ſupponit. Tantum verò abeſt, vt teſtetur ſuo tempore deſtinatam fuiſſe tantùm menſam, & non altare, ad Myſterium diuinum celebrandum: qui in diſputatione habita contra Arium in Concilio Niceno, diſertè ait, *Chriſtum vt Gentiles brutos & Dei ignaros ad verum Dei cultum vocaret, plenos Spiritu ſancto miſiſſe Apoſtolos ſuos, propoſitâ menſâ,* NIMIRVM SACRO ALTARI, *in quo panem cæleſtem &c. omnibus vitam donantem, ſanctum videlicet & ſacro-ſanctum corpus ſuum exhibuit.* Altare igitur ſua ætate dictam eſſe illam ſacram menſam, in qua cultus ille

ſummus Dei veri celebratur, hócque nomine Apoſtolis à Chriſto traditam, ab iis ad poſteros tranſmiſſam palam aſſeuerat. Quid quod eadem pagina Molinæus fatetur ipſius S. Athanaſij æuo altaria fuiſſe lapidea, vt infrà patebit.

MOLINÆVS.

AVGVSTINVS epiſtola 50. eandem querimoniam contra Donatiſtas inſtituit his verbis, *Lignis altaris effractis, immaniter* (inquit) *ceciderunt.*

RESPONSIO.

SI ætate noſtra vixiſſet S. Auguſtinus, de Caluiniſtis eaſdem, aut multùm amariores querimonias depromſiſſet, qui Chriſti altaria vbicumque potuère graſſari, tanta impietate, quanta ferocia euerterunt & confregerunt. At interim Molinæo Caluiniſtæ teſtimonium ſuum petenti S. Auguſtinus non præſtat. Tametſi ex lapide fierent altaria, lignis poterant ad nitorem & decorem cooperiri: hæc Donatiſtæ confregerunt. Addere debuit quod idem S. Auguſtinus teſtatur, *Ipſos Eccleſias flammis incendiſſe?* Ideóne erant ligneæ? Ridiculum. Sed altare vocat S. Auguſtinus ſacrificij locum, nō menſam, ibidémque repoſitum venerabile Chriſti corpus diſertè aſſerit. Porrò lib. 20. contra Fauſtum Manichæum c. 21. *In altari* (inquit) *Chriſti corpus offertur, ſanguíſque eius pro peccatoribus effunditur.* Et Serm. 11. de Sanctis, *Corpus Chriſti* (inquit) *eſt in altari. Quantum igitur ſcelus eſt, quantum ſacrilegium! altare Dei euertere?* Auguſtino antiquior Optatus Mileuitanus (auctorem iſtum quod ligna operta linteamine, initio lib. 6. commemorat, altaria omnia fuiſſe vbique de ligno Molinæus teſtari, perperàm aſſerit) lib. eodem 6. cont. Donatiſtas *altare* appellat *ſedem corporis & ſanguinis Chriſti. Quid igitur* (ait) *tam ſacrilegum, quàm altaria Dei frangere, radere, & remouere? In quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt?* Raditur lapis, frangitur, euerſus etiam remouetur. Quid hîc tantùm ligneum? Saxeus ſit oportet planè Molinæus, ſi his ſe teſtimoniis vt ſaxis obrui non ſentit. Accipiat & illud S. Auguſtini (ſerm. 19. de Sanctis) ad plenum cumulum, *crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris Sacramenta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur, Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ſignum ad ſacros ordines promouentur.* Et ep. 106. *Quando* (inquit) *audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, ora pro incredulis.* Et lib. de cura pro mortuis c. 1. *Non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ quæ in hac conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Audis Auguſtinum, altare Dei quo offertur Euchariſtia paſſim nuncupantem, ligneam verò menſam, nullibi appellantem. Hîc mihi excidere non patior Molinæum paſſim in hac diſceptatione Lectori ludificari: vbicumque enim offendit ligna altaris apud Patres, putat hæc de ipſo altari, quod ex ligno compactum eſſet intelligi: At toto cœlo aberrat, ligna enim altaris, accipit pro lignis ex quibus altare eſſet confectum: ſed apud ſcriptores Eccleſiaſticos non ponuntur pro ipſo altari, ſed

pro cancellis altaris. Id ex eo patet, quod Euſebius agens de inſigni templo Tyrienſi à Paulino extructo memoriæ prodidit lib. 10. c. 4. Hiſt. Eccl. iſta res ſit, * *vt à plebe & multitudine eò non poſſit accedi; cancellis è ligno fabricatis circumdedit.*

* Nota.

MOLINÆVS.

AVGVSTINVS lib. qq. veteris & noui Teſtamenti ſcribit *officium fuiſſe Diaconi, altare deportare.*

RESPONSIO.

FALLITVR, vel fallere cupit Molinæus, hoc teſtimonium dum inducit: nam liber ex quo petitur non eſt S. Auguſtini, ſed cuiuſdam hæretici, quemadmodum accuratè probat Card. Bellarminus lib. de Eccleſ. ſcriptorib. in Auguſtino. Attamen quia Molinæus eiuſdem auctoris ſe teſtimonio niti gloriatur: æquum eſt vt ſe eius iudicio etiam ſubiiciat. At verò plurimùm ipſi incommodat, dum eodem loco, altare ad diuina myſteria teſtatur erigi, menſas verò pro myſteriis Eccleſiæ celebrandis non ſuſtinet appellari, *Nolo*, inquit, *dicere menſis.* At vrgebit fortaſſis. Auctor iſte dicit munus eſſe Diaconi portare altare & vaſa eius & aquam in manus fundere Sacerdoti? Reſpondeo, verba illa omnia olent ſacrificium & ſacerdotium quæ Molinæus eiúſque aſſeclæ tanto odio perſequuntur. Cæterùm vixit iſte auctor, vt ex eius libro elicit præfatus Cardinalis Beſlarminus, annis 300. ab excidio Hieruſalem; ſub finem igitur perſecutionum extitit, quo tempore fuiſſe ob perſecutionum impetus portatilia quædam alicubi altaria, non negamus. Vbique, vel paſſim, & cùm maximè diuina myſteria ſine metu infidelium celebrari poſſent, prorſus inficiamur.

MOLINÆVS.

VERVM *eſſe tamen non diffiteor iam à tempore Conſtantini Magni, ſub quo Chriſtiani magnifica templa extruere cœperunt; in Eccleſiis quibuſdam præcellentibus, ortum fuiſſe morem altaria ex lapide conficiendi.*

RESPONSIO.

IAM igitur S. Athanaſij tempore altaria lapidea erant. Quomodo igitur ſuprà auſus eſt Molinæus aſſerere tempore S. Athanaſij non altaria, ſed menſas ad myſteriorum celebrationem fuiſſe appoſitas? Quæ tametſi altaria etiam dicerentur, nihilominùs non ex ſaxo fierent, ſed ex lignis tantùm compingerentur? Vixit ſanè B. Athanaſius tempore Conſtantini Magni; ſi itaque tum altaria ex lapide fabricabantur in Eccleſiis inſignioribus, fatendum vtique, ætate etiam S. Athanaſij altaria fuiſſe ex lapide confecta, & ſpeciatim Alexandriæ quæ vna ex Regiis ſedibus, atque Patriarchalium Eccleſiarum ſecunda erat, à Romana omnium principe. Quamuis verò hanc confeſſionem manifeſta plus nimium veritas ex ore aduerſarij extorſerit, dimidiam tamen non ſolidam vt ille debuerat veritatem agnouit: ſcilicet quia inuitus loquitur, quotieſcumque de veritate quæſtio eſt: certè enim ante Conſtantinum ſolida, & fixa altaria erant, quemadmodum & templa plurima, quæ Diocletianus religionis Chriſtianæ

odiô, vbique gentium, vt teſtis eſt Euſebius, ſubrui, & æquari ſolo mandauit. Adde quòd perſecutionum metu Chriſtiani hac tempeſtate in cryptis, & locis ſubterraneis ad ſacra conueniebant, in quibus exciſa è lapide altaria conſiſtebant, quemadmodum Romæ etiamnum cernitur in eiuſmodi priſcis Chriſtianorum latibulis, quæ liber, cui titulus eſt *Roma ſubterranea*, propatulo exponit. Pariſiis extat non abſimile monimentum; ſanè etenim anno ſalutis 1611. die 13. Iulij cùm in decliui montis Martyrum, vbi S. Dionyſius cum beatis ſociis glorioſam mortem paſſus eſt, ad capellæ nimis anguſtæ aliquam faciendam accretionem, iuſſu venerabilis Abbatiſſæ Mariæ de Beauuillier, foderetur; inter cauandum apparuit ſpecus ſub rupe, ſeu crypta veterrima, priſcorum Chriſtianorum latibulum, vbi ſacros ritus, myſteriáque ſua, naſcente adhuc religione pij ſecretò peragebant, athletáſque in pugna fidei coronatos ritu Chriſtiano funerabant. Quo in antro ara quædam ſeu altare, non ligneum, ſed de lapide admodum rudi, non ferro, nec alia inſtrumenti arte dolato, vel polito, ad partem ſpeluncæ dextram quæ ſolem orientem conſpicit, repertum eſt, viſæque in eo crucis figuræ, ſparſim inſculptæ, nec non peruetuſti in cryptæ lateribus ſignati characteres, tantæ caducitatis, vt vix ad legendum poſſint dignoſci præter hos pauculos apices: MART. CLEME. DIO. qui ſoli ſuperſunt conſpicui, cæteris penitus oblitteratis præ nimia vetuſtate. Nemini inſpicientium dubium hactenùs hæſit, has litteras à proto-Chriſtianis in rupe ad monimentum exaratas, Martyres Clementem, Dionyſiúmque ab eo miſſum, hócque in monte paſſum, commemorare. Altare verum exciſum in petra crucis ſignaculis ruditer expreſſis inſignitum, indicio eſſe perſpicuo Apoſtolici huius moris, altaria è lapide conſtruendi, aut exſculpendi. Ritus ille etiam perantiquus, ſuper Martyrum ſepulchra incruentum Chriſti ſacrificium offerendi: cuius meminit S. Hieronymus ſcribens aduerſus Vigilantium (Tom. 2. p. 409. a. 1.) *Super oſſa Apoſtolorum offert Deo ſacrificia, & eorum tumulos Chriſti arbitratur altaria* *: eodem argumento eſt, ſuper altaria, quæ ſunt ex lapide, primis Eccleſiæ ſæculis conſueuiſſe diuinam oblationem celebrari. Accedit Decretum vetus, *Altaria ſi non fuerint lapidea, chriſmatis vnctione conſecranda non eſſe.* quod renouatum eſt in Concilio Epaunenſi. Cæterùm ſi aduerſus tam manifeſtam veritatem pertinaciter contenderet Molinæus lignea fuiſſe ab initio altaria, non video quid tum poſſet pro ſua hæreſi colligere. Gloſſa *Altaria* in canonem præcitatum, ferri inſinuat, Romæ, Lateranenſis Baſilicæ altare eſſe ex lignis compactum? at non minùs hîc creditur eſſe altare Chriſtianum, & ſuper illud verum ſacrificium offerri corporis & ſanguinis Chriſti, quàm ſi altare lapideum eſſet. Nec ritus ille, altaria ex petra conſtruendi, adeo immobilis eſt (licèt antiquiſſimus) & alio longè annoſior, totóque ferè orbe ab initio receptus, vt nihilominùs non poſſit in eo diſpenſari, ſicut à Summis Pontificibus factum conſtat, in ipſa Eccleſia Lateranenſi. Ferunt Lucianum Martyrem, & Preſbyterum, ſupinum vinctum in carcere defectu al-

Vide lib. noſtrum de Myſt. Galliæ Scriptor. p. 799.

*Loquitur S. Hieronymus de Rom. Pont.

Extat apud Grat. de Conſec. diſt. 1. n. 31. can. Altaria. Vide Crepetium, vbi Euariſto, & Higino hoc decret. attribuit.

taris conſecrati, ſuper proprium pectus, gratiſſimum Deo ſacrificium obtuliſſe. At hactenùs ſatis de altaris materia. De forma videndum.

§. III.

De forma altaris, atque fine, ad quem eriguntur: ac itidem de ſitu.

MOLINÆVS.

CONTENDIT ad formam conuiuialis menſæ tabulam ſacramentorum fuiſſe confectam, ſequitur enim Caluini paradoxum, lib. 4. Inſtit. c. 18. §. 12. *Menſam*, inquit, *dedit nobis Chriſtus, in qua epulemur, non altare ſuper quod offeratur victima.*

RESPONSIO.

SED quæ dicta ſunt de altaris antiquiſſima nuncupatione, & perenni eiuſdem ad ſacrificium vſu, ex ipſa Chriſti inſtitutione, & conſtanti Apoſtolorum ritu, moréque vbique iam ab hinc recepto, manifeſto ſunt ac ineluctabili argumento diſcriminis, quod inter ſacrificatorium noſtrum; (altare Euangelicum ſic vocat Apoſtolus Heb. 13.) & menſam communem ad conuiuia, & ſympoſia profana diſpoſitam, intercedit. Dicit quidem Apoſtolus *nobis eſſe epulandum*, ſed quia *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:* incruentè quidem nobis appoſitus in cibum vitæ æternæ, ſed tamen verè oblatus in remiſſionem peccatorum, *Super altare*, videlicet *quod habemus, & de quo edere non habent poteſtatem, ij qui tabernaculo deſeruiunt*, quandiu ſcilicet increduli ſunt Chriſto, & vetus Paſcha comedunt, quod veri noſtri tantùm typus erat. Si conuiuialis menſa eſſet Chriſtianis propria, *& non altare*, vt Euſebius Emiſſenus nominat, *reuerendum*, Chryſoſtomus *tremendum:* cur tam ſplendidus ornatus à Patribus huic adhibitus eſt? facta cœna, vt hanc faciunt Caluiniſtæ ſine vllo apparatu, tabulam ligneam amouere, & in angulum deponere, vt aſſolent, ſatis erat. At Theodoretus notæ fidei auctor eſt lib. 1. Hiſt. c. 10. (& hiſtor. Trip. lib. 3. c. 5.) Conſtantino Magno imperante, ſanctáque probante Eccleſia, altare Baſilicæ maioris Hieroſolymitanæ regiis ſtromatis, idémque vaſis aureis & gemmatis, fuiſſe exornatum. Euſebius lib. 10. hiſt. c. 4. ſic altaris Templi, à Paulino Tyrienſi Epiſcopo ædificati, ſitum & diſpoſitionem repræſentat: *Altari denique tanquam Sancto Sanctorum in medio ſanctuarij ſito.* Et infrà, *Auguſtum porrò ingens & vnum altare.* Sanctus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, laudat eum quòd curam gereret ſedulam, *vt altare nitidum & decorum eſſet.* In magnis ſolennitatibus ampliùs exornari altaria, priſcum fuiſſe morem teſtatur, & celebrat S. Paulinus, Natali 3. S. Felicis, hoc tenore,

Heb. 13.

Hom. 4. de Paſcha.

p. 540. 541.

Te priùs alma pio celebrans altaria cultu
Preſbyter inſtituit . . . .
. . . .
Aurea nunc niueis ornantur limina velis
Clara coronantur, denſis altaria lychnis, &c.

§. IV.

Quòd etſi plerumque vnum, tamen plura iam olim in Eccleſia altaria erant.

MOLINÆVS.

VNVM *quondam in qualibet Eccleſia erat altare tantùm; non autem incongrua altariolorum multitudo extructorum in templorum angulis; quemadmodum hodie in Romana Eccleſia licet conſpicere.* p.1016.poſt med.

RESPONSIO.

NIHIL ſpecioſius profert Molinæus quo aſſertum ſuum fulciat, quàm hoc S. Ignatij dictum ad Philadelphenſes, *Vniuerſa Eccleſia vnum habet altare:* ſed totum hîc, & integrum locum placet reponere; quò genuinus S. Ignatij ſenſus cognoſcatur, & fraus Molinæi palam appareat. Sic igitur ait S. Ignatius loco citato: *Scribo ad vos, moneóque vt vna fide, vna prædicatione, vna Euchariſtia vtamini; vna eſt enim caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt: vnus item panis omnibus confractus, & vnus calix qui omnibus diſtributus eſt; vnum altare omni Eccleſiæ: & vnus eſt Epiſcopus cum Preſbyterorum collegio, & Diaconis conſeruis meis. Quandoquidem eſt vnus ingenitus Deus & Pater, & vnus vnigenitus Filius Deus Verbum & homo, vnus Paracletus Spiritus veritatis, & vna prædicatio, & fides vna, & vnum baptiſma, & vna Eccleſia.* Precor te quiſquis hæc legis, agítne hîc Molinæus bona fide? Loquitur Ignatius de Eccleſia, non vt materiale ædificium eſt, ſed vt Chriſti corpus eſt myſticum: traducit hoc Molinæus ad templum materiale, & ſic ad altare, quod hinc infert vnicum eſſe oportere in qualibet Eccleſia, hoc eſt in quacumque æde ſacra; ſi ita eſt, dicit ibidem Ignatius vnum eſſe in omni Eccleſia calicem: igitur in Eccleſia toto orbe diffuſa vnus ſit tantummodo calix materialis, ex quo Chriſti ſanguis vniuerſo generi humano diſtribuatur. Apage has nænias! Miror quî fieri poteſt vt ſic in re ſacra, ideóque ſeria admodùm, non pudeat Molinæum tam pueriliter nugari; quin adeo ineptè & ridiculè argutari, ſuóque Lectori ſic turpiter illudere? Pergit tamen, obiicítque non feliciori luſu, hoc S. Hieronymi in cap. 3. Amos pronunciatum, *Non vnum altare quod habet Eccleſia, ſed altaria hæreticorum plurima.* Quia igitur citat Hieronymi teſtimonium, loquentem Hieronymum ore proprio, & plena verborum ſerie ſenſúque germano nobiſcum audire non grauetur: ſic igitur ait S. Hieronymus ſuper hæc verba Domini apud Oſeam Prophetam, c. 3. *Viſitabo ſuper altaria Bethel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram. Non vnum altare quod habet Eccleſia, ſed altaria hæreticorum plurima, tot enim habent altaria quot ſchiſmata.* Vbi manifeſtum eſt non damnare morem plura altaria vna in ſacra æde conſtituendi; hæc enim licèt plura ſint mole materiæ, ſunt tamen vnum & idem vſu, fine, & ſignificatione. Nihil frequentius apud Patres, quàm Eccleſiam eſſe vnam, eiúſque eſſe vnam fidem, vnum baptiſmum, vnum Deum, vnum Dominum, vnum templum, vnum altare, vnum ſacrificium; licèt reuerà ſi lo-

cum, & materiam ſpectemus, plura ſint templa, plura ſint altaria. At hæretici, qui filij ſubtractionis facti ſunt, ſe ab Eccleſiæ vnitate ſeparantes, altare contra altare excitârunt, & poſteà inter ſe diuiſi, plurima altaria aduerſa & contraria erexerunt. Hic eſt ſancti Hieronymi ſenſus, vt hæc clauſula perſpicuè oſtendit, *Tot enim habent altaria, quot & ſchiſmata;* Nam aliud eſt altare Valentini, aliud Marcionis, aliud Montani, aliud Nouatiani, aliud Macedonij, aliud Iouiniani, aliud Donatiſtarum, aliud Manichæi, aliud Arrij, aliud Pelagij, aliud Neſtorij, aliud Eutychetis. At in Eccleſia non ſic, *Deus vnus eſt* (ait S. Cyprianus) *& Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut Sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum Sacerdotium, non poteſt; quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Talis omnis hæreticus eſt, qui hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium, Dei rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, &c. contemptis Epiſcopis, & Sacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare.* Bone Deus! quàm viuis coloribus hîc videmus Molinæum cum Caluino ſuo depictum? Qui ſanè citans S. Hieronymi ſententiam contra diuerſa hæreticorum ſchiſmata, ſacrilegáque altaria, ſeipſum gladio, quem ſtrinxit, iugulauit.

MOLINÆVS.

PRVDENTIVS *lib. contra Symmachum, improperat Ethnicis, quòd in templis ſuis vnuſquiſque coram ſe proprium altare haberet.*

Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique venuſta
Arula . . . .

RESPONSIO.

QVID hoc contra Eccleſiam facit? An omnes Catholici vnicuique ſibi proprium altare in Eccleſia extruunt? An plures Deos colunt? an aduerſa inuicem ſacra celebrant? Ridiculum eſt hoc dicere. Perperam igitur Molinæus quod Prudentius ait de Ethnicis, multorum numinum cultoribus, variorum ſacrificiorum immolatoribus, Catholicæ Eccleſiæ attribuit. Longè aptiùs ſibi ſuíſque ſimilibus probrum hoc applicâſſet, qui quot falſa dogmata finxerunt, ſibi tot erexerunt idola, tótque altaria eiſdem monſtris extruxerunt.

MOLINÆVS.

HÆC *eſt, quam facit Judæus Deus per Oſeam Prophetam, exprobratio: Multiplicauit Ephraim* (inquit) *altaria ad peccandum.*

RESPONSIO.

INEPTE omnino, & contra apertiſſimum Scripturæ ſenſum. Queritur ſiquidem hîc de Hebræis Deus, quòd poſtquam propter ſcelera ſua in captiuitatem ducti fuiſſent, peccata ſua, non vt par erat, ſuis lachrymis, & ſeria emendatione eluerunt: ſed auxerunt potiùs falſis numinibus, idolíſque ſeruientes, moréque gentium cum quibus degebant, ſingulis ſuis monſtris immolantes, & propria cuique altaria erigentes, ſuper quæ propria itidem ſacrificia offerebant. Quæſo Molinæum, vt qui S. Hieronymum ſuper Amos interpretem proximè alle-

allegauit, eundem expoſitorem Oſeæ non illibenter audiat. Ad hæc igitur verba Prophetæ, c. 8. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum*, S. Hieronymus ſic ait, *Ducti in captiuitatem &c. Et hoc patientur, quia Ephraim princeps eorum multiplicauit altaria, non in quibus immolaret Domino, ſed in quibus peccatis peccata coniungeret. Quæ altaria, id eſt aræ* (victimis ſcilicet cruentis infectæ) *vertuntur ei in delictum*, ſcilicet propter idololatriam, non propter altarium quantùm ad materiam fabricæ ſpectat, pluralitatem. Si enim vni vero Deo hæc altaria dicata fuiſſent, & ſacrificium ſecundùm eius præcepta ſuper iis fuiſſet altaribus ipſius Maieſtati immolatum, populus hic non peccaſſet. Culpatur enim *quòd multiplicauerit altaria ad peccandum*, id eſt ad ſacrificandum idolis, *non vt immolaret Domino*. Si frontem habet Molinæus, eſt ſanè quod hîc ingenti pudore erubeſcat. Ex verbis enim Prophetæ, quæ in calumniæ ſuæ confirmationem adduxit, impoſtura eius non modò aperta patet, ſed & perſpecta fit inſania, cùm nihil minùs Propheta dicat & ſentiat, quàm quod ei imponit, & Eccleſia Catholica prorſus abhorreat ab ea impietate Iudaïca, quam illi impudenter impingit.

MOLINÆVS.

CONSVETVDO *iſta pluralitatis altarium Romana in Eccleſia cœpit, quando mos inoleuit agendi Miſſas ſolitarias & priuatas, ſine vllis communicantibus; Quæ feſtinanter dici ſolent in angulis cuiuſque Eccleſiæ paſſim, pro dimidiato quindenario Francico**.

*Demy-teſton.

RESPONSIO.

ANTEVERTIMVS ſuprà quæ hîc item effutit Molinæus, contra Miſſas non publicas (vt ſunt Parochiales) in quibus non communicant Laïci, dicteriáque eius virulenta de Sacerdotum in iis feſtinatione, & vili quo eos ad hoc conduci pretio comminiſcitur. Quamobrem dicta repetere ſuperuacaneum puto: verùm nefas arbitror id quod dicit de pluralitatis altarium in vna Eccleſia origine (quam nuperam aſſerere non veretur) ſine reſponſo, & quidem ſolido, & perſpicuo præterire. Certè enim illa pluralitas altarium in ſingulis Eccleſiis non eſt noua, niſi annorum ſupra mille & quinquaginta antiquitas Molinæo inſanienti pro nouitate computanda videatur. Enimuerò S. Gregorium cognomento Magnum, maiorem merito, maximum dignitate anno 590. creatum fuiſſe Summum Pontificem, ire inficiatum (vt omnes nôrunt & fatentur) quantumuis deploratâ ſit audaciâ Molinæus, ipſe non audebit. At S. Gregorio ſedente in Cathedra B. Petri, plura altaria iam ex vſu probato erigebantur. Hoc patet ex eiuſdem ſancti Pontificis ep. 50. lib. 5. ſcripta ad Palladium Epiſcopum Santonenſem, qui in vna eadémque Eccleſia altaria tredecim conſtruxerat, quibus conſecrandis Eccleſiaſtico ritu, Sanctorum reliquias ſibi donari à beato ipſo Gregorio per proprium internuncium Epiſcopus ille petierat. *Veniens lator præſentium Leuparicus Preſbyter veſter*, (ait S. Gregorius) *inſinuauit nobis fraternitatem veſtram, Eccleſiam in honore B. Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon Laurentij & Pancratij Mar-*

tyrum conſtruxiſſe, atque illic tredecim altaria collocaſſe: Ex quibus quatuor necdum conſecrata comperimus remanſiſſe, ob hoc quod ſupraſcriptorum Sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente diſponitis. Et quia reliquias ſanctorum Petri & Pauli, nec non Laurentij atque Pancratij Martyrum cum veneratione præbuimus, hortamur vt eas cum reuerentia ſuſcipere & collocare auxiliante Domino debeatis &c. Sed diu anteà multorum altarium in vna eadémque Eccleſia ritus inoleuerat. Multa enim fuiſſe Nolæ in Eccleſia ſancti Felicis, eiuſdem Eccleſiæ Præſul S. Paulinus BB. Hieronymo & Auguſtino amicitia coniunctiſſimus, eiuſdem Martyris Natali IX. circa medium inſinuat, dum illud templum & reliquias ibi Sanctorum honoratas deſcribit.

Quos hic ad ſancti iuſtum Felicis honorem
Duxerit orandi ſtudium non cura bibendi:
Nam quaſi contignata ſacris cœnacula tectis
Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris
Sub quibus intus habent Sanctorum corpora ſedem.

En multa altaria in vna Eccleſia ante annos mille & ducentos, ſanctus enim Paulinus anno 420. florebat. Certè Molinæus nouitatis doctor ſe valde imperitum ſacræ antiquitatis oſtendit. Patiatur itaque ſe doceri, diſceréque vel ſerò non vereatur iam olim vt & nunc in vno eodémque templo & vnum altare & multa altaria extitiſſe. Quæ res in cauſa eſt cur ſancti Patres ſacríque hiſtorici aliquando altare vnum, aliquando altaria in plurali paſſim memorentur. In vnaquaque ciuitate erat vna Eccleſia & plures Eccleſiæ. Eccleſia maior ſeu matrix, abſolutè Eccleſia propter ſuam præeminentiam vocitari, vt nunc fit, à Maioribus conſueuerat; cæteræ titulorum propriorum vocabulis cenſebantur. Sic in vnaquaque Eccleſia & æde ſacra erat vnum altare quod nos nunc ſummum appellamus, & abſoluto nomine altaris deſignamus, reliqua propriis quæque vocabulis à ſummo illo erant diſtincta, quod cancellis circumſeptum eminentiori loco templi poſitum & inſigniùs decoratum erat. Eiuſmodi altare quod in Tyrienſi Eccleſia Paulinus loci huius Antiſtes conſtruxit, Euſebius ſuprà citatus, *ingens & auguſtum appellat.* Minora altaria vbi erigebantur, tanto ornatu non ſplendebant, ſolum altare maius hac etiam prærogatiua pollebat, quòd Euchariſtia ſuper id & ad venerationem & ad fidelium paſtum aſſeruabatur: in arcula enim ſub cruce compoſita Chriſti corpus adorandum conditum erat. Quo de ritu teſtis eſt S. Paulinus, epiſt. 12. ad Seuerum deſcribens Epigrammata quæ ipſe ad ornatum Baſilicæ S. Felicis dictauerat, ſic enim ait:

Compoſitis ſacra cum cruce Martyribus,
Cuncta ſalutiferi coëunt Martyria Chriſti,
Crux, corpus, ſanguis Martyris, ipſe Deus.

Quem morem commendans Synodus Turonenſis anno 570. celebrata, ſtatuit vt corpus Domini in altari non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur. Fortunatus laudat Felicem Nan-

netenſem Epiſcopum lib. 3. Carm. 25. qui ſacram Turriculam ad pretioſum Chriſti corpus honorificentiùs cuſtodiendum fecerat: nec tamen vaſculum, quantumuis auro & gemmis micans, theſauro recondito innuit comparandum.

Quàm bene cuncta decent, ſacrati vt corporis agni
Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Chryſolytis Salomonia vaſa metallis
Iſta placere magis, ars facit atque fides.
Quæ data, Chriſte, tibi Felicis munera, ſic ſunt:
Qualia tunc tribuit de grege paſtor Abel.
Et cuius tu corda vides, pietate coæquas
Sarapta merito, quæ dedit æra duo.

At verò diuina Euchariſtia ſuper altari ſummo tantùm collocabatur, quod rectè ideo ab Optato vocatur, corporis & ſanguinis Chriſti ſedes: qua de cauſa, altare religioſo honore venerandum aſſerit & monet S. Chryſoſtomus hom. 20. in 2. ad Cor. In cæteris altaribus Chriſti corpus non ſeruabatur, ſed in iis erat, vt Optatus loquitur, *certis momentis*, ſcilicet eo tantùm tempore quo ſacrificium offerebatur. Et idcirco locus ille quo ſitum erat, altare maius, *Sanctuarium, & Sancta Sanctorum*, ſpeciali conſueuerat priuilegio nuncupari, in quo ſolenne & publicum ſacrificium fieri ſolebat, ſicut etiamnùm obſeruatur. Cæterùm, iamdudum in Gallia mos iſte viguit: extat ſiquidem libellus verè aureus ante annos 700. conſcriptus de Sanctis & Eccleſiis Claromontij, quem doctiſſimus Sauaro fideliter ex peruetuſtis membranis deſcriptum, & notis eruditis inſignitum, in lucem edidit, & piæ memoriæ Franciſco Cardinali Rupifucaldio, Aruernenſi tum Epiſcopo nuncupauit. Titulus MSC. Codicis, vt Sauaro ipſe reponit hic erat: *De Eccleſiis. Et altaria* * *quæ in Claromonte conſiſtunt.* I. *Imprimis in Domoniatus Eccleſia* (quæ B. Virginem patronam colit) *eſt altare S. Mariæ, & ſanctorum Agricolæ & Vitalis, & altare S. Crucis, altare S. Gernaſij, altare S. Ioannis Baptiſtæ, altare S. Iuliani Martyris, & altare S. Angeli.* II. *In Eccleſia S. Mariæ principalis, primum altare S. Mariæ, altare S. Iuliani, altare S. Priuati, altare S. Sulpitij, vbi requieſcunt S. Auitus, S. Garius, & S. Sigo.* III. *In Eccleſia S. Laurentij &c.* IV. *In Eccleſia S. Boniti, altare S. Mauritij, altare S. Angeli, altare S. Petri, & S. Mariæ, vbi requieſcit S. Bonitus in corpore.* V. *In Eccleſia S. Chriſtophori, altare S. Chriſtophori, altare S. Hilarij, altare S. Martini &c.* X. *In Eccleſia ſancti Venerandi, altare ſancti Iuliani & ſanctæ Baſiliſſæ Antiochenæ; altare S. Quintini, & ſancti Dionyſij, altare S. Mariæ &c.* XI. *In Eccleſia ſancti Illidij, altare S. Clementis, altare S. Mariæ &c.* XVII. *In Eccleſia S. Petri, altare ſancti Petri, altare S. Mariæ, altare ſancti Geneſij &c.* Conſimilia licet toto hoc libello perlegere. Nec enim hîc opus eſt deſcriptum ire ſingula, quæ ſanè antiqui ritus Eccleſiaſtici, in eodem templo extra maius altare ſeu primum (vt ſuprà dicitur) alia minora conſtruendi patenti indicio ſunt: quamuis ſi eiuſmodi teſtimonia ceſſarent, & *nos taceremus, lapides loquerentur*, etenim tot templa quæ

* rectiùs, *& altaribus*

ſuperſunt poſt recentium hagiomachorum furorem, ſacræ huius praxis quam tuemur, conſpicua ſunt monimenta: *Ita vt* (ſicut ait Apoſtolus 1. Theſſ. 1. 8.) *nobis non ſit neceſſe quicquam loqui.* Abeat igitur profanæ nouitatis amator, ſed ſacræ antiquitatis hoſtis Molinæus, & quia non agnoſcit veritatem, & quæ vera ſunt, & loqui neſcit; tacere ſaltem cum ſerio, at ſero, ſed vtili pudore aliquando incipiat, *Pharmacum enim mali* (vt priſcus ſapiens ſcitè dixit) *ſilentium eſt.*

ARTICVLVS II.

An in omni loco, ritè & canonicè ſacrificari poſſit?

MALACHIÆ, de ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, hoc eſſe perilluſtre vaticinium, ſummo conſenſu Patres tam Græci quàm Latini aſſeruerunt; *Non mihi voluntas in vobis* (Iudæis videlicet) *dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus. Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, ait Dominus exercituum.* Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone, hoc ei pro ſacrificio Euchariſtiæ, diuinum obiicit oraculum, ſpecialitérque iſta verba ponderat: *In omni loco ſacrificatur.* Nam Iudæi certo quodam loco, ſcilicet Hieroſolymis, tantùm ſacrificabant. At vbique gentium & in omni loco ab Eccleſia ſacrificatur & offertur Deo oblatio munda: *De noſtris gentium* (inquit) *quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, iam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare.* Idem obſeruat ex eodem Malachiæ teſtimonio S. Irenæus lib. 4. contra hæreſes, c. 32. in fine, vbi hoc vaticinium eius manifeſtiſſimè impletum eſſe aſſerit: *Quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo, omni autem loco ſacrificium offertur Deo, & hoc purum; nomen eius ſic glorificatur in gentibus.* Hanc ipſam particulam ſolerter more ſuo expendit S. Auguſtinus, lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 36. vbi ait, *Hoc ſacrificium per Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco à ſolis ortu vſque ad occaſum iam videant offerri, ſacrificium Iudæorum de quibus dictum eſt, Non eſt mihi voluntas in vobis, iam ceſſare, negare non poſſunt,* &c. Igitur notanda hìc venit memorabilis S. Leonis ſententia: *Nunc Domine carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis & ſanguinis tui implet oblatio; quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuerſa perficis myſteria, vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gente ſit regnum.* Hac enim ex doctrina ſequitur, quòd ſicut regnum Chriſti vniuerſale eſt & omnes orbis partes continet, omnéſque gentes complectitur, ſic eius ſacrificium quod pro omni genere humano inſtitutum eſt, in omni loco, vbi viuentes ſunt homines, poſſit ac debeat offerri.

Malach. 1.

Lib. 8. de paſſ. Domini.

§. I.

An Miſſæ ſacrificium poſſit in naui, ſupra mare, vel ſuper flumen celebrari?

VASQVEZ hanc quæſtionem obiter attingit tom. 3. Comment. in 3. part. S. Thomæ q. 83. a. 3. diſp. 233. §. *Cæterùm*, hánceque reſoluit negatiuè. Cui libenter quidem aſſentirer, ſi rationum momentis quibus nititur, perſuaſionem eius viderem validè confirmari. Sed cùm hæc quæſtio libera ſit; & ipſemet fateatur, nulla lege Eccleſiaſtica, minus autem diuina, hoc ne fiat prohiberi, mihíque poſitiua ſententia probabilior appareat: ſine vllo præiudicio veritatis, hanc mihi impræſentiarùm aſſerendam, haud abſque rationabili perſuaſione, vt cenſeo equidem, aggredior.

Quod dixit S. Carolus Borromæus in aureo illo opuſculo, cui titulum indidit *De Concionatorum inſtructione*, hîc à me haud temerè vſurpari poſſe exiſtimo: *Prædicationis munus* (inquit) *nullo neque tempore, neque loco Chriſtus præfiniuit: neque Apoſtoli item, qui omni loco omníque tempore ſacrum Euangelium diſſeminârunt.* Conſtat etenim quòd Chriſtus incruentum hoc ſacrificium inſtituendo locum nullum præſcripſerit, neque diem, aut tempus vllum determinârit, ſed vtrumque reliquerit Eccleſiæ ſuæ arbitrio: dixit enim ſimpliciter, *Hoc facite in meam commemorationem*, nec vbi, nec quando, vllo verbo expreſſit.

De loco, nec Apoſtoli, nec Eccleſia præceptum aliquod ediderunt: *An ſupra mare inter nauigandum*, Euchariſtiam conſecrârint & diſpenſârint fidelibus qui eos comitabantur, me legiſſe, ingenuè fateor, vſpiam non memini. Beatus Paulus cùm è Iudæa in Italiam vt ſiſteretur Cæſari, nauigio veheretur, ſuſcepto inter procellas Angelico nuncio de omnium qui ſecum in vaſe erant incolumitate & ſalute, vbi illos bono vt eſſent animo cohortatus eſſet, *Quia* (inquit) *nullius veſtrûm capillus de capite peribit. Cùm hæc dixiſſet* (ſcribit qui aderat S. Lucas, Act. 27. 34. 35.) *ſumens panem gratias egit Deo, & cùm fregiſſet cæpit manducare.* Auctor operis imperfecti apud S. Chryſoſtomum hom. 17. in Matth. hunc locum de Euchariſtia explicat. Fauent verbum εὐχαριστεῖν & frangendi, quæ ex vſu Eccleſiaſtico, ad Sacramentum ſunt accommodata: & quia priùs gratiæ actæ ſunt quàm cibus ſumeretur. Cùm autem cibus eſt communis, gratias poſt paſtum agere ſolemus, vt paſſim Chriſtus ipſe fecit. Nec infringitur hæc ratiocinatio, ex eo quod ſubinde omnes qui erant in naui cibum ſumpſerunt; diſtributiuè enim, & per quandam conuenientem accommodationem hæc debent intelligi: ita vt ſcilicet Paulus, per myſtici panis conſecrationem ordiri voluerit, quem gratias agendo benedixit, fregítque, & ſuis comitibus Chriſtianis, ſua manu porrexit, vt ait præfatus auctor. Tum cibum cum eis communem ſumpſerit, & eius exemplo & hortatu, cæteri omnes qui erant in naui. Vnde ſubiunxit ipſe S. Lucas,

Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt cibum. At Auctoris Imperfecti ſententiam tantùm indìco, quam ne vt certam incutiam, facit veri Chryſoſtomi ac Bedæ Venerabilis, & aliorum Sanctorum inſignium auctoritas, qui hunc locum Actorum interpretantes, de communi pane & cibo vſuali exponunt. Hinc tamen ſemper remanet huius loci genuinus ſenſus ambiguus, nec lector alteri, potiùs quàm alteri, interpretationi ſequendæ obſtringitur. Sed ad certiora iam argumenta progredior.

S. Ambroſius (tom. 4. p. 315.) teſtis eſt in libello *de Satyri fratris ſui obitu*, morem fuiſſe fidelium nauigantium diuinam Euchariſtiam apud ſe reconditam ſeruare. Imminente igitur naufragio, Satyrum qui adhuc Catechumenus erat, ab iis quos nouerat initiatos myſteriis, diuinum illud Sacramentum fidelium popoſciſſe, vt non curioſos oculos inferret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium: *Datum ſacrum pignus fecit* (inquit) *ligari orario, atque orarium inuoluit collo, & ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſoluta, tabulam cui ſupernatans iuuaretur, quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Nec inani fiducia: primus enim ſeruatus ex vndis & in portum terrenæ ſtationis euectus, Præſulem ſuum* (Chriſtum vtique) *cui ſe crediderat, ſibi adfuiſſe recognouit.*

S. Ludouicus Francorum Rex, morem hunc antiquum fidelium habendi in naui pro vnico præſidio atque ſolatio pretioſum corpus Domini, ſolita pietate ſeruauit. Teſtis eſt enim qui aderat, conſpectáque ſuis oculis memoriæ prodidit Ioannes Ianuillæ Toparcha, & Campaniæ Seneſcallus, in hiſtoria ſancti ipſius Regis, (edit. Pariſ. ann. 1617. in 4. p. 140.) cùm ipſe ab Oriente rediret, cum Regina ſua coniuge, & tribus liberis, multiſque regni proceribus, orta graui tempeſtate, circa inſulam Cypri, & Regem & omnem comitatum eius, adeo grauiter periclitatos, vt iudicio nautarum vix vlla ſpes ſalutis ſupereſſet: tum verò omnes ante Chriſti corpus procidentes, diuinam opem in tanto diſcrimine, cum gemitu & lachrymis deprecatos: *Il y en auoit pluſieurs deuant le corps de noſtre Seigneur, qui eſtoit en la Nef, tous adorans & crians pardon à Dieu, car chacun s'attendoit de noyer.* At diuino auxilio Rex cum ſuis ſaluus & incolumis, ab hoc periculo mox emerſit, diuinóque beneficio, & patenti miraculo ſuam ſuorúmque ſalutem retulit, profuſa gratiarum actione, laudem Deo rependit.

At fortè quiſpiam ad hæc exempla reſpondebit, inſignia quidem & perenni memoratu digna eſſe, veruntamen nihil conferre ad præſentem quæſtionem: etenim hæc probare quidem morem iam olim inoleuiſſe, vt fidelis præſidij cauſa corpus Domini ſub ſolida ſpecie panis ſecum in naui perferrent: non autem quòd fas ſit in nauigio celebrare Miſſæ ſacrificium. Cauſam enim eſſe euidentem, cur portare diuinum Sacramentum liceat, ſacrificium verò fas non ſit offerre: poſſe ſiquidem Sacramentum ſub vna ſpecie (panis ſcilicet, quæ ſolida eſt) in naui ſine periculo ſeruari, at ſacrificium debet neceſſariò ſub duabus ſpeciebus confici, nec aliter fieri poteſt. *At in mari*

(inquit Vaſquez) *aut in fluuio ſupra nauim, eſt aliquod periculum, nam poteſt facile motu nauis ſanguis effundi.* Qua etiam ratione nituntur Angelus, Syluester, Gabriel, Nauarrus, ac plerique alij Canoniſtæ & Summiſtæ. At hæc ipſa ratio mihi ſanè videtur leuis eſſe momenti, hácque non obſtante morem fuiſſe pridem facile eſt oſtendere in Eccleſia receptum, vt nauigantes fideles non ſolùm corpus Domini ſub ſpecie panis præſidij cauſa apud ſe ſeruarent, ſed etiam inſtante ſubmerſionis periculo, vt ad diuinæ ſynaxis ſub vtraque ſpecie ſumptionem confugerent, quæ ſine ſacrificio ibidem celebrato fieri non poterat: Nam etſi olim perſecutionum tempore, ſacra Euchariſtia fidelibus traderetur, qua ſe ipſos munirent communicantes, in ipſo agonis procinctu, tamen eis dari nunquam conſueuerat ſub vtraque ſpecie, ſed tantùm ſub ſpecie panis, ne ſanguis ſcilicet Domini caſu aliquo effunderetur, aut fluida ſpecies quæ citiùs ſolidâ corrumpitur, temporis breui ſpatio deperiret. Igitur cùm ſe nauigio fideles committerent, etſi fieri poterat vt eis Euchariſtia ſub ſpecie panis ad pignus & munimen conſignaretur: tamen vt ſanguis Domini è calice illis vnâ daretur, nunquam admiſit Eccleſiæ politia. Si igitur perilluſtri & digito Dei obſignato exemplo, iam euincam fideles extremo in periculo naufragij conſtitutos in ipſa naui communicâſſe corpus & ſanguinem Domini ſub vtraque ſpecie, illic ſacrificium fuiſſe celebratum, quo vtraque ſpecies conſecraretur, & mox diſpenſaretur periclitantibus ad corporis & animæ munimentum & ſalutem, abſque vlla cõtrouerſia fatendum erit. Iam igitur Ioannem Diaconum audiamus lib. 1. vitæ S. Gregorij, c. 32. miraculum inſigne ſic factum recitantem:

Maximianus Abbas, qui poſtea Syracuſanus Epiſcopus extitit, ad venerabilem Leuitam Gregorium (tempore ſcilicet Pelagij Papæ) *in regiæ vrbis* (Conſtantinopolitanæ) *palatio pro reſponſis Eccleſiaſticis deſudantem, viſitationis gratiâ cum fratribus venit: & dum ad monaſterium eius ſibi quoque commiſſum, Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempeſtate deprehenſus, ineſtimabili ordine atque inuſitato miraculo erga ſe cunctóſque qui ſecum aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus fluctus eleuati ſæuirent, ex naui claui perditi, arbor abſciſſa eſt, vela in vndis proiecta, totúmque vas nauis nimiis quaſſatum fluctibus, ab omni ſua fuerat compage diſſolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vſque ad ſuperiores tabulas impleuit, ita vt non magis nauis inter vndas, quàm vndæ intra nauim eſſe viderentur. Tunc in eadem naui reſidentes non iam ex mortis vicinia, ſed ex ipſa eius præſenti viſione turbati omnes ſibimetipſis pacem dederunt, corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes, vt eorum animas benignè ſuſciperet quorum corpora ita pauendæ morti tradidiſſet: ſed omnipotens Deus qui eorum mentem mirabiliter terruit, eorum quoque vitam per meritum Gregorij famuli ſui, pro cuius ſpeciali amore venerant, mirabiliùs reſeruauit. Nam diebus octo nauis eadem vſque ad ſuperiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatauit. Nono autem die ad Crotonienſis caſtri portum deducta eſt.* Hæc Ioannes Diaconus.

His poſitis iam peruium eſt iis rationibus, quas Vaſquez pro ſuæ

opinionis defenſione ac confirmatione aſſignat, ſatisfacere. Duas in totum adducit: Prima, eſt periculum euerſionis calicis, ſed ex dictis non valet; addíque poteſt, eſſe lucida interualla quibus in mari vel flumine ceſſat eiuſmodi periculum, & quandiu non imminet, tutò ſacrificari poteſt. Contendunt Caſuiſtæ & Summiſtæ prædicti fas eſſe celebrare Miſſæ ſacrificium in littore maris, ſub tentorio, quin etiam ſub dio modò tempus ſit ſerenum, *Tunc enim* (aiunt) *non obſtat, quia non inſtat periculum euerſionis ſeu altaris, ſeu calicis.* A pari idipſum dici poſſe de oblatione ſacrificij in naui, aſpirante aura ſerena, & fulgente cœlo tranquillo. Secunda ratio quam præcipuam Vaſquez exiſtimat, ea eſt: *quòd hoc fieret contra communem conſuetudinem.* Reſpondeo, *conſuetudinis obtentu non licet venire contra ſanctorum Patrum conſtitutiones*, proinde neque contra Sanctorum exempla, minùs verò contra miracula probata, quæ certa Dei ſunt teſtimonia. cap. *cùm ſatis, de off. Archid.* Accedit axioma S. Iſidori in ſynonym. lib. 2. *Conſuetudo auctoritati cedat.* Item *vſum ratio vincit.* Quia omnis conſuetudo vt longæua, ſic rationabilis eſſe debet *cap. 1. de Conſuet.* Ius enim contra rationem nullum eſt. At verò conſuetudo quam Vaſquez obtendit nec longæua eſt, quia noua & oppoſita eſt antiquæ; nec rationabilis: nauigantes enim fideles in imminenti periculo conſtitutos iis priuat auxiliis, quibus fideles dudum, quum contrario more vterentur, diuino fauore potiti ſunt; Conſuetudo autem quæ eſt contra vtilitatem Eccleſiæ debet abrogari, nam contra conſuetudinem (tametſi antiqua ſit) ex rationabili cauſa fieri poteſt nouum ſtatutum. *cap. cum M. Tit. de conſtitut.* Et vſus qui irrepſit ſine iure magis verò contra ius cognitum, tolli debet. Adde quòd conſuetudines quando variæ ſunt, debet ſeruari illa quæ eſt magis rationabilis: atque ea quam tuemur origine præſtat, antiquitate præualet, ratione ſuperat; nam nititur primordiali traditione, & Sanctorum factis diuino indicio confirmatis. Fatetur Vaſquez noſtræ ſententiæ nullam legem Eccleſiæ refragari; etenim in iure non excipi quoad locum ſacrificij, neque nauim ſupra mare, neque nauiculam ſuper flumen. Adiicere debuiſſet, neque ſuæ fulciendæ opinioni vllam ſuppetere canonicam auctoritatem, neque ſolidam rationem, vt conſtat ex dictis.

§. II.

De altari portatili.

ANTIQVO iure ſtrictæ obſeruationis erat, Miſſæ ſacrificium celebrandum eſſe dumtaxat in locis conſecratis, ſicut patet ex *can. 12. diſt. 1. de Conſecrat.* qui ſic habet, *Miſſarum ſolennia non vbique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis &c. celebranda eſſe cenſemus.* Expreſſior eſt *can. 11. eiuſdem diſt.* qui hac ſerie conſtat: *Sicut non alij quàm ſacrati Domino Sacerdotes debent Miſſas cantare, nec ſacrificia ſuper altare offerre: Sic nec in alijs quàm Domino conſecratis locis, id eſt in tabernaculis diuinis, precibus à Pontificibus delibutis Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet &c. in domibus tamen*

Ex Concil. Triburienſi.

Deſumptus eſt ex epiſt. 1. Felicis Papæ ad omnes Orthodoxos.

tamen ab Epiſcopis ſiue Preſbyteris oblationes celebrari nullatenùs licet. Canon hic, *ergo &c.* qui (eadem diſt. n. 14.) S. Clementi tribuitur, idem ſtrictè decernit, & canon immediatè ſequens adſcriptus Syluestro Papæ, in generali Synodo reſidenti, cuius eſt titulus, *Abiiciantur Sacerdotes, qui in locis non ſacratis, Miſſas celebrare præſumunt*; eſt autem tenoris huiuſmodi: *Nullus Preſbyter celebrare præſumat, niſi in ſacratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe Sacerdotij.*

Verùm rigidior plus æquo nonnullis forſitan videbitur hæc canonum diſciplina; quin & aduerſari Apoſtolorum & Martyrum exemplis: Nam de Apoſtolis quidem teſtis eſt ſanctus Lucas Act. 2. 42. & 46. *Illos perſeuerantes fuiſſe in communicatione fractionis panis, & orationibus.* Et orationibus quidem, in templo inſtitiſſe: at quia hîc non poterant Chriſti myſteria celebrare, *Fregiſſe circa domos panem.* Syrus interpres ſic vertit: *& domi frangentes erant munus benedictum*: quemadmodum etiam legunt Biblia regia. Martyres etiam in cryptis & latibulis Euchariſtiam conſecrâſſe & diſpensâſſe, acta eorum paſſim perhibent; quin & S. Petrus in carcere diuinum ſacrificium immolauit, ſic enim legimus in actis ſanctorum Martyrum Proceſſi & Martiniani: *Baptiſati quia ſunt beati Proceſſus & Martinianus ab Petro Apoſtolo; hoc vt viderunt cuncti qui aderant in cuſtodia, proſtrauerunt ſe ad pedes B. Petri Apoſtoli, & baptiſati ſunt promiſcui ſexus & diuerſæ ætatis numero 47. obtulit autem pro eis ſacrificium laudis, & participes eos fecit corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Sic S. Stephanus Papa, vt eiuſdem geſtis commemoratur: Cùm ad ſignatam cryptam veniſſet, *Inuenti ſunt illic tam mares quàm fœminæ 108. quos illo ipſo die Pontifex in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctiſſimo baptiſmate, & aliis diuinis Myſteriis conſecrauit &c. & ſacrificium obtulit, ſicque omnes ſacrificiorum participes facti ſunt.* In Actis S. Suſannæ Virginis & Martyris, neptíſque S. Caij Papæ, quæ paſſa eſt ſub Diocletiano XI. Auguſti: *Poſtquam piâ eius inſtantiâ, baptiſati fuiſſent ab eodem Pontifice, Claudius, Præpedigna, Alexander, Cuthia, & Maximus, obtulit pro eis* (Antiſtes ſanctiſſimus) *ſacrificium in eadem domo, & conſecrauit corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. participauitque cum omnibus myſterium Dei.* Sexcenta ſupráque longè plurima conſimilia exempla ſanctorum Martyrum ex eorum geſtis & paſſionibus, ſi opus eſſet, poſſent proferri, quibus eos conſtat in cryptis, ſpeluncis, carceribus, domibúſque priuatis Pontifices, & Sacerdotes non ſolùm baptizaſſe, ſed & tremendum Euchariſtiæ ſacrificium celebraſſe; ſed quæ ſignauimus ad rem, quam agimus, ſatis pro multis eſſe poſſunt.

Acta S. Steph. PP. & Martyris apud Metaphr.

Verùm hæc exempla facilè queunt cum canonibus præindicâtis conciliari, ſi temporum diuerſitatem, vt æquum eſt perpendamus; *Diſtingue tempora* (aiebat magnus Auguſtinus) *& concordabis ſcripturas.* Siquidem aliquo tempore quædam permittuntur, quæ alio prohibentur. v. g. Licuit dudum fidelibus acceptam à Sacerdotibus tempore perſecutionum Euchariſtiam, in domos ſuas transferre, & illic ſeruare, in occurſu perſecutionis pro cœleſti viatico ſumendam pro-

priis manibus. Verùm ſopitis perſecutionum incendiis id ipſum quod tunc fas erat, Eccleſia prohibuit, quia cauſa ceſſabat, & hac licentia apud pleroſque reuerentia Sacramenti huius venerabilis nonnihil minuebatur. Sic planè ſub atris illis perſecutionum turbinibus, fas Sacerdotibus erat vbicumque occaſio requirebat, diuina myſteria conſecrare & diſpenſare, ſine locorum diſcrimine, vel delectu. At rebus Eccleſiæ tandem diuina benignitate compoſitis, pacéque tot Martyrum agonibus ac triumphis feliciter parta: quia vt monuerat vas electionis Paulus, omnia in Eccleſia cum ordine fieri oportebat: Eccleſiæ Præſides religionis decoro & diuinorum myſteriorum reuerentiæ magis conferre cenſuerunt, ſi hæc licentia reſtringeretur. Et vt tempus certum, ſic & locus proprius, ſacris muneribus obeundis, maximè verò incruento ſacrificio offerendo ſpecialiter aſſignaretur. Hinc igitur prodierunt illæ ſanctiones, quibus nulli Sacerdotum licere ſtatutum eſt ſacrificium celebrare, niſi in locis Deo conſecratis, myſticíſque ritibus, qui in canonibus præſcribuntur. Sed tamen illa prohibitio ita nunquam fuit abſoluta, vt nulli exceptioni locus eſſet relictus; nam ipſi canones ſuprà citati quaſdam clauſulas exceptiuas continent, ſiquidem in can. *Sicut non alij*, poſt illa verba, *ſic nec in aliis, quàm Domino ſacratis locis &c. ſacrificia offerre licet*, immediatè ſequitur, *niſi ſumma coëgerit neceßitas* &c. Et mox infrà, *niſi pro ſumma contingat neceſſitate, quoniam neceſſitas legem non habet*. Et in can. *Miſſarum ſolennia*, & poſt illa verba, *ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis*, ſubiungitur, *vel ille permiſerit*, ſupple *vbi*. Exemplum illuſtre celebrandi venerabile Miſſæ ſacrificium extra Eccleſiam, & locum ſpecialiter conſecratum in caſu grauis neceſſitatis refert S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei c. 8. his verbis: *Tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt*, (inquit) *habet in territorio Fuſſalenſi fundum Zubedi appellatum; Vbi cùm afflictione animalium & ſeruorum ſuorum, domum ſuam ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperißet, rogauit noſtros, me abſente, preſbyteros, vt aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio; Deo protinus miſerante, ceſſauit.* Nec erat in illo loco Eccleſia, at nequidem oratorium vt ex verbis S. Auguſtini ſubſequentibus patet. igitur obtulit iſte Preſbyter in loco non ſacro vrgente neceſſitate, quemadmodum & pleroſque ſanctos Epiſcopos feciſſe iampridem, ex eorum geſtis fit perſpectum. At non ſic tamen intelligas, vt ſuper communem menſam incruentum ſacrificium ſancti illi Antiſtites celebrauerint, at Preſbyter ille, cuius ſacrificium Deo gratum fuiſſe S. Auguſtinus commemorat, altare, vt reor, viaticum ſeu portatile à ſuo Epiſcopo conſecratum ad hoc attulit, & ſancti illi Epiſcopi, vel conſimile attulerunt, aut ſanè inuenerunt in locis illis priuatis, vbi diuinam actionem obierunt: vel denique ibidem priùs quàm myſtica munera offerrent conſecrârunt, ſicut in ipſis fidelium domibus Apoſtoli & Martyres leguntur factitâſſe, vnde prodiit illud Chryſoſtomi, *Tum fidelium domos, paruas Eccleſias fuiſſe*, quia ſcilicet in illis domibus locum

Vide Bellarm. lib. 2. de Miſſa c. 9. vbi ex profeſſo tractat de Miſſis priuatis §. *Nec ſolum*.

aliquem Pontifices diuinis officiis dedicabant, altariáque vel fixa, vel mobilia ibidem conſecrabant, prout in eorum actis peruium eſt aduertere.

Hinc natum priuilegium Epiſcopis, altaria viatica, quæ portatilia vocant, ſecum circumferendi: quod ex more antiquo iuréque delibatum diſpoſitio canonica confirmans vt vſu fixum permaneret in VI. Decretalium promulgauit. *Quoniam Epiſcopi, corúmque ſuperiores, ſe habent diuerſis ex cauſis, à ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commodè ad Eccleſias accedere, pro Miſſa celebranda vel audienda: (ſine qua, eos tranſire non decet abſque cauſa rationabili vllam diem) præſenti conſtitutione indulgemus eiſdem, vt altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare ac facere celebrari, vbicumque abſque interdicti tranſgreſſione illis permittitur celebrare, vel audire diuina.*

Lib. 5. tit. de priuileg. cap. 12.

Quin & vt aliis fidelibus etiam laicis poſſint indulgere, vt ſtata oratoria habeant honeſtè & decenter diſpoſita, in iiſque à Preſbyteris non vagis & ignotis, ſed cognitis & probatis ab ordinario ſibi celebrari diuina faciant, in altari eiuſmodi debitè conſecrato, non fracto ſed integro, illibato & impolluto, certis diebus & præſcriptis modis ac iuſtis limitationibus, Eccleſiæ communis conſuetudo, quæ viget vbique, permittit. Verùm plerique abuſus circa eiuſmodi indulta paſſim (quod nonnihil dolendum eſt) irrepſerunt, quibus vt mederetur, ſacro-ſancta Synodus Tridentina, hanc ſanctionem adhibuit ſeſſ. 22. in Decreto *de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ. Deinde vt irreuerentia vitetur, ſinguli* (Epiſcopi) *in ſuis diœceſibus interdicant, ne cui vago & interdicto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat &c. Néve patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſecularibus aut regularibus quibuſcumque peragi,* &c. Quæ quàm oſcitanter ſeruetur Synodalis conſtitutio, nimis profusâ oratoriorum eiuſmodi indulgentiâ, & altarium portatilium promiſcua ferè iam omnibus conceſſio, non ſine ſanctiſſimæ religionis detrimento, piarum animarum ſcandalo, & diuini ſacrificij cultus diminutione, ſatis eſt hoc luctuoſo ſæculo manifeſtum.

Quis qualíſque fuerit vſus apud Maiores noſtros, altarium huiuſmodi portatilium, apud Iuonem Carnotenſem Antiſtitem ſanctiſſimum, iuríſque ſacri peritiſſimum inter legendum eius erudita ſcripta deprehendi. Percontatus ab eo fuerat G. S. Wandregeſili Abbas, *Si altare motum denuò debeat conſecrari?* ſic autem reſpondit, *Conſuluit paruitatem meam dilectio veſtra, vtrum tabulæ altarium aliquando conſecratæ cùm tranſlatæ fuerint, & ſuper nouam ſtruem lapidum poſitæ denuò ſint conſecrandæ: quid nobis ex auctoritate & ratione faciendum videtur, cùm canon dicat:* altare ſi motum fuerit, Eccleſia denuò conſecretur; *Quòd ſi Eccleſia propter motionem ſolius altaris denuò eſt conſecranda, quanto magis altare quod motum eſt? præterea cùm ſigna ſimilitudinem habeant earum rerum quarum ſigna ſunt, ſicut fides caput & fundamentum eſt ſacræ religionis, immobilis debet eſſe & manere in credente, ſic viſibile altare quod figuram gerit fidei, debet*

Iuo Carnot. ep. 72.

manere immobile: & ſicut à fundamento fidei ſiquis motus fuerit per manus impoſitionem, corpori Chriſti quod eſt Eccleſia reconciliandus eſt; ſic menſa altaris, fidei typum gerens ſi mota fuerit, iterum ſacris myſteriis imbuenda eſt. Nec ſatis ſimilis ratio eſt, quam quidam fratres nobis obiiciunt, quòd altaria portatilia, licèt de loco ad locum moueantur, non tamen denuo conſecrantur. Hæc enim altaria non aliter conſecramus niſi vel in tabulis ligneis, vel aliquo competenti ſubſtratorio compacta & firmiter ſint affixa, vnde licèt de loco ad locum portentur, non tamen de loco in quo conſecrata ſunt mouentur: à quo ſi euulſa fuerint, ſicut cætera altaria denuò ſunt conſecranda. Hactenus Iuo Carnotenſis. Ex cuius verbis diſcere licet longè maiori cautela, eiuſmodi altaria olim ſolita fuiſſe conſecrari, & parciùs admodùm quàm nunc fit, concedi & transferri de loco ad locum conſueuiſſe. Quod verò Laïcis ad libitum hæc habere aut transferre liceret, ſicut iam paſſim vſu, vel potiùs abuſu inoleuit: nullum veſtigium volaticæ huius facultatis reperire licuit vſpiam, vel apud Iuonem, vel alios, ſeu ei coæuos, ſeu ipſo vetuſtiores auctores Eccleſiaſticos. In antiquo ordine Romano, & Sacramentorum libro S. Gregorij, nihil habetur de conſecratione altaris portatilis, ſed dumtaxat altaris fixi, in loco ſacro poſiti extat conſecrandi præſcriptus ritus. Extat tamen in MSC. Pontificalibus quibuſdam, ipſa conſecrationis formula altaris portatilis, quæ in nouo Pontificali Romano auctoritate Clementis Papæ VIII. reſtituto legitur expreſſa tit. *de Conſecrat. altaris portatilis*; De cuius vſu legitimo Canoniſtæ & Summiſtæ diſſerunt, quos Sacerdoti officij ſui ſtudioſo operæpretium fuerit conſulere: quamuis quæ hîc obiter ea de re diximus, nonnullo ei ſubſidio eſſe poſſint, ſi attentè ab ipſo conſiderentur.

CAPVT IX.

De legitimo ſacrificij Miſſæ celebrandi tempore.

SACRA Tridentina Synodus ſeſſ. 22. ſpeciali decreto præſcribens, quæ obſeruanda & euitanda ſunt in celebratione Miſſæ, hæc de circumſtantia temporis ſpecialiter ordinauit: *Poſtremò ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis* (Ordinarij) *caueant ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent.* At hoc mirum cuipiam fortè videbitur, cùm de horis tantùm legem ferat Concilium, cur de diebus tacuerit? Inquirendum hîc igitur eſt imprimis,

ARTICVLVS I.

Vtrum omni die liceat Sacerdotibus, diuinum Miſſæ ſacrificium celebrare?

APOSTOLVS ſanctiſſimi huius Myſterij inſtitutionem, prout eam acceperat à Domino, referens, ſemper quamdiu mundus

durabit fas eſſe ipſum venerabile ſacrificium celebrare, ſatis euidenter docuit, his verbis: *Quotieſcunque* (ait 1. Cor. 11.) *hoc facietis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quæ cauſa eſt cur incruenta noui Teſtamenti oblatio, *iuge ſacrificium* à Daniele (c. 8. & 11. & 12.) appelletur; quod auferet quoad vſum publicum Antichriſtus: *A tempore* (inquit) *cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium*; Syrus interpres habet, *A tempore quo tranſibit oblatio*, ſed Græca verſio habet ἐνδελεχισμὸς, id eſt *continuitas*, ſiue continuus Dei cultus qui eſt Euchariſtiæ iuge ſacrificium, vt intelligunt S. Irenæus lib. 5. contra hæreſes, Hippolytus Tract. de conſummatione ſæculi, S. Hieronymus in hunc locum, Theodoretus ibidem, & Primaſius in c. 11. Apoc. Et rectè quidem. hoc enim eſt Dei cultus ſummus & perennis, ſacrificiúmque indeficiens: nam Miſſa quotidie in Eccleſia toto orbe celebratur, ſicut olim quotidie offerebatur iuge ſacrificium agni, Exod. 12. qui Chriſti agni immaculati in Miſſæ ſacrificio per ſingulos dies incruenter immolari, typus erat. De iugi ideo, quotidianáque ſacrificij Chriſti in Miſſa celebratione, hic can. 2. Cabilonenſis Concilij, n. 39. in ſacri iuris codicem relatus eſt, De conſec. diſt. 2. n. 72. *Viſum præterea nobis eſt, vt in omnibus Miſſarum ſolennibus, pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur; ſicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus & pro quibuſlibet neceſſitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolennibus fundantur, &c.*

ARTICVLVS II.

An ſint aliqui dies, quibus vetitum ſit lege aliqua, diuina vel Eccleſiaſtica, offerre incruentum Miſſæ ſacrificium?

DIVINA lex prohibitiua nulla prorſus ſuppetit, qua id vetitum oſtendi queat. De Eccleſiaſtica diſquirendum. Inter Canoniſtas rituúmque ſacrorum tractatores, conuenit, omnibus anni diebus, paucis admodùm exceptis, hoc licere: etenim de tribus tantùm diebus vertitur inter eos controuerſia; ſcilicet de Feria 5. in Cœna Domini; Feria 6. in Paraſceue, & Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ.

§. I.

De Feria V. *in Cœna Domini.*

SANCTI Franciſci fertur epiſtola ad omnes fratres ſuos, in qua iubet, etiamſi in ſuis Monaſteriis plures Sacerdotes adſint, *vnam celebrari Miſſam, adeovt vnus ſit qui celebret, cæteri communicent.* Hanc epiſtolam Eckius in Enchiridio, vt S. Franciſci genuinam, ait non agnoſci, ab eius ordinis profeſſoribus, nec à ſe tamen reiici: loqui

enim auctorem, non de quolibet die, ſed de Feria v. in cœna Domini tantùm. in qua ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ vetus eſt conſuetudo, vt in vnaquaque Eccleſia, Miſſa ſolennis, à ſolo qui præeſt Sacerdote, celebretur, reliquis Sacerdotibus ſi in ea plures ſunt, ſola communione vel aſſiſtentia (vt aiunt) contentis. Elicitur priſcus ille mos ex ordine Romano, ante annos fermè 800. edito, vbi ſub titulo de Cœna Domini hæc habentur: *Fractis autem oblatis, communicent Preſbyteri primò, poſteà Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur Miſſa.* Anteà florebat Alcuinus, qui in libro quem conſcripſit *de diuinis officiis*, ex veteri Eccleſiæ politia, *cap. de Cœna Domini*, expreſsè ſcribit: *Dum cantatur Antiphona ad Communionem, interim Clerum & omnem populum communicare.* Cui conſonat liber Sacramentorum ſancti Gregorij, vbi expleta Chriſmatis conſecratione, peractiſque myſteriis, hæc rubrica ſubiungitur: *Pontifex vadit ante altare, & communicat omnis populus in ordine ſuo.* Et verò hac die, qua Chriſtus Euchariſtiæ ſacrificium inſtituit, ſolus ipſe ſacrificauit, cæteri omnes qui ei in menſa aſſidebant (quamuis tunc fuerint ab eo Sacerdotes ordinati) ipſo porrigente diuinum munus ſuſceperunt. Ob reuerentiam igitur Chriſti ſolius hac die celebrantis, & ſuis manibus diſcipulos communicantis, conueniens eſſe nemo pius & prudens negauerit, vt ipſa die, qualibet in Eccleſia, vnica Liturgia celebretur ab vno, eóque primario Sacerdote, reliquis diſcipulorum inſtar aſſiſtentibus & ſumma modeſtia & humilitate de eius manibus ſuſcipientibus corporis & ſanguinis agni immaculati (qui paſcha noſtrum immolatus eſt) Sacramenta veneranda. Cæterùm & huic fauet conſilio id quod Marcus Francolinus in libro de horis canonicis c. 30. n. 4. narrat ſuo tempore accidiſſe: ſcilicet Cardinalem Sauellium Pontificis Vicarium in Vrbe, quibuſdam Sacerdotibus ſacrificare volentibus in die Cœnæ Domini, prohibuiſſe ne ea die ſacrificarent. Porrò Pariſiis contrarium morem vſurpari conſpicimus, & paſſim in Gallia, dicunt etiam in Hiſpania. At an procedat de facto, vel de iure, ipſi viderint qui faciunt. Excuſari tamen cenſeo, ex tolerantia Epiſcopi, qui videt nec prohibet. Vaſquez fatetur congruentiùs eſſe, vt eo die reliqui omnes Sacerdotes præter Præpoſitum (aut qui eius legitimè impediti, vices gerit) à celebratione abſtineant, & ad imitationem Apoſtolorum de manu illius, tanquam de manu Chriſti, Euchariſtiam accipiant. Addit & monitum optimum (vbi vſus præualet, nimirùm vt Sacerdotes ſinguli ſacrum faciant feria 5. in Cœna Domini) ea die, ſolùm licere celebrare, antequam Miſſa ſolennis finiatur, & corpus Chriſti in locum deſignatum recondatur: nam poſteà mox incipit officium Paraſceues cùm ſtatim veſperæ dicantur, & in Paraſceue in memoriam mortis & ſepulturæ Domini à celebratione ſacrificij ſit abſtinendum. Ita Vaſquez Comment. in 3. part. S. Thomæ diſp. 232. c. 2. q. 83. art. 2.

§. II.

De Feria VI. *in Paraſceue.*

NEMO Clericorum tam rudis eſt, qui neſciat in Feria 6. maioris hebdomadæ quæ dicitur *ſancta Paraſceue*, Miſſas non celebrari, officiúmque quod fit in altari ſic eſſe diſpoſitum extraordinario ritu: vt tamen ſine conſecratione & oblatione, recolatur piiſſimis cæremoniis, memoria paſſionis Domini illa die ſolennis. Nec eſt quod quiſpiam exiſtimet morem hunc ſingularem, eſſe in Eccleſia à paucis ſæculis obſeruatum, cùm Innocentius I. qui ſedere cœpit anno Domini 402. in epiſtola ad Decentium, manifeſtè teſtetur, antiqua hoc Eccleſiæ traditione ſeruari, vt biduo ante Dominicæ Reſurrectionis triumphum, ſcilicet *in memoriam mortis & ſepulturæ eius, ſacra myſteria non celebrentur. Nam vtique conſtat Apoſtolos, biduo ipſo, & in mœrore fuiſſe, & propter metum Iudæorum ſe occuluiſſe. Quod vtique non dubium eſt, in tantum eos ieiunâſſe biduo memorato, vt traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo,* SACRAMENTA PENITVS NON CELEBRARI Quæ Innocentij verba ſeriatim cum antecedentibus quibuſdam & ſubſequentibus recenſentur, *de Conſecrat.* diſt. 2. can. *Sabbato.* n. 13. Verùm Amalarius Fortunatus, qui eadem refert ex Decretalibus Innocentij, lib. 1. de Eccleſ. off. c. 13. paulo longiùs poſt medium, luculentiùs ea recitat, quàm apud Gratianum extant locô citatô: ſiquidem rationem reddens ex auctoritate ipſius Innocentij, cur Miſſa non cantetur in ſexta Feria & in ſeptima, hoc eſt in Paraſceue, & in Sabbato ſancto: poſt illa verba, *Vt traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*, ſubiungit hæc continuo nexu, tanquam ipſius Pontificis propria: *orationes tantùm leguntur, Miſſáque ob hoc non canitur hodie, quia in hac die Dominus ſeipſum obtulit, & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentium.* Hánceque clauſulam, Melchior Hittorpius, qui Amalarium cum cæteris diuinorum officiorum Tractatoribus edidit, in exemplari MSC. quod ſecutus eſt excudendo, intermiſit quia ibi non inuenit.

In conſtanti vſu, vetus hæc traditio perſeuerat, quoad feriam illam ſextam maioris hebdomadæ, in qua non fit conſecratio nec oblatio, ſed tantùm communio Sacerdotis, ex præſanctificato Sacramento die præcedenti, vt omnibus notum eſt.

At obſtare videtur quod habet Amalarius libro citato c. 15. ſe in veteri ordine Romano ſcriptum inueniſſe: *Vt in die Paraſceues duo Presbyteri afferant, poſt ſalutationem crucis, corpus Domini, quod pridie reſeruatum eſt, & calicem cum vino non conſecrato, quod tunc conſecretur, & inde communicet populus. De qua obſeruatione*, inquit, *interrogaui Romanum Archidiaconum*, Theodorum hunc nominat lib. de ord. Antiphon. c. 44. *Et ille reſpondit, In ea ſtatione vbi Apoſtolicus* (hic eſt Papa) *ſalutat crucem, nemo ibi communicat. Qui iuxta ordinem libelli per commixtionem panis & vini conſecrat vinum, non obſeruat traditionem Eccleſiæ, de qua dicit Innocentius iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Hæc Amalarius loco ſignato.

Verùm neceſſe eſt illum nactum fuiſſe exemplar ordinis Romani non exactè deſcriptum: ſiquidem in eo qui nunc editus extat tom. 10. Biblioth. SS. PP. hæc verba, *Quòd tunc conſecretur &c.* prorſus non extant, ſed ſic ad verbum legitur: *Poſt orationem, libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, dicto Amen; Sumit* (Pontifex) *de ſancta, & ponit in calicem nihil dicens. niſi fortè aliquid ſecretò dicere voluerit, Pax Domini non dicit, quia non ſequentur oſcula circumaſtantium; ſanctificatur autem vinum non conſecratum, per ſanctificatum panem.* Quibus verbis non intelligit conuerti vinum in ſanguinem Chriſti, hoc enim non poteſt fieri ſine expreſſa conſecratione, quæ fit verbis Domini: ſed aliquo modo ſanctificari contactu & commixtione corporis ipſius Domini, vt bene cenſuit Willelmus Durandus in Rationali diuinorum officiorum c. 75. n. 5. Non autem vnitur vinum iſtud corpori Chriſti, quoad veram & realem eius eſſentiam, ſed tantùm quoad formam & ſpeciem Sacramentalem: Vnde etſi ſub ſpecie panis ſit corpus verum & integrum cum toto ſanguine, vinum tamen illud cui hoſtia ſancta immiſcetur, nec Chriſti corpus eſt, nec ſanguis eſt. Quamobrem rectè dici nequit, quòd hac commixtione vinum conſecretur: ſed tantùm aliquid ſanctificationis paſſiuæ excipit, velut linteum ſeu ſindon, qua inuoluit Ioſeph Chriſti corpus de cruce depoſitum, vt in monumento ſepeliretur, nam & calix ipſe ſepulchri Domini quædam eſt figura, vt Hildebertus in fine Carminis ſui ſacri *de Miſſæ myſteriis*, inſinuat.

Verùm hæc quæſtio ſupereſt diſcutienda: Num Clericis & laicis hoc die communicare liceat? Diſtinguendum eſt ante omnia de ſtatu & valetudine perſonarum. Nam aſſiſtentibus ſiue Clericis, ſiue Laicis diuinis officiis in Eccleſia, & omnibus aliis qui proſpera vtuntur valetudine, illa die non licet diuinam ſynaxim petere vel recipere, cùm ſit proprium Sacerdotis diuino fungentis officio, die ipſo, ſacram communionem ſumere, & quidem ſub vna ſpecie tantùm. Sed qui ita infirmi ſunt, vt de vita periclitentur, his licet diuinam hoſtiam petere & ſuſcipere pro viatico. Planum & perſpicuum hoc euadit ex rubrica Miſſalis Romani, quæ ſic habet; *Feria v. in Cœna Domini. Hodie reſeruat Sacerdos in loco honeſto & conuenienti vnam hoſtiam conſecratam, pro die ſequente, in quo non conficitur, vel etiam plures ſi neceſſe fuerit pro infirmis.* Licet igitur infirmis, qui nimirum grauiter ægrotant, ſanctam communionem impertire. At aliis fas non eſſe, (non obſtante corruptela quadam, cuius extant etiamnum apud Alcuinum & Amalarium, ordinémque veterem præcitatum non obſcura veſtigia) probare haud difficile fuerit. Quamuis enim dicat Vaſquez (loco ſuperiùs ſignato §. *Quibus omnibus expenſis*) ius aliquod ſcriptum ſe non inuenire, quo laica prohibeatur communio in die ſancto Paraſceues. Ego quidem ius illud ſatis expreſſum elicio ex canone ſexto Toletani Concilij IV. vbi de Feria 6. paſſionis Domini hunc in modum ſtatuitur: *Ideóque oportet eodem die, myſterium crucis, quod ipſe Dominus cunctis annunciandum voluit prædicari, atque indulgentiam crimi-*

num

num clara voce omnem populum poſtulare, vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ reſurrectionis remiſſis iniquitatibus, ſuſcipere mereamur, corporíſque eius & ſanguinis Sacramentum, mundi à peccato ſumamus. vbi particula *oportet*, vim habet præcepti: & patet tenore canonis, legem ferri, qua decernitur die illa propter mœſtitiam, & pœnitentiæ gemitus, præcellentíſque myſterij crucis venerationem ſingularem: abſtinendum eſſe à communione Euchariſtiæ, atque eius ſuſceptionem vſque in feſtum Dominicæ reſurrectionis eſſe differendam: Eadem obſeruatio confirmatur ex can. 8. Concil. itidem Toletani XVI. vbi expreſsè dicitur, *Excepto paſſionis Dominicæ die, quando altaria nudata perſiſtunt*, ſtatim ſcilicet poſt communionem Sacerdotis, qui ſolus illa die communicat pro omni Eccleſia. Inſuper id expreſsè probatur ex generali & conſtantiſſima Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, vbique tandem recepta. Hanc autem, vim præcepti habere, negari nulla ratione poteſt.

§. III.

De Sabbato ſancto, in vigilia Paſchæ.

STANTIBVS his quæ nuper præſtituimus: mouendam hîc non eſſe de Sabbato ſancto quæſtionem, nonnullis nec immeritò videretur. Attamen plana adeo non ſunt omnia, ſed ſcrupuli quidam haud ſpernendi, imò ſcopuli non minimi ſuperſunt. Vſu enim duo ritus inualuerunt, nimirum vt Miſſa eáque ſolennis Sabbato ſancto ab Eccleſiæ cuiuſque Præpoſito, vel qui eius gerit vices, celebretur, & quòd omnes Sacerdotes pro deuotione ſua in quacunque Eccleſia locum habent, Miſſam dicant priuatam: vtique & mos ille etiam quo laici quotquot volunt illa die communicant, canonicæ diſpoſitioni & rectæ rationi ſuprà inductæ, vt apparet, repugnat. Quoad communionem laicam, nihilominus iam licitam fuiſſe tempore S. Gregorij, eius ex libro Sacramentorum elici poteſt, in quo ſub titulo huius Sabbati legitur, *Infantes adultóſque qui hoc manè regenerati ſunt, communione ſacra ſtatim reficiendos eſſe.* Cui ritui oratio quæ dicenda ſignatur poſt communionem Miſſæ, euidenter adſtipulatur, ſic enim habet, *Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt diuino munere ſatiati, & ſacris Myſteriis innouemur, & moribus; Per Dominum &c.* quæ verba non propria ſunt Pontificis & Sacerdotis, ſed iis qui nuper renati ſunt pariter communia. Poſtcommunio quæ hodie in vſu eſt huic antiquæ adamuſſim concordat, eſt enim huius formulæ, *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Dominum &c.* Ipſa autem oratio quæ hodie eſt in vſu, ipſo Sabbato ſancto ſicut in die Paſchæ, haud nupera cenſenda eſt: nam extat ipſo Sabbato ſancto in Codice Sacramentali Ratoldi Abbatis Corbeienſis, qui obiit anno 986. ſuúmque Sacramentale ex antiquis collegit monimentis: illic enim ipſo ſacro die vigiliæ Paſchæ, poſtquam Epiſcopus diuinam ſumpſit ſynaxim, interim dum com-

municat populus, inchoat Cantor, *Alleluia*, Pſal. *Laudate Dominum omnes gentes.* Antiphon. *Veſpere autem Sabbati.* Poſthæc ſurgit Epiſcopus, pergénſque ad altare dicit, *Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, &c.* Poſteà dicit Diaconus, *Ite Miſſa eſt.* Sic iam tunc, & antè fieri ſolebat ritu Gallico, qui tandem paſſim in Eccleſia inoleuit, etiamnúmque perdurat. De Communione igitur laica Sabbati ſancti, quæſtio iam non debet moueri.

At de Miſſa eſt inter doctos non leuis diſceptatio; Canon enim Innocentij I. ſuprà citatus, & in codicem iuris relatus, diſertè dicit: Traditione Eccleſiaſtica Sacramentorum celebrationem biduo mortis & ſepulturæ Domini penitùs prohiberi. Non celebrari autem Sacramenta, idem eſt ac non conſecrari; vbi autem ceſſat conſecratio, ſacrificium deficere neceſſe eſt. Non igitur ritè & canonicè poteſt Miſſa celebrari die Sabbato in vigilia Paſchæ, ſicut nec feria 6. in Paraſceue, inferet quiſpiam ex præmiſſis principiis. At facilè poteſt hæc conciliari controuerſia, dummodò diſtinctio adhibeatur, inter Miſſam propriam de die huius Sabbati, & Miſſam ſpecialem de vigilia Paſchæ. Nulla eſt enim propria Miſſa in die Sabbati ſancti, quamobrem vſurpari non poteſt, at ſpecialis ſemper fuit Miſſa in vigilia Paſchæ, quæ vt in vigilia Natalis Domini (Paſcha autem, *ſecundum Domini Natalem*, Gaudentius eleganter appellat) media nocte apud Patres celebrari conſueuerat: vnde Collecta ſolennis, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem, gloria Dominicæ Reſurrectionis illuſtras*, &c. At ſuperioribus aliquot ſæculis vſus inualuit, vt nocturna ſynaxis vigiliæ reſurrectionis Domini anticiparetur; quia enim ieiunium deſiit protrahi ad occaſum ſolis, canonéſque vetant antiqui, ieiunium ſolui ante veſperam; ritè autem celebrari veſpertinum officium nequit, niſi poſt peracta altaris myſteria: ideo Miſſa ſolennis vigiliæ reſurrectionis Domini, de nocte Sabbati ſancti, ad ipſam diem tracta eſt, adeovt cum abbreuiato veſpertino officio, quod ſacræ Liturgiæ facit clauſulam, ante meridiem celebretur; vel ſaltem in ipſa meridie terminetur. Nec vetus obſtat Canonica diſpoſitio, quia contraria conſuetudine abrogata eſt, iam paſſim in Eccleſia recepta & obſeruata. Sed iterum hîc venit adhibenda diſtinctio, inter Miſſam ſolennem, & Miſſam priuatam: Nam Miſſa ſolennis propter prædictas rationes & diei celebritatem, licitè poteſt, imò debet ab Eccleſiæ Præpoſitis (propria in cuiuſque Eccleſia) celebrari; at priuata Miſſa à ſimplici Sacerdote dici non debet antiqui ex iuris præſcripto; quia ceſſant eius reſpectu rationes, quæ Miſſæ ſolennis ſunt propriæ. Vnde Sabbato ſancto pro vigilia ponitur tantùm Miſſa ſolennis, cuius officium à benedictione Cerei Paſchalis, Prophetiarum lectione, & benedictione fontium, ſine alio vllo introitu inchoatur, & breuì veſpertina ſynaxis abſoluitur; quæ omnia in priuata Miſſa expleri non poſſunt. Quamobrem Miſſa propria, quæ priuatim extra ſummum altare & publicum populi conuentum, à quocumque Sacerdote dici poſſit, illa die in

Miſſali non aſſignatur. Secus eſt in Vigilia Pentecoſtes, vbi extra publicum ſacrum (quod cum prophetiarum lectione & benedictione fontium, vt in Sabbato ſancto, celebrari conſueuit) Miſſa ponitur ſeorſim, quæ à quolibet Sacerdote dici queat, etiam proprio ad hoc officium aſſignato introitu. Cæterùm nihilominùs pleriſque locis, ex Epiſcoporum neſcio qua tolerantia, iam iam vſus inualuit vt etiam die Sabbati ſancti Miſſa priuatim à ſingulis Sacerdotibus, præter Miſſam ſolennem in vna eadémque Eccleſia celebretur, at ex mera indulgentia tantùm: quamobrem qui ea vtitur non peccat, quamuis meliùs facit, qui non vtitur.

ARTICVLVS III.

De hora Canonicè praſcripta, ad ritè celebrandum venerabile Miſſæ ſacrificium.

IN Miſſali Romano Rubrica extat ſingularis de hora celebrandi Miſſam, in qua ſtatuitur, vt poſt auroram quacumque hora diei (nempe vſque ad meridiem) priuatæ Miſſæ celebrari poſſint. *In ſacrificio Miſſæ* (ait rubrica) *offertur Chriſtus qui eſt candor lucis æternæ, & qui de ſeipſo ait, Ioan. 9. Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt, ſitque hoc ſacrificium legis gratiæ: idcirco die dumtaxat celebrandum eſt, ſcilicet ordinariè ab aurora vſque ad meridiem.* Et hæc Rubrica paſſim eſt in praxi, quamuis ipſa regula certis occaſionibus relaxari ſoleat; cauſa enim communicandi ægrotum grauiter laborantem, legitima eſt, ad hoc vt Miſſa priuata anticipetur, accedente præſertim Epiſcopi, ſi præſens ſit, aut ſuperioris loci licentia: ſin autem abſque eiuſmodi licentia, celebrari poſſe Nauarrus exiſtimat. Antoninus verò, Paludanus & Gabriel, aliique hanc licentiam haud neceſſariam eſſe cenſent, ſufficere enim aiunt ſolam neceſſitatem ægroti. Aliis de cauſis Epiſcopi diſpenſare poſſunt circa eandem regulam, ſummúſque Pontifex de facto diſpenſauit cum quibuſdam regularibus, vt ante auroram vna hora & dimidia, vel circiter, priuatim poſſint Miſſam celebrare; quin & vſus inoleuit in Germania, & Gallia præſertim, vt hyemali tempore circa horam ſextam à media nocte (qua hora nondum aurora vt plurimum incipit) Miſſa priuata celebretur, in gratiam famulorum & operariorum qui vix horis poſſent aliis ſacro intereſſe. At quæſtio hinc inſurgit, ſi quemadmodum hora Miſſæ licitè anticipatur aliquando ante auroram, ſic poſt meridiem, quæ ordinaria eſt clauſula temporis ſacrificij, fas ſit aliquando celebrationem Miſſæ protelare? Nauarrus in Summa c. 25. n. 85. in hac eſt ſententia ſingularis, quòd ſcilicet opinetur fas eſſe cuilibet Sacerdoti Miſſam celebrare toto die vſque ad horam nonam diei, quæ tertia eſt poſt meridiem, modò ante ipſam horam nonam inchoetur, & dummodo hoc ſine ſcandalo fiat.

Et verò ſi de antiqua Eccleſiæ politia ſermo ſit, faciliùs poteſt hæc Nauarri opinio defendi, quàm mos ille nouus (ſecluſo priuile-

gio, diſpenſatione, aut conſuetudine legitimè approbata) celebrandi nocte ante auroram. Rigida enim admodum fuit olim Eccleſiæ politia, vt nocte ſacrum celebrare non liceret. Celebre eſt Decretum Teleſphori Papæ & Martyris de Liturgia in nocte Natalis Domini ſolenniter celebranda. Sic porrò refertur de Conſec. diſt. 1. c. 48. *Nocte ſancta Natiuitatis Domini Saluatoris Miſſas celebrent Preſbyteri, & hymnum Angelicum in illis ſolenniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo paſtoribus nunciatus eſt &c. Reliquis verò temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè ſunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendiſſe legitur.* Walfridus Strabo lib. de rebus Eccleſ. c. 21. luculentius hoc decretum recitat, *Hic* (inquit) *ſtatuit Pontifex, vt in die Natali tres Miſſæ celebrarentur.* Excipit hîc Vaſquez, hoc in decreto Teleſphori non haberi: Et reuera expreſsè non habetur, at habetur implicitè, ſic enim refertur ſanxiſſe Teleſphorus ab Anaſtaſio in lib. Pontificali; *Hic,* inquit, *conſtituit, vt natali Domini Miſſæ noctu celebrarentur:* Et Abbo Floriacenſis in Epitome de vitis Pontificum, *Vt in natali Domini Miſſæ per noctem celebrarentur.* Quo plurali numero ſatis datur intelligi Teleſphorum indulſiſſe, non ſolùm vt vna Miſſa, ſed diuerſæ in ea ſacratiſſima nocte celebrarentur, ſcilicet prima in ipſa media nocte: (quam ideo ſingulari numero Luitprandus Ticinenſis in opuſculo de vitis eorumdem Pontificum n. 9. deſignat) Secunda in aurora vel circiter auroram: Tertia verò in ipſo die ſancto Natiuitatis Domini hora legitima & conſueta. Hinc S. Gregorius hom. de ipſa Chriſti Natiuitate, quæ 8ª. eſt in Euangelia, *Quia* (inquit) *largiente Domino Miſſarum ſolennia hodie ter celebraturi ſumus, loqui diu de Euangelica lectione non poſſumus.* Platina hoc inſtitutum disertè Teleſphoro Papæ tribuit: quin & Funccius quamuis ex ſegregibus, id perſpicuè fatetur lib. 5. Comment. in ſuam Chronolog. ſub ann. 122. In decretis eiuſdem Teleſphori decreto 2. *Tres Miſſas in die Natalitio Chriſti manè celebrandas ſanxiuit.* vbi per mane intelligit, *à media nocte ad meridiem.* Eccleſia ſubinde hoc priuilegium feſti Natalis Domini ad feſtum triumphale eius reſurrectionis extendit, ſicut quidam ex Canone, *quod à Patribus,* diſt. 75. n. 4. ex epiſtola non 79. vt notatur, ſed 81. * eliciunt. Sed præter has duas ſanctiſſimas noctes, altaris myſteria aliis peragere canonica fuit pridem diſciplina ſtricta interdictione prohibitum. Vnde Teleſphorus Pontifex ſignatim ſuum Decretum ſic concludit: *Reliquis verò temporibus Miſſarum celebrationes, ante horam tertiam minimè ſunt celebrandæ.* Anaſtaſius hanc clauſulam ita reddit, *Cùm omni tempore ante horæ tertiæ curſum, nullus præſumeret Miſſam celebrare; qua hora Dominus noſter aſcendit crucem.* Luitprandus paulò aliter hanc refert ſanctionem: Reliquis autem temporibus, ante horam diei tertiam, celebrari prohibuit ex ritu ſcilicet qui iam antè vigebat: Nam vt refert Anaſtaſius, ante Teleſphori indultum pro Natalis Domini nocturna ſynaxi, nullus ante horam tertiam celebrare præſumebat.

* *Leonis magni ad Dioſcor. c. 1. Vide can. Solent eadem diſt. & Walfridum Str. de Eccleſ. off. c. 23.*

Sunt qui opinentur Decretum Teleſphori Papæ, de Miſſis dum-

taxat ſolennibus, non autem de priuatis intelligendum eſſe. Rectiùs Vaſquez, diſp. & q. ſuprà deſignatis c. 3. §. *Obiiciet quis*, *Ego verò* (inquit) *puto de omnibus intelligi.* Sed à rigore huius canonis, contraria eáque ſatis iam inueterata conſuetudine, nonnihil eſt diſceſſum, quod ſpectat ad Miſſas priuatas. Nam Amalarius Fortunatus lib. 3. c. 42. *Vidi* (inquit) *Leonem Apoſtolicum* (IV. Pontifex huius nominis erat) *diluculo intrare ad Miſſam, neſcio vtrum cauſa neceſſitatis intercedente, hoc ageret, an ſola poteſtate.* Mos iſte tum nuperus erat, quamobrem vt ſingularis, etiam in Papa, ab Amalario notabatur. Paulatim hic vſus frequentior eſſe cœpit, adeo vt Epiſcopis, vt diluculo, necnon paulò ante lucem celebrare poſſint, fuit conceſſum, vt notat Gloſſ. in cap. fin. *de priuilegiis*: Imò & aliis Preſbyteris, pro communi populi commoditate vel alia iuſta de cauſa permiſſum eſt, vt Canoniſtæ docent, Antonin. 3. p. Tit. 13. cap. 6. §. 4. Angelus & Siluester in voce Miſſa, Nauarrus lib. de orat. cap. 21. n. 31. & in Enchirid. Confeſſ. cap. 25 num. 85.

At quod poſt meridiem vſque ad horam nonam, Miſſæ celebratio ſit licita, (vt aduerſus Ioannem Andream eiúſque ſententiam aſſerit Nauarrus) diſtinctionem adhibendam eſſe reor. Nam ſi iuxta priſcam Eccleſiæ diſciplinam hæc quæſtio diſcutiatur, imprimis fatendum fuerit, tempore ieiuniorum hoc in praxi dudum fuiſſe, vt hora nona, antequam fas non erat ſoluere ieiunium, Miſſa celebraretur: cuius rei veſtigium hoc ſupereſt, vt in quatuor temporibus & maioribus ieiuniis nona anticipetur, dicatúrque ante prandium. Porrò antiquitus tempore ieiunij ſolennis, nona dici ante Miſſam conſueuerat, ſicque non meridie fiebat ſacrificium, ſed ad horam nonam, vt etiam elicitur ex can. *Quando.* & Can. *Solent*, diſt. 1. de conſec. Extráque etiam ieiuniorum dies, tempore Amalarij præfati, qui anno 830. Eccleſiæ Treuirenſi præſidebat, nonnulli erant Sacerdotes, qui poſt horam nonam faciebant ſacrum. Hi verò (ait loco ſuprà ſignato) *qui ante horam tertiam, vel poſt horam nonam neceſſariò offerunt ſacrificium Deo, amore diuino inflammati, vt non prætereat dies ſine illorum ſacrificio, non hoc agunt quaſi petulanter contra inſtituta Apoſtolica, ſed habent cauſam ſeriam qua excuſare probabiliter ſe poſſint*, &c. Nauarrus qui huiuſmodi factum tuetur, iuréque innixum contendit, has tres rationes aſſignat. Prima eſt, quia ſecundùm Ioannem, Chriſtus in cruce immolatus, hora nona (quæ incidit in tertiam noſtram pomeridianam) expirauit. At incruenta Chriſti oblatio, cruentæ eius immolationis repræſentatio eſt: Myſterio igitur huic recolendo aptè conuenit vt Miſſa celebretur ad nonam, ſic enim adæquatè mors Chriſti annunciatur, vt Apoſtolus commendat. Secunda eſt, quia nulla eſt ratio, neque auctoritas, quæ id prohibeat. Tertia, quia olim ſic fuit ſeruatum, maximè tempore ieiuniorum, vt ſuprà iam inſinuatum eſt Cæterùm has tres rationes haud validas eſſe cenſeo. 1. enim nimiùm probat, quia ſi ſolidè reciperetur, neque tertia hora, neque ſexta, neque alia quàm nona hora Miſſæ ſacrificium conuenienter poſſet celebrari; non eſt certè neceſſe ad annunciandum in Miſſa Chriſti mortem,

vt hæc circumſtantia de hora & momento eius expirationis in cruce exactè obſeruetur, ſatis eſt vt eadem hoſtia immoletur, at diuerſo modo, vt ait Concilium Tridentinum, nempe incruento, dummodò id fiat in commemorationem Chriſti paſſionis & mortis, quæ in hoc ſacrificio potiſſimum recolitur. Adde quòd etſi Chriſtus expirauit in cruce hora nona, tamen cruci affixus fuit hora ſexta, vel paulò pòſt. Porrò hora tertia, lingua Iudæorum crucifixus eſt, (vt in Pſal. 63. obſeruat S. Auguſtinus) dum clamabant ad Pilatum præſidem, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Quinimò manè facto in Paraſceue Paſchæ, Chriſtus iudicio Sacerdotum, reus mortis iudicatus, Pontio Pilato ab iis traditus fuit, vt ſcribit S. Matth. c. 27. 1. Incepit igitur ſaltem hoc mane eius paſſio, ergo mane licebit ipſam commemorare paſſionem illo ſacrificio, quod ad eius repræſentationem & celebrationem ac applicationem fuit ab ipſo inſtitutum Chriſto Domino: Nec enim mortem Domini ſolùm in perenni ſacrificio recolimus, ſed totam ipſius paſſionem. Quamobrem facta hoſtiæ conſecratione, eiúſque ac calicis ſacri eleuatione, Sacerdos ait, *Vnde & memores tam beatæ paſſionis, &c.* Sed etiam hoc in myſterio fit expreſſa memoria inſtitutionis huius ipſius ſacrificij, ideóque Sacerdos mox conſecrationem facturus ſignanter ait, *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem &c.* Atqui hoc nocte factum eſt, vt Apoſtolus expreſsè notat. *Quoniam,* inquit, *Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur accepit panem.* Si congruentia igitur temporis neceſſariò ſeruanda foret, nocte tantùm eſſet Miſſæ ſacrificium celebrandum, quod tamen nunquam in Eccleſia locum habuit, vt conſtat ex ſuperiùs dictis: habuit ſiquidem Chriſtus cauſas ſpeciales, cur nocte hoc ſacrificium primùm celebrauerit. Quod etſi quoad rei ſubſtantiam faciendum vt fecerat id inſtituendo præceperit, tamen ad circumſtantiam temporis non aſtrinxit Apoſtolos nec Sacerdotes, vt ex eius verbis ſatis apparet. Ita concidit ducta ex circumſtantia temporis Nauarri ratiocinatio. Porro ad ſecundam eius rationem quod ſpectat, iam dicere nemo poteſt, nullam extare rationem & auctoritatem qua prohibeatur Miſſam celebrare hora nona, ſeu tertia pomeridiana. Quia quicquid ſit de vetuſtis canonibus aut moribus, certum eſt Concilium Oecumenicum Tridentinum mandare Epiſcopis, vt edicto & pœnis propoſitis, caueant *ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis Miſſam celebrent:* At verò Miſſale Romanum ex decreto ipſius Concilij reſtitutum, in rubrica, De hora celebrandi Miſſam, prohibet Miſſam poſt meridiem celebrari; Obſtat igitur iam publica Eccleſiæ auctoritas, quæ ſine ratione eſſe nequit, imò magni ſemper momenti ratio habita eſt. Nec excipi poteſt de Miſſis priuatis hoc intelligendum eſſe: rectè enim Vaſquez aſſerit communem iam Eccleſiæ vſum habere, vt Miſſæ omnes tam priuatæ quàm ſolennes non poſſint poſt meridiem inchoari, niſi ex priuilegio, háncque Eccleſiæ conſuetudinem quæ legem facit inueteratam eſſe. Quod & Gabriel fatetur Lect. 14. littera C. vbi poſtquàm ſententiam illam attigiſſet de Miſſa ſaltem ſolenni circa ho-

ram nonam celebranda, candidè ait, huic aduerſari generalem & planè oppoſitam Eccleſiæ conſuetudinem. De tertia ratione Nauarri, ſufficit reſpondere Eccleſiam ipſam relaxâſſe obtentu humanæ infirmitatis rigidiorem ieiuniorum obſeruationem. Licere enim iam ex longæuo vſu conſtat, ieiunium ad meridiem ſoluere, quod pridem fas non erat: & ideò Miſſa quæ tempore ieiunij, horâ nonâ celebrari poterat, vel etiam conſueuerat, ad meridiem reuocata eſt, vt etiamnum paſſim ſeruatur. Tenax tamen ſemper Eccleſia ſui decori & ſacræ antiquitatis obſeruātiæ, in priſtini ritûs reuerentiam atque memoriam, ieiunij tempore, Miſſam ſolennem ſeriùs celebrare ſolet, quàm diebus aliis, nam totâ Quadrageſimâ Miſſam non incipit niſi poſt Nonam (intelligo non horam phyſicam, ſed Canonicam) in Choro decantatam, dictáque Miſâ veſpertinum officium continuò exoluit, quod explicit circiter meridiem. Extra Quadrageſimam verò, Nonam ſemper in quatuor temporibus & aliis ſolennibus ieiuniis, ad finem Miſſæ maioris, circiter meridiem concinit. Vſus Eccleſiæ Pariſienſis eſt, vt in vigiliis etiam quæ fiunt ſine ieiunio, Nona dicatur ante prandium. Antiqui igitur moris ſemper quoddam veſtigium perdurat.

Atque hæc breuiter dicta de hora rite celebrandi ſacrificij Miſſæ, ſat eſſe poſſunt, ad Sacerdotem circa hanc circumſtantiam inſtruendum. Eſt hîc tamen quod per modum Corollarij ipſum admoneamus, hæc omnia quæ de hora legitima celebrandi diuinam Liturgiam diximus, ſic intelligenda eſſe, dummodo quacumque hora Sacerdos ſacrum facit, vel ſolenniter, vel priuatim, ſiue mane, ſiue meridie, ſiue etiam ex indulto & priuilegio aliquantulum poſt meridiem: ſit ieiunus; nam ſi illa die ederit aliquid quantulum id cumque ſit, ex Apoſtolorum inſtituto & conſtantiſſimo more vniuerſi orbis Chriſtiani, hoc eſt traditione & vſu perenni Eccleſiæ Catholicæ, ſacrificium offerre, vel etiam communicare prohibetur. Qua de ſacra traditione intemeratè ſeruanda teſtimonia ferunt, Tertull. lib. 2. ad vxorem, Sanctus Cyprianus lib. 2. ep. 3. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Baptiſma: S. Auguſt. ep. 118. ad Ianuarium, S. Chryſoſt. ep. 3. ad Cyriacum. Videnda etiam diſt. 1. de Conſec. apud Gratian. Decretum Eutichiani Papæ & Martyris apud Burchardum lib. 1. c. 25. & Iuonem part. 2. cap. 45. &c. & Concil. Carthag. III. c. 29. Africanum c. 8. Matiſcon. II. c. 6. Bracarenſe II. 10. Tolet. VII. c. 2.

CAPVT X. ET VLTIMVM.

De Sacerdotali debito offerendi: Seu de obligatione ſingulorum Preſbyterorum, Miſſæ celebrandi ſacrificium, ex officio Ordinis.

ARTICVLVS I.

Quo diſcutitur quæſtio ſcitu non indigna, num Preſbyter, ſit Sacerdos?

NOVATORES, qui viſibile ſacrificium in religione Chriſtiana non admittunt, tametſi Preſbyteros noui Teſtamenti miniſtros eſſe legitimos abnuere non audeant: quorum nomen, munus, & auctoritas paſſim in Apoſtolorum ſcriptis commemorantur: illos tamen iure vllo Sacerdotes dici poſſe, ſi proprio ſenſu expendatur Sacerdotis vocabulum, prorſus inficiantur. Ethnicorum hîc neque vſum, neque ſcita aiunt, recipimus, à quibus prorſus oportet cultores Chriſtiani nominis abhorrere: ſed diuina oracula conſulenda ſunt, in quibus nomen & officium Sacerdotis verè, propriéque legimus traditum ac expreſſum. Sanè in veteri Teſtamento ſeptem erant munera Sacerdotum qui ſub Pontifice, ſeu ſummo Sacerdote, tabernaculo deſeruiebant; ipſorum enim officium erat 1. olea conſeruare, quorum nonnulla pro lucernis Sanctuarij, alia pro vnctionibus ſacris vſui erant. Num. 4. Secundò vaſorum, quorum in ſacris vſus erat, curam gerere*. Tertiò, quotidie vnà cum Sacerdote magno incenſum offerre ſuper altare thymiamatis, & abſque Pontifice etiam ſuper altare holocauſtorum thus adolere. Num. 4. & 1. Paralip. 6. & 26. Quartò, pelles victimarum detrahere, quæ in holocauſtum offerebantur. Quintò, ſacrificia facere quæ pro ſingulis feſtis in lege erant præſcripta. Exod. 29. Leuit. c. 9. Num. 28. Sextò, ſi quando pro populo vel priuatis perſonis præter conſuetum ordinem offerendum eſſet, ſacrificium id offerre. Leuit. 17. 2. Paralip 29. Septimò, quotidiana offerre ſacrificia. Num. 4. Quò ſpectans Apoſtolus, Heb. 10. 11. ait: *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias.* Sed iuge ſacrificium quod ſingulis diebus offerebatur, Sabbato duplum fiebat, Num. 28. præceperat enim Deus Exod. 29. & Num. 28. ſingulis diebus duos agnos in holocauſtum offerri, vnum mane, alterum veſpere, quod idcirco iuge ſacrificium eſt appellatum. Erat autem hoc inſignius: nam & veſpertini agni concrematio tota nocte perdurabat Leuit. 6. Ex quibus perſpicuum eſt præcipuum munus Sacerdotis, ipſum fuiſſe ſacrificium, vnde & accipit nomen: Nam is eſt Sacerdos, qui Deo dicatus eſt ad ſacrificia facienda, *Ex hominibus aſſumptus* (ait Apoſtolus) *pro omnibus conſtituitur in iis, quæ ad Deum ſunt, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Heb 5. 1.

* *ibid.*

Vide Philonem lib. de Victimis.

Hæc

Hæc verò ſeptem antiquæ legis Sacerdotum munera, Preſbyteris neque ex officio competunt: neque iis in nouo Teſtamento tribuuntur. Si enim loci omnes ſpectentur in quibus Preſbyterorum fit mentio in legis gratiæ Codice, illos fuiſſe inſtitutos ad docendum & regendum populum Dei, prorſus eſt manifeſtum, vt videre eſt Act. 14. 23. 15. 2. 1. Timoth. 5. 17. Tit. 1. 5. Iacob. 5. 14. De officiis porrò Leuiticorum Sacerdotum, ne vllum quidem extat verbum in toto nouo Teſtamento: quoniam hæc ad vmbras & figuras Moſaicæ legis, quæ fulgente Euangelij ſole euanuerunt, vel ad ritus & cæremonias quas Chriſtus ſuppreſſit, conſtat pertinere. Cæterùm cùm priſcæ legis Sacerdotum præcipuum munus eſſet, ſacrificia & oblationes indeſinenter offerre, nihil minus quàm id officium fuiſſe iniunctum Preſbyteris ex ſignatis locis ſatis ſupérque liquet. Quin addunt Nouatores dogma eſſe Apoſtolicum *non ſupereſſe hoſtiam pro peccato*, poſtquàm Chriſtus generis humani Redemptor & ſolus Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſemetipſum pro reconciliatione mundi æterno Patri in ara crucis obtulit: *Hac enim oblatione* (ait Apoſtolus) *conſummauit in æternum ſanctificatos*: Nec ſæpè offert ſemetipſum, quia *per proprium ſanguinem ſemel introiuit in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Heb. 10. 14. 9. 12.

Sic paſſim Nouatores argutantur, ſummoperè contendentes, noui & æterni Teſtamenti iuge ſacrificium, Euangelicúmque Sacerdotium penitus abolere, ſed fruſtrà. Stat enim æternúmque ſtabit, fremente licèt vniuerſa ſectariorum caterua, Teſtamentum illud quod Chriſtus incruento corporis & ſanguinis ſui ſacrificio obſignauit, ínque perenne mortis ſuæ monimentum, vbique donec veniat celebrandum præcepit, dicens Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus: *hoc facite in meam commemorationem. Sic* (ait S. Irenæus B. Polycarpi auditor lib. 4. aduerſus hæreſ. c. 32.) *Noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo mund* Diuinæ huius theoriæ & Apoſtolicæ praxis ſole clariora ſunt tot orbe teſtimonia atque monimenta, quibus apparet *ab initio vſq ad præſens tempus* (vt verbis S. Auguſtini lib. 3. de peccat. merit. & remiſſ. c. 7. vtamur) *quo nouitas iſta orta eſt, hoc apud Eccleſiæ fidem tanta conſtantia cuſtoditum.* Ipſíque inimici ſunt iudices, quorum anteſignanus Lutherus lib. de Capt. Babylon. c. 1. *Miſſa creditur paſſim ſacrificium* (inquit) *quod offertur Deo. Accedunt his dicta ſanctorum Patrum, tot exempla, tantúſque vſus, per orbem conſtanter obſeruatus.* Cuius rei euidentiâ Caluinum alterum ſectariorum ducem, compulit fateri, ſanctos Patres (quos veterum nomine indigitat) ſacrificium in Euchariſtia non ſolùm agnouiſſe, ſed & celebraſſe myſtica immolationis Chriſti renouatione, lib. 4. Inſtitut. c. 18. §. 8. Adeovt Kemnitius eadem veritatis claritate coactus palam agnoſcat negari non poſſe, ſanctos Patres tremendam illam myſterij Chriſtiani actionem titulis deſignâſſe ſacrificij, immolationis, hoſtiæ, victimæ, adeóque miniſtros eiuſdem Sacerdotes nuncupâſſe. Exam. p. 782. Vlteriùs progreſſus Eraſmus,

quem ipſi Nouatores non leui in pretio habere ſolent, ſanctos Apoſtolos Paulum & Barnabam, ſacrificatorum officio cum viris Apoſtolicis qui cum ipſis Antiochiæ erant, perfunctos, ipſo ex ſacro codice Actuum Apoſtolorum demonſtrat, ſiquidem ex Act. c. 13. vbi vulgata habet miniſtrantibus illis Domino, vertit vocem illam, λειτουργούντων ſacrificantibus, tam ex vi vocis, quàm vſu ſcripturæ, vbi verbum λειτουργέω ponitur abſolutè pro miniſterio ſacrificij, vt patet Luc. 1. Heb. 2. 8. 9. & 10. Vnde Græci ſacrificium Euchariſtiæ, quod noui Teſtamenti vnicum ac proprium eſt, λειτουργίαν appellant. Longè igitur à veritate abeſt, nullum ex Scriptura ſacra probari poſſe in Eccleſia eſſe ſacrificium, & miniſtrorum noui Teſtamenti, quos Preſbyteros eſſe ex Scripturis conſtat, & Nouatores inficiatum ire non poſſunt, offerendi & ſacrificandi munus non eſſe. Ad quid enim *haberemus altare*, vt docet Apoſtolus Heb. vlt. de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt? Siqui Deo miniſtrant in lege gratiæ Preſbyteri, officio conficiendi ſacrificij legitimo non perfungerentur: Apoſtolus ad Heb. 7. ait, tranſlatam fuiſſe legem cum Sacerdotio, igitur cum ſacrificio, quemadmodum præclarè Leo Magnus ſerm. 8. de paſſione Domini obſeruat & oſtendit; *Sciſſo templi velo* (inquit) *Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem & lex in Euangelium verteretur &c. nunc enim carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis, & ſanguinis tui* (Domine) *implet oblatio, quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuerſa perficis myſteria, vt ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gente ſit regnum.* Verùm hîc quiſpiam eodem ex loco S. Leonis, dicam inter ipſos Catholicos forſitan mouebit. Dato enim quòd ſit in Eccleſia viſibile ſacrificium, ídque vnicum & ſingulare, videlicet incruentum illud ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod quotidie in Miſſa ſacro-ſancto ritu immolatur: itidémque quòd ſacrificium iſtud venerabile, nonniſi per legitimos miniſtros offerri poſſit. Tamen ex præfati Pontificis ſententia non omnes miniſtri altaris cenſeri debent Sacerdotes: ſed ſoli tantùm Epiſcopi: Sic enim Eccleſiaſticos gradus & officia diſtinguit ibidem S. Leo, *Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt vnctio Sacerdotum;* Vbi manifeſtum eſt per Leuitas Diaconos, per ſeniores Preſbyteros, per Sacerdotes verò Epiſcopos propriè deſignari, proinde Preſbyteros à Sacerdotibus diſtingui, ideóque nec eſſe, nec dici poſſe propriè Sacerdotes.

Et verò ſi de nomine agitur, non anxiè conceſſero, ſi vſum primitiuæ Eccleſiæ ſpectemus, paſſim nomen Sacerdotis ſolis Epiſcopis fuiſſe pridem attributum *. Vulgare eſt quod Sixto Pontifici inclamabat ipſo in procinctu martyrij S. Laurentius, *Quò progrederis ſine filio pater, quò Sacerdos ſancte ſine Diacono properas, nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras?* Eundem Sixtum Sacerdotis nomine deſignat Prudentius in Hymno de ipſo S. Laurentio.

* Bellar. de Sacram. ord. lib. 1. c. 5. §. 2. *Veteres* (inquit) *nomine Sacerdotis, abſolutè Epiſcopum intelligebant.*

Fore hæc Sacerdos dixerat,
Iam Sixtus adfixus cruci,
Laurentium flentem videns,
Crucis ſub ipſo ſtipite.

Sic idem nuncupat Fructuoſum Tarraconenſem Epiſcopum, cum Diaconis ſuis Augurio & Eulogio fidei agonem ineuntem.

Acciſus quia præſidis repente
Iuſſu, venerat ad forum Sacerdos
Leuitis comitantibus duobus.

Et infrà,

Quoſdam de populo videt Sacerdos.

Sic Rufinus in præfatione ſuper Apologeticum pro Origene, vocat Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum: *Hæc* (inquit) *in Hieroſolymis in Eccleſia Dei à ſancto Sacerdote eius Ioanne prædicantur.* Ita & S. Cyprianus appellat B. Cornelium, non tantùm Sacerdotem, ſed inſuper verum Sacerdotem ep. 67. & 68. *Sacerdotem pacificum & iuſtum, ipſiúſque ſedem, Petri locum & Cathedram Sacerdotalem* ep. 51. Qui in epiſtolis ſancti huius Martyris tantiſper verſatus fuerit, facilè animaduertet conſtanti vſu Sacerdotale nomen & dignitatem ipſum Epiſcopis adſcribere, vix vnquam verò tribuere Presbyteris, quos continuo more Presbyterij titulo ſimplici commemorat: Diaconis autem paſſim iungit, quamuis vbique iiſdem præponat, at ſubiungat Epiſcopis, ſolida perpetúque ſacrorum graduum recenſione. Idem ep. 79. quæ eſt ad Pupinianum, ſe non modò Sacerdotem paſſim appellat, ſed Sacerdotum nomine ſolos deſignat Antiſtites; inſignis eſt in hac epiſtola locus iſte, quo falſam Pupiniani opinionem refellit, argumento ducto ab impoſſibili aut ſaltem ab abſurdo: *Ecce iam ſex annis* (ſi verum eſt nempe quod obiicis) *nec fraternitas haberet Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus Antiſtitem, nec Deus Sacerdotem.* Quid quod ibidem ſic Eccleſiam definit, *Eſt plebs Sacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens: Vnde ſcire debes* (inquit) *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſiquis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* Idem verò ſcribens ad Cornelium, Epiſcopum eſſe vnum ac ſingularem Sacerdotem docet, cui ſecundùm magiſteria diuina vniuerſa fraternitas obtemperare debet. S. Ambroſius & S. Chryſoſt. libros inſignes ſcripſerunt *de Sacerdotio*, ſed in iis tractant de Epiſcopis non de Presbyteris, prout patet perlegenti. Idem S. Ambroſius ep. 13. ad Valentinianum Auguſtum, loquens de electionibus Epiſcoporum, *Taceo* (inquit) *quia pater pietatis tuæ quietem futuram ſpopondit, ſi electus ſuſciperet Sacerdotium.* Et epiſt. ſequent. ad Marcellinam ſororem initio, *Reſpondi quòd erat ordinis mei, Templum Dei tradi à Sacerdote non poſſe.* Id eſt ab Epiſcopo. Et circa med. *Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ.* Et infrà, *Veteri iure, à Sacerdotibus, donata imperia non vſurpata*, quia ſcilicet reges à Pontificibus vnguntur, conſecrantur, ac coronantur. Apud Leonem Magnum, extat Epiſtola Flauiani Epiſcopi Con-

Extat poſt ep. 8. Leonianam.

ſtantinopolitani ad ipſum Leonem de blaſphemiis Eutychetis, eiúſque excommunicatione, in qua ſimpliciter illum Preſbyteratu deiectum denuntiat, Sacerdotij nulla mentione facta, licèt eſſet Archimandrites, hoc eſt Præſes Regiæ Vrbis Aſcetarum: Quin ipſe S. Leo in 1. ſua ad Flauianum ipſum epiſtola*, diſertè Epiſcopos Sacerdotes appellat; Eutychetem verò Preſbyterali dumtaxat commemorat titulo, *cùm præmemoratus Preſbyter libello proprio ſit profeſſus &c.* Porrò Flauianus in 2. ad ipſum Leonem ſic eum affatur, *Fiducialiter age ſecundùm quod Sacerdotio competit.* Cæterùm idem Leo ſcribens ad Theodoſium iuniorem, Epiſcopos omnes ſéque ipſum Sacerdotali nomine loquentes inducit, *Et hoc* (inquit) *indefeſſis precibus diuinam miſericordiam poſco, vt cordi veſtro id quod eſt veritatis inſpiret &c. à me autem atque ab omnibus Catholicis Sacerdotibus, quæ Euangelij pietas defendat. Satis plenè, ac lucidè litteris meis &c. arbitror vos accepiſſe.* Ipſe verò Theodoſius cum Valentiniano III. reſcribens ad Verum præfectum prætorio, pro debita reuerentia Epiſcopis & Clericis conſeruanda, abſolutè Epiſcopos Sacerdotum inſignit honorifico nomine. *Audemus quidem ſermonem facere, ſolito plus timore correpti de ſanctis & venerabilibus Sacerdotibus.* Et infrà *Quoniam in Sacerdotibus Eccleſia conſtat.* Marcus Diaconus in vita ſancti Porphyrij Epiſcopi Gazæ apud Metaphraſtem, *Illa verò nocte* (inquit) *acceſſit beatus Ioannes Gazaos & dixit ei, Parati eſtote ad exitum, hodie enim accipietis Sacerdotem, virum quem oſtendit Dominus. Cùm fuiſſet autem mane rapientes B. Porphyrium ordinauit eum Epiſcopum Gazæ.* Sidonius epiſt. 9. lib. 7. ad Perpetuum Turonenſem *Conſeſſum Sacerdotum*, id eſt Epiſcoporum, patenter à Preſbyterorum ordine ſecernit. Gregorius Turonenſis longè apertiùs Preſbyteratum à Sacerdotio diſtinguit, libro de gloria Confeſſor. c. 89. vbi agit de miraculis ſancti Marcelli Epiſcopi Pariſienſis; *Ad cuius tumulum* (inquit) *cùm Ragnemodus Preſbyter, qui nunc eius municipij habetur Sacerdos, quartano typo laborans, veniens decubâſſet, totáque die ieiunio & orationi vacaſſet, facto iam veſperè obdormiuit: Expergefactus verò poſt paululùm, à ſomno, incolumis ſurrexit à tumulo:* Fuit is Epiſcopus Pariſienſis XXI. ſanctíque Germani immediatus ſucceſſor.

** eſt ipſa 8.*

Plura hîc coaceruare poſſem alia ſacræ antiquitatis teſtimonia atque monimenta; ſed quæ adducta ſunt confirmando præfixo lemmati de Sacerdotali nomine paſſim à Patribus Epiſcopis adſcripto, Preſbyteris verò de more recepto non tributo, ſatis ſupérque eſſe videntur; *Neque enim* (ſcitè vt ait ſanctus Hieronymus in epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali) *neceſſe eſt vbique dicere omnia.*

Cæterùm tametſi præmiſſa inconcuſſa ſubſiſtant, certum eſt tamen Preſbyteros eſſe veros & legitimos Sacerdotes, hócque titulo in ipſa primitiua Eccleſia demúmque ſemper potitos, & officio functos, quod ipſis competit, non ex Epiſcoporum conceſſione, aut aliqua conſuetudine, aut lege Eccleſiaſtica, ſed ex ipſa inſtitutione diuina & ordinis Preſbyteralis natiuo & primordiali iure.

Id vt fiat perſpectum, præſtituendum eſt hîc S. Auguſtini pro fundamento Axioma, lib. 20. de Ciuit. Dei c. 10. circa finem, *ſolos Epiſcopos & Presbyteros propriè vocari in Eccleſia Sacerdotes*, nimirum quia ſoli vt verbis S. Hieronymi vtamur *ſacro ore corpus & ſanguinem Domini conficiunt*, & ſoli offerunt Deo viſibile & incruentum, ſalutiferúmque hoc ſacrificium. Quam poteſtatem obtinent ex æquo tam Epiſcopi quàm Preſbyteri; nec enim iſti hac in re ſunt illis inferiores, aut his illi maiores, poteſtas enim conficiendæ Euchariſtiæ offerendæque Deo & diſpenſandæ fidelibus, diuerſa eſſe non poteſt, cùm tota & indiuiſa à Deo tam Preſbytero quàm Epiſcopo confeeratur. Hinc illud ſancti ipſius Hieronymi celebre pronunciatum, *Presbyteri in benedictione cum Epiſcopis conſortes miniſteriorum ſunt; nulla in conficiendo corpore Chriſti ac ſanguine inter eos & Epiſcopos diſtantia eſt, & Euchariſtiam iampridem per Presbyteros benedictam, ſi vſus exegerit Epiſcopi accipere debent, ac ſe Chriſto ac plenitudini eius communicare cognoſcere: Nam ſiquis ad iniuriam reuocet aut putet ſe accipere non debere Euchariſtiam quam Presbyter benedixit, is profectò peruerſus, eſt credens Dominum duo corpora habuiſſe, vnum maius & vnum minus, maius quod Epiſcopus conficit, minus verò quod Presbyter. Hic Chriſtum diuidit, eíque facit iniuriam.* Quantum igitur ad munus ſacrificandi, quod propriè eſt Sacerdotale, pares ſunt Presbyteri Epiſcopis, & nihil magis habet aut poteſt Epiſcopus præciſè quoad conſecrationem, oblationem, diſpenſationem Euchariſtiæ quàm Presbyter, vt paſſim Theologi, Eccleſiæ conſenſum & ſcripturæ oracula ſequentes, vnanimiter docent. Et hinc eſt quod Epiſcopatus Presbyteratum includat, *Sine quo eſt* (inquit Card. Bellarminus) *nomen ſine re, & merum figmentum.* Eſſe enim non poteſt Epiſcopus qui non ſit Presbyter, & ſi quis ordinaretur Epiſcopus, qui Presbyterij non recepiſſet ordinem, nec Epiſcopalem conſecrationem reciperet, quæ eſſentialiter requirit Presbyteralem ordinem & ſupponit illum: ſumma enim poteſtas ordinis in conſecratione Euchariſtiæ conſiſtit; fluítque poteſtas in corpus myſticum Chriſti, à ſumma illa poteſtate in verum Chriſti corpus: & quamuis ea poteſtas in corpus myſticum, in Epiſcopo magis quàm in Presbytero dilatatur, pendet tamen ab hoc primo principio, ſine quo nec dari nec eſſe poteſt. Cùm dicunt igitur Theologi differre Epiſcopatum à Presbyteratu, intelligunt differre quidem non genere, nec ſpecie, ſed gradu tantùm, vt rectè præfatus Cardinalis Bellarminus admonuit in recognitione ad lib. de Sacram. ord. §. *in eodem cap.* vbi quod ei incautiùs irrepſerat, ſic correxit, *Vbi dixi* (inquit) *Epiſcopatum & Presbyteratum eſſe vnum ordinem, ſed genere non ſpecie.* Et paulò infrà, *Presbyteros & Epiſcopos eſſe duas ſpecies Sacerdotum, rectiùs dixiſſem eſſe vnum ordinem, ſed gradus diuerſos. Nam tam Epiſcopus quàm Presbyter, Sacerdos & dicitur & eſt, ſed ille maior, iſte minor.* Quare in libro Pontificali, vbi traditur ritus ordinandi Preſbyteros, *dicuntur Presbyteri ſecundi ordinis Sacerdotes.*

Lib. de 7. ordinib. Eccleſia, vbi de Sacerdotibus.

Doctrina hæc eſt veriſſima, ipſáque ex definitione Epiſcopi con-

In vet. & non. teſt. q. 101.

firmatur: ſiquis petat à S. Auguſtino, quid ſit Epiſcopus? hoc reſponſum accipiet, *Quid eſt Epiſcopus, niſi primus Preſbyter, hoc eſt ſummus Sacerdos* *? Quo nomine ac honore, dignitatéque prædicantur Epiſcopi à Patribus, ſancto Dionyſio de Eccleſiaſtica Hierarchia, Tertulliano libro de baptiſmo c. 17. Ambroſio epiſt. 34. Hieronymo epiſt. 99. ad Aſellam, Gaudentio in tract. ordinationis ſuæ, Sidonio Apoll. lib. 4. epiſt. 11. aliiſque; Hoc enim ex præſtituto axiomate manifeſtè ſequitur, Preſbyterum eſſe verè ac propriè Sacerdotem, cùm Epiſcopus non ſit Sacerdos, niſi quia eſt Presbyter: nec poſſit eſſe Sacerdos maior, niſi aliquis ſit Sacerdos inferior, nec reuerà poſſit eſſe Presbyter, ſecundi gradus Sacerdos, niſi ſit ipſe verè ac propriè Sacerdos. At verò Presbyterum eſſe ſecundi ordinis ſeu gradus Sacerdotem, theorema eſt apud Patres, Theologóſque conſtantiſſimum, adeóque exploratum, vt in ordinatione Presbyteri, id non ſemel Epiſcopus profiteatur. Hîc tamen notare iuuat Epiſcopum, magnum vel ſummum Sacerdotem non ideo nuncupari, quòd ſit magis Sacerdos quàm Presbyter, ſed quòd dumtaxat ſit maior extenſiuè non intenſiuè: ſicut vir maior eſt homo quàm puer, non autem magis homo, nam Epiſcopatus eſt Presbyteratus perfectus; Presbyteratus verò, Epiſcopatus eſt imperfectus; non quòd quicquam Presbytero, quoad verum Sacerdotium, deſit, ſed quòd quædam poſſit Epiſcopus circa corpus Chriſti myſticum, non autem circa corpus Chriſti verum, quæ non poteſt Presbyter, qui eſt ſimplex Sacerdos. Nam Epiſcopus ordinare poteſt, Presbyter non poteſt; Confirmat Epiſcopus iure ſuo vt miniſter ordinarius, Presbyter de mandato dumtaxat Apoſtolico. inſuper Epiſcopus ordinat Presbyterum, at verò Presbyter Epiſcopum ordinare non poteſt. Alia ſunt quoque munera quædam, quæ non ex diuina inſtitutione, ſed ex Eccleſiæ vſu & canonica diſpoſitione Epiſcopo reſeruantur, qui inſuper ea iuriſdictione pollet, qua caret Presbyter, qui eſt minor Sacerdos, ſed tamen verus Sacerdos, ob ineffabilem & independentem illam poteſtatem conſecrandi, offerendi, & diſpenſandi corpus & ſanguinem Chriſti: Quo in munere, ſumma Sacerdotij Chriſtiani ſita eſt vis, & ſupereminens operatio ac facultas; idcirco SS. Patres Presbyterum paſſim Sacerdotem verum prædicant & agnoſcunt: Hipolytus Martyr in orat. de Antichriſto ſic Chriſtum inducit Sacerdotes ſuos alloquentem, *Venite Pontifices & Sacerdotes, qui pretioſum corpus & ſanguinem meum quotidiè immolaſtis.* Vbi dum ipſos Sacerdotes à Pontificibus diſtinguit, Presbyteros expreſſim Sacerdotes appellat. Quo nomine & Epiſcopos & Presbyteros Tertullianus ſolos deſignat & comprehendit in exhortatione ad caſtitatem c. 7. *Vbi Eccleſiaſtici ordinis eſt conſeſſus & offert & tinguit Sacerdos qui eſt ibi ſolus.* Idque eleganter vocat ius Sacerdotis, & honoris, per ordinis conſeſſum ſanctificati à Deo, imò *Sacerdotis actionem.* S. Cyprianus pleriſque locis Presbyteros appellat Sacerdotes, ſic epiſt. 35. de Numidico ordinato Presbytero, ex merito Dominicæ confeſſionis, Dei nutu ait

* Vide auctorē Comment. in epiſtolas S. Pauli apud Ambroſium in c. 3 prioris ad Timoth.

eum ad hunc honorem prouectum, *vt eum clero noſtro*, inquit, *Dominus adiungeret, & deſolatam per lapſum quorumdam Presbyterij noſtri, copiam glorioſis Sacerdotibus adornaret.* Et epiſt. 40. diſtinctè poſt Epiſcopos Sacerdotes commemorat. Et epiſt. *66*. de Victore, qui Fauſtinum Preſbyterum tutorem ſuo teſtamento inſtituerat: *Non eſt*, inquit, *quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio &c. nequis Sacerdotes & miniſtros Dei altari eius & Eccleſiæ vacantes, ad ſæculares moleſtias deuocet.* Clarè hic enim Fauſtinum Presbyterum Sacerdotibus annumerat. Apud S. Dionyſium frequens eſt illa nuncupatio toto lib. de Eccleſ. Hierarch. præſertim c. 1. in fine, vbi Epiſcopum ſeu ſummum Sacerdotem plena diuinæ diſpenſationis arcana, vt non communicet hortatur, niſi ſui ſimilibus, Deiformibus Sacerdotibus, nempe Presbyteris, qui eius ſunt conſortes, in diuinis muneribus eiſdem demandatis. Idem in epiſt. ad Demophilum ait, Sacerdotes (ſcilicet Presbyteros) poſt Antiſtitem eſſe diuinorum iudiciorum interpretes. Obitérque ſic Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus deſcribit, *Ordo Pontificum, deinde diſtinctio Sacerdotum, quos deinceps, miniſtrorum ſubordinatio ſequitur.* Síque eorum definit actus, *vt proprium ſit Diaconorum purgare, Sacerdotum illuminare, Epiſcoporum perficere.* S. Ambroſius lib. 4. de Sacram. c. 4. Preſbyterum ſimul cum Epiſcopo connectit in miniſterio conſecrationis corporis Chriſti, vnóque Sacerdotis nomine vtrumque deſignat. *Vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed Chriſti vtitur ſermonibus.* Et in orat. præparatoria ad Miſſam, vtrumque ſic inducit deprecantem, *Doce me ſeruum tuum, indignum: quem inter cætera dona tua, ad officium Sacerdotale vocare dignatus es &c. doce me quæſo per Spiritum ſanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reuerentia, & honore quibus oportet & decet.* S. Paulinus vir ille admirabilis & planè Apoſtolicus, SS. Hieronymo & Auguſtino amiciſſimus, mox ac ordinatus fuit Preſbyter ſcripſit ad Amandum Epiſcopum ſe inuitum creatum fuiſſe Sacerdotem. *Placuit* (inquit ep. 23. quæ eſt ad Amandum 4.) *nunc Domino in vaſe fictili ponere theſaurum ſanctum, qui me vocauit per gratiam ſuam, ſuſcitans de terra inopem & de ſtercore erigens pauperem vt collocaret eum cum principibus populi ſui, & inter Sacerdotes indueret ſalutare.* Et infrà, *Præuenti igitur à Domino &c. deſeruimus altario Dei, & menſis ſalutaribus miniſtramus, iam nomine officióque ſeniores;* id eſt Preſbyteri. quoloco, vt euidenter apparet, ſeniores eſſe Preſbyteros (quemadmodum ipſa ferunt vocabula) & Preſbyteros ſeu ſeniores, Sacerdotes eſſe conſtat: eo maximè nomine quòd Chriſti altario deſeruiunt, in quo ipſe Chriſtus ab iis offertur Deo, & populis fidelibus immolatur. S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos inſignibus verbis Preſbyteros Sacerdotes eſſe inſinuat, dum ſic inducit orthodoxum Luciferiano reſpondentem, inter med. & finem, *Hilarius cùm Diaconus de Eccleſia receſſerit, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos, & Presbyteros non habens; neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere. Et cùm iam homo mortuus ſit, cum homine periit pariter & ſecta &c. Eccleſia enim non eſt, quæ non habet Sacerdotes,* videlicet Epiſcopum & Preſbyteros, quos

antè ſimul deſignauerat. S. Auguſtinus cùm pleriſque locis, tum maximè loco præſignato de ciuit. Dei, Preſbyteros pro veris Sacerdotibus agnoſcit, hóſque cum Epiſcopis, ſolos vero ac legitimo Sacerdotio fungi in Eccleſia docet ac prædicat. Iſidorus Peluſiota Preſbyter ille doctiſſimus, qui ſub Theodoſio Iuniore claruit, aureíſque ſuis epiſtolis Orientem illuſtrauit, cùm audiiſſet Theodoſium quendam ordinatum fuiſſe Preſbyterum, breuem quidem, ſed elegantem illi epiſtolam ſcripſit, qua docet quatenùs in Sacerdotio agere debeat, oſtendítque oportere Sacerdotem omnigenis virtutibus eſſe ornatum, & fortem in periculis, pro pietate ſeſe exhibere. Idem ep. 321. lib. 5. in Auctuario Hieracem Preſbyterum breuiter, ſed grauiter admonet, Sacerdoti vitanda eſſe ſcandala: ep. 322. eidem indicat, Sacerdotum, quàm laicorum, grauiora eſſe delicta. Iterum ep. 323. docet Sacerdotem eſſe ideo conſtitutum vt non ſuam modò, ſed & ſubditorum procuret ſalutem. Idem verò exprobrat Zozimo Preſbytero, prauis cum moribus deturpare Sacerdotium, quin nec illud legitimo titulo poſſidere, quod ſimonia, nundinationibúſque fuerat adeptus. Sidonius lib. 4. ep. 24. de Maximo Palatino, poſt conuerſionem Preſbytero creato; *Cùm*, inquit, *ſurgeremus, clam percontor aſtantes quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus, monachum ageret an Clericum, pœnitentémve? dixerunt nuper impacto Sacerdotio fungi &c.* Vbi luce meridiana eſt clarius, Sacerdotium pro Preſbyteratu ſumi. Idem epiſt. ſeq. Ioannem electum Cabilonenſem Epiſcopum, poſt ſuſceptos obitóſque ſeriatim Eccleſiaſticos gradus, ipſúmque Archidiaconatus munus, diu iam fuiſſe ait *ſecundi ordinis Sacerdotem*: quo loquendi more diu antè Optatus Mileuitanus in Africa Epiſcopus vſus fuerat lib. 1. aduerſus Parmenianum, vbi notanter ait, Preſbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos. Gregorius Turonenſis lib. 7. hiſt. Francorum c. 38. Preſbyteros, Sacerdotes & Diaconos expreſſim vocat miniſtros. Idem lib. 4. c. 6. Auitum Presbyterum, Abbatémque Nuicratenſem appellat *magnum ſui temporis Sacerdotem.* S. Gregorius, non tam cognomento quàm merito magnus, paſſim in epiſtolis cæteríſque ſuis Tractatibus, Presbyteros Sacerdotum nomine cohoneſtat. Quin in lib. Sacramentor. vbi ordinationem Presbyteri deſcribit, hanc ex veteri praxi Eccleſiæ recitat orationem: *Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, vt quem tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate proſequaris, per Dominum* &c. Et infrà, dum nouo Presbytero caſulam Epiſcopus imponit ſic orat, *Benedictio Patris & Filij & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, vt ſis benedictus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atque offenſionibus populi omnipotenti Deo, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum.* Quæ oratio etiamnum in Presbyterorum ordinatione, ab Epiſcopo recitatur & extat in Pontificali Romano (plurali numero dumtaxat pro ſingulari adhibito) ſub tit. *de ordinatione preſbyteri*, in fine.

Ep. 290. lib. 2.

Ep. 393.

Verùm

Verùm contra hanc inductionem (quam facile eſſet per ætatum ſingularum ſeriem ad hæc vſque tempora pertexere) obiici poſſe videtur non inde ſequi quòd Presbyter ſit verè & propriè Sacerdos, alioquin & Diaconum eodem honore cenſeri poſſe, cùm & ipſe à nonnullis Patrum Sacerdotali titulo decoretur. Optatus lib. 1. contra Parmenianum: *Quid commemorem*, inquit, *laicos qui tunc in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti, quid miniſtros plurimos, quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos, ipſi principes & apices omnium Epiſcopi?* Vbi patet Presbyterum gradu Sacerdotij tantùm antecellere Diacono, quantùm Epiſcopus Presbytero præcellit. S. Leo Beatum Laurentium quem Diaconum fuiſſe tantùm nemo neſcit, inter præditos Sacerdotio Eccleſiæ miniſtros patenter recenſet, ſermone habito in ipſius ſancti Martyris natali: *Cùm furor Gentilium poteſtatum* (inquit) *in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret, ac præcipuè eos qui ordinis erant Sacerdotalis impeteret, in leuitam Laurentium qui non ſolùm Sacramentorum miniſterio, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ eminebat, impius perſecutor efferbuit.*

Sed duæ iſtæ Patrum illorum ſententiæ, Sacerdotium propriè dictum Diacono neutiquam tribuunt. Manifeſtè enim à S. Leone, ordo Sacerdotalis vſurpatur pro ſtatu Eccleſiaſtico & ordine Clericali; ſic epiſt. 11. ad Iulianum Epiſcopum Coenſem contra errorem Eutychianæ impietatis; vniuerſum Clerum ſub Sacerdotali nuncupatione deſignat, quem eo titulo à laicorum promiſcua turba diſtinguit; *Præſertim iam* (inquit) *cùm per noſtras ad fratrem Flauianum ſufficientes litteras miſerimus, ad confirmandum animos non ſolùm Sacerdotum, ſed etiam laicorum.* Porrò Diaconus eſſe dicitur ab Optato in tertio Sacerdotio, quemadmodum dici poſſet Subdiaconus in quarto*. Hic enim potiùs ſpectat dignitatem Optatus quàm ordinem ſtrictè ſumptum, vt ex loco patet, intendit enim oſtendere violatam fuiſſe ab hæreticis Donatiſtis in ſacris miniſtris Eccleſiæ maieſtatem. Quapropter prætermiſſis laicis quos tragicè tractauerant, rectè ac decenter commemorat Eccleſiæ gradus præcipuos impiè ac ferociter ab his monſtris proculcatos: *Quid commemorem*, inquit, *laicos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerunt dignitate ſuffulti, quid miniſtros plurimos*, (Oſtiarios ſcilicet, Lectores, Exorciſtas, Acolythos, Subdiaconóſque) *quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos; ipſi principes & apices omnium Epiſcopi?* Aſcendendo etenim progreditur; & ſicut in primo gradu Eccleſiaſticæ dignitatis Epiſcopos eſſe conſtitutos aſſeuerat, ſic Presbyteros in ſecundo, & Diaconos eſſe ait in tertio, quia nihil certius quàm Diaconum dignitatis titulo proximè Presbyterum attingere, non quòd ſit Sacerdos, ſed quòd primus ſit ſub Epiſcopo & Presbytero ſacrorum munerum diſpenſator; baptiſare enim poteſt, prædicare, ſacrificanti Epiſcopo, & Presbytero aſſiſtere, vt præcipuus eorum miniſter, corpus etiam Domini diſtribuere fideli populo, tametſi conſecrare nec offerre poſſit, vnde Sacerdos nec eſt, nec propriè dici poteſt, caret enim charactere ipſo Sacerdotali, quo

*Quo loco eſt reponit S. Leo ep. 84. c. 4. vbi loquens de virorum ſacrorũ continentia: *Quòd ſi in ordine, qui quartus à capite eſt*, inquit, *dignum eſt cuſtodiri? quanto magis in primo, aut ſecundo aut tertio ſeruandum eſt?* &c.

Ttt

poteſtas tribuitur conſignato, ſuper vtrumque corpus Chriſti, verum ſcilicet & myſticum ad conſecrandum & offerendum hoſtiam & Euchariſtiam, peccatáque remittendum.

Refertur de Conſec. diſt. 5. c. *Non oportet &c.*

Quæ ratio eſt cur antiquiſſimum Concilium Laodicenum c. 41. Preſbyterum Sacerdotem purè & ſimpliciter appellat, Diaconum verò Clericali duntaxat comprehendit nuncupatione, quòd non oporteat Sacerdotem, vel Clericum ſine litteris proficiſci Canonicis, & apertiùs can. ſeq. *Quòd non oporteat Sacerdotem vel Clericum præter iuſſionem ſui proficiſci Pontificis*; Sicut enim euidenter hîc Pontificis nomine deſignat Synodus Epiſcopum, ſic titulo Sacerdotis Preſbyterum, Clerici verò Diaconum & cæteros inferiores Eccleſiæ miniſtros indigitat. Porrò ſacrum Concilium Nicenum, primum Oecumenicum c. 16. Diaconum conſecrare Euchariſtiam non poſſe declarat, quia hoc proprium munus eſt Presbyteri & non Diaconi, Presbyteris enim data eſt hæc gloria, quamobrem Synodus Diaconum inter Presbyteros ſedere diſtrictè prohibet ſub pœna excommunicationis & depoſitionis; mandat verò ipſis Diaconis vt ſint memores Epiſcopo & Presbyteris honorem debitum deferendi, ſuíque eſſe officij miniſtrare Epiſcopo & Presbyteris. *Cùm verò Eccleſia ſit plebs Sacerdoti adunata* *: Gangrenſe vetuſtiſſimum Concilium, quod ſcilicet ſub Siluestro itidem coaluit, nefas eſſe decernit Diaconis & cæteris Clericis populum congregare, huícque præeſſe, ſed ſolum hoc eſſe munus Epiſcopi & Presbyteri, *Siquis extra Eccleſiam ſeorſim conuentus celebrat, & deſpiciens Eccleſiam ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit vſurpare, non conueniente Presbytero, iuxta decretum Epiſcopi, anathema ſit.* Prolixior eſt hic canon in verſione Iſidori Mercatoris, quæ ſic habet, *Siquis extra Eccleſiam &c. non conueniente Presbytero iuxta decretum Epiſcopi, ipſamque Eccleſiam apud ſe ſine conſilio Epiſcopi & ſine Presbytero agat, anathema ſit*; Vbi perſpicuum eſt non eſſe fas Diacono, nec alij inferiori Clerico populum ad ſacra congregare, ſcilicet quoniam hoc ius Sacerdotale eſt, ſolis competens Epiſcopis & Presbyteris, quamquam analogicè, & iure ſubordinato.

* Ex dictis S. Cypriani.

Diſt. 30. c. Siquis extra Eccleſiam *&c.*

Sed quid moramur commemorandis ſacræ antiquitatis oraculis, cùm Carthag. IV. Concilium anno 398. celebratum, clarè ac præcisè can. 4. hanc litem definierit his verbis, *Diaconus cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium ſed ad miniſterium conſecratur.* Quæ lex antiqua ex traditione deſumpta *, in vſum continuum, etiamnúmque virentem defluxit; Nam in libro Sacramentorum à Gelaſio Papa antiquis ex formulis collecto, atque à S. Gregorio recognito, diſertè habetur in ordinatione Diaconi, *Solùm Epiſcopus qui eum benedicit manus ſuper caput illius ponat.* Qui ritus in priſcis libris Pontificalibus paſſim exprimitur, atque vigens huc vſque in viridi Eccleſiæ Catholicæ obſeruantia perſeuerat. Siquidem in Romano Pontificali Clementis VIII. iuſſu reſtituto, hæc rubrica poſt ſolennem diuini auxilij inuocationem conſignatur: *Hic ſolus Pontifex manum dexteram extendens, ponit ſuper caput cuiuſli-*

* Apoſtolica hæc traditio videtur, nam traditur expreſſim ex hoc fonte, à S. Dionyſio c. 5. lib. de Hier. Eccleſ.

bet ordinandi & nullus alius, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium ordinantur & conſecrantur. Verùm in ordinatione Sacerdotum ſignatim habetur in fine admonitionis Epiſcopi ad ordinandos, *Pontifex &c. imponit ſimul vtramque manum ſuper caput cuiuſlibet ordinandi ſucceſſiuè, idémque faciunt poſt eum omnes Sacerdotes qui adſunt, iuxta antiquam Eccleſiæ traditionem:* ſic in IV. Concilio Carthag. ex vſu probato promulgatam: *Presbyter cùm ordinatur Epiſcopo eum benedicente & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Quæ lex in ius ſacrum Eccleſiæ verbatim eſt relata diſt. 23. can. *Presbyter cùm ordinatur.* Vnde liquet Presbyterum non ad ſimplex miniſterium vt Diaconus, ſed ad verum Sacerdotium promoueri.

Nec verò obſtant huic Catholico axiomati citatæ ſuprà ſanctorum Patrum auctoritates, quæ tametſi Epiſcopo nomen Sacerdotis abſolutè propter eius gradus Pontificalis excellentiam tribuant, *quia eſt* (vt ſuprà ait S. Auguſtinus) *primus Preſbyter & ſummus Sacerdos,* ipſóſque ordinat Sacerdotes, nihilominùs illi ipſi Patres, Presbyteros etſi minores Epiſcopis, veros tamen & propriè dictos Sacerdotes agnoſcunt & teſtantur, vt pleriſque eorum ſententiis fuit ſuprà demonſtratum. Nec S. Leonis auctoritas, qua Seniores id eſt Presbyteros à Sacerdotibus diſtinguere videtur, in aduerſum opponi poteſt, cùm ipſe Preſbyteros etiam Sacerdotes eſſe fateatur. Epiſtola ſiquidem quinta, quæ ſcripta eſt ad Dorum Beneuentanum Antiſtitem, qui perperàm nouellum à ſe creatum Presbyterum, cæteris ordinatione prioribus prætulerat, in ſacro conſeſſu: *Quòd ſi* (inquit S. Leo, facti huius condemnans iniuſtitiam) *ambientis intentio, aut imperita fauentium ſtudia, id quod nunquam habuit conſuetudo, poſcebant, vt incipiens, emeritus, & nouellus præponeretur antiquis: tuæ fuerat induſtriæ atque doctrinæ vt iniuſtè petentium deſideria cohiberes, ne quem in Sacerdotali properè prouehebas honore, ad iniuriam eorum quibus ſociabatur inciperet.* Vbi manifeſtè Presbyteratum appellat *Sacerdotalem honorem;* quæ ratio eſt cur Renatum Presbyterum fratrem vocat, Hilarium verò Diaconum, filium ſuum epiſtola celebri ad Flauianum contra Eutychetem in fine, & ep. 15. ad Epiſcopos apud Epheſum congregatos; rurſúmque ep. 23. ad Clerum & plebem Conſtantinopolitanæ Vrbis, in qua Eutyches funeſtus Presbyter & Abbas ſuæ virus perfidiæ primùm ſparſerat, propterea ſuo ab ordine deiectus: *Nec quiſquam ſibi audeat* (ait S. Leo) *de Sacerdotali honore blandiri, qui potuerit in execrandi ſenſus impietate conuinci,* &c. *Ep. 10.*

Porrò Gregorius Turonenſis, qui ex vſu ſui æui locutus Ragnemodum Presbyterum Pariſienſem diſtinguit ab ipſo Ragnemodo Pariſienſi Sacerdote, propter Epiſcopatus ſupra Presbyteratum eminentiam: nihil id nobis prorſus officit, nam Presbyteros paſſim ipſe agnoſcit Sacerdotes, videlicet lib. de gloria Confeſſorum, vbi agit de Maximo Presbytero, diſcipulo S. Martini c. 22. *Dum,* inquit, *Ararim fluuium tranſire cuperet naue impleta demergitur, at ipſe Sacerdos pe-*

lago operitur, habens ad collum cum Euangelio miniſterium quotidianum, id eſt patenulam paruam cum calice: ſed pietas diuina non permiſit perire quod ſuum eſt; ita de hoc periculo Domino iubente reſtitutus eſt litori, vt nec vitæ damna perferret, nec rerum detrimenta lugeret. Hæc ibi. Et cap. ſeq. eiuſdem lib. agens de Ioanne Preſbytero Confeſſore, *Cuſtodem eius oratorij* ſic inducit loquentem, *Væ mihi, quia peccaui, vt arborem quam talis Sacerdos propria manu plantauit, ego ad diuerſas neceſſitatum vtar ſeſſiones* *, &c. Idem c. 48. de Preſbytero Reontij Villæ in Aquitania verba faciens, Sacerdotem illum abſolutè inſcribit, *Cúmque* (inquit) *adueniret Vigilia Paſchæ, hîc cùm hæreticorum Arrianorum Sacerdotes, paruulos in Eccleſia noſtra tingebant, vt negato ſcilicet Sacerdoti aditu baptizandi, faciliùs ad hanc ſectam populus implicaretur.* Et enarrato miraculo ſubiungit, *Quod videntes hæretici, & domum ſuam, Eccleſiam fieri timentes, Preſbytero ſuam Eccleſiam reddiderunt*, Catholico vtique Preſbytero, quem abſolutè Sacerdotem anteà nuncupauerat. S. Gregorius Magnus B. Gregorio Turonenſi coætaneus erat: hic verò ſuis in ſcriptis Preſbyterum propriè eſſe Sacerdotem, propter Miſſæ ſacrificij diuinum munus ab ipſo ex vi ſui ordinis obeundum, infinitis propè locis inſinuat. At inter tot eius teſtimonia iſtud eſt locupletiſſimum & maniſeſtiſſimum, quod legitur libro 7. eius Regeſti ind. 2. ep. 72. ad Paſſiuum Epiſcopum Firmanum, cui mandat conſecrare oratorium S. Sauini Martyris in fundo Vrſiano; *Prædictum oratorium* (inquit) *abſque Miſſis publicis ſolenniter conſecrabis, ita vt in eodem loco, nec temporibus futuris baptiſterium conſtruatur, nec Preſbyterum conſtituas Cardinalem,* (id eſt parochum) *nihil tale à quolibet alio Sacerdote vllatenùs præſumatur; ſanctuaria verò ſuſcepta* (id eſt ſacrarum reliquiarum vaſcula) *ſui cum reuerentia collocabis.* Et eodem libro ep. 77. ad Chryſanthum Epiſcopum Spoletanum, qua præcipit Eccleſiæ Wiuanienſi Preſbyteros ordinari, *Vt hac prouiſione* (inquit) *populus illic degens, communionem qua ſe priuatos, ob Sacerdotum neceſſitatem, flebiliter conqueruntur, ſe recepiſſe gaudeant, & in Eccleſiis illis ſacra Miſſarum ſolennia ceſſare non debeant.* Monet ſubinde ipſum Epiſcopum illuc ſe cùm opus fuerit conferat, *vt infantes conſignet*, ſcilicet Confirmationis Sacramento, quod Epiſcopi proprium munus eſt. Poſſem equidem, niſi prolixitas Lectori faſtidio foret, innumera hinc inde teſtimonia eiuſmodi vndequaque congeſtum ire: ſed quia ſatis eſſe videntur quæ notata ſunt, lubens ab ampliori indagine ſuperſedeo.

* *ſectiones.*

ARTICVLVS II.

An Sacerdos quilibet teneatur ex officio, ſaltem aliquoties in anno, Miſſæ ſacrificium celebrare?

SVNT qui contendunt, quemlibet Sacerdotem ad offerendum quotidie diuinum ſacrificium obligari: quibus fauere videtur inſignis hæc S. Gaudentij ſententia Tract. 2. in Exod. *Dominus* (inquit) *Diſcipulis fidelibus mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, vt*

indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent, quæ neceſſe eſt à cunctis Sacerdotibus, per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari. Nam ſi cunctis Sacerdotibus hoc Chriſtus præcepit, vt indeſinenter ſacrificium illud offerrent, certè non aliquot dierum vicibus, ſed diebus ſingulis à cunctis Sacerdotibus tam Epiſcopis quàm Preſbyteris, ſacrificium neceſſe eſt celebrari, vt Domini adimpleatur mandatum.

At ſunt ex aduerſo, qui liberam adeo eſſe Sacerdoti volunt celebrandi ſacrificij functionem, vt nullo iure, nec vlla ratione obſtringatur, vllo prorſus tempore, ſacrificium Miſſæ offerre: adeo vt poſſit totâ vitâ ſine vlla conſcientiæ culpa aut reatu, abſtinere ab offerendo venerabili ipſo ſacrificio.

Alij adhuc è contra, qui non modò fas eſſe contendunt cuilibet Sacerdoti Miſſam quotidie celebrare: at ex officio teneri volunt, quacumque die, vbi neceſſitas occurrerit, hoc ſacro officio perfungi.

§. I.

Vtrum omnis Sacerdos, ad celebrandum quotidie teneatur?

QVOD attinet ad primam opinionem, eſt ſanè quod fateamur, exemplis Sanctorum plurimis, iiſque conſpicuis niti. Celebris eſt S. Andreæ Apoſtoli hæc ad Proconſulem, qui eum ad nefanda ſacrificia ſub diræ necis interminatione compellebat, reſponſio; *Ego omnipotenti Deo qui vnus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari, cuius carnem poſteaquàm omnis populus credentium manducauerit, agnúſque ſanctificatus eſt, integer perſeuerat & viuus.* Sic fecit S. Petrus ipſius S. Andreæ germanus, vt auctor eſt Simeon vetus auctor Græcus apud Turrianum. Quem morem ab ipſo S. Petro, S. Potentianus miſſus Roma in Galliam euangelizandi cauſa perdidicit, & religiosè ſeruauit, quemadmodum coram iudice Seuero teſtificatus eſt dicens, *Nos Deum in cælis habemus, cui quotidie offerimus ſacrificium laudis.* Sic & Carpus ille Apoſtolorum aſſecla ſanctiſſimus, qui diebus ſingulis ſacrificium celebrans, verba conſecrationis numquam proferre conſueuerat, niſi priùs ſacra viſio apparuiſſet, vt S. Dionyſius commemorat ep. 1 ad Demophilum. Et Sanctus ipſe Dionyſius adeo frequenter diuinam ſynaxim offerre conſueuerat, vt nec in carcere quidem, ab incruento ipſo ſacrificio celebrando abſtineret. S. Cyprianus eundem morem ſeruauit: ep. 54. hoc ex ritu ſic monet Sacerdotes, *Vt Sacerdotes qui quotidie ſacrificium Dei celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus.* S. Caſſius Epiſcopus Narnicenſis (teſte in Dialogis * S. Gregorio) quotidie ſacrificabat, cui per viſionem diuinitùs dictum eſt, *Age quod agis, operare quod operaris.* S. Ambroſius ſingulis itidem diebus ſemper celebrabat, non præproperè, ſed ſumma diligentia adhibita, magnáque cum animi præparatione, & præmeditatione ſanctiſſimi Myſterij: ſicuti luculenta illa oratio præparatoria ad Miſſam per ſingulos hebdomadæ dies di-

Dogm. charact. lib. 3.

Acta S. Potentiani apud Guillel. Brugenſem.

In vita S. Dionyſij apud Hilduinum.

* *Lib. 3. c. 6. & lib. 4. c. 36. ac homil. 37. in Euang.*

Vide Martyr. Gall. Kal. Iulij.

geſta, perenni eſt monimento. S. Carileſus Preſbyter qui ſub Clodo-uæi Magni filiis Confeſſor inſignis emicuit, vbi in ſolitudine ſedem fixiſſet cum germano ſuo Daumuero, & Gallo eiuſdem voti conſorte, in ædicula prope tuguriolum ſuum erecta, tremendi ſacrificij quotidianum diuinæ Maieſtati cultum, cum officiorum Eccleſiaſticorum penſo, piiſſimè perſoluebat. *Idem Martyr. prid. Non. Iulij.* S. Goar Sacerdos & Eremita, qui in diœceſi Treuirenſi, ingenti gloria ſanctitatis affulſit, hanc conſuetudinem habebat, vt omni die Miſſarum tremenda myſteria celebrans, ſacrificium corporis Chriſti pro vniuerſo Eccleſiæ ſtatu offerret, inſuper & pſalterium ex integro intentè orando compleret. S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, & tandem inclytus Martyr, ſingulis diebus celebrabat ad galli cantum, diúque poſt ſacrum peractum in oratione perſeuerabat. Sic & S. Ludouicus Epiſcopus Toloſanus. Et ex recentis memoriæ Sanctis, B. Carolus Borromæus Miſſæ ſacrum facere quotidie nunquam omiſit, niſi morbi neceſſitate, eáque nonniſi graui, à cœleſti hoc officio superſedere cogeretur, alióſque (quotquot perſuadere poterat) & verbo, & exemplo, ad eandem conſuetudinem excitabat. S. Hieronymi celebris eſt ſuper Apoſtolum ſententia, Epiſcopos pro ſuis populíque peccatis hoſtiam ſalutarem debere immolare: *In ep. ad Tit. c. 1.* *Si Laïcis* (inquit) *imperatur vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum amplexu, quid de Epiſcopo ſentiendum ſit, qui quotidie pro ſuis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus eſt victimas?* Nec ſic ſolùm de Epiſcopo cenſuit, at etiam de Sacerdotibus quibuſque. Vnde ait lib. 1. aduerſus Iouinianum, *Si Laïcus, & quicunque fidelis orare non poteſt,* (iuxta conſilium Apoſtoli) *niſi careat officio coniugali: Sacerdoti cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt: ſi ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio.* Idem lib. 2. in Iſaiam c. 5. *Quotidie*, inquit, *cœleſti pane ſaturati, dicimus* (populo vtique) *fideli, guſtate & videte, quàm ſuauis eſt Dominus.* Et in *Lib. 13.* Ezechiel. c. 45. *Offerat ſemper Deo ſacrificium, vt verus Sacerdos ſit.* Et q. 2. ad Hedibiam, *Quotidie in ſacrificiis, illius bibimus ſanguinem.* Hæc omnia vera ſunt, ſed tamen primam illam ſententiam non fulciunt, quia exempla non ſunt leges, nec conſilia ſunt præcepta. Fatendum eſt vtique morem hunc eſſe Deo longè acceptiſſimum, ſi Sacerdos quotidie incruentum illud, & ſummum, ac ſingulare ſacrificium omnibus quibus poteſt titulis offerat ſupremæ eius maieſtati. Neminem tamen Sacerdotum vllo præcepto diuino, vel Eccleſiaſtico obſtringi, vt quotidie munus hoc exequatur. Cedit reuerà hoc ſacrificium in cultum maximè Deo debitum, ideóque quo ei frequentiùs exhibetur, magis ac magis eius maieſtas honoratur. Eſt etiam valde vtile fidelibus, præſertim verò Preſbytero ſacrificanti fructuoſum, vnde reſultat ſatis perſpicuè, poſitis ponendis, id eſt diſpoſitione in offerente requiſita: melius eſſe ſacrificare frequenter, quàm raro; & diebus ſingulis, quàm quibuſdam dumtaxat. Accedit quòd hæc boni natura eſt, vt quo meliùs eo diffuſiùs, & è contra. Cùm igitur ſacrificium Miſſæ tantæ ſit excellentiæ, vt nihil Deo offerri poſſit di-

gnius, & acceptius hominibúſque ſalutarius, nec ſoli proſit Sacerdoti offerenti, ſed vniuerſæ inſuper Eccleſiæ, & omnibus, & ſingulis eius membris, quibus per modum impetrationis applicatur: Hinc ſequitur profectò ſua id natura exigere, vt quo frequentiùs offerri poteſt celebretur. Addit Suarez Tom. 3. diſp. 80. ſect. 2. q. 83. art. 2. Quòd, cùm ſit quilibet Sacerdos ad hoc munus conſecratus, & habeat proprium ac peculiare ius ad offerendum, & habeat ſpeciale diuinum auxilium vt piè, ſanctè & fructuosè conficiat: talentum igitur ſibi creditum in terram abſcondere non debet, hoc eſt inaniter retinere, ſola ordinis poteſtate contentus, actu verò & reipſa, mero ex ſuo libitu ſeu oſcitantia priuatur. Sed Suarez prudenter, & circumſpectè ſubiungit, Per hoc tamen non intendimus negare quominùs ea reuerentia, & timore aliquando hoc munus intermittere poſſit, eſſe bonum & vtile, & alicui fortè conſulendum iuxta diuerſas perſonarum conditiones, & varias Spiritus ſancti diuiſiones gratiarum. Cæterùm quiſpiam fortaſſis obiiciet; Manifeſtum eſt Preſbyterum in Epiſcopo contineri, eandem enim formam habet, ſed Epiſcopus quotidie celebrare tenetur, vt legere eſt in c. fin. de priuileg. in 6. proinde & Preſbyter. ſed futilis eſt hæc obiectio, quia hoc ibi ponitur per modum conſilij, non autem præcepti, & alternatiua eſt clauſula, nimirum *vt Epiſcopus ſingulis diebus Miſſam dicat, vel Miſſam audiat.*

§. II.

An liceat cuilibet Sacerdoti plures Miſſas eodem die, præter diem Natalis Domini, celebrare.

De iure diuino hîc non quæritur, quod conſpicuum, & præciſum extare nuſpiam, Doctores Scholaſtici, & Canoniſtæ paſſim fatentur: ſed agitur dumtaxat de iure Eccleſiaſtico, an enim conſtet, quæſtio eſſe poteſt.

Putant plerique expreſſum in hoc Decreto Alexandri II. quod refertur de Conſec. diſt. 1. c. 53. contineri: *Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die celebrare, quia ſemel Chriſtus paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt vnam Miſſam facere, & valde felix eſt qui vnam dignè celebrare poteſt. Quidam pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die ſi neceſſe fuerit. Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus * ſæcularium vna die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo euitare damnationem.* Verùm hi Doctores prohibitionem quam fundatam volunt eſſe in hoc canone, non ſatis perſpectè ex eo eliciunt, contextus enim canonis determinatè non loquitur per modum definitionis, ſed ſolùm per modum moralis doctrinæ & piæ perſuaſionis, vt ex inſpectione patet. Quin verbum *æſtimo*, quod eſt in fine, ſimplicem opinationem innuit, non certam definitionem. Adde quòd conſuetudinem eorum qui duas Miſſas in die celebrant, alteram de ipſo die, (ſi feſtum eſt) alteram pro defunctis, commemorat, porrò nec laudat, nec vituperat. Eorum ve-

* *oblationibus*

rò qui pro pecuniis alterum ſacrum faciunt, aut vt laïcis perſonis adulentur, reprobat quidem abuſum, vſum verò ipſum duas dicendi Miſſas abſque eiuſmodi motiuo non reprehendit.

Recurrunt igitur alij ad alias canonicas auctoritates magis expreſſas; quæ duæ ſunt, & lib. 3. Decretal. apud Gregor. Tit. 41. de Miſſarum celebratione referuntur; Prior eſt Innocentij III. eodem tit. c. 3. directa ad Wigornienſem Epiſcopum, cui hoc modo reſpondet, *Conſuluiſti*, &c. Et infrà, *Reſpondemus quòd excepto die Natiuitatis Dominicæ (niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat) ſufficit Sacerdoti ſemel vno die vnam Miſſam ſolummodò celebrare.* Altera eſt Honorij III. ipſius Innocentij proximi, & immediati ſucceſſoris: Qui Archiepiſcopo Sipontino ſic reſcribit tit. ſignato c. 12. *Te referente.* Et infrà, *cùm cuilibet Sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, vnam in die Miſſam celebrare ſufficiat, nam & valde felix eſt qui celebrat dignè vnam, &c. fraternitati tuæ mandamus*, &c. Quæ verba habere vim legis, & præcepti conueniunt illorum capitulorum interpretes. Horum opinionem non rigidiùs excutiam. Sed hac admiſſa ſententia, quæſtionem quam propoſuimus hinc ſufficienter diſſolui non video, nam Honorius III. Alexandri II. reſponſo ſuprà citato tantùm inhæret, iiſdem fermè vtendo verbis, at Innocentius III. manifeſtè excipit caſum neceſſitatis: quæ exceptio quàm latè patet, extendíque poteſt ad pleroſque caſus. Paludani celebris eſt circa hos caſus opinatio, quos ad quinque tantùm reſtringit. 1. eſt funus defuncti. 2. vt de viatico, infirmo grauiter ægrotanti prouideatur. 3. pro peregrinis præſertim in diebus feſtis. 4. pro nuptiis, vt ſcilicet matrimonio iunctis benedictio Sacerdotalis impertiatur, ſecundùm laudabilem conſuetudinem, quam prætermittere haud oportet. 5. eſt quando Sacerdos Parœcialis habet duas Eccleſias in diuerſis oppidis, & propter paupertatem Vicarium habere non poteſt. Cùm enim vnuſquiſque populus iure poſſit velle in ſua Eccleſia audire ſacrum, in die quo ad hoc tenentur de præcepto poterit vnus idémque Sacerdos duas Miſſas in eadem die celebrare. Nauarrus in ſumma c. 25. n. 87. ſententiam Paludani in omnibus admittit. Idem facit quoque Silueſter, verbo Miſſa 1. q. 7. quin alium etiam caſum recipiunt à Wilelmo Durando lib. 4. Ration. diuinor. officior. c. 1. n. 25. inter alios quoſdam ſatis leues aſſignatum, ſcilicet ſi poſt Miſſam celebratam nobilis aliquis ſuperueniret, qui Miſſam non audiiſſet, tunc enim licere volunt Sacerdoti iterum celebrare. Qui poſtremus caſus quàm raræ ſit texturæ, & quot incommodis, ſcandalis, & abuſibus præbeat aditum nemo prudens eſt qui non perſpiciat. Tolerabilem hunc caſum exiſtimarem, ſi de Regibus, maximè verò de Chriſtianiſſimo Rege noſtro, qui Eccleſiæ primogenitus eſt, & propter cœleſtis vnctionis prærogatiuam ſingularem, ſpeciali reuerentia eſt in Eccleſia digniſſimus, intelligeretur: At ſi extendatur non dicam ad inferioris claſſis nobiles, ſed etiam ad Comites, Marchiones, qui ſunt innumeri in hoc regno, palam eſt eiuſmodi extenſione plurimum abſurditatis ſequi: ſed nec ſi extendatur ad

In 4. diſt. 12. q. 1. a. 4. poſt 4. Concluſ.

ad inferiores principes & duces, tunc enim Regis honor qui ſingularis eſſe debet periret. Cæterum rectè Vaſquez, Victoriam, Suarem, alióſque recentiores ſecutus, reliquos etiam caſus à Paludano aſſignatos reiicit, vímque veræ neceſſitatis, obiter ſed ſolerter oſtendit hos nequaquam includere: porrò vltimum tantùm valere, quem ſolùm rationem habere veræ neceſſitatis, eſſéque hunc vnicum ab Innocentio intentum loco ſignato. Verùm idem Innocentius cap. *ex parte* eodem titulo diſtrictè & abſolutè decernit, ieiunum debere manere Sacerdotem, vt iterum quacumque ex neceſſitate celebrare poſſit, ita enim P. Magalonenſi reſcribit, *Poſtulationi veſtræ taliter reſpondemus, quòd ſemper Sacerdos perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum: niſi cùm eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare: Nec ſi fortè vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret.* Quam ſanctionem vnanimi conſenſu ſequuntur DD. Scholaſtici, iuríſque ſacri Tractatores.

§. III.

An vera ſit eorum opinio, qui Sacerdotem volunt, celebrando aliquoties venerabili Miſſæ ſacrificio, nullo iure aſtringi?

VIX hìc cohibere poſſum motum animi mei, impatienter etenim fero, ſempérque tuli, eorum diſputatorum garrulitatem, qui plus æquo ſolertes, & nimium curioſi diſquirunt, *Num Sacerdos aliquo ſaltem vitæ ſuæ die, Miſſæ ſacrum facere teneatur?* Sed longè mihi intolerabilior viſa eſt ſemper eorum opinio, qui aſſerere nituntur, *Nullum eſſe præceptum obligans Sacerdotes ſub peccato mortali, imò nec fortè veniali, ad ſacrificandum aliquando?* Et ideo quamuis Sacerdos in vita ſacrum nunquam faciat, dummodò in Paſchate, more laico communicet, mortali piaculo & fortè veniali etiam nullatenùs irretiri. Parco magni nominis Auctoribus, qui nuper hoc ſummo cum animi enixu paradoxum, adeo Eccleſiæ incommodum, noxiúmque vt veriùs dicam, propugnatum ire contenderunt, longéque maioris nominis Doctoribus quaſi principibus huius perſuaſionis adſcribere non dubitarunt: hos enim certum eſt eos vel non ſatis attentè perlegiſſe, vel minùs aptè intellexiſſe, aut certè benignè minùs quàm par ſit eorumdem eſſe mentem interpretatos. Cæterùm dato etiam quod pro certo conſtaret, illos inſigniores Doctores fuiſſe eam in opinionem propenſos, nihilominùs quoniam verenda patrum operire decet, reuelare non licet, à recentioribus illis diſquiſitoribus excuſandi erant, potiùs quàm cum aliquo eorum memoriæ næuo, traducendi in ſententiæ huius minùs piæ & probabilis (& vt reor non veræ nec ſolidæ) aſſertionem, ſeu defenſionem.

Vuu

PVNCTVM I.

Præceptum dari peremptorium, quo ſinguli Sacerdotes Miſſæ ſacrificium, aliquoties ſaltem, celebrare obligantur.

CHRISTVM ſummum Sacerdotum principem, habuiſſe à patre præceptum moriendi, & ſe in hoſtiam propitiationis & redemptionis ſuper aram crucis offerendi, res eſt ex diuinis ipſis oraculis compertiſſima: *Factus eſt obediens vſque ad mortem* (ait Apoſtolus Philip. 2. 8.) *mortem autem crucis. Et didicit ex eis quæ paſſus eſt obedientiam*, Heb. 5. 8. Porro obedientia mandatum ſupponit. Hoc autem præceptum Chriſtus à patre accepit, & diſertis verbis agnoſcit, Ioan. 10. 17. *Proptereà diligit me pater, quia ego pono animam meam* &c. *hoc mandatum accepi à patre meo.* & Ioan. 14. 31. *Vt cognoſcat mundus quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio.*

Sacrificium porrò Miſſæ, eſt commemoratiuum ſacrificij crucis, itidémque applicatiuum: ſiquidem ad hoc inſtitutum eſt, vt fructum immolationis agni quæ in cruce facta eſt, nobis perpetim communicaret, & memoriam cruenti ipſius ſacrificij (cum digna & iuſta gratiarum actione) perpetuam conſeruaret, ſimúlque eius virtute & merito nobis neceſſaria quæque auxilia ac beneficia à Deo impetraret. *Quod de noſtro aſſumpſit* (ait rectè S. Thomas opuſ. 57.) *totum nobis contulit ad ſalutem: corpus namque ſuum pro noſtra reconciliatione in ara crucis hoſtiam obtulit Deo patri, ſanguinem ſuum fudit in pretium ſimul & lauacbrum &c. Et vt tanti beneficij iugis nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum & ſanguinem ſuum in potum, ſub ſpecie panis & vini ſumendum fidelibus dereliquit.* Ex verbis iſtis Domini, *Niſi manducaueritis &c.* & his, *hoc facite*, omnes agnoſcunt & fatentur, præceptum communicandi omnibus fidelibus directum: Igitur ex iiſdem neceſſariò mandatum ſacrificandi omnibus Sacerdotibus præſcriptum colligendum eſt. Axioma enim eſt Apoſtoli 1. Cor. 10. Qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris, igitur Sacramentum Euchariſtiæ ſacrificio nititur, & ſine ſacrificio iſtud Sacramentum non conficitur: Ceſſante igitur ſacrificio Sacramentum deficeret. Porrò ſi Sacerdotes nullo præcepto obligarentur ad ſacrificium celebrandum, res eis eſſet adiaphora & prorſus libera ſacrificare, vel non ſacrificare, Sacramentum conficere, vel non conficere, nec iure cogi poſſent, quia iure non tenerentur: igitur ſi vellent, mero eorum nutu & libito Euchariſtia deficeret, tam vt eſt ſacrificium, quàm vt eſt Sacramentum; & interim laici ac inferiores Clerici præcepto obſtringerentur diuino ad communicandum, quod eis foret impoſſibile. Proinde hoc abſurdum cenſeri debet.

Adde quòd non eſt vlla ſcintilla rationis, exiſtimare Chriſtum accepiſſe præceptum à patre, vt ſe immolaret in cruce per mortem, & Sacerdotes qui eius miniſtri ſunt non accepiſſe ab eo mandatum offerendi ſacrificium incruentum, quod cruenti illius ſacrificij propria & perennis eſt commemoratio: nam in hoc ſacrificio mors eius

annuncianda eſt donec veniat. Tanti eſt momenti ſacrificium Euchariſtiæ, vt ſine eo Religio deficeret, fructus Chriſti mortis nobis non applicaretur, debitæ Deo gratiæ pro ineffabili beneficio redemptionis non rependerentur, auxilia quæ virtute huius ſacrificij impetrantur, non adeſſent, memoria mortis Domini excideret. Eſtne igitur vero ſimile tantam rem Chriſtum reliquiſſe adiaphoram, & à mero nutu humano pendentem, & non potiùs rigido præcepto & mandato aſtrinxiſſe Sacerdotes (ſuos ad hoc ſpeciales Vicarios, & miniſtros) ad tam neceſſariæ actionis perfunctionem? Mirum eſt profectò quod Chriſtus acceperit à Patre præceptum pro ſalute noſtra moriendi, & quòd Sacerdotes nullum acceperint præceptum offerendi ſacrificium illud, quod in mortis eius memoriam, & meriti eiuſdem circa nos applicationem, partæque ab eo ſalutis præcipuum influxum, ab ipſo principaliter inſtitutum fuit.

Accedit, hæreticos negare ſacrificium Euchariſtiæ, quia ſacrificium eiuſmodi (vt aiunt) nec Chriſtus inſtituit, nec celebrari mandauit. Aduerſus hanc hæreſim Eccleſia pro ineluctabili principio & certo Chriſti mandato, hæc opponit verba ipſius Domini, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex quibus & ipſam inſtitutionem & ſolidum mandatum indubitanter colligit & aſtruit, ſic enim declarat & decernit in Concilio Oecumenico poſtremo, ſeſſ. 22. ſub titulo, Doctrina de ſacrificio Miſſæ, c. 1. paulò ante medium: *Chriſtus, Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit, & eiſdem, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent* PRÆCEPIT, *per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit.* Quæ fides Eccleſiæ ſacráque traditio, huic Sacramento innixa, adeo conſpicua eſt in ſanctorum Patrum monimentis, vt ipſo ſole meridiano ſit clarior. S. Irenæus Virorum Apoſtolicorum auditor, lib. 4. c. 33. recitatis verbis Domini hoc ſacrificium inſtituentis, ſic diſertè ait, *Chriſtum noui Teſtamenti nouam docuiſſe oblationem quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo mundo.* & initio c. 34. *Igitur Eccleſiæ oblatio quam Dominus docuit offerri in vniuerſo mundo, purum ſacrificium repræſentatum eſt apud Deum.* Porrò ne quis excipiat, S. Irenæum non dicere Chriſtus iuſſit, ſed Chriſtus docuit, facile eſt ex ipſo S. Irenæo euictum ire per verbum *docuit*, eum intelligere, iuſſit vel præcepit, etenim ad calcem eiuſdem expreſsè dicit, *Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter ſine intermiſſione.* Qui vult enim, tantùm non docet, ſed iubet & ſtatuit. S. Cyprianus ep. 63. ad Cæcilium inter med. & fin. *Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſeipſum primus ſacrificium Patri obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur.* Sanctus Chryſoſtomus homil. 28. in 1. ad Cor. *Pro victimarum & pecorum cæde ſeipſum offerendum præcepit.* S. Gau-

Luc. 22. *1. Cor. 11.* *Lib. 1. ep. 3.*

dentius Epiſcopus Brixienſis, qui anno 390. claruit, tract. 2. in Exod. *Dominus* (inquit) *diſcipulis fidelibus mandat, quos primos Eccleſiæ ſuæ conſtituit Sacerdotes, vt indeſinenter iſta vitæ æternæ myſteria exercerent. Quæ neceſſe eſt à cunctis Sacerdotibus per ſingulas totius orbis Eccleſias celebrari.* Hæc eſt igitur fides Eccleſiæ, hæc eſt fides Patrum, quæ in iſtis verbis Domini, *Hoc facite*, præciſum mandatum eius ad Apoſtolos & poſteros quoſque Sacerdotes, ſacrificium corporis & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini offerendi agnoſcit, docet & propugnat.

Non igitur audiendi ſunt, qui tam conſtantem & perſpicuam Eccleſiæ doctrinam, vt vim tanti præcepti amoliantur, ſic putant emollire: *Licèt gratis admittamus* (aiunt) *ibi contineri aliquod præceptum, non eſt neceſſe vt illud obliget ſingulos Sacerdotes, ſed in communi Eccleſiam, ad cuius prouidentiam ſpectat curare, vt in ea ſit vſus huius ſacrificij. Quæ cura ad Paſtores præcipuè pertinet, non verò ad Sacerdotes ſingulos.* Verùm cùm vniuerſalia non exiſtant niſi in ſingularibus, quomodo Paſtores poſſent mera ſollicitudine ſua efficere, vt vſus huius ſacrificij eſſet perennis in Eccleſia? Maxima pars Sacerdotum muneris paſtoralis expers eſt; ſoli Paſtores non ſufficiunt, aliquando abſunt, vel infirmantur plerumque, moriuntur, vacant Eccleſiæ aliquando diutiùs, ſi qui dicitur ſimplex Sacerdos nullo iure teneretur ad ſacrificium Miſſæ celebrandum, nunquam poſſet iure compelli ad hoc obeundum munus. Et ſi nemo cogi poſſet, & porrò nollet, Eccleſiæ cura eſſet inanis: hoc onus enim vnuſquiſque in aliorum humeros reiiceret, ſubire refugeret. Neceſſarium igitur fuit mandatum Domini, idque diſtrictum quod omnes & ſingulos, ſaltem quandocumque opus eſt, obligaret. Quamobrem rectè S. Gaudentius ex verbis Dei iuxta communem Eccleſiæ ſenſum ſic exponit, *Vt neceſſe ſit à cunctis Sacerdotibus, per ſingulas totius orbis Eccleſias, hæc ſalutis æternæ myſteria celebrari.* At fruſtrà alio effugio contra hanc obligationem ſentientes, elabi nituntur.

Vel denique (aiunt) *hæc obligatio ſequitur, velut ex natura rei, id eſt ex munere Sacerdotali, & hæc etiam conſecutio nulla etiam ſufficienti ratione oſtendi poteſt.* Sed contrà, doctrina hæc eſt expreſſa Apoſtoli, *Omnis Pontifex*, (quo nomine contineri Sacerdotem, quoad munus ſacrificandi nemo negat) &c. *conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Heb. 5. 1. & c. 8. 3. Omnis Pontifex ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur.* Vnde infert, *neceſſe eſſe vt Chriſtus quatenus verus Sacerdos offerat*, & aliquid habeat quod offerat. Ratio igitur formalis Sacerdotij, ſacrificium eſt, ipſúmque ſacrificium, proprium eſt officium Sacerdotis, & finis ſpecialis ad quem ordinatur. Quamobrem Concilium Nicenum c. 14. Diaconos diſtrictè prohibet offerre, quia non acceperunt poteſtatem ſacrificandi, nec enim ad Sacerdotium ordinati ſunt, ſed tantùm ad miniſterium, vt docet Concilium IV. Carthag. c. 4. Hinc igitur conſectaneum eſt, obligationem offerendi ſacrificium, qua tenetur Sacerdos, fluere ex natura rei, ipſóque principio intrinſeco Sacerdotalis ordinationis.

At inſtant, *Licèt Sacerdotibus ex vi ſui muneris detur poteſtas ſacrificandi, tamen ex poteſtate non oritur neceſſitas, quia poteſtas ex ſe latiùs extenditur, quàm neceſſitas?* Reſpondeo, verum eſt poteſtatem latiùs patere quàm neceſſitatem, alioquin cùm abſolutè poſſint Sacerdotes non ſolùm quolibet die, ſed qualibet hora, & quocunque temporis inſtanti conſecrare Euchariſtiam; ideóque hanc offerre: ſequeretur eos ad id ſemper & pro ſemper hunc ad actum obligari, quod abſurdum. Sed dico tantùm, cùm ex vi ordinis detur poteſtas Sacerdoti ſacrificandi, hinc oriri obligationem qua tenetur offerre neceſſariò, ſaltem aliquando, non ſolùm pro ſui executione ordinis, ſed maximè pro Dei cultu & honore, & Eccleſiæ vtilitate, etiámque pro ſui ipſius & proximorum ſalute, & quotieſcumque publica neceſſitas occurrerit, vel etiam priuata, quæ ſit admodùm vrgens & grauis; v. g. Si in loco vbi non adeſt Paſtor, vel alius Sacerdos, & ſunt infirmi qui in extremis laborant, & viaticum ſalutis æternæ expetunt, tunc verò ibi non ſit hoſtia vlla conſecrata: certè negari non poteſt tunc quemlibet Sacerdotem Catholicum, à cenſuris immunem, medio actu contritionis, obligari ad Miſſam celebrandum, in qua viaticum conficiat pro infirmo, vel pro infirmis, ne ſcilicet incidat in iudicium Dei & grauiſſimum peccatum, dicente Domino per prophetam, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* In caſu neceſſitatis conueniunt Theologi eleemoſynam eſſe de præcepto iuxta illud S. Auguſtini celeberrimum dictum, *Si non paviſti, occidiſti.* Quantò magis igitur tunc Sacerdoti imminet ſtricta celebrandi obligatio: vt fideli morienti & ſuppliciter expetenti conferat antidotum mortis, pharmacum immortalitatis, myſterium fidei, ſpem reſurrectionis, tutelam animæ & pignus æternæ ſalutis? Accedit quòd in ipſa ordinatione Sacerdos de ſua obligatione ad diuinum hoc ſacrificium celebrandum, vt actu neceſſario ſuæ poteſtatis, diſertè à Pontifice (qui tum Spiritus ſancti oraculum eſt) edocetur, vt patet ex hac eius allocutione ad ordinandos: *Conſecrandi filij dilectiſſimi in Presbyteratûs officium, illud dignè ſuſcipere ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudeatis, Sacerdotem etenim oportet offerre &c.* Et infrà, *Agnoſcite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenùs mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra veſtra à vitiis & concupiſcentiis omnibus procuretis.* Et poſteaquàm ſingulis dixit Ordinator Pontifex, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini: Amen.* Expletis omnibus quæ ad ordinem pertinent, vt oſtendat Epiſcopus hanc poteſtatem quam acceperunt neceſſariò debere reduci ad actum ſuum legitimum, iiſdem quaſdam Miſſas quantocyùs celebrare ſpeciali præcepto iniungit: *Ad Presbyteratum ordinati* (inquit) *poſt primam veſtram Miſſam, tres alias Miſſas, videlicet vnam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria ſemper Virgine, tertiam pro defunctis dicite.* Non autem eſt eis liberum ab his ſacrificiis abſtinere, præcepto enim ſpeciali aſtringuntur, & obedituros ſe Epiſcopo ſuo in ipſa ſua ordinatione expreſſis verbis ſpoponderunt.

Thren. 4.

Nihilominùs adhuc, qui contrà ſentiunt, argutantur: *Quia poteſtas*

ipſa Sacerdotibus tradita offerendi ſacrificium Deo in Eccleſia, eſt veluti priuilegium quoddam ipſius Sacerdotis, ſeu quoddam dominium, vel ius quoddam: ex vi autem priuilegij nemo cogitur illo vti, nec dominium ſeu ius in, vel ad rem per ſe inducit neceßitatem vtendi re propria: ſed poteſt aliquis cedere iure ſuo. At non tam mirè quàm miſerè claudicant eiuſmodi comparationes. Primò enim etſi hanc eſſe prærogatiuam propriam Sacerdotum, nemo Catholicorum inficiatur, Euchariſtiam conſecrare & Miſſæ ſacrificium celebrare, vnde in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *Firmiter.* legimus, *Nemo hoc ſacrificium vel Sacramentum conficere poteſt niſi Sacerdos rite ordinatus.* Et in Concilio Florentino ſub Eugenio IV. in decreto vnionis, *Sacerdos in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum;* Quamobrem Eccleſia in ſolennitate Corporis Chriſti, alto præconio concinit de Chriſto inſtituente diuinum hoc Myſterium.

Sic ſacrificium
Iſtud inſtituit,
Cuius officium
Committi voluit
Solis Presbyteris,
Quibus ſic congruit,
Vt ſumant, & dent cæteris.

Sed hoc priuilegium, non eſt merum, at coniunctum cum onere: ſuſcipit enim Sacerdos hanc poteſtatem, non vt ex ea honoretur & de ea extollatur, ſed vt ea vtatur ſecundùm præfixum finem, non in proprium decus & priuatam tantùm vtilitatem, ſed præſertim in publicum commodum: debet enim *Miſſas celebrare in nomine Domini,* (hoc eſt ad eius gloriam & honorem) *pro viuis & defunctis:* Et ideo cùm promouendus ad Sacerdotium Epiſcopo præſentatur, dicit Archidiaconus nomine Eccleſiæ, *Reuerendißime Pater, poſtulat ſancta mater Eccleſia Catholica, vt hunc præſentem Diaconum ad onus Presbyterij ordinetis;* Non ait ad dignitatem & decus Sacerdotij, *ſed ad onus Presbyterij;* quia non eſt mera dignitas, ſed officium, honorabile quidem, at ita cum onere coniunctum, vt ipſum quod Preſbytero exequendum committitur munus, ſit onus reuerà, cui ferendo ordinatus de ipſius officij neceſſitate obſtringitur. Adde quod priuilegium ipſo iure reuocatum cenſetur, *Si incipit enormiter eſſe nociuum,* Cap. *Suggeſtum,* & ibi gloſſ. fin. *de Decimis.* At ſi Sacerdotes ſolâ dignitatis prærogatiuâ contenti, abſtinerent ab officio ſacrificij, Eccleſiæ fieret priuilegium iſtud enormiter nociuum, vt res per ſe patet. Non igitur credendum eſt à Chriſto Sacerdotij fonte, qui ſapientia diuina eſt, eiuſmodi priuilegium ſuis in offerendo Miniſtris fuiſſe conceſſum, vt ſi vellent ſacrificium humanæ reconciliationis & ſalutis celebrarent; ſi nollent, nullatenùs ad id agendum obligarentur. De dominio autem quod adiicit ratiocinatio præſignata, breuiter reſponderi poteſt, neutiquam à Chriſto collatum fuiſſe ſuis diſcipulis & eorum ſucceſſoribus, Sacerdotium per modum dominij: ſed tantùm miniſterij, vt ſuprà demonſtratum eſt; & miniſterij quidem non inanis, ſed efficacis &

actuoſi, præcipuè circa ſacrificij munus; vnde Dominus non tantùm ait, hoc dicite, hoc meditamini, ſed *hoc facite*, &c. Admonet autem Apoſtolus, *Vide miniſterium quod accepiſti, vt adimpleas illud.* Col. 4. 17. Ludicrum eſt autem quod obiectio præſtituta deducit de iure dominij, quod eo iure cedere poteſt, quiſquis illud habet: nam ſic ſequeretur Sacerdotem poſſe ius Sacerdotij transferre in quemlibet inferiorem Clericum, vel etiam fidelem Laïcum, ſed obſtat character. Adde quòd vt præmonſtrauimus, Preſbyteratus onus eſt, onera autem perſonalia ſunt, & debent ab eo cui ferenda incumbunt, perſonaliter ſuſtineri.

Obiiciunt rurſus, *Datur etiam Sacerdoti poteſtas remittendi peccata, & tamen nunquam tenetur vti illa, etiamſi aliàs iuriſdictionem etiam recipiat, dummodò Paſtoris officium non recipiat.* Reſpondeo, non eſt par ratio, nam in officio remittendi peccata, proximi tantùm conſulitur particulari ſaluti: at Miſſæ ſacrificium non ordinatur tantùm ad auxilia impertienda vnicuique in neceſſitatibus ſuis, Eccleſiæque generaliter concilianda ſolatia, & beneficia tam ſpiritualia quàm temporalia per influxum, & applicationem paſſionis Chriſti: ſed inſuper ad debitas Deo gratiarum actiones, quin & ſupremum latriæ cultum referendum. Eſt igitur Sacerdos arctiori obligatione aſtrictus officio celebrandi, & offerendi Deo ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, quàm peccatorem abſoluendi. Accedit quòd minimè verum ſit, Sacerdotem nunquam teneri poteſtate vti remittendi peccata, niſi ſuſceperit officium paſtoris. Sicut enim in caſu neceſſitatis (quando ſcilicet aliquis de vita periclitatur) omnis Sacerdos fit Papa quoad poteſtatem abſoluendi, tunc enim nullus caſus reſeruatus eſt, vel Epiſcopo, vel Papæ; à quo ſimplex Sacerdos abſoluere non poſſit: ſic in caſu huiuſmodi neceſſitatis omnis Sacerdos tenetur etſi paſtor non ſit, vbi abeſt paſtor, vel alius eius gerens vicem, ſi rogatus fuerit audire pœnitentis confeſſionem, eique abſolutionem impertiri, & ſi hoc præſtare negaret in illo caſu ſolatium, peccaret grauiter, reúſque fieret in vtroque foro ingentis criminis: maximè ſi qui ita periclitaretur, ſine confeſſione ſacramentali, & diuino viatico moreretur. Ergo procul eſt à vero nunquam teneri quemlibet Sacerdotem poteſtate vti remittendi peccata, quam in ordinatione ſua recepit.

Denique dicunt: *Similiter per gradum magiſterij datur alicui facultas explicandi ſcripturam, quod tamen facere non tenetur.* Sed quàm abſona, & diſſimilis ſit rei cui applicatur iſta comparatio, nemo eſt tantiſper videns qui non perſpiciat. Magiſterium (in iure, vel Theologia,) & Sacerdotium, tantùm differunt quantum ens rationis, & ens reale. Magiſterium eſt ſimplex declaratio capacitatis in obtinente, cum licentia ei facta legendi, & interpretandi Canones, vel Scripturam, at ſine mandato & onere. Sacerdotium autem longè in alio ſtatu Preſbyterum conſtituit: nam ſacræ poteſtatis characterem imprimit in anima ordinati, & non niſi cum mandato, & onere confertur offerendi Deo ſacrificium Latreuticum, & Euchariſticum, propitia-

toriúmque & imperatorium corporis, & ſanguinis Chriſti Domini, vnici generis humani redemptoris.

Cæterùm eſt iam quòd ab iis qui dicunt nullum eſſe ius diuinum, aut Eccleſiaſticum obligans Sacerdotes ad ſacrificandum aliquando: & ideò quamuis Sacerdos nunquam in vita ſacrum faciat, dummodò in Paſchate communicet, abſolutè loquendo, nulli propterea piaculo, graui præſertim, illum obnoxium fieri; ab iis eſt, inquam, quòd poſtulem: cur itaque cœlibatus perennis, ſeu perpetua continentia, vi ipſius ordinationis Sacerdotibus omnibus (etiámque ad eorum obligationis maiorem declarationem, reliquis altaris miniſtris, Diacono & Subdiacono) indicta eſt? Certè ſi Sacerdos nulla lege toto vitæ decurſu ex quo ordinatus eſt, teneretur ad Miſſæ ſacrificium celebrandum, non eſſet cur tanto rigore, & ſub reatu voti, ad vitam cœlibem aſtringeretur, ſufficeret enim quòd ij qui vellent actu ſacrificare, eam continentiam profiterentur; cæteris ſuo arbitrio relictis, modò Miſſam non celebrarent, cui officio aliquando in vita exequendo nullatenùs forent obſtricti. Relaxauit iamdudum rigorem Canonis, imò traditionis Apoſtolicæ de perpetua continentia Sacerdotum, quoad Presbyteros, Orientalis Eccleſia. Qua de re ſæculo 4. labente S. Epiphanius conquerebatur: ſed tamen huic relaxationi in Græcia prætextus aliquis locum dedit; quia nimirum ſæpè Græci non offerunt, ſed celebrant Liturgiam pleriſque diebus de præſanctificatis: nec quotidie, nec frequenter Presbyteri ſacrificant, at quibuſdam vicibus tantùm, vt antiquæ legis faciebant Sacerdotes; ideo tempore vicis ſuæ à coniugibus abſtinent, alio verò tempore matrimonio ante ordinationem inito, ex indulgentia vtuntur. Sic tulit corruptela huius Eccleſiæ, quæ ſenſim irrepſit. At in Occidentali Eccleſia ſemper Apoſtolicæ traditionis obſeruatio vigorem ſuum retinuit. Hinc antiqui Concilij II. Carthag. can. 2. *Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus abſtineant. Vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Audiendus hîc Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 19. *Denique* (inquit) *ex lib. 1. Paral. cap. 24. & Lucæ 1. colligitur Sacerdotes veteris Teſtamenti per vices ſuas miniſtrare ſolitos, & toto eo tempore quo miniſtrabant in tabernaculo, à domo, & vxore abfuiſſe. Ex quo deducunt Siricius Papa in epiſt. ad Himericum, & Innocentius I. in epiſt. ad Victricium, nec non Beda in c. 1. Lucæ, quòd ſi illi tempore quo miniſtrabant ab vxoribus abſtinebant: omnino decere vt Sacerdotes noſtri, qui non per vices ſed ſemper miniſtrant, ſemper ab vxoribus ſe contineant.* Quod argumentum Humbertus Syluæ candidæ Epiſcopus (ex Canonico Tullenſi) & S. R. E. Cardinalis, ac Legatus Leonis IX. ad Græcos, fusè ac neruosè proſequitur aduerſus Necetæ Presbyteri, & Monachi Monaſterij Studij, contra Latinos calumnioſum libellum. quo inter cætera grauis erroris eos arguebat, ob legem perpetui cœlibatus Sacerdotibus impoſitam: quam aculeatè Humbertus defendit, adductis in medium pro traditione Apoſtolica à Latinis ſeruata

Con-

Concilij Nicæni, & Neocæſarienſis Synodi canonibus, ſummorúmque Pontificum Clementis, Siricij, Innocentij I. & Leonis Magni decretis. Innocentij porrò ratio ducta ex differentia Sacerdotum antiquæ legis, & nouæ ſic habet, *Nam priſcis temporibus, de templo Dei, anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, &c. quanto magis hi Sacerdotes, vel Leuitæ ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt,* (carnali) *nec præterit dies qua vel à ſacrificiis diuinis, aut baptiſmatis officio vacent? Nam ſi Paulus ad Corinthios ſcribit, abſtinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, & hoc vtique Laïcis præcipit, multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & ſacrificandi iuge eſt officium, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere.* Vrget preſſiùs hoc argumentum ex dignitate hoſtiæ quam iugi officio offerunt noſtri Sacerdotes, præfatus Humbertus verſus finem diſſertationis ſuæ. Sed nihilominus hìc fortè tricandi anſam arripient contradictores noſtri ex Innocentij Papæ præcitatis verbis: Dicent ſiquidem eum loqui tantùm de Sacerdotibus qui curam animarum gerebant, vt patet, quia non de ſacrificio ſolùm ab iis offerendo, ſed & baptiſmo conferendo verba facit. Et fateor quidem vix alios tum fuiſſe Sacerdotes, quia canones ipſi vetabant vllum Preſbyterum ſine titulo Eccleſiaſtico ordinari. Multitudo ſuccreuit poſteà Sacerdotum, qui ad titulum, vel patrimonialem, vel curæ animarum non addictum ex indulgentia ordinantur; at tantùm abeſt vt hi eximantur à debito ſacrificandi frequenter, quin (in bono ſenſu hoc dico) magis huic officio obeundo fiunt ipſo ex ſtatu ſuo obnoxij; minùs enim occupationum habent Eccleſiaſticarum, & immunes ſunt à pondere diei, & æſtus, quod paſtoribus perennes excubias circa creditas ſibi oues agentibus, & indeſinenti labore curáque defatigatis incumbit. Æquum eſt ſanè, vt qui non pugnant cum Ioſue, ſaltem cum Moyſe fundant pro certantibus preces, manúſque frequenter in ſancta extollant, vt auxilia ac ſolatia illis promereantur. Titulo patrimonij, vel fortè etiam beneficij non obligantur ad ſacrificium iuge offerendum, ſed ad hoc tenentur vi ordinationis ſuæ, fluentíque ex iniuncto ſibi munere, & ſuſcepto à ſe onere Sacerdotij debito. Hinc abſolutè S. Gregorius Nyſſenus lib. de Virginitate, arguens Sacerdotes minùs memores officij; *Quomodo* (inquit) *Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipſum, vt munus offerres, vnctus es?* Rectè & ſolerter inſinuans, indignum eſſe vel ſolo Sacerdotis nomine, qui caſtè non viuit, nec offert ſacrificium Chriſti puriſſimum, cui celebrando conſecratus eſt. At hactenùs ſatis de huiuſmodi obligatione.

Extat apud Henric. Caniſium Tom. 6. antiq. Lect. à p. 163. ad 193.

PVNCTVM II.

Præceptum illud obligare ſub peccato mortali.

PRÆCEPTVM cùm de re graui imponitur, tranſgreſſio eius culpa leuis eſſe non poteſt, vt morales Theologi, & Canoniſtæ fatentur. At verò præceptum eſſe peremptorium demonſtrauimus, quo vnuſ-

quiſque Sacerdos legitimè non impeditus obligatur Miſſæ ſacrificium aliquoties celebrare. Igitur Sacerdos qui huic præcepto non ſatisfacit, quando poteſt, & oportet; incurrit grauis culpæ reatum, nec venialis tantùm, eius culpa debet exiſtimari.

Eapropter cùm Caietanus ſup. 2. partem S. Thomæ q. 22. a. 10. ſcripſiſſet Sacerdotem nunquam celebrantem, mortalis piaculi minimè damnandum eſſe, ſed ad ſummum veniali culpa teneri, Pius V. ſanctiſſimus Pontifex, in impreſſione Romana S. Thomæ hunc locum Commentarij Caietani, quæ oppoſitam textui S. Thomæ ſententiam continebat, oblitterari & expungi iuſſit: ſcilicet quòd cenſeret non ferendam, ſed reprobandam, vt periculoſam, & veritati ac pietati contrariam. Et verò qui attentè perpenderit, quanti momenti ſit ille neglectus, quo tota ſua vita Sacerdos, vel per annum, omittit Miſſæ ſacrificium celebrare, facilè deprehenderit, non leui noxa, ſed graui admodum propter hanc ſpontaneam omiſſionem illum conſtringi. Primò ratione officij: nam ſeruus ille qui talentum domini ſui fodit in terram, non ſolùm eo priuatus eſt, ſed vt ſeruus nequam à domino iudicatus, eiectus eſt è domo domini ſui, & tractus ad pœnam. Poteſtatem Sacerdotalem conſecrandi corpus, & ſanguinem Domini eſſe talentum pretioſum, & donum Dei ſingulare atque præcipuum, inter gratias gratis datas, nemo eſt Theologorum qui inficietur. Porrò vt ait S. Gregorius, *quando creſcunt dona, rationes etiam creſcunt donorum.* Non dubium igitur quòd qui hanc adeo præcellentem poteſtatem otioſam retinet, nec vnquam ad actum reducit, propter honorem Dei: quia officij ſui debitum non perſoluit, gratiam Dei in vacuum recipit, ingratitudinis crimen incurrit, fitque reus tanti neglectus, cuius piaculum, nonniſi grauiſſimum eſſe poteſt. Secundò, ratione grauitatis materiæ præcepti, quod volens & lubens tranſgreditur. Breui compendio hanc rationem Venerabilis Beda expreſſit, *Sacerdos non legitimè impeditus* (inquit) *celebrare omittens, quantùm in eo eſt priuat ſanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia, in purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpeciali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & remedio.* Conſiderate, quæſo, hæc omnia publica & priuata diſpendia, quæ ſanè grauiſſima ſunt, & ſpontaneâ accidunt culpâ Sacerdotis ſacrificium hoc ſalutiferum celebrare detrectantis, quod ei offerendum ex proprio officio incumbit, & quod diſtricto præcepto celebrare tenetur. Nunquid igitur leuia hæc piacula ſunt cenſenda, quibus tot effectus diuinæ miſericordiæ impediuntur, tot fructus Chriſti paſſionis pereunt, & Deus debito cultu, Eccleſia tanti beneficij vtilitate, ſinguli fideles tam viui quàm defuncti auxiliis & ſolatiis, quibus hinc iuuari poſſent * priuantur? Hîc igitur meritò perpendenda venit inſignis, S. Ambroſij ſententia, quam B. Thomas, & plerique Theologi paſſim proferunt ad grauitatis tanti peccati demonſtrationem: *Graue eſt quod ad menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; ſed grauius eſt ſi dum peccata metuimus,*

Homil. 9. in Euang.

Ex dictis V. Bedæ recitatur in Breuiario Pariſ. in lumine præparat. ad Miſſam.

* Nota hic inſigne dictum S. Cyrilli Alex. lib. 2. in Ioan. c. 9. *Vtilitatis retardatio ſemper affert detrimentum.*

etiam ſacrificia non reddimus? Quibus verbis innuit vltimam eſſe in Sacerdote ingratitudinem, grauéque ſcelus, qui immemor officij, Miſſam omittere, vel diu, vel ſemper, paruipendit. Neque enim valet Gabrielis Vaſquez exceptio, hanc ſententiam in Ambroſio non reperiri, proinde confirmandam non eſſe, ſatis eſt enim non ſolùm quòd ſanctus Thomas inuenerit, ſed quòd inſuper eam veram & ſolidam cenſuerit, qui ſanè rectitudinis ipſius ſententiæ iudex competens erat. Pluris enim apud prudentes fieri debet S. Thomæ iudicium, quàm diſputatorum quorumlibet ingenioſæ magis quàm ſolidæ exceptiones atque argutiæ. III. Grauitas huius culpæ elicitur ex cap. *Dolentes.* lib. 3. apud Gregorium, tit 41. de celebratione Miſſarum, c. 9. Vbi Innocentius III. loquens è Cathedra in Concilio generali Lateranenſi, eos grauiter reprehendit Prælatos & Preſbyteros *qui vix in anno quater Miſſas celebrabant:* prohibétque penitùs talem negligentiam, ſub pœna ſuſpenſionis, quæ ſanè pro leui culpa ſeu veniali peccato, nec à iure, nec ab homine delinquentibus infligi conſueuit. Sed ſunt qui nodùm hîc in ſcirpo quærunt: Aiunt enim Pontificem hîc non modò queri de iis qui quater vix in anno Miſſæ ſacrum faciunt, at de iis etiam qui ſacrificio intereſſe non curant, & iis quoque qui in choro tempore diuini officij intendunt collocutionibus laicorum *. Sed tametſi hæc etiam Pontifex in Sacerdotibus reprehendat, non ea tantùm ſub hac pœna prohibet, verùm etiam & illum propudioſum neglectum frequentiùs celebrandi: loquitur enim collectiuè de iis omnibus & ſingulis ſcandalis, hácque ſententia vniuerſa concludit, *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus* &c. Nec dubium quin tandem hæc res in axioma tranſierit. Siquidem illuſtriores Theologi, & Canoniſtæ, vt rigidam nimiùm illorum DD. opinionem arbitrantur qui dicunt, *non celebrare quotidie eſſe peccatum mortale:* ſic hanc iudicarit veriſſimam ſententiam, *Nunquam celebrare eſſe mortale peccatum, niſi Sacerdos legitimo aliquo impedimento excuſetur.* Ita cenſent S. Thomas 2. p. q. 22. a. 10. & clariùs in 3. diſt. 13. q. 1. a. 2. quæſtiuncula 1. ad 2. Durandus ibid. q. 2. Paludanus diſt. 11. q. 2. Maior q. 5. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 16. §. 12. Syluester, verbo Miſſa, 1. q. 7. Angelus num. 44. Nauarrus in Summa cap. 25. num. 88. Petrus Soto lect. 13. de Euchariſtia circa finem, & Gloſſ. cum Iuris ſacri peritis, in cap. prædictum, *Dolentes*, &c.

*In opere noſtro nondum edito de horis Canonicis, quàm tum hæc delicta grauia ſint in Clericis, palam fecimus.

PVNCTVM III.

Num ſufficiat Sacerdoti, ad muneri ſuo præceptóque ſatisfaciendum, de celebrando, aliquoties ſaltem venerabili Miſſæ ſacrificio, ſi ter, vel quater tantùm in anno, hoc munus diuinum exequatur.

MIROR ſapientiſſimos Theologiæ Magiſtros ac Iuris ſacri interpretes, Dominicum à Soto in 4. diſt. 12. a. 1. Concluſ. 1. & Nauarrum

citato loco, in ea fuiſſe ſententia, quæ cenſet Sacerdotem officio ſuo (& præcepto etiam) de celebrando ſacrificio Miſſæ ſatisfacere, quiter aut quater in anno ipſum ſacrum celebrauerit. Nempe propter verba Innocentij III. in dicto Cap. *Dolentes*, expreſſa: quæ haud ſatis fuiſſe ab iis perpenſa tam certum quàm perſpectum habeo. Nec enim Pontifex hanc quorumdam Prælatorum & Sacerdotum conſuetudinem laudat vel approbat, ſed reprehendit euidenter eam referens cum pudore & gemitu. *Dolentes referimus* (inquit) *quòd non ſolùm quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, circa comeſſationes ſuperfluas & fabulationes illicitas* (vt de aliis taceamus) *ferè medietatem noctis expendunt. Sunt & alij qui Miſſarum ſolennia vix celebrant quater in anno &c.* Et infrà, *Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.* Igitur ex iudicio Pontificis, & Concilij generalis (cui tunc præſidebat) non ſatis eſt Sacerdoti cuilibet, quater in anno ſacram Miſſæ celebrationem peragere; ſed aliquid amplius requiritur, vt Sacerdos ſuæ obligationi de celebrando ſatisfaciat.

Æquabilior igitur longè eſt S. Thomæ, art. 10. præſignatæ quæſt. 22. 2. p. ſententia, qua aſſerit, *Sacerdotes quoſcumque ſub præcepto teneri celebrare Miſſam in præcipuis feſtis: at in iis maximè, in quibus religioſiores laici ex deuotione communicare conſueuerunt:* quibus diebus ſiquis Sacerdos non celebret, Syluester & Soto, peccare mortaliter exiſtimant, niſi legitimo impedimento excuſetur.

Laudâſſe mihi videtur ſacrum Trident. Concilium, B. Thomæ ſententiam, quin & dilucidiùs explicâſſe ſeſſ. 23. in Decreto de Reformat. c. 14. hac verborum ſerie: *Qui piè ac fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, & ad Presbyteratus ordinem aſſumuntur, bonum habeant teſtimonium.* Et infrà, *Curet Epiſcopus vt ij ſaltem diebus Dominicis ac feſtis ſolennibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.*

Et quidem de die Dominica, ratio apertiſſima eſt, quia hoc die præcipuè Apoſtoli ſacra myſteria, horúmque exemplo primitiuæ Eccleſiæ Sacerdotes celebrârunt. De Apoſtolis habemus exemplum S. Pauli, Act. 20. *Vna Sabbati, cùm conueniſſemus ad frangendum panem:* Syrus interpres vertit *Prima die hebdomadis*, quæ ſanè eſt dies Dominica, nam & Chriſtus reſurrexiſſe dicitur ab Euangeliſtis vna Sabbati, qua ſcilicet hebdomada incipit. Hinc vſu noſtro dies lunæ dicitur feria ſecunda, quòd videlicet Dominica dies pro prima numeretur. Porrò verba illa *ad frangendum panem*, de Euchariſtiæ conſecratione & immolatione intelligunt SS. Patres, Chryſoſtomus in hunc locum, Auguſtinus epiſt 86. hinc gloſſa interlinearis deſumpta ex verbis Bedæ, *Cùm conueniſſemus ad myſteria celebranda.* Porro primitiuæ Eccleſiæ etiam mos iſte fuit, nam Iuſtinus Martyr in fine Apologiæ 2. expreſsè ſcribit, die ſolis, id eſt die Dominica, Chriſtianos ſolitos fuiſſe ad ſacrificium Euchariſtiæ conuenire. Cui teſtimonio S. Auguſtinus etiam ſuffragatur epiſt. 118.

Feſta autem ſolennia, non ſolùm diebus Dominicis æquiparari:

at quædam etiam eis antecellere, v. g. feſtum Natiuitatis Domini, Paſcha Reſurrectionis, feſtum Aſcenſionis ipſius Domini, feſtum Pentecoſtes, ſeu illapſus Spiritus ſancti, & ſubinde feſtum Corporis Chriſti, & feſta præcipua Beatiſſimæ Virginis: nemo tam rudis praxeos Eccleſiæ Catholicæ, qui ambigere poſſit. His igitur diebus ſacratiſſimis, quemque Presbyterum, etiamſi non aſtrictum animarum regimini, ſacrum teneri celebrare non ſolùm inſinuat Concilium Oecumenicum præfatum, ſed inſuper mandat Epiſcopo, vt curet ſua in terminatione à ſingulis Presbyteris obſeruari. Nec audiendi ſunt, qui Concilium hoc mandare volunt per modum conſilij dumtaxat: quia quando cadit præceptum in rem grauiſſimi momenti (ſicut in hac de qua agitur, cadere demonſtrauimus) conſilium ſimplex non adhibetur, & ſi monitum nihilominus acceſſerit, hoc pro præcepto diſtrictiùs commendato prudentiores iuris interpretes docent accipiendum eſſe. Patet hunc genuinum eſſe ſenſum ipſius Concilij Tridentini. Nam ſuperiori cap. vbi agitur de Subdiaconis & Diaconis ait Concilium: *Sciántque maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis & ſolennibus cùm altari miniſtrauerint, ſacram communionem perceperint;* Quibus verbis innuit ſe loqui ſancta Synodus per modum ſimplicis documenti, adhibétque verbum decere, vt patenter innuat hoc non eſſe de neceſſitate, ſed tantùm de decentia, & meliori more ac vſu. At verò cùm agit de ſacrificio celebrando diebus Dominicis & præcipuis ſolennitatibus à ſingulis Presbyteris, ſic non loquitur, ſed mutat ſapientiſſimum Concilium vocem, proptérque debitum officij Sacerdotum, Epiſcopi interpellat diligentiam & adhibet auctoritatem: *Curet Epiſcopus vt ij ſaltem diebus Dominicis ac feſtis ſolennibus &c. Miſſas celebrent.* Mens igitur Concilij non eſt hoc eſſe de ſimplici decentia, ſed de debito officij Sacerdotalis: alioquin ſi res eſſet libera, fruſtra, & præter ius, Epiſcopi auctoritatem ad effectum practicum huius ſanctionis eliciendum à ſubditis Presbyteris, interpellaret.

Accedit præmiſſis auctoritatibus & argumentis alia ratio, ducta ex differentia quæ extat inter ſacrificium crucis, & ſacrificium Miſſæ. Sacrificium crucis oblatum eſt ſemel, vt paſſim Apoſtolus inſinuat in Ep. ad Hebræos. At verò ſacrificium Miſſæ, quia eſt ſacrificium religionis, gratiarum actionis, propitiationis, impetrationis, commemorationis, applicationis ſacrificij crucis, ſæpe repetitur, & frequenter celebrari debet, (*Hoc facite* (inquit Dominus) *in meam commemorationem. Mortem Domini annunciabitis*, ait Apoſtolus, *donec veniat:*) ideóque quo ſæpiùs celebratur, Deo eſt honorificentius, & Eccleſiæ vtilius. Frequens igitur celebratio eius eſt proprietas genuiniſſima. Hinc ſequitur, quòd ij Sacerdotes qui raró admodùm, vt vix quater in anno, multo magis qui tota vita, nec vna vice, Miſſæ ſacrum faciunt: quantum in ſe eſt memoriam mortis Chriſti euacuant, inſtitutionem huius ſacrificij euertunt, fructum eius impediunt, Religionem imminuunt, formalémque ipſius ſacrificij rationem, quæ in frequenti celebratione conſiſtit, amoliuntur. *Luc. 22. 1. Cor. 11.*

Denique Domini oraculum eſt : *Væ homini illi per quem ſcandalum venit.* At Sacerdos qui ter tantùm , aut quater in anno Miſſam celebrat , longè magis qui per annum nec ſemel , & adhuc multo magis qui nullo vnquam tempore celebrat , eiuſmodi ſacri muneris neglectu , imò (vt non temere præſumitur) ſacrificij contemptu , ſuſpicionem de ſe excitat non ſolùm malæ vitæ , ſed etiam non ſanæ fidei , & ingens ſcandalum , hoc aduertentibus parit, ſicut inſignes Theologi rectè obſeruant & fatentur. (Suarez diſputat. 80. ſect. 2. §. *hæc res*, & Vaſquez diſp. 232. c. 1. §. *reſtat*) Igitur maledictionem quam Chriſtus Dominus in auctores ſcandali prædicta ſententia pronunciauit, hac ſua culpa incurrit, quæ ideo nonniſi grauiſſima eſſe poteſt. Prodiit Romæ anno 1606. inſignis liber, cui titulus, *Manuale Paſtorum*, auctore Marco Antonio Montis Marani Epiſcopo, qui opus hoc ipſum Paulo V. Pontif. Max. dedicauit. Cap. 12. inſcriptum eſt, *de obligatione Epiſcopi celebrandi Miſſam :* Quo ſub lemmate, duo præſertim docet, Epiſcopum debere Miſſam celebrare frequenter; ſanctóſque Antiſtites quotidie Miſſæ ſacrificium facere conſueuiſſe, raróque ab hac praxi quotidianæ oblationis ſe diſpenſaſſe. Adductíſque ſelectis exemplis & argumentis demum ſic concludit : *Saltem negari non poteſt Epiſcopum rariſſimè celebrantem præbere aliis ſuſpicionem malæ vitæ, quam cuitare debet : ac mali exempli aliis Sacerdotibus , quos neſcio qua fronte poterit hortari , ad ſæpe celebrandum , ſi ipſe non celebrat.* Hæc ille Epiſcopus, pius ſanè & doctus in ſacra Iuriſprudentia, vt ex eius opuſculo ſatis patet.

PVNCTVM IV. ET VLTIMVM.

Qua ratione Sacerdos legitimè excuſari poteſt, non ſolùm à quotidianæ, ſed etiam à frequenti adeo celebrationis obligatione.

DVRVM nimis fortè videbitur præceptum de ſacrificando aliquoties, ſaltem per ſingulos annos, vniuerſis Sacerdotibus indictum aſſerere : cùm exempla pleraque ſuppetant in ſacræ Hiſtoriæ monimentis multorum Sanctorum, qui Sacerdotio initiati ſacrum myſterium præ ſumma humilitate, qua ſe indignos prorſus cenſebant tanti officij, celebrare refugerunt, adeo vt inuenti ſint qui nunquam de facto celebrârunt. Hinc viri plerique ſanctiſſimi poſtulati ad Sacerdotium, ſuſcipere ordinem renuerunt. Alij vel inuiti ordinati, ſtatim ſolum verterunt, & in ſolitudinem, ne fungi Sacerdotio compellerentur, aufugerunt: Alij in loco ſuo perſiſtentes, à ſacrificandi munere quod ſummoperè formidabant, abſtinuerunt. Extat inter Epiſtolas S. Hieronymi epiſtola S. Epiphanij numero 60. qua reſpondet Ioanni Epiſcopo Hieroſolymitano, aduerſus eum conquerenti, quòd extra propriam diœceſim, in Monaſterio Eleutheropolitano, Paulinianum fratrem S. Hieronymi ordinâſſet Diaconum, deinde etiam Preſbyterum conſecrâſſet: cuius facti rationem reddens ſanctus

Epiphanius, inter cæteta motiua huius promotionis (quæ non fuerat facta in diœceſi Hieroſolymitana, vt Ioannes ille ſupponebat) præcipuè aſſignat inſtantem Monaſterij illius neceſſitatem, *Quia videlicet ſancti Preſbyteri, Hieronymus, &c. ibi degentes propter verecundiam & humilitatem refugiebant nomini ſuo debita ſacrificia exercere, & formidabant laborare in hac parte miniſterij, quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.* Illuſtre ſanè eſt hoc exemplum; aliáque nonnulla huic affinia hîc congeſtum ire poſſem ſi opus eſſet, verùm prolixiori à recenſione abſtineo, quòd facta hæc Sanctorum eius ſint generis, quæ non tam ſunt imitanda, quàm miranda. Multa etenim Sancti interdum operantur ex ſpeciali Spiritus ſancti motione, quæ eos à communi lege diſpenſat, ideóque minimè trahi debent in exemplum: *Spiritus enim vbi vult ſpirat.* Quapropter, ſi etiamnum quiſpiam ita humilis ac timoratus, vt S. Hieronymus fuit, aliíque ſancti Sacerdotes quondam extiterunt, reperiretur, hócque motiuo ductus pia conſcientia teſte, ab officio Sacerdotali abſtineret, damnare eum peccati equidem non auderem: ſed quia ex hac cauſa patet illuſioni aditus, conſulerem Sacerdoti adeo timido, & de ſe tam ſubmiſsè ſentienti, vt ipſe ſibi non crederet, ſed piorum & ſapientum iudicio hoc referret, ex quorum arbitrio non ſuo priuato, decerneret quid ſibi foret agendum. Abuti poſſent inſuper vitioſi Sacerdotes hoc ſpecioſo prætextu, ſi enim eis probro verteretur quòd rarò, aut nunquam celebrarent, haberent hanc in promptu excuſationem, ſe timore & humilitate cohiberi, ne tremenda hæc myſteria celebrare præſumerent: eſſe quidem multos qui quanti ſit res momenti hoc conficere diuinum ſacrificium non ſatis perpendant, ideóque frequentiùs quàm par ſit eo formidabili munere defungantur, de iis tamen nolle acerbiùs iudicare, at ſibi ſatis eſſe, ſi conſcientiæ ſuæ arbitrio relinquantur. A pleriſque, qui impuræ vitæ aut dubiæ fidei ſuſpecti ſunt, hoc prætextu culpam ſuam obuelari paſſim comperimus. Quibus hoc vnum verbum Apoſtoli incutiam, *Deus non irridetur*, etenim *ſcrutatur corda & renes*, & tandem aliquando *iudicia faciens cognoſcetur.* Abſit igitur, *vt quæramus excuſationes in peccatis*; His enim artificiis falli poſſunt homines; ſed Deus qui nec falli, nec fallere poteſt, fucatos hos prætextus damnat perfidiæ, & duplici pœna peccatum illud falſa veri ſpecie obductum, ſua in iracundia ſolet vlciſci. At in præmiſſis deciſionibus hoc non ſemel adhibuimus temperamentum, niſi ſubſit legitimum impedimentum, vel niſi adſit cauſa iuſtæ excuſationis, iuris enim eſt regula receptiſſima, *in mora illum non eſſe cenſendum*, (nec itidem in culpa) *qui ſe poteſt legitima excuſatione tueri.* Illuſtre hîc mihi in mentem exemplum venit (Leuit. 10. 1.) Cùm Nadab, & Abiud filij Aaron propter temeritatem ſuam percuſſi fuiſſent à Domino repentina morte: *Expoſtulauit Moyſes poſtridie contra Eleaſar & Ithamar fratres eorum, cur non comediſſent hoſtiam pro peccato, in loco ſancto, quæ data erat eis, vt portarent peccatum multitudinis, & rogarent pro ea in conſpectu Domini? Cui Aaron pro filiis reſpondens ait, Mihi accidit quod vides*, (ſci-

licet filiorum duorum repentinus interitus) *quomodo potui comedere hoſtiam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cùm audiiſſet Moyſes, accepit ſatisfactionem.* Ea eſt Dei benignitas, vt infirmitatis humanæ facilè miſereatur. Præcepta ſua affirmatiua voluit quidem nos obligare ſemper, at non pro ſemper: etſi noui Teſtamenti incruentam hoſtiam præceperit ſuis Sacerdotibus frequenter immolare, reum tamen non tenet præuaricationis, qui non ex neglectu officij, vel ſacrificij contemptu, at aliqua de cauſa rationabili diſtulerit pro aliquo tempore oblationem. Legitimum enim impedimentum excuſat à peccato, Cap. *Ordinarij.* Cap. *quod ſi forte.* de officio ord. lib. 6. Porrò cùm vitæ humanæ varij ſint euentus, nonnulli plerumque occurrunt, etiam pio Sacerdoti, & officio ſuo fungi piè & purè deſideranti, quibus miniſterium ſuum, hac in parte præſertim, implere præpeditur.

Quòd ſi quæras quænam ſint illa incommoda quæ pro impedimentis legitimis hac in re cenſeri debent? Reſpondeo, diuerſa eſſe, v. g Siquis excommunicationis vinculo obſtrictus eſt, aut tenetur pœna canonicæ ſuſpenſionis vel interdicti, debet quidem quantocyùs potuerit abſolutionem ſuam petere, & procurare modis omnibus quibus neceſſe eſt & conuenit: at interim abſtinere. Item ſiquis eſt in carcere, & in vinculis tum priuatis, tum publicis detinetur, quandiu in hoc ſtatu eſt excuſatur à ſacro faciendo. At ſi per carceris cuſtodem non cohibetur munus diuinum peragere, illique oratorium cum altare, calice, & toto apparatu ſacro exhibetur, miniſtérque etiam qui ſuffragetur, dubium videri poteſt, an data hac opportunitate in die Dominica vel feſto ſolenni Sacerdos carceri mancipatus celebrare poſſit aut debeat? Diſtinguendum puto, nam ſi ab hæreticis, vel ſchiſmaticis odio religionis vel ordinis hanc captiuitatem patitur, data hac occaſione vti poteſt, imò, ſi poteſt commodè & ſine periculo, vti debet: Sic enim ſancti Martyres, & nominatim S. Dionyſius ſacrum celebrauit in carcere, gratúmque fuit Domino illius ſacrificium, qui diuina manu ſua illi corpus ſuum pretioſum impertiuit. At ſi pro quouis crimine in vincula coniectus eſt, abſtinere tum debere non dubium eſt, quia Sacerdos & Pontifex ſine crimine eſſe debet. Locum hîc igitur habet ſingulare S. Petri monitum, *Nemo veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine.* (*1. Pet. 4. 16.*) Porrò ſi Sacerdos ſit liber & à cenſura quauis immunis, nec ſibi conſcius eſt grauis peccati: aut ſi conſcius, tamen vult & poteſt commodè ſua hoc tempore peccata Sacramentaliter confiteri, Sacerdoti Catholico non itidem ſuſpenſo, vel interdicto: At locus vbi exiſtit interdictus eſt, niſi priuilegium habeat, excuſatur à ſacro faciendo. Qui præterea graui aliquo negotio, pio tamen aut iuſto occupatur, quod in aliud tempus differri nequit ſine diſpendio non leui. Aut ſi Eccleſiæ, vel Reipublicæ cauſa impeditur, vbi eius cura & opera, quin & præſentia neceſſaria eſt,

eſt, valet tum excuſatio. Item ſi ita ægrotat, vt probi piíque medici iudicio nequeat ſine periculo grauioris infirmitatis Miſſam celebrare, ſine ſcrupulo peccati abſtinere poteſt tamdiu, quandiu medicus cenſuerit abſtinendum. Item tempore hoſtilitatis quum periculum impendit Sacerdoti, vel mortis, vel captiuitatis, vel grauis cuiuſpiam incommodi, fas tum ei eſt ſibi prudenter conſulere, nam perſecutionis tempore ſancti Cyprianus & Athanaſius latebras quæſierunt, híque pro fuga ſua, inſignem Apologiam ſcripſit, qua factum hoc ſuum iuſtitiæ, pietatis, ac neceſſitatis titulo tueretur: & quæ inſuper in caſu conſimili, monimentò ad poſteros permaneret. Alia ſunt legitima impedimenta, quæ iudicio boni viri relinquenda ſunt, propter quæ Sacerdos ab exequendo ſacro munere iis diebus quibus hoc fungi de præcepto tenetur, licitè abſtinere poteſt. Sed his ceſſantibus, memor ſit inſignis huius ſententiæ B. Epiphanij *, iam præſignatæ, officij eſſe Sacerdotis, *Laborare in hac parte miniſterij, Quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.*

* *Apud S. Hieronymum ep. 60. circa med. Tom. 2.*

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS

PARTIS POSTREMÆ

LIBER II.

DE MVNERE BENEDICENDI.

Ex Pontif. Rom. Tit. de Ordine Preſbyteri, in admonitione ad ordinandos:

OPORTET SACERDOTEM BENEDICERE.

CAPVT PRIMVM.

Diuerſa verbi, benedicere, ſecundùm ſacram Scripturam acceptio.

BENEDICERE generaliter loquendo, haud aliud inſinuat, quàm bene ominari, fauſta precari, & animi fauorem, ſtudiúmque iuuandi declarare: aut laudando & glorificando, beare vel beatificare. Hinc apud Hebræos ברכה *Beracha*, à verbo *Barac*, ברך, precatus eſt, benedixit, beatum prædicauit, deriuatur. Attamen *Barac*, eſt in lingua ſacra verbum medium: ſumitur etenim in vtramque partem, adeo vt non ſolùm beatificare, aut glorificare, ſed etiam aliquando maledicere ſignificet; in quo vſu ancipiti eſt peculiaris Hebraiſmus, & εὐφημισμὸς quando rem infauſtam, modeſta voce, vel ἀντιφραστικῶς exprimimus; ſic maledicere, benedicere dicunt Hebræi, ne vocis aſperitas ſit auribus offendiculo. Vt dolo impiæ Iezabelis, Nabot viro innoxio imponitur, quòd *benedixerit Deo & Regi*. 4. Reg. 21. 13. id eſt ea pronunciauerit quæ propter dicti

horrorem ſilentio ſint obruenda. ſic & Iob c. 1. *Diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis filiis, dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Et c. 2. Satan ait de Iob ad Deum, *Mitte manum tuam & tange os eius & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi,* id eſt per antiphraſim, maledicta etiam contra te ipſum proferet. At rarò in ſacris Scripturis verbum benedicere, in ſequiorem illam partem vertitur: ſed ferè ſemper vſurpatur in illo bono ſignificatu, quem initio expreſſimus.

Hoc igitur in ſenſu, multiplex in Scripturis ſacris reperitur benedictio: Ea videlicet qua Deus benedicit homini, cùm, quoad naturam, Geneſis 1. *Maſculum & fœminam creauit eos, benedixítque illis Deus, & ait,* ℣. 27. *Creſcite & multiplicamini & replete terram.* Et c. 9. 1. *Benedixítque Deus Noë & filiis eius &c.* Et Pſ. 131. *Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.* tum quoad gratiam, vnde Apoſtolus Epheſ. 1. *Benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto Ieſu.* Et ea, qua homo, ex debito gratitudinis Deo benedicit, ſecundùm quam ait Propheta Pſ. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus eius in ore meo.* Datur & tertia benedictionis ſpecies, qua ſcilicet homo benedicit homini. Sic Leuit. 9. *Extendit Aaron manus ſuas ad populum, & benedixit eis.* Quarta eſt alia, qua frugibus & inanimatis rebus Deus hominis intuitu benedicit. De hac Iſaac dicit ad Iacob, Geneſ. 37. 27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et ad Eſau; *In pinguedine terræ & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* ℣. 40. Ita & Chriſtus vt turbam paſceret in deſerto, panes & piſces benedixit, ſuáque hac illos benedictione multiplicauit. *Matt. 14. 19.* Denique alia eſt benedictio, qua res vel Dei cultui, vel hominum vſui ſolatióque deſtinatas, Sacerdos diuino nomine benedicit: hanc ſpectat illud Apoſtoli, *Omnis creatura ſanctificatur verbo Dei & oratione,* 1. Timoth. 4. 5. Cæterùm de benedictione Sacerdotali, qua vel Deum Sacerdos benedicit & glorificat, vel hominibus benedicit, vel creaturas alias ſanctificat, hic agere, ex opuſculi huius proprio inſtituto, diuina aſpirante gratia, ſine qua nihil ſum, nihil poſſum, quo decet ordine conſtitui.

CAPVT II.

Ordinari Sacerdotem ad benedicendum.

SACERDOTIO & regno, omnia quæ in mundo ſunt adminiſtrari, Deum voluiſſe, rectè dudum Gelaſius Papa ad Imperatorem Anaſtaſium ſcripſit, can. *Duo ſunt,* diſt. 96. c. 10. adeo vt quæ diuina & ſpiritualia ſunt, per ſolos Sacerdotes; quæ verò humana & temporalia, per Reges tantùm, ſeu ſæculares principes, gubernari, diuina ipſa prouidentia (quæ omnia cum ordine facit) per-

peti lege conſtituerit; ſiquidem vt ſapiens quidam poſtremæ huius ætatis non inconcinnè cecinit.

Vide Lib. noſtrũ de Epiſcopali Monogam. part. 2. cauſa 10. & vlt. p. 352.

Cæſaris haud eadem fateor, quæ munera Petri,
Diſtinctique Iouem dirimunt à principe faſces,
Vna nec imperij in Clerum populúmque poteſtas:
Sed quia ſtat geminis fultum diadema columnis,
Religione ac iuſtitia, in ſuperóſque viróſque:
Sacra Sacerdoti curanda, Politica Regi;
Vt canonum hic cuſtos ſit, quorum conditor ille, &c.
Mutuo vt auxilio ſubiectæ commoda gentis
Curent, communem & foueant hinc inde ſalutem.

Pietate Sacerdos, Rex iuſtitiâ, ſacra & ciuilia gubernacula moderantur. Hinc ille ſtolâ venerabilis eſt, iſte gladio terribilis & metuendus exiſtit. De Rege enim ſcribit Apoſtolus ad Rom. 13. 3. *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.* Ideo Rex cùm coronatur, vngitur in brachio dextro inter iuncturam manus, & iuncturam cubiti, atque inter ſcapulas: *Vt ſit* (ſicut orat inaugurator Pontifex) *fortis, iuſtus & indefeſſus regni gubernator, impiorum expugnator, iuſtitiæ cultor, meritorum & demeritorum remunerator.* Ideo cùm Pontifex, Regi euaginatum de altari gladium tradit, eum ſic affatur: *Accipe gladium de altari ſumptum, per noſtras manus licèt indignas, vice tamen & auctoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratum, tibi regaliter conceſſum, noſtraque benedictionis officio, in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ, diuinitùs ordinatum &c. vt in hoc per eandem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam, eiúſque fideles propugnes & protegas, nec minùs ſub fide falſos, quàm Chriſtiani nominis hoſtes execres ac diſpergas, viduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerues, vlciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenùs hæc agendo virtutum triumpho glorioſus, iuſtitiæque cultor egregius, cum mundi ſaluatore ſine fine regnare merearis,* &c. Suſcipit igitur Princeps gladium à Deo, ad pugnandum, ad puniendum; Dei enim miniſter eſt, vindex in iram eis qui malum agunt.

At Sacerdos non eſt Dei miniſter in iram, ſed pacis, gratiæ, veniæ, & miſericordiæ impetrator, nuncius & diſpenſator: *Sacerdotis officium* (inquit ſanctus Ambroſius lib. de viduis) *officium eſt Spiritus ſancti*; ſiquidem *Spiritus* ſanctus *adiuuat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. 17. ſic & Sacerdos *conſtituitur pro hominibus in iis quæ ad Deum ſunt, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant.* Quoniam eſt vicarius amoris Chriſti erga homines; ideo Sacerdotis opera (ait S. Gregorius) debent charitate decorari: nec magis pudicitia fœminam ornat, quàm manſuetudo Sacerdotem. *Non pugnamus*, (ait magnus Ambroſius ad Valentinianum Auguſtum) *ſed oramus, arma Sacerdo-*

Heb. 5. 1. 2.

tum lacrymæ ſunt, quas pro ſuis & populi delictis, debent cum gemitu columbæ coram Deo indeſinenter profundere. Omnis Sacerdotis petitio debet eſſe poſtulatio pietatis, ſollicitatio diuinæ gratiæ & miſericordiæ, humanæque miſeriæ ſolatium; idcirco manus eius gladio non armatur, ſed oleo miſericordiæ vngitur. Audiatis Epiſcopum ordinantem Sacerdotem, cùm ambas eius manus inungit, hunc in modum ait & orat: *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine, manus iſtas, per iſtam vnctionem & noſtram bene† dictionem, Amen.* productóque manu dextera, ſignaculo crucis ſuper manus ordinãdi, ſic proſequitur: *Vt quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque conſecrauerint, conſecrentur & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.* Primarium igitur munus Sacerdotis eſt benedictio: quam per benedictionem, omnia quæ diuina auctoritate agit, ſemper & vbique operatur, hoc igitur ad eum, oraculum ſpectat, Num. 23. *Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.* Neceſſe eſt enim ex ſuſcepto officio, vt Sacerdos benedicat, quia eſt non modò organum diuinæ omnipotentiæ, ſed & exceptorium, alueúſque totius in nos eius bonitatis. Præclarè hoc pridem enunciauit S. Proſper, ex cuius aureis planè dictis ſexta Synodus Pariſienſis, ſub Ludouico Pio habita, excelſa Sacerdotij præconia, c. 11. his verbis perpetua dignis memoria promulgauit: *Sed & hoc illis, filiis vtique & proceribus veſtris, ad memoriam reducendum eſt, qualiter B. Proſper in libro quem de contemplatiua & actuali vita ſcripſit, laudem Sacerdotum comprehenderit; ipſis enim, inquit, id eſt Sacerdotibus, propria animarum curandarum ſollicitudo commiſſa eſt, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter inſtruentes, pro peccatis ouium, velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo, vt velut quondam Aaron incenſum contriti cordis & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertant iram futuræ animaduerſionis à populo. Qui poſt diuinam gratiam, diuinæ voluntatis fiunt indices, Eccleſiarum Dei poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles &c. Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cæleſtium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium: ipſi ſunt decus Eccleſiæ, in quibus ampliùs fulget Eccleſia; ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium, ipſi ianuæ ciuitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Chriſtum, ipſi ianitores quibus datæ ſunt claues regni cælorum.* Inſigne eſt quod Beatiſſimæ Virgini Deiparæ tribuit S. Bernardus ſerm. 3. de Vigilia Natiuitatis Domini, prorſúſque memorabile elogium: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.* Cui ſuccinit & illud Richardi à ſancto Victore: *Nihil à throno Dei diuini muneris d fluit aut deſcendit, quod per Mariæ manus non pertranſierit.* Quia ſcilicet Virgo benedicta in æternum, de ſuis caſtiſſimis viſceribus Deum nobis protulit, & hominem. Quo vno ſingulari munere, omnia nobis protulit diuinæ in nos largitatis beneficia. Liceat dicta hæc ad noſtrum propoſitum parumper inflectere. Nihil nos Deus habere voluit, quod per Sacerdotum manus (quæ ſuæ in nos munificentiæ & omnis benedictionis organa

Pontificale Rom. in ordinat. Presbyt.

ſunt) tanquam per cœleſtes alueos, non tranſiret. *Sic nos* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 4.) *exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Vbi vulgata habet, *diſpenſator*, in Græco exemplari eſt *œconomus*, qui domini ſui curam domûs habens, in ea omnia regit, diſtribuit, ordinat, quin & donat, aut relaxat ad heri beneplacitum, domeſticorúmque opem & ſolatium. Sic vult Spiritus ſanctus, qui fons viuus eſt omnis gratiæ & benedictionis, ſua per Sacer-
2.Cor.5. dotes, œconomos vtique ſuos, munera diſpenſari. *Poſuit* enim *in ipſis verbum reconciliationis*; id eſt miniſterium omnis gratiæ & ſalutis.

CAPVT III.

Primarium eſſe munus Sacerdotis, Deo benedicere.

SACERDOTVM in veteri lege pleraque erant officia, v. g. 1. Olea conſeruare, quorum nonnulla pro lucernis Sanctuarij, alia pro vnctionibus ſacris vſui erant, Num. 4. 2. Vaſorum curam gerere, quibus in tabernaculum vtebantur, ibidem. 3. Quotidie vnà cum Sacerdote magno, incenſum offerre ſuper altare thymiamatis; & abſque Pontifice etiam ſuper altare holocauſti. Num. 4. & 1. Paralip. 6. & 26. 4. Quotidiana offerre ſacrificia, Num. 4. 5. Siquando pro populo vel priuatis perſonis præter conſuetum ordinem, offerendum eſſet ſacrificium, illud offerre. Leuit. 17. 2. Paralip. 29. 6. Sacrificia facere quæ pro ſingulis feſtis præſcripta erant, vt ex Scripturis obſeruauit Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico. 7. Clangere tubis, cymbaliſque perſonare diuina præconia, Num. 10. 8. *Filij autem Aaron Sacerdotes clangent tubis, eritque hoc legitimum ſempiternum.* Et infrà: *Canetis tubis ſuper holocauſtis & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri, Ego ſum Dominus Deus veſter.* Et Num. 29. 1. *Menſis etiam ſeptimi prima dies venerabitur & ſancta erit vobis, quia dies eſt clangoris & tubarum, offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauitatis.* 1. Paralip. 15. 24. *Sacerdotes clangebant tubis coram arca Dei;* Et 2. Par. 7. *Porro Sacerdotes canebant tubis* &c. cunctúſque Iſraël ſtabat. Et c. 13. *Clamauit* (Iuda) *ad Dominum, ac Sacerdotes tubis canere cœperunt.* Hîc verò quis fortè percontabitur, cur tot diuini Codicis locis, Spiritus ſanctus notatum eſſe voluerit, munus hoc proprium fuiſſe Sacerdotum, tubis clangere in ſacrificiis & reliquo cultu diuino? At euidens eſt obſeruationis huius ratio: ſic ſcilicet placuiſſe Spiritui ſancto, ad ſignifican-
Hebr.5. dum, Sacerdotes eſſe organa diuinæ glorificationis, ſicque *ex hominibus aſſumptos, & conſtitutos pro hominibus in iis quæ ad Deum ſunt vt offerant dona, & ſacrificia pro peccatis*; vt meminerint ſe etiam diuinis præconiis eſſe præfectos, vt laude ſcilicet & glorificatione perpetua Deum colere & venerari puro ore & deuota mente, pro iniuncto officio, ſedulò recordentur.

De hac Sacerdotum obligatione diſſeruimus non ita diu luculen-

ter in opere noſtro nondum typis edito *De horis Canonicis :* Quamobrem hîc fore ſuperfluum puto, de iis iteratò tractare ; paucula duntaxat analecta hîc ſubiunctum ire, haud abs re futurum arbitror.

Libro præcedenti quo de ſacrificandi officio pertractauimus, Miſſæ ſacrificium eſſe non modò propitiatorium & impetratorium, ſed etiam latreuticum & euchariſticum planè, copioſéque demonſtrauimus : quod ſcilicet eo fine inſtitutum ſit, vt per id officij ſupremus Deo cultus latriæ, à Sacerdotibus pro omni humano genere exhibeatur, ſimúlque honor & gloria eius Maieſtati per ipſum laudis ſacrificium rependatur, religione perpetua. Hoc autem officium ſolis Sacerdotibus, id eſt Epiſcopis & Preſbyteris ritè ordinatis, diuina inſtitutione fuiſſe attributum, eodem libro de ſacrificio, vbi de eius miniſtro tractatum eſt, oſtendimus. Huic dogmati ſubſcribunt Patres; S. Clemens lib. 3. Conſtitut. Apoſtol. c. 10. *Immò* (inquit) *neque laico permittimus facere aliquod opus Sacerdotale, vt ſacrificium, &c.* Et paulò pòſt, *huiuſmodi autem gratia per impoſitionem manuum Epiſcopi datur: Qui verò non eſt ad eam electus, ſeu potiùs eam ſibi rapuit, hic ſupplicio Oziæ afficietur.* Tertullianus de exhortatione caſtitatis c. 7. *Differentiam* (inquit) *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo,* vbi Eccleſiaſtici ſtatus & ordinis *eſt conſeſſus, offert & tinguit Sacerdos ipſe ſolus.* S. Fabianus Papa & Martyr ep. 2. *Sacerdotes quoque ſibi Dominus elegit, vt ei ſacrificent & offerant oblationes Domino; Leuitas quoque ſub eis eſſe iuſſit in miniſteriis eorum.* S. Cyprianus ep. 60. ad Cæcilium; *Nam ſi Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: Vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod fecit Chriſtus imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Prima Synodus Oecumenica, Nicena ſcilicet, c. 18. ſic congruenter decernit; *Peruenit ad ſanctam Synodum quòd in nonnullis locis, & ciuitatibus Diaconi dant Preſbyteris Euchariſtiam, quod neque canon, neque conſuetudo tradidit, vt qui offerendi poteſtatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Chriſti.* Huc ſpectat & illud S. Hieronymi, faſtum Diaconorum ſe perperam extollentium ſupra Preſbyteros retundentis: *Quid habet menſarum & viduarum miniſter, vt ſuper eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces corpus ſanguíſque Chriſti conficitur?* S. Epiphanius ep. 60. apud eundem S. Hieronymum, qua rationem reddit Ioanni Hieroſolymitano Epiſcopo, de Paulino à ſe ordinato Sacerdote, in Monaſterio quo ipſe B. Hieronymus degebat; *Quia* (ait) *ſancti Preſbyteri Hieronymus & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini ſuo* (id eſt officio Sacerdotali) *exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterij, quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.* Hac ex conſtanti doctrina & fide Eccleſiæ aduerſus hæreticos neotericos, hic anathematiſmus prodiit à poſtrema Synodo Oecumenica pronunciatus, ſeſſ. 22. Can. 2. *Siquis dixerit*

illîs verbîs, hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinâſſe vt ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, Anathema ſit. Iam anni 500. effluxerunt ex quo Petrobruſſiani hæretici, horum recentiorum prodromi & præcurſores, Miſſæ ſacrificium ſubmotum ire efflictim tentauerunt. Contra hos ſcripſit aculeatum tractatum pro ſacrificij ipſius piis ac neceſſariis vindiciis, Petrus cognomento Venerabilis, Cluniacenſis Abbas, in quo inter cætera præclara, piè, grauiter, ac inſigniter ait, *Eos qui tollere diuinum hoc ſacrificium nitebantur, hoc facere diabolo ſuggerente, vt gens illa* (Chriſtiana videlicet) *præ cæteris omnibus, Deo ſit ingrata, quæ ab eo plura & potiora beneficia accepit.* Sacrificium enim hoc inter cæteros fines propter quos inſtitutum eſt à Chriſto, eò maximè ſpectat, ne genus humanum de innumeris & immenſis à Deo per Chriſtum nobis collatis beneficiis, ingratum ſit: ſed pro iis debitas diuinæ Maieſtati referat gratiarum actiones, laudéſque immortales per hanc incruentam hoſtiam rependat. Eapropter Euangeliſtæ in inſtitutione huius Sacramenti expreſsè ſignant, Dominum gratias agendo Patri Euchariſtiam conſecrâſſe, & prout fecerat, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus præcepiſſe vt facerent. Ideo in ipſo canone Sacerdos diſertè profitetur ſe offerre Deo hoc ſacrificium laudis, pro vniuerſa Eccleſia ſancta Dei: quin & ſolenni præconio quod Præfationem vocitamus, Gratiarum laudes Sacerdos, priuſquàm diuinam ordiatur actionem, Deo refert. *Gratias agamus Domino Deo noſtro*; Excitatíſque inſigni documento fidelibus, Angelos ad idem ſacrum munus inuitat, quin potiùs ſuas eorum canticis adiungi precatur pias voces. *Per quem* (Chriſtum ſcilicet Dominum noſtrum) *maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates: Cœli cœlorúmque virtutes ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant: Cum quibus & noſtras voces vt admitti iubeas deprecamur ſupplici confeſſione dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Nec ad has laudes proſequendas audet Clerus, nec populus, concurrere, niſi præeunte & præcinente Preſbytero, qui ſcilicet Chriſti non modò manus eſt, ſed vox quoque, quin & ipſum os ſacratiſſimum. Hinc S. Chryſoſtomus hom. 69. ad populum Antiochenum: *Verùm & tu laice* (ait) *cùm videris Sacerdotem offerentem, ne vt Sacerdotem putes eſſe hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* Et hom. de proditione Iudæ, *Non homo eſt* (inquit) *qui propoſita in menſa Domini, conſecratione corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui pro nobis crucifixus eſt, Sacerdotis ore verba profert, ſuáque virtute conſecrat & gratia.* Nec minùs verè quàm eleganter S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico, Sacerdotis enarrans dignitatem; *Sacerdotem* (ait) *cum Angelis ſtare, cum Archangelis Deum glorificare, ad ſupernum altare ſacrificia tranſmittere, & cum Chriſto ſacrificio fungi.* Quod verbum mirum quidem, ſed prorſus verum eſt, vt ſuperiori libro, palam feciſſe propriô locô, non me fugit.

CAPVT IV.

Sacerdotem benedicere populo, vice Chriſti.

INSCITE & perperàm prorſus hæretici nuperi blaterant, Paulum Apoſtolum in Epiſtola ad Heb. ſacrificij Melchiſedech nullam expreſſiſſe mentionem: finis enim ſacrificij diuina eſt & humana benedictio; Dei, inquam, glorificatio & cultus, hominis autem inde ſequens ſanctificatio & beatificatio. Paucis verbis vtrumque reperiri in Sacerdotio Melchiſedech, Apoſtolus c. 7. Epiſtolæ ipſius ad Hebræos inſinuat: *Hic enim Melchiſedech*, inquit, *Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei &c. Sine autem contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur.* In codice Græco κρείττονος maiore, digniore, præſtantiore. A benedictione igitur quam Abrahæ Melchiſedech impertiuit, non ſolùm Apoſtolus infert, & eius ordinis decus & eiuſdem perſonæ præcellentiam: ſed inſuper effectum eius ſacrificij hanc benedictionem fuiſſe ſubſequenter declarat; Chriſti fuit figura Melchiſedech, *aſſimilatus* (ait Apoſtolus) *filio Dei*. Ad quem ideo Pater æternus dicit per Prophetam; *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; Qui ſcilicet Sacerdos fuit Dei ſummi, qui panem & vinum obtulit, qui Abraham benedixit: *Sed quis magis Sacerdos Dei ſummi*, (inquit S. Cyprianus ep. ad Cæcilium, lib. 2. ep. 3.) *quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad noſtrum populum pertinebat.* Quamobrem Chriſtus poſt peractum tam cruentum quàm incruentum ſacrificium ſuum, cùm victor ad gloriam Patris aſcenderet, Eccleſiam ſuam in ſuis diſcipulis benedixit: *Eleuatis manibus benedixit illis, & ferebatur in cœlum.* Luc 24. 50. Vicem Chriſti obeunt Sacerdotes, quibus ideo munus benedicendi populum in Chriſti nomine diuinitùs conceſſum, Eccleſia ſemper agnouit & ſuſpexit.

Heb. 7. 1. 7. 8. Geneſ. 14. 19.

Heb. 7. 3. Pſal. 109.

CAPVT V.

De iis perſonis, quibus ex officio Presbyter benedicit.

ARTICVLVS I.

De Catechumenis adultis, & regenerandis infantibus.

BENEDICTIONES & conſecrationes cum crucis ſaluiferæ ſignaculo conſueuiſſe iam olim adoleſcente adhuc Eccleſia, fieri & impertiri, in ipſo ferè limine libri noſtri *de ſacro ritu præferendi crucem maioribus Eccleſiæ Prælatis* propalauimus. Baptiſmus eſt ianua ſalutis. Porro in Sacramenti huius præludiis, ipſóque myſterio peragendo, morem ab initio vſuueniſſe, vt Preſbyteri benedicerent, ſeu ſigno crucis conſignarent Chriſtianiſmi candidatos, res eſt tam certa, quàm certiſſima. In Actis S. Benigni Preſbyteri & Martyris, quem S. Polycarpus S. Ioannis Apoſtoli præcipuus diſcipulus, ab Oriente in Galliam ad fidem Chriſti propagandam miſit, legitur de eo ad Aurelium Imperatorem, titulo accuſationis, fuiſſe relatum: *Tonſum vertice hominem, veſte peregrina Diuionem veniſſe, illícque nouos ſpargere mores, Deorum ſacra execrari, auitas cærimonias inſectari, magicis artibus populum dementare, abductúmque à religione Maiorum, ad nouos ritus cultúmque crucifixi hominis, quem Deum vnicum prædicat, quotidie traducere, audientes abluere aqua, balſamo linire, cruce ſignare, ac in cœtum vocatos ritibus initiare incognitis.* Ritus hic etiamnùm Apoſtolicus perſeuerat, vt Preſbyteri adultos baptiſmum poſtulantes Sacerdotali benedictione præmuniant; ſic enim poſt interrogationem de Symbolo, Sacerdos Catechumeno dicit: *Accipe ſignum crucis tam in fronte, quàm in corde; &c.* ſubindéque orat, *Te deprecor Domine ſancte Pater omnipotens, vt huic famulo tuo viam veritatis & agnitionis tuæ iubeas demonſtrari, quatenùs reſeratis oculis cordis ſui, te vnum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre & Spiritu ſancto recognoſcat, atque huius confeſſionis fructum hîc & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Deinde ſignat illum ſigno crucis cum pollice in fronte, dicens, *Signo tibi frontem †, vt ſuſcipias crucem Domini.* In auribus; *Signo tibi aures †, vt audias diuina præcepta.* In oculis, *Signo tibi oculos †, vt videas claritatem Dei.* In naribus, *Signo tibi nares †, vt ſuauitatem odoris Chriſti ſentias.* In ore, *Signo tibi os †, vt loquaris verba vitæ.* In pectore, *Signo tibi pectus †, vt credas in Deum.* In ſcapulis, *Signo tibi ſcapulas †, vt ſuſcipias iugum ſeruitutis eius.* In toto corpore, illud non tangens, manu producit ſignum crucis, & dicit, *Signo te totum, in nomine † Patris, & † Filij, & † Spiritus ſancti, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum.*

Ex Rituali Rom. tit. de Sacramento Baptiſmi.

Infantes pariter cum benedictione excipit Sacerdos, exemplo Domini noſtri Ieſu Chriſti, de quo Marc. 10. 14. 15. *Sinite paruulos* (dice-

bat diſcipulis ſuis) *venire ad me, & ne prohibeatis eos, talium eſt enim regnum Dei &c. Et complexus eos & imponens manus ſuper illos benedicebat eos.* Sic Sacerdos oblatum ſibi infantem ad baptizandum ſuſcipit, conſignans eum ſigno crucis in fronte & in pectore, móxque eum diuinæ pietati fuſa prece commendans, expleto baptiſmo eum cum hac benedictione dimittit, *Vade in pace, & Dominus ſit tecum.*

ARTICVLVS II.
De Energumenis.

CANON ille Eliberitani Concilij rigidior pleriſque viris doctis & piis viſus eſt, quo ad altare ſuſcipi Energumenorum oblatio, aut nomen recitari prohibetur. c. 29. *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen, neque ad altare cum oblatione eſſe recitandum.* Attamen tempore Apoſtolorum pro iis ad altare fiebant preces ſpecialiter: nam apud S. Clementem lib. 8. Conſt. Apoſt. c. 8. extat propria obſecratio pro energumenis in ipſo ſacrificio recitanda. Benignior fuit circa hos afflictos, Gallicana quàm Hiſpanica Eccleſia, ſiquidem in Arauſicano I. Concilio c. 14. eos iuuari poſſe non ſolùm orationibus, ſed & ſacra communione indulgetur. Ita enim ſtatuit antiqua illa Synodus. *Energumeni iam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimodè communicent, Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum quo infeſtantur, vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior.* Quin & baptiſmo regenerandos, decernit, ſi petierint, qui iam erant Catechumeni. c. 15. *Energumenis Catechumenis inquantum, vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.* Porrò liberandos & expurgandos eſſe Sacerdotalibus precibus, exorciſmis, & benedictionibus docet & decernit ſuo in Rituali Romana Eccleſia, tit. *de exorcizandis obſeſſis à dæmonio.* Quos in ipſo Exorciſmi limine per crucis ſignaculum benedictione muniendos, ſacra ipſa praxis præſcribit; dicit igitur Sacerdos: *Deus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formaſti, reſpice ſuper hunc famulum tuum &c. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacéſque eius inſidias amoue, procul impius tentator aufugiat;* (in fronte) *ſit nominis tui ſigno † famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore.* Tum facit ſuper eius pectus tres cruces dicendo, *Tu pectoris huius † interna cuſtodias; tu viſcera † regas: tu cor † confirmes, &c. Da Domine ad hanc inuocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam.* Subinde verò exorciſmos omnes, editis paſſim crucis ſignaculis peragit, & liberatione obſeſſi demum impetratâ, hac prece qua diuinam ſuper liberatum hominem petit effundi benedictionem, totam hanc ſacram actionem concludit; *Oramus te omnipotens Deus, vt ſpiritus iniquitatis ampliùs non habeat poteſtatem in hoc famulo tuo, ſed vt fugiat, & non reuertatur. Ingrediatur in eum Domine te iubente bonitas, & pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem redempti ſumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiſcum eſt: Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

ARTICVLVS III.

De Pœnitentibus.

PRESBYTERIS *aduolui, aris Dei adgeniculari*, iam olim in primitiua Eccleſia conſueuiſſe pœnitentes, magnus Tertullianus commemorat. Huius obſeruantiæ patens manet indicium in veteri ordine Romano, in ordine *Feriæ 4. in capite ieiunij Quadrageſ.* vbi ſic pœnitens ſuam confeſſionem exorditur, *Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ, tibique bone, & benigne Ieſu Chriſte vnà cum ſancto Spiritu, coram ſanctis Angelis tuis, & coram Sanctis tuis, coram hoc altari, & Sacerdote tuo.* Nec excidit adhuc mos iſte à praxi communi Eccleſiæ, ſiquidem pœnitens proſtratus ante Sacerdotem, in Eccleſia pro tribunali ſedentem, primùm omnium benedictionem ab eo expoſcit, ait ſiquidem: *Benedic pater quia peccaui.* Tum verò Sacerdos dicit, *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, vt verè & integrè confitearis omnia peccata tua, in nomine Patris † & Filij † & Spiritus ſancti †*, manu producens ſignum crucis ſuper caput pœnitentis. In citato ordine Rom. poſt auditam pœnitentis confeſſionem & datam ei à Sacerdote abſolutionem ſingularem, aſpergebat eum Sacerdos aqua benedicta & ſuffumigabat incenſo: quo putores peccati diſcuſſos, & abſterſas animæ labes, diuinæ gratiæ roris influxu ſignificaretur, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 6. 11. *Et hæc quidem fuiſtis aliquando, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.*

Tom. 10. Bibl. SS. PP. col. 28.

ARTICVLVS IV.

De coniugio copulandis.

HIC grauem illam quæſtionem de Miniſtro Matrimonij diſcutiendam non ſuſcipio, *an ſit Sacerdos, vel mutuò contrahentes?* Hanc enim poſt Concilium Tridentinum agitare, videtur iam non licere, cùm Theologi ex doctrina ipſius Concilij certum eſſe eliciant, materiam, formam & miniſtrum eo in Sacramento concurrere: Proinde Sacramenti ipſius, Sacerdotem etiamſi benedictionem coniugibus nuptialem impertiatur, non eſſe propriè miniſtrum. Ab hac communi & paſſim iam ferè recepta ſententia diſceſſum ire nolim, etiamſi Canoniſtæ conglobatim refragentur. Ac ex Theologis Scholaſticis Melchior Canus Doctor percelebris lib. 8. de locis Theologicis, exertis viribus contendat illorum placitum aſſerere ac tueri, tam à ſacræ Scripturæ auctoritate, quàm Patrum conſenſu, veteribúſque ſummorum Pontificum decretis, inſigniorúmque aliquot Theologorum antiquorum ſuffragiis, & multiplici ratione Theologica. Quibus omnibus argumentis magnus Cardinalis Bellarminus doctè & accuratè reſpondit: quamuis, niſi præualeret Concilij generalis auctoritas, Melchioris Cani rationibûs, Bellarmini ſolutiones haud ſolidas & irrefragabiles vndequaque eſſe, forſitan poſſet euinci.

Seſſ. 24. in decreto de Matrimonio.

At hoc non intendo, ſed præſtituta illius ſententiæ quam ex Concilij oraculis deducit Theologorum Schola, firmitate; ad noſtri lemmatis oſtenſionem, quæ loci huius propria eſt, vltro progredior.*

Perpetua conſtánſque Patrum eſt ſententia, ad legitimum inter Chriſtianos matrimonium conſtituendum, benedictionem Sacerdotalem deſiderari. In geſtis S Matthæi Apoſtoli proditum eſt, ipſum Apoſtolum *teſtificatum eſſe populo, has eſſe nuptias Deo charas, quæ per benedictionem Sacerdotis conſecrantur.* Et in geſtis S. Thomæ legitur, ipſum ad petitionem Indiæ Regis, ſponſo & ſponſæ in thalamo benedictionem nuptialem contuliſſe. Sed miſſis his exemplis quæ authentico teſtimonio non nituntur, cùm Abdiæ hiſtoria apocrypha cenſeatur, eandem doctrinam certis Patrum teſtimoniis & Conciliorum ac Pontificum decretis peruium eſt certam & indubitatam oſtendere. Sanè Tertullianus lib. 2. ad vxorem circa extremum, diſciplina & praxi Eccleſiæ edoctus, ita ſcribit, *Vnde ſufficiam ad enarrandam felicitatem matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant?* Canon Euariſti Papæ & Martyris in Codicem iuris ſacri relatus, c. *Legitimum*, diſt. 35. hoc expreſſius confirmat, *Aliter legitimum (vt à Patribus accepimus, & à ſanctis Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus traditum inuenimus) non fit coniugium, niſi ab iis qui ſuper ipſam fœminam dominationem videntur habere, & à quibus cuſtoditur vxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore Sacerdotaliter, vt mos eſt, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Moris huius teſtis eſt etiam ſanctus Ambroſius lib. 3. in Luc. c. 3. ſed & in Conc. IV. Carthag. cui interfuit ſanctus Auguſtinus, idem ritus ſeruandus præcipitur c. 13. his verbis, *Sponſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel à paranymphis offerantur, qui cùm benedictionem acceperint, ea nocte pro reuerentia huius benedictionis in virginitate permaneant.* Innocentius I. qui hoc ipſo tempore vniuerſali Eccleſiæ præſidebat, ep. 2. ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem c. 6 benedictionis huius Sacerdotalis originem diuinam eſſe oſtendit. *In paradiſo* (inquit) *cùm parentes humani generis coniungerentur, ab ipſo Domino ſunt benedicti. Hanc formam etiam ſeruare Sacerdotes omnes, vſus ipſe demonſtrat Eccleſiæ.* Nicolaus I. ad conſulta reſpondens Bulgarorum (vt etiam refert Gratianus 30. q 5. can. *Noſtrates*) poſtquàm deſcripſit ſponſalia, demum ſubiungit, *Ambo* (ſponſus & ſponſa) *ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primùm in Eccleſia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum, ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem & velamen cœleſte ſuſcipiunt.* Alexander III. reſcribens Vigilenſi Epiſcopo, vt legitur p. 9. Concilij Lateranenſis, cui præfuit, c. 1. *Vir*, inquit, *vel mulier ad bigamiam tranſiens non debet à Preſbytero benedici, quia cùm alia vice benedicti ſint, eorum benedictio non debet iterari.* Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſtricti eſſe iuris illam benedictionem declarauit ſeſſ. 24. in Decreto de reformatione Matrimonij c. 1. *Parochus, viro & muliere interrogatis & eorum mutuo*

** Vide tamen Eſtiū in 4. ſent.*

Apud Abdiam lib. 7.

Refertur 3. q. 1. can. Sponſus & diſt. 23.

conſenſu intellecto, dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine † Patris & Filij & Spiritus ſancti. * Et infrà: Statuit benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, niſi ab ipſo Parocho vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alij Sacerdoti concedi poſſe. Atque hactenus ſatis de ſacro hoc ritu benedictionis Sacerdotalis. In rituali Rom. præſcribitur hæc eadem obſeruatio, cum adiuncta formula benedictionis annuli & thalami coniugalis. In veteri ordine Romano extat ordo ad benedicendam ſponſam, in quo eædem precationes quæ etiamnum in vſu ſunt, ferè ad verbum præſcribuntur. tom. 10. Biblioth. ſanctorum Patrum.

* Conſonat liturgica hæc oratio, quæ in fine Miſſæ pro benedictione coniugum, eorúmque coniunctione dici ſolet: *Exaudi nos omnipotens & miſericors Deus: vt quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per Dominum &c.*

ARTICVLVS V.

De Lectoribus, ſacras Lectiones in diuino Officio recitantibus.

LECTORES quibuſdam in locis aliquando præſumpſiſſe ſalutare populum, dicendo *Dominus vobiſcum*, vt ſolent Sacerdotes, colligitur ex can. 4. Concil. III. Carthag. relato can. *Placuit*, diſt. 77. *Vt Lectores populum non ſalutent.* Vbi Gloſ. *Solebant fortè lecturi in pulpito aliquam ſalutationem nobis ignotam præmittere, vel dicebant, Dominus vobiſcum: vbi modò dicunt, iube Domne benedicere.* Qui abuſus inoleuiſſe videtur in Africa, vbi à Patribus hoc canone coërcetur; nam Romæ accuratior erat, etiam circa Lectores ſacras lectiones obeuntes, diſciplina, vt ex epiſtola Nicolai I. Papæ ad Michaelem Imperatorem, cuius initium eſt, *Propoſueramus*, colligitur: vnde excerptus can. 6. diſt. 21 cuius hæc eſt ſeries, *Denique ſi in Epiſtola ad Hebræos legimus quòd minor à maiore benedicitur.* Et infrà, *Prouidam in Eccleſiis conſuetudinem tradiderunt, hodiéque in Romana Eccleſia, quæ magiſtra eſt omnium Eccleſiarum impretermiſſa ſeruatur, ita vt nullus Sacerdos, maiore ſuo non innuente* (aliàs iubente) *conſacerdote, cuilibet rei benedictionem dare nitatur, ſed & anterior ſtans ad pronunciandam aliquam lectionem, benedictionem quidem poſtulat, ſed ei quilibet inferior non audet penitus benedicere.* At contra hunc Canonicum ordinem valuiſſe morem paſſim in pleriſque Galliæ Eccleſiis conſpicimus, vt minor maiori benedicat, ſiquidem in præconiis matutinis, ſolennioribus diebus quibus ſolent dignitates Cathedralium Eccleſiarum lectiones dicere; ſemper hanc, qui lecturus eſt, petitionem præmittit, *Iube Domne benedicere*, túmque vel ſimplex Canonicus digniori, vel qui minori dignitate fulget, ei qui maiori præſtat (puta maiori Archidiacono vel Decano) benedictionem impertit: quam (reuera) ſi ex ſtudio humilitatis maior vult petere, non debet minor proferre. Et dudum quidem lectiones à minoribus Clericis (dempta homilia ſuper Euangelium) conſueuerant recitari. Vnde ordo congruus exigebat, vt à Sacerdote ſacris officiis præſidente, veniam legendi cum benedictionis gratia depoſcerent; Quam eis vltro, decentique ac præſcripta verborum formula conferebat.

Petrus tamen Cardinalis Damiani libello cui titulum indidit *Dominus vobiſcum*, morem hunc Eccleſiaſticum accuratiùs expendens ſic exponit: *Lecturus*, inquit, *magnæ humilitatis gratiâ non à Sacerdote, ſed ab eo cui Sacerdos iuſſerit, ſe poſtulat benedici, dicens, Iube Domne benedicere, Sacerdos autem vt tantæ humilitati vicem reddat non ſubiecto cuiquam delegat benedictionis officium; non per ſemetipſum benedictionem dare præſumit, ſed potiùs à Deo qui eſt ſuper omnia benedictus vt prærogatur, expoſcit. In Lectionibus autem diurnis (id eſt in Capitulis, quæ lectiones ſunt breues) non petitur benedictio à maiore, quoniam ſuperior qui vicem Chriſti gerit, eas recitat.* Cæterum mos benedicendi lectores, videtur ab Apoſtolis prodiiſſe, nam ſic legimus apud S. Clementem lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 28. de lectoribus: *Ego Matthæus qui & Leui, olim publicanus, diſpono, qui lectorem conſtituit imponens ei manum & orans dicat, Reſpice ſuper famulum tuum, qui promouetur ad legendum tuas ſanctas ſcripturas populo tuo, da ei Spiritum ſanctum, ſpiritum propheticum, quo ſeruum tuum Eſdram inſtruxiſti ad legendum leges populo tuo, & nunc inuocatus à nobis inſtrue ſeruum tuum, & da ei vt laudabiliter perfecto commiſſo ſibi munere, altiori gradu dignus efficiatur.* Lectores autem Preſbyteri olim conſtituebant, alióſque inferiores Eccleſiæ miniſtros, prout ex actis S. Benigni Preſbyteri & Martyris Burgundiæ Apoſtoli, aliàs obſeruauimus lib. de Epiſcopali Monogamia part. 2. cauſa 3. p. 110. & 111. in margine. De ritu autem benedictionem Sacerdotalem impertiendi lectoribus, officio ſuo in Eccleſia functuris, ſcilicet cùm Lectiones ſacras dicturi ſunt, diſſeruimus ex profeſſo, in fuſo noſtro opere de Horis Canonicis lib. 10. quo de partibus agimus diuini officij ſub lectionum titulo: quamobrem diutiùs hîc non reor huiuſmodi ritui dilucidando immorandum.

ARTICVLVS VI.

De Diacono, Euangelium in venerabili Miſſæ ſacrificio pronunciante.

DIACONVS (ait S. Clemens lib. 8. c. 34 Conſtit. Apoſtol.) *non benedicit, non dat benedictionem, accipit autem à Preſbytero, vel Epiſcopo*; ritúſque ex hac Apoſtolica lege manauit, vt Diaconus in ſacrificio pronunciaturus Euangelium, genuflexus à Sacerdote, ſiue Epiſcopo, ſiue Preſbytero benedictionem petat & accipiat; non modò peculiari Latinæ Eccleſiæ more *, ſed etiam antiqua praxi Eccleſiæ Orientalis, vt conſtat ex Liturgiis ſanctorum Baſilij & Chryſoſtomi. Sed iſte ritus reuerà vetus & inſignis, nonnullis occaſionem dedit inquirendi, cur potiùs Diaconus lecturus Euangelium, benedictionem à Celebrante Sacerdote depoſcit, quàm Subdiaconus Epiſtolam in Miſſa ſolenniter dicturus? Quidam reſpondent in cauſa eſſe, Euangelij præeminentiam, quia doctrinam Chriſti continet proprio eius ore traditam & authenticam hiſtoriam eius gratiæ diſpenſationis: hinc legitur in altiori loco *, longè digniori apparatu cum accenſis hinc inde cereis & incenſo; liber ipſe ſiquidem incenſatur, oſculo Epi-

* *Vide Amal. Fortunat. de Eccl. off. lib. 1. c. 12. & lib. 3. c. 18.*

* *Apud eundem Amal. de aſcenſione Diaconi in tribunal. l. 3. c. 18.*

ſcopi vel Sacerdotis excipitur; quin & tanquam Chriſtus ore proprio loquens adoratur, qui honos non habetur reliquis ſacri eloquij libris, vt ex praxi Eccleſiæ omnibus conſpicua patet. Accedit & alia ratio, quæ tamen huic affinis eſt & conſectanea, ſuppoſita ſiquidem Euangelij tam ſublimi dignitate, Diaconum officij ſui ex hoc intuitu commonefacit, quemadmodum ſapienter obſeruauit Amalarius Fortunatus lib. de Eccleſiaſticis officiis, c. 18. *Poſt hoc* (inquit) *ſcilicet poſt thymiama ab Epiſcopo, vel Preſbytero benedictum, Diaconus petit à Sacerdote benedictionem; Sacerdos ei dicit, Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis &c. Intendat diligenter Diaconus, vt cor eius cum Dominicis verbis vadat, & non ſit infructuoſa oratio Sacerdotis; Dominum in mente teneat quem ſuſcepit per benedictionem Sacerdotis: & vt non exhalent verba impoſita, néve introeant nociua, ſigno crucis facto manu Sacerdotis ſuper caput ipſius munitur.* Addit & aliam cauſam Innocentius III. lib... de myſteriis Miſſæ c. 38. ſcilicet Diaconum petere à Sacerdote benedictionem ad pronunciandum Euangelium, vt hoc ſcilicet indicio innuatur, neminem legitimè prædicare Euangelium, niſi ad hoc à ſuperiore mittatur, qui Chriſti gerit vices. Cui rationi fauet quod legitur Iſaiæ 6. Prophetam non potuiſſe Dei concinere præconia cum ſupernis ſymphoniacis, niſi poſtquàm purgata fuerunt eius labia per Seraphim, appoſitione carbunculi deſumpti ex altare Dei. Cæterum præter has rationes alia mihi in mentem venit ex verbis Apoſtoli, *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Hinc hierarchicus ordo diuinitus in Eccleſia conſtitutus, ſi ſeruatur, rectè ſe habent omnia, at ſi euertitur, hinc motus & ſcandala oriuntur. Voluit autem Deus vt Diaconi tanquam ſacri miniſtri Sacerdoti ſubeſſent, qui Chriſti ipſius vice fungitur, eiúſque, vt Diuus ait Ignatius, *& locum tenet & typum.* Diaconi quoniam Sacerdoti proximi ſunt gradu, & pridem Eccleſiæ facultates diſpenſabant, multáque ex delegatione Epiſcopi faciebant, qui ſui non quidem ordinis at regiminis aliquas eis functiones committebat, non tanquam Preſbytero magis dignis, ſed tanquam minùs occupatis. Ex hoc cœperunt Preſbyterorum non modò honorem æmulari, ſed eo vſque vanitatis typho inflati intumuerunt, vt ſe eis non modò exæquare, nam vt ex Concil. Niceno patet, quibuſdam locis offerre, id eſt ſacrificare præſumpſerunt, & conſeſſum cum Preſbyteris ambierunt, vt videre eſt in epiſt. S. Hieronymi ad Euagrium de Diaconorum non ferendo faſtu; at ſuper Preſbyteros etiam ſe extollere non exhorruerunt, adeo vt Corpus Chriſti eis porrigere quibuſdam in locis auſi fuerint, & coram eis, quos præ multitudine contemnebant, & in Eccleſia, & extra, benedictiones fundere. Contra multiplicem hanc Diaconorum temeritatem, Concilia iam olim canones pleroſque ediderunt, ſanctíque Patres ſummo ſtudio contenderunt & illos ſuæ conditionis admonere, & intra propriam menſuram continere, refragantes verò cogere paſſim in ordinem. Ex hoc igitur ritus ille, qui ab initio inoleuerat, ſed Diaconorum ambitu, quibuſdam locis vſu exciderat, viſus eſt ſtricto iure vbique obſeruandus,

Iſa. 6. 7.

Rom. 13. 1.

Vide Conc. IV. Carthag. c. 38.

dus, vt Diaconus ſacro miniſterio ad altare fungens, Euangelium nunquam annunciaret, quin ſupplex & genuflexus non tantùm ab Epiſcopo, ſed etiam à Preſbytero ſacrificium celebrante poſtularet benedictionem, quo ſe nimirum intelligeret, & ab omni Clero & populo circumſtante cognoſceretur, tam Preſbyteri, quàm Epiſcopi eſſe, & agere miniſtrum, prout etiam ſacris canonibus haud ſemel declaratum eſt.

ARTICVLVS VII.

De populo, venerabili Miſſæ ſacrificio aſſiſtente.

CELEBRIS eſt Patrum Concilij Agathenſis tempore Symmachi Papæ habiti, anno 506. illa ſanctio, qua Preſbytero prohibent populo in Eccleſia benedicere, can. 44. Irrepſerat iam tempore S. Hieronymi in quaſdam Galliæ diœceſes mos ille, vt fundere benedictionem ſuper populum, Preſbytero ab Epiſcopis non permitteretur. Quem morem fuiſſe conſuetudini fermè vniuerſalis Eccleſiæ & rectæ rationi contrarium, idem S. Doctor in Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem, teſtatur; *Si Presbyter*, inquit, *Chriſtum conſecrat, cùm in altario Chriſti Sacramenta benedicit, benedicere populo non debet qui Chriſtum meruit conſecrare?* Et paulo infrà; *Hoc in Eccleſiis tuis faciant quod Romæ, ſiue quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Jllyrico, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis vbi humilitas perſeuerat.* Vbi vides ſolas Gallias circa hanc conſuetudinem vacillâſſe, & in quibuſdam partibus Epiſcopos vetuiſſe Preſbyteris munus benedictionis in Eccleſia; Alibi verò, & fortè maiori ex parte, ſecundùm Vrbis & orbis conſuetudinem, hoc fruendi honore illis fuiſſe licitum. Et verò Concilium illud Agathenſe non fuit generale Galliarum, ſed ex aliquot dumtaxat collectum prouinciis. Præſedit Cæſarius Arelatenſis, interfuit Cyprianus Burdegalenſis, Clarus Eloſanus, Tetradius Bituricenſis: Capraſius Narbonenſis ſubſcripſit per Auilium Preſbyterum ad hoc miſſum, Verus Turonenſis per Leonem Diaconum cum 20. Epiſcopis diuerſarum ſedium, qui vix tertiam Præſulum Galliæ partem conſtituebant. Nec Epiſcopi, nec miſſi prouinciarum Viennenſis, Lugdunenſis, Senonenſis, Rothomagenſis, Rhemenſis, Veſontionenſis, nec cæteri, ibi comparuerunt nec vocati fuerunt.

Correctus videtur hic Canon paulopòſt in Concilio I. Aurelianenſi anno Chriſti 511. celebrato, cui idem præfuit Cyprianus Burdegalenſis Metropolites, (qui quinquennium ante prædicto Concilio Arelatenſi ſubſcripſerat) ſed & Tetradius Bituricenſis, Licinius Turonenſis, Leontius Eluſanus, Gildardus Rothomagenſis Metropolitani cum 27. Epiſcopis; in hoc enim ſaltem abſente Epiſcopo permiſſum fuit Preſbyteris c. 26. completa Miſſa benedictionem impertire. Nec enim legendus hic canon, vt refertur tom. 3. Concilior.

Galliæ editorum anno 1629. hoc ſcilicet tenore : *Cùm ad celebrandas Miſſas in Dei nomine conuenitur, populus non antè diſcedat quàm Miſſæ ſolennitas compleatur, & vbi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* At ſic legendus eſt vt à Gratiano deſcribitur, de Conſec. diſt. 1. hac ſerie, *Cum ad celebrandas Miſſas in Dei nomine conuenitur, populus non antè diſcedat, quàm Miſſæ ſolennitas compleatur : Et vbi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* Quo contextu verbatim etiam refertur à Burchardo lib. 3. c. 29. & Iuone p. 3. c. 34.

Mihi in mentem (bene omnibus perpenſis) venit, mendum quoque irrepſiſſe in præfatum can. 44. Concilij Agathenſis. Nam idem Concilium c. 47. contrarium prorſus conſtituit his verbis; *Miſſas die Dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat, quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Hic enim manifeſtè Epiſcopus à Sacerdote diſtinguitur: cùm igitur prohibetur populo qui Miſſæ aſſiſtit, de Eccleſia exire priùs quàm benedictionem accipiat Sacerdotis, & qui ſecus fecerit ab Epiſcopo puniatur, expreſsè iam tunc morem fuiſſe receptum hinc apparet, vt Preſbyter ſacrô celebratô, daret in fine populo aſſiſtenti benedictionem. Canon autem iſte in ius ſacrum totidem verbis relatus eſt, de Conſec. c. *Miſſas.* Ideóque vel corruptum fuiſſe Canonem eiuſdem Concilij 44. quo id Preſbyteris prohibetur, oportet, vel in eodem Concilio Antinomiam manifeſtam reperiri.

Si tamen penitiùs Canon ille 44. conſideretur ad harmoniam cum can. 47. eiuſdem ſynodi, mihi videtur reuocari poſſe. Ait iſta Synodus, *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit.* Dico enim hîc non loqui Concilium de benedictione Sacerdotali, quam completa Miſſa Preſbyter ſolebat impertire, vt idem Concilium diſertè teſtatur can. 47. Sed loqui de benedictione quam Epiſcopi extra ſacrificium, cùm in Eccleſia procedunt pontificio apparatu, vel occurrenti, vel confluenti populo dare conſueuerunt. Hunc ſenſum elicio, oſtendóque genuinum & legitimum ex can. 5. Concilij Rhegienſis Sixto Papa III. Sedi Apoſtolicæ præſidente anno 439. quo diſertè ſtatuitur fas eſſe Preſbyteris priuatim benedicere deſiderantibus. Sic ad verbum illa ſanctio habet &c. *Viſum eſt, omni Presbytero, per familias, per agros, per priuatas domos pro deſiderio fidelium facultatem benedictionis aperire.* Conciliatur itaque can 44. Concilij Agathenſis cum eiuſdem can. 47. eo modo vt dicatur in priore quidem loqui hanc Synodum de benedictione extra Miſſarum ſolennia, qualem fundere ſolent Epiſcopi ſacro in ornatu procedendo in Eccleſia, etiam extra ſacrificium. At can 47. verba facere de benedictione ordinaria, quam Sacerdos finito ſacro effundit ſuper plebem circumſtantem, & hanc quidem decernere conceſſam eſſe Preſbytero, illam verò non eſſe permiſſam.

Variatum aliquatenùs tamen circa eundem ritum benedictionis

Sacerdotalis, inde patet, quòd nunc Sacerdos non benedicit populo niſi poſtquam ipſe, vel Diaconus, *Ite Miſſa eſt*, nunciauit, dictâ ante precatiunculâ, *Placeat tibi ſancta Trinitas.* At olim dabat Sacerdos benedictionem ſtatim poſt communionem & vltimam collectam; ſic enim memoriæ prodidit ſui ſæculi morem Amalarius Fortunatus lib. 3. de off. Eccleſ. c. 36. *Hunc morem tenet Sacerdos, vt poſt omnia Sacramenta conſummata benedicat populo atque ſalutet, deinde reuertitur ad Orientem, dicitque Diaconus, Ite Miſſa eſt.* Nec diſſimiliter Rabanus Maurus lib 1. de inſtitut. Clericor. c. 33. *Poſt communionem ergo & poſt eiuſdem nominis canticum.* (id eſt antiphonam, ſeu breue Reſponſorium: quod orationem ad complendum facta communione immediatè præcedit) data benedictione à Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Miſſæ ſacrificium eſſe peractum, dans licentiam abeundi.

Micrologus c. 21. in can. illum 44. Agathenſem impegit, ea quæ prænotauimus, ad genuinum eius intellectum non callens. Quocirca cùm commodè nequiret illum canonem interpretari, eo deuenit vt diceret: quicquid ſit de eius ſenſu, certum eſſe, ſi prohibeat Presbytero poſt ſacrum populo benedicere, vſu fuiſſe contrario Eccleſiæ abrogatum. At præmiſſis quæ ſuggeſſimus, haud opus eſt, ſe has in anguſtias coniicere, vt abrogatum illum canonem contrario vſu aſſeramus, ſiquidem canon iſte ſanum & commodum ſenſum recipit quem aſſignauimus, & diu admodùm antequam conderetur, mos erat vniuerſa in Eccleſia receptus (ſicut probatum eſt,) vt Preſbyter completô ſacrificiô benedictionem populo circumſtanti impertiretur. Meritò itaque contendit ſignato loco ipſe Micrologus, non ſolùm ipſis Epiſcopis, ſed & Preſbyteris, fas eſſe poſt Miſſam benedicere populo: virtute etenim peracti ſacrificij, illa benedictio aſſiſtentibus fidelibus datur, cuius ſacrificij, haud minus quàm Epiſcopus, Sacerdos legitimè eſt miniſter. Cæterum S. Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. off. c. 17. rectè obſeruauit benedictionem, quam noſtri Sacerdotes peractis diuinis myſteriis effundunt ſuper populum, fuiſſe in lege veteri præfiguratam. *Benedictionem* (ait) *in populo dari à Sacerdote, antiqua per Moyſen benedictio pandit & comprobat; quia benedicere populo ſub Sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim Dominus ad Moyſen, Num. 10. 6. Sic benedices populum tuum, vt benedicam illos. Benedicat te Dominus &c.* Porro non tantùm Pontifici populo benedicere, ſed & inferioribus Sacerdotibus ex officio competebat, ſic enim lex ferebat Num. 7. *Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen dicens, loquere ad Aaron, & filiis eius, ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Deus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem tibi & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te; & det tibi pacem, inuocabúntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Quid mirum igitur, ſi Sacerdotibus noui Teſtamenti eadem facultas competit; quorum ſanè vt longè eſt Aaronico excellentius Sacerdotium: ſic etiam benedictio longè efficacior, ſi ea qua par eſt deuotione & fide ſuſcipiatur. Nec hîc mihi excidere patior pium eorum morem, qui etiam extra ſacrificium &

Eccleſiam benedici ſibi ab obuio Sacerdote poſtulant. Sanè etiam his infeliciſſimis temporibus, quibus fermè periit Religio in Anglia, hunc morem apud Catholicos (præſertim nobiles) tot preſſuris anguſtiatos, nihilominus vigenti in obſeruantia ſupereſſe: vt ingrediente domum Sacerdote, ſe cum tota familia in terram proſternant, ab eóque ſupplices benedictionem efflagitent. Nec abs re, etenim magnum hinc ſolatium Dei gratia Sacerdotalibus precibus aſpirante, paſſim experiuntur. Nec nuperus mos iſte dici poteſt: ſuprà enim inſinuauimus ex Concilio Rhegienſi ante annos 1200. habito, omnes Preſbyteros per familias, per agros, per domos priuatas, piè poſcentibus fidelibus benedictionem fuiſſe impertitos.

ARTICVLVS VIII.

De infirmis.

MEMINIT Tertullianus quarumdam fœminarum, quæ eò vſque temeritatis proſiliebant, vt docere, baptiſare, infirmos oleo vngere, iis manus imponere & ſanitatem polliceri, præſumerent: ab hæreticis mulieribus, hoc attentatum, perditis mente, corruptis circa fidem, non vſque adeo miror. Sed fœminas Catholicas, eáſque virgines, & ſanctimoniales, & ſanctimonialium præfectas auſas quid ſimile ſibi arrogare, vix adduci poſſem vt crederem, niſi me graui rei geſtæ teſtimonio æquum eſſet compelli. Carolus Magnus in Capitularibus ſuis (Legis Francicæ lib. 1. c. 71.) certum hoc facit, vbi ſic Epiſcopos alloquitur: *Auditum eſt aliquas Abbatiſſas, contra morem ſanctæ Dei Eccleſiæ, benedictiones cum manus impoſitione & ſignaculo ſanctæ crucis ſuper capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione Sacerdotali. Quod omnino ſanctiſſimi Patres in veſtris Parochiis, interdicendum eſſe ſcitote.* De benedictione Virginum, ab Abbatiſſis quibuſdam contra canonicas ſanctiones vſurpata, aliàs diſſeruimus: ſcilicet in opuſculo nondum typis mandato, *de triplici Velamine.* At hîc obiter dicendum de more illo, quem meritò Carolus Magnus potiſſimum reprehendit, impoſitionis manuum ſuper virorum capita cum crucis ſignaculo, ætate illa à quibuſdam Abbatiſſis arrogatæ. Certè haud ſacrilega præſumptione, id ab eis puto factitatum, ſed alia ratione. In actis S. Genoueſæ Virginis, regiæ Vrbis Pariſiorum Tutelaris, legitur ipſam cùm miraculorum dono polleret, & maximè gratia ſanitatum, ne virtus ſibi hæc & operatio tribueretur, conſueuiſſe oleo benedicto ab Epiſcopo vel Sacerdote vngere infirmos, etiámque Energumenos, & ſic eis expetitæ ſanitatis aut liberationis ſolatium contuliſſe. In Commentariis ſuper noſtrum Martyrologium Gallicanum, in natali huius Virginis ſanctiſſimæ de pio hoc eius more, ex inſtituto tractauimus, atque pleriſque aliis locis meminimus eiuſdem vel conſimilis moris, à ſanctis pleriſque virginibus & Abbatiſſis obſeruati, quæ inſigni ſanctitatis gloria Eccleſiam Dei variis locis & temporibus illuſtrârunt. Ex quo factum eſt, vt de

ſacris Deo Virginibus & præſertim Abbatiſſis magna ſanctitatis opinio, paſſim ab omnibus Chriſti fidelibus conciperetur: hácque impulſis perſuaſione contigit, vt plerique, morbis affecti ad earum orationes confugerent, ſibique ab iis quæ ſolenni ritu Chriſto erant conſecratæ & benedictæ, manus imponi ad ſubſidium infirmitatis flagitarent. Quibus cùm ex pietate & commiſeratione ſexui inſita, ſacræ illæ Virginum præfectæ annuerent: ne tamen, ſi optata à ſupplicibus gratia ſanitatis ſuccederet, ipſarum merito adſcriberetur, ſed diuinæ virtuti & gloriæ rependeretur; piæ Virgines cum precibus ſignum crucis adhibebant, quod non neſcirent eſſe fontem ſalutis & ſignum benedictionis*. Noſtráque ætate moris huius ſupereſſe veſtigium in quodam illuſtri Monaſterio diœceſis Pariſienſis, vbi Martyrologium Galliæ ſcribebam, oculis meis conſpexi. In pagis & vicis circumuicinis, ſiquis ægrotaret, quempiam ex ſuis ad Venerabilem Abbatiſſam (inclytæ ſtirpis, magnæque pietatis*) mittebat ſupplicatum, vt vnguentum quoddam, quod ſolebat ex vſu loci infirmis poſcentibus dare; dignaretur tribuere, quo infirmis per experimentum didicerant, leuamen, ſolatiúmque non modicum afferri. Vnguentum iſtud, oleum erat vino commixtum aſperſum aqua benedicta, quod petentibus impertiendum pia Abbatiſſa, ſignaculo crucis ſuper idem efformato, implorata diuina ope conſignabat, tradebátque cum verbis conſolatoriis, perſonæ pro infirmo, ſatagenti. Vidi plurimos adhibito cum fide eiuſmodi lenimento, ſanitate recepta, ad monaſterium venire Deo gratias pro ſuſcepto ſolatio perſolutum, piæque Abbatiſſæ, de charitate eius gratulatum, eximia cum deuotæ mentis ſignificatione.

* *Aimonius l. 5. c. 37.*

* Monaſteriũ illud eſt Hedereſe, ſeu de Hedera, O. S. Benedicti d. Parid. Illuſtris autem & pia illa Abbatiſſa, erat R. Domina Catharina Alfonſina Luxẽburgica, de Vrſinis: de cuius pia adminiſtratione, & religioſo obitu litteras funebres, Conuẽtus nomine, anno 1637. typis editas apud Edm. Martinũ, Pariſiis euulgauimus.

Et vero res in Eccleſia non noua eſt, vt qui ſanctitatis gloria irradiantur, tametſi nec Epiſcopi, nec Sacerdotes, nec Clerici ſint, fuſa benedictione ſuper infirmos, cæteróſque afflictos, ſolatium ab eis poſcentes, eis opitulentur. Exempli causâ refert S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, Sarracenos gregatim cum vxoribus & liberis viro huic ſanctiſſimo obuiam proceſſiſſe, ſubmittentes colla, voce Syra, *Barach*, hoc eſt *Benedic*, inclamantes: ſed & ipſos concurriſſe Epiſcopos, Preſbyteros, Clericorum & monachorum greges, matronas, potentéſque viros ac iudices, vt benedictum ab ipſo B. Hilarione panem, vel oleum acciperent, quo ſanari confidebant, & experti erant opem nonnullam impertiri. Inſuper benedicto eiuſmodi oleo, vniuerſos circumquaque agricolas & paſtores, à venenatis animalibus percuſſos, certam ſalutem reſumpſiſſe. Nolim impræſentiarùm congeſtum ire plurima quæ conſignari poſſent eiuſmodi benedictionis à Sanctis editæ exempla: quæ potiùs admiranda ſunt, quàm imitanda. Nec enim hîc locus eſt de Sanctorum miraculis tractatum inire. De Sacerdotali tantùm benedictione ſuper infirmos, ordinis auctoritate impertita, hîc agere mihi, ex præfixo lemmate huic articulo, incumbit.

Sanè Dominus non tantùm duodecim Apoſtolis, ſed & 72. diſci-

pulis ſuis, (quibus Preſbyteri, vt Apoſtolis Epiſcopi ſucceſſerunt) curam infirmorum iniunxit, ferendæque opis eiſdem ſuo in nomine gratiam pollicitus eſt, *Deſignauit Dominus* (ſcribit S. Lucas c. 10. 1.) *& alios 72. & miſit illos binos ante faciem ſuam &c. Ite, ait illis, & in quamcumque domum intraueritis dicite, Pax huic domui &c. Et curate infirmos & dicite illis, appropinquauit in vos regnum Dei.* Ab hoc Euangelico mandato, ritus viſitationis infirmorum, & fundendæ à Preſbyteris ſuper eis benedictionis Sacerdotalis proculdubio emanauit. Cuius officij monimento eſt liber ſancti Auguſtini *de viſitatione infirmorum*, & quædam homilia, quæ extat eadem de re ad Paſtores, apud S. Hieronymum tom. 4. At modum & formulam qua à Preſbyteris obeunda eſt infirmorum viſitatio, Nannetenſe vetus Concilium ex priſcis Agendis Eccleſiaſticis accuratè deſcribit can. 4. hoc verborum tenore: *Cùm Sacerdos audierit aliquem infirmari ex ſua plebe, quàm citiùs ad eum pergat, & ingreſſus cubiculum, aquam benedictam ſuper eum & per omne cubiculum aſpergat, cum antiphona, Aſperges me &c. & verſu Exurge Deus &c. deinde dicat orationem, Deus qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti &c. deinde cantet ſeptem pſalmos cum precibus pro infirmis. Poſthac omnes iubeat extra cubiculum ſecedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè lenitérque alloquatur, vt omnem ſpem ſuam in Deum ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem & caſtigationem ſuam prouenire credat, vt peccata ſua confiteatur, vt emendationem promittat, ſi Dominus vitam conceſſerit, pœnitentiam pro culpis commiſſis ſpondeat, vt ſubſtantiam ſuam dum adhuc ſenſus & ratio in eo vigent, diſponat, vt peccata ſua eleemoſynis redimat, vt iis qui in ſe peccauerunt indulgeat, vt rectam fidem & credulitatem teneat, vt de Dei miſericordia nunquam deſperet. Cùm hoc & huiuſmodi allocutionibus fuerit mens infirmi releuata, data benedictione recedat Sacerdos, non poſt multum reuerſurus, détque locum, vt ægrotus de peccatis ſuis cogitare poſſit* *. Hæc ibi, quæ ferè ad amuſſim imitatur Rituale Romanum editum iuſſu Pauli V. Pontif. Max. vt videre eſt ſub titulo, *de viſitatione & cura infirmorum*: Quæ tamen nonnihil ſerie prolixior, hac clauſula explicit:

* *Vide Concil. Epaonenſe c. 18. Moguntinū II. c. 26. Oxonienſe c. 2. de cura infirmorum Epiſcopis & Preſbyteris iniuncta.*

Completa oratione vltima, Sacerdos imponat dextram manum ſuper caput infirmi, dicens, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus & Dominus, meritis & interceſſione ſanctorum Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, ſit tibi clemens & propitius. Amen. Poſteà dicat ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. ℣. Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem. ℟. Gloria tibi Domine. In principio erat verbum &c. plenum gratiæ & veritatis. ℟. Deo gratias. Poſteà benedicens infirmum ſubiungat dicens, Benedictio Dei omnipotentis Patris †, & † Filij & Spiritus S. † deſcendat ſuper te, & maneat ſemper tecum. Amen. Deinde aſpergat eum aqua benedicta. Quòd verò hæc benedictio Sacerdotalis, precéſque illæ quas ex officio Preſbyter pronunciat, non ſint vt plurimùm efficaces, non aliunde procedit quàm ex eo quòd non cum plena fide & corde puro ſemper proferantur, nec infirmus ipſe vt par eſt diſpoſitus ſit, ad eatundem effectum conſequendum.

CAPVT VI.

De rebus, quas in ſubſidium humani generis, in ordine ad ſalutem animæ, vel corporis ſanitatem, Sacerdos benedicit.

ARTICVLVS I.

De Benedictione rerum inanimatarum in genere.

VETEREM *in Eccleſia morem ſequimur,* (dicit quartum Concilium Moguntinum c. 39.) *dum ſalem, aquam, & cæteras quaſdam res in vſum fidelium per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendet qui ſecum reputauerit Eccleſiam inter cętera ſalutis & vtilitatis ſuæ tum augendæ, tum conſeruandæ præſidia, etiam exorcizandi poteſtatem contra inſidias dæmonum, aliáſque noxias peſtes auertendas accepiſſe: quam poteſtatem cùm per res externas ad vtilitatem fidelium exercet Eccleſia, nimirum in eo ſanctorum imitatur exempla, qui ad eliciendos quoſdam effectus, diuino iuſſu res corporales adhibuiſſe leguntur: quem morem in Eccleſiis præcipimus conſeruandum, dummodo populum paſtores ſedulò doceant, effectus qui inde petuntur, non ipſarum rerum efficaciæ, diuinæ ſed virtutis operationi, per fortiſſimi Dei nominis inuocationem, tribuendos eſſe, & cauerint ne rebus talibus ad impias ſuperſtitiones abuti quiſquam præſumat.* *Matth. 10. Luc. 10.*

ARTICVLVS II.

De benedictione Aquæ.

§. I.

De benedictione Aquæ baptiſmalis.

RITVM hunc Apoſtolicum eſſe, & ab Apoſtolorum ætate in hunc vſque diem inuiolabili vſu fuiſſe in Eccleſia Catholica obſeruatum, res eſt ſi quæ alia in Eccleſiæ moribus notiſſima, quam tamen ſiquis perſpectiùs noſſe voluerit, extat iam ab annis 36. Mediolani editus eruditiſſimus liber Ioſephi Vicecomitis Collegij Ambroſiani profeſſoris, de Eccleſiaſticis obſeruationibus: in quo de antiquis baptiſmi ritibus & cæremoniis luculenter diſſerit, cuius Tractatus caput 14. totum eſt de aquæ baptiſmalis conſecratione, eiúſque antiquitate, déque eius vſu, & fine propter quem inſtituta eſt: vbi inter cætera oſtendit conſecrationem aquæ baptiſmalis ab Apoſtolis inſtitutam, ad nos continua traditione perueniſſe, duáſque præcipuas cauſas aſſignat cur aqua baptiſmo deſtinata, ſolenni benedictione conſecretur. Cap. 15. demonſtrat quibus cæremoniis hæc fieret apud Patres conſecratio: vbi tractat imprimis de exorciſmo;

de aquæ per manum Sacerdotis diuiſione, de crucis ſignaculi ſuper aquam efformatione, de cerei in fontem immerſione, de Sacerdotis ad baptiſterium ſanctificandum ſolenni ſupplicatione, de infuſione Chriſmatis in aquam baptiſmalem, de ſolennis huius benedictionis in Sabbatho ſancto, & Vigilia Pentecoſtes celebratione. Cap. 16. inſinuat reliquos minutiores ſacræ huius cæremoniæ ritus; vt quod conſecrans baptiſmalem aquam ſtans ad fontem myſticum orabat, populus circumſtabat, qui hac aqua ibidem aſpergebatur, acceptámque, domum aſportabat. Ex qua deinde agri & domus aſpergi ſolebant; reliquum verò in vaſculis ſeruari conſueuerat.

His igitur ſuppoſitis, (quæ cùm adeo ſint accuratè tractata, ſuperuacaneum foret repetere) nihil hoc loco ſupereſt diſquirendum, quàm à quo Miniſtro diuinæ Maieſtatis, hæc aquæ baptiſmalis conſecratio fieri poſſit aut debeat?

Et verò ſi de vſu & praxi primitiuæ Eccleſiæ ſermo ſit, vt ſolus Epiſcopus baptiſmum ſolenniter miniſtrabat in Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ſic ipſe ſolus benedictionem illam vitalis fontis ſtipatus clero, circumſtante populo celebrabat. Sed tamen extra hos duos ſolennes dies, vt quotieſcumque opus erat Preſbyter baptizabat, (non tantùm in Eccleſia, ſed & in domibus priuatis vel aliis locis) ita etiam aquam priùs quàm Catechumenum baptizaret, benedicere conſueuerat. Exempla ſunt hac de re perſpicua in ſanctorum Martyrum actis. Sanè in actis S. Suſannæ Virginis & Martyris à Notariis Romanæ Eccleſiæ conſcriptis, Gabinius Preſbyter, Claudium cum vxore & filiis fidem Chriſti profeſſum, non antè baptizauit quàm aquam benediceret: *Eadem hora catecheſi eos inſtruxit, & cùm aquam benedixiſſet, baptizauit.* Abſente Preſbytero qui baptizabant Diaconi, aquam etiam benedicere ſolebant, quemadmodum in geſtis S. Cyriaci & B. Laurentij legitur à Surio collectis. Non tamen fas vnquam fuit Diaconis aquam ſolenni ritu benedicere cum infuſione chriſmatis, ſicut fieri conſueuit in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes: ſed ex quo multiplicato fideli populo, baptiſteria in parochialibus Eccleſiis habere propria Preſbyteris conceſſum eſt: iiſdem quoque ſolenniter fontem baptiſmalem benedicere etiam cum infuſione chriſmatis & cæteris ritibus, quibus quondam ſolus Epiſcopus vnicum generale baptiſterium in ſua matrice Eccleſia conſecrabat, datum fuit. Móſque hic iam à pleriſque ſæculorum curriculis inuectus, huc vſque in vſu paſſim recepto perſeuerat, quemadmodum in ipſo Rituali Romano, libróque Miſſali patet expreſſum.

§. II.

De aqua piaculari, quæ benedicta vulgò dicitur, ea ſcilicet quæ cum ſalis permixtione, diebus Dominicis, in parochiis à propriis earum Sacerdotibus benedicitur.

AQVAM *ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti aſperſi ſanctificentur*

ficentur ac purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Verba ſunt B. Alexandri Papæ & Martyris, quæ relata ſunt in Codicem iuris Eccleſiaſtici de Conſec. diſt. 2. can. *Aquam.* Quod mandatum ſancti huius Pontificis agnoſcunt, ciúſque genuinum eſſe Decretum expreſſis teſtimoniis prodiderunt Damaſus vel Anaſtaſius in Pontificali libro, Rabanus de inſtitut. Clericor. lib. 2. c. 55. Walfridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis c. 29. Sigebertus in Chronico ad annum 588. Micrologus de obſeruationibus Eccleſiaſticis c. 41. & 46. aliíque plurimi rerum Eccleſiaſticarum tractatores; qui tamen etſi hoc decretum Alexandri (qui 5. à Petro ſedit) referunt, ritus huius tamen potiùs promulgatorem, quàm auctorem fuiſſe verba ipſa innuunt quibus ipſe Canon expreſſus eſt. Rem nouam etenim ille ſanctus Pontifex non edicit, ſed dumtaxat morem refert ætate ſua in Romana Eccleſia iam ſeruatum, quæ Schola Apoſtolorum (non ita diu viua voce, ipſam docentium) toto orbe illuſtriſſima erat; *Aquam,* inquit, *ſale conſperſam populis benedicimus &c. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus.* Vbi illud, *omnibus Sacerdotibus*, ideo ponitur vt non ſolùm Epiſcopis, qui maiores ſunt Sacerdotes, ſed Preſbyteris quoque qui Sacerdotes ſecundi ſunt ordinis, benedictionis huius facultas communis eſſe intelligatur.

Congruenter huic inſtituto, quod ab Apoſtolica ætate, in hanc vſque deriuatum eſt, III. Concilium Mediolanenſe, præſide S. Carolo, titulo de iis quæ ad Sacramentalia & Sacramenta generatim pertinent; parochis omnibus commendat, vt ritus huius ſeruandi, quàm diligenter ſint memores: *Singulis diebus Dominicis, Sacerdos Miſſæ parochialis ſacrum facturus, antequam illud inchoet, aquam ſale aſperſam benedicendo renouet, eámque vt moris eſt aſpergat.* Nec ſanè mirum! Si tanta cum pietatis inſtantia huiuſmodi benedictio & aſperſio aquæ commendatur, quæ verbo Dei & oratione, ſignóque crucis, inſperſo cum ſale ſanctificata plurimum valet, vt præfatus Pontifex & Martyr S. Alexander ſuo in Decreto declarat, ad labes animæ eluendas, diaboli auertendas inſidias, phantaſmata depellenda, ſterilitatem, procellas, aliáque iræ diuinæ flagella auerruncanda, curandas infirmitates, ac pleraque alia hominibus conferenda ſolatia, quæ per hoc ſacrum adminiculum confidentibus in Deo, ſumma eius bonitas impertitur, quemadmodum pleriſque experimentis compertum eſt, quæ à S. Epiphanio hæreſ. 30. Caſſiano Collat. 15. c. 14. Theodoreto lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. c. 21. & in hiſt. Patrum c. 8. in Aphraate: Cypriano in vita S. Cæſarij Arelatenſis c. 19. S. Gregorio Magno lib. 1. Dialogor. c. 10. S. Bernardo in vita S. Malachiæ circa medium, aliíſque inſignis memoriæ auctoribus, enarrantur: quibus & pleraque alia exempla accedunt, quæ in noſtro Martyrologio Gallicano ex noſtratium Sanctorum geſtis ſparſim conſignauimus.

Cæterùm Preſbyter in Miſſa aquam alio fine & vſu benedicit, quæ nimirum admixta vino conſecranda eſt in ſancto Calice. At ritus ille notiſſimus eſt, nec hoc loco debet à me, vt proprio, explicari.

ARTICVLVS III.

De Benedictione ſalis.

SAL adhibetur ab Eccleſia Catholica in baptiſmo, & in aquæ piacularis benedictione, non tamen ſine Sacerdotali aliqua conſecratione, qua ad effectus quoſdam ſpirituales præparatur.

In Rituali Rom. ſub titulo de Sacramento baptiſmi, extat ſpecialis benedictio ſalis qui in os Catechumeni mox baptiſandi inſerendus eſt: incipit illa benedictio, *Exorcizo te creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis* †, *& in charitate Domini noſtri Ieſu Chriſti* †, *& in virtute Spiritus* † *ſancti &c.* Qua dicta oratione Sacerdos modicum ipſius ſalis benedicti in os Catechumeni, ſeu infantis, ſeu adulti immittit dicens, *Accipe ſal ſapientiæ &c.* & dicto *pax tecum*, aliam orationem de ipſius ſalis myſtica applicatione ſubiungit.

Porro ritus ille antiquiſſimus eſt: imò ab ipſius Chriſti Domini inſtitutione procedit; vnde in ſalis exorciſmo Sacerdos ait, *Qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit.* Et verò de hoc eius in Sacramento regenerationis perpetuo vſu conſtat ex Patrum authenticis teſtimoniis. De eo etenim ritu expreſsè meminerunt, Orig. hom 6. in Ezech. S. Ambroſ. ad c 22. Lucæ, S. Auguſtinus lib. 1. confeſſ. c. 11. Patres Concilij III. Carthaginenſis c. 5. S. Gregorius Magnus in lib. Sacram. in ordine ad Catechumenum faciendum, Deuſdedit Papa Epiſtola ad Gordianum, Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de diuinis officiis c. 20. Venerabilis Beda ſupra libros Regum, & in Eſdram lib. 2. c. 9. omnéſque paſſim ſacrorum rituum tractatores, Alcuinus, Rabanus, Walfridus, Berno Augienſis, Iuo Carnotenſis, aliíque poſteriores.

Nota. Nec ſine myſterio in baptiſmate, ſal Catechumeno guſtandus in os immittitur, *Sal in ſe vno* (ait S. Hilarius Comment. in Matt. c. 5.) *continens eſt aquæ & ignis elementum.* ideóque diuini Verbi incarnationis arcanum inſinuat. Deus ignis conſumens eſt, nos autem ſicut aqua dilabimur in terram. Coniunxit infirmitatem noſtram ſuæ diuinæ virtuti Dei filius, quando in vtero intemeratæ Virginis operatione Spiritus ſancti homo factus eſt. *Tunc enim venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes, humana quærere, præſtare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre ſanitates.* (S Chryſol. ſerm. 150.) A nobis accepit aquam, ſcilicet ærumnas, ſudores, lachrymas & gemitus; nobis verò dedit ſpiritum & ignem, ſpiritum gratiæ, ignem amoris, ſpiritum vitæ, ignem fidei, ſpei lumen, & charitatis ardorem: ſal vtrumque hoc ſignat, quia ex duobus vnum cùm ſit elementum, fidei quoque & charitatis geminum includit Sacramentum.

Aliæ ſunt myſticæ ac morales ſignificationes huius ritus, quarum 1. eſt, vt ſaporem rerum cœleſtium Catechumenus deguſtet, terrenarúmque faſtidiat, vnde pro illo orat Sacerdos, *vt hic primum pabulum*

ſalis guſtantem Deus vniuerſæ conditor virtutis, *non diutius eſurire permittat quo minus cæleſti cibo repleatur.* 2. Vt donum ſapientiæ & prudentiæ accipiat, de quo Apoſtolus, *ſermo veſter in gratia ſale ſit conditus, quomodo vos oporteat ſingulis reſpondere.* Ideo Sacerdos Catechumeno ait, *Accipe ſal ſapientiæ &c.* 3. Ex ſalis præcipua proprietate deſumitur; *Sal* (ait ſanctus Hilarius) *in omnem vſum humani generis effectus, incorruptionem corporibus quibus fuerit aſperſus impertit; & ad omnem ſenſum conditi ſaporis aptiſſimus eſt. Apoſtoli verò* (& Sacerdotes) *ſunt æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit conferentes.* Sacerdos igitur dat ſalem fidei in os candidati, vt ſcilicet bono Chriſti odore repleatur, omníque fœtore careat iniquitatis. 4. Ex eo quod legimus in ſcripturis (ait S. Hieronymus, lib. 1. Comment. in Matth. c. 5.) *vrbes quaſdam ita victorum ſale ſeminatas, vt nullum in ipſis germen oriretur:* ſic feciſſe Achimelech, cùm Salem ciuitatem Sichimorum ad ſolum deduxiſſet, à Ioſepho proditur lib. 5. antiq. c. 8. Extruit diabolus in anima, quam poſſidet arcem: Chriſtus igitur cùm intrat in animam, diabolum extrudit, eiúſque munitionem euertit (quo ſuam ibi ædificet ciuitatem) ideo Sacerdos exorciſmo ſalis pellit dæmonem, & arcem eius anathemate proſternit; ſedem & arcem in anima Catechumeni hac victoria & triumpho parat. 5. Sal fœderis & amicitiæ ſymbolum eſt: hinc Leuit. 1. *Non auferas ſal fœderis Dei tui in ſacrificio tuo:* Quò ſpectat illud Euangelicum Marc. 9. 49. *Omnis victima ſale ſalietur; habete ſal in vobis, & pacem habete inter vos:* Sed maximè cum Deo, quo cum Catechumenus in amicitiam receptus init pactum, fœdúſque percutit. Mirificè hîc quadrat illud 2. Paralip. 13. *quod Deus dedit regnum Iuda filiis Dauid, in pactum ſalis;* ſic nouo fideli Deus ſuum regnum promittit, ſalíſque pacto confirmat. Sacerdos verò fœderis huius conciliator eſt, quamobrem ſalem hunc obſignando adhibet, myſtica prece & diuini nominis inuocatione benedictum.

Col. 4. 6.

Vbi ſuprà.

Cæterùm de ſale qui aquæ benedicendæ in parochiis à Sacerdote admiſcetur, non eſt cur alias rationes aſſignemus, quàm eas ipſas, quæ in eius exorciſmo à Sacerdote prædicantur. *Exorcizo te*, inquit, *creatura ſalis per Deum viuum, qui te per Elizeum prophetam in aquam mitti iuſſit, vt ſanaretur ſterilitas aquæ, vt efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia diabolicæ fraudis, omníſque ſpiritus immundus adiuratus, per eum qui venturus eſt &c.* Deinde mittit Sacerdos ſal in aquam in modum crucis, dicendo ſemel ſubmiſſa voce, *Commixtio ſalis & aquæ pariter fiat in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † ſancti, Amen.*

ARTICVLVS IV.

De Benedictione ignis.

IVDÆI olim feſtum diem inſtituerunt, poſteritati perpetua memoria & ſolenni pompa celebrandum, quando ſacrum inuenerunt ignem, qui multis annis abſconditus fuerat durante captiuitate, vt refertur 2. lib. Machab. c. 1.

Vmbrîs legis antiquæ diſcuſsîs, fulgentis ſolis gratiæ ſplendore: ignis celebritas longè illuſtrior, nouæ Pentecoſtes ſacratiſſimo die vniuerſo orbi illuxit: cùm ſcilicet Spiritus ſanctus, in ignearum linguarum ſpecie ſuper Chriſti diſcipulos deſcendit. *Aduenit ignis diuinus non comburens, ſed illuminans, non conſumens ſed lucens, & inuenit corda diſcipulorum receptacula munda*, & tribuit eis chariſmatum dona: Hic ille ignis eſt, de quo Dominus paulo ante paſſionem ſuam Apoſtolis ſuis dixerat, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat*, fidei ſcilicet lumine & charitatis feruore. qui ſcilicet ignis Spiritus ſancti in Eccleſiam illapſus, per totum orbem diffuſus eſt, hactenúſque fulget & ardet, ab eodem Spiritu perenni influxu ſuccenſus, *qui fons eſt viuus, ignis, charitas & ſpiritalis vnctio.* Feſtum igitur ignis apud Chriſtianos etiamnum perdurat, & quamdiu in terris Eccleſia conſtabit, perenni cultu celebrabitur.

Luc. 12. 49.

Ignis verò etiam ſuperni alia poſt ortum Euangelicum ſolem, ſpiritúmque diuinum Eccleſiæ miſſum, extitit Hieroſolymis celebritas, ex quo ſcilicet annis ſingulis in Dominicæ Reſurrectionis Eccleſia, Sabbatho ſancto, incipiente officio, ignis conſueuerat de cœlo omnium in fidelium conſpectu deſcendere, qui lampades lucernáſque omnes Eccleſiæ ob mœrorem paſſionis Domini à feria quinta extinctas, miro fulgore accendebat, nec magis luce ſplendidiſſima ſpectantium illuſtrabat oculos, quàm ingenti lætitia mentes replebat, ob triumphum hoc cœleſti decore coruſcantem Victoriæ Chriſti Domini reſurgentis. Ferunt etiamnum miraculum illud Hieroſolymis perſeuerare, videntibus non modò Chriſtianis, ſed Turcis etiam aliíſque infidelibus. Qua de re aliàs diſſeruiſſe me non fugit, in Parthenia ſcilicet Hieroſolymitana, nondum mandata typis, parte 1. &c.

Sed ignis myſtici in Eccleſia Catholica quotannis Sabbato ſanctò ritus eſt benedictionis ſolennis, de cuius videlicet lumine paſchalis cereus ſolet illuminari. Extat inſigne huius accenſionis cerei teſtimonium Zachariæ Papæ epiſtola eius 12. ad Bonifacium, vbi ita ſcribit, *De igne Paſchali quod inquiſiſti, à ſanctis priſcis Patribus, ex quo per Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti gratiam, & pretioſo ſanguine eius Eccleſia dedicata eſt, quinta feria Paſchæ * dum ſacrum Chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diuerſis candelis Eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiore Eccleſiæ loco ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeficienter, cum multa di-*

* id eſt ante Paſcha.

ligentia inſpectæ ardebunt; Ita vt oleum ipſum ſufficere poßit vſque ad tertium diem. De quibus candelis Sabbato Sancto, pro ſacri fontis baptiſmate, ignis per Sacerdotem renouabitur; Subinde tamen ignis reſeruari cœpit tantùm à die ſacra Paraſceues, ſicut colligitur ex hoc loco Amalarij Fortunati, de ordine Antiphonarij, c. 44. *Reſeruetur ignis de ſexta feria, vt illuminetur cereus qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedictionem. qui ab initio benedictionis illuminatus eſt; & cùm benedictus eſt ab eo illuminetur ſecundus cereus. Cætera luminaria extincta permaneant vſque ad nouißimam Litaniam, quæ pertinet ad officium Miſſæ de Reſurrectione Domini; Tunc accendantur Luminaria Eccleſiæ, & neophytorum, vt ſignificetur reſurrectione Chriſti de terra, illuminandum orbem terrarum.* Cui ſuccinit Alcuinus, lib. de Diuinis officiis c. de Sabbato Sancto Paſchæ.

At ritus ille temporis ſucceſſu nonnihil immutatus eſt, eo ſcilicet recepto more, qui etiamnum vigenti in vſu perſeuerat. *Hora competenti cooperiuntur altaria, & dicuntur horæ, candelis altaris extinctis vſque ad principium Miſſæ. Interim excutitur ignis de lapide foris Eccleſiam, & ex eo accenduntur carbones. Nona dicta Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluuiali violaceo, vel ſine caſula, aſtantibus ſibi miniſtris, cum cruce, aqua benedicta, & incenſo; ante portam Eccleſiæ ſi commodè poteſt, vel in ipſo aditu Eccleſiæ benedicit nouum ignem dicens, ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Oratio, Deus qui per Filium tuum, angularem ſcilicet claritatis tuæ ignem fidelibus tuis contuliſti, productum è ſilice, noſtris profuturum vſibus ignem ſanctifica, & concede nobis ita per hæc Feſta Paſchalia cœleſtibus deſideriis inflammari, vt ad perpetuæ claritatis puris mentibus valeamus feſta pertingere. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Oremus, Domine Deus Pater omnipotens lumen indeficiens &c. Oremus, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicentibus nobis hunc ignem in nomine tuo, & vnigeniti Filij tui Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti, cooperari digneris, & adiuua nos contra ignita tela inimici, & illuſtra gratia cœleſti. Qui viuis & regnas cum eodem vnigenito tuo & Spiritu Sancto Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen, &c. Interim omnia luminaria Eccleſiæ extinguuntur, vt de igne benedicto poſtmodùm accendantur, &c. Et Acolythus deferens candelam accenſam de nouo igne accendit vnam ex illis tribus candelis deſuper poſitis in arundine. Et Diaconus eleuans arundinem genuflectit, ſimiliter & omnes alij cum eo præter Subdiaconum crucem ferentem, & cantat ſolus, Lumen Chriſti. Et procedens ad medium Eccleſiæ, ibi accenditur alia candela, & iterum genuflexus vt ſuprà, altiùs cantat, Lumen Chriſti. Tertiò procedit ante altare vbi accenditur tertia candela, & rurſus genuflexus vt priùs, adhuc altiùs dicit, Lumen Chriſti. ℟. Deo gratias.* Poſteà benedicto Cereo Paſchali, huícque infixis quinque granis incenſi benedicti, ad illa verba, *Sed iam columnæ huius præconia nouimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit:* Diaconus accendit cereum, cum vna ex tribus candelis in arundine poſitis. Fontéque baptiſmali ſolenniter benedicto, dum Sacerdos cum miniſtris induit paramenta pro Miſſa ſolenniter celebranda, luminaria interim accenduntur in altari. Hæc cæremonia ſeruatur Ritu Romano, quemadmodum in Miſſali legitur; Nec porrò nupera de-

bet exiſtimari, ad hanc enim formulam propè accedit Agenda in die Sabbati Sancti, quæ in Codice MS. Sacramentorum collecto ante annos ferè 700. à Ratoldo Abbate Corbeienſi XXVI. qui obiit anno Domini 986. præſcripta eſt, in qua ad verbum hæc habentur, *Iubeat* (Sacrorum Præſes) *adquiri nouum ignem, cum ampulla, à Sole inluminatum, ſiue à ſilice excuſum: deinde faciat crucem de incenſo in cereo, & ſcribatur annus Domini, atque A, & Ω, & tunc portetur cereus ante Epiſcopum, cum proceſſione cum candelabris & thuribulis, tamen ſine lumine, &c. Inde Leuita petens benedictionem ab Epiſcopo, eat ad cereum & conſecret, &c. Interim Epiſcopus ſedendo benedicat ignem & incenſum, vt audiant circumſtantes, cereus verò non inluminetur, vſque dum peruenerit Diaconus,* Ignis accendit. Qui ritus coincidit cum Romano ſuperiùs deſcripto; hoc dempto quod apud Ratoldum munus hoc ab Epiſcopo impletur, quod in Miſſali Romano, à Sacerdote peragitur.

ARTICVLVS V.

Benedictio Incenſi.

Herodot. l. 2. THVS in funeribus apud Veteres non adhibebatur. At Catholica Eccleſia in exequiis Saluatoris, ſui ſponſi vtitur incenſo, tametſi non benedicto à Sacerdote, ex præſanctificatis communicante, ſiquidem Feria 6. in Paraſceue poſt lectionem primæ & ſecundæ Prophetiæ & Paſſionis Domini, ſolemniúmque orationum illius diei recitationem, & adorationem Crucis peractam, Sacerdos vbi cum miniſtris & proceſſione Cleri acceſſit ad locum, vbi Corpus Domini repoſitum eſt feria 5. conſecratum, orat aliquantulum: poſteà ſurgens abſque benedictione imponit incenſum in duobus thuribulis, Diacono nauiculam miniſtrante, & genuflexus incenſat Sacramentum; duo autem Acolythi cum thuribulis ipſum Sacramentum, dum à Sacerdote ſub baldachino ad altare defertur, incenſant. Collocato poſtea ſuper altare Corpore Domini, cum Calice, vino cum aqua infuſo, Sacerdos imponit incenſum in thuribulo abſque benedictione, & incenſat oblata & altare, more ſolito genuflectens antè & pòſt, & quoties tranſit ante Sacramentum. Cùm incenſat oblata dicit: *Incenſum iſtud à te benedictum aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua.* Cùm incenſat altare dicit, *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum,* &c. quando reddit thuribulum Diacono dicit, *Accendat in nobis Dominus ignem ſui amoris & flammam æternæ charitatis.* Et ipſe non incenſatur.

Porrò Sabbato Sancto poſtquam Sacerdos benedixit ignem nouum, excuſſum è ſilice, benedicit quinque grana incenſi ponenda in cereo, dicens abſolutè hanc orationem: *Veniat quæſumus omnipotens Deus ſuper hoc incenſum larga tuæ bene†dictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem inuiſibilis regenerator accende, vt non ſolùm ſacrificium quod hac nocte litatum eſt, arcana luminis tui admixtione refulgeat, ſed in quocunque loco ex huius ſanctificationis myſterio aliquid fuerit deportatum, impulſa diabolica*

fraudis nequitiâ, virtus tuæ Maieſtatis aſſiſtat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Dum benedicit grana incenſi, Acolythus aſſumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo, & finita oratione ſupradicta, Sacerdos de nauicula ponit incenſum in thuribulo benedicens illud more ſolito; deinde prædicta grana incenſi & ignem ter aſpergit aqua benedicta &c. & ter adolet incenſo. Cæterùm circa medium præconij Paſchalis, ſeu formulæ ſolennis benedictionis cerei, Diaconus infigit quinque grana incenſi à Sacerdote benedicti, in cereo, in modum crucis.

Quo ſcilicet ritu datur intelligi cereum ipſum paſchalem ex opere apum puriſſimo confectum, ſymbolum eſſe corporis Chriſti, de Spiritu ſancto in viſceribus Virginis immaculatæ concepti, & die heſternâ oblati ſuper aram crucis Deo patri omnipotenti, in odorem ſuauitatis pro redemptione mundi: quinque verò grana incenſi benedicti ſignificare quinque vulnera ipſius Domini Saluatoris, quibus ſanguinem ſuum pro noſtra ſalute cum extremo ſpiritu in pretium noſtræ redemptionis profudit.

Myſticus eſt certè quinarius numerus in ſacris paginis. Lex enim quinque libris continetur: Cherubim templi, alæ ſingulæ quinque cubitorum erant. Ipſius verò templi quinque baſes ad dexteram partem & totidem ad ſiniſtram. Altare holocauſti erat quinque cubitorum, ſic & templi veſtibulum, Ezech. 40. Piſcina probatica quæ erat Hieroſolymis quinque porticus habebat. Chriſtus ex quinque panibus hordeaceis quinque millia hominum ſatiauit. Regnum cœlorum ſimile eſſe quinque Virginibus prudentibus prædicauit. Gratiæ dona quibus bona merita comparantur, quinque talentis comparauit. Sed nihil eſt quo magis numerus iſte illuſtratur, quàm quinque plagæ, quibus Chriſtus in cruce confixus ſalutem noſtram operatus eſt. Quamobrem poſtquam à mortuis victor cum triumpho ſurrexit, plagarum iſtarum cicatrices vt ſibi chariſſimas, quia nobis ſalutiferas & Deo patri gratiſſimas, ſuo in corpore iam impaſſibili & glorificato remanere voluit. Pulchrè hæc ipſius Domini rediuiui verba ad ſuos diſcipulos expendens S. Ambroſius, *Videte manus meas & pedes,* Luc. 24 38. *Nam quomodo non corpus,* (inquit lib. 10. Comm. in Luc.) *in quo manebant inſignia vulnerum, veſtigia cicatricum quæ Dominus palpanda obtulit: in quo non ſolùm fidem firmat, ſed deuotionem acuit, quod vulnera ſuſcepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, vt Deo patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet.* Hæc igitur quinque vulnera Deo ſub ſymbolis quinque granorum incenſi benedicti, cereo paſchali myſtico ritu infixorum, Eccleſia Deo patri, & ſuffitum ſuauiſſimum & munus omnium gratiſſimum ac pretioſiſſimum offert, ipſo Sabbato ſancto Paſchalem Triumphum celebrare incipiens, dum ſolennes gratiarum actiones pro ſalute noſtra à Chriſto heſterno crucis ſacrificio feliciter parta, ſupplex & deuota rependit.

Summi vnius erat Sacerdotis, cùm ingrediebatur ſanctuarium, ſpecialis compoſitionis thymiama Deo offerre, Leuit. 16. 12. ſolius Chri-

ſti fuit per proprium ſanguinem ingredientis in Sancta, hoc ſuorum vulnerum incenſum in thuribulo crucis pro litro noſtræ redemptionis Deo patri adolere, cuius ſuauiſſimo odore iram eius placaret, & nobis eius conciliaret gratiam & propitiationem. Ad quod arcanum innuendum ſapienter proſpexit Eccleſia, vt quamuis Sabbato ſancto Diaconus cereum paſchalem conſecret, non tamen quinque grana incenſi benedicat, ſed ſolus Sacerdos, qui Chriſti gerit vicem.

Nec modò hac die ſacra Sabbati in Vigilia Paſchæ Sacerdos benedicit incenſum: at quotieſcumque ad altare in ſacrificio thus adoletur, id ritu myſtico Sacerdos benedicit: nam in Miſſa ſolenni celebrans antequam legat introitum, benedicit incenſum dicens, *Ab illo bene † dicaris, in cuius honore cremaberis.* Et accepto thuribulo à Diacono incenſat altare. Et poſt oblatorum præparationem (ſcilicet dicto offertorio & precatiunculis ſubiunctis) ruſus benedicit incenſum dicens, *Per interceſſionem Beati Michaelis Archangeli ſtantis à dextris altaris incenſi, & omnium electorum ſuorum, incenſum illud dignetur Dominus benedicere & in odorem ſuauitatis aſſumere, Per Chriſtum Dominum noſtrum* &c. Et accepto thuribulo à Diacono incenſat oblata modo in rubricis generalibus præſcripto dicens, *Incenſum iſtud à te benedictum, aſcendat ad te Domine, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua*; deinde incenſat altare dicens, *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo &c.* Et dum reddit thuribulum Diacono dicit, *Accendat in nobis* &c. vt ſuprà. Poſtea incenſatur Sacerdos à Diacono &c.

Cæterùm extra ſacrum Miſſæ, etſi offeratur incenſum ad altare, non benedicitur, ſed ſimpliciter adoletur, at non ab alio quàm Sacerdote, quoniam oblatio thuris actus eſt religionis & cultus diuini, qui adeo Sacerdotis proprius eſt, vt lepra percuſſus fuerit Rex Oſias à Deo, quòd temerè præſumpſiſſet manus in thuribulum iniicere & offerre Deo incenſum, nec Sacerdoti ſummo ipſius temeritatem reprehendenti voluiſſet morem gerere. Græci eò adulationis erga ſuum Imperatorem proripuerunt, vt ipſi fas eſſe voluerint haud minus quàm Preſbyteris & ipſi Patriarchæ, incenſi ſuffitum ad altare Deo adolere. Quod quidem ſacrilegium Deus ſeuerè vltus eſt, non modò Imperatoribus Græcorum profano auſu ſibi Sacerdotalia, quin & Pontificalia munera arrogantibus ſtirpitùs exciſis, ſed ipſo Orientis imperio prorſus euerſo & deſtructo. At de hoc aliàs fuſiùs. Verùm de thuris vſu inter ſacra & Eccleſiaſtica officia, nonnulla iam in hoc opere notauimus, ac alibi plura obſeruauimus. Sed ex profeſſo de eo tractauit ac eruditè more ſuo Ioannes Stephanus Duranti lib. 1. de Ritibus Eccleſiaſticis c. 9. ſed & de eorum vſu apud priſcos Romanos Alexander ab Alexandro diſſeruit lib. 6. c. 6.

AR-

ARTICVLVS VI.

Benedictio panis in Miſſa parochiali.

CONCILIVM Nannetenſe, quod alij ſub Formoſo, alij ſub Vitaliano * Papa celebratum volunt, can. 9. ſic habet: *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Preſbyteriis, conuenienter partes inciſas habeat* (Preſbyter) *in vaſe nitido, vt poſt Miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant. Et illa vnde Preſbyter Eulogias daturus eſt, antè in hæc verba benedicat: Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta benedictione, vt ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuerſas inimicorum inſidias tutamentum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, panem vitæ qui de cœlo deſcendit, & dat vitam ac ſalutem mundo, & tecum viuit & regnat, &c.* Canon iſte videtur eſſe tamen antiquioris Decreti renouatio. Nam apud Burchardum, lib. 5. c. 27. & Iuonem, part. 2. c. 3. Pio Papæ & Martyri qui XI. à Petro ſedit, tribuitur.

* Vide tom. 15 Conciliot. Regiæ edit. vbi ſignatur hoc Concilium Vitaliani PP. iuſſu coactum, à Niuardo Archiep. Remenſi anno Domini 638. ſi tamen idem ſit cuius canones XX. feruntur, qui in eadem collectione Conciliorum leguntur ſub Formoſo.

Nec eſt quòd quis miretur tantæ antiquitati referri panis benedicti vſum, extra diuinæ participationem ſynaxis & Euchariſtiæ ſumptionem: ſiquidem Apoſtolis fuiſſe vſum hunc familiarem in quorundam eorum actis legimus. Refert Abdias, vel alius quiſque ſit, vetus auctor, ex ſibi tum compertis monimentis, lib. 1. Certaminis Apoſtolici, S. Petrum Romæ extra ſacra, benedixiſſe panem, quem cùm oſtendiſſet Simonis Magi canibus, protinùs diſparuerunt. Idem verò lib. 3. hæc de beatiſſimo ipſius ſancti Petri germano commemorat: *Beatus Andreas Cratino & vxore eius ſanatis ab ægritudine, cùm gratias egiſſet frangens panem dedit eis, quo accepto, Domino crediderunt.* Nec vlla ſubeſt legitima ſuſpicio quòd panis iſte Euchariſtia fuerit. Nam Sanctus hic Apoſtolus præceptum Domini non ignorabat, *Nolite* *Matth. 7. 6.* *ſanctum dare canibus*, id eſt infidelibus qui ius ad menſam Domini quæ filiorum eſt dumtaxat, nullum habent. At verò iſti coniuges nondum erant baptizati, nondum enim credebant; ſed accepto hoc pane ab Apoſtolo cum benedictione ipſis dato, tunc primùm crediderunt & mox fuerunt ſalutari fonte ab ipſomet Apoſtolo expiati. Idem auctor lib. 9. recenſet S. Thomam Apoſtolum, pane à ſe benedicto dæmoniacas mulieres ſanâſſe.

Ex facto S. Andreæ Apoſtoli ſuprà memorato proceſſit forſitan vetus Eccleſiæ ritus, vt Catechumenis panis benedictus (ſicut fidelibus Euchariſtia) impertiretur. huc ſpectat celebris ille locus S. Auguſtini lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, c. 26. vbi interponens diſcrimen inter ipſam Euchariſtiam & panem illum, eius in vicem benedictum & datum Catechumenis, ait: *Non huiuſmodi eſt ſanctificatio, nam & Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum, per ſignum Chriſti* (id eſt crucem) *& orationem manûs impoſitionis puto ſanctificari, &*

quod accipiunt quamuis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius quàm cibi quibus alimur. Quibus verbis innuit Euchariſtiam quidem Catechumenis denegari, at Eulogiam, ſeu benedictum panem, eius loco iis tradi, ex praxi fuiſſe communi in Eccleſia receptum: idem inſinuat lib. 1. de peccat. remiſſ. c. 20. & tract. 11. & 106. in Ioannem.

At non tantùm Catechumenis, ſed etiam (temporum ſucceſſu) ipſis fidelibus panis benedictus dari cœpit, cùm ſcilicet pietate frigeſcente, Chriſtiani qui dudum quotquot ſacrificio intereſſent, communicare conſueuerant, rariùs cœpiſſent ad diuinum myſterium accedere; quibus vt ſtimulus adderetur lex lata eſt, vt ſingulis diebus Dominicis communicarent. *Can. Non iſte. & can. Quotidie, de conſecrat. diſtinct.* 5. Sed rurſum tamen inualeſcente populi negligentia, ſtatutum in Concilio Agathenſi iam ſæpius memorato, vt quotannis ter ſaltem diuinum munus acciperent, ſcilicet in Natali Domini, feſto triumphali eius Reſurrectionis, ac ſacro Pentecoſtes die. Cui legi cùm nec morem gererent, tandem in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. can. *Omnis vtriuſque ſexus*, ſtrictiori præcepto fuit conſtitutum, vt ſaltem ſemel in anno, & quidem in feſto Paſchæ Reſurrectionis Domini, quicunque fideles communicarent diuinæ Euchariſtiæ, ſub pœna excommunicationis in vita, & priuationis in morte Chriſtianæ ſepulturæ. Túmque frequentior vſus panis benedicti eſſe cœpit: viſum enim ſatius eſſe vt iis quibus rarior erat ad ſacram menſam acceſſus, diebus ſaltem Dominicis, panis ille ad hoc ſpecialiter oblatus, à Sacerdote parœciali benediceretur, & Miſſæ aſſiſtentibus fidelibus, non excommunicatis impertiretur in vicem diuinæ Euchariſtiæ, vt Durandus notauit lib. 4. Rationalis diuinorum officiorum c. 53. In Græca tamen Eccleſia praxis hæc antiquior fuit, ſi fides adhibeatur Balſamoni ſic loquenti ad can. 2. Concilij Antiocheni: *Puto autem ex hoc canone eſſe inuentam & excogitatam Antidori diſtributionem, vt neceſſe haberent ij etiam qui non poſſunt ſanctorum & viuificorum myſteriorum eſſe participes, ad finem vſque diuini myſterij perſeuerare & ipſum è manu Sacerdotis ad ſanctificationem accipere.* Conſtanter ſeruatus fuit ab illis priſcis temporibus mos iſte apud Græcos, vnde Cabaſilas in expoſitione diuinæ Liturgiæ c. 53. ſignatim obſeruat Sacerdotem ſacrificio peracto oblatum panem, ex quo ſacrum panem abſcidit, in multa diuiſum fidelibus tradere, vt qui ſanctus ſit, vt pote ad altare præſentatus, & ad ſuppeditandam miſericordiam diuini muneris dedicatus. Quo ex more Ferrariæ, vbi Græci cum Latinis conuenerant ad ſynodum Oecumenicam quæ Florentiæ abſoluta eſt, Dominica quæ Concilio proxima erat, Ioſephum Patriarcham extra ſacrificium panem benedixiſſe, & in ſignum Eccleſiaſticæ pacis Marchioni Ferrarienſi eiúſque ciuibus, meridas ex eo, id eſt particulas diſtribuiſſe.

Certè diu antequam rarior adeo apud Latinos eſſe cœpiſſet Euchariſtiæ participatio, ſaltem longè antequam canon, *Omnis vtriuſque*

ſtxus, conditus fuiſſet ab Innocentio III. in generali Concilio Lateranenſi, panis benedictus populo diebus Dominicis ſacro Miſſæ ſacrificio aſſiſtenti, dari conſueuerat, vt patet ex Decreto Pij I. ſuprà ſignato, & canone Concilij Nannetenſis itidem memorato: cui accedit Canon 50. Concilij Maticenſis ſeu Matiſconenſis, à Burchardo citatus lib. 5. c. 32. & Honorij Auguſtodunenſis, qui diu antequam celebraretur Concilium Lateranenſe ab Innocentio III. claruit; ſiquidem hic auctor Eccleſiaſticarum Theoriarum non imperitus lib. . . Gemmæ animæ ſeu de myſteriis Miſſæ c. 67. ait, ſtata lege eſſe præceptum, vt panis poſt Miſſam à Preſbytero benedicatur, & pro gratia communionis diſpertiatur.

In praxi Catholicæ Eccleſiæ mos ille conſtanter hactenus obſeruatus perſeuerat, quemadmodum ipſa obſeruantia patet ex Rituali Romano, iuſſu Pauli V. recognito, in quo benedictio panis à Sacerdote facienda præſcribitur hoc tenore, ℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum & terram.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Domine Ieſu Chriſte, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, bene✝dicere dignare panem iſtum ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, vt omnes ex eo guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen. Et aſpergat aqua benedicta.* Alia ibidem ſubiungitur orationis formula, quæ non alia eſt ab ea quam ſuprà deſcripſimus ex Concilio Nannetenſi, vnde ad verbum eſt deſumpta, quamuis in ipſo Rituali non notetur.

ARTICVLVS VII.

Benedictio Vini, Lactis, & Mellis.

VENITE, *emite abſque argento & abſque vlla commutatione vinum & lac*, ait Spiritus ſanctus, inuitans per Iſaiam gentes ad Chriſtianæ regenerationis myſteria. Vnde mos fluxit, vt recens baptizatis daretur vinum ſuaue ac dulce cum lacte mixtum: cuius ritus ſic expreſsè meminit S. Hieronymus in Commentariis ſuis ſuper Iſaiam ad cap. 55. *Prouocat nos* (inquit) *non ſolùm vt vinum emamus, ſed & lac, quod ſignificat innocentiam paruulorum.* Qui mos & typus in Occidentis Eccleſiis hodie vſque ſeruatur, vt renatis in Chriſto vinum lácque tribuatur, de quo lacte dicebat & Paulus, *Lac vobis potum dedi non eſcam:* Et Petrus, *Quaſi modò nati paruuli lac deſiderate.* Nec tantùm in Occidente mos iſte, ſed etiam in Oriente dudum inoleuit, vt patet ex hoc loco Clementis Alexandrini lib. 6. Pædagogi, c. 6. *Porro autem*, inquit, *miſcetur quoque lac vino dulci. Lac enim à vino fereſcit & ſcinditur, & quicquid eius eſt adulterinum, id tanquam per aquæ ductum educitur. Eodem autem modo ſe habet ſpiritualis fidei ſocietas in hominem patibilem, fereſcere enim faciens carnales concupiſcentias, hominem ad æternitatem contrahit, diuinis immortalem efficiens.* *Iſa. 55.* *1. Cor. 3.* *1. Petr. 2.*

Mel etiam dari conſueuerat tam infantibus quàm adultis ſacro regeneratis fonte. huc ſpectat Tertullianus lib. de corona militis

Meminit quoque mellis Clemens Alexandr. loco ſignato.

c. 3. *dum cæremonias baptiſmi* referens ait, *deinde ter mergitamur, inde ſuſcepti, lactis & mellis ſocietatem prægustamus.* Et lib. 1. aduerſus Marcionem c. 14. diſertè meminit *aquæ qua Deus ſuos abluit, & olei quo ſuos vngit, & lactis & mellis quo ſuos infantat*, &c. Ideo gratulabunda ſibi Beata Agnes annorum 13. puella, iam matura martyrio, coram tyranno dicebat, *Induit me Dominus cyclade auro texta & immenſis monilibus ornauit me. Mel & lac ex ore eius ſuſcepi, & ſanguis eius ornauit genas meas.* Meminit huius infuſionis lactis & mellis in baptiſmo, S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, vbi de Traditionibus Eccleſiæ diſſerens ait : *Multa alia quæ per traditionem in Eccleſiis obſeruantur auctoritate ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt, velut in lauachro ter caput mergitare, deinde egreſſos, lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem.*

Cæterùm pabula hæc myſtica renatis fonte baptiſmatis, nonniſi priùs benedicta à Sacerdote vel Epiſcopo dari conſueuerant; vnde in actis ſanctæ Suſannæ Virginis & Martyris, neptis S. Caij Papæ, à Notariis Romanæ Eccleſiæ conſcriptis legimus : *Eadem hora B. Caius Epiſcopus liniuit eum*, (Claudium ſcilicet Suſannæ patruum) *chriſmate, baptizauitque eius vxorem Præpedignam & filios Alexandrum & Cuthiam, quos Gabinus Preſbyter à baptiſmo ſuſcepit. Obtulit verò pro eis ſacrificium in eadem domo & conſecrauit corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & lac, & mel, & fontem, participauitque cum omnibus myſterium Dei.* Sed & eiuſdem ritus benedictionis lactis & mellis mentionem expreſſam faciunt Patres Concilij III. Carthaginenſis c. 24. hac verborum ſerie: *Vt in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum : primitiæ verò ſeu lac & mel, quod vno die ſolenniſſimo, pro infantium myſterio ſolet offerri, quamuis in altari offeratur, ſuam tamen propriam habet benedictionem, vt à Sacramento corporis & ſanguinis diſtinguatur.* In veteri ordine Romano illius benedictionis lactis & mellis formula, hac ſerie extat deſcripta; *Benedictio lactis & mellis*, ſub tit. *de Sabbato ſancto : Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui eſt ſpiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promiſiſti patribus noſtris, Abraham, Iſaac & Iacob dicens: Introducam vos in terram repromiſſionis, terram fluentem lacte & melle. Coniunge Domine famulos tuos ſpiritu charitatis & pacis, ſicut coniunctum eſt hoc lac & mel, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui tecum viuit & regnat &c.* Hæc cæremonia tandem apud Occidentales Eccleſias exoleuit, ſed hodie vſque apud Æthiopes perdurat, vt videre eſt in eorum myſteriorum ordine qui ſic habet : *Diaconus deinde dat eis lac & mel, & dicit; lac & mel immaculatum in regenerationem, Amen. Sacerdos autem dicit; lac & mel immaculatum per Ieſum Chriſtum. Amen.*

ARTICVLVS VIII.
Benedictio Olei.

NON hîc de Chriſmate, vel oleo infirmorum, aut oleo Catechumenorum, (quia hæc benedictio ad ſolum Epiſcopum pertinet)

tractare ſtatuimus, ſed de ſimplici oleo quod à Preſbytero benedici Eccleſia voluit, pro multiplici fidelium ſolatio, quantum ad rem ſpectare poteſt intendimus diſſerere. Sic igitur legimus præſcriptum in Rituali Romano de benedictione olei ſimplicis. ℣. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum & terram. Exorciſmus. Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem† omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Omnis virtus aduerſarij: omnis exercitus diaboli & omnis incurſus: Omne phantaſma Satanæ eradicare & effugare ab hac creatura olei, vt fiat omnibus qui eo vſuri ſunt, ſalus mentis & corporis in nomine Dei Patris † omnipotentis, & Ieſu Chriſti † filij eius, Domini noſtri, & Spiritus ſancti † paracleti, & in charitate eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem. Amen.* ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Deus omnipotens cui aſtat exercitus Angelorum cum tremore, quorum ſeruitium ſpirituale cognoſcitur, dignare reſpicere & benedicere † & ſanctificare hanc creaturam olei, quam ex oliuarum ſucco eduxiſti, & ex eo infirmos inungi mandaſti, quatenus ſanitate percepta, tibi Deo viuo & vero gratias agerent: præſta quæſumus vt ij qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus †, vſi fuerint, ab omni langore omníque infirmitate atque cunctis inſidiis inimici liberentur, & cunctæ aduerſitates ſeparentur à plaſmate tuo, quod pretioſo ſanguine filij tui redemiſti, vt nunquam lædatur à morſu ſerpentis antiqui. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Aſpergat oleum aqua benedicta.*

Ex verbis huius exorciſmi & orationis, ſatis patet quo fine oleum iſtud benedicatur. Sed hìc quæri poteſt, cur hoc oleum dicatur oleum ſimplex? fortè ad differentiam Chriſmatis, quod mixtum eſt ex oleo oliuarum & balſamo, ſeu potiùs quia non ad vſum vllius Sacramenti benedicitur, vt ſit illius materia, vt oleum infirmorum extremæ vnctionis, chriſma Confirmationis, & oleum Catechumenorum, appendix & acceſſorium Baptiſmi, ſed tantùm ad hunc effectum vt infirmis ſolatium afferat, dæmonibus terrorem incutiat, hóſque expellat, & fideles aduerſus eorum inſidias ac inſultus, & contra aduerſa quæque tueatur, & per modum deprecationis tantùm, non verò vt fit per Sacramenta, per modum operis operati.

Quæri etiam poteſt, vndenam colligitur quod in oratione illius benedictionis legitur, videlicet, quòd iuſſerit Deus oleo infirmos inungi: ſi enim hìc fiat reſpectus ad illa verba Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis. Inducat Presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini.* Oleum iſtud à Preſbytero benedictum eſſet materia Sacramenti extremæ vnctionis, quod alienum ab Eccleſiæ vſu & conſenſu: ex quo liquet nonniſi Epiſcopo licere oleum infirmorum benedicere, quòd ſit materia illius Sacramenti. Dico igitur diuinum hoc mandatum elici ex c. 6. S. Marci, vbi refert, miſſos à Domino diſcipulos, prædicâſſe pœnitentiam, & dæmonia multa eie-

ciſſe, additque, *Et vngebant oleo multos infirmos, & ſanabant.* Sicut igitur Chriſti mandato prædicabant, dæmonia expellebant, ita etiam ſanabant ægros vngentes eos oleo, per modum opitulationis corporalis, non tamen virtutis Sacramentalis, quæ per Sacramentum extremæ vnctionis adhibetur, cui annexa eſt gratia ſpiritualis, nam ſcriptura dicit, *& oratio fidei ſaluabit infirmum &c. & ſi in peccatis fuerit remittentur ei.* Quod minimè fiebat per vnctionem illam quam commemorat S. Marcus, huius enim effectus circa corpora tantùm verſabatur, quamobrem de ea dumtaxat ait, *Et vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

Quo exemplo vſus inualuit apud Sanctos qui dono curationum diuino munere prædití erant, vt (ne ſibi ſanitatum ſolatia tribuerentur, ſed diuinæ virtuti ac beneficio) infirmos oleo benedicto inungerent; ſic feciſſe S. Hilarionem meminit in eius vita S. Hieronymus, ſic Theodoretus S. Simeonem Stylitem, *Ferunt* (inquit) *coniugem Regis Perſarum petiiſſe oleum eius benedictione conſecratum: turmatim & multi alij rogantes vt eſſent participes olei benedicti.* Idem refert de Aphraate Anachoreta. Eiuſmodi oleo Proculum Chriſtianum curâſſe Seuerum Imperatorem teſtis eſt Tertullianus ad Scapulam; Sulpitius lib. 1. de vita S. Martini c. 15. & Dialog. 3. c. 2. inſignia miracula refert ab ipſo B. Martino peracta, olei benedicti perfuſione ſuper infirmos. Sic S. Genoueſam ægrotos ſanaſſe, energumenos liberaſſe ab infeſtatione dæmonum, in eius Actis legimus; ſuáque ætate teſtatur Palladius fuiſſe complures ſanctos Abbates, qui morbos oleo benedicto depellebant. Nóſque in Martyrologio Galliæ pleriſque locis nonnulla eiuſmodi exempla, ex authenticis Sanctorum noſtratium geſtis obſeruauimus, quæ hîc tædioſum foret minutim recenſere. Notata reperiet Lector, in rerum inſignium indiculo, ſub voce *oleum.*

In Relig. Hiſt.

Sed vbi donum opitulationum minùs in Eccleſia frequens eſſe cœpit, tum in infirmorum gratiam, mos ille crebriori vſu receptus eſt: vt citra Sacramentum extremæ vnctionis, ægrotis variis langoribus vexatis, oleum concederetur, non quidem ab Epiſcopo, ſed à Sacerdote in hunc vſum benedictum, quo ſanitatum ſolatia, ſi cum fide hoc lenimentum adhiberent, conſequerentur, ſicut pleriſque contigiſſe piè hoc ſubſidio vtentibus, experientia longæua docuerat.

Sic etiam Eccleſia cenſuit, gliſcenti non ferendo abuſui ſacri Chriſmatis occurrendum, inſignis eſt ſententia B. Cypriani, *Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta &c. ſed virtus diuina potentiùs operatur;* nimirum ad ſupernaturales circa animæ ſalutem effectus. Fuerunt tamen qui chriſmate ſicut remedio corporali abutebantur, aliiſque modis, quos vt præciſum iret III. Turonenſe Concilium ſub Carolo Magno, can. 20. ſic decreuit: *Presbyteris iniungendum eſt ne ſacrum Chriſma foras conclaue dimittant, vbi à quolibet attingi poſſint; nam criminoſos eodem Chriſmate vnctos aut potatos, nequaquam vllo examine deprehendi poſſe, à multis putatur.* Alij ad alios longè deteriores vſus ſacrum

Serm. de Vnct. Chriſmat.

ipſum chriſma detorquebant. Quamobrem Canones diſtrictè Preſbyteris præcipiunt, id ſub vigili & tuta cuſtodia aſſeruare, quemadmodum conſpicere licet in Concilio IV. Arelatenſi ſub Leone III. & Carolo Magno c. 18. Moguntino I. can. 27. Metenſi ſub Arnulpho Imperatore c. 3. Lateranenſi Oecumenico ſub Innocentio III. c. 20. Et Pontificali Romano, ſub tit. de officio in v. feria Cœnæ Domini, in fine, vbi iubet Epiſcopus Preſbyteris attentè, vt iuxta Canonum traditionem, chriſma & olea ab ipſo Epiſcopo illa die conſecrata fideliter cuſtodiant, & nulli ſub prætextu medicinæ, vel maleficij, tradere præſumant, alioquin honore priuentur.

At ſecus eſt de oleo à Preſbyteris benedicto, hoc enim in vſum medicinalem laicis concedi poſſe cenſuit Eccleſia, videlicet iuxta Innocentij I. epiſt. 1. Decretalem, qua dicit cap. 8. *Oleo ſancto poſſe vti non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam Laicos, in ſuis & ſuorum neceſſitatibus.* Cui ſententiæ ſubſcripſerunt Patres Concilij Wormatienſis can. 72. At de oleo ſimplici à Sacerdote benedicto, ſatis hic dictum, de quo iterum dixiſſe memini in commentariis ad *Martyrologium noſtrum Gallicanum* die 3. Ianuarij.

Vide Bedam in c. 6. Marci.

ARTICVLVS IX.

Benedictio Cerei Paſchalis.

IAM vbi ſuprà de benedictione aquæ baptiſmalis, & ignis, & incenſi nonnulla diſſeruimus; prælibauimus quædam de Cerei Paſchalis benedictione. Quamobrem aliqua hoc loco analecta tantùm ſubiicienda videntur, vbi primùm de auctore huius ritus quæ ad rem conferunt, fuerint annotata. Sanè Alcuinus in lib. *de diuinis officiis* tit. *de Sabbato ſancto*, & Amalarius lib. de *officiis Eccleſ.* c. 18. Cerei Paſchalis Zozimo tribuunt inſtitutionem. Hos recentiorum quidam ſecuti ſunt, non aduertentes ritum Paſchalis cerei, eſſe in Eccleſia longè Zozimi Papæ Pontificatu antiquiorem: cùm apud Aurelium Prudentium celebris hymnus extet, decantandus ad incenſum Cerei Paſchalis; cuius initium eſt:

Tom. 8. Biblioth SS. Patrum p. 476. & ſeqq.

Inuentor rutili, dux bone, luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis,
Merſo ſole chaos ingruit horridum.
Lucem Chriſte tuis redde fidelibus?

At vir quidam pius & cum primis eruditus, exceptionem iſtam refellit, ad rem hanc non facere ratus: *Ex eo quòd ille hymnus* (inquit) *non ſit de Cereo Paſchali, ſed hymnus veſpertinus ſit, de lumine qui olim veſpere quotidie in Eccleſia ſolenni quodam ritu accendebatur.* Verùm, cum pace tanti viri dixerim, ſatis accuratè hymnum illum non perſpexit, præter titulum enim qui reperitur in omnibus exemplaribus MSS. & editis, quíque proprium hunc hymnum eſſe innuit ſolennitati Paſchali, & non quotidiano lumini, quod lucernariâ horâ accendebatur, ſed illi Cereo, qui cum balſamo & incenſo offerebatur: certè tota ſeries

Menard. in Notis & obſeru. in lib. Sacramentor. S. Gregorij Papæ p. 90.

huius hymni, Paſchalem Chriſti triumphum, myſteriorúmque omnium commemorationem, quæ ſpectant renouationem mundi factam per Chriſtum, ſpirat. Meminit enim auctor rubi incombuſti in quo Deus olim Moyſi apparuit, miſſionis ipſius Moyſis in Ægyptum ad populum Iſrael liberandum; eductionis populi; maris rubri tranſitûs, ſubmerſionis Pharaonis & eius exercitûs, aquæ è ſilice eductæ, mannæ & cæterorum quæ facta ſunt poſt egreſſionem populi ex Ægypto mirabilium, eductionis Patrum è limbo, Chriſti ab inferis cum triumpho reſurgentis, &c.

Illa nocte ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis.

Quin & excuſſionis ignis è ſilice:

Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno lumine quærere
&c. . . . .
In Chriſto Domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur Doctor egregius.

Ritus porrò ille excuſſionis ignis è ſilice (vt ſuprà oſtendimus) proprius eſt Sabbati ſancti; nec mirum igitur ſi noctis illo in hymno fit mentio, ſiquidem cæremonia hæc nocte fieri conſueuerat, Miſſáque ipſa Sabbati ſancti nocte celebrabatur. Quamobrem etiamnum oratio ipſa Liturgica Sabbati ſancti ſic habet, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem, gloria Dominicæ reſurrectionis illuſtras.* Et Paſchalis cerei benedictio, quæ hodie vſque in vſu perſeuerat, noctem ipſam hoc myſterio illuminari prædicat, *O beata nox quæ ſola meruit ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit.* Tum affixis cereo à Diacono quinque granis incenſi in modum crucis, Diaconus ipſe ſubiungit, *In huius igitur noctis gratia, ſuſcipe ſancte Pater incenſi huius ſacrificium veſpertinum, quod tibi in hac cerei oblatione ſolenni, per miniſtrorum manus, de operibus apum, ſacro-ſancta reddit Eccleſia.* Ad hunc ritum igitur reſpexit Prudentius cùm hymnum hunc ſuum inſcripſit, *ad incenſum Cerei Paſchalis.* Cuius hymni tota ſeries (vt conſtat ex dictis) indicat Paſchalem ſolennitatem, & triumphantis Chriſti de morte & inferis, ſuúmque populum liberantis trophæum illuſtriſſimum decantat. Accedit quòd Prudentio ſynchronus fuit S. Ambroſius, qui eodem quo ille tempore aduerſus Symmachum Præfectum prætoriæ Vrbis ethnica ſacra repetentem, aculeatum pro defenſione Chriſtianæ religionis ſtylum ſtrinxit. Extant vtriuſque egregia illa opuſcula Apologetica, Prudentij verſu, S. Ambroſij ſoluta oratione contexta. At verò ſicut Prudentius eximium illum hymnum ad incenſum Cerei Paſchalis cecinit, ita Ambroſius in Liturgicis ſuis officiis, formulam piam & elegantem expreſſit, quæ extat in Sabbato ſancto præſtituta, *ad benedictionem Cerei paſchalis per Diaconum.* Proſtat verò edita per Pammelium in Latinis Liturgiis, ſub hac epigraphe, *Ritus & ordo Ambroſianæ Miſſæ.*

Tom. 1. p. 344. &c.

Sunt qui cenſeant S. Gregorium Papam, cognomento Magnum, auctorem

ctorem fuiſſe huius formulæ benedictionis Cerei Paſchalis, quæ etiamnum in vſu eſt: *Et reuera in libro Sacramentorum* ipſius B Gregorij, habetur verbatim expreſſa; librum autem iſtum eſſe genuinum opus S. Gregorij, maior doctorum ſenatus agnoſcit, quamuis ſi audiatur Ioannes Diaconus, in ipſius ſancti Pontificis vita, non compoſuiſſe ipſum Sacramentorum librum, at tantùm recenſuiſſe, fatendum ſit. ait enim: *Gelaſianum Codicem de Miſſarum ſolenniis multa ſubtrahens, pauca conuertens, nonnulla ſuperadiiciens, in vnius libelli volumine coarctauit.* Quod etiam aſſerit Walfridus Strabo, lib. de Rebus Eccleſ. c. 22. Gelaſium verò nec ipſum ordinem Liturgiæ & diuini officij primum contexuiſſe conſtat, ſed dumtaxat emendâſſe, aut in integrum reſtituiſſe, periti Eccleſiaſticarum Theoriarum & praxe‹o›n aſſeuerant, diu enim ante Gelaſium Eccleſia precationum, rituúmque ſacrorum præſcriptas formulas habebat, vt colligitur ex S. Auguſtini epiſt. 59. ad Paulinum, q. 5. & ep. 106. ad Vitalem fautorem Pelagianorum; *Exerce*, inquit, *contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas.* Quin & lib. de bono perſeuer. c. 22. *Atque vtinam, &c. ſic audirent*, (tardi corde & infirmi) *vel non audirent in hac quæſtione diſputationes noſtras, vt magis intuerentur orationes, quas ſemper habuit & habebit Eccleſia ab exordiis ſuis, donec finiatur hoc ſæculum.* Et ſatis apertè meminit orationum illarum ſolennium, quas in ſacro die Paraſceues Eccleſia pronuntiat pro omni genere humano, pro cuius ſalute Chriſtus illa die profudit ſpiritum & ſanguinem: *Quando* (inquit) *audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, ora pro incredulis, vt eos Dominus conuertat ad fidem, & pro Catechumenis, vt eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, vt in eo quod eſſe cœperunt, ſuo munere perſeuerent.* Id ipſum inſinuat Cœleſtinus I. ſub cuius pontificatu B. Auguſtinus obiit, epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ contra Pelagium & Cœleſtium, vbi ait: *Quum enim ſanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum ingemiſcente Eccleſia, poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, & Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, vt denique Catechumenis, ad regenerationis Sacramenta perductis cœleſtis aulæ miſericordia reſeretur.* Hinc igitur meridiana luce clarius euadit: idem officium, eaſdem preces, eoſdem ritus qui nunc vſque feria 6. in Paraſceue obſeruantur, iam tunc fuiſſe in vſu; vnde conſectaneum ſit, & Sabbati ſancti officium eodem tenore iam tunc quoque fuiſſe diſpoſitum, proinde illam ſolennem formulam benedictionis Cerei Paſchalis, eſſe non tantùm B. Gregorio Magno, ſed & Gelaſio, quin & Cœleſtino, imò & Zozimo antiquiorem. Nam extat magna ex parte apud S. Ambroſium loco citato, incipit enim ab illis verbis celeberrimis, *Exultet iam Angelica * turba cælorum;* Et ſeriatim procedit vſque ad hæc (Diaconi excuſationem): *Vt qui me non meis meritis intra Leuita-*

Vide eundem S. Aug. hæreſ. 88.

* *tuba*

rum numerum dignatus eſt aggregare &c. Et hinc vſque ad inuitationem illam, *Surſum corda*, &c. *Gratias agamus.* Quæ verò ſequuntur, etſi verbis ſint à reliquo tenore formulæ Gregorianæ diuerſa, ſenſu tamen ita huic affinia ſunt, vt ab eodem ſpiritu dictata non abs re videantur. Fieri potuit vt quæ infra primam Ambroſianam ſeriem leguntur, fuerint à S. Gregorio compoſita; ſed quicquid ſit, non dubium quin ritus ille benedicendi Cerei Paſchalis, ſit longè antiquiſſimus, quamuis in eodem ſeruando formulæ fuerint alicubi à Romana diuerſæ, vt vel ex eo patet quòd apud Ennodium Epiſcopum Ticinenſem, qui obiit anno 521. hoc eſt annis vt minimum ſexaginta antequam S. Gregorius Sedi Apoſtolicæ præeſſet, duæ Cerei Paſchalis extant benedictiones eleganti ſtylo conſcriptæ in opuſculis miſcellaneis 9. & 10. Sed quæ vſu exciderunt, poſtquam formula Romana fuit à S. Gregorio texturâ fortè aut elegantiori aut pleniori illuſtrata: ſtudioſi enim ſemper fuerunt admodùm ſummi Pontifices, vt vniformitas in rebus & ritibus Eccleſiaſticis vbique ſeruaretur, mósque Romanus apud omnes Eccleſias diffuſus obtineret; quemadmodum iam dudum ſatagebat Innocentius I. epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, qua dicit: *Si inſtituta Eccleſiaſtica, vt ſunt à beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſeruare Domini Sacerdotes, nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus & conſecrationibus haberetur: Sed dum vnuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diuerſa in diuerſis locis vel Eccleſiis, aut teneri aut celebrari videntur.*

Sed vt ad Zozimum Papam redeamus, non leuiter hallucinantur, (vt conſtat ex præmiſſis) qui dicunt ritum benedicendi Cerei Paſchalis ab eo fuiſſe inuectum. Anaſtaſius in hiſtoria Pontificali, ei Zozimo nonnullas tribuit editas ſanctiones: *Conceſſa* (inquit) *licentia per Parochias cereum paſchalem benedici.* Ante Zozimum itaque benedicebatur, ſed tantùm in matricibus Eccleſiis, quas nunc Cathedrales appellamus. At Zozimus permiſit illum etiam in Parœcialibus benedici, quibus etiam ſenſim baptiſterium habendi proprium, facultas conceſſa fuerat. Nec modò Catholici ſcriptores præcipuæ claſſis hoc indultum Zozimo adſcribunt, at etiam heterodoxi, ex quibus Funccius lib. 7. Comment. in Chronologiam ſuam, ait, *Conceſſit item, vt in parœciis Cerei Sabbato ſancto benedici poſſent.*

Cur autem illo die, cerei, qui ideo dicitur Paſchalis, ſolennis benedictio fiat, docet Concilium IV. Toletanum, can. 8. hac verborum ſerie: *Lucerna & Cereus in præuigiliis Paſchæ apud quaſdam Eccleſias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius Sacramentum, ſolenniter hæc benedicimus, vt ſacræ reſurrectionis Chriſti myſterium quod tempore votiuæ huius noctis aduenit, benedictione ſanctificati luminis accipiamus, vtque hoc obſeruetur præcipimus. Nulli autem impune erit qui hæc contempſerit, ſed regulis Patrum ſubiacebit.* Erat igitur ritus ille authenticus & canonica auctoritate ſuffultus, adeo vt qui hunc obſeruare negligerent, ſecundùm Patrum Decreta, Eccleſiaſticis pœnis fierent obnoxij.

Cæterùm de benedictione Cerei Paſchalis, huiúſque ritus antiquitate, ſatis pro operis noſtri inſtituto. vnum ſupereſt obiter annotandum, cur inter benedictiones Sacerdotales, Cerei Paſchalis benedictionem numeremus, cùm hæc benedictio fieri ſoleat à Diacono, non autem à Preſbytero? Verùm hoc nihil obſtat quominus inter Sacerdotales hæc benedictio referatur, quia quamuis à Diacono expleri debeat, conſueuerítque hactenùs: hoc tamen ſacrum munus à Diacono haud licitè obiri poteſt, niſi Preſbytero præſente & iubente, adeóque poſtulanti humiliter ipſi Diacono in hæc verba, *Iube Domne benedicere*, ſuam benedictionem palam & publicè impertiente. Diaconus igitur ſic vice Sacerdotis, eiúſque mandato cereum benedicit, cui vt ſanctificationem concilier applicat quinque grana incenſi à Preſbytero priùs benedicta, & in hunc finem Diacono ipſi tradita.

ARTICVLVS X.

Benedictio Cereorum & Candelarum in feſto Purificationis intemeratæ Virginis Sanctiſſimæ Deigenitricis Mariæ.

DE feſti Euangelici Purificationis beatiſſimæ Virginis Deigenitricis inſtitutione, proprio loco verba fecimus, nempe in Commentariis ad noſtrum Martyrologium Gallicanum 4. nonas Februarij. Hîc tantùm igitur de Cereorum ac Candelarum benedictione, quæ ſolenni ritu à Sacerdote fieri in feſto hoc conſueuit, ſupereſt vt quædam pro amica breuitate conſignemus, huius articuli inſcriptioni conuenientia. Sanè geſtatio accenſorum luminum cum ſolenni Cleri & populi concurſu atque proceſſione in Eccleſia tam Orientali, quàm Occidentali, antiquiſſima eſt. Extat homilia S. Cyrilli Hieroſolym. de hac ipſa ſolennitate, vbi ſic ait, *Lætare valde filia Sion; prædica lætitiam filia Ieruſalem? hodie enim glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei &c. Hodie cœleſtis ſponſus cum thalamo Dei matris venit in templum. Filiæ Ieruſalem egredimini in occurſum eius. Lampades alacriter accendamus vero lumini &c. Gentium populi lucem ferentes occurramus in templo, ad Deum Chriſtum conueniamus &c. Læti hodie lampades ornemus, tanquam filij lucis ceras veræ luci Chriſto offeramus? quoniam lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit; ideo lumina ex lumine ſupra niuem reſplendeamus ſupra lac dealbati, ſupra ſaphyrum illuminati, ſupra immaculatas columbas in cœlum euolantes &c. Hodie dilecti feſti curſum perpetuò peragamus, cum Angelis choros ducamus, cum paſtoribus illuminemur, cum orthodoxis adoremus, cum Bethlehem feſtum agamus, cum templo ſanctificemur, cum Virgine feſtum agamus, cum Simeone Chriſtum vlnis amplectamur.* Sic & S. Gregorius Niſſenus in oratione de eodem myſterio, ab initio non procul, concionatur; *Honorificum* (inquit) *parans comitatum, præſenti ſancto feſto Domini, ad excipiendum Regem gloriæ.* Ita etiam Methodius Martyr Epiſcopus Patarenſis, quem paſſum conſignat S. Hieronymus ſub Decio & Valeriano, in homilia de hodierno occurſu Domini, *Vnà*, inquit, *cum Chriſti grege feſti huius ſtudioſo*

lætitiam iungentes, choreas ſaltem ducere libet &c. feſtum agimus non ex Græcorum vanis fabulis, ridiculum, attonitúmque Deorum conuiuium adducens, ſed eius Dei cuius gloria immenſa eſt. Sed & Eccleſiæ Æthiopum eodem ritu feſtum Purificationis colunt, quem vocant ideo *Candelarum*, hócque feſtum ferunt vnum eſſe ex nouem ab Apoſtolis inſtitutis, ſicque accepiſſe ex octo libris ſynodorum, profitentur in generalibus commemorationibus S. Mariæ c. 6. Porrò in Latina Eccleſia, cereorum in ſolennitate hac geſtatio, mediæ non eſt ætatis (vt quidam volunt) inſtitutum: ante annos mille ſiquidem erat in vſu. S. Hildephonſus huius eſt teſtis veritatis in ſermone de Purificatione S. Mariæ, vbi ait, *Simile quid olim, quod ad cereorum accenſorum delationem, fuiſſe à Romanis factitatum ipſo menſe Februario, quem ſic à Februo* * *id eſt Plutone vocitarunt, quem potentiſsimum purgationis exiſtimabant; februare enim purgare dicebant. Quo menſe luſtrabatur ciuitas. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem congruè & religioſè Chriſtiana mutauit Religio, cum eodem menſe, die ſcilicet ipſa 2. in honore ſanctæ Deigenitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, non ſolùm Clerus, ſed & omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis & diuerſis hymnis luſtrantibus circumeunt.* S. Eligius Epiſcopus Nouiomenſis, qui eodem ſæculo, quo B. Hildephonſus, viuebat, (obiit enim vt notat Sigebertus in Chronico anno 665.) ſermonem habuit in feſto Purificationis ſanctiſſimæ Virginis, quo luculenter diſſerit de Cereorum myſterio. Beda idem memoriæ conſignat quod S. Hildephonſus, lib. de temporum ratione c. 10. Cæterùm Rituum ſacrorum Eccleſiæ interpretes de ſolenni huius diei proceſſione cum cereis accenſis & candelis, corúmque ſignificatione tractant, ſcilicet Alcuinus lib. de diuinis officiis c. 7. Amalarius Fortunatus Archiepiſcopus Treuirenſis, lib. 3. c. 43. Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus lib. 2. de inſtitut. Clericor. c. 33. Fulbertus Carnotenſis ſerm. ad populum de Purificatione B. Mariæ; S. Bernardus ſerm. 1. &. 2. de eadem ſolennitate, Rupertus Abbas lib. 3. de diuinis offic. c. 25. Innocentius IV. ſermone de eadem, aliíque poſteriores.

* *Vide S. Iſidor. lib. 5. c. 32. quin & S. Aug. lib. 18. cont. Fauſtũ c. 5.*

Alcuinus notat Romæ fuiſſe ſua ætate morem, vt à Pontifice cerei darentur Clero & populo: quorum cereorum benedictio extat in Ordine & Miſſali Romano, nec formula vetus ab ea quæ hodie vſque ſeruatur, diſcrepat, niſi pauculis tantùm verbis. Nam in Codice Rotaldi Abbatis Corbeienſis qui anno 980. obiit, ſub titulo, *Benedictio ſuper candelas*, eadem habetur deprecationis formula, excepto tantùm exordio quod ſic habet, *Domine Ieſu Chriſte, creator cæli & terræ, Rex Regum & Dominus Dominantium.* Cætera ſunt conſona.

Sunt verò cauſæ nonnullæ ſcitu dignæ huius Cereorum benedictionis & geſtationis.

Prima ex ipſo Cantico elicitur Simeonis, quòd Chriſtus hodie in templo Hieroſolymis præſentatus, velut lumen deſideratiſſimum omnibus hominibus illuxit, & tenebras mortis depulit vitæ aditu patefacto: *Nunc dimittis* (ait) *ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Secunda eſt à S. Fulberto citato ſermone indicata. *Volumus*, inquit, *vobis breuiter exponere fratres, vnde cœpit ſolennitas purificationis, quam hodie celebratis, & quid ſignificent cerei quos offertis* (Tunc enim non ſolùm fideles cereos in proceſſione accenſos gerebant, ſed in Miſſa eoſdem ad altare offerebant.) Et infrà, *Chriſtum in cereo accenſo docet nos oportere meditari. Per lumen* (inquit) *cerei diuinitatem, per ceram ſignificantes carnem ipſius Virginalem; Apis enim & ceræ & mellis opifex, ſine coitu maris & fœminæ procreatur.* Hanc rationem accuratiùs explicat & de Chriſto & de nobis Petrus Epiſcopus Exquilinus lib. 3. Catalogi c. 72. *Tertiò*, inquit, *propter myſticam ſignificationem & in capite & in membris, in capite enim candela accenſa Chriſtum ſignificat, in cereo enim tria ſunt, quæ denotant tria quæ in Chriſto fuerunt. Nam cera quam apes gignunt ſine vlla commixtione, ſignificat carnem Chriſti natam de Virgine, lychnum in cera latens ſignificat animam candidiſſimam in carne latentem; ignis verò ſiue lumen ſignificat diuinitatem, quia Deus noſter ignis conſumens eſt. In membris verò quia per hoc inſtruimur quomodo coram Deo purificari debemus, vt ſcilicet habeamus fidem veram, actionem bonam & intentionem rectam, nam candela accenſa eſt fides integra, cum operatione bona, quia ſicut cera ſine lumine mortua eſt, ſic & fides ſine operibus mortua eſt. lychnum autem in cera occultatum, eſt intentio recta in opere latens.*

Tertia cauſa eſt, vt qui per Chriſti gratiam ſunt purificati, hac cæremonia admoneantur, prudentes illas Virgines (quarum B. Virgo Maria caput eſt) imitari, quæ vt habet parabola Euangelica, lampadibus accenſis ſponſo occurrentes intrauerunt cum eo ad nuptias. Hanc rationem notat Honorius Auguſtodunenſis lib. 3. Gemmæ animæ, c. 24.

Quarta, vt fide & felici gaudio nos iuſto Simeoni conformemus, & cum eo aliquatenus participemus, qui Chriſtum infantem geſtans in vlnis ſuis vitæ æternæ gaudia prægustauit, nullúmque iam videre lumen præoptauit ex quo ſuis oculis conſpexerat vnicum mundi Saluatorem: in quo omnem ſuam ſpem defixit, omnibus mundi rebus contemptui & faſtidio iam habitis. Cauſam hanc ſignauit Rupertus Tuitienſis Abbas, loco citato.

Quinta ſpectat beatiſſimæ Virginis Mariæ perpetuò conſeruatam integritatem; *Sicut enim caro Chriſti* (ait Iuo Carnotenſis ſerm. de Purificatione) *de mundiſſimo & bono odore virtutum referta carne proceſſit, & nec in conficiendo, nec in egrediendo matris integritatem violauit: ſic cera quæ hodie geſtatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta fructus eſt apis, virginis videlicet animantis, cuius ſexum vt legitur, nec maſculi violant, nec fœtus quaſſant.*

Sexta, eáque multiplex deſumitur ex publicis precibus quibus vtitur Sacerdos in benedictione cereorum, orans Deum vt qui iuſſu ſuo, per opera apum, hunc liquorem ad perfectionem cerei peruenire fecit, *Has candelas ad vſum hominum & ſanitatem corporum & animarum benedicere & ſanctificare dignetur, vt eas geſtantes igne charitatis ſuccenſi, in templo ſancto gloriæ ipſius repræſentari mereantur. Inſuper vt corda hominum Spiritus ſancti ſplendore illuſtrata, omni vitiorum cæcitate careant, mentes eo-*

rum illuminentur, & eiuſdem ſancti Spiritus gratia illuminati atque edocti, Deum veraciter agnoſcant & fideliter diligant, quatenus per huius ſæculi caliginoſa diſcrimina, ad lucem indeficientem peruenire mereantur.

Denique non ſolùm hodie Virgo intemerata puerperium ſuum in lege præſcriptum abſoluit, filium ſuum vnigenitum templo intulit, primogenitum redemit, munus ſuum obtulit Sacerdoti, at à Simeone benedictionem accepit. Eſt quòd ſinguli fideles, hos actus ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ ſedulò meditentur atque eoſdem imitentur; ſed etiam quòd Sacerdos benedictionis munere fungens, vt huic ſiue ſuſcipiendæ, ſiue impertiendæ ſeſe dignum cum Simeone venerabili ſene ſtudeat exhibere, qui vir iuſtus & timoratus erat, ideóque plenus Spiritu ſancto, doniſque gratiæ copioſis, enunciatur.

Extat in Rituali Romano, Ordo benedictionis candelarum, extra diem candelarum, ſeu Purificationis B. Mariæ Virginis, hac ſerie concinnatus. ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit cœlum & terram.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, bene † dic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris: Infunde eis Domine per virtutem ſanctæ crucis †, benedictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talémque benedictionem ſignaculo ſanctæ † crucis accipiant, vt quibuſcunque locis accenſæ ſiue poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum & contremiſcant & fugiant pauidi cum omnibus miniſtris ſuis, ab habitationibus illis, nec præſumant ampliùs inquietare aut moleſtare ſeruientes tibi omnipotenti Deo; Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.* Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta.

ARTICVLVS XI.

Benedictio Cinerum, Feria 4. in capite ieiunij.

POENITENTIVM ſuper capita cineres aſpergi omni tempore, quo ad publicam pœnitentiam in Eccleſia admittebantur, ritus fere cum Religione Chriſtiana exortus eſt. Hinc illud Tertulliani lib. de Pœnitentia, *In aſperitudine ſaxi, & horrore cineris.* Ideò S. Iſidorus lib. 2. de officiis Eccleſ. c. 16. obiter deſcribens ritum ſolennis pœnitentiæ, *Cinere autem* (inquit) *aſperguntur, vt ſint memores, quia cinis & puluis ſunt.*

Cùm autem facti eſſent Chriſtiani ſegniores, ſalutíſque minùs longè quàm olim ſolliciti, Eccleſia maternam de iis curam gerens diem indixit, quo peccatores canonibus obnoxij, pœnitentiam publicè depoſcerent. Hinc illud apud Burchardum Theorema lib. 19. c. 2. *Presbyteri debent admonere plebem ſubiectam, vt omnis qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, Feria 4. ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad viuificatricem matrem Eccleſiam, vbi quod malè commiſit cum omni humilitate & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat remedia pœnitentiæ ſecundùm modum canonicis auctoritatibus præfixum.*

Attamen in veteri ordine Romano, vbi titulus eſt, Ordo in Fe-

ria 4. Quadrageſimæ, quæ eſt in capite ieiunij, omnes promiſcuè ad petendam pœnitentiam inuitantur; ſic enim ibi legimus, Feria 4. id eſt in capite ieiunij: *Veniunt ad collectam. Hac die, flectamus genua, pronunciante Diacono ſuper populum cum inclinatione capitis; imprimis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris ſcripturarum teſtimoniis, ad veram confeſſionem, verámque pœnitentiam feſtinantiùs accedant.*

Ad ritum imponendi cineres illa die ſuper capita fidelium: S. Gregorius morem illum addidit, vt vnicuique à Sacerdote diceretur, *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quæ Dei verba ſunt ad Adam dicta poſt eius peccatum; hoc notauit Durandus Mimatenſis, lib. 6. Ration. diuinorum officior. c. 28. Et ex eo refert Arnoldus Wion, lib. 5. ligni vitæ c. 12. vbi de S. Gregorio I. Emblemate 1. tabulæ ad ſiniſtram, his verbis: (poſtquam Emblema explicatum eſt) *Quo notatur S. Gregorium feriam 4. poſt Quinquageſimam, adiectis tribus diebus ſequentibus, caput eſſe Quadrageſimæ conſtituiſſe, cámque multis cæremoniis & Sacramentis celebrem reddidiſſe, in quibus eſt illa qua in recognitionem humanæ conditionis, vt populis cineres à Sacerdote darentur ordinauit, eodem ſententiam Domini terribilem, ac ſemper animo meditandam pronuntiante, Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quo fit vt cuncti generatim mortales ſimel ſaltem in anno reddantur mortis memores, quod facit vt rectiùs viuamus, certò ſcientes nobis eſſe moriendum.* Qua de re inſigne nobis monimentum ſuggerit S. Auguſtinus in ſent. ſententia vltima, vbi ait: *Diuitiis & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria & pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, reſpice teipſum quia mortalis es, & quia terra es & in terram ibis: Circumſpice eos qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulsêre; vbi ſunt quos ambiebant ciuium potentatus? vbi inſuperabiles Imperatores? vbi qui conuentus diſponebant & feſta? vbi equorum ſplendidi inuectores? vbi exercituum duces? vbi ſatrapæ tyranni? Nunc omnia puluis, nunc omnia fauillæ, nunc in paucis verſibus memoria eorum eſt. Reſpice ſepulchra, & vide, quis ſeruus, quis dominus, quis pauper, quis diues? diſcerne ſi potes vinctum à rege, fortem à debili, pulchrum à deformi? Memor itaque naturæ ne extollaris aliquando: memor autem eris: ſi teipſum reſpexeris.* Huc ſpectat inſigne & illud monitum egregiæ pœnitentis B. Mariæ Ægyptiæ. Cùm enim Zozimas Preſbyter, redeunte Paſchate reuerſus eſſet ad locum, ab illa Sancta condictum, eam iacentem & mortuam reperit, ac pone illam in terra ſcriptum, *Sepeli Abba Zozima, miſeræ Mariæ corpuſculum, terram redde terræ, & puluerem pulueri.* Vtinam ſalutiferi huius documenti omnes, vt par eſſet, memores eſſemus! Eo ſanè fine ſanctus Gregorius inſtituit, vt in capite ieiunij Sacerdos imponens capitibus noſtris cineres, nos noſtræ mortalitatis admoneret, iis ipſis verbis, quibus Deus olim Adamum communem generis humani parentem, poſt eius lapſum miſeriæ & corruptionis cui iam obnoxius erat, cum omni poſteritate memoriam ſemper præſentem in mente habere iuſſit, *Puluis es & in puluerem reuerteris.*

Geneſ. 3.

Nihil eſt quod citiùs euaneſcat, quàm puluis & cinis, vnde quic-

Pſal. 1. quid leue & inane eſt dicitur in Scriptura: *Tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ; Nos autem aſſimilati ſumus fauillæ & cineri*, Iob. 30. Sed tamen ita ſumus veritatis huius (cuius Deus nos ab incunabulis conſcios eſſe voluit) memoria & recordatione tenaces, vt quamuis feria 4. Cinerum in capite ieiunij omnes certatim accurrant, Sacerdotis genibus prouoluti, caput inclinent in ſignum feriæ humilitatis & pœnitentiæ, cineres ſibi pro more Eccleſiaſtico, imponi ſuppliciter depoſcentes, audiántque cum nonnullo ſpecimine pietatis, terribilem hanc Dei omnipotentis in vniuerſum genus humanum, ab initio mundi prolatam, repeti & inculcari ſententiam, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*: Vix egreſſi ab Eccleſia ſumus, quin mox cum cinere capitibus inſperſo, omnem memoriam diuini & Sacerdotalis huius monimenti excutiamus; nec enim magis quàm antehac de morte, & cæteris nouiſſimis cogitamus, Ethnicis hac in parte deteriores, qui veram hominis ſapientiam haud aliud eſſe quàm mortis meditationem, non tantùm verbis cenſuerunt, ſed factis etiam præclaris ſe seriò credere prodiderunt.

Quæ cauſa eſt cur Eccleſia non ſolùm noſtris capitibus ſolenni hoc ritu, (qui vbique ſeruatur quotannis feria 4. in capite ieiunij) cineres, à Sacerdote pronunciante nobis diuinum de morte noſtra decretum, imponi voluit: ſed vt cinerum ipſa myſtica aſperſio fieret nobis efficax & vtilis, ad mortis meditationem altè noſtris animis infigendam, precibus hanc gratiam pro nobis à Deo Sacerdotis ore poſtulandam, ipſóſque cineres antequam nobis imponantur, ab ipſo Sacerdote ſolenni benedictione conſecrandos conſtituit, quin etiam aqua benedicta aſpergendos.

Nec nouo quidem hæc more fiunt; nam tempore Optati Mileuitani, iam in vſu fuiſſe ex acri Donatiſtarum aduerſus Eccleſiam Catholicam contentione & maligna æmulatione ſatis fit perſpectum. Hos enim (Virgines Catholicas quòd cogerent pœnitentiam ſuſcipere) reprehendens, *Conſecratas Deo* (inquit) *aſperſiſtis immundis cineribus, crines iuſſiſtis etiam aqua ſalſa perfundi.* aquam ſubindicans puram & verè benedictam, cineréſque mundos ad veræ pœnitentiæ opus, nonniſi in Eccleſia Catholica reperiri.

Lib. 6. aduerſus Parmenianum.

Refert Burchardus lib. 19. c. 26. hoc Agathenſis Concilij Decretum, quo ſolennis illa pœnitentiæ diſciplina breuiter quidem ſed genuinè deſcribitur; *Tunc ſurgens* (Sacerdos) *ab oratione iuxta quod Canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem priùs mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat.* Eundem agnoſcit & recitat Canonem Iuo Carnotenſis part. 15. Decreti c. 45.

In veteribus libris Sacramentorum, vbi ordo Feriæ 4. in capite ieiunij exprimitur, poſt dictos Pſalmos ſpeciales, precéſque actioni accommodatas, ſubiungitur: *Benedictio cineris, Sacerdote dicente, Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſimè reſpice &c. Subinde verò, Omnipotens ſempiterne Deus,* parce

parce metuentibus, propitiare ſupplicibus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui ſanctificet † cineres iſtos &c. Tùmque immittit cineres ſuper capita eorum, cum aqua benedicta. Hoc tempore ſuper capita fidelium, quibus imponuntur cineres à Sacerdote Feria 4. in capite ieiunij, aqua benedicta non aſpergitur, quia cùm Sacerdos cineres ipſos ſuper altare poſitos præſcriptâ formulâ benedicit, eoſdem ſacra aqua aſpergit. At dè hoc inſigni ritu Catholicæ Eccleſiæ, ſatis hîc pro inſtituto.

ARTICVLVS XII.

Benedictio palmarum, ſeu ramorum, Dominicâ qua Paſcha reſurrectionis Chriſti proximè antecedit, ſolito more à Sacerdote peragenda.

DOMINICA illa quondam (vt legitur in Ordine Romano) tritiori vocabulo dicebatur, *Dominica indulgentiæ*, poſteà dicta eſt *Paſcha petitum*, (ſeu deſideratum) *& Paſcha Competentium*, *Capitalanium*, *Dominica Oſanna*: At ſtabili tandem nomine iamdudum dicta eſt, & hodie vſque dicitur *Dominica in ramis palmarum*, imò à Græcis feſtum palmarum, ἑορτὴ τῶν βαΐων *, apud quos quàm ſit vetus illa ſolennitas, in eáque ramorum palmæ ſeu oliuæ, aut aliarum arborum geſtatio, in memoriam triumphalis ingreſſus Chriſti Domini in ſanctam ciuitatem paulo antequam pro mundi ſalute mortem in cruce, ſûa ex ineffabili erga nos bonitate ac miſericordia oppeteret, teſtis eſt S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 10. vbi ait, *Palma, quæ eſt in valle teſtatur, ramos exhibens his qui nunc benedicunt.* Quibus verbis ſubindicat ex ipſa palma adhuc ſuperſtite, è qua Hebræorum turmæ quæ Chriſto occurrebant, ramos quos ouantes deferrent ante eum, exciderunt: ſui ſæculi fideles conſueuiſſe eas frondes excerpere, quas gerere manibus, mos abhinc inolitus erat in illa Dominica, quæ ſalutaris illius ingreſſus Domini quotannis rediuiuam reddit memoriam. Porrò de ſolenni proceſſione quæ fit die illa ſingulis annis in ſancta ciuitate cum antiquis præclaríſque cæremoniis, dixiſſe memini accuratim in Parthenia Hieroſolymitana, quæ nondum eſt excuſa typis, aliquando in lucem auſpice Chriſto proditura.

** Vide Codinum Curopalatam in lib. de officiis.*

In Latina Eccleſia Dominica iſta ſemper in magna reuerentia fuit, etiamnúmque in inſigni religionis celebritate perſeuerat: de qua complures præter ſermones Patrum, & Doctorum quæ extant conciones, ſacrorum interpretes rituum ſatis copioſè pertractârunt. Non eſt huius loci ſingula recenſere, ſed duntaxat ritus benedictionis & geſtationis ramorum ſeu palmarum in ſolenni proceſſione, quæ fit ad ſalutarem ingreſſum Domini properantis ad mortem in Ieruſalem, recolendum, cæremoniam explicare, in quantum ad rem quæ vertitur, ſpectat. Agimus hîc enim tantùm de munere benedicendi, Sacerdoti proprio, ſolennibúſque benedictionibus, quas ex officio recenſere & facere conſueuit.

S. Iſidor. l. 1. de diuinis officiis c. 27. Alcuinus ſub. tit. feſti Ramorum palmarum. Amalar. Fortunatus lib. 1. de Eccl. off. c. 10. &c.

In ritu & ordine Ambroſianæ Miſſæ tam in maiori quàm minori Eccleſia fit officium Liturgicum, cum duplici præfatione propria, & orationibus ſuper populum, ſuper ſindonem, & ſuper oblata, in vtraque verò præfatione mentio fit occurſus turbarum ante Dominum cum ramis oliuarum. Sed de benedictione ramorum huiuſmodi, nihil in hoc ordine eſt expreſſum: quamuis titulus huius diei ſic prænotetur, *Dominica in ramis oliuarum*, & in precationum ſerie, ſatis appareat à Clero & populo frondes & ramos hac in celebritate geſtari.

In libro Sacramentorum S. Gregorij, hæc ipſa dies inſcribitur, *Dominica in Ramis palmarum*, cui propria collecta aſſignatur in Miſſa, *Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum*, &c. Deinde oratio ſuper oblata, *Concede quæſumus Domine, vt oculis tuæ Maieſtatis munus oblatum*, &c. Præfatio ſpecialis & plus ſolito breuis, *Verè dignum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem nobis indulgentia * largitur, & pax per omne ſæculum prædicatur, traditur cunctis credentibus diſciplina, vt ſanctificatos nos poſſit dies ventura recipere. Et ideo cum Angelis &c.* Móxque hæc ſubiungitur benedictio, non quidem ſuper ramos, ſed ſuper populum, hoc breui tenore: *Benedicat vobis omnipotens Deus, cui & ieiuniorum maceratione & præſentium dierum obſeruatione placere ſtudetis. Amen. Concedátque vobis vt ſicut ei cum ramis palmarum, cæterarúmque frondium præſentari ſtuduiſtis, ita cum palma victoriæ & fructu bonorum operum poſt obitum apparere valeatis. Amen. Quíque vnigeniti filij eius paſſionem puro corde creditis, mente deuota venerari ſtudetis, ad reſurrectionis eius feſta & veſtræ remunerationis præmia ipſius fulti munimine veniatis. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur &c.* tum ſubiicitur oratio ad complendum *Præſta nobis.* & alia ſuper populum, *Da miſericors Deus.*

* Dominica iſta dicebatur etiã Dominica Indulgentiæ, vt ſuprà notatum.

Verùm hic ordo Miſſæ tantùm mihi videtur eſſe præſcriptus. Nec obſtat quin extra hoc Liturgicum officium, alius ordo ſeruaretur pro cæteris huius diei cæremonijs, videlicet benedictione ramorum & proceſſione ſolenni; ſiquidem in Ordine Romano quem antiquiſſimum eſſe doctè & perſpicuè Melchior Hittorpius, in præmonitione ad lectorem ſuper collectione librorum complurium Scriptorum veterum de diuinis Eccleſiæ Catholicæ officiis, eſſe oſtendit: atque primùm ex priſcis Romanæ Eccleſiæ theoriis, ſacríſque praxibus à Gelaſio I. collectum & diſpoſitum fuiſſe per anni circulum. Extat ordo in die Palmarum luculentiſſimus: vbi poſtquam varia inſignis illius diei vocabula obiter annotata ſunt, ſtatio ad S. Ioannem in Laterano indicitur; vbi finitâ tertiâ, dictâque litaniâ, & expoſitis in medio palmarum, vel oliuæ, ſeu aliarum arborum ramis, primùm benedicit Sacerdos ſalem & aquam &c. Deinde dum canitur *Oſanna, benedictus qui venit &c.* Sacerdos dicit orationem: *Deus quem diligere.* hinc ſequitur lectio ex cap. 15. Exodi, *Venerunt filij Iſrael in Helim.* Qua dicta, cantatur Reſponſorium *Collegerunt*, deinde à Diacono legitur Euangelium ſecundùm Matthæum, *Cùm appropinquâſſet Ieſus Hieroſolymis.* Et ſi adſit Epiſcopus, facta ab eo concione ad po-

pulum de Euangelio & præſenti feſtiuitate, ſermone peracto, benedicuntur rami, dicitque Sacerdos orationem, *Adeſto nobis omnipotens Deus*, &c. Sequitur Exorciſmus florum frondium, & benedictio frondium oliuæ & palmarum per orationem, *Domine ſancte Pater omnipotens*, &c. duabûs aliis breuioribûs ſubiunctis. Quibus dictis fit benedictio ſolius oliuæ duabus orationibus, *Petimus te*, &c. *Auge fidem.* Et mox ſimul benedictio oliuæ & ramorum. Hinc coniunctim benedictio palmarum & oliuarum hac deprecatione, *Benedic quæſumus Domine hos palmarum ſeu oliuarum ramos, & præſta vt quod populus tuus tua veneratione, hodierna die corporaliter agit, hoc ſpiritualiter ſumma deuotione perficiat, de hoſte victoriam reportando, & opus miſericordiæ ſummoperè diligendo. Per Chriſtum &c.* Additur & alia palmarum & ramorum benedictio, aliáque ramorum ſiue oliuarum. Qua dicta cantatur à Sacerdote præfatio ſpecialis; Cui ſubiungitur Oratio, *Deus qui filium tuum:* Qua expleta, ſpargitur aqua benedicta ſuper ramos palmarum, oliuarum & aliarum arborum. Poſt aſperſam aquam & thurificationem factam dicit Sacerdos orationem, *Deus qui filium tuum vnigenitum*, aliámque quæ incipit, *Omnipotens genitor.* Qua finita dat Sacerdos palmas ad populum, cantando hanc Antiphonam, *Ante ſex dies ſolennitatis Paſchæ.* Mox dicit orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.* poſt cuius clauſulam rubrica hæc ſignatur: *Deinde expanſis palmis vadunt ad Eccleſiam vbi Miſſam debent celebrare, cantantes per viam antiphonas proceſſionales.* Prolixus eſt admodum harum omnium orationum & benedictionum contextus, ſed eleganti conſtans ſerie myſticíſque & moralibus ſenſibus refertus, quem qui fusè vt extat digeſtus voluerit perlegere, reperiet integra ſerie deſcriptum tom. 10 Bibliothecæ ſanctorum Patrum à columna 46. ad 50. imò ab ipſa 50. adhuc vſque 54. ſiquidem non tantùm palmarum & ramorum benedictio Sacerdotalis hîc refertur, ſed & pontificia Papæ proceſſio accuratè deſcribitur. Verùm non hîc è re noſtra viſum, tam fuſum ordinem retexere.

Hodie in Miſſali Romano ordo extat tam benedictionis quàm proceſſionis nonnihil breuior, prolixior tamen cæterarum Eccleſiarum formulis. nihil eſt ferè in hodierno iſto Romano Ordine, quod non ſit in antiquo, ſed quicquid eſt in veteri in hodierno non extat, in quo ab initio ponitur Antiphona *Oſanna*, oratio *Deus quem diligere*, Lectio ex c. 15. Exodi. ℟. *Collegerunt*, cum eo quod incipit, *in monte Oliueti.* Deinde legitur à Diacono Euangelium, *Cùm appropinquâſſet.* Quo dicto ſic benedicuntur Rami, ſtans Sacerdos in cornu Epiſtolæ dicit in tono orationis ferialis, ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Auge fidem in te ſperantium Deus, & ſupplicum preces clementer exaudi; veniat ſuper nos multiplex miſericordia tua, bene † dicantur & hi palmites palmarum ſeu oliuarum, vt ſicut in figura Eccleſiæ multiplicaſti Noë egredientem de Arca, & Moyſem exeuntem de Ægypto cum filiis Iſrael, ita nos portantes palmas & ramos oliuarum bonis actibus occurramus obuiam Chriſto, & per ipſum in gaudium introeamus æternum, &c.* Hæc

oratio deſumpta eſt ex veteri ordine Romano, ſed præfatio quæ ei ſubiuncta eſt, alia prorſus eſt ab ea, quæ in illo veteri continetur; Eſt fuſior, pulchrior, totáque eſt triumphalis: trophæum enim decantat clarificati à Patre æterno nominis eius filij vnigeniti, redemptoris mundi. Cui præconio Triſagium ſuccedit, Clero concinente, & populo acclamante, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. *Benedictus &c. Hoſanna*. Et tum dicit Sacerdos quatuor orationes, quarum prima deſumpta eſt ex ſupradicto veteri Ordine Romano, *Petimus te ſancte Domine &c.* Sed quæ ſequitur *Deus qui diſperſa congregas.* tertiáque incipiens, *Deus qui miro diſpoſitionis ordine.* & quarta *Deus qui per oliuæ ramum* &c. hodierni ritus Romani ſunt propriæ: poſtrema benedictio cuius initium eſt, *Benedic† quæſumus Domine*, deprompta eſt ex veteri ordine, vt refertur ſuprà. Poſteà ſequitur rubrica antiquæ illi praxi ferè conſona ad amuſſim, ſic enim habet, *Hîc celebrans ponit incenſum in thuribulum: deinde ter aſpergit ramos aquâ benedictâ, &c. & ter adolet incenſo, ſubiunctáque oratione, Deus qui filium tuum &c.* ramos Clero & populo congruo ordine modóque diſtribuit, vt in ipſo Miſſali Rom. præſcriptum eſt.

At verò his præmiſſis de forma benedictionis ramorum, non inane fuerit operæpretium hîc pauca quædam, circa materiam ſubnotare. Iſraëlitas obuiam Chriſto procedentes detuliſſe ramos palmarum S. Ioannes ſpeciatim teſtatur c. 12. *acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei.* S. Matthæus, & S. Marcus aliarum arborum ſine vllo diſcrimine illos portaſſe ramos memorantur, *Cædebant ramos ex arboribus, & ſternebant in via.* S. Matthæus c. 21. 8. Et S. Marcus c. 11. 8. *Frondes cædebant de arboribus & ſternebant in via.* Sed cùm veniens Ieroſolymā Chriſtus Dominus deſcenderet de monte Oliueti (vt diſertè notant iidem ſancti Euangeliſtæ) hinc valde veriſimile eſt, obuiantes ipſi Domino turbas, ramos oliuarum, quibus hic locus copioſus erat, accepiſſe, & coram eo pertuliſſe; & inde eſt quòd Eccleſia illa die, qua recolit triumphalem illum ingreſſum Domini, diſertè in orationibus ait, *Deus qui &c. populus obuiam Ieſu ramos portantibus benedixiſti; benedic etiam hos ramos palmæ & oliuæ, quos tui famuli ad honorem nominis tui fideliter ſuſcipiunt.* Nec ſine myſterio, quod ſequenti oratione, *Deus qui miro diſpoſitionis ordine* &c. ipſa ſancta mater Eccleſia his verbis enunciat: *Da vt deuota tuorum corda fidelium ſalubriter intelligant, quod myſticè deſignet in facto, quod hodie cœleſti lumine afflata, Redemptori obuiam procedens, palmarum atque oliuarum ramos veſtigiis eius turba ſubſtrauit. Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant; ſurculi verò oliuarum ſpiritualem vnctionem aduenîſſe &c. Et ideo talia obſequens adminiſtrauit, quæ in illo triumphos victoriæ, & miſericordiæ pinguedinem declarauit.*

Accedit quòd illa die Eccleſia paſſionis Domini recolendæ myſterium exorditur. At verò palma & oliua huius non obſcura monimenta ſunt, duo enim fuerunt ex lignis quatuor, quibus Crux ipſius Saluatoris fuit compoſita, vnde antiqui hi verſus:

Quatuor ex lignis Domini crux dicitur eſſe:

Pes crucis eſt cedrus, corpus tenet alta cupreſſus.
Palma manus retinet, titulo lætatur oliua.

Hinc collineat gloſſa in Clementinam primam de ſumma Trinitate, hoc carmine vulgarem de lignis crucis Domini complectens ſententiam.

Ligna crucis, palma, cedrus, cupreſſus, oliua.

Quod ſic ipſa gloſſa explicat, *Ponit verò cedrum in ſtipite, palmam in palo per longum, cupreſſum in ligno ex tranſuerſo, oliuam in tabula ſuper crucem.* circumferuntur eadem de re, hi duo meliori mente, quàm arte conſerti verſus:

De cedro truncus crucis eſt, ſtipéſque cupreſſo,
Brachia de palma, pars eſt oliua ſuprema.

Chriſtianus igitur hodie palmam & oliuam gerens, crucis & mortis Domini recordetur, dicat cum ſponſa Cantic. 7. *Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius. Surgit oleum oliuæ* (ait S. Hieronymus) *ex amaritudine radicis.* Ita & noſtra ſalus ex amaritudine paſſionis Domini proceſſit; *Non enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* *Tit. 3.* Quia enim *Chriſtus dilexit nos, tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* *Ephef. 5.*

ARTICVLVS XIII.

Benedictio Agni in Paſcha.

VETVS eſt mos iſte in Latina ſaltem Eccleſia. Nam Nicolaus I. in epiſtola ad Hincmarum Rhemenſem Metropolitam & cæteros Epiſcopos in regno Caroli conſtitutos, qua exponit cauſas odij & inuidiæ Græcorum aduerſus Latinam Eccleſiam, inter putidas calumnias quibus eam onerabant, hanc recenſet. *Mentiuntur quoque nos &c. agnum in Paſcha more Iudæorum ſuper altare pariter cum Dominico corpore, benedicere & offerre.* Anſam illi ſchiſmatici inferendæ nobis huius calumniæ, ex ritu illo non ſatis à ſe explorato arripuerunt, quo annis ſingulis in Paſcha, tranſacto iam paſſionis Domini mœrore & pœnitentiæ luctu ieiuniíque rigore, agnus ſolet non in altari collocari, nec cum corpore Domini conſecrari, aut offerri, ſed ſimpliciter benedici, non ab Epiſcopo, ſed à Presbytero, non in ſacrificium ſed in ſubſidium humani victus, vt patet ex hac formula, quæ hodie vſque eſt in vſu, & extat ad calcem Miſſalis Romani inter benedictiones diuerſas: *Sacerdos* (poſito agno ſuper menſam) *dicit ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. Oremus, Deus qui per famulum tuum Moyſen in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi iuſſiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vtroſque poſtes domorum de ſanguine eiuſdem agni perungi præcepiſti, ita benedicere †, & ſancti † ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Et aſpergit aqua benedicta.*

Tom 3. Concilior. Gall. p. 331. ep. 70.

Anno 867.

ARTICVLVS XIV.

Benedictio ouorum & caſei in ſolennitate Paſchali.

MOs iſte notabili indicio non caret, ſiquidem in citato ſæpiùs veteri Romano Ordine, ad oram officij quod à Papa ſolenniter celebratur Sabbato ſancto in Vigilia Paſchæ, ſic legiſſe me ante plures annos memini: *Tunc finitis omnibus, deſcendat Pontifex cum omni decore vſque in cubiculum ſuum cum pace & gaudio.* Eodem die Dominus Papa & cæteri Romani, *oua manducant & formatigium*, id eſt caſeum, cuius benedictio continuò ſubiungitur ſub hac epigraphe, *Benedictio caſei in eodem Sabbato. Dignare Domine &c.* Nec dubium quin oua etiam benedicebantur, *cùm alumnis S. R. E. mos ſit conſtantiſſimus nunquam cibum ſine benedictione ſumere.* Ex huius igitur obſeruationis imitatione, mos vbique defluxit, vt oua poſt præconia Dominicæ reſurrectionis in Sabbato ſancto præſcripto ritu à Sacerdote benedicantur; vnde, dare oua Paſchalia, vſus dicendi inoleuit. Forma autem huius benedictionis, quæ etiamnum extat in Miſſali Romano, ſic ad verbum habet, ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit cœlum &c. Oremus, Subueniat quæſumus Domine tuæ benedictionis gratia huic ouorum creaturæ, vt cibus ſalubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen. Et aſpergat aqua benedicta.*

ARTICVLVS XV.

Benedictio vuæ, fabæ, frumenti, & nouarum frugum.

Anaſtaſius in lib. Pont. vbi de S. Eutychiano.

** fabas & vuas.*

DE S. Eutychiano Papa & Martyre in geſtis Pontificalibus legitur, *Hic inſtituit fruges, fabæ & vuæ * in altario benedici.* Quæ cæremonia olim fieri conſueuerat (vt patet ex lib. Sacramentorum S. Gregorij) 8. Idus Auguſti, in natali S. Sixti Martyris & Pontificis: in quo tamen ſolius vuæ benedictio ſignatur, hac cum deprecatione ante poſtcommunionem ſiue orationem ad complendum: *Benedic Domine & hos fructus nouos vuæ, quos tu Domine rore cœli & inundantia pluuiarum & temporum ſerenitate atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti eos ad vſus noſtros cum gratiarum actione percipi, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Per quem hæc omnia &c.* At in Sacramentorum lib. collecto à Grimoaldo Abbate ex opuſculis ſanctorum Patrum, inter pleraſque benedictiones, ſine die certo conſignatur num. 122. *Benedictio vuæ, vel fauæ*, more ſcilicet veterum, apud quos dicebatur faua pro faba, & diſiunctiua paſſim ponebatur, pro copulatiua. Hæc benedictio eadem eſt cum Gregoriana, hoc excepto quòd tam fabæ quàm vuæ benedicendæ fit eadem prece expreſſio. Poſt quam formulam alia immediatè ſequitur, ſub hac epigraphe, *Benedictio ad fruges nouas*, hac contexta ſerie, *Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui cœlum & terram, mare & omnia creaſti, te ſupplices*

quæſumus, vt hunc fructum nouum benedicere & ſanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, vt repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini, vt lætantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias, Per Dominum. In rituali Romano ſub titulo benedictionis nouorum fructuum, poſt dictum ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit cœlum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo*, hæc benedictio verbis arctior legitur, *Benedic Domine hos nouos fructus N. vt qui eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animæ ſalute potiantur, Per Dominum &c.* Et aſpergit Sacerdos nouos fructus aqua benedicta.

Græcis idem ritus olim celebris fuit, etenim in Quiniſexta Synodo, quam Trullanam vocant, can. 28. decernitur, *vt primitiæ vuæ & frumenti offerantur in altari, benedicendæ ſua peculiari benedictione:* quæ in ipſorum Euchologio eodem die quo apud Latinos facienda ſignatur, eadémque ferè verborum ſerie ſecundùm Græcam expreſſionem. In Africa idem mos viguit, vt patet ex can. 3. Concilij III. Carthaginenſis, vbi vuæ & frumenti fit mentio, quæ in altari benedicantur. Ab Apoſtolis fluxiſſe ille ritus videtur, quorum can. 4. ſic habet, *Offerre non licet aliquid ad altare præter nouas ſpicas & vuas, & oleum ad luminaria & thymiama, id eſt incenſum, tempore quo ſancta celebratur oblatio:* Can. 3. his verbis conſtat: *Siquis Epiſcopus, aut Preſbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, id eſt aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Attamen can. 5. *quæ ad altare offerri non poſſunt*, ſtatuit ad domum Sacerdotum poſſe à fidelibus deferri: *reliqua poma omnia. Ad domum, primitiæ, Epiſcopo & Presbyteris dirigantur; non offerantur in altari &c.*

At huic Canoni Eutychianus Papa ſua conſtitutione præmemorata videtur aduerſari, inſtituit enim fruges, fabæ & vuæ, in altario benedici: At Apoſtolorum Canoni nullatenùs hoc decretum Eutychiani repugnat. Prohibuerunt enim legumina & cæteras fruges præter ſpicas & vuas (quæ panis & vini, ex quibus conficitur ſacrificium, elementa ſunt) ſuper altare in ſacrificio offerri: non vetuerunt ad altare extra ſacrificium pro alimento hominum benedici. Quod ſolum Eutychianus Papa & Martyr conſtituit, ſtudioſa ſcilicet pietate ſanctóque affectu, referendi Deo pro beneficio ſuſceptionis nouarum frugum debitas gratiarum actiones, diuinámque benedictionem tam ſuper ipſos fructus, quàm ſuper iis vtentes Chriſti fideles impetrandi.

ARTICVLVS XVI.

Benedictio ad quodcumque comeſtibile.

OMNIS *creatura Dei bona eſt* (ait Apoſtolus 1. Timot. 4. 4.) *& nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Hac ex Apoſtolica doctrina, prodiit Chriſtianus ritus omnia benedicendi, quæcumque ad cibum & po-

tum, hoc eſt alimentum humani generis aſſumi poſſunt; cuius benedictionis hæc formula extat in rituali Romano, ℣. *Adiutorium*, ℟. *Qui fecit &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Benedic† Domine creaturam iſtam N. vt ſit remedium ſalutare generi humano, & praſta per inuocationem ſancti nominis tui, vt quicumque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Dominum &c. Amen.* Aſpergat id aqua benedicta. Cum ſigno crucis fieri ſolet, & iam olim in ipſa primitiua Eccleſia fieri conſueuerat eiuſmodi benedictio: vt ex Tertulliano conſtat lib. de Corona Militis c. 3. & S. Chryſoſtomo in prædictum locum Apoſtoli, vbi corripiens illorum ſuperſtitionem, qui quidem alimenta ſumere ex inani metu immunditiæ renuebant, ſic effatur: *Demus quòd quidpiam ſit immundum, ſed habes medicinam, ſigna, gratias age, glorifica Deum, & defecit immunditia, nam gratiarum actio cuncta purgat, qui verò ingratus eſt immundus eſt & pollutus.* Pulchrè id declarat Aurelius Prudentius, in hymno ante cibum, dum ſic concinit:

Te ſine dulce nil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni priùs atque cibos,
Chriſte, tuus fauor imbuerit.
. . . .

Et infrà, *Omnia ſanctificante fide*
Fercula noſtra Deum ſapiant,
Chriſtus & influat in patinas,
Seria, ludicra, verba, iocos,
Denique quod ſumus atque agimus
Trina ſuperna regat pietas.

Et ſub finem,
Da locuples Deus hoc famulis
Rite precantibus, vt tenui
Membra cibo recreata leuent,
Neu piger immodicis dapibus
Viſcera tanta grauet ſtomachus,
Soſpitet vt iecur incolume.

Propter hominum enim intemperantiam, & prodigioſam erga Deum ingratitudinem, (plerique enim ſunt qui Epicureo more edunt & bibunt, ſine moderatione vlla, & quod peius eſt, ſine vlla recognitione beneficiorum Dei creatoris mundi) vſurpârunt ſibi dæmones nonnihil poteſtatis in cibos, qua plerumque iuſto Dei iudicio ipſis carnalibus & ingratis hominibus valde nocent, vt docet ſanctus Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei c. 17. & 18. exemplóque notat inſigni ſanctus Gregorius lib. 1. Dialog. c. 4. dum narrat dæmonem inuaſiſſe Monialem, quæ lactucam ſumpſerat ſine præuia benedictione. Hinc à SS. Patribus & Eremitis panes, mel, lac, vinum & cætera alimenta ſtatis formulis benedicebantur, vt diaboli vis & poteſtas ex iis expelleretur, & per has benedictiones fieret ſanitas mentis

tis & corporis, iis qui illis vtebantur, vnáque Deo vt omnium bonorum vero principio gratiarum actiones de beneficiis ſuis rependerentur: Eccleſia ſemper hanc diſciplinam ſeruauit, ac quo efficacior foret benedictio, vbi adeſſet Sacerdos, ſpeciali formula quæ ſuprà recitata eſt, illam fieri ordinauit.

ARTICVLVS XVII.
Benedictio Menſæ.

IOSEPHI lib. 2. de bello Iudaico, c. 7. locus inſignis eſt de hoc ritu ante Chriſti aduentum, obſeruato ab Eſſenis Hebræorum aſcetis: *Voce* (inquit) *Sacerdos cibum anteuertit, neque fas eſt guſtare quicquam, niſi priùs Deo celebretur oratio. Poſt finem quoque prandij vota repetunt; nam & cùm incipiunt, & cùm deſinunt, quaſi datorem victus Deum laudibus canunt.*

Quicquid alimenti vel ſumpſit Chriſtus, vel diſtribuit, cum gratiarum directa Deo patri ſuo actione, illud ſemper benedixit: ſic Marci 6. 41. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, intuens in cœlum, benedixit.* Luc. 9. 16. *Reſpexit in cœlum & benedixit illis, & fregit & diſtribuit diſcipulis ſuis vt ponerent ante turbas.* Ita & poſt reſurrectionem ſuam cùm diſcumberet cum duobus diſcipulis ſuis, *Accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis.* Luc. 24. 29.

Mos inde paſſim apud Chriſtianos inoleuit, vt nunquam ſumant cibum, nec ad menſam accedant, quin priùs benedictione facta, cum ſignaculo crucis, & poſt paſtum reddita Deo per Chriſtum glorificatione. Huc ſpectat ſanctus Athanaſius lib. de Virginitate ſeu Meditatione, dicens: *Vbi ſedes ad menſam & inceperis frangere panem, ter eum conſignans, his verbis gratias age, gratias agimus tibi pater noſter &c.* Et cùm ſurrexeris à menſa &c. tribus vicibus dicens, *Miſerator & miſericors Dominus eſcam dedit timentibus ſe, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.* Idem docent S. Baſilius epiſt. ad Gregorium Nazianzenum, S. Chryſoſtomus, hom. 50. in Matth. ad c. 12. & homil. 57 ad popul. Antiochenum, S. Hieronymus ep. 22. ad Euſtochium de cuſtod. Virginitatis: *Nec cibi ſumantur à te* (inquit) *niſi oratione præmiſſa, nec recedatur à menſa niſi referatur gratia Creatori.* Sed & vetuſtiſſimus Tertullianus, lib. de corona militis c. 3. teſtis eſt, morem fuiſſe vbique Chriſtianis ad menſas, ad lumina, ac ſedilia crucis ſignaculum præmittere. Extat illuſtre hac de pia praxi exemplum Chriſtianorum ſub Iuliano Apoſtata militantium, apud Theodoretum lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 16. & S. Gregorium Nazianzenum orat. 1. aduerſus ipſum Iulianum, ſed prolixitatis declinandæ gratiâ, hiſtoriam illam etſi præclaram, hîc ſolùm indicamus, narrare vel obiter prætermittimus.

Ad propoſitum noſtrum quod maximè facit, mihi videtur eſſe Bulgarorum directa inquiſitio, ab illo ſapientiſſimo Pontifice ſciſcitati ſunt, *vtrum liceat menſæ ſignaculum crucis adhibere, ſi deſit Sacerdos, aut*

" *Diaconus?* Quibus reſpondit Pontifex, proculdubio licere: Nam omnibus datum eſt (inquit) vt & omnia noſtra hoc ſigno munire debeamus ab inſidiis diaboli, & ab eius omnibus impugnationibus in Chriſti nomine triumphare. Supereſt tantùm vt cùm potior adeſt, inferior hoc ſibi niſi iuſſus, non audeat arrogare.

Solenne ergo fuit, vt Preſbyter, vel Diaconus ſi adeſſent, menſam benedicerent fuſa prece, ſalutariſque crucis expreſſo ſuper ſignaculo: non autem id debet præſumere Diaconus in ræſentia Sacerdotis. Sine contradictione (ait Apoſtolus, Heb. 7.) *quod minus eſt à meliore benedicitur.* Vnde ſanctus Hieronymus meritò Diaconos reprehendit, qui in domeſticis conuiuiis, & menſæ, & Preſbyteris benedictionem dare præſumebant, epiſt. 85. *Diſcant* (inquit) *qui hoc faciunt ſe non rectè facere.* In locis vbi Diaconi menſuram ſuam meliùs agnoſcebant, mos ille vigebat, vt Diaconi ipſi ſupplicarent Sacerdoti ſi adeſſet, vt vel ipſe benedicere dignaretur, vel ſibi iuberet benedicere, Græci dicebant, *εὐλόγησον κύριε*, pro quo Latini, *Iube Domne benedicere.*

Vbi præſens, erat Epiſcopus ipſe benedictionem faciebat; ſed vbi non erat Epiſcopus, at aderat Preſbyter, ſine controuerſia benedicendi munus, quod maximè ſpectat ad Sacerdotale officium, ipſi deferebatur. Si Preſbyteri plures eodem in loco adeſſent, ſenior & dignior benedicebat: vbi hæreſes graſſabantur, ſæpe contentio propter prærogatiuam obeundi huius muneris incidebat inter Catholicum Sacerdotem & eum qui hæreticorum partes tenebat, præſertim quòd Catholicus refugeret benedictos cibos ab hæretico quouis attingere. Refert Gregorius Turonenſis*, lib. 1. Miraculorum, c. 8.* exemplum ſuper hoc dignum memoria ac ſcitu periucundum: *Semper* (inquit) *Catholicorum inimica eſt hæreſis, & vbicumque potuerit tendere inſidias, non omittit, ſicut illud eſt quod quodam loco factum celebre fama refert. Mulier quædam erat Catholica, habens virum hæreticum, ad quam cùm veniſſet Presbyter noſtræ religionis, valde Catholicus, ait mulier ad virum, Peto charitati tuæ, vt pro aduentu huius Sacerdotis, qui me viſitare dignatus eſt, lætitia habeatur in domo noſtra, ac præparatum dignis impendiis epulemur cum eo, promittente autem viro eius, ſic ſe vt illa flagitabat facturum: aduenit & alius hæreticorum presbyter, dixítque vir mulieri, Duplicata eſt lætitia hodie, eo quòd ſint Sacerdotes vtriuſque religionis in domo. Diſcumbentibus autem ad conuiuium vir ille cum presbytero (ſuo) dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad ſiniſtrum ſtatuens, poſitáque ad læuam eius ſellula, in qua coniux eius reſideret, dixit vir ad presbyterum hæreticum, Si conſenſeris dictionibus meis, exercebimus hodie cachinnum de hoc Romanorum Presbytero, vt ſcilicet appoſito ferculo tu celeriùs ſignare feſtines, cúmque ille manum non poſuerit illo triſtante nos cum lætitia comedemus cibum; cui ille, Faciam, inquit, quod præcipis; Túmque veniente diſco cum oleribus ſignauit hæreticus, poſúitque primus manum ſuam; Quod cernens mulier ait, Ne feceris quia ingratè fero iniuriam Sacerdotis. & exhibito alio cibo ſumpſit Catholicus. In ſecundo verò & tertio ferculo ſimiliter fecit hæreticus; Quar-*

* *Vide eundem in hiſtor. lib. 5. c. 1.*

to autem exhibito feſtinans hæreticus priuſquam ferculum illud vel menſam tangeret, eleuata manu ſignat, ſtatímque ipſum cochleare ſumit non intelligens an caleret, feruentémque cibum velociter inglutiuit; protinùs accenſo pectore æſtuare cœpit, & cum ſuſpirio immenſo nequam ſpiritum exhalauit, ablatúſque de conuiuio locatus in tumulo, terrenæ molis congerie eſt opertus. Tum exultans Presbyter noſtræ religionis ait, Verè vltus eſt Deus ſeruos ſuos, & conuerſus ad virum ait, Periit huius memoria cum ſonitu & Dominus in æternum permanet. Tunc homo ille perterritus, prouolutúſque ad pedes Preſbyteri, conuerſúſque ad fidem Catholicam credidit cum domo ſua. Hæc Gregorius Turon. ex cuius dictis patet tunc viguiſſe morem non ſolùm vt Preſbyteri præſentes conuiuio menſæ benedicerent, ſed etiam vt ſuper vnumquodque ferculum, crucis ſignaculum pro ſingulari benedictione exprimerent.

Hodie in magnatum conuiuiis mos adhuc perdurat, vt à Sacerdote domeſtico, quem Eleemoſynarium, vel Capellanum vocant, menſa benedicatur; quem tamen ita deſpectui habent, vt menſæ cui benedixit dignum non cenſeant ſecum diſcumbere: mancipij enim inſtar, plerique habent Chriſti Sacerdotem, nec memores ſunt conditionis ſuæ, ſcilicet quantumuis in ſæculo magni ſint, meri tamen ſunt laici, plebémque in Eccleſia faciunt; & ſi verè ſunt fideles, debent certè ſententiæ Domini ad ſuos Apoſtolos recordari, *Qui vos honorat me honorat, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. 16. Referri hîc poſſet non prorſus ineptè illuſtre factum S. Martini in menſa, cum Preſbytero ſuo conſidentis, Maximi Imperatoris: ſed quia admodum notum eſt, hîc non mihi viſum operæpretium illud recenſere: extat integra ſerie apud Seuerum Sulpitium.

Verùm hîc corollarij vice, ſatis appoſitum fore cenſeo, præclarum referre Thomæ Mori olim Angliæ Cancellarij, at demum quod longè maius eſt, Martyris illuſtriſſimi documentum. Hic igitur vir ſanctus & tot titulis inclytus, in expoſitione paſſionis Domini, circa principium ardenti ſpiritu pietatis, *eos Catholicos arguit, qui nedum perniciosa multa in menſa confabulantur, ſed & nullis actis gratiis largitori Deo,* * *immemores & ingrati à menſa diſcedunt. Eodem loco refert Paulum Burgenſem ex Iudæo Chriſtianum, idoneis coniecturis probare Chriſtum poſt cœnam pſalmum Laudate pueri Dominum, & ſequentes vſque ad pſalmum, Beati immaculati, ceciniſſe, Iudæóſque cùm à cœna ſurgerent eundem pſalmum recitare conſueuiſſe. At nos* (ait Morus) *quos dicere ſoliti ſumus in agendis gratiis & benedicenda menſa, diuerſis temporibus hymnos diuerſos, eóſque tempori accommodos, nunc vniuerſos permiſimus exſoleſcere, & tribus verbis qualibuſcumque contenti, eiſdémque perfunctoriè muſſitatis oſcitanter, abimus. Quod ſanè pudendum, nec minùs dolendum.* Sed ſurdis canimus. Abiit enim hodie magna parte apud eos, qui tamen fidem Catholicam profitentur, vera pietas in deriſum; iamiam enim infeliciſſima illa tempora aduenerunt, de quibus Apoſtolus (2. Timoth. 3.) olim prædixerat. *Tempora, ait, periculoſa quibus futuri erant homines ſeipſos amantes, elati, ſuperbi, blaſphemi, ingrati, ſceleſti &c. voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

* *S. Chryſ. hom. 83. in Matth.* Audiant, *inquit,* omnes qui quaſi porci, cùm iam comederint, euerſa menſa temulenti conſurgunt: quum agere gratias debent, & in hymnum à menſa deuenire. huc ſpectat illud Euangelicum, *& hymno dicto.* *Matt. 26.* *Matt. 14.*

ARTICVLVS XVIII.

Benedictio ſegetum, & vinearum.

IN Gallia paſſim, & ſignatim in diœceſi Pariſienſi, mos hic iamdudum receptus eſt, vt ab octaua Paſchæ vſque ad Aſcenſionem Domini, fiat alicubi ſingulis diebus, alicubi bis, térve qualibet hebdomada à Sacerdote parœciali, tum per agros, tum per vineas, vnà cum vexillo ſanctæ crucis & aqua benedicta, aſſiſtentibus Clericis & populo, vel parte populi, proceſſio: ad petendam Domini ſuper virentes adhuc ſegetes, & vireſcentes vites, ac paſcuales herbas benedictionem, ſine qua nihil eſt quod nobis, vllo vitæ ſubſidio eſſe poſſit.

Multiplex verò eſt vſus Sacerdotalis benedictionis circa humana alimenta, vel ipſa alimentorum principia, vt patet ex ſuperioribus ſectiunculis, & ex praxi variis in locis obſeruata benedicendi in die Paſchatis, lac, mel, carnes, oua &c. in die S. Marci ſegetes; in die S. Ioannis Baptiſtæ vineas, in die S. Stephani paſcua, in die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis herbas, plantas, radices, arborum fructus: vt eis deinceps adſit vis diuina, non ſolùm vt temperato imbris & caloris influxu, congruam ad maturitatem perueniant, ſed ne eis diabolica obſit nequitia.

Videmus crucis Domini trophæa paſſim per agros, in biuiis & triuiis &c. erecta: ſtupidus ſit oportet, qui viſis his ſignaculis paſſionis Domini non recordetur, qua & nos redemit, & orbem ſanctificauit, mundíque principem profligauit. Cœpit mos iſte erigendi per publicas vias & compita cruces, præualente fide aduerſus ethnicas ſpurcitias & ſuperſtitiones: crux etenim idololatriam peſſumdedit, fremente diabolo contra tam illuſtrem crucis toto orbe fulgentis victoriam. Virus at diu conceptum tandem euomuit circa ſæculum Chriſtianæ religionis octauum, quo eius inſtigatione Conſtantinus Copronymus Orientis Imperator, iconoclaſta, cruces quæ in triuiis pro fidei gloria, Chriſtíque honore figebantur, impiè deiecit. Noſtris infauſtis temporibus hæretici Caluiniſtæ noua veterum iconoclaſtarum progenies, tota Anglia, ac pleriſque locis Galliæ, vbi graſſabantur nefandis auſibus præſcindendíſque manibus, quotquot obuias reperêre, non ſine graui nominis Chriſtiani contumelia deturbârunt & confregerunt, vel combuſſerunt: quas ſubinde pietas Catholica in Gallia refloreſcens, inſigniores iiſdem locis quibus dudum maiorum illas fixerat deuotio, repoſuit.

Refert Conſtãtinus Epiſcopus Paphlagoniæ, orat. de inuent. reliquiarum S. Euphemiæ.

Non ſolùm autem ad recolendam Domini paſſionem, venerandáque eius inſignia, cruces tot locis erectæ patent. Ad retundendam inſuper diaboli nequitiam, magorum maleficia coërcenda, vel diſſipanda: hæc Chriſti Regis gloriæ ſalutifera trophæa vbique erecta conſpiciuntur; ſolebant etenim ethnici in triuiis ſortilegia & ve-

neficia exercere: purgamentorum quoque ſordes in triuia iactabant, non ſine anxia ſuperſtitione & veneficiorum artibus. Diu poſt receptam in orbe fidem, ethnicæ ſuperſtitiones, præſertim apud ruſticos incolas pullulârunt, quarum infauſta quæ ſupererant pleriſque locis germina, ſtudioſè ab Epiſcopis, in ſua cuiuſque terminatione eradicanda, ſynodicæ ſanctiones antiquæ crebrò præcipiunt, quæque ſtirpitùs euulſum ire ſumma pietatis inſtantia contendebant SS. Galliarum Antiſtites, vt ex eorum geſtis in Martyrologio Gallicano paſſim admonui. Citat Iuo Carnotenſis part. 11. c. 45. dignum hoc memoria, antiqui Concilij Rothomagenſis de iis maleficiis, non tantùm diſtrictè prohibendis, ſed & ſumma cura extirpandis, Decretum: *Perſcrutandum eſt ſi aliquis bubulcus, ſiue venator, vel cæteri huiuſmodi, dicat diabolica carmina ſuper panem, aut ſuper herbas, aut ſuper nefaria quædam ligamenta, & hæc aut in arbore abſcondat, aut in biuio, aut in triuio proiiciat, vt ſua animalia liberet à peſte & clade, & alterius perdat. Quæ omnia idololatriam eſſe nulli fidelium dubium eſt.*

Æſchyli Scholiaſtes. *Apud Athenienſes* (inquit) *mos erat, vt expiantes domum teſtaceo thuribulo in triuiis abiicerent teſtam, & non conuerſi recederent.*

Ad hæc igitur auerruncanda maleficia, cruces ſparſim in viis, biuiis & triuiis erectæ ſunt: eodémque fine inſtituta non infrequens circa agros & vineas Eccleſiaſtica proceſſio, & adhibita ſuper ſegetes & fructus quoſcumque benedictio Sacerdotalis, qua diabolica expelleretur nequitia, & diuini auxilij ac protectionis gratia, quæ antidotum eſt vnicum omnis mali: tam ſuper homines, quàm quibus aluntur rebus, diffunderetur, etiámque ad animalia vſque ſeruanda nutriendáque pertingeret, quæ diuina bonitas in generis humani ſubſidium atque ſolatium procreauit. Quamobrem non ſolùm ſegetes & vineæ, ſed herbæ & cætera paſcua Sacerdotali oratione benedicuntur. Formulæ in Ritualibus editis præſcriptæ ſunt, quas igitur ne prolixior ſim hîc omitto.

ARTICVLVS XIX.

Benedictio noui putei.

IN Ritualibus vulgatis non extat illius benedictionis formula, ſed apud Grimoaldum Abbatem in Sacramentorum libro reperitur, hácque conſtat ſerie: *Deprecamur Domine clementiam pietatis tuæ, vt aquam putei huius cæleſti benedictione ſanctifices, & ad communem vitam concedas ſalubrem: & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum, vt quicumque ex eo ab hinc hauſerit, biberítve, vel in quibuſlibet neceſſariis vſibus hauſta aqua vſus fuerit, totius virtutis ac ſanitatis dulcedine perfruatur, vt tibi ſemper ſanctificatori & Saluatori omnium Domino, gratias agere mereatur. Per Dominum noſtrum &c.*

ARTICVLVS XX.

Benedictio nouæ domus, & cuiuſlibet loci.

A mandato Domini, quo iuſſit ſuis Apoſtolis, vt ingrediendo domum quamlibet pro ſalutatione hoſpitum pacem iis annunciarent: mos ille Eccleſiæ manauit, quo Sacerdotes miniſterium humanæ ſanctificationis ineuntes, in cuiuſuis habitaculi ingreſſu dicere conſueuerunt, *Pax huic domui*, Clerico reſpondente, *Et omnibus habitantibus in ea.* Nemo eſt, vt reor, Catholicorum qui hoc neſciat. Ab eodem itaque præcepto Domini ortum eſſe ritum ſatis in Eccleſia celebrem, vt domus nuper extructa pro fidelium habitatione, ſupplicatione ſolenni à Preſbytero benedicatur, conſentaneum eſt credere: cùm pacem precari, Chriſti nomen ſuper quemcumque hominem, vel hominis domicilium inuocare, & benedicere, pro re eadem eſſe accipiendum nemo ſit in ſacris Litteris & Patrum ſchola vel mediocriter eruditus, qui non fateatur.

Luc. 10.

Sanè iam olim apud Chriſti cultores illa obtinuit pia conſuetudo, vt domorum poſtes, oſtia, limina, parietes & faſtigia, triumphali crucis titulo ſignaculóque ſalutari communirentur. *Crucem celebrari vbique videre licet* (ait S. Chryſoſtomus orat. quòd Chriſtus ſit Deus) *in viis, in ſolitudine, in foro, in domibus.* Beatus Nilus ſcribens ad Olympiodorum proconſulem (epiſt. citata in VII. Synodo Act. 4.) optare ſe ait, vt non tantùm in ſingulis domibus, ſed quarumcumque domorum habitaculis ſingulis ſtatuatur imago crucis: vt memoria crucifixi ſemper recens in fidelium animis vigeat, & vt ſalutari hoc pignore habitatores, & ipſa loca, à Chriſto ſeruatore omnium protegantur. Legimus in actis Martyrum Nicomedienſium, quòd cùm præfectus totam illorum domum curioſiùs excuteret: imaginem Chriſti crucifixi repererit, cum Euangeliorum codice. Mos erat in domorum liminibus ſuper poſtes Crucem Domini affigere, cum hac epigraphe, CHRISTVS NOBISCVM, STATE: *id eſt tranſite, Angeli percuſſores viſo agni immolati ſalutifero ſignaculo.* Qua figura & inſcriptione fugatas peſtilitates, compreſſos terræ motus, fulgura diſſipata & aduerſa quæque repulſa, præclaris exemplis referunt Eccleſiaſtici ſcriptores, Ruffin. lib. 2. c. 29. Euagrius lib. 4. c. 6. & 8. Nicephorus lib. 17. c. 3. Gregorius Turonenſis Hiſt. lib. 4. c. 5. In horum qui verſatus eſt lectione & cæteris antiquitatis Eccleſiaſticæ monimentis, Patrúmque libris, non ignorat tempore perſecutionum fas fuiſſe fidelibus, poſt ſuſceptam ſacram ſynaxim in Eccleſia, concreditam ſibi particulam ad ſumendum inſtante martyrio, domum deferre. Quæ quantam benedictionem ipſis priuatis domibus, & multo magis in iis habitantibus conciliaret, haud opus eſt dicere, ſed vt ait S. Chryſoſtomus, *tunc fidelium domus, paruæ Eccleſiæ erant,* ob incolarum pietatem, & ad diuinum beneplacitum ſtudioſè compoſitos mores, eximiámque vitæ puritatem. Deinde mutatus eſt co-

Apud Surium tom. 6.

Exod. 12.

Vide Euſtachiū in vita S. Eutychij, & ex Patribus lege opuſcul. S. Ephrem de pœnit. c. 3. & S. Chryſoſt. vbi ſuprà. & S. Aug. epiſt. 153.

lot optimus, & frigeſcente hoc feruenti proto-chriſtianorum ſpiritu, ceſſantibúſque perſecutionum procellis, ſynodicis decretis (quæ alibi notauimus) prohibitum fuit diuinam Euchariſtiam in domos priuatas deferre; ſed ſancitum, vt omnes de Sacerdotis manu diuinum munus ſumerent tantùm in Eccleſia, & ore quidem, non ſua manu.

Ne tamen benedictio elongaretur à fidelium ædibus, mos deinceps productus eſt, vt quotieſcumque domus noua extructa foret, non priùs in ea fideles habitarent quàm fuiſſet precibus Sacerdotis benedicta. In lib. Sacramentorum excerpto à Grimoaldo Abbate ex ſanctorum Patrum opuſculis, vt inſcriptio præfert, extat benedictionis domûs hæc antiqua formula: *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, vt in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes, ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.* Cui hæc altera ſubiungitur: *Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, vt ſiqua ſunt aduerſa, ſiqua contraria in hac domo famuli tui N. auctoritate maieſtatis tuæ pellantur. Per Dominum* &c. In Rituali Romano ſub titulo *Benedictio loci*, hæc formula quæ tam loco quàm nouæ domo applicatur, legitur expreſsè: ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit cælum &c.* ℣. *Domine exaudi orationem &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus, Benedic Domine Deus omnipotens locum iſtum (vel domum iſtam) vt ſit in eo (vel in ea) ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & manſuetudo, plenitudo legis & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui S. Et hæc benedictio maneat ſuper hunc locum & ſuper habitantes in eo, nunc & ſemper, &c.* ℟. *Amen. Et aſpergat Sacerdos locum, vel domum aqua benedicta.* Sequitur alia benedictio domus nouæ, ℣. *Adiutorium*, vt ſuprà &c. *Te Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo & habitatoribus eius ac rebus, vt eam benedicere †, & ſanctificare †, ac bonis omnibus ampliare digneris. Tribue eis Domine de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum bene † dicere & ſancti † ficare digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Iacob; & intra parietes domus iſtius Angeli tuæ pacis inhabitent, eámque & eius habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Deinde aſpergat aqua benedicta.*

Cæterùm ſicut B. Nilus exoptabat, non ſolùm in domibus ſingulis, Chriſti crucifixi imaginem collocari; at inſuper in cuiuſque domus habitationibus ſingulis crucem pingi, vel appendi; ſic effecit Maiorum deuotio, vt non ſolùm ſingulæ domus benedictione Sacerdotali communirentur, ſed cuncta domûs cubicula, & habitacula ac receptacula, eadem ſanctificatione fulcirentur. Hinc in lib. Sacramentorum præcitato Grimoaldi Abbatis, formulæ diuerſæ extant, quæ ſingulis domus magnæ, præſertim verò Monaſteriorum locis benedicendis ſunt accommodatæ, ſiquidem eo fine diſpoſita ibi legi-

tur oratio proferenda à Sacerdote *in ſacrario*, alia in loco vbi *veſtimenta conſeruantur, alia in refectorio, alia in dormitorio, alia in cellario, alia in ſcriptorio, alia in hoſpitali, alia in domo infirmorum, alia in area, alia in granario, alia in piſtrino, alia in coquina, alia in lardario, alia in caminata, alia in introitu portæ.* Verùm illarum vſus exoleuit, nám non extant in Rituali Romano, neque in propriis Diœceſeωn Manualibus quæ hactenus viderim. Ex quo Vicarij generalis munere fungor in Vrbe & Diœceſi Pariſienſi, & etiam anteà de ſpeciali mandato Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi Pariſ. nonnulla Sanctimonialium monaſteria benedixi ſolenni ritu, & in iis ſingula loca regularia, imò vniuerſas Monialium cellulas aſperſi (iis hoc piè flagitantibus) aqua benedicta. Cùm verò nullæ ſuppeterent propriæ orationes ad benedicendum ſingula loca regularia, vt ſunt Capitulum, refectorium, dormitorium, externum & internum collocutorium, hortus, area, in ſingulis his locis generalem orationem benedictionis loci repetebam, & ſingula aſpergebam aqua benedicta; At cellulas Monialium aqua benedicta duntaxat ſine illa oratione communi, quæ in aditu dormitorij pro toto loco fuerat à me pronunciata, reſpondentibus Sacerdotibus & Clericis qui mihi aſſiſtebant. Operæpretium igitur foret, in Rituali, vel Manuali proprias has preces intexere, quæ ſingulis locis ſunt benedicendis adaptatæ.

Dolendam porrò nonnihil eſſe cenſeo laicorum hac in parte negligentiam; nunquam fuerunt Pariſiis nouarum domorum ædificationes frequentiores, quàm ſunt hoc tempore, quarum ſtructura cum palatiorum amplitudine ac pulchritudine certat, at cùm fabrica ad colophonem perducta eſt, picturis quidem & pretioſis ſtromatibus parietes decorantur, ſplendida ſupellectile tota adornatur domus: de adſciſcendo Sacerdote in cuius Parœcia inſignis illa ædes ſita eſt, ad eam fuſis ad Deum precibus more Chriſtiano benedicendum, nemini in mentem ſubit vel minima cogitatio. Quid mirum ſi Deus ſuper hanc domum non reſpiciat, à cuius encæniis abfuit ſancti ſui nominis & adiutorij inuocatio, vbi nulla fuſa eſt à Sacerdote benedictio, vbi ethnico more, vel planè Epicureo vt plurimùm habitatores viuunt ſine Dei metu, ſine Dei cultu; vbi innumera flagitia diu noctúque ab incolis & aduenis perpetrantur. Hinc proh dolor! videmus repentinis caſibus eiuſmodi ædes tametſi recèns conſtructas non ſine ſtupore ſpectantium corruere, multóſque ibi ſubitaneo ædificiorum lapſu obrutos interire abſque vllo pœnitentiæ indicio, & proinde ſine pignorum ſalutis æternæ ſubſidio. Faxit Deus vt noſtri homines ſeſe Chriſtianos eſſe ab ortu ſuo reminiſcantur, Maiorúmque pietatis memores diuinum adiutorium per preces Eccleſiæ & benedictiones Sacerdotales, ſuper ſe, liberos, & domeſticos ſuos, ipſáſque ædes quas inhabitant, priuſquam has incolant, curent auſpicatò poſtulare.

ARTICVLVS XXI.

Benedictio nauis.

BENEDICTIONES omnes apud Chriſtianos conſueuiſſe à primis Eccleſiæ ſæculis, cum crucis ſignaculo celebrari, ſuprà pleriſque locis inſinuauimus. Crux ſignum eſt benedictionis & ſalutis, quamobrem vbicumque ponitur, diuini adiutorij inuocationis ſpectabile eſt monimentum. In nauibus verò ſolebat iamdudum, vt hoc eſſet indicio collocari; *crucem vbique videre licet* (ait S. Chryſoſtomus orat. *quòd Chriſtus ſit Deus*) *in mari, in nauigiis, in inſulis*. Ideo ſanctus Paulinus cùm Nicetam Dacorum Epiſcopum ex Italia domum redeuntem, fauſtis acclamationibus proſequeretur, hoc modulamine canebat, carm. in reditum Nicetæ,

Et rate armata, titulo ſalutis
Victor antenna crucis, ibis vndas
Tutus & auſtris.

Et S. Ephrem ſermone de cruce, ea de cauſa *quòd ſit in vndis ſalutis ſignum & pignus*, appoſitè vocat *nauigantium gubernationem*. Et S. Ambroſius in pſal. 47. *Bene nauigant* (inquit) *qui in nauibus Chriſti crucem ſicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora ſua dirigant ad ſancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque ſecuri. Figura enim Sacramenti quædam eſt* (ait S. Maximus ſerm. 56.) *velum ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in cruce, atque adeo confidentia de myſterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota ſuſcipiunt.*

Superiore libro, vbi de ſacrificij loco diſputauimus, Euchariſtiam in nauibus à quibuſdam Sanctis conſecratam, aut ſaltem collocatam & diſpenſatam fuiſſe demonſtrauimus. At verò ſine benedictione loci corpus Domini hîc fuiſſe depoſitum, nauigantiúmque expoſitum adorationi & communioni, abſonum mihi videtur à recta ratione; abſurdum etiam eſſe reor nauem pelago adeo periculosè committi, huícque qui Chriſtiani ſunt, ſe vehendos ſinere imponi, quæ nulla benedictione ſuffulta, tot elementorum diſcriminibus expoſita eſt. Auxilio igitur diuino inuocando, quo naufragiis occurratur, Eccleſiaſtico iampridem fuit vſu receptum, vt in locis maritimis ſtatim ac naues fabricatæ ſunt, & poſtquam pelago imponuntur, Sacerdos vaſa illa quibus hominum non ſolùm fortunæ, ſed & vita committenda eſt, ſolenni ritu benedicat, cuius eſt præſcripta formula in Rituali Romano, hoc modo. ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit &c.* ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus. Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & benedic† nauem iſtam dextera tua ſancta, & omnes qui in ea vehentur, ſicut benedicere dignatus es arcam Noë ambulantem in diluuio: porrige eis Domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti B. Petro ambulanti ſupra mare, & mitte ſanctum angelum tuum de cœlis qui cuſtodiat & liberet eam à periculis vniuerſis, cum omni-*

bus quæ in ea erunt: famulos tuos repulſis aduerſitatibus, portu ſemper optabili, curſuque tranquillo tuearis, tranſactiſque ac rectè perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria, cum omni gaudio reuocare digneris. Qui viuis & regnas &c. in vnitate &c. Aſpergat nauim aqua benedicta.

ARTICVLVS XXII.

Benedictio campanæ, ſeu tintinabuli.

BENEDICVNTVR *campanæ* (dicit Concilium III. Colonienſe c. 14. part. 9.) *vt ſint tubæ Eccleſiæ militantis, quibus vocetur populus ad conueniendum in templum & audiendum verbum Dei, Clerus verò ad annunciandum manè miſericordiam Dei & veritatem eius per noctem, vt per illarum ſonitum fideles inuitentur ad preces, & vt in eis creſcat deuotio fidei; quamuis etiam Patres aliò reſpexerint, videlicet vt dæmones tinnitu campanarum Chriſtianos ad preces concitantium terreantur, quin potiùs precibus ipſi perterriti diſcedant, illiſque ſubmotis, fruges, mentes, & corpora credentium ſeruentur, vt procul pellantur hoſtiles exercitus & omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempeſtatum & fulgurum temperentur, infeſta tonitrua & ventorum flamina ſuſpendantur, ſpiritus procellarum & aëriæ poteſtates proſternantur. Breuiter, vt audientes confugiant ad ſanctæ matris Eccleſiæ gremium, ac ante ſanctæ Crucis vexillum, cui flectitur omne genu &c.*

Porrò non tantùm pro viuis benedictæ pulſantur campanæ, ſed etiam pro defunctis: ideo pulſantur in exequiis defunctorum, vt eorum neceſſarij, ipſorum obitûs præmoneantur, & ſic excitentur, aliique pij ciues aut incolæ, ad præſtanda eis pietatis officia, qui campanarum flebili ſonitu, viuis fidelibus inclamare videntur, *Miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* (*Iob. 19.*) Hæretici ideò qui ſuffragia pro defunctis prohibent, benedictiones Eccleſiæ contemnunt, ſacrificia eius & Sacramenta, canonicáque præconia oderunt, Sarracenorum & Turcarum imitatione campanas benedictas execrantur, aduerſus quos Catholici Doctores pro vſus eiuſmodi vaſorum diuino cultui celebrando præſertim dedicatorum, defenſione, diuerſa opuſcula ediderunt, inter quos præcelluit Staniſlaus Hoſius dictus Cardinalis Warmienſis, quem conſulas ſi libet lib. 5. de Eccleſia Catholica, contra Brentium.

Nihil frequentiùs intorquent contra ritum iſtum heterodoxi nuperi, quàm horrendam eſſe ſuperſtitionem campanas baptizare, vt fit (inquiunt) in Romana Eccleſia: Chriſtum enim inſtituiſſe baptiſmum pro ſolis hominibus quos redemit ſanguine ſuo; *Ite,* (inquit Apoſtolis) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* (*Matth. 28.*) Abuti igitur baptiſmo nefario auſu Sacerdotes, qui ærea tintinabula baptizant. Ortum hunc abuſum ante aliquot ſæcula, quem Carolus Magnus exciſum ire voluit ſuis in Capitularibus, prohibendo Clocas baptizari. Porrò & id etiamnum Eccleſia vetat, ſicut Carolus Magnus olim prohibuit. Vitus Amebar-

chius hoc Capitulare Caroli Magni rectè monet ſic eſſe intelligendum, vt hoc prohibeatur ſuperſtitio, non autem Eccleſiaſtica benedictio vel conſecratio, *Nec enim baptizantur* (inquit) *Sacramentali baptiſmo, quo remiſſio peccatorum confertur, & Dei gratia animabus humanis infunditur ad ſalutem & vitam æternam conſequendam, ſed quia cultui diuino dicantur & ad abigendos malignos ſpiritus applicantur, eas viſum eſt patribus lauare, benedicere & vngere, vt ſacras ædes, Eccleſiaſtica ornamenta, & his ſimilia religionis adminicula, ſiquidem vt docet Apoſtolus, omnis creatura ſanctificatur verbo Dei & oratione.* Quia videt vulgus campanas lauari, vngi, benedici, & nomine aliquo inſigniri, dictitat abuſiuo vocabulo eas baptizari: ſed Eccleſia quæ vt veræ pietatis ſemper eſt tenaciſſima, omnis verò ſuperſtitionis inimica, vulgi eiuſmodi nugamentis graui occurrit præmonitione. In Rituali Pariſienſi ad Romani formam expreſſo, editionis anni 1646. ſub titulo *de Benedictione Campanarum*, hæc illi cæremoniæ animaduerſio præfigitur, *Dabit operam Parochus, ne populus iam in eo errore verſetur, vt putet campanas vllo modo baptizari, néve earum benedictionem baptiſmum quaſi Sacramentum appellet, ideóque omne & patrinorum & matrinarum nomen prorſus tollatur. Honorificè tamen populi nomine eligantur, qui ex publica deuotione nomen alicuius Sancti vel Sanctæ aſſignent. Doceat quoque Parochus ablutionem ex aqua benedicta, & ſancti chriſmatis vnctionem quæ adhibetur in iis benedicendis, eſſe tantùm cæremoniam quandam Eccleſiaſticam, qua illæ ad vſum diuini cultus conſecrantur, puta vt ſint tubæ Eccleſiæ militantis, & cætera* quæ ſuprà habentur expreſſa ex Concilio III. Colonienſi. Sequitur autem, *Curabit etiam ne iis res vlla profana inſculpatur, inſcribatúrve, ſed tantùm Crux & ſacra aliqua imago, vtpote S. Patroni Eccleſiæ, vel cuius nomen imponitur, piáve ac honeſta aliqua inſcriptio: Nec verò etiam eæ in turrim campanilem ſuſtollantur, antequam precibus & benedictione ritè conſecratæ ſint. Cauebit denique ne in iis conflandis aut benedicendis quicquam à populo ſuperſtitioſè fiat, vtpote ſi eas certis vicibus ſubeant aut incendant, aut ſaltu tranſiliant, aut alia eiuſmodi.*

Forma huius cæremoniæ tota ex Pontificali Romano eſt deſumpta, duobus tantùm exceptis; Primò, quod in Rituali Pariſienſi præmittitur benedictio metalli ad conflandam campanam; altero, quod ritu Romano benedictio campanæ Epiſcopo tribuitur, atque adeo in Romano Rituali, quod continet ea munera quæ à Sacerdote miniſtrante Sacramenta, vel quædam Sacramentalia peragente præſtari ſolent, Benedictio campanarum non habetur; ſed extat in Pontificali Romano part. 2. tit 24. Verùm multa ſunt in Pontificali, quæ etſi Epiſcopo tribuantur, vt qui eminentiori iure hæc ſibi officia vendicare poteſt, attamen à Presbytero æquè peragi poſſunt, quoad ipſum benedictionis effectum: Epiſcopo ſcilicet permittente, vel ſaltem non prohibente, nec enim iſtæ benedictiones v. g. crucis, imaginis, campanæ, primi lapidis nouæ Eccleſiæ, cœmeterij, tabernaculi, vaſculi pro Euchariſtia, & exorciſmi dæmonum, locuſtarum, ita ſunt Epiſcopo propriæ, vt nonniſi ab ipſo fieri poſſint aut debeant. Quædam ſunt ſic Epiſcopo propria, vt ordinatio Sa-

cerdotum, & chriſmatis conſecratio, vt neutiquam à ſimplici Sacerdote peragi queant, & ſi ab eo attententur, non ſolùm is grauiter offendat, ſed etiam nihil hoc aggrediendo prorſus efficiat. At ſecus eſt de illis actibus, qui in Rituali ſignantur ab Epiſcopo vel ab eo qui facultatem habet eliciendi vel exercendi, hos enim (qui Epiſcopalem characterem non requirunt) vt rite obeat Sacerdos ſuperioris licentiam debet expetere: ſi non petat & tamen hoc aggrediatur extra caſum neceſſitatis, peccat quidem vel ex craſſa oſcitantia, vel ex ſuperioris neglectu aut contemptu: Attamen non eſt irritum & inane quod fecit, ſed reuera benedictum eſt quod benedixit, nam hanc poteſtatem accepit in ordinatione ſua, dicente ſibi Epiſcopo, cùm manus eius myſtica vnctione & oratione conſecraret, *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas, per iſtam vnctionem & noſtram bene† dictionem. Amen. Vt quæcumque benedixerint benedicantur, & quæ conſecrauerint conſecrentur, & ſanctificentur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* ℟. *Amen.* Adde quòd iſtarum rerum benedictiones, ſeu myſticæ illæ functiones nullatenus Preſbytero diuino iure prohibentur, nec earum pleræque vllo iure poſitiuo, vel ſanctione canonica, ſed ſola tantùm conſuetudine non vbique ſolida, nam v. g. benedictio campanæ quæ in Pontificali Romano Epiſcopo adſcribitur, in Ritualibus localium diœceſeωn & ſignatim in Pariſienſi, ordinario more exequenda, ſi non cuilibet Sacerdoti, ſaltem parocho, ſeu eius Vicario aſſignatur: nec verò abſque cauſa legitima, ſiquidem ſi à ſolis Epiſcopis campanæ benedicerentur, complures Eccleſiæ ex rei difficultate plurimùm grauarentur, haud enim peruium eſt (præſertim in vicis & pagis) Epiſcopum ad hoc munus inuitatum accedere, & huius acceſſus defectu contingeret, campanis quibus in ſacris non licet ſine præuia benedictione vti, Eccleſias illas diu admodùm carere. Inſuper ſi ad omnium campanarum benedictionem obeundam, neceſſarium eſſet Epiſcopum huc illúcque proficiſci, Epiſcopi ſanè nomen vileſceret ex frequentiori hoc vſu: at verò plurimùm hoc pontificiæ dignitati derogaret. Conſultiùs igitur viſum eſt paſſim Preſbyteris, parœciarum ſaltem rectoribus id eſſe muneris concedendum. At de campanarum benedictione hactenùs ſatis pro ſubiectæ materiæ argumento, quo de aliàs iterum copioſiùs tractauimus, ſcilicet in libris de horis Canonicis, & Commentariis in Martyrologium Gallicanum.

ARTICVLVS XXIII.

Benedictio thalami coniugalis.

IAM ſuprà de Sacerdotali coniugum benedictione proprio ſub titulo diſſeruimus: ſed præter perſonarum ſponſi & ſponſæ nuptialem benedictionem, in Agendis Eccleſiaſticis benedictio thalami eorundem ſpecialiter aſſignatur. In Romano quidem Rituali breuis formula iſtius benedictionis extat, hac nimirum ſerie, ℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit cœlum &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spi-*

ritu tuo. Oremus. Benedic † Domine thalamum hunc, & habitantes in eo, in tua pace conſiſtant & in tua voluntate permaneant & ſeneſcant & multiplicentur in longitudinem dierum, & ad regna cœlorum perueniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.* Poſteà aſpergatur thalamus àqua benedicta. At in Rituali Pariſ. recentiùs edito, benedictio thalami quæ fit poſt celebratas nuptias, eſt nonnihil extenſior, ſic enim præſcribitur à Sacerdote facienda. *Sponſo & ſponſa iuxta lectum nuptialem ſtantibus Sacerdos indutus ſuperpelliceo & ſtola, vnà cum ſuo Clerico aſpergat eos aqua benedicta, & lectum ſimiliter, dicens, Oremus, Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam &c. Deinde alternatim cum Clerico ſuo dicet pſalmum Beati omnes qui timent Dominum &c. Gloria Patri &c. Kyrie eleiſon &c.* ℣. *Oſtende nobis Domine &c.* ℟. *Et ſalutare tuum &c.* ℣. *Saluum fac ſeruum tuum & ancillam tuam.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.* ℣. *Mitte eis auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.* ℟. *Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.* ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.* ℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo. Oremus, Bene † dic Domine &c.* vt ſuprà ex Rituali Romano. Sed in Pariſienſi poſt iteratam aquæ benedictæ aſperſionem ſuper coniuges & thalamum ac aſſiſtentes in cubiculo, ſequitur exhortatio, qua Sacerdos docet, *quòd thalami nuptialis benedictio eo fine inſtituta ſit, vt omnes ſpiritus impuri, ſpurcitia & æſtus intemperantis laſciuiæ comprimantur; ſubindéque monet ipſos coniuges & aſſiſtentes vt riſus effrænes aut ludicra inhoneſta ſacris non admiſceant, ne per eiuſmodi actus illicitos & profanos ſanctitatem ſacri connubij fœdare aliqua ratione videantur* &c. Ritus verò iſtius benedictionis neutiquam nuperus eſt, ſed cum Religione Chriſtiana cenſeri poteſt exortus, ſiquidem in actis S. Thomæ Apoſtoli legimus ipſum ſanctum Apoſtolum ad petitionem Regis Indiæ *, ſponſo & ſponſæ in thalamo benedixiſſe. Plura notari poſſent circa hunc ritum: ſed quia iam multos titulos benedictionum Sacerdotalium congeſſimus, ne pio lectori prolixitas tædio ſit, iam ad huius Capitis finem non illibenter properamus.

* *Vide Abdiam lib. 9. Certaminis Apoſtolici.*

ARTICVLVS XXIV.

Benedictio ſepulchri.

§. I.

De benedictione ſepulchri Sanctorum, ſeu loculi, aut arculæ, cui ſacræ eorum reliquiæ ad ſeruandum debito cum honore, in altaris meditullio includuntur.

VIDI *ſubtus altare* (inquit Chriſti dilectus Apoc. 6. 9.) *animas interfectorum propter verbum Dei & propter teſtimonium quod habebant.* Hinc mos antiquus ortus eſt, reliquias Sanctorum in ipſo altari recondendi, ſeu vt ferunt antiqua Pontificalia *in confeſſione altaris.* Pontificale nouum habet in ſepulchro, hócque de ipſa confeſſione ſeu

martyrio, id eſt teſtimonio Sanctorum interpretatur, ſic enim expreſſum legitur in ordine de Eccleſiæ dedicatione ſeu conſecratione, iam expletis pleriſque cæremoniis, *Tum Pontifex accepta mitra intingit pollicem dexteræ manus in ſanctum Chriſma, & cum eo ſignat confeſſionem, id eſt ſepulchrum altaris in quo reliquiæ ſunt reponendæ in quatuor angulis, faciens in ſingulis ſignum crucis & dicens, Conſe † cretur & ſancti † ficetur hoc ſepulchrum in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † ſancti. Pax huic domui.* Deinde depoſita mitra, recondit veneranter vaſculum ipſum cum reliquiis, & aliis prout heſterna die per eum fuit ſigillatum, in ſepulchro altaris. *Quibus reconditis Pontifex inchoat, ſchola perſequitur antiphonam, ſub altare Dei &c. Interim Pontifex ſine mitra incenſat reliquias incluſas, & quibuſdam dictis & peractis dicit hanc orationem, Deus qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum maieſtati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœleſtia, vt quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adiuuemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Tunc accepta mitra Pontifice priùs incipiente: Cæmentarij cum cæmento benedicto firmant ipſam tabulam ſeu lapidem ſuper ſepulchrum, deinde Pontifex intingit iterum pollicem dexteræ manus in ſanctum Chriſma, & cum eo formas ſignum crucis ſuper eandem tabulam ſeu lapidem dicens, ſigne†tur, & ſancti†ficetur hoc altare, in nomine Patris†, & Filij†, & Spiritus † ſancti. Pax tibi.* Idem ritus, tametſi breuiori modo, ſeruaturin conſecratione altaris portatilis; Nec mos iſte nouus, de quo ſcilicet S. Paulinus ſanctorum Hieronymi & Auguſtini ſynchronus & amicus epiſt. 12. ad Seuerum, *Quorum* (inquit) *venerandus cinis ſi ſine crucis conſortio ſubiiciatur altaribus, hic opertos titulus indicabit.*

Pignora ſanctorum diuinæ gloria menſæ
Velat Apoſtolicis edita corporibus.

Et infrà de Encæniis Baſilicæ Fundanæ:

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa priorum
Regia purpureo marmore cuncta tegit.

Verùm de hoc ritu alibi, nec raro, nec obiter, antehac tractâſſe memini*. Non exigit porro hic locus ampliorem de hoc diſſertationem, maximè cùm ſpectet ad Pontificias benedictiones, hic verò de Sacerdotalibus tantummodò ſermo ſit. Certè apud Græcos idem mos & antiquus, & hodie vſque celebris eſt, vt ex eorum Euchologio ſit perſpectum.

In Comment. ſup. Martyr. Gallic.

§. II.

De Benedictione ſepulchri fidelium.

SEPVLCHRA fidelium benedictione Sacerdotali, iam olim conſueuiſſe conſecrari teſtis eſt ſanctus Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum c. 106. Etiamnum mos iſte viget in Eccleſia Catholica: nam in Rituali Romano titulo de exequiis in rubricis præliminaribus hæc regula præſcribitur: *Cæterùm nemo Chriſtianus in communione fidelium defunctus extra Eccleſiam aut Cæmeterium rite*

benedictum ſepeliri debet; deinde antequam corpus è domo efferatu.r in Eccleſiam, illud cum feretro aſpergit Sacerdos aqua benedicta, & ſuffragiis in Eccleſia perſolutis, cùm funus ad locum prope eſt ſepulturæ, Sacerdos ſepulchrum benedicit (ſi non eſt benedictum) dicens hanc orationem, *Oremus, Deus cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique ſanctum Angelum tuum deputa cuſtodem, & quorum quarúmque corpora hîc ſepeliuntur, animas eorum abſolue ab omnibus vinculis peccatorum, vt in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen. Dicta oratione Sacerdos aqua benedicta aſpergat,* &c.

Sed in fine Rubricæ generalis quæ officio exequiarum præfixa eſt, hæc extat regula notabilis, ſi neceſſitas cogat ex aliquo euentu aliquando ad tempus aliter fieri (ſcilicet vt fidelis defunctus in loco non ſacro ſepeliatur) curetur vt quatenùs fieri poterit, corpus in locum ſacrum quamprimùm transferatur. Et interim ſemper crux capiti illius apponi debet, ad ſignificandum illum in Chriſto quieuiſſe.

Quem ritum eſſe in Eccleſia antiquiſſimum, verba S. Hieronymi ſubindicant in vita S. Pauli Eremitæ, quem S. Antonius ſepeliuit prope eius tuguriolum in deſerto: *Cúmque ad eius cellam perueniſſet inuenit genibus complicatis, erecta ceruice, extenſiſque in altum manibus corpus exanime, quod pallio obuoluens hymnóſque & pſalmos ex Chriſtiana traditione decantans, in foueam à duobus leonibus qui eò occurrerant effoſſam, ſanctum corpus intulit, & iniecta humo tumulum ex Chriſtiano more compoſuit,* infixo videlicet ſigno crucis ex ligno confecto, quod fidei & ſpei Chriſtianæ ſingulare eſt ſignaculum. Morem enim hunc eſſe Chriſtianum, antiquorum tumulorum formæ teſtantur, in quibus inſculptæ cruces patent; Quin & Euthymius ex actis S. Gregorij Martyris & Præſulis maioris Armeniæ, de eo refert, ipſum ſuper tumulos Martyrum Armeniæ cruces ſtatuiſſe. Idem Gregorius mira quædam narrat de pretioſa cruce ad ſepulchrum S. Iuliani Martyris affixa. Apud Bedam (qui lib. de locis ſanctis c. 2. narrat ſua ætate culmen Dominici ſepulchri fuiſſe magna aurea cruce inſignitum) legimus de tranſlatione corporis S. Anthelmi Epiſcopi, à S. Eguuino peracta, non ſolùm ſepulchrum eius fuiſſe hoc ſalutari ſigno exornatum, ſed & loca quæque, vbi vel paululùm quieuerat, eodem inſignita: *Concitóque gradu* (ait apud Bedam, Hiſt. Anglic. lib. 5. c. 19. ipſe S. Eguuinus) *ad locum vbi ſacrum corpus iacebat, quinquaginta fere millibus vltra Meldunenſe Monaſterium poſitum deueni, & ad ſepulturam adduxi, honorificéque ſepeliui, mandauíque vt quibuſcumque locis ſacrum corpus dum aſportaretur, quieſceret, ſacræ crucis ſigna ſtatuerentur, quæ quidem adhuc permanent, nec vllam vetuſtatis ſenſêre iniuriam.*

Cæterùm manibus defunctorum infixas fuiſſe cruces, ex Sophronio didicimus in Prato ſpirituali, c. 27. at breuitatis cauſâ pleraque hîc omittimus, aliàs opportuniùs obſeruanda.

ARTICVLVS XXV.

Benedictio cuiuſcumque rei, ad hominis ſubſidium vtilis.

APVD Grimoaldum Abbatem, iam non ſemel citatum in Sacramentorum libro excerpto ex Sanctorum Patrum opuſculis, extat ad hunc vſum oratio generalis ſub hac prænotatione, *Benedictio ad omnia quæ volueris:* hac ſerie autem eſt expreſſa: *Benedic Domine creaturam iſtam vt ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per inuocationem nominis tui, vt quicumque ex ea ſumpſerit, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Nec putandum quòd hæc ſit benedictio aut deprecatio Sacerdotis inefficax, aut extra poteſtatem preſbyteralis ordinis præſumpta, quandoquidem cùm Epiſcopus ordinat Sacerdotem, eius vngendo manus ſacro liquore, ita dicit: *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas, per iſtam vnctionem & noſtram benedic † tionem. ℟. Amen. Vt quæcunque benedixerint benedicantur, & quæcumque conſecrauerint conſecrentur & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.*

Non eſt tamen quòd Sacerdos de hac adeo magna poteſtate glorietur, ſed dignum & iuſtum eſt, omnem gloriam & honorem Deo Opt. Maximo, à quo, mero dono gratiæ hanc accepit, inde referat, in cuius nomine atque virtute quicquid facit, ex officio operatur. Curet igitur corde puro, mundíſque manibus benedictiones has omnes efficere ad laudem Dei & generis humani ſolatium: Pij verò homines qui tot tantáque ſibi animæ & corporis ſubſidia benedictione Sacerdotali, ſibi vident aliíſque à Deo pro ſua infinita bonitate impertiri, exempli turbæ diuina ac benefica Chriſti opera admirantis, imitandi ſint memores, *Videntes autem turbæ* (ait S. Matthæus c. 9. ℣. 8.) *timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.*

CAPVT VII.

De Abſolutione Sacramentali, quam Patres pœnitentium benedictionem appellabant.

OBITER iam egimus c. 5. a. 3. de pœnitentibus, quibus in ipſo limine confeſſionis Sacerdos benedicit, nimirùm cùm eius ad genua pœnitens prouolutus ait, *Benedic pater quia peccaui:* Sacerdos autem ei reſpondet, *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, vt verè & integrè confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris †, & Filij, & Spiritus ſancti.* Verùm iſto loco de benedictione illa præcipua, quæ abſolutionem formaliter includit, quædam dicere, libri huius argumento conſentanea, ſtatuimus.

Sanè in operis huius exordio præmonuimus munera Preſbyteratûs

hac

hac allocutione Epiſcopi ad promouendos, contineri; *Oportet Preſbyterum offerre, benedicere, præeſſe, baptizare, prædicare.* Conſtans eſt autem Theologorum doctrina omnem poteſtatem Sacerdotalem verſari, vel circa corpus Domini verum, vel ſuper corpus myſticum. At verò poteſtatem quæ circa corpus verum Chriſti exercetur, verbo offerendi deſignari, quatenùs ſcilicet Sacerdos celebrando ſacro-ſanctum Euchariſtiæ myſterium, corpus Chriſti conſecrat, atque in verum & myſticum immolat ſacrificium. At quæſtio vertitur quo verbo poteſtas denotetur, quæ Chriſti ſpectat corpus myſticum, Eccleſiam videlicet quæ membrorum Chriſti, hoc eſt fidelium ſub ipſo omnium capite coniunctione conſtat. Non dubium eſt verò poteſtatem illam potiſſimùm per facultatem abſoluendi à peccatis lapſos fideles poſt baptiſmum, exerceri: ſicut enim poteſtatem conſecrandi, Apoſtoli & eorum in Sacerdotio ſucceſſores à Domino acceperunt per illa eius verba, *Hoc facite &c.* ita prorſus & poteſtatem abſoluendi per illa ipſius verba Domini, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quæritur itaque quonam præſignatorum quinque verborum Epiſcopi, *Oportet Preſbyterum offerre, benedicere, præeſſe, baptizare, prædicare*, illa poteſtas remittendi peccata, quæ extenditur ſuper myſticum corpus Chriſti quod eſt Eccleſia, deſignatur? Verùm ex Concilio Agathenſi c. 44. elicio, ſub verbo *benedicere*, contineri, dicunt enim Patres, *Pœnitentem in Eccleſia benedicere* (ſcilicet præſente Epiſcopo, niſi annuerit) *Preſbytero penitus non liceat.* Vbi *benedicere* manifeſtè pro *abſoluere* ſumitur. Nam can. 47. eiuſdem Concilij, ita licet Preſbytero benedictionem poſt Miſſam ſæcularibus quibuſque præſentibus impertire, vt adiiciat Synodus illa, *Ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat: Quod ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.* Benedicere igitur pœnitentem in Eccleſia, eſt illum reconciliare & abſoluere ſua peccata confitentem.

Vt rem iſtam paulo accuratiùs pertractemus, ſupponendum eſt, axioma eſſe Catholicum, Sacerdotalem benedictionem ſeu abſolutionem, eſſe formam eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ. Abſolutionis autem debere determinatam eſſe ſententiam: verba autem non ita ſtrictè eſſe determinata, vt (dummodò eundem efficiant ſenſum quoad veram abſolutionem pœnitentis, etſi diuerſa ſint) legitimæ formæ rationem habere cenſeantur. Nihil enim refert ſi dicat Sacerdos ſiue Latinè ſiue Græcè, ſiue alio idiomate, abſoluo te, vel remitto tibi peccata tua, vel remittuntur, aut ſis abſolutus, aut alia verba æquiualentia.

Fuit quidem olim controuerſia inter S. Thomam & quendam Magiſtrum de forma abſolutionis: hoc aſſerente eam eſſe non iuridicam ſed deprecatoriam, & quòd vix triginta anni eſſent, quod omnes hac ſola forma vtebantur, *Abſolutionem & remiſſionem tribuat tibi omnipotens Deus.* At B. Thoma contrà contendente, eſſe enuntiatiuam ſeu indicatiuam per hæc verba, *Ego te abſoluo &c.* quæ judiciariam Sacerdotis poteſtatem indicarent.

Quicquid ſit de antiquis formulis, (nam quòd variæ fuerint ex veteri Ordine Romano, libríſque aliis Ritualibus vetuſtis, & Pœnitentiali libro 6. Halitgarij Cameracenſis Epiſcopi, ſatis conſtat) ſanè à duobus Conciliis Oecumenicis declaratum eſt formam Sacramenti pœnitentiæ eſſe hæc verba Sacerdotis. ſiquidem Concilium Florentinum in inſtructione ad Armenos loquens de pœnitentiæ Sacramento, ita docet ac decernit, *Forma huius Sacramenti eſt, Ego te abſoluo* &c. *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos &c.* Porrò Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. quo agit de partibus & fructu huius Sacramenti diſertè ait: *Docet prætereà ſancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè vis eius ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe, ego te abſoluo* &c. *Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant.* Et can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modò tantùm credat ſe eſſe abſolutum, anathema ſit.*

Quæſtio igitur iam nulla circa hoc inter Theologos ſupereſt. Nec dubium quin qui ex antiquis Scholaſticis deprecatoriam eſſe formam cenſuerunt; ſi poſt horum Conciliorum decreta vixiſſent, vt antè extiterunt: acquieuiſſent omnino Synodicis illis definitionibus, & iis congruenter aſſeruiſſent formam illam pœnitentiæ Sacramenti, quæ in ſignatis verbis Sacerdotis abſoluentis ſita eſt, eſſe indicatiuam, actúmque innuere iudiciariæ poteſtatis.

Sed hîc aliqua difficultas oriri poteſt ex præmiſſis principiis: ſi enim in ordinatione ſua Preſbyter duplicem accipit à Deo, per miniſterium Epiſcopi, conſecratoris poteſtatem, alteram ſuper corpus Chriſti verum, nempe per illa Pontificis, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare:* Alteram ſuper corpus Domini myſticum verbis iſtis, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis &c.* Quid ſentiendum eſt de ordinatione antiqua Preſbyterorum, in qua nulla verba fiebant ab Epiſcopo, de tradita à ſe, illi quem ad Preſbyteratum promouebat, vtraque hac poteſtate, ſicut videre eſt in libro Sacramentorum S. Gregorij. At etſi poſt conſecrationem Preſbyteri in antiquo Ordine Romano inſtrumenta ordinatis traderentur ab Epiſcopo dicente, *Accipite poteſtatem offerendi ſacrificium &c.* tamen de poteſtate remittendi peccata nihil prorſus ab Antiſtite dicebatur. Idem notari poteſt in vetuſtis libris Ritualibus qui ante annos 800. vel 700. erant in vſu? Reſponſio non eſt tamen ad hanc obiectionem difficilis, nam certum eſt per ordinationem preſbyteralem conferri Sacerdotalem characterem ordinato: Ordo verò, & character Sacerdotalis diuerſas poteſtates includit, vt ex Euangelio conſtat, & ex fide & praxi perpetua Eccleſiæ. Traditur autem vtraque illa poteſtas præcisè & formaliter per manuum Epiſcopalium impoſitionem, vt liquet ex Apoſtolo ſcribente ad Timotheum 1. epiſt. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt cum*

impoſitione manuum Presbyterij. Et ep. 2. 1. 6. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Hac impoſitione ſola, ſine inſtrumentorum porrectione, etiamnum apud Græcos Preſbyteri ordinantur, quos tamen ſancta Romana Eccleſia pro veris Preſbyteris agnoſcit & ſemper agnouit. Verba igitur iſta, *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium &c.* Et hæc ſententia, *accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata;* adiuncta ſunt impoſitioni manuum, ad manifeſtiùs declarandum per ordinationem Sacerdotalem, Preſbytero vtramque poteſtatem ex inſtitutione diuina conferri. Porrò antequam exprimerentur ab Epiſcopo hæc verba, nihilominùs vtraque illa poteſtas per impoſitionem manuum Epiſcopalium, tradebatur ordinato, ex ipſa vi ordinationis, quæ vnico Sacerdotali charactere, vtramque ipſam poteſtatem includit; ſicuti hodie non dicit Epiſcopus dum ordinat Preſbyterum, *Accipe poteſtatem vngendi infirmos oleo ſancto in nomine Domini*, &c. Et tamen eo ipſo ac ordinatur Preſbyter, ſine illa expreſſione, hanc poteſtatem accipit ex inſtitutione diuina, quæ à ſancto Iacobo tanquam oraculo Spiritus ſancti, promulgata eſt epiſt. ſuæ c. 5. ℣. 14. &c. Adde quòd in ordinatione Epiſcopi, quæ extat apud S. Gregorium, in Sacramentorum lib. Epiſcopo non confertur poteſtas ſacrificandi, neque poteſtas peccata remittendi. Vnde fit manifeſtum vtramque illam datam ſupponi in ordinatione Preſbyterali. Accedit quòd Epiſcopus in ordinatione Preſbyteri prorſus non præterit ſub ſilentio hanc abſoluendi à peccatis poteſtatem, eam enim Patres, vt mox oſtendimus ex Concilio Agathenſi, nomine benedictionis deſignabant, cùm enim de miniſterio reconciliationis peccatorum loquuntur, dicunt hoc eſſe benedicere pœnitentes. At verò Epiſcopus ordinaturus Sacerdotem, & in præliminari admonitione dicit: *Conſecrandi filij dilectiſſimi, in Presbyteratûs officio, iſtud dignè ſuſcipere, ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudentes: Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præeſſe, baptizare, & prædicare.* Titulo igitur benedictionis, poteſtatem abſoluendi pœnitentes inſinuat, ſimúlque poteſtatem vngendi infirmos, ſeu conferendæ Extremæ vnctionis includit.

CAPVT VIII.

De modo vtendi poteſtate, qua Deo reconciliantur pœnitentes, per abſolutionis & benedictionis Sacerdotalis officium.

POST ſtupendam illam ipſis Angelis, quam dedit Dominus hominibus Sacerdotibus ſuis, poteſtatem conſecrandi Corpus ſuum & ſanguinem, ac offerendi in incruento Euchariſtiæ ſacrificio: nulla maior poteſtas ea eſſe poteſt, qua illos honorauit, *cùm poſuit in eis* (vt ait Apoſtolus) *verbum reconciliationis*, quando ſcilicet 2. *Cor.* 5. 19.
propè rediturus ad Patrem iam opere conſummato redemptionis

Ioan. 20. noſtræ, *inſufflauit ſuper* Apoſtolos ſuos (quibus Epiſcopi & Preſbyteri in Sacerdotio ſucceſſerunt) *dicens eis, Accipite Spiritum ſanctum, ſicut miſit me Pater & ego mitto vos, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ea enim tam admirabilis eſt poteſtas, vt non tam mirarentur Iudæi cùm Chriſtus cæcos illuminaret, paralyticos ſanaret, mortuos ſuſcitaret, dæmones eiiceret, ventis & mari imperaret; quàm cùm peccata condonabat: dicebant etenim, Luc. 7. 49. Marc. 2. *Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit?* diuinæ ſcilicet rati hoc opus eſſe omnipotentiæ, quæ ideo puro homini nullo iure competebat; nec dubium quin Chriſtus ideo paſſim iis quibus palam opitulabatur, ſigillatim dicere conſueuerat, *dimittuntur tibi peccata tua*, ad inſinuandum, ſe Deum eſſe verum: veri ſiquidem Dei filium vnigenitum, Patrique per omnia coæqualem, quemadmodum verbo & opere ſeſe in dies declarabat. Sicut igitur Patres in conficienda Euchariſtia Spiritus ſancti virtutem interuenire cum miniſterio Sacerdotis vnanimiter agnoſcunt & prædicant, cùm aliter fieri non poſſet, vt panis & vinum ſola voce hominis in Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter tranſmutarentur. Vnde ſciſcitanti quomodo tam ſtupenda res fieri queat? rectè & appoſitè reſpondet S. Ioannes Damaſcenus, *Spiritus ſanctus obumbrat Sacerdotem, & hæc operatur.* Sic Chriſtus vt innueret remiſſionem peccatorum non ſolùm eſſe opus gratiæ & miſericordiæ, ſed diuinæ prorſus virtutis, conferendo hanc poteſtatem ſuis Apoſtolis, Spiritum ſanctum eis ad hoc obeundum diuinum opus impertiuit, Ioan. 20. *Accipite*, inquit, *Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Axioma Theologicum eſt, Spiritum ſanctum dici dari hominibus quando ipſius dona & virtutes infunduntur. Inter dona & virtutes Spiritus ſancti facultas remittendi peccata ab ipſo Domino numeratur. Quæ tanta eſt poteſtas, vt ante eius aduentum, hominibus nunquam fuerit conceſſa: hanc autem concedendo Apoſtolis ſuis & eorum ſucceſſoribus, ſe verum Deum eſſe demonſtrauit: tum quia nemo poteſt dare Spiritum Dei, niſi Deus ipſe cuius ſpiritus eſt: tum etiam quia promiſerat Deus per Iſaiam prophetam c. 44. Spiritum ſanctum ſe daturum; *Effundam ſpiritum meum* (inquit) *ſuper omnem domum Iſrael.* Dicens igitur Apoſtolis, *Accipite Spiritum ſanctum*, oſtendit ſe dare quod promiſit, proinde ipſum eſſe Deum qui promiſerat, vt doctè & acutè notat S. Ambroſius ep. 2. ad Simplicianum; ſed S. Baſilius lib. 5. contra Eunomium, cui ſubſcribit ipſe S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto c. 19. & S. Chryſoſtomus hom. 6. ſup. 2. ad Corinthios his ex ipſis Chriſti verbis, *Accipite Spiritum ſanctum* &c. eliciunt Spiritum ſanctum verum eſſe Deum. Dei enim veri ſolius eſt ſuprema illa poteſtas dimittendi peccata, & per ipſum communicatur hominibus; ad hoc itaque datus eſt Spiritus ſanctus Apoſtolis, vt per eum tanquam principium ſanctificationis, illis tanquam ſuis miniſtris communicaretur. Maior igitur non potuit auctoritas hominibus conferri, quàm poteſtas remittendi peccata, quæ prorſus diuina eſt, & vt

auctorem eius Deum declarat, homines quibus ipſa communicatur, Dei Vicarios, id eſt vice-Deos inter homines conſtituit.

Hac ſuppoſita doctrina, perpendant quæſo, apud ſe Sacerdotes, quanta cum fide, quanta cum puritate, quanto cum metu & reuerentia hæc ab eis poteſtas adminiſtrari debeat? Agant igitur vt monet Apoſtolorum princeps, *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratia Dei. Si quis loquitur* (ait) *quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus.* Indignus ſum qui doceam Dei Sacerdotes, vbi remittunt peccata; *Digitus Dei eſt hîc.* Spiritus ſanctus Dei dexteræ eſt digitus, qui hanc poteſtatem Presbyteris in ipſorum ordinatione infudit, digitus inquam, qui tangit pœnitentium corda, qui Sacerdotis linguam & affectum mouet, qui veniam & remiſſionem quam dat Sacerdos obſignat, qui per eum animæ ſanctificationem mirabilem operatur; ab eo igitur ſolo tantæ gratiæ diſpenſatores edoceri poſſunt, aut ab eis quos impleuit ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, & ſpiritu timoris Domini. Talis fuit ſuperiori ſæculo S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, alter dictus ſua ætate Ambroſius, imò alter Paulus, alter Elias propter zelum eximium quo exarſit pro domo Domini. *Sacerdos* verè ille *magnus*, qui vt ait Scriptura, *in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* Cùm enim probè intelligeret vir ille ſanctus, potiorem hominis ſalutem, vt ait S. Auguſtinus, in remiſſione peccatorum ſitam eſſe, quæ nonniſi verè pœnitentibus conferri poteſt; Porrò niſi moueatur aqua piſcinæ ab Angelo, vim medicam huic non infundi, id eſt niſi à Sacerdote qui Angelus Domini Exercituum eſt, peccator ad veram & ſinceram confeſſionem excitetur & adiuuetur, vix (niſi interno motu Deus ipſe in anima obdurata immediatè operetur) ſerias lachrymas & veros gemitus ab homine peccatis grauato elici poſſe. Non ita verò Deum gratè cooperari cum miniſtro impio aut impuro, aut crediti muneris ignaro, quàm cum eo qui piè, purè, attentè ac ſcienter, commiſſo ſibi miniſterio perfungitur; Sacerdotis enim munus tam in altaris myſterio, quàm tribunali pœnitentiæ officium eſſe Spiritus ſancti, rectè à Patribus dictum. Ideo, inquam, S. Carolus pro ardenti deſiderio quo feruebat ſalutis animarum, vt quilibet Sacerdos qui pœnitentium incumbit confeſſionibus excipiendis, ritè & fructuosè, Deóque gratè officium hoc ſacro-ſanctum exequeretur, *Methodum* conſcripſit egregiam, rectè obeundi ſalutiferi huius muneris, quam hîc mihi viſum fore haud minimum operæpretium in gratiam Confeſſariorum verbatim ſubtexere, tam quòd non ſatis hactenus fuerit pleriſque Sacerdotibus cognita, quia non peruia; dictata etenim ab auctore ſanctiſſimo lingua materna, hoc eſt Italico idiomate, diu antequam verteretur in Latinum ſermonem, intra Italiæ fines delituit. Ac poſtquam Latino ſtylo fuit inſtructa, cum duobus aut tribus aliis aureis verè

1. Pet. 11. 8.

Exod. 8. 19.

Iſai. 11. 2.

Eccleſ. 50. 1.

opuſculis, Coloniæ anno 1587. typis edita, vix Gallias ab hinc penetrauit: quiçquid ſit à noſtris Typographis, qui tot libros magna parte inutiles quotidie excudunt, vix quod ſciam huc vſque prælo commiſſa eſt, vnde in Sacerdotum noſtrorum commodum, atque totius Eccleſiæ Gallicanæ vtilitatem copioſam, publicam in lucem exiret: tum quòd ipſum iſtud opuſculum, digniſſimus ſit tanti reuera parentis fœtus, qui nonniſi afflatu Spiritus ſancti, cuius viuum fuit his poſtremis temporibus oraculum, hoc dictaſſe, vt cætera pleraque ſcientiæ ſalutis quæ reliquit monimenta, meritò videatur. Debuerat ſanè gemma tam pretioſa ſcriniolo prorſus aureo inſeri, non autem in hoc meum opus quod totum luteum aut plumbeum eſt, induci. Cæterùm aurum manet aurum in luto, & adamas vili panniculo inuolutus, ſuum pretium & decorem conſeruat: nihil decidet igitur tam pretioſo margarito ſui decoris vel pretij, etiamſi vili huic ſcriniolo includatur.

INSTRVCTIO CONFESSARIORVM, SEV METHODVS,

Ad, ritè, Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum.

A ſancto Carolo Borromæo, titulo S. Praxedis Cardinale, ac Mediolanenſi Archiepiſcopo, in ſuorum gratiam Italicè conſcripta; deinde verò à religioſis doctíſque viris Latinè reddita.

VT Confeſſarij pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrent eo cum fructu qui maximus eſſe poſsit: is verò in ſincera vitæ emendatione poſitus eſt; neve in tanti ponderis negotio cum propriæ conſcientiæ ſummo onere conuenientem non adhibuiſſe diligentiam videantur, (id quod ſummopere timendum eſt multis, ne ſcilicet in grauem reprehenſionem inciderit eorum induſtria, cùm de tanto numero confitentium tam exiguam emendationem videamus in iis qui toties multis abhinc annis hoc Sacramentum frequentárunt) præceptiones ac admonitiones noſtras omnes iampridem diuerſis temporibus hac de re datas, in vnum contulimus, atque alias quaſdam iis adiunximus quas in hunc finem vtiles & neceſſarias eſſe ſumus arbitrati. Quamobrem per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti eos exhortamur, vt quemadmodum eorum officium & vocatio requirit hac in cauſa & negotio quod ad animarum ſalutem vſque adeo pertinet, ſumma cum diligentia noſtræ ſollicitudini cooperari velint, noſtrámque intentionem in eo poſitam, vt populus Chriſtianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam ſalutis commodè dirigatur, promouere pro ſua virili ſtudeant.

Nullus neque ſæcularis neque regularis Sacerdos, pœnitentiæ Sacramentum aggredi præſumat, ſi non approbationem & licentiam antè noſtram, in ſcriptis habeat, vt ritè Concilium Tridentinum ordinauit; ſin aliter fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto, iuxta primi Concilij noſtri prouincialis decretum incurriſſe ſe nouerit. Et ſi ſacrum Miſſæ officium poſteà celebret, irregularis erit.

Caueat autem ſibi quiſque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, ſe abduci à recto patiatur, quaſi pueri ſint, qui nondum ad vſum rationis peruenerint, quorum audit confeſſiones: ſolet enim vſu venire, vt in pueris etiam quamuis in ætate ſint adhuc tenera, peccata mortalia inueniantur. Ac verò nemo per ſpeciem neceſſitatis alicuius ſe falli ſinat, ac neceſſitatem interpretetur pro quauis ægritudine, etiamſi grauis & periculoſa illa ſit, cùm ad proprium Paſtorem, aut alium Confeſſarium à nobis approbatum recurri potuiſſet. Imò nullus huic ſe negotio pergat interponere, quamuis à paſtore eius qui confiteri cupit, vel Vicariis noſtris, conſenſum obtinuerit; niſi tales ij ſint qui ſpecialem à nobis acceperint poteſtatem, vt eam concedere alteri deinde poſſint.

Sacerdotes autem qui confeſſiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint cum definita temporis, loci, certarúmque perſonarum limitatione, videant ne poteſtatis conceſſæ limites vllo modo excedant.

Prima cum opportunitate Regularium Superiores catalogum Confeſſariorum, quos ad hoc officium elegerint, quíve in hac ciuitate, vel Diœceſi noſtra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina & natale ſolum habeantur; ſed quia ſæpius contingit, vt per ſuorum obedientiam mutentur, idcircò bis in anno prædictum catalogum nobis oſtendent, primùm quidem ad primam ſeptimanam Aduentus, ſecundùm deinde primis feriis Quadrageſimæ. Confeſſarij autem qui in noſtra Diœceſi verſantur, Paſtoribus aut Vicariis foraneis teſtimonium admiſſionis ſuæ, qua ad huiuſmodi munus idonei eſſe iudicati ſunt, quotieſcumque ab eis exigetur, ne recuſent oſtendere. In templis verò in quibus plures ſunt Confeſſarij, in foribus Sacrarij tabula ſuſpenſa habeatur, quæ omnes eius templi Confeſſarios à nobis approbatos contineat, quæ toties mutanda erit quoties alij deligentur.

Confeſſarij, qui à cenſuris & caſibus reſeruatis poteſtatem abſoluendi à nobis habent, ſumma cum prudentia eam exerceant, vt ſit ædificationi potiùs quàm deſtructioni locus. Quamobrem ſi in vtilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod eiuſmodi peccatum inciderit, iudicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur vt id facere debeat.

Omnes Confeſſarios quamuis à nobis vt idonei ſemel admiſſi fuerint, tamen ob graues & diuerſos ſcrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates ſibi cohærentes habent, præmonitos volumus, vt bonos & claſſicos auctores nonnullos qui caſus conſcientiæ ex profeſſo tractant, manibus continuè teneant. Quòd ſi non videantur ſibi ſatis iudicij & doctrinæ comparâſſe, vt poſſint quæſtiones obiectas reſoluere, meminerint adire doctiores & in talibus meliùs verſatos. Sciant autem nos in hunc finem dediſſe ſpeciatim eas partes Pœnitentiario maiori Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, vt cum Theologis & Iuris Canonici peritis ſi qua dubia & controuerſiæ circa res conſcientiæ in hac noſtra diœceſi obueniant, de iis conferat & diligenter diſcutiat, vt poſtquàm res grauiores nobis communicârit, omnem dubitationem eximat iis, qui ipſum conſulendi cauſa accedent.

Examinent prætereà vires ingenij & ſcientiam quam habent, nec ſe temerè ad confeſſiones audiendas eorum ingerant, quos cenſuris ita quibuſdam inuolutos eſſe ſuſpicentur, vt ſeſe inde ſatis explicare neſciant.

Bonam habeant notitiam cenſurarum & caſuum reſeruatorum, particulatim

verò Bullæ In cœna Domini *legi ſolitæ : ſimiliter Canones pœnitentiarios & noſtras has admonitiones ſæpiùs legant.*

Cùm dubium non ſit quin is qui peccato mortali infectus Sacramentum quodvis adminiſtrat, nouo ſe ſcelere obſtringat, diligenter obſeruent qui Confeſſarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conſcientia confeßiones audiant, multò verò minùs id audeant ſi qua cenſura teneantur Eccleſiaſtica ligati.

Qui verò feruidi animi Confeſſarius eſt, animarúmque ſalutis ſtudio tenetur, vt eas ad virtutes inducat, diuiníſque remediis adiuuet, quibus contra peccata vel pœnitens vtatur, vel ab eiſdem abſtrahatur, qui doceat itidem dæmonis aſtutias perſpectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & nouum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam ſpeciémque perfecti Chriſtiani : non ſatis id ſibi habere debet, ſi nulli peccato mortali obnoxius, Sacramentum pœnitentiæ miniſtret, ſed cùm facilè cognoſcat magnopere referre ad præſtandum ea quæ dicta ſunt, priùs in ſe ipſo exprimere, quæ in altero videre deſiderat, quandoquidem plus exempla, quàm verba commouent animos, neque quis aliorum animis ingenerare virtutem poteſt, quam antè non in ſe poſſideat ; idcirco perfectionis ſuæ totus amore ferueat neceſſe eſt, atque iis in virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipſa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares cùm ad Confeßiones audiendas emittuntur, ſolùm examinari ſolent ſintne ſufficientes, & doctrinam iuſtam habeant, neque nos aliter perſpectos mores eorum & bonitatem vitæ probatam tenere poſſumus : ideo Superiorum eorum conſcientias oneramus, vt ad huiuſmodi prouinciam non alios nobis in publicum deducant, quàm qui probitate, atque integritate vitæ tales ſint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant, cuius quidem rei ſcripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Prompto ac parato animo ad confeßiones audiendas accedant, euiténtque diligenter non ſolùm ad ſubterfugiendum laborem, ne ſubmoueant intempeſtiuè venientes ad ſe confitendi gratiâ, ſed neque ſigno, aut verbis vllis præ ſe ferant ægrè ſe grauatóque animo confeßiones eorum excipere; quin potiùs ita ſe comparent, vt intelligant pœnitentes, eos ſalutis eorum cauſa multum ſolatij & gaudij ex iis laboribus haurire.

Ex hac eorum alacritate naſcetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excuſationem iuſtam prætexere poßint, ſe non eſſe confeſſos, maximè quibus temporibus ad id tenentur, per ſpeciem quaſi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus confeſſarios, ſi vel ad exequias, vel quæuis alia eccleſiaſtica munia illos euocari contingat, niſi cauſa ſit prorſus neceſſaria, vt ne confeßiones iis diebus propterea vel interrumpant, vel intermittant, quibus frequentiores ſolent occurrere, maximè octiduo, aut amplius ante Natalem D. N. Jeſu Chriſti, in Quadrageſima, & præcipuè circa medium illius vſque ad octauam Paſchæ, nonnullis etiam diebus cùm Iubileum promulgatum eſt, aliíſque ſolennioribus feſtis, quibus vt plurimùm populus, vel omnis, vel ex maiori parte ad confeßionis Sacramentum confluit.

Cupimus etiam in hunc finem Superiores Regularium certiores ea de re redditos, vt prædictis temporibus procurent quantùm poterunt numerum maximum Confeſſariorum, qui doctrina & timore Domini inſignes, atque à nobis approbati, in ſuis Eccleſiis pœnitentes audiant. Quo-

Quoties Regulares ad ægrotantium confeſſiones excipiendas accerſuntur, ſi neceſſitas aliud non ſuadeat, ex Paſtore priùs intelligant, quæ conditio & ſtatus ſit ægroti, vt tanto diligentiùs animaduertant, ſi quid alleuamenti conſcientiæ illius præberi valeat, præſertim in ſummo temporis illius articulo, in quo velut in cardine vertitur aut animæ ſalus, aut perditio æterna: quòd ſi temporis breuitas non patiatur ante confeſſionem id fieri, ſaltem ab audita confeſſione quàm citiſſimè fiat, vt tam ipſe Confeſſarius, quàm Paſtor in procuranda hominis infirmi ſalute ſuo officio non arguantur defuiſſe.

Cùm primùm Sacerdos Sacramentum pœnitentiæ cuipiam ægroto miniſtrauit, in ſchedula ſubſcribat, quæ qualis eſſe debeat infrà dicetur; eáque fateatur ſe pœnitentis confeſſionem excepiſſe: quod ideo fit, ne medici curam ſuam ſubtrahere infirmis cogantur, iuxta Bullam felicis memoriæ Pij quinti, & Decretum primi noſtri Concilij Prouincialis, & ne per negligentiam Confeſſariorum in dicta fide præſtanda, ſumant occaſionem excuſandi ſe ab obſeruantia præfatæ Bullæ, & Decreti.

Populariùm in domibus Confeſſiones nemo audiat, nec virorum, nec fœminarum, cuiuſcumque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, niſi dum ægrotant: quod cùm fit, & mulierum confeſſiones Sacerdos excipit, oſtium apertum ſit, ita vt ab iis qui in vicinis locis agunt, conſpici poſſit.

Extra eam neceſſitatem confeſſiones mulierum non audiant, ne etiamſi vel leuiter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & ſedilibus ad id deſtinatis, ſed neque tum quidem eo loco, niſi poſt ortum ſolis, & ante eius occaſum audiantur.

In illis ipſis ſedilibus quotidiano ritu confeſſiones audientur, etiam virorum, ſi qui ſolent in templo confiteri: hanc ob cauſam omnibus in templis ſedes huiuſmodi tam multæ conſtruantur, quàm multi ſolent eſſe Confeſſarij; ſint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quemadmodum ordinauimus generatim eas debere conſtrui.

Conſtituantur autem prædictæ ſedes loco tam aperto, vt ex omni parte conſpici poſſint: quòd ſi præterea locus haberi talis poſſit, vt obſtaculum aliquod intercedat, vt dum quis confitetur, interea cæteri à ſpatiis plus æquo propinquis arceantur, id fiat; vbi verò malus mos aliud obtinet, Confeſſarij partes erunt ſedem ipſam loco mouere, ſimul & populum nimis vicinum antequam conſideat, propellere: quod item faciet, dum in confeſſionibus verſatur, ſi occaſio requiret.

Confeſſarius in huius Sacramenti adminiſtratione ſic animi ſui propoſitum ordinet ac dirigat neceſſe eſt, vt nullus eum intuitus humanus eò protrahat, ſed ſola Dei gloria, & animarum ſalutis deſiderium: quocirca quoties vel euocabitur ad Confeſſiones audiendas, vel ad eas ſeſe conferet, totus in Deum erectus cum ipſo opere mentis oculos in hunc finem coniiciat, & diligenter attendat, ſe eò pergere, vt pœnitentes pretioſiſſimo Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti ſanguine abluat ac mundet.

Sed quia in huius Sacramenti tractatione multa inueniuntur pericula, ne ſcilicet errent in variis quæſtionibus & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel abſolutionis gratiam reipſa indignis impertiant, vel aliquo modo animam ſuam inquinent, dum multorum inquinamenta fœditatéſque au-

dire neceſſarium eſt, nunquam ad tantum hoc officium ſeſe Confeſſarius accingat, quin priùs breui aliqua oratione prout res feret, lumen & gratiam à Domino petat, vt non ſolùm in nullam reprehenſionem, vel errorem incidat, verùm aliorum ſordes ſic abſtergere valeat, vt ſe ipſe non polluat: ſimul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum quorum confeſſiones auditurus eſt. Habeant igitur ſinguli verſiculos illius pſalmi 50. & orationem antiquis temporibus ab Eccleſia vſitatam penes ſe in ſcriptis, cuius quidem alterum exemplar in ſacrario cuiuſlibet templi, (in quo ſunt Confeſſarij) deinde alterum introrſus in ipſis ſedilibus volumus affigi, vt antequam ad Confeßiones aggrediantur, eam vel ſimilem aliquam, prout cuiuſque pietas feret, apud ſe legant.

℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

℣. Ne proiicies me à facie tua. ℟. Et ſpiritum tuum ne auferas à me.

℣. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui. ℟. Et ſpiritu principali confirma me.

℣. Docebo iniquos vias tuas. ℟. Et impij ad te conuertentur.

℣. Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ.

℟. Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

ORATIO. Domine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, vt dignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter magnam tuam miſericordiam, miniſtrum feciſti officij Sacerdotalis, & me exiguum, humilémque mediatorem conſtituiſti ad orandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus: Ideóque dominator Deus, qui omnes homines vis ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur, & viuant; ſuſcipe orationem meam quam fundo pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, vt des illis ſpiritum compunctionis, reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus aſtricti tenentur, vt ad te per dignam ſatisfactionem reuertantur. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Sacerdotes ſæculares non niſi toga & ſtola decenter amicti pœnitentes audient: quod etiam tum fieri volumus cùm ægrotantium excipiunt Confeſſiones, licèt id faciant apud ipſos domi.

Nullorum accipiantur Confeſſiones, nec in ciuitate, nec verò in tota diœceſi noſtra, ſine noſtra, vel vicariorum foraneorum expreſſa licentia, poſt Dominicam Palmarum vſque ad diem integrum Paſchæ peractum, niſi eorum qui paulo antè confeſſi ſunt, aut ſaltem à Quinquageſima præcedenti: excipimus ſemper ægrotos: cæterorum verò confeſſiones infra octauam Paſchæ differantur ſecundùm Conſtitutionem noſtram Paſtoribus datam, ídque graues ob cauſas in ea declaratas.

Si quem deprehenderint, qui ſine ratione legitima Confeſſarium ſuum deſerat, qui quidem perappoſitus erat alioqui ad illum in viam ſalutis dirigendum, conentur eundem peropportunè reducere, tum reprehenſa pernicioſa hominum negligentia, qui Confeſſarium doctum & prudentem ſibi deligere negligunt, tum quaſi noxia & vitioſa frequenti mutatione Confeſſarij deteſtata: quemadmo-

dum enim medici, qui naturam temperamentúmque corporis in infirmis perſpectum habent, non facilè permutari ſolent, quòd morbis neceſſaria faciliùs inuenire remedia norint; ſic neque videntur pœnitentes, niſi magno delectu, à medicis ſuis diſcedere debere, cùm ij meliùs animarum vulneribus adhibere opportuna ac vtilia inſtituta poſſint. Si tamen iuſta de cauſa Confeſſarius aliquem ad ſe venire permittat, qui pij & prudentis alterius in confitendo conſiliis antè vtebatur, vtile erit id cum illo ipſo communicare, vel ſaltem dare operam, vt pœnitens ab eo abeundi honeſtam licentiam nanciſcatur.

Confeſſarij omnes præcipuè ſi qui in noſtra diœceſi eo munere funguntur, curare debent, vt inter eos & Parochos locorum vbi confeſſiones audiunt, bene conueniat; ſiue cùm illorum ibi ſint monaſteria in propinquo, ſiue cum ob habitas conciones, ſiue ob aliam quamcumque cauſam confeſſiones audiunt. Itaque non abſoluant eos, qui vel ob exempla vitæ impiæ, & in eo ſtatu perſeuerandi pertinaciam, vel quòd ad pœnitentias publicas, ſiue legata pia, vel ſimilia quædam tenebantur; atque ideo à Paſtoribus ſuis abſoluti non fuerint. Proinde ſæpius Regularium Superiores ſuos admoneant huius rei neceſſe eſt: præcipuè autem ad animorum concordiam, quæ ad ædificationem quoque plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneántque, ſi in quæſtionis alicuius explicatione inter eos & Paſtores ſentiendi quædam accidat diuerſitas, vt ea cum prudentia ſeſe gerant, ne ad vulgi aures ea perueniant, quin ſtatim ad nos potiùs pro rei controuerſæ definitione accurrant.

Meminerint ad Sacramentum pœnitentiæ non permittere venire eos, qui ſine conuenienti tum exteriore, tum interiore animi præparatione volunt accedere: quin magis verbis charitatem ſpirantibus, pro captu cuiuſque tales alloquantur, & dicant, vbi ſeſe meliùs pro dignitate tanti Sacramenti diſpoſuerint, ita demum ad ſe reuertantur.

Itaque mulierum earum confeſſiones non audiantur quæ ceruſſatæ veniunt, quæ fucis vtuntur, quæ faciem ſtibiis depingunt, quæ ex auribus monilia geſtant, quæ leuibus & vanis ornamentis, quæ pannis aureis, aliiſve ſimilibus laſciuiis promptè ac comptè accedunt, & vt ſemel omnia dicam, quæ veſtes modeſtas non habent, nec ſimplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non tranſpareat, quæve ſaltem operimentum ex lino, lanáve confectum, vel peplum ſobrij alicuius coloris non habent: ſic enim huius Sacramenti reuerentiam decet, & ita prorſus cognitioni peccatorum, & de iiſdem dolori intimo conſentaneum eſt, cùm ſcilicet cogitare debeant, quòd ante tribunal, & iudicium Domini Dei ſui ſe ſiſtant, ac quaſi peccatrices miſericordiam & veniam ſuppliciter de eiſdem imploraturæ veniant.

Idem neceſſe eſt in viris obſeruetur, vt videlicet ad confeſſiones non admittantur, qui veſtitu viro indecenti, qui auro intextis palliis vtuntur, qui laſciuis pileorum ornamentis induti ſunt, qui item cum armis aut ſimilibus rebus, accedunt.

Maius multò ſtudium Confeſſarius ponat in interiore animi præparatione, quando neceſſe eſt, prudenter inquirenda; ea enim planè ad hoc Sacramentum requiritur cernitúrque maximè in ſeria & ſolida peccatorum examinatione, quæ ad vnumquemque pertinet; ita vt vniuerſi quantum in ſe eſt, eum animi dolorem qui iure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma ac conſtanti de-

liberatione animi, tum pro præteritis ſatisfaciendi, tum vitam in poſterum emendandi. In quibus igitur eam præparationem deſiderari animaduertent, verbis beneuolis perſuadere conabuntur, vt denuò conſcientiam ſuam diligentiùs examinent, ac rectè ſeſe præparent.

Signa autem ex quibus coniectura capi poteſt, eos ſine iuſta præparatione ad Sacramentum venire, hæc ſunt, ſi ad confeſſionem properant, quaſi ab ipſa occupatione rerum ſuarum auulſi, nullo temporis ſpatio priùs in orationem collocato, vel ſi eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde ſi Confeſſarius iam tum præſciat, quòd à confeſſione nihilominus ac antè ſuis in peccatis ſint perſeueraturi, ſiue quòd in ſe peccatum mortale quodpiam teneant, vel quòd occaſionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, ſiue quòd aliena bona cùm poßint, reſtituere negligant.

Aduertat tamen Confeſſarius, ſi pœnitentes ſtudij nonnihil à ſe præſtitiſſe ad eam præparationem, de qua dictum eſt, conſequendam viderit & obſeruet; tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, neceſſariò aliquid iis deeſſe, vt ipſemet quod deeſt ſuppleat ſua induſtria, & ad cognitionem maiorem eos inducere adlaboret: quod fiet optimè ſi peccati turpitudinem & grauitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo aduerſetur vel maximè ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & ſic effingere conetur, vt de vniuerſis & ſingulis peccatis mortalibus tam acrem animi dolorem perſentiat, vt ſecurè eis abſolutionis beneficium impertire poßit.

Præterea pœnitentes, ſed eos præcipuè qui rariùs confitentur, pro iudicio & neceßitate cuiuſque, rationem ac methodum quandam bene confitendi diligenter edoceant, ac ſpeciatim quantùm interſit, vt integra ſit confeßio, aliáſque circunſtantias quæ ad eam requiruntur, & quam vim itidem habeant, exponant.

Conſuetudo honeſta eſt, puerulos, etiamſi quintum aut ſextum ætatis annum necdum exceſſerint, ante Confeſſarium adducere, vt ſic incipiant paulatim inſtrui ac manu quaſi in cognitionem, atque vſum huius Sacramenti transferri: caueant tamen accuratè Sacerdotes, ne abſolutionem cum Sacramento iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; vt citra controuerſiam iudicare poßint eos huius Sacramenti capaces eſſe: operam tamen maiorem collocabunt cum iis qui ſeptimum aut octauum annum iam attigerunt, quantùm puerilis ætas ferre videbitur, vt huius Sacramenti neceßitatem & virtutem, nec non modum quo ſuſcipitur, perſpicuè intelligant.

Qui verò confeßiones audiunt puerorum aut puellarum, qui iam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum altaris propediem fore exiſtimant, ſolerter videant ne vel ſua, vel parentum negligentia & ſocordia, abſque guſtu tanti theſauri ſpiritualis eos patiantur adoleſcere: quin potiùs quanto minori cum productione temporis, quámque diligentißimè fieri poterit, doceant eos, quæ ad hoc Sacramentum percipiendum neceſſaria ſint, fructúſque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demißione, ac reuerentia, quámque magna conſcientiæ puritate opus ſit.

Cæterùm poſtquam iterum atque iterum eorum confeßiones iam audierint,

vel per ſe venerabile Sacramentum eis porrigant, illiúſque rei fidem ſcripto faciant, vt Paſtori ſuo exhibeatur, quo deinceps in Paſchate ad communionem Paſtor eos cum cæteris adiungat, vel ad eam ſumendam inſtructos & idoneos eſſe ſcriptis declarent, atque proprium ad Paſtorem amandent.

In ipſo auditu confeſſionis, antequam peccata ſua quis enumerare pergat, Confeſſarius, maximè ſi cum rudioribus hominibus agit, quive rariùs confitentur, debebit quaſdam interrogationes præmittere, quibus in decurſu confeſſionis omnia commodiùs cedent: ſunt autem interrogationes eiuſmodi. Primùm ſi certum non habet pœnitentem ex eorum numero eſſe quos abſoluere rectè poſſit, interroget quomodo id ſit; ſi non eſſe talem inueniat, quamprimùm ad alium qui abſoluendi poteſtatem habet remittat; ſin aliter eſt, & tamen nihilo ſecius pœnitentem ſatis non agnoſcit: quærat ſecundo loco, quo in ſtatu res eius ſint, cuius ipſe conditionis ſit, quam profeſſionem aut artem tractet, quod officij genus vt plurimùm exerceat; interrogabit deinde quantum temporis interceſſit quod confeſſus eſt, interim in memoriam ei redigens, quàm magnum emolumentum parere ſoleat crebrò iterata confeſſio: tum petet vtrum pœnitentiæ nuper præſcriptæ ſibi fecerit ſatis, quæret etiam ſi norit articulos fidei, præcepta Decalogi & S. matris Eccleſiæ: quod ſi neſciat, tum ſe geret eo modo cum pœnitente quem inferiùs indicabimus.

Quærat vtrum diligentiam atque induſtriam congruentem in conſcientia bene examinanda collocârit, quæ ſanè tanta requiritur, quanta in negotio quovis maximi ponderis ineſſe ſolet: res enim verè operoſiſſima eſt ad Sacramentum pœnitentiæ ritè accedere; atque hoc loco ſi neceſſitas efflagitat, eum de vtili quodam modo examen conſcientiæ faciendi inſtituat, quænam ratio ſit ad memoriam reuocandi peccata commiſſa, cum iis quæ circunſtant omnia; nimirum vt ingrediatur in ſeipſum, vitæque tempora ſpeciatim percurrat, initio quidem, quantum ad ætatum momenta, pueritiam ſcilicet; iuuentutem, & cætera pertinet: Secundò quantum ad ſtatûs mutationem; quòd ſi vxorem duxerit, quomodo ante, quomodo poſt matrimonium contractum ſeſe geſſerit; tertiò quantùm facit ad viciſſitudines humanæ vitæ, in rebus proſperis videlicet & aduerſis, in ſanitate & ægritudine, tempora varia, officia diuerſa quæ exercuit, ſodalitia, loca, regiones in quibus egit & verſatus eſt: circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccauerit aliquando.

Ad hæc conditiones quæ ad confeſſionem perfectam requiruntur, quanta poterit breuitate & facilitate illi proponet: poterit verò ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas ſedecim à Doctoribus ſæpe commemoratas, quæ his verſibus continentur.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Rogabit an recordetur ſe, vel in caſum aliquem reſeruatum, vel excommunicationem incidiſſe, vel quod aliud impedimentum habere, à quo probabiliter arbitretur quòd abſolui non poſſit: Si quid eiuſmodi in exordio, vel in ipſo decurſu confeſſionis repertat, ne procedat vlterius, ſed ſignificet pœnitenti eum à ſe abſolui non poſſe, verùm neceſſarium eſſe, vt aut nobis, aut Pœnitentiario ma-

iori Eccleſiæ noſtræ metropolitanæ, aut alteri, cui à ſimilibus caſibus abſoluendi poteſtas collata eſt, ſe exhibeat: ſi tamen ratio aliqua ſubſit, cur Confeſſarius non expedire iudicet, vt pœnitens id agat, tum ipſemet ad Pœnitentiarium, vel ad nos pro abſoluendi poteſtate impetranda recurrat. Si pœnitens extra ciuitatem ſit, taléque negotium ſit, vt ipſe Confeſſarius à vicario noſtro foraneo, aut alio in iis locis ad ſimilia decidenda à nobis deputato ſubdelegari poſſit, ab eis abſoluendi poteſtatem legitimam impetret, vel pœnitentem ad eos remittat, niſi fortè nec ipſi à caſibus reſeruatis abſoluendi poteſtatem à nobis habeant, aut caſus iſte ſub eorum licentia comprehenſus non ſit: hoc tempore ſi pœnitens Mediolanum venire poßit, hortetur eum, vt id faciat; quòd ſi ad id inducere non poßit, petat ab eo veniam dictum caſum nobis, vel Pœnitentiario maiori, litteris, aut verbis indicandi, quatenus abſoluendi ab eis poteſtatem impetret: quod cùm faciet, & rem ipſam litteris committet, prudentiam cautionémque ſummam adhibeat neceſſe eſt, ne vllo modo in aliorum notitiam venire poſſit: at verò ſi cauſa tanti momenti eſſet, vt ſi litteræ vel perdantur, vel intercipiantur, maius aliquod pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Confeſſarius iubeat ipſum proficiſci, niſi fortè conſultum videatur, vt ipſe veniat alterius nomine.

Cæterum in negotiis ſimilibus prudentiùs facient, ſi rectà ad Pœnitentiarium maiorem, quàm quoquam aliò recurrant, vel eò pœnitentes ſuos dirigant: ſpecialiter enim à nobis ad id conſtitutus eſt ille cum ampla etiam poteſtate alios ſubdelegandi in iis omnibus negotiis, quæ pro caſuum reſeruatorum abſolutione difficilia occurrunt. Quòd ſi nec ipſe Pœnitentiarius à tali caſu poßit abſoluere, tum modum illi præſcripſimus, vel à nobis, vel aliunde vnde neceſſe ſit, remedia talibus negotiis opportuna adhibendi.

Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, ſeriò commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, & quæ grauitas illius, quámque periculoſum in ea perſeuerare, quantáque cum diligentia fugienda ſit excommunicatio: quod commodè fiet, ſi effectus illi demonſtret nonnullos excommunicationis.

Interroget vtrum ſciat hæreticum aliquem, vel de hæreſi ſuſpectum, vel ſimile quippiam, quod iuxta vel noſtra edicta, vel eorum qui Inquiſitiones vocantur, leges denunciare teneatur: quòd ſi pœnitentem ad tale quid aperiendum cognouerit teneri, curet ab eo ſatisfieri: & ſi negligentiâ ſuâ factum eſt, poſtquam apud eum hæretici vel ſuſpecti de hæreſi alicuius notitia fuit, vt terminus his denunciationibus præfixus tranſierit, eo articulo iubebit, vt licentiam impetret, qua abſolui poßit; non enim ſatis tempeſtiuè perfecit denunciationem vt debebat.

Circa confeßiones antegreſſæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri quæ ſunt ad cognoſcendum neceſſariæ; num aliquo in peccato erratum ſit ab integritate confeßionis, ob quod nullius ponderis neque virtutis extitißent cæteræ confeßiones, ac proinde reiterandæ eſſent. Exempli gratiâ ſi pœnitens alicui confeſſus ſit, qui eum abſoluere non potuerit, vel qui legitima abſolutionis forma vſus non fuerit; vel Sacerdoti adeò indocto, vt ea quæ ad hoc Sacramentum adminiſtrandum requiruntur, nec intellexerit, nec ſciuerit; vel etiam ſi ipſemet aliquod peccatum mortale ſciens ſubticuerit, vel confeßionem diuiſerit, enumerata parte peccatorum ſuorum vni Confeßario, alteri altera; vel ad extremum, ſi nullo penitus cum

cum dolore de peccatis ſuis nullo deliberato emendandi propoſito, confeſſus ſit; vel, quod etiam contingit interdum, ſi nullam omnino diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contuliſſe.

Et quoniam cernere eſt negligentiam maximam in confeſſionibus rite faciendis ſæpenumero committi, præcipuè verò eo tempore quo quidam repudiato à ſe Dei timore, vel minimam prorſus, vel nullam animæ ſuæ curam gerere putantur, vt potiùs veniant ad confeſſionem ex certa quadam agendi conſuetudine, quàm quòd peccatorum ſuorum agnitione eò perducantur, & vitam emendandi vera deſideria ſuſceperint: in vniuerſum quidem ob ſummam commoditatem quæ ex confeſſione generali redundat, tùm præſertim cùm ex animo quiſquam ſtatuerit in poſterum vitam in melius commutare & totum ſe ad Deum conuertere; Confeſſarij pro cuiuſque perſonæ qualitate, opportuno tempore & loco ad generalem quandam confeſſionem pœnitentes exhortentur, vt per hanc propoſita omni præterita vita ſibi ob oculos, maiore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores qui potuiſſent in præcedentibus confeſſionibus accidere, reſarciant.

Hiſce interrogationibus finitis, quæ confeſſionis veluti præambula quædam, & præludia ſunt, Confeſſarius pœnitentem inducat, vt ipſemet omnia peccata ſua quæ recordatur, exprimat per ſe: quod vbi fecerit, ſi perſpiciat adhuc (quod ſæpenumerò accidere ſolet) eum aliis interrogationibus indigere, per quas multorum quæ oblitus ſit, reducatur in memoriam, vel ea quæ priùs confusè dixeras, diſtinctiùs conſideret, volumus interim præmonere Confeſſarium, vt peccatorum mortalium numerum ſemper quàm poterit exactiſſimè inquirat, & quamuis fieri poſſet, vt non vſque adeo præcisè & velut ad vnguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paulò plus minúſve eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem ſequatur oportet, initio ducto à præceptis Domini, ad quæ tametſi omnia alia de quibus interrogationes habentur, computari poſſint, nihilominus ſi cum perſonis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, vtile erit etiam per ſeptem capitalia peccata, quinque ſenſus exteriores, & opera miſericordiæ diſcurrere.

Confeſſarius non minori vigilantia ac prudentia pollere debet in iis maximè peccatis inueſtigandis, quæ homines eius ſtatûs conditionîſque cuius eſt pœnitens, communiter perpetrare ſolent.

In peccatis verò luxuriæ, ſummam animi ſolertiam cum pari circumſpectione verborum debebit vſurpare. Itaque cùm in iis ſpeciem peccati & circumſtantias quæ multum prægrauant illud, ſatis intellexerit, vlterius nihil ſtudeat inquirere: in hunc finem circumſtantiæ quæ peccati ſpeciem ab vna in alteram mutant, vel id plurimùm deprimunt, plenè perfectéque à Confeſſario ſciri debent: quandoquidem hæ duæ circumſtantiarum ſpecies neceſſariò inter confitendum explicandæ ſunt; idcóque ad ſummas accurrendum erit, in quibus plerumque hoc verſu illæ continentur:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Præ cæteris tamen prouidus, cautúſque ſit oportet, ac modum congruentem ſciat quo pueri ac puellæ interrogentur, ne fortè quæ priùs ignorabant, eos doceat: verbis autem adeò commodis interrogationes ſuas circumloqui nitatur, vt

pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admouet alicuius confeſſioni audiendæ, caueat omni modo peccati grauitatem à ſe auditi geſtu corporis, vel nutu capitis circumſtantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, vt propterea aliud graue peccatum ſubticeat; imò contrà, animum ei addat; vt omnia quantumuis enormia & turpia peccata aperire non vereatur.

Confeſſarius qui priuilegium aliquod, facultatem, vel auctoritatem habet pœnitentium vota commutandi, ea non niſi in alia opera pia maiora, Deóque acceptabiliora, vel ſaltem æqualia commutabit: in quo negotio diligenter attendet expenſas, labores, aliáſque difficultates, quas ſuſtinere neceſſe fuiſſet, ſi vota à ſe nuncupata primo modo debuiſſet perſoluere.

Quamuis verò per Iubileum, aut litteras Apoſtolicas, priuilegium aliquod ei conceſſum ſit ab omnibus peccatis quantumuis enormibus, ac pœnis cenſuriſque Eccleſiaſticis abſoluendi, præmonemus tamen quòd diſpenſare cum eis non poſſit qui irregularitatem incurrerint, niſi in ipſis litteris expreſſa huius fiat mentio.

Vt Confeſſarij pleniùs inſtruantur, nec abſolutionis beneficium iis impartiantur, qui eo reuerà indigni ſunt: (id quod vel incuriâ vel negligentiâ, vel alia de cauſa ſæpe accidit, ac proinde multi in eiſdem ſemper peccatis hærent cum animarum ſuarum lamentabili ruina) idcirco ex plurimorum Theologorum, cùm ſæcularium, tum regularium diuerſorum Ordinum conſenſu, quædam quæ in frequentiori conſuetudine agendi à Confeſſariis obſeruanda erunt, inferiùs notauimus: quandocumque verò ab iis Pœnitentes vel abſoluent, vel relinquent ligatos, volumus vt ſecundùm id quod infrà dicetur, ſua conſilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet qui iam ad rationis vſum peruenit, ſub peccati mortalis periculo articulos omnes fidei ſcire & intelligere (ſaltem generaliter) tenetur, nec non Decalogum & ſanctæ matris Eccleſiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in ſcholis cum Catechiſmo doceri ſolent: ſi Confeſſarius deprehendat pœnitentem ignorare ea quæ diximus, nec ad ea quàm citiſſimè poterit perdiſcenda appoſitum, non debet eum abſoluere: ſi verò ad ea mandandum memoriæ paratum ſe ſe exhibeat, ſi tamen aliàs à Confeſſario (ſiue ipſemet is ſit, ſiue alius) vel ſpeciatim à Paſtore ſuo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari vt commodiùs interroget) neque tamen tantum ſtudij adiunxerit, quantum debuit pro capacitate ſuæ perſonæ, eiúſque abſolutionem differat, donec aliquo modo ſatisfaciat: verùm ſi hac de re admonitus à nullo fuerit, poſtquam eum in ſupradictis ita generaliter inſtruxerit, vt eo tempore reddatur abſolutionis capax, poterit eum abſoluere.

Si patres aut matres-familias fuerint, qui curæ ſuæ ſubditos ſiue filios & filias, ſiue ſeruos & ancillas (quæ particulatim interrogare meminerit) cùm rudimenta fidei non teneant, addiſcere non compellunt, vel non aduigilant vt Decalogi & Eccleſiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod peius eſt, ab eorum obſeruatione eoſdem prohibeant; vt faciunt qui ſeruos & ancillas vſque adeò occupatos diebus profeſtis detinent, vt propria neceſſitate vrgente, diebus feſtis operari quodammodò cogant, vel temporis tantum non tribuant, vt ſecundùm Eccleſiæ præceptum, ſacro officio Miſſæ intereſſe queant, aut qui neſcientes quinam eorum

qui

qui in familia ſua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiſcuè tempore quadrageſimali, aut aliis ieiuniorum diebus, cœnam, vel tempore antemeridiano eſcam ante horam debitam in ædibus ſuis præbent, vel dari patiuntur: aut ſi quando hæc præcepta tranſgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel ſi ſerui corrigi nolint, & cæteris ſcandalo ſint, è domo ſua non quamprimùm eos ablegant.

In omnibus his peccatis, niſi reipſa præſtent officium ſuum, negligentiámque in familiæ adminiſtratione commiſſam, quantum ad ea quæ dicta ſunt attinet, in poſterum ſe ſe emendare promittant, nullo modo eos abſoluat: quòd ſi in ſe recipiant ea ſe facturos, nec horum admoniti vnquam à Confeſſario vel Paſtore, præſcripto modo fuerint, poterit eos abſoluere: quòd ſi ſæpiùs fuerint reprehenſi, nec ſeſe correxerint, tamen abſolutio differatur, donec promiſſa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio oſtenderint.

Confeſſarius eundem cum eis modum ſeruabit, qui contra Conciliorum noſtrorum prouincialium, præcipuè verò tertij Conſtitutiones ac alios canones noſtros, diebus feſtis operantur, vel à venditionibus, & ſimilibus quæ in illis prohibentur, non abſtinent. Idem etiam ſeruetur cum iis qui in immoderato corporis ornatu & faſtu mortaliter peccant.

Ac verò cùm hac tempeſtate luxus veſtium ad ſummum quò conſcendere potuit, verticem videatur euaſiſſe, ídque magna ex parte culpa & negligentia Confeſſariorum accidat, qui vel ex inconſiderantia, vel fortè dum leuiter pœnitentes peccare exiſtimant, nullo cum ſcrupulo eos abſoluunt; capita quædam in medium afferemus, quibus propter ornatum, & luxum in veſtitu, faſtúmque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, vt cùm abſolutio danda erit, ſecundùm eas regulas actiones officij ſui metiantur.

Si quis igitur veſtitu ſplendidiore induitur, vel eo ſeſe ornat ob finem peccati mortalis, vtique mortaliter peccat: ad hæc qui veſtimenti ſumptuoſi gratia, vel ipſe delinquit, vel alij eius nomine præceptum Domini vel Eccleſiæ tranſgrediuntur, ita vt ne veſtis non conficiatur, feſtis diebus ſartori operandum ſit, vel ipſe certè faciat eum operari, aut ſacrum Miſſæ officium omittere, vel vt alij omittant præbetur ab eo occaſio; vel ſi cauſam præſtet coniugi, iíſve ad quos ſpectat eius ſuſtentatio, vt plus quàm priuatæ opes ferunt, in veſtitum impendant; vel ſi præuidet, vt meritò debet præuidere, aut ſaltem probabiliter dubitat, quòd odia veſtium cauſa gignantur, diſſenſionéſve in ædibus fiant, vel quòd indumenti causâ coniux, aut aliorum quiſpiam blaſphemias euomat, aut lucra contractúſque illicitos exerceant: His adde eos qui ornatus gratia non ſine peccato mortali ſuperſedent eleemoſynis neceſſariis, aut legata pia non exequuntur, aut ſimilia quibus obſtricti ſunt, complere negligunt, vel qui pro veſte mercedem operariis denegant ſoluere, vel differunt, aut ære alieno ſic ſe obruunt, vt cum tempore, ſoluendo non ſint futuri. In hoc etiam ordine ponendi ſunt, qui vt ſe ſplendidè veſtiant, detrimentum proximo notabile inferunt; vel ita ſe exhauriunt, vt filias cùm ad ætatem nubilem peruenerint, in matrimonio collocare non poſſint, qua ex re magna damna ſolent exiſtere: ad extremum cùm pudenter colligi poſſit, quòd non mediocria peccata ſimilia iis quæ dicta ſunt, inde prodibunt, aut dubitatio veriſimilis habeatur, quòd accidere poſſent qualia ferè ſolent ſumptuoſum & inſolentem earum vſum comitari. In omni-

Itaque ſi pœnitentem iis aut ſimilibus impedimentis irretitum eſſe perſpexerit, ipſáque occaſio talis ſit, quæ tum etiam reipſa exiſtat, veluti quod concubinam alit, vel quid huiuſmodi, Confeſſarius eum abſoluere non debet, niſi priùs illam ipſam occaſionem prorſus abſcindat.

In aliis verò, vt alea ludere communiter, in venereis aſpectibus diu eſſe, conuerſari periculosè cum fœminis, perdurare in tactibus impudicis, ſi eis nuncium remittere non polliceatur, vel ſi ſpondeat, aliàs tamen cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendauerit, abſolutionem differat vſque eò dum emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cùm vſuuenire poſſit, vt ex omnibus quæ ſolers ac circumſpectus Confeſſarius excogitauerit, nullum remedium tamen potuerit habere cur pœnitens abſque periculo & ſcandalo magno debeat occaſionem præſcindere, vtatur Confeſſarius his viis.

Primò abſolutionis beneficium eo vſque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè ſi abſolutio citra aliquod illius periculum vel infamiam procraſtinari poſſit, eáque doloris ſigna perſpiciat, eam animi diſpoſitionem, promptitudinémque ſuſcipiendi omnia quæ pro eius emendatione neceſſaria Confeſſarius indicabit, quo tempore remedia huiuſmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna magíſque neceſſaria apparebunt: verbi gratia præſcribet ei, ne ſolus vnquam cum ſola verſetur, vt orationes augeat, corporis macerationem ſubeat aliquam, quódque præcipuum eſt, vt frequenter confiteatur, aliáque ſimilia, quæ ſi pœnitens recipiat in ſe poterit abſolui.

Contrà verò ſi ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confeſſarius iamdiu adhibuit, non ſe emendauerit, non abſoluatur, donec impedimentum ſuſtulerit, vel niſi quid aliud à nobis acceperit quod conuenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, vt factum nobiſcum expendat, ita tamen vt nulla fiat mentio peccantis.

Alterius generis occaſiones, quæ videlicet ex conditione peccantium ſumuntur, ea facta ſunt; quæ etiamſi per ſe licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipſa quæ olim admiſit peccata relapſurus ſit; ſi in eiſdem operibus in quibus antea verſatus eſt perſeueret: tales ob mundi corruptelam plurimis ſolent in caſtris eſſe, mercaturam ſequi, magiſtratus obire, aduocati & procuratoris officia exercere, aliáque id genus; quæ dum quis tractat, fit ſæpe vt vocibus blaſphemis, furtis, iniuſtitia, calumniis, odiis, fraudibus, periuriis, & aliis eiuſdem farinæ ſceleribus, quibus Deus offenditur, tantam ſibi eorum conſuetudinem aſciuerint, vt coniectari liceat, ſi in eiſdem officiis maneant, cùm ſe rurſus eædem illæ oblaturæ ſint occaſiones, quòd fortiorem animum ad reſiſtendum peccatis non opponent, quàm hactenus fecerint, quódque inde ſequitur, in idem lutum ex integro prolabentur. Omnes qui ſunt huiuſmodi ſecundùm D. Auguſtinum, vel negotium ipſis periculoſum deponant, vel ſaltem abſque licentia & obedientia pij ac probati Sacerdotis non exerceant; qui quidem hominem eo modo conſtitutum abſoluere non debet, ſi exiſtimat ad eadem peccata rediturum, quandiu in antiqua conſuetudine perſeuerat: ſed æquum eſt vt vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis interuallum expectetur. Atqui hîc vigilandum eſt eò diligentiùs, quò manifeſtum eſt hac in parte Confeſſarios incuriâ ſuâ maximam præbere cauſam, cur in omnibus ferè opificiis &

exercitationibus publicis peccata grauiſsima inueniantur, & abuſus intolerabiles, ſine quibus multi hodie exiſtimant nec res etiam per ſe æquiſsimas rectè exerceri poſſe.

Exempli gratia in magiſtratu adeundo & aliis officiis aſſumendis multa iuramenta reperiuntur, quæ ſeruari debeant; quæ tamen poſtea non ſeruantur.

Inter Conſiliarios, Aduocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id quod propria conſcientia dictat faciendum.

Idem fit in bello, vbi duellis locus datur, vbi odiis, homicidiis plena ſunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæſtus meretricij. Apud mercatores hæc regnant, vſuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miſcent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multóque pluris quàm pretium iuſtum eſt, eas diſtrahunt: nec deſunt periuria, mendacia, vectigalium fraudulenta auerſio, aliáque eius ordinis permulta.

Plerique opifices feſtis æquè ac profanis diebus ita occupantur, vt nunquam neque cultui diuino vacent, neque conciones frequentent, nec ſe ſolùm, ſed ad ſimilem modum totam diſtentam familiam habent.

Quamobrem magno numero inueniet Confeſſarius inter eos qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxiſſe, qui quidem abſolutionis capaces exiſtimari non debent, niſi diligentia priùs accedat, qua ſimul & ab inuolucris huiuſmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Quòd ſi Confeſſarius poſuerit maiorem induſtriam in iis examinandis, non dubium eſt, quin plures deprehendet, qui numquam vt oportuit Sacramento pœnitentiæ peccata ſua expiarint: quod cùm fuerit ab eo animaduerſum, oſtendat eis præterquam quòd de emendatione maiorem probationem facere debebunt, vel opificij genus in quo ſunt, deſerere, etiam totius vitæ confeſsionem inſtituere, ac ſtudio vehementi in ſalutem ſuam incumbere tenebuntur.

Multò magis Confeſſarius circa ea officiorum actionúmque diſcrimina extirpanda allaborare debet, quæ nullam vel neceſsitatem Reipublicæ, vel vtilitatem ſecum ferunt; quæ quamuis ex priori ordine rerum non ſint, (illa enim per ſe ad mortale peccatum inducunt, ac proptereà neceſſariò à quouis homine quocumque in ſtatu relinqui debent) nihilominus tamen ad malè agendum inflectunt, ac facillimo negotio ſæpiſsimè ad diuerſa peccata trahunt, vt choreis intereſſe, agere cum blaſphemis, verſari cum ſcurris, malorum ſe ſodalitatibus hominum adiungere, tabernas frequentare, otio indulgere, ſimileſque actiones in quibus vt plurimùm peccare mortaliter homines ſolent, qui quidem antè non debent abſolui, niſi animo abalienato penitus illa ipſa ſe deſerturos eſſe polliceantur.

Et quidem ſi probabiliter ſibi Confeſſarius perſuadeat, poſſe ſe fidem primæ vel ſecundæ à pœnitente ſibi promiſsioni factæ dare, eum promiſsionis intuitu abſoluat; ſin autem fidem ſemel atque iterum fregerit, ac tertiò iam idem polliceatur, abſolutionem differat, vſque dum reipſa videat pœnitentem ſe omni peccato liberaſſe in quo priùs vixerat.

Eos proptereà qui contractus noſtris Conciliis prouincialibus nominatim prohibitos, vel per ſe aliàs illicitos exercent, non abſoluat niſi priùs reſcindantur, ſatisfactióque conueniens pro eis præſtetur. Si contractus dubij ſint, antequam abſoluat, ad Pœnitentiarium maiorem rem totam reiiciat, qui quidem illius ex-

plicationem ampliorem penes nos inueniet; ſed hoc tempore, ſi pœnitens ſufficientem dederit cautionem, quòd futuræ definitioni ſententiæque acquieſcet, poterit eum abſoluere, & ad communionem admittere.

Sed ne quidem Iubilei alicuius tempore, qui ea quæ ex edicto publico, monitorióve Papali, vel Archiepiſcopali notificare tenebantur, ſubticuerint, nullo modo abſoluantur, niſi denunciationem ritè priùs fecerint, ac omnibus quæ ob damnum inde ſecutum, obligati ſunt, ſatisfecerint. Cæterum ante reſtitutionem debitámque ſatisfactionem eos non abſoluant, qui aliquatenus ad tale quid aſtricti ſunt, modò id facere poſſint: eos tamen excipimus, qui ex graui periculoſáque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confeſſarius, onerétque, vt quamprimùm poterint, ſatisfaciant.

Poſtquàm Confeſſarius omnibus ſuis præſcriptis remediis diligenter vſus fuerit, ſi impedimentum aliquod non videat, ob quod negare, vel differre debeat abſolutionem: dicat pœnitenti, vt de peccatis omnibus quæ confeſſus eſt, reliquíſque in vniuerſum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omiſſione commiſit, quorum non recordatur, culpam humiliter ſuam dicat, confeſſionémque claudat.

Quod vbi factum eſt, Confeſſarius ei, maximè ſi talis eſt qui rariùs confiteri ſolet, peccatorum grauitatem oſtendat, ac ſpeciatim ad ea ſenſim deſcendat, quibus eum nouerit magis inuolutum, iíſque remediis contra eadem armet & muniat, quæ conuenientiſſima eſſe iudicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confeſſariorum bene tenere, vel Directorium, atque eiuſmodi argumenti libros ſibi facere familiares.

Deinde ſi fuerit neceſſarium, iniunget ei vt ſatisfaciat & reſtituat rem, famam, vel honorem, quæ proximo abſtulerit; tum vbi præſcripſerit ſalutarem pœnitentiam, quemadmodum infrà dicetur, eum abſoluet.

Si fortè pœnitens aliquam cenſuram incurrerit, à qua eum abſoluere poſſit, antequam conferat abſolutionem à peccatis, eam debet quæ è cenſuris datur præmittere; multum autem iuuat ad cautelam, ſi ſemper eadem præmittatur, quatenus ſcilicet poteſtatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter ſi pœnitens caſu aliquo reſeruato teneatur, niſi licentiam abſoluendi habeat, eum non abſoluat; aliàs enim in excommunicationem incideret à Synodo noſtra diœceſana latam. Nec ipſi Regulares, quantumuis priuilegio quod Mare-magnum vocant, vel aliis quibuſvis indultis gaudeant, à prædictis caſibus, abſque peculiari noſtra licentia abſoluere poſſunt: quemadmodum Gregorij XIII. Pontificis maximi ſanctitas ex Cardinalium conſilio, ad quos Concilij Tridentini interpretatio pertinet, declarauit.

Multò minus ſeſe ingerent ad abſoluendum à caſibus in Bulla In cœna Domini *contentis, vel aliis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis.*

Atque vt omnes qui in noſtra verſantur Diœceſi, vnam eandémque abſoluendi formam obſeruent, hoc quo ſequitur modo abſolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes ſeriò ne verba ea omittant, in quibus tota Abſolutionis vis conſiſtit, videlicet: Ego te abſoluo. *Hic itaque omnibus ſit præfixus abſoluendi modus.*

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, ſi quod incurriſti, quantùm poſſum, & indiges. *Deinde*

Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In ſatisfactionibus vel pœnitentiis, Confeſſarius circumſpectus eſſe debet, ne adeo leues illæ ſint & faciles, vt poteſtas clauium in contemptum veniat, ipſeque particeps fiat, & conſors aliorum peccatorum; neque nimis graues aut longæ iubeantur, vt vel recuſent eas exequi, vel etiamſi acceptas habent, poſtea tamen plenè non perficiant.

Idcircò Confeſſarius canones pœnitentiales ad vnguem ſciat oportet: nam quamuis illi poßint & debeant ſecundùm prudentis & morati Confeſſarij arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diuerſáque conditio, aliæque circumſtantiæ oſtendent: vtiliſſimum tamen eſt ſemper ipſos canones præ oculis habere, ádque eos tanquam ad amuſſim reſpicere, quantum conueniens erit: & quidem Confeſſarius etſi pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet ſequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, vt ſic ad maiorem dolorem adducatur, pœnitentiámque leniuſculam quam ipſi dedit, alacriùs exequatur: & interim hæc quoque perſpicietur vtilitas, quæ proficiſcitur ex benignitate quam hodie ſancta Mater Eccleſia cum pœnitentibus obſeruat, quando diſciplinæ eccleſiaſticæ rigorem eis tantoperè moderatur. Curet etiam vt ſatisfactiones peccatis commiſſis reſpondeant. Itaque aduerſum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliáque ſimilia impones quæ macerare ac caſtigare poſſunt carnem. Contra auaritiæ peccata, præter reſtitutiones, quæ fieri debent, apponet opera miſericordiæ pro facultate & modo cuiuſque. Peccata ſuperbiæ quæ in ſpiritu hærent, oratio comprimet, quæ ſub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem animíque conſtantiam acquiret. Præcipiet contra negligentiam in iis ediſcendis quæ ad verum pertinent Chriſtianum, conciones ſacras, tum etiam vt ad certum tempus ſcholas & Catechiſtas Chriſtianæ religionis frequentent. Remißis hominibus, quíque in rebus conſcientiæ ſuæ ſalutiferis frigidè ſe gerunt, præcipiet vt adeant templa, diuiníſque officiis aßiſtant, multáſque vſurpent orationes.

At verò blaſphemis & ſacrilegâ linguâ in Deum & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graues & difficiles iniungent, quæque culpæ grauitati reſpondeant. Qua in re Canonibus ſacris, Pontificiis decretis, Concilio Lateranenſi ac noſtrorum Conciliorum ſtatutis ſeſe conformabunt. Verùm hac in parte integro iudicio & perſonarum delectu vtentur: non enim omnibus omnia conueniunt: quare non mandent pauperibus, vt liberaliter tribuant eleemoſynas, neque iis qui diurnis ſudoribus victum ſibi ſuiſque quæritant, ieiunia prolixa; ac ſimile iudicium in reliquis pœnitentiis vſurpabunt & ſequentur. Videndum eſt

etiam, vt qui publicu vel ſcandalis, vel ſceleribus delinquunt, non abſoluantur, priuſquam ſatisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem iis iniunxerint, vt ſimul cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis reſarciant; qua in cauſa Concilij Tridentini præſcriptum obſeruabunt, ac inſtitutionem noſtram ſuper hac re in primo ac tertio prouinciali noſtro latam, qui etiam pœnitentias publicas in alias ſecretas non commutabunt, niſi expreſſam à nobis huius rei habeant poteſtatem.

Vt liberior ſit Confeſſarius in exequendo officio quod illi cum pœnitente eſt, maioréque apud eundem in auctoritate habeatur in decernendis iis omnibus quæ ad pœnitentis ſalutem referuntur, non ſolùm fugiet ſtudioſè auaritiam, ſed etiam omnem eius vel minimam ſuſpicionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid huiuſmodi pro Confeßionum audientia non petet, etiamſi occaſio ſe præbeat, ac ne ſignum quidem vel minimum eius oſtendat, quin potiùs voce & reipſa declaret animum ſe prorſus abhorrentem à talibus habere. Cùm pœnitenti iubebit vt Miſſæ ſacrificium faciat vſpiam peragi, nec rectè nec obliquè ſignificet, quaſi velit ipſe celebrare, vel in ſua Eccleſia, aut monaſterio curare celebrari.

Idem faciat in ſatisfactionibus iis, cùm pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid ſoluere debebit.

Sed neque pecunias aliáve quæ à pœnitente reſtituenda ſunt propriis dominis, in ſe prouinciam reddendi aſſumat, niſi neceßitas id requirat, vt videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quod cùm erit ab eo factum, curet vt is cui rem reſtituit chirographum ſuum in teſtimonium ei tribuat, vt illud pœnitenti conſignet, ac planè eo modo procedat, vt omnem ſpeciem ac ſignum auaritiæ ſubterfugiat. Præ omnibus autem Confeſſarius caueat ne verbis vel ſignis, vel quocumque alio modo peccatorem vel peccatum ipſum, vel aliquam circumſtantiam perſonæ, cum qua peccatum perpetratum eſt, prodat; denique verbum nullum ex ore eius excidat, ex quo aliquo modo, in peccati quantumuis leuißimi, quod in Confeſſione dictum ſit, notitiam veniri poßit.

Cúmque pro rei alicuius controuerſæ quæ in confeßionem incidit, clariore definitione conſilium ab aliquo petendum erit, ſumma ad id prudentia adhibeatur neceſſe eſt: tractetur igitur vel cum iis hominibus, ac modo tali, vt is qui peccatum commiſit nullo modo deprehendi poſſit. Ideóque conſultum videtur, vt nullam planè apud alios mentionem faciat vllo tempore peccatorum, quæ in confeßione audiuerit: quòd ſi poſtea neceſſitate coactus, cum ipſomet pœnitente de peccatis loqui contingat, id nonniſi præfata venia faciat, & ipſum colloquium obtinebit vim confeßionis quantum ad ſecreti ſilentium attinet. Si pœnitens à Confeſſario poſtulet, teſtimonium ſibi dari, quo ſe eius confeſſionem audiuiſſe fateatur, quòd illud dicat ſe velle Paſtori ſuo oſtendere, quod ſemper in confeſſione Paſchali facere tenetur, eam ſecundùm formam, quæ infrà ponitur, ſcribat. Atqui eo quòd atteſtationum harum multa exemplaria impreſſà ſingulis dabuntur Confeſſariis, curet Confeſſarius, vt ſuas præ manibus habeat, nullíſque eas tradat, niſi quorum confeßiones audiuerit.

Atteſtationis formula hæc erit. Anno v. g. 1574. die .... menſis ..... Sacramentum pœnitentiæ adminiſtraui N...... habitanti in Parochia.......... Scribat in primo albo diem quo pœnitens confeſſus fuerit, ſecundo menſem, tertio

nomen & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confeſſarius nomen & cognomen ſuum ſubſcribat, cum titulo beneficij vel officij Eccleſiaſtici à quo communiter denominari ſolet, veluti Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Eccleſiæ N. . . . . . vel ſi Regularis ſit, habitans in monaſterio N. . . . . Atqui quidquid in atteſtationum albis ſcribendum eſt, totum id ipſiuſmet Confeſſarij manu ſcribatur, vel ſaltem dies menſis ac ipſius Confeſſarij ſubſcriptio. Vtile præterea erit ſi Confeſſarij omnes in tabulis nomen & cognomen ſcribant eorum quibus dictas atteſtationes ſubſcriptas tradiderunt, ſeruéntque eas tabulas penes ſe, vel poſt Octauam Paſchæ nobis, aut ſi in diœceſi ſint, vicariis noſtris forenſibus exhibeant, ídque vt exactiùs animaduertere poſſimus, num fraus aliqua in dictis atteſtationibus à non confeſſo quodam facta ſit.

Pro maiore Confeſſariorum inſtructione, atque in iuuandis eorum animabus, quibus pænitentiæ Sacramentum adminiſtrârunt, vt certa quadam forma vtantur, qua pœnitentes in gratia accepta perſeuerare ac progreſſum facere doceant, inſcriptas adiunximus admonitiones.

Confeſſarij omnes, quemadmodum Patres ſpirituales decet, circa pœnitentes ſuos ſummam prudentiam adhibeant neceſſe eſt, vt inſtruantur dirigantúrque paulatim ad virtutes Chriſtiano homine dignas. Peculiariter autem induſtriam & ſtudium ſuum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres ſibi Confeſſarios ſuos cooptant, vt ad eos in dubiis & controuerſis ſuæ conſcientiæ rebus quotidie, tum pro conſilio, tum pro expiandis peccatis poſſint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios ſuos ſpirituales in bono propoſito confirmare nitantur, vt conſtantiſſimè ſibi proponant, potiùs quàm diuinam Maieſtatem offendant mortaliter, non ſolùm bona ac honores, ſed etiam vitam profundere, viuúmque præſeferant & ſalutare deſiderium ſecundùm ſanctiſſimam Dei voluntatem totam vitam ſuam expendere.

Quare finem ob quem creatus eſt homo eis ob oculos crebrò ponat; qui quidem eſt, ſeruire & obedire in hac vita diuinæ Maieſtati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliáque ſimilia; ac proinde debere hominem exſuſcitare animum & vires ſibi ſumere, ſalutíque ſuæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus vti, vel abſtinere, quatenus ad hunc finem conſequendum adminiculo, vel impedimento eſſe poſſit; ad extremum huc ſe totos, actionéſque ſuas, atque vniuerſa quæ in hac vita poſſident, deſtinare, ita vt in victu, veſtitu, conſuetudine vitæ, negotiis, omnibúſque aliis exercitationibus ita ſeſe gerant, vt omnia quaſi quædam adiumenta eis eſſe poſſint ad vltimum finem cui conditi ſint, conſequendum.

Cæterum ipſi pœnitentes paratos ſeſe exhibeant, non ſolùm in earum rerum vſu prudentiæ ac ſalutari conſilio Confeſſarij libenter acquieſcere, verumetiam ſi ille omnia planè vel aliqua ex iis quæ habent, deſerenda eſſe iudicet, cauſa ſalutis eorum ſemper ei obediant. Confeſſarius tamen iuxta vniuſcuiuſque conditionem ac ſtatum ad finem ſupradictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi vt feret ſingulorum capacitas, & pro religioſa conſuetudine omnes nitantur bis ſaltem in die facere preces ad Dominum, manè videlicet cùm ſurgunt, ac veſperi dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos vt ſingulis diebus ſacrum audiant, & diebus Dominicis diuina officia frequentent.

Par-

Particulatim autem modum eis præſcribet orationes mentales faciendi, ſiue viri ſiue mulieres ſint, modò tamen capaces ſint: rudioribus autem oſtendent quomodo Roſarium ſiue Coronam, Officium B. Virginis, Septem Pſalmi pœnitentiales, aut ſimiles aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius eſt, omnes ſuæ fidei concreditos eò inducet, vt examen conſcientiæ quotidie faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit dum veſperi ſigno publico campanæ ſimul cum tota familia ad preces inuitantur. Admoneat quoque eos de frequenti confeſſione & communione, & paulatim eos ſecundùm D. Auguſtini conſilium, in ſanctam eam conſuetudinem adducat, vt diebus Dominicis communicent. Quando autem aliquem nacti erunt quem ad hoc præſtandum eſſe videant idoneum, conabuntur eum paulatim ac veluti per gradus quoſdam eò euehere: primò hortabuntur, vt quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam feſtis toto anno celebrioribus præter ipſum diem ſolennem Paſchæ, quo debent omnes communicare, ſcilicet feſto Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini; deinde etiam Dominica in capite Quadrageſimæ, pro indulgentiis plenariis acquirendis, ac præparatione ad ſanctum ieiunium Quadrageſimale: paulò pòſt ſuperaddat aliquos dies: poſtea hortetur vt ſingulis menſibus ſemel id præſtet. Quod ſi fiat, facile ad communionem octiduanam erit progredi.

Speciali cura eos admonebit Confeſſarius, vt dies feſtos in honorem ſeruitiúmque diuinum impendant, quod vt commodiùs fiat, auctor eis erit vt alicui ſocietati ſeſe aſſocient, quæ ex inſtituto proprio dies feſtos in orationibus piiſque operibus expendit: veluti eſt ea quam Scholam vitæ Chriſtianæ dicunt. In vniuerſum autem patres matréſve familias admoneat, vt familiam ſuam ad Dei honorem inſtituant, ac liberorum ſuorum curam eximiam habeant; qui interim dabunt operam, vt viſitent ſcholas vbi doctrina chriſtiana docetur, modò ducant vnà ſecum eos feſtis diebus, ad conciones, ad veſpertinas preces, ad prælectiones ſacras, modò ad frequentem confeſſionem & communionem eos accommodent. Si qui ex filiis vxorem duxerint, curabunt parentes vt operâ maritorum etiam illæ Sacramenta frequentent; vel ſi vxores ſint, cum maritis ſimiliter agant: qua in re in memoriam illis reducant quod S. Paulus ait: Maritus bonus (inquiens) ſæpe vxorem Chriſto lucratur, ſimiliter & mulier virum. Eis qui litteras norint, ſuadebunt vt libros aliquos pios & ſanctè ſcriptos emant, (ſi modò facultas ſuppetat) quos & ipſi legant, ac faciant legi à tota familia circa veſperam, præcipuè diebus feſtis: tales ſunt, Vitæ ſanctorum Patrum, Gerſon de Imitatione Chriſti, Opera F. Ludouici de Grenada, Exercitia vitæ ſpiritualis, & Roſarium D. Gaſparis Loarte: Practica orationis ſpiritualis P. F. Matthæi Capuccini, & alij ſimiles.

Sæpius diuitibus in mentem redigant eos diſpenſatores eſſe diuitiarum quas poſſident, quibus ordinem ac ſtatum ſuum ſuſtentare & alere poſſint; verùm id Chriſtianè modeſtéque faciendum eſſe, vt non ſolùm in vſu diuitiarum, non ſuprà quàm eorum vires ferunt, ſed potiùs infrà aliquid expendere cernantur, quod etiam gentiles olim non ſolùm verbis, ſed etiam domeſticis exemplis oſtenderunt. Porrò in eleemoſynis liberaliter ſtudeant excellere, ad hoc enim obligantur: ac ne fortè aberrent à modo conuenienti, hominum religioſè piéque ſentientium, conſilium in his ſequantur.

Poſtremò ſecundùm vniuſcuiuſque modum & conditionem, omnibus & ſingulis ea præſcribant adiumenta, quæ maximè neceſſaria, vtiliáque eſſe iudicabunt, vt in via mandatorum Domini Dei ſui ambulent & proficiant.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS

POSTREMÆ PARTIS

LIBER III.

DE OFFICIO PRÆSIDENDI.

OPORTET SACERDOTEM PRÆESSE.

Ex Pontif. Rom. tit. de ordinat. Preſbyteri, in admonitione Epiſcopi ad ordinandos.

CAPVT PRIMVM.

Sacerdotium, eſſe ordinem Principantem.

SACERDOTIVM (ait ad Smyrnenſes diuinus Ignatius) *omnium, in hominibus, bonorum ſumma eſt.* Quod ideò ab initio mundi, fuiſſe reor deſignatum per *luminare maius quod Deus creauit, vt diei præeſſet.* Ideo Sanctus Dionyſius, Hierarchiæ tam cœleſtis ſpeculator, quàm Eccleſiaſticæ delineator ſolertiſſimus, Sacerdotium quidem huius eſſe docet decus & apicem: ſed idcirco bipartitum, quòd Pontificis ſeu Epiſcopi qui caput eſt, munus proprium ſit perficere, Preſbyterorum verò ſeu inferiorum Sacerdotum, eos illuminare, quos Diaconorum induſtria purgando, ad illuminationem primùm, dehinc ad perfectionem Chriſtianam præparauit.

In Epiſt. ad Smyrnenſes.

Geneſ. 1. 16.

Hierarch. Eccleſ. c. 5.

Diaconi enim & inferiores Clerici ad illam Hierarchiam pertinent; ſed magnum occurrit inter ipſos & Sacerdotes diſcrimen: omnes enim ſacrorum Ordinum gradus in duo omnino genera diuiduntur, Principantium ſeu præſidentium, & miniſtrantium: Et prius quidem eſt Epiſcopi & Sacerdotum ſeu Preſbyterorum; horum enim

munus eſt Deo ſacrificium offerre, & Sacramenta conficere, præeſſe itidem Clero & populo, quamuis ſubordinatè hoc Preſbyteris (videlicet ſub vno Epiſcopo, qui omnium eſt vertex) competit. Alterum verò conuenit Diaconis, qui quoniam miniſtrantium ſunt primicerij, genericum miniſtrorum nomen perferunt, quod ab iis in inferiores gradus defluit, propter officij ſui prærogatiuam qua cæteris ſubordinatis miniſtrorum gradibus antecellunt.

Hunc Preſbyterorum in Eccleſia ſub Epiſcopo principatum tam Apoſtoli docent, quàm SS. Patres agnoſcunt & teſtantur. *Qui bene præſunt Preſbyteri duplici honore digni ſunt*, ſcribit ad dilectum ſuum diſcipulum vas electionis Paulus. Et ideò ſic Preſbyteros obteſtatur & compellat Petrus Apoſtolorum princeps: *Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior* (ſeu compreſbyter) *& teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicatur, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei &c. ſecundùm Deum &c. Forma facti gregis ex animo.* Iam verò Patres audiamus: S. Clemens lib. 6. Conſtitut. Apoſtolic. c. 2. Sacerdotes regere & præeſſe, eorúmque poteſtatem regiâ præſtantiorem, ex doctrina Apoſtolorum prædicat. Et lib. 1. c. 30. *Preſbyteri* (inquit) *in formam Apoſtolorum à vobis cenſeantur.* Quæ doctrina eſt etiam S. Ignatij in Epiſt. ad Trallianos: *Epiſcopo*, inquit, *vt Domino ſubditi eſtote, ſed & Preſbyterorum collegio vt Domini Apoſtolis &c. Epiſcopus Patris vniuerſorum typus eſt; Presbyteri Dei conſeſſus & cœtus Apoſtolorum Chriſti, ſine iis Eccleſia Chriſti electa non eſt, non collectio ſacra, non congregatio ſancta.* Et infrà, *Quid Presbyterium? niſi collegium ſacrum, Conſiliarij & conſeſſores Epiſcopi &c. His qui inobediens fuerit, atheus omnino & impius fuerit, Chriſtum contemnens & eius ordinationem imminuens.* Et ad Antiochenos ſuos: *Mementote meritò Euodij* (primi veſtri Antiſtitis, ab Apoſtolis ordinati.) *Presbyteri paſcite gregem vobis commiſſum.* Et in epiſt. ad Heronem Diaconum, iubet vt ipſe illis obſequatur, *Sacerdotes ſunt enim*, inquit, *tu Sacerdotum miniſter, ſicut Stephanus Jacobi & Presbyterorum Hieroſolymis.* Origenes hom. 3. in Cantica, trabes cypreſſinas Epiſcopos exiſtimat ceu validiores, & quibus fortitudo robuſtior, & ſuauitatis odor ineſt &c. *Secundo horum loco, tigna cedrina Dei domum tegunt & ſuſtentant Eccleſiam, Preſbyteri incorruptionis, virtutis, & odoris Chriſti ſcientiæ pleni ſignantur.* Sed & hom. 2. in Cantic. Vidit Regina Saba ſedem puerorum Salomonis, *Eccleſiaſticum* (ait) *puto ordinem, qui in Epiſcopatus vel Presbyterij ſedibus habetur. Vidit & ordinationes ſiue ſtationes miniſtrorum eius, Diaconorum ſcilicet.* Vbi manifeſtum eſt, Preſbyteris, quia præſunt ſedes, ex more Eccleſiæ iam recepto, aſſignare; Diaconis verò quia tantùm miniſtrant Epiſcopo & Preſbyteris, ſtandi locum concedere in illorum conſpectu. Porro Tertullianus Origene antiquior, Preſbyteros qui cœleſti alimonia paſcunt fideles & ſacros regunt cœtus ex vſu florenti adhuc Eccleſiæ probato, *Præſidentes* appellat, lib. de Corona Militis. Vbi etiam nominatim Epiſcopum, ſeu Antiſtitem vt nominat, ab his diſtinguit *. S. Athanaſius in Apol. 2. epiſt. ad

1. Timoth. 5. 17.

1. Pet. 5. 12.

* *Videndus idē Tertullianus in Apolog. c. 39 & in præſcript. c. 41. & lib de ieiuniis, ſub finem.*

Prætorij in Ægypto Præfectos, aſſerit Preſbyteri ius eſſe propriæ Eccleſiæ præeſſe, & Clericos ac populum habere ſibi obſequentes. S. Chryſoſtomus hom. de Adam & Eua, atque etiam in ſua Liturgia non ſemel, docet pro Preſbyteris orandum eſſe qui poſt Epiſcopos Eccleſiæ præſident. S. Auguſtinus lib. de fide & operibus, c. 17. appellat Preſbyteros *Eccleſiarum Præpoſitos, & quamuis Epiſcopo inferiores, tamen cum illo hominum piſcatores à Domino in Apoſtolis deſignatos.* Matth. 4. 1. quia præſident Preſbyteri ideo præſente Epiſcopo etiam in Eccleſia ſedent. Hinc Concilium IV*. Carthaginenſe ſtatuit vt in Eccleſia Epiſcopus quidem ſublimior ſedeat; intra domum verò ſe Preſbyterorum collegam eſſe agnoſcat, ideóque vbicumque ſedet Epiſcopus, Preſbyterum ſtare non patiatur. Quamobrem ægrè fert S. Hieronymus, Diaconorum quorumdam audaciam, qui abſente Pontifice, ſedere cum Preſbyteris præſumebant, contra conſtantem vbique Eccleſiæ conſuetudinem, & canonicam diſciplinam; ſiquidem rectè & eleganter ſuo more ait S. Cyprianus, *Proprius Preſbyteri honos eſt vt ſtet coram Domino & nobiſcum ſedeat.* Hinc apud Patres illa pars Eccleſiæ quæ ſacrario proxima eſt, preſbyterium appellatur, quia ibi erat preſbyterorum ſacris cum Epiſcopo operantium venerandus conſeſſus. *Quem Senatum Eccleſiæ* ſcitè & appoſitè S. Hieronymus ea-propter appellat Epiſt. 4. ad Ruſticum; *Eccleſia* (inquit) *habet Senatum cœtum Preſbyterorum.* Et rurſus in Iſaiam c. 3. *Et nos in Eccleſia habemus Senatum noſtrum, cœtum Preſbyterorum.* Sed ne cuipiam prolixior hæc inductio videatur, à fuſiori auctoritatum indagine lubens abſtineo, ſi modò dumtaxat ſubiunxero hanc præclaram ſententiam Concilij II. Aquiſgranenſis, c. 5. *Preſbyterorum qui præſunt Eccleſiæ Chriſti & in confectione diuini corporis & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt, miniſterium eſſe videtur vt in doctrina præſint populis & in officio prædicandi,* &c. *Nec in aliquo deſides inuenti appareant* &c. Item, *vt de omnibus hominibus qui ad eorum Eccleſiam pertinent per omnia curam gerant, ſcientes ſe pro certo reddituros rationem in die iudicij, quia cooperatores oneris noſtri procul dubio eſſe noſcuntur.* Vbi duo notatione ſingulari digna animaduerto, ſcilicet quòd illa Synodus quando de conſecratione Euchariſtiæ loquitur, Preſbyteros *conſortes cum Epiſcopis* eſſe dicit: cùm verò de prædicatione verbi diuini, de cura animarum, regimine Eccleſiæ & ſacris religionis muneribus agit, tum Preſbyteros tantùm appellat *cooperatores oneris Epiſcopalis.* Sanè enim non incogitanter excidit iſtis Patribus illa diuerſa Preſbyterorum nuncupatio; quæ ſi penitiùs conſideretur, medulla ſenſûs optimi quæ in iis verbis deliteſcit, facilè apparebit.

*III

In epiſt. ad Euag.

Opportunè huic enucleandæ mihi hîc occurrit Angelicus Doctor, qui cum Magiſtro Sententiarum, lib. 4. diſt. 24. diſcrimen quod extat inter Epiſcopum & Preſbyteros, perſcrutando, 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1m. & 3. p. q. 82. a. 3. ad 3m. vbi aſſerit Epiſcopalem poteſtatem altiorem eſſe Sacerdotali, quòd ad plura ſe extendat. Suam verò ſententiam ſic liquidiùs exponit: ſicut militibus exempli gratiâ, Dux præficitur,

ſic Sacerdotibus ſiue Preſbyteris princeps præeſt Epiſcopus; ſed quoad ſecundarium Sacerdotij actum, qui eſt populum fidelem, ſeu myſticum Chriſti corpus regere, ſoluere, ligare, & ad veri corporis ſuſceptionem præparare: non verò quoad principalem actum, qui eſt Dominicum corpus verum conſecrare, ſic enim Sacerdotalis poteſtas niſi à diuina non dependet. Et art. ſeq. Quatenus ordo quidem Sacramentum eſt ad Euchariſtiæ Sacramentum ſpecialiter ordinatum, cùm Epiſcopus poteſtatem Sacerdote ſuperiorem non habeat, Epiſcopatus quantum ad hoc ordo non eſt: quatenùs verò ordo conſideratur vt officium, reſpectu aliarum ſacrarum actionum, & quidem in ſpiritualibus diſpenſandis &c. cùm Epiſcopus in omnibus hierarchiis reſpectu corporis myſtici poteſtatem & iuriſdictionem ſupra Sacerdotem habeat, ſic Epiſcopatus ordo eſt. Scilicet in ſecundario tantùm Sacerdotij actu. Et hæc eſt ratio cur Patres Aquiſgranenſes præfati, dicunt Preſbyteros in confectione corporis & ſanguinis Chriſti eſſe conſortes Epiſcoporum; porrò in participatione oneris quod reſpicit actus hierarchicos, ſeu poteſtatem ſuper Chriſti corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, eſſe eorum cooperatores ſeu auxiliarios*.

*S. Tho. 3. p. q. 8. a. 3. ad 3. Sicut Diaconus participat illuminationem, & virtutem Sacerdotis: ſic & Sacerdos diſpenſationem perfectiuam Epiſcopi. 3. p. q. 82. a. 3. ad 3.

His igitur ex dictis ſatis conſtat Preſbyteratum, poſt Epiſcopatum ſuper omnes Eccleſiæ gradus, longo interuallo antecellere; inferiores enim omnes gradus tametſi ſacros, ad ordinem miniſtrantem reuocari: at verò Sacerdotium quo Preſbyteri prædití ſunt, ad ordinem principantem pertinere. Et ideo rectè & diuinè prorſus de eius præſtantia hoc elogium fuiſſe à S. Dionyſio pronunciatum. † Vt enim qui Sacerdotium dixit, ſacrorum ſimul Ordinum vno vocabulo ſignauit ordinem: Ita qui Sacerdotem ſeu Pontificem dicit, auguſtiorem prorſúſque diuinum inſinuat virum totius ſanctæ ſcientiæ peritiſſimum, in quo liquidò ac perſpicuè ſacratus omnis Ordo ſuus & perfectus ſit, & poſſit agnoſci. Huius profectò ſacræ functionis initium eſt, fons vitæ, bonitatis eſſentia, vnica rerum omnium cauſa, beatiſſima Trinitas, ex qua ſola bonitatis cauſa quæ ſunt omnia, vt & eſſent, & benè eſſent, acceperunt. Hierarch. Eccleſ. c. 1.

† Ὡς γὰρ ἱεραρχίαν ὁ φάσκων, ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τῶν ἱερῶν διακόσμησιν· οὕτως ἱεράρχην ὁ λέγων, δηλοῖ τὸν ἔνθεόν τε καὶ θεῖον ἄνδρα, τὸν πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμονα γνώσεως, ἐν ᾧ καὶ καθαρῶς ἡ κατ' αὐτὸν ἱεραρχία πᾶσα τελεῖται καὶ γνωρίζεται. Ταύτης ἀρχὴ τῆς ἱεραρχίας, ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς, ἡ οὐσία τῆς ἀγαθότητος, ἡ μία τῶν ὄντων αἰτία Τριάς, ἐξ ἧς καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ εὖ εἶναι τοῖς οὖσι δι' ἀγαθότητα. S. Dion. Areop. de Eccl. Hierarch. c. 1. §. 3. ed. Antuerp.

CAPVT II.

Altari Sacerdotem præeſſe.

Pſ. 49. 5.

CONGREGATE *illi ſanctos eius, qui ordinent Teſtamentum eius, ſuper ſacrificia.* Locus hic diuini Pſalmographi luculentus eſt, fœcundúſque multorum inſignium ſenſuum. Patres qui Pſalmos expoſuerunt in diuerſas interpretationes huius verſiculi abière. Arnobius hanc inuitationem dirigi ad Apoſtolos, Martyres, Doctores & cæteros arbitratur, qui Eccleſiam plantauerunt, rigauerunt, excoluerunt, & ſic prædicauerunt Dei miſericordiam, vt in extremo

iudicio ſint annunciaturi iuſtitiam. S. Cyprianus De bono patientiæ legit, *Colligite illi iuſtos eius:* quo nomine omnes ſancti cuiuſque ſint ſtatus & ordinis deſignantur. Alij (vt ſanctus Thomas) hoc extendunt oraculum ad omnes fideles, qui Deum in vera fide adorauerunt, quíque in iuſtitia & miſericordia coram eo hac in vita ambulauerunt. Verùm illa reſtrictio, *qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia*, neque omnes ſanctos, neque cunctos fideles patitur admitti.

Qui igitur per Chriſti Teſtamentum, Euchariſtiam exprimunt, hoc eſt incruentum Miſſæ ſacrificium, & magnum pietatis Sacramentum, aptiùs intelligunt, per *Sanctos*, qui diuino hoc præconio ad Chriſtum honorificandum ſpeciali ex officio inuitantur, Eccleſiæ Catholicæ Sacerdotes, quorum munus proprium eſt Chriſti teſtamentum ſuper quotidiana ſacrificia (quæ iugiter ad diem vſque extremi iudicij perdurabunt) rectè, piè & religiosè celebrare.

Certè S. Chryſoſtomus, eleganter & appoſitè, in tractatu *Quòd Chriſtus ſit Deus*, locum hunc Dauidicum de Euchariſtiæ ſacrificio, veteribus Iudæorum abrogatis per Chriſtum, intellexit. Fauet & textus vulgatæ editionis, qui vt quædam antiqua exemplaria ferunt, non habent *Ordinant* in præſenti, ſed *Ordinent* in optatiuo, quaſi propheta diceret, *vt ordinent* ſeu ad ordinandum teſtamentum eius &c. In pſalterio Romano legitur in præterito, *qui ordinauerunt*; ſed S. Auguſtinus legit *qui diſponunt*. S. Cyprianus præcitato loco de bono patientiæ, & 2. teſtim. n. 28. exſcribit, *qui diſponunt teſtamentum eius in ſacrificiis*. Quaſi diceret, qui adminiſtrant altare eius, & offerunt ſuper illud noui Teſtamenti ſacrificia, ſeu ſacrificium illud ſingulare nouæ legis, quod vnum eſt & multiplex, quin *omnes continet* (vt ſcitè ait S. Leo) *differentias hoſtiarum*. Vnde mihi planè Pſalmorum interpres non quidem antiquus, ſed peteruditus placet, qui commodè proponi & tractari poſſe cenſet locum iſtum in Synodali ſermone *ad congregatos Sanctos*, id eſt Sacerdotes.

Sanè Petrus Bleſenſis, Bathonienſis quondam in Anglia Archidiaconus, perplures ſermones habuit in ſynodicis conſeſſibus, qui editi extant cum aliis aureis eius opuſculis. Ab illuſtri loco Scripturæ pro themate aſſumpto, ſingulos hos ſermones exorditur, ſiquidem primi initium eſt, *Si dixerit vobis Pharao, quod eſt opus veſtrum? Reſpondete, viri paſtores ſumus.* Geneſ. 46. 34. Secundi, ex Oſee 12. 13. *In manibus prophetarum aſſimilatus ſum.* Tertij, ex Pſ. 2. 10. *Erudimini qui iudicatis terram.* Quarti, ex Ioan. 15. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Sexti, ex Thren. 2. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes cuſtodes filiæ Sion.* Septimi, ex Ioan. 12. 26. *Qui mihi miniſtrat me ſequatur.* Octaui, ex Thren. 4. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Noni, ex Pſ. 40. 1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Decimi, *Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt illi incenſa multa.* Vndecimi, ex Pſ. 48. 13. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit*, &c. Selecta ſanè ſunt ſacra illa themata & valde appoſita;

a. Is eſt inter alios 37.
b. 38.
c. 39.

Apoc. 8. 3.

ſed locus hic pro exordio non minùs congruè vſurpari potuiſſet ex Pſ. 49. 5. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Hoc enim rectè Sacerdotibus conuenit, quorum dignitas ſancta eſt, ſacra vnctio, officium planè diuinum; verſatur enim præcipuè circa incruentum ſacrificium offerendum, cuius hoſtia Chriſtus eſt. Non Angelis competit tam admirabile munus, ſed iis hominibus quos ad hoc opus Chriſtus ipſe elegit & ſanctificauit præcipuo gratiæ ſuæ dono; Angelos ideo Spiritus ſanctus per Prophetam non compellat ad Chriſti teſtamentum ſuper ſacrificia ordinandum: ſed dumtaxat ad excitandum & colligendum circa altare ſuum, ſanctificatos illos homines qui teſtamentum ſuum exequentur, cùm quod illis commendauit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, efficiunt eo quo iuſſit ritu, & quo par eſt metu & reuerentiâ. 1. Cor. 11.

In veteri Ordine Romano, tit. de ordinatione Preſbyteri, in allocutione præſidentis Epiſcopi ad populum, hæc inter cætera habentur: *Nec fruſtrà à Patribus reminiſcimur inſtitutum, vt de electione eorum qui ad regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur & populus &c. vt faciliùs quis obedientiam exhibeat ordinato, qui aſſenſum præbuit ordinando.* In Romano Pontificali quamuis quædam in hac allocutione Epiſcopi mutata fuerint, citata tamen verba ſeriatim retinentur; ex quibus hæc præſertim noſtro intento conferunt, quibus dicitur ordinandus Preſbyter, *adhibendus ad regimen altaris.* Quæ loquendi formula magni ponderis eſt, ſiquidem ſecundùm Patres & Theologos, Preſbyter ſacrificium offerendo, altari ſacro aſſiſtit, at non tantùm ordinatur, vt altari aſſiſtat & in eo offerat: ſed vt ipſum altare regat & gubernet, id eſt ſuperintendat & altaris decoro, & miniſtrorum officio, quia altaris & ſacrificij eſt cuſtos & præſes.

Hinc dilectus Ieſu diſcipulus, Apoc. 11. refert accepiſſe ſe ab Angelo mandatum, vt non tantùm templum, ſed & altare, in calamo ſibi dato dimetiretur: *Et datus eſt mihi calamus* (ait) *ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi, ſurge & metire templum Dei & altare & adorantes in eo.*

Omnia quæ ſunt in mundo, aliquâ menſurâ continentur, nam *Deus omnia fecit in pondere, & numero, & menſura.* Sap. 11. Menſura verò, id eſt intra cuius ambitum omnia continentur, & per quod rerum qualitates & quantitates cognoſcuntur, & per quod res alteri comparatur & proportionatur. Rerum idcirco omnium aliqua propria menſura eſt, v.g. rerum mobilium menſura eſt tempus, rerum incorruptibilium æternitas; porrò viſibilium eſt menſura viſus, ſonorum auditus, & ſic de cæteris. Sapienter Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem, c. 12. concentum rerum omnium in vniuerſa mundi machina ad Dei bonitatem & iuſtitiam reuocauit: *A primordio*, inquit, *creator tam bonus quàm iuſtus, pariter ad vtrumque proceſſit: bonitas eius operata eſt mundum, iuſtitia modulata eſt.* Quaſi diceret diuina iuſtitia orbem veluti citharam concinnauit, creaturáſque omnes tanquam fides argutiſſimas ſuis quaſque locis diſpoſuit quodam iuſtitiæ iure;

vnde

vnde Pſalmiſta ait, *Virga æquitatis, virga regni tui.* Naturæ enim hoc *Pſ. 44.* ſingulorum expoſcebant, vt ſuauiſſimus ex omnibus concentus, qui Dei tum potentiam, tum ſapientiam quæ conſilium eſt bonitatis eius, ſonaret, mirificè redderetur. Quemadmodum ipſe Tertullianus ſolerti quo ſolet mentis acumine ſenſit, & his verbis quæ præſignatis cohærent, pulchrè & eleganter expreſſit: *Iuſtitiæ opus eſt, quod inter lucem & tenebras, inter diem & noctem, inter cœlum & terram, inter aquam ſuperiorem & inferiorem, inter maris cetum & aridæ molem, inter luminaria maiora & minora, diurna atque nocturna, inter marem & fœminam, inter arborem cognitionis mortis & vitæ, inter orbem & paradiſum; inter aquigena & terrigena animalia ſeparatio pronunciata eſt; anima vt bonitas concepit omnia, iuſtitia deſtruxit; omnis ſitus, habitus elementorum, effectus, motus, ſtatus, ortus, occaſus ſingulorum iudicia ſunt creatoris.* Ideo iudicis nomen in ipſo principio Geneſeos, Deus ſibi aſſumpſit, vbi enim Deus primò ponitur, legitur in Hebræo *Elohim*, quod iudices in plurali deſignat, quoniam Deus ſcilicet vnus in eſſentia, trinus in perſonis, in condendis creaturis quandam diſtributiuæ iuſtitiæ rationem ſeruârit, ſuos cuique gradus, ordinem & locum tribuendò iuxta ſingularium naturam.

Hoc præmiſſo theoremate, iam quæramus quid hoc ſibi velit mandatum, quo iuſſus eſt dilectus Ieſu diſcipulus, altare & eos qui *Apoc. 11.* adorant in eo dimetiri?

Fuit, inquit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *Beatus Ioannes Apoſtolus, Euangeliſta & Propheta, & quod ſingulare eſt, ſine ſanguinis effuſione Martyr.* Addit Polycrates apud Euſebium, *Sacerdos & Pontifex*; hoc titulo ad altare diuinum accedit; eodémque iubetur metiri templum & altare, & eos qui adorant in eo; ad hoc ei datus eſt ca- *Pſal. 44.* lamus, ſed ſimilis virgæ, quæ indicium eſt regalis & iuridicæ poteſtatis, iuxta illud, *Virga æquitatis, virga regni tui*, ſeu ſceptri tui, vt ſanctus Hieronymus legit, ſed vulgata editio habet *virga directionis*, rectè enim in Græco habetur εὐθύτητος, quia ſcilicet Deus Chriſtus gubernat iudicátque itidem iuſtè, purè & ſincerè; quo etiam modò vult Apoſtolos ſuos & Sacerdotes iudicare. De hac iudiciaria poteſtate ſcribebat ad Corinthios, ep. 1. c. 4. Paulus Apoſtolus, *In virgâ veniam ad vos?* Datus eſt igitur Ioanni, Sacerdotali iure & honore, calamus virgæ ſimilis ad metiendum altare Domini, & eos qui adorant in eo: quia Deus Sacerdotes ſuos hoc inſigniuit honore, vt non modò ſacrificium ſibi excellentiſſimum & totum diuinum, incruentè ſuper altare ſuum offerrent: ſed quia facultas directiua, ſine correctiua, vel coactiua poteſtate prorſus eſt inefficax & inanis, dedit eis non ſolùm virgam directionis, ſed virgam quoque æquitatis atque iuſtitiæ, & vt habetur Pſal. 109. *Virga* diuinæ *virtutis*, non tantùm ad arguendum, monendum & increpandum, ſed etiam ad corripiendum & percutiendum quotquot diuinis placitis & Sacerdotalibus monitis renituntur: *Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt*, (ait Apoſtolus 2. Cor. 10. 6.) *ſed potentia Deo &c. In promptu habemus*

MMmm

vlciſci omnem inobedientiam. Quamuis ideo altari Sacerdos non adſit ad dirimendas lites, certè non eſt tamen ſine virga eadémque iuridica, nam *ius* habet *metiendi altare & adorantes in eo*, id eſt primùm iudicandi de altari ipſo, an ſit ſacrum vel pollutum, fractum, vel integrum, & ſi ſuo nitore fulgeat, vel congruo ornatu careat. At etiam poteſt iudicare de iis qui ſuo ſacrificio aſſiſtunt, ſi humiliter ſcilicet & modeſtè, piè & deuotè adſint tremendo huic myſterio, vel indignè accedant, & irreuerenter ſe gerant in huius diuinæ oblationis vel celebratione, vel participatione. Proh dolor! hodie videmus eò res deueniſſe, vt ſacrificanti Sacerdoti nemo auſcultetur. Monet Sacerdos vt ſurſum corda erigamus, gratias Deo agamus, nihil niſi cœleſte & diuinum meditemur: at interim plerique vagantur & nugantur, mundi & carnis illecebris defixum cor habent. Scitè hìc & appoſitè Beatus queritur Chryſoſtomus hom. 24. in Acta: *Interim alios video ſtare & nugari dum preces fiunt &c. & non ſolùm dum preces fiunt, ſed etiam dum Sacerdos benedicit. O audaciam! quando erit ſalus! quomodo poteris Deum placare? Neſcis quod cum Angelis ſtas, cum Angelis cantas, cum illis hymnos dicis? Et non eſſet mirum ſi fulmen demitteretur non ſolùm in illos, ſed etiam in nos, digna enim fulmine ſunt hæc. Adeſt Rex, inſpectat exercitus, & tu in illorum conſpectu ſtas & rides, vel ridentem negligis. Verùm quamdiu obiurgamus, quamdiu reprehendimus? Nonne vt damnoſos, & vt fures, vt corruptos, & pernicioſos tales & innumeris malis plenos ab Eccleſia exigi oportebat?* Ita ſanè; ſed à quo cùm abeſt Epiſcopus, niſi à Sacerdote, qui ſanè in illo horrendæ horæ articulo ius habet; illos tanti ſacrificij contemptores, non ſolùm monendi, ſed corripiendi & ab altari arcendi & abigendi. Dicat igitur cum Angelo: (nam & *Sacerdos Angelus Domini exercituum eſt* *) *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Procul, procul eſte profani? *Sancta Sanctis*, exclamat in Liturgia S. Chryſoſtomi aſſiſtens Sacerdoti Diaconus. Et ſanè Sacerdos tunc ſi pius & timoratus eſt, plurimùm angitur & occupatur; ſed eius vice Diaconus qui ei miniſtrat, cùm ſit liberior, eos qui procaciter ſe gerunt, dum diuina fit actio, corripere debet & obiurgare. Verùm ſi non adeſt Diaconus, (vt non adeſſe ſolet niſi in Miſſa ſolenni) aut ipſe ſit ſegnior, tanta verò ſit quorumdam impudentia, quin & irreligio ac impietas, vt altari & ſacrificio per hos grauis iniuria vel contemptus irrogetur: tunc hercle tempus non eſt tacendi, ſed loquendi, duréque hos impios increpandi *publicè arguendo* (vt monet Apoſtolus) *qui publicè peccant.* Sic cœleſti virga iuxta imperium Dei, altare dimetietur & adorantes in eo.

* Malac. 2. Apoc. vlt. 15.

1. Tim. 5.

CAPVT III.

Sacerdotis proprium eſſe officium præeſſe ſacris.

SI *quis extra Eccleſiam, ſeorſum, Conuentus celebrat* (ait Gangrenſis perantiqua Synodus, c. 6.) *& deſpiciens Eccleſiam, ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit vſurpare, non conueniente Presbytero, iuxta præceptum Epiſcopi, anathema ſit.* Præeſſe enim in Eccleſia abſente Epiſcopo ſacris quibuſque officiis, proprium Preſbyteri munus eſt, adeo vt qui ſine Epiſcopo, vel Preſbytero congregat Clerum vel populum, dignus ſit, vt habet canon iſte, qui Antiſtitis iudicio anathemate feriatur, etiamſi ſit Diaconus, cuius ſanè congregare populum, multò minùs Clerum, & diuinis præeſſe officiis per ſe ius nullum eſt. Hinc ſanctus Clemens, lib. 2. Conſtit. Apoſtolic. c. 57. *Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex vtroque eius latere ſedeant Preſbyteri, & adſint Diaconi ſuccincti & expediti ſine multa veſte:* quia videlicet eorum munus eſt mandata Epiſcopi vel Sacerdotum exequi, hácque & illac diſcurrere, non autem præeſſe ſacris. Scitum eſt illud S. Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos, vbi de Hilario Diacono, qui anteſignanum egerat ſuæ partis. *Cum homine periit pariter & ſecta, quia Eccleſia non eſt quæ non habet Sacerdotes.* Clerus igitur Sacerdote inferior, populúſque quantumlibet numeroſus conueniat, non eſt congregatio legitima, nec cenſeri poteſt Eccleſia, neque ille cœtus, *quia Eccleſia non eſt, quæ non habet Sacerdotes*, quibus ait idcirco Dominus, *vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*, ad innuendum nihil eſſe plebem, vel Clerum ſine Sacerdote, niſi cibum inconditum & corpus cæcum, quin & corpus truncum, vtpote acephalum.

Refertur diſt. 30. ſi quis extra Eccleſ.

Matth. 5.

Præſident cuique cœtui (ait Tertullianus in Apolog. c. 39.) *probati Seniores* (hi ſunt Preſbyteri) *honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Sed cui cœtui præſunt? paulo antè exprimit. *Corpus*, inquit, *ſumus, de conſcientia religionis & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum & poteſtatibus, pro ſtatu ſæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem &c. Certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus denſâmus; ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina.* Quæ omnia non ſolùm in Eccleſia, cui præſidet perſonaliter Epiſcopus, ſed etiam vbi præeſt Preſbyter, locum habent, vt etiamnum in parochiis conſpicitur, vbi ſicut ait Tertullianus, *præſident quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.*

Præſident, inquam, proprij cuique cœtui Sacerdotes, altari, ſacrificio, Sacramentis, exhortationibus, correptionibus, concioni,

catecheſi, diuinis præconiis & quibuſque aliis Eccleſiaſticis officiis ac ſacris exercitationibus, vt *omnia*, ſicut ait Apoſtolus, *in Eccleſia*
1. Cor. 14. *cum ordine fiant.* Nullus autem ordo eſſe poteſt, niſi vbi omnia ſub vno certo principio continentur & ab eo pendent, vt rectè & conuenienter diſponantur & dirigantur. Quærit S. Cyprianus, quid ſit Eccleſia? ſapienter verò & adæquatè reſpondet, *Eſt plebs Sacerdoti adunata, & grex paſtori ſuo adhærens:* Non enim poteſt aliter grex adunari, niſi vni paſtori ſubiecta ſit; nec plebs Chriſti vllus cœtus cenſeri, niſi Sacerdoti connectatur, qui Chriſti vice, fideles vnum in cœtum conciliet tanquam corpus capiti coaptatum.

Sed non eſt hic locus latiùs exſpatiandi, de hac Sacerdotis in ſacris prærogatiua: quam quoad directionem & celebrationem diuinorum officiorum, aliàs explicauimus, ſcilicet in noſtro opere de horis Canonicis. Quoad ſacrificium, hoc in opere lib. 1. huius 2. partis. quoad officium benedicendi, lib. 2. quoad munus prædicandi, libro proximè ſequenti. quoad officium catechizandi in Panoplia noſtra Clericali, part. 2. lib. 8. quoad præfecturam Tribunalis pœnitentialis ſuprà part. 2. lib. 2. in fine. Quod verò ſpectat ad regimen animarum, iam dicturi ſumus capite huic proximè ſubiuncto.

CAPVT IV.

De Præfectura animarum, quibus præſidet proprius Sacerdos.

ARTICVLVS I.

Debitum gregis erga Paſtorem.

Heb. vlt. 17. OBEDITE *Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Vt cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Magna cum teneritudine animi, hanc obedientiam & ſubiectionem Chriſtianæ plebis erga Paſtores ſuos, Apoſtolus fidelibus commendat; nec enim dicit ſolùm *obedite*, ad innuendum iubendi quæ Paſtoribus ineſt, legitimam auctoritatem, vt pote à Deo inſtitutam, quia vt alibi ait,
Rom. 12. *non eſt poteſtas, niſi à Deo:* ſed addit, *ſubiacete*, ſcilicet *non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, non tantùm quia neceſſitas vos compellit, ſed quoniam multò erit veſtra obedientia Deo acceptior, ſi ſpontanea fuerit & ex animo lubenti ac conſentaneo prodeat. Sit igitur obedientia humilis, prompta & expedita, nec tamen gratis hæc exhibetur, debita eſt enim optimo iure: ſiquidem ipſi Paſtores vigilant pro vobis. Quod ſi Regibus tributum, honorem, obedientiam vltrò rependitis quòd corpora veſtra cuſtodiant, bonáque caduca & temporalia conſeruant, dum Rempublicam tuen-

tur : quid non (obſecro) veſtris Paſtoribus par eſt vos reuerentiæ, obedientiæ & ſubiectionis deferre, qui pro veſtra æterna ſalute, perennes agunt excubias, & Deo in extremo examine ſunt pro veſtris animabus rationem ſupra modum exactam reddituri. Magna eſt ſanè Paſtoris occupatio, totus enim oculus antè & retrò eſſe debet: ſed lòngè maius periculum, nec enim ſatis eſt vt ſibi proſpiciat, de ouibus creditis ſaluandis non minus quàm de ſeipſo ſollicitum eſſe oportet : rationem enim non ſolùm pro ſeipſo redditurus eſt in tremenda illa die, qua *iuſtus vix ſaluabitur, & iudicium à domo Dei incipiet:* 1. Pet. 4. ſed de animabus inſuper quas Chriſtus redemit ſanguine ſuo, quáſque fidei eius commiſit eo fine, vt die ac nocte illarum ſaluti inuigilet, earúmque ſalutem quibuſque poſſit modis promoueat. Vide quantum ſit onus Paſtorum & Rectorum, tam Epiſcoporum quàm Presbyterorum; inferiori enim ordini tantum munus non imponitur. Horret animus tremendam referre ſententiam, quam magnus Doctor & Antiſtes Chryſoſtomus, Apoſtoli hæc verba perpendens pronunciat hom. 34. *Miror, ſi poteſt aliquis Rectorum ſaluari?* Quæ meditatio Marcellum II. optimum Pontificem in tantas animi anguſtias coniecit, vt non diu tantam ſarcinam ferre potens, vix adhuc in Pontificatu elapſo menſe, obierit, interim ſemper dictitans, *Miror ſi quiſpiam hominum in hac ſancta Sede ſaluari poſſit.* Et tamen vt ait S. Bernardus ad Eugenium: *Locus iſte ſanctus eſt: locus enim eſt Petri:* & tot ſanctorum eius ſucceſſorum, qui partim martyrio, partim inſigni vitæ ſanctimoniâ, doctrinæque inſignis & ſanctæ ſollicitudinis meritis, hinc ad ſuperas ſedes tam fortiter quàm feliciter triumphato mundo peruenerunt. Sed de calamitoſis his temporibus (vt reor) Marcellus II. hoc verbum intelligebat, quia dies adeo mali ſunt, vt iam Chriſti Domini oraculum impleri videatur, vt *ipſi etiam periclitentur Electi.* Nec eſt quòd Matth. 24.24. inferiores Paſtores ſe tutos ab hoc diſcrimine exiſtiment, eo quod minus graui pondere onerentur, ſaluari enim poterit Pontifex, cui ferendus orbis incumbit; & Epiſcopus qui hominum myriades paſtorali ſuæ ſollicitudini ſubiectas habet : Et è contrà damnari Parochus, non dico, qui millia quædam animarum ſuam in curam ſuſcepit, at qui vel paucas habet fidei ſuæ commiſſas; ideo *bonus Paſtor cognoſcit oues ſuas & vocat nominatim*, quia ſigillatim de vnaquaque co- Ioan. 10. ram Deo rationem in tremendo iudicio redditurus eſt. Dicit miſericors ille Samaritanus ſtabulario, cui ſauciatum à latronibus hominem commendabat, *Curam illius habe & quicquid pro eo ſupererogaueris, cùm rediero reddam tibi.* Luc. 10. 35. Quid igitur, ſi quem curare hic debuerat, occiderit, in reditu commendatoris ab eo auditurus eſt, niſi, *ſanguinem eius de manu tua requiram*; etenim quia non pauiſti, occidiſti? Ezech. 3. 18.

Creſcit vehementer gregis debitum erga ſuum Paſtorem ex tanta Paſtoris in gregem ſuum obligatione; quamobrem Apoſtolus hoc motiuum pro præcipua ratione inculcauit: *Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Heb. vlt. vrget deinde ab ipſo fidelium commodo & incommodo : valde enim ſaluti plebis hæc eius ſubiectio &

obedientia conducit, *Vt cum gaudio hoc faciant.* Si enim paſtoribus ſuis Chriſtiani, vt par eſt, ſubiiciantur eíſque alacriter obediant, hæc obedientia onus paſtorale leue, ſuaue ac pergratum facit: at è contra longè onus aggrauat peruicacia inobedientis gregis, idcirco addit Apoſtolus, *vt non faciant gementes, hoc enim non expedit vobis.* Gemunt enim paſtores ſub onere regiminis, dum ex plebis malitia ſuos labores irritos & fruſtraneos eſſe conſpiciunt, ſic gemunt & ſuſpirant; aſcendítque iſte gemitus ad Dominum, qui iniuriam ipſis illatam vt ſuam propriam intuetur atque vlciſcitur, ſicut Moyſis & Aaron irrogatam dudum ab Iſraëlitis aſpexit gemitus, opprobriáque vindicauit, ſicut & Samuëlis audiuit clamorem, cui reſpondit, *Non te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper eos.* 3. Reg. 8. 7. nam & Apoſtolis ſuis, eorúmque in animarum regimine ſucceſſoribus ait: *Qui vos audit me*
Luc. 10. *audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & eum qui miſit me.* Porro in extremo
Matth. 25. iudicio, pronunciabit, *quod vni ex his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. 40. Si ſuum igitur officium Paſtores obeunt, graue hinc detrimentum eis qui cauſa ſunt huius mœroris profectò impendit. Pœnam inobedientiæ & rebellionis luent apud Deum, qui quem paſtorem dederat vtilem, auferet ingratis, deſidémque patietur con-
Id. 5. ſtitui, *qui cæcus cæcos ducens, ſeſe cum eis præcipitabit* in exitium ſempiternum. Satius eſſet nullum habere paſtorem, quàm lupum rapientem & diſpergentem oues ſub fucato paſtoris nomine pati. Et tamen quis poſſit enumerare pericula atque detrimenta, quibus grex exponitur, dum paſtoris deſtituitur ſolatio: grex enim qui paſtorem non habet, eſt ſicut exercitus ſine duce, ſicut chorus ſine coryphæo, ſicut nauis abſque nauarcho, ſicut familia ſine patre. Expedit igitur vt vnaquæque diœceſis habeat ſuum Epiſcopum, & quælibet parœcia Parochum ſeu proprium Sacerdotem, cui vt ordo & harmonia in Eccleſia conſeruetur, ab omni fidelium grege vt duci, vt coryphæo, vt nauarcho, vt patrifamilias promptè & alacriter iuxta præceptum Domini obtemperandum eſt.

ARTICVLVS II.

Officium Paſtoris erga gregem ſuum.

IN Epiſcopali Monogamia, atque Panoplia Epiſcopali perplura de Epiſcopi officio perſcripſimus. Hîc de Preſbyteris quibus propriæ plebes ad regendum cum parochiali Eccleſia aſſignantur, locus exigit vt ſaltem obiter tractare incipiam.

Qui bene præſunt Presbyteri (ait Apoſtolus 1. Timoth. 5. 17.) *duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Iam enim ex quo Chriſti ſunt Sacerdotes & Miniſtri, Eccleſiæ duces & cuſtodes & animarum curatores ac pædagogi, honor non vulgaris debetur. Quamobrem Caluinus teterrimus Catholicæ Eccleſiæ hoſtis, poſtquam in Eccleſiaſticorum virorum pleroſque gradus, ſtatúſque dirè debacchatus eſt, vbi tam de Epiſcoporum & Parochorum mu-

nere titulóque ei incumbit dicendum, quid ſentiat, præcipitem iam impetum ſiſtit: *Nunc*, inquit, *de Epiſcopis & Curionibus locus exigit vt loquamur: Quorum ingenuè fateor, ſtatus ſanctus eſt ac venerabilis, dummodò ritè eodem defungantur.* Atque id eſt quod bonis omnibus eſt optandum; quódque Apoſtolus ſignato ad Timotheum documento maximè exigit & commendat. Præeſſe enim eos legitimo iure, videlicet ex inſtitutione Domini, reuocari in dubium non poteſt: Sed quid iuuat gregem ſi præſint quidem, at non proſint? honore ideo dignine erunt? ita quidem attenta ratione dignitatis, ſed non operis intuitu, ſi ſint deſides & ignaui. Verùm ſi ſtrenui & vigiles de ſuique gregis ſalute ex animo ſolliciti, tum non ſimplici, ſed *duplici honore digni* cenſeantur, nempe quia non ſolùm præſunt, ſed quia *bene præſunt, maximè ſi laborant in verbo & doctrina.* 1. Tim. 5.

Hoc igitur eſt quod aduertant Parochi, ſcientiam ſalutis propriam eorum profeſſionem eſſe: ſed non ſufficere, ſi ea præditi ſint, niſi in gregis commodum ex hoc fonte fluenta doctrinæ cœleſtis deriuare ſtudeant.

Quærunt ſacrorum Canonum interpretes, quænam ſcientia in eo cui confertur ab Epiſcopo beneficium ſimplex, ipſo iure requiritur? Reſpondéntque iuxta gloſſam communiter receptam *In Clement. Vnicum de conceſſione præbendæ*, ſatis eſſe, ſiquis ſciat legere, canere & conſtruere, id eſt non incongruè loqui. Cæterùm in Curato ſeu Presbytero, qui parœciali Eccleſiæ præeſt, id neutiquam ſufficit, ſed neceſſariò exigitur, vt poſſit docere, prædicare, Sacramenta miniſtrare & ea explere omnia, quæ ſpectant ad curam animarum & creditæ ſibi Eccleſiæ regimen iuxta Clement. *dudum*, tit. *de ſepulturis*, Vbi Hoſtienſis ſingulas huius muneris partes exponit. Verùm de debito prædicationis ab animarum Paſtore officio perſoluendo Concilium Tridentinum conſule ſeſſ. 5. in Decreto de Reform. c. 2. & ſeſſ. 13. in Decreto de Reform. c. 1. & ſeſſ. 14. in Decreto ſimili cap. 4. Sed de officio prædicandi infrà ex inſtituto opere, libro ſcilicet 4. huius partis, id eſt immediatè ſequenti, nobis tractandum erit. Et iam in Panoplia noſtra Clericali de ſcientia & ſacra lectione multiplicíque eruditione in viro Eccleſiaſtico requiſita, ſatis luculenter diſſerui.

§. I.

Sollicitudo Paſtoris.

IAM igitur ad cæteras dotes ſpectandum, quibus conuenit Paſtorem animarum inſtructum eſſe. Ait Apoſtolus *Qui præeſt, in ſollicitudine.* Hinc cura, propriè nominatur præfectura Eccleſiæ parœcialis, quia gerendi ſollicitudinem perennem pro animarum ſalute huic Eccleſiæ Præpoſito munus incumbit. Scitum eſt illud Bernardi, auſus temerè inuolantium ad eiuſmodi officia, quæ vocant beneficia, prudenter ac appoſitè ad proprium huius tituli vocabulum, ſalséque & Rom. 12.

acutè carpentis, *Sunt qui Curas currunt, non vt curam habeant, ſed vt viuant ſine cura.* Decimis ſcilicet & oblationibus ſine vllo labore ac merito ſaginati Non eo fine paſtorale officium inſtitutum eſt: Æquum eſt quidem vt qui altari ſeruit, ipſe de altari viuat, & *qui bene præeſt Preſbyter duplici honore*, id eſt obſeruantia & ſubſidio potiatur; dicit enim Scriptura, *non alligabis os boni trituranti.* Deut. 25. Et *dignus eſt operarius mercede ſua.* 1. Timoth. 5. 18. Vnde S. Auguſtinus in proprio de paſtoribus ſermone, *Accipiant*, inquit, *paſtores ſuſtentationem neceſſitatis ſuæ à populo, mercedem verò ſuæ diſpenſationis à Domino. Non enim idoneus eſt populus, reddere mercedem illis qui ſibi in charitate ſeruiunt.* Tantum enim eſt onus, tam arduum eſt opus, vt ſi illud vt oportet expleant, nulla mercede poſſit humana compenſari; ſi verò perfunctoriè agitur, aut ab eo cui incumbit obeundum negligitur, quiſquis ille ſit, ne quidem dignus eſt qui tantillo honoris impendio vel ſubſidio vitæ perfruatur.

Certè non ſine cauſa Maiorum pia induſtria effecit, vt ſupra Templi pinnacula effingeretur Gallus: nimirum ad ſignificandum Paſtorem qui Chriſti ouili præeſt, decere tanquam Gallum eſſe peruigilem, deberéque ſubiectarum ſibi animarum vigilantiam ad ſtudium ſalutis ineundum perenni ſollicitudine excitare. Quam in rem Alciatus ſcitè & eleganter cecinit:

Inſtantis quod ſigna canens dat Gallus Eoi,
Et renouet famulas ad noua penſa manus.
Turribus in ſacris effingitur, ærea mentem
Ad ſuperos peluis quod reuocet vigilem.

Huc collineat præcitatus Apoſtoli locus, *Qui præeſt in ſollicitudine*, id eſt, in id quàm maximè ſtudij totus incumbat, nihil magis in curis habeat quàm gregi tuendo, paſcendo, regendo inuigilare, quæque omnibus & ſingulis profutura ſunt, mente diurna, nocturnáque meditari ſatagere, omni conatu & affectu in hoc opus omnes ſui muneris partes explere, illud Apoſtoli eſſe cogitans, *Vide miniſterium quod accepiſti, vt impleas illud.* Nec enim ſatis eſt quaſdam partes tantùm obire: ſed omnes & ſingulas neceſſe eſt perſequi & peragere, eſt enim cura animarum circularis: *Circuit* inimicus noſter *diabolus quærens quem deuoret:* Circuire debet animarum paſtor, vt eas ſeruet, ac vigili mente manúque tueatur, totus ſit oculus, totus ſit animus & cor. Nihil ducit Apoſtolus quicquid aſperum pro Chriſti nomine patiebatur, *pericula, vigilias, ieiunia, famem, ſitim, nuditatem, labores, ærumnas, ſaxorum imbres, plagas, carceres, mortis diſcrimina;* quaſi hæc omnia leuia eſſent, præ animi æſtu & feruore quo eius præcordia, animarum ſalutem ſpirantia adurebantur; *Præter illa* (inquit 2. Cor. 11. 23. &c.) *quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, quas, ceu vnica omnes eſſent, intimo amore perpetúque ſtudio opitulandi complectebatur. Nec ſolùm Eccleſias, ſed ſingulos quoſque fideles eodem zelo proſequebatur: *Sicut*, inquit ad Philipp. 1. 7. *mihi iuſtum eſt vt hoc de vobis omnibus ſentiam, eo quod vos*

Coloſſ. 4.
1. Pet. 5.
2. Cor. 11.
Ibid.

habeam in corde & in vinculis meis: quis enim infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? hic eſt verè paſtoralis ſpiritus, hic zelus quo feruere Chriſtus eos voluit, quos animarum paſtores conſtituit: *Si diligis me* (ait ad Petrum omnium Paſtorum typum & ideam) *paſce oues meas.* His enim verbis eum non tam *omnipotentiæ organum*, quàm *amoris ſui vicarium* (vt eleganter ait S. Ambroſius in vlt. Lucæ) erga redemptas oues proprio ſuo ſanguine inſtituit. Amor eſt quidam ignis; porrò ignis nunquam quieſcit, ſemper eſt in actu, ſemper eſt in motu, omnia Dei ignea ſunt. Qui igitur vices Dei gerit, in animarum regimine & tutela, totus igneus eſſe debet; amore Domini ſui pro gregis commiſſi ſalute: ſemper eum vigilare oportet, ardenti ſtudio inſiſtere, ſibi iniunctæ à Domino, exequendæ animarum, quas in curam ſuam ſuſcepit ab ipſo Domino, procurationi. Redeo ad illud monitum Apoſtoli, Coloſſ. vlt. *Dicite Archippo*, (vel cuilibet paſtori non tantùm ſummo Pontifici, vel Epiſcopo: ſed Parocho etiam quantumuis exigui gregis rectori, & cuilibet animarum curatori) *Vide miniſterium*, non quidem quod meruiſti, ſed *quod* miro dono gratiæ *accepiſti*, non ab Angelo, vel homine, ſed à Domino, *vt illud* non quidem aliqua ex parte exequaris, ſed circumquaque *impleas*, eóque plenè & perfectè perfungaris. Domini enim agis officium, eius enim ſunt hæ oues quas procuras, & ſicut eas tibi credidit, ita eas à te repetet ad vltimam vſque, quantumlibet vilis & deſpecta tibi videatur. Hic igitur dilecti diſcipuli voce, *bonus paſtor qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis* te iterum admonet atque interpellat, *Eſto vigilans & confirma quæ moritura erant* (tua fortè deſidiâ & incuriâ plus quàm eorum reatu) *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua,* (ſcilicet vigili oculo, intenta mente, & ſedula manu ouiculas à me tibi commendatas) *ſi enim non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora ad te veniam?* Atque hæc obiter de paſtorali ſollicitudine.

2. Cor. 11. *Ioan. 21.* *Ioan. 10.* *Apoc. 3. 8.*

§. II.

Prudentia.

CVM Dominus ſuos mitteret diſcipulos ad oues ſuas toto orbe diſperſas, in vnum gregem colligendum, inter cætera quæ conſectanda eis virtutum ſtudia commendauit, prudentiam iniunxit affectandam. *Eſtote*, inquit *prudentes ſicut ſerpentes;* Non dixit fortes eſtote vt leones, veloces vt aquilæ, ſed prudentes, & quidem ſicut ſerpentes, quorum non vis, ſed ſolertia exiſtimatur. Virtus enim hæc primaria eſt animarum paſtori ſeu hominum piſcatori, quales ſuos diſcipulos Chriſtus eſſe conſtituit. *Matth. 10.*

Neminem fugit in regimine reipublicæ, prudentiæ primas deferendas eſſe, vt quæ iuxta Philoſophum, chorum virtutum ducit, & ſine qua virtus quantumuis magna & ſpecioſa, ſua à natura dego-

nerat, atque in vitium vergit; ideo inter primas dotes quas in Paſtore exigit Apoſtolus, prudentiam aſſignat: mox enim aceum eſſe debere *irreprehenſibilem & ſine crimine* ſtatuit, *ſobrium & prudentem* eligendum affirmat: nec mirum, nam vt eleganter ait S. Gregorius Nazianzenus, *Animarum cura ars eſt artium, ſcientia ſcientiarum*; Nihil etenim tam arduum factu quàm hominem regere, animal ſcilicet omnium varium & multiplex. Regere autem longè facilius eſt in rebus merè politicis, quia gregale eſt animal, quàm in Eccleſiaſticis & diuinis. Neque enim eſt omnium fides, nec facilè ſe flectit homo ad ea quæ ſuis ſenſibus aduerſantur, qualia ſunt præcepta vitæ Chriſtianæ, quæ adeo carni repugnant & ſanguini, vt S. Hieronymus dicere non dubitauerit, *Vitam hominis ſi ſecundùm Euangelium inſtituatur, nihil aliud eſſe quàm perennem crucem atque martyrium*; quod aliis verbis Apoſtolus expreſſit, vbi ait, *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto tribulationem patientur.* Et *eos qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.* Gal. 5. 24. Qui enim verus eſt miles Chriſti, eiúſque ſpiritu viuit, agitur, militat, hic carnem ſuam crucifixit: id eſt non tantùm vitia & mala deſideria, ſed ipſam carnem corruptam, quaſi fomitem concupiſcentiarum caſtigat & crucifigit per ieiunia, cilicia, labores, honorum fugam, odium deliciarum, & diuitiarum contemptum. Hæc ſchola Chriſti eſt, ad quam dirigere hominem carnalem, voluptatibus immerſum, diuitias appetentem, gloriæ mundi & honoribus inhiantem, res eſt profectò ſupra modum ardua ac difficilis. ſanè etenim hîc opus, hîc labor eſt. Verùm hæc eſt tamen Paſtoris animarum profeſſio. Multa igitur ei opus eſt prudentia, induſtria, & patientia, vt homines adeò repugnantes vitæ eiuſmodi principiis & exercitiis, ad hanc Chriſti ſcholam dirigat, eóſque ad ipſius conſiliorum, præceptorum, exemplorum amuſſim adæquare & efformare poſſit. vnde ait Apoſtolus, 2. Timoth. 4. Ne præ operis difficultate paſtor deſpondeat animum: *Teſtificor coram Deo & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum ipſius & regnum eius, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Bone Deus, quàm ſtupenda verbi fulmina! ſed quàm admiranda opus eſt prudentia, induſtria atque peritia paſtori, vt ſe in tot formas, figuráſque etiam oppoſitas, & inuicem contrarias, quas hic depingit Apoſtolus, tranſuertat. An idem eſt agere opportunè, vel importunè? prædicare verbum, & ſimul loquendo inſtare operi laborioſiſſimo; arguere, & obſecrare, demulcere & increpare? Vltrò iam do manus B. Chryſoſtomo aſſerenti lib. 2. de Sacerdotio, *Paſtori multa opus eſſe patientia & ſexcentis etiam oculis, vt vndique circumſpicere poſſit quæ ſint ſibi docenda & agenda.* At non abs re fortaſſis ſubiiciam, ſexcentis eidem opus eſſe artibus, vt queat hominibus curæ ſuæ commiſſis, quæ ſui ſunt muneris & eorum debiti ſuadere. Quamobrem ait Apoſtolus curandæ hominum ſalutis ſcientiſſimus, *prædica verbum*, non tuum, ſed diuinum quod ſemen eſt æternitatis; initiúmque fidei atque iuſtitiæ: *inſta*, clamare ne ceſſes, loquere quæ decent & proſunt, ſed

1. Tim. 3. ad Tit. 1.

Apol. 1.

2. Tim. 3.

conſtanter, ne quieſcas, ſed tuis principiis inſiſte; *Argue* coæquales, *obſecra* ſeniores, *increpa* iuniores? Quin eoſdem aliquando argue, aliquando demulce, & ora, aliquando etiam corripe & increpa; ſed *in omni patientia & doctrina*, id eſt cum omni patientia, & vt Græcè eſt μακροθυμίᾳ, longanimitate: quia ſi toleras tantùm ad momentum, nihil proficies, opus eſt enim patientia, eáque aliquando diuturna, nec modò prolixa patientia, ſed etiam multiplici: vnde ait Apoſtolus, *in omni patientia*, quæ ſcilicet modis omnibus demonſtratur, operibus nimirum & verbis officioſis. Ponit verò cum patientia doctrinam, ſed ſubordinatè, quia plerumque plus efficiet paſtor animarum patiendo, quàm prædicando: ſed tamen doctrina eſt neceſſaria. Etenim cùm ſit homo animal rationale, argumentis & rationibus, quin & exemplis ac auctoritate mouetur, ſine quibus adminiculis patientia interdum parum aut nihil prodeſſet; opus ſuum Paſtor igitur exequatur, *in omni patientia & doctrina*, vt docet Apoſtolus.

Cæterùm prudentia non poteſt ſine experientia comparari: *Qui enim non eſt tentatus*, inquit Eccleſiaſtes, *quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* Quamobrem iuuenes Sacerdotes, qui nullo adhuc munere perfuncti ſunt, regimini animarum vix poſſunt eſſe idonei, quantumuis ſint docti & eruditi. *In antiquis enim* (ait Iob) *eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* Præclarè ideo S. Hieronymus ſuum docens Nepotianum, epiſt. 2. qua tractat ex profeſſo de vita Clericorum & Sacerdotum, ait prouectiorem ætatem eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, ætate fieri doctiorem, vſu tritiorem, proceſſu temporis ſapientiorem, & veterum ſtudiorum metere dulciſſimos fructus. At ſunt tamen iuuenes, quibus vt Danieli quondam, poſtmodum vt ſancto Remigio, *dedit Dominus honorem ſenectutis*, donúmque prudentiæ per infuſum ſpiritum conſilij, ſapientiæ & intellectus: quibus abſit vt animas regendi munus inuideam, aut diſſuadeam oblatam ſibi ſine vllo ambitu, at ſolo & ingenti doctrinæ & pietatis merito animarum curam ſuſcipere, & ſuſceptam obire: petendi tamen ſemper à Domino, ſi non ipſum donum, ſaltem augmentum doni ſapientiæ & prudentiæ, optârim eſſe memores; vt enim de ſanctitate morum dicit in Apocalypſi Spiritus, *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Ita & qui ſupra ætatem prudentiâ pollet, ſibi vt augeatur prudentiæ & ſapientiæ lumen paſcendis animabus apprimè neceſſarium, non deſinat à Domino poſtulare, iuxta illud B. Iacobi, *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

Eccli. 34. Iob. 12. Dan. 13. Apoc. 22. Iacob. 1.

Sed infuſa dona, ſtudium proficiendi aliis modis legitimis non excludunt. Nemo fuit in ipſa adoleſcentia Timotheo Pauli chariſſimo diſcipulo ſanctior & ſapientior: tamen ſic eum admonet Apoſtolus, *Dum venio attende lectioni &c. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus* 1. Tim. 4.

manifeſtus ſit; attende tibi & doctrinæ, tibi per prudentiam, aliis per doctrinam, *Attende* inquam, *inſta in illis*, ſcilicet meditationibus & exercitiis. *Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Sic theoriam & praxim coniungit, ſic doctrinam & prudentiam copulat, ſic ipſam prudentiam experientiæ nectit.

Sacri Canones exigunt in Epiſcopo non ſolùm litterarum ſcientiam, ſed etiam prudentiam & peritiam in negotiis pertractandis. 36. *diſt. in ſumma.* At verò manifeſtum eſt in Epiſcopo Preſbyterum contineri, eandémque habere formam: quamobrem Apoſtolus, præmiſſa inſtitutione Epiſcopi, rectà tranſit ad Diaconum, nihilque de Preſbytero prorſus exprimit. Vrget verò prudentiam in Epiſcopo, & proinde in Preſbytero curam paſtoralem plebis gerente reperiri:
Ad Tit. 1. Nec ſolùm enim ait oportere eſſe *prudentem*, at ſubiungit, *domûs ſuæ bene præpoſitum; ſi enim domui ſuæ præeſſe neſcit, Eccleſiæ Dei quomodo diligentiam habebit?* Eſt enim Eccleſia velut quædam domus; omnium autem in domo cura ac regimen patrifamilias incumbit, ſic & Epiſcopo qui toti præſidet Diœceſi, ſic & Preſbytero qui propriæ Eccleſiæ & ſubiacenti Parœciæ præeſt. Quamuis longè ſit difficilius Eccleſiam, quàm domum regere; idcirco maior admodum in Paſtore animarum, quàm in patrefamilias prudentia exigitur; hac porro ſi careat, regendæ Eccleſiæ haud eſſe poterit idoneus; *Si enim ſuæ domui præeſſe neſcit, Eccleſiæ Dei quomodo diligentiam habebit?* ſi neſcit regere domeſticos, res proprias diſpenſare, rectè in priuatis negotiis & prudenter ſe gerere: quomodo Eccleſiæ præeſſe poterit, animas regere & docere, ac quæ agenda ſunt facere, quæ vitanda declinare, tam pro ſe, quàm commiſſo ſibi populo?

Vt verò prudenter ſe gerat in omnibus quædam ſunt principia, quæ ſcire & perpetuò ſequi debet.

1. eſt, vt fiat *omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat* iuxta Apoſtoli documentum, pariter & exemplum 1. Cor. 9. Non enim vno & eodem modo ſinguli tractandi ſunt, quando nec à medicis vna eadémque medicina ægrotantibus adhibetur: ſed Paſtor ſeſe ad omnes & ſingulos pro eorum genio, ſtatu, ætate, propenſione, actu, vel habitu attemperabit; ſit comis oportet, idémque grauis, manſuetus, & ſeuerus, pronus ad obſequia, ad miniſterium impiger, erga probos humilis, erga audaces fortis, ſemper liber, ſic tamen vt non ad pertinaciam declinet, nec ad ſeruilem ſubmiſſionem ſe abiiciat, alios blandis verbis mulceat, alios minis terreat, eoſdémque tum monendo, tum arguendo, tum rogando, tum corripiendo, à perditionis ſemitis, in viam ſalutis reuocare ſtudeat. Egregium opus *de Cura Paſtorali* S. Gregorius conſcripſit, in cuius 3. parte artem Paſtori tradit admonendi ſpirituales oues eius curæ commiſſas. Cap. 1. huius pártis inſcriptum eſt, *Quo pacto paſtor, auditorum ratione habita, ſingulos ad ædificationem hortari poſſit*, hinc ſigillatim oſtendit propriis ſub titulis, 1. Aliter admonendos eſſe viros, aliter fœminas. 2. Aliter iuuenes, aliter ſenes. 3. Aliter diuites, aliter locupletes. 4. Aliter qui læti ſunt, aliter triſtes; 5. Aliter ſu-

periores, aliter inferiores. 6. Aliter ſeruos, aliter dominos. 7. Aliter ſapientes, aliter hebetes. 8. Aliter impudentes, aliter verecundos 9. Aliter puſillanimes, aliter proteruos. 10. Aliter impatientes, aliter patientes. 11. Aliter beneuolos, aliter inuidos. 12. Aliter ſimplices, aliter impios. 13. Aliter incolumes, aliter ægros. 14. Aliter qui metu pœnæ innocenter viuunt, aliter qui ſic in iniquitatibus indurUerunt, vt neque per flagella corrigantur. 15. Aliter nimis tacitos, aliter multiloquio aſſuetos. 16. Aliter pigros, aliter præcipites. 17. Aliter manſuetoſ, aliter iracundos; Aliter elatos, aliter humiles. 18. Aliter pertinaces, aliter inconſtantes. 19. Aliter gulæ deditos, aliter abſtinentes. 20. Aliter qui iam ſua miſericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapiunt. Longum eſſet per ſingulos titulos excurrere, ſed tamen quaſdam alias epigraphes, at inſigniores, hîc eſt operæ pretium annotare. Aliter igitur monendos eſſe docet cœlibes, aliter coniugales; aliter peccatorum carnis conſcios, aliter ignaros; aliter qui admiſſa peccata plangunt, nec tamen deſerunt; aliter qui deſerunt, ſed non plangunt: Aliter qui mala quæ faciunt, etiam laudare non verentur; aliter qui accuſant praua, nec tamen deuitant. Aliter qui repentina concupiſcentia ſuperantur, aliter qui in culpa ex conſilio ligantur: Aliter qui licèt minima illicita tamen faciunt, aliter qui ſe à paruis cuſtodiunt, ſed aliquando in grauioribus demerguntur. Aliter qui bona nec inchoant, aliter qui bona inchoata non perficiunt; Aliter qui mala occultè agunt, & bona publicè, aliter verò qui bona quæ faciunt abſcondunt, & tamen quibuſdam actis publicè, mala de ſe permittunt opinari. Luculenter tractat de ſingulis his modis admonitionis paſtoralis ſapientiſſimus Pontifex, quem ſi Paſtor animarum legerit in hac parte & arte quæ omnium eſt ſcitu abſtruſiſſima, factu difficillima, poterit non inani compendio erudiri.

II. eſt Theorema prudentiæ, vt nihil præcipitanter faciat, iuxta illud: *Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant greſſus tuos.* Prou. 4. *Qui enim feſtinus eſt, pedibus offendit.* ibidem c. 19.

III. Vt nihil quod ſit magni momenti, ſine conſilio aggrediatur: ait enim per os Sapientis Spiritus ſanctus Eccleſ. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Mirum quod legitur *in can. final. diſt. 36.* Quòd Epiſcopus qui propter ſenectutem, vel nobilitatem erubeſcit diſcere à iuuenibus vel ignobilibus, ſit velut membrum diaboli (propter ſuperbiam) & haberi pro infideli mereatur. Concinit gloſſa *in can. peruenit diſt. 84.* Quòd ſi Epiſcopus conſilium in arduis vel dubiis non ſpernere ſuorum inferiorum, ſed quærere & auſcultare tenetur, quanto magis Parochus qui in tanta dignitate non eſt? Pulchrè ſanctus Auguſtinus ad illa verba Apoſtoli, *Oportet* 1. Tim. 3. *Epiſcopum eſſe prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem* obſeruat. *Martyr Cyprianus legit docibilem;* quia ſi doctus ſit, ſed ſuperbus, & ſui ſenſus ſemper tenax, vix populo cui præeſt, prodeſſe poterit, *Deus enim ſuperbis ſemper reſiſtit, ſed humilibus dat gratiam.* Iac. 4. Typus Preſbyteri eſt Epiſcopus, ſi igitur Epiſcopus non ſolùm doctus, ſed

docilis, & ad conſilia & monita auſcultanda paratus eſſe debet, multò magis Parochus, qui tantæ gratiæ vnctionem quantam Epiſcopus non recepit, nec ea in ſublimitate qua fulget Pontifex, conſtituitur. Acquieſcat igitur conſilio prudentum, & ſit non modò doctus ad populum erudiendum, ſed docilis etiam ad prudentum conſilia inquirendum & ſequendum, iuxta illud Tobiæ 4. 19. *Fili mi, conſilium ſemper à ſapiente perquire.*

IV. eſt, vt in arduis & dubiis ſuum ſemper Epiſcopum conſulat, iuxta diuinum iſtud oraculum, Deut. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris: inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram &c. Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* S. Hieronymus de ſe teſtatur, fuiſſe Damaſo Papæ adiumento ad reſpondendum conſultationibus ſynodalibus tam Orientis quàm Occidentis, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferebantur. Decretales libri nihil aliud ſunt quàm conſultationes Epiſcoporum, qui in caſibus difficillimis ad ſummum Pontificem & Sedem Apoſtolicam recurrebant, conſilij, vel iudicij petendi cauſâ; atque ad eorum poſtulata Pontificis reſponſa aut deciſiones; & hoc quidem ex ſtabili iure quo cauſæ maiores Sedi Apoſtolicæ reſeruantur. Porro vt oraculum Epiſcopi eſt Pontifex, vel Sede vacante, Apoſtolici Senatus collegium; quo ex more S. Cyprianus durante inter-pontificio, Clerum Romanum frequenter conſulebat; ſic & Preſbyteri, præſertim parœciæ præfecti, proprium oraculum eſt eius Epiſcopus, ſine cuius non ſolùm conſilio, ſed & iuſſu & arbitrio ſacri canones illi prohibent quicquam grauis alicuius momenti præſumere: ſed non ſolùm iis in rebus, in quibus Canones Parochum obligant adire ſuum Antiſtitem ad eius arbitrium poſtulandum vel imperium recipiendum, hoc fieri debere cenſeo; at ex æquo & bono, etiam in caſibus dubiis, & Epiſcopali audientia dignis, in quibus conſilium, vel nutum Epiſcopi ſui explorare non tenetur. Tum enim quod agendum incumbit meliùs dirigetur, & Deus qui benignis oculis ſemper humiles reſpicit, hanc demiſſionem & humilitatem Sacerdotis, Epiſcopo etiam in adiaphoris deferendis, gratiſſimam habebit, feliciorique compenſabit, rei, quæ gerenda eſt, ſucceſſu.

V. Axioma prudentiæ, id eſt quod tradit S. Bernardus lib. 4. de Conſid. c. 3. videlicet neceſſarium eſſe, vt Paſtor plurima neſciat, pleraque diſſimulet, & nonnulla obliuiſcatur; nec enim neceſſe eſt Paſtori omnia ſcire quæ de ſe apud plebem dicuntur. Et melius eſt perplura diſſimulare, quàm de iis quærere rationem, ſatiúſque eſſe plurima obliuiſci, quàm memoriæ imprimere, ex quorum reminiſcentia poſſent acerba vindictæ ſemina ſuboriri, ac in prauos euentus pullulare.

VI. à S. Gregorio, part. 2. citati eius Paſtoralis aſſignatur c. 4. cuius titulus eſt, *Vt ſit* (paſtor) *diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ne ſcilicet* (vt ſubiicit in textu) *aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat; ſicut enim incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit.* Fusè perſequitur hoc argumentum S. Gregorius, adductis pleriſque ſcripturæ auctoritatibus & exemplis quæ facile fuerit apud ipſum, Paſtori, ſuæ & proprij gregis ſalutis ſtudioſo perlegere; quod ſanè non erit ſine oblectatione & fructu. Atque hactenùs de vſu prudentiæ.

§. III.

Patientia.

APOSTOLVS cùm ſuum Timotheum docet, & in eo Paſtores inſtituit, ab illo & iis ſummoperè exigit vt in patientia ſuum onus tam arduum quàm graue & aſperum ſuſtinere memorentur: *Prædica verbum,* inquit, *inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Non ſatis erat Apoſtolo dicere *in patientia*, ſed ait *in omni patientia.* ad inſinuandum non ſimplici patientia Paſtori opus eſſe, at eſſe opus multa patientia, non ſolùm diuturna quæ eſt longanimitas, ſed omni patientia quæ modis omnibus exercetur, & quibuſque experimentis oſtenditur. Cùm Saulum conuerſum in Paulum Dominus Apoſtolatui gentium deſtinaret, *Oſtendam* (inquit ad Ananiam) *quanta illum oporteat pro nomine meo pati.* Et certè tanta Paulus ſubinde paſſus eſt, vt nec ipſe enarrare ſufficiat. 1. Cor. 9. at breui epilogo, ea quæ in ſola Aſia perpeſſus eſt omnia complexus. 2. Cor. 1. 8. *Nolo,* inquit, *vos ignorare fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Eadem ſors omnibus illis imminet qui ad animarum regimen vocantur. Vnde mittens Apoſtolos Dominus, *Sicut miſit me Pater,* inquit, *ſic & ego mitto vos: non eſt ſeruus maior domino ſuo, nec diſcipulus magiſtro.* nec domeſticus filio. Æternus pater vnigenitum ſuum filium hunc in mundum miſit, ſed non ad gaudia & honores, verùm ad labores & dolores, ad contumelias & opprobria, ad flagella, ad crucem, & ad mortem: haud æquum erat vt ſuos ſeruulos ipſe Dominus ad ſuauiora deſtinaret; nihil eis in hoc mundo, niſi perſecutiones & tribulationes grauiſſimas prædixit, ſed illos ſeminare in lacrymis vt meterent in exultatione, voluit. Et notatu dignum quoniam non à dæmonibus, non ab elementis: ſed ab hominibus, & quidem notis & propinquis ſignificauit eos, contradictiones & perſecutiones, moleſtias & tribulationes, extremáque odia fore hac in vita paſſuros; *Non eſt ſeruus,* inquit, *maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur, ſi meum ſermonem ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt.*

2. Tim. 4. *Act. 9.* *Ioann. 20.* *Idem 13.* *Pſal. 125.* *Ioan. 15.*

Non eſt igitur quòd Paſtor impatienter ferat ſibi immorigeros eſſe, quos par erat illi tanquam patri per omnia eſſe obſe-

quentes: *ille ad regimen animarum accedat* (inquit S. Gregorius, Paſtoralis part. 2. c. 10.) *qui cunctis carnis paſſionibus moriens, iam ſpiritualiter viuit, qui proſpera mundi poſtponit, qui nulla aduerſa pertimeſcit, qui per pietatis viſcera citiùs ad ignoſcendum flectitur, qui ex affectu cordis aliena infirmitati compatitur.* Addere liceat, qui contemptus, iniurias, contradictiones à propriis ſubditis pro Dei amore & gloria, & illorum procuranda conuerſione & ſalute, pati paratus eſt, memor illius dicti Apo-
2.Tim. 4. ſtolici, *erit tempus quo ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* Nec enim ideo cedendum, ſed inſtandum muneri, & in omni patientia & doctrina, inceptum opus ſalutis, etiam illis inuitis & renitentibus perſequendum, iuxta monitum iſtud Iudæ Apoſtoli, *Aliis autem miſeremini*
Iud. ꝟ. 23. *in timore, alios ſaluate, de igne rapientes.* Sed non eſt hoc opus ludicrum, at perarduum & quàm laborioſum atque difficile; *Magnum quidem eſt,* ait S. Chryſoſtomus, *magnum, inquam, eſt paſtoralis ſollicitudo, magnum & quæ multa indiget ſapientia & fortitudine.* hom. 59. in Ioannem. Ideo can. *Ferrum, diſt. 50. Paſtor ſicut ferrum eſſe debet, quod tunſionibus non cedit, ſed iu vt in malleo & incude videre eſt, induratur.* Quapropter ait Dominus ad Sacerdotem. Ierem. 1. *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, in columnam ferream & in murum æneum.* Et rurſus, *Ecce dedi frontem tuam valentiorem faciebus eorum; vt adamantem & ſilicem dedi faciem tuam.* Ezechiel. 3.

At ſi ita eſt, cur Deus virgam Aaron, quæ paſtoralis officij ſymbolum erat, florere derepente faciens, in flores & fructus amygdalinos erumpere voluit? nihil amygdalo ſuauius, nihil eius floribus tenerius, fragilius, & qui vt facilè germinant, ſic primâ aëris inclementiâ decoquuntur ac in puluerem ſoluuntur. Nihilominùs aptè virga amygdaliña, paſtoris animarum affectus & officium repræſentat. Nam 1. ſub dura cortice, ſeu teſta lignea nucleum dulciſſimum continet, & ita ſub aſpera vita & mortificatione plena, manſuetudinem ſpiritus & morum ſuauitatem decet paſtorem ſuis ouibus exhibere, ait enim ſuis diſcipulis
Matth. 11. Dominus, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis* (in hac lenitate) *requiem animabus veſtris, & in patientia veſtra poſſidebitis animas*
Luc. 21. *veſtras.* Eleganter ad hæc, S. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, agens de hac virga Aaronica: *Aſpera & continens duráque debet eſſe exteriùs Sacerdotis vita, intùs autem in occulto ſuaue quodpiam edulium continere, quod tunc manifeſtatur &c. cùm fuerit lignea teſta defracta.* 2. Quia amygdalus ſubitò & penè ſimul turgeſcit, floret, & fructificat, antéque folia enata, baccas, flores & fructus producit. Quod ſymbolum innuit, Paſtorem actiuum & vigilantem, promptum & expeditum, ad ſui muneris ſubeundum actiones, exempláque potiùs virtutum, quàm eloquia pulchritudinis proferenda, at hoc non ſatis eſt. 3. Nam inſuper laborioſum, ſtrenuum, patientem, & fortem illum eſſe oportet; neceſſum eſt vt amygdalus quæ prima inter arbores floret, frigora quoque, ventos, pluuias, grandines excipiat, & ſuperet. Immediatè Parœcus animas paſcit & regit. Epiſcopus ſuperintendit, & vt ſibi Diœceſani tam Clerici quàm Laïci obediant, pote-

ſtate

ſtate præſtat qua eos poſſit in obſequium cogere; hinc baculum ſeu virgam geſtat in manu, quæ indicium eſt non ſolùm directiuæ facultatis, ſed poteſtatis etiam coactiuæ,

Curua trahit quos recta regit, pars vltima pungit.

At parœciali paſtori, vis coactiua non competit. Stola tantùm eſt inſignis, nullaque alia arma ei ſuppetunt quàm preces, hortationes & monita. Quæ ſi oues contemnant, nihil vltra habet quod faciat, niſi cum gemitu ad tabernaculum confugere, orationíſque ad Deum ſolum ei ſupereſt præſidium. Cuius dum auxilium implorat, nihil ipſi in ſuis preſſuris & anguſtiis, quas ex plebis malitia perpetitur, niſi ſola ſupereſt patientia, quæ vt ait S. Ambroſius lib. 5. in Luc. c. 6. *perfectio eſt charitatis.* Præclarè & eleganter Tertullianus de hac agens virtute, eam depinxit, tótque ipſam lineamentis pulchram & amabilem exprimit, vt cæcus ſit oportet & ſtupidus qui in eius amorem non rapiatur: *Vultus enim* (inquit) *illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugoſitate contracta; remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris & innoxiis; motus frequens capitis in diabolum & minax viſus. Amictus circum pectora candidus & corpori impreſſus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur; ſedet enim in throno ſpiritus eius mitiſſimus, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis apertus & ſimplex. Fatigatur ergo aliena improbitas patientia tua. Quod patientiæ incubabo non dolebo, vlciſci non deſiderabo.* Quod maximè paſtor animarum cauere debet; nam ſi ſpiritum vindictæ habere vel minimis indiciis ſe prodit, odium in ſe vehemens ſubditorum excitat, & mille exponit inimicitiarum periculis: at è contrà, ſi ſe patientem & benignum præbet, pertinacium duritiem emollit, dúmque æquanimiter eorum impetum tolerat, eundem ipſa ſua patientia refringit & ſuperat. Hi ſunt enim actus & officia patientiæ ex eiuſdem Tertulliani præconio; *Patientia finem munit, pacem gubernat & dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exhomologeſim adſignat, carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat, pauperem conſolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non conſumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, ſeruum domino, dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in iuuene, ſuſpicitur in ſene.* Quantò magis in Sacerdote, in Eccleſiæ præfecto, in animarum paſtore? qui boni illius paſtoris imaginem præ ſe ferre debet, qui pro ouibus animam ſuam ponere dignatus eſt, totúmque ſanguinem profundere. At de patientia hactenus pro inſtituto ſatis.

§. IV.

Amor Dei.

PASTOR qui Deum amat, omnia difficilia & aſpera per hunc amo-

Can. 5. rem ſuperabit. *c. Charitas de pœnit. diſt.* 2. Ideóque Chriſtus iam poſt triumphum de morte, abiturus ad Patrem, cùm Eccleſiæ ſuæ ſollicitus de conſtituendo in ſui vicem paſtore cogitaret, non de fide (vt olim fecerat) vel de conſtantia & fortitudine, ſed de amore ipſum quem deſignabat interrogauit, *Dicit Simoni Petro, Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei* (Petrus) *etiam Domine, tu ſcis quia amo te? dicit ei, Paſce agnos meos? Dicit ei iterum, Simon Joannis diligis me? ait illi, etiam Domine, tu ſcis quia amo te. dicit ei, Paſce agnos meos? Dicit ei tertiò, Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò amas me? & dixit ei, Domine, tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te; dixit ei, Paſce oues meas.* (Ioan. 21.) Vbi duo maximè notatu digna ſunt, ſcilicet interrogatio de amore, & ipſius amoris toties iterata profeſſio: æquum enim erat palam facere cæteris diſcipulis, quàm dignus eſſet is cui tanta gubernatio committenda erat. Atque hæc capacitas non ſolùm à fide, nec à miraculis, ſed ab amoris magnitudine & ſinceritate, potiſſimùm dimetienda cenſetur: quia ſi verus ſit amor, fides quoque & miranda quæque obſequia neceſſariò conſequentur. Sunt qui accuratiùs ſingula hæc Chriſti verba ad Petrum expendunt. *Dicit Dominus Petro, Paſce*, non dicit rege, impera, dominare, guberna vt Rex, vt Imperator, ſed rege vt paſtor bonus, & vt verus pater. *Paſce*, inquam, *agnos*, tenellas has animas quas in lectulo meæ crucis nuper cum extremo amoris enixu peperi: *Agnos* inquam *meos* homines veterem hominem exutos, nuper in nouitatem vitæ genitos, & in me credentes, quos diligo vt filios meos, quia effeci mihi ſimiles, omni iam peccato per lauachrum ſanguinis mei purgatos, ſuper niuem propter innocentiam dealbatos, fide candidatos, gratiæ meæ lacte enutritos. *Paſce*, inquam, *agnos meos*, id eſt fideles meos, non tuos, non vt rem tuam: ſed vt rem meam, hoc age; propterea enim inquiſiui à te, vtrum me amares, quia rem meam, eámque mihi chariſſimam tibi ſingulari fiducia volui commendare. Quem ergo amorem in me profiteris, erga agnos meos exerce, ipsíſque exhibe, certus *quod vni ex minimis tu* amoris impenderis, mihi contuleris. *Paſce* igitur non te, vt mali illi paſtores de quibus dudum Pater meus conquerebatur, dicens, *væ paſtoribus Iſraël qui ſeipſos paſcebant, & non gregem.* Ezech. 34. ſed *paſce agnos meos.* Ille ſeipſum paſcit qui ex officio paſtorali propriam quærit vtilitatem & gloriam, non ipſorum fidelium ſalutem quos gubernat. ideo Petre ſi me diligis non te paſcere cogita, ſed agnos meos, ſed oues meas ſicut oues meas paſce, non vt tuas; gloriam meam in iis quære non tuam, lucra mea, non commoda tua. (S. Aug. Tractat. 123. in Ioannem.) Et verba ſanè illa Domini ad Petrum digna ſunt ſingula quæ à quolibet paſtore animarum exactè perpendantur, altáque mente expenſa, præcordiis profundè defigantur, ſunt enim medullâ diuinorum theorematum refertiſſima. Verùm præcipuè verbum illud ſedula meditatione verſandum, *Diligis me?* perinde eſt enim ac ſi diceret cuilibet non ſolùm Epiſcopo, ſed & Parocho, quod & Petro qui omnium apex & exemplar erat: ſi me amas, meorum agnorum curam ſuſcipe,

& quam animam pro me vltro poſiturum promiſiſti, pro iis pone, hos ama, hos paſce, hos in corde & humeris porta; te enim volo eſſe erga eos vicarium mei amoris; non paſces certè vt oportet, niſi diligas, ſi me igitur diligis, hos agniculos tenerrimos, quos viſcerali affectu tibi commendo, in ſinum tuum, in vlnas tuas ſuſcipe, pro eorum tutela die ac nocte inuigila, exhibe eis fertilia paſcua, corde, voce, manu illos paſce, rege, protege; hos debiles porta, laſſos tolera, lapſos erige, morbidos cura, lacta paruulos, conſolare triſtes, mulce proteruos, compatere languidis, aberrantes quære, inuentos tuis humeris impone, in ouile meum reuehere feſtina, nec labori parce nec ſudori. Expone te vel extremo diſcrimini, vt è lupi rapacis faucibus illos eripias, ſanóſque & incolumes mihi reſtituas. Repetam enim à te quotquot agnos & oues tibi commiſi. Sed ſi diligis me, ne timeas, quia ſemper adero tibi, & ſi fiduciam tuam in me repoſueris, continuò meam experieris præſentiam, & opem recipies ſingulis neceſſitatibus opportunam. Cæterùm quantò plus amoris diuini in præcordiis ſuis habuerint animarum paſtores, tantò digniores erunt qui exaudiantur à Domino: *Siquidem ipſi Sacerdotes* (ait Alexander Papa & Martyr *, can. 91. 1. q. 1.) *quanto digniores fuerint, tanto faciliùs pro neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiuntur.* Ille verò Deo gratior & dignior eſt, qui magis Deum diligit, vnde Petro non ait ſolùm, *Simon diligis me?* ſed ſubiungit, *plus his*, ad innuendum quod in animarum paſtore non ſimplex, ac in cæteris dilectio exigitur, ſed amor longè feruentior, quo qui ardet magis paſcendo gregi Dominico idoneus eſt. *Si* igitur *diligis me plus his*, (ait Dominus) *paſce oues meas. Paſcere enim gregem Dominicum, amoris officium eſt* (ait S. Auguſtinus tract. 123. in Ioannem. *epiſt. 1.*

CAPVT V.

Paſtoris officium eſſe, ouibus ſuis, bonorum operum exemplis praire.

MIRVM quod cùm Chriſtus (Ioannis 10.) boni Paſtoris dotes officiáque tam dilucidè Phariſæis prædicaret, ij tamen (ait S. Euangeliſta) *non cognouerunt quid loqueretur eis.* Nec tamen adeo mirum, quia ex iis erant, qui vt prædixit propheta Iſa. 6. *videntes non videbant, & audientes non intelligebant*; (vtipſe notat S. Ioannes 12. ℣. 40.) *vocem Chriſti nonniſi Chriſti oues audiunt, at illi de eius ouibus non erant*, vt eis ipſe Dominus non ſemel exprobrauit. Pulchrè S. Auguſtinus tract. 26. in Ioannem poſt initium ad illa verba Domini: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum. Da amantem, & ſentit* (ait) *quod dico, da deſiderantem &c. da ſitientem & fontem æternæ vitæ ſitientem, da talem & ſcit quid dicam: ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor.* Ita planè Phariſæi & Scribæ Chriſtum de ſuis ouibus & boni pa- *Ioan. 6.*

ſtoris inſignibus ac notis differentem, quamuis perſpicuè loquentem, mente non aſſequebantur, quia neque de ouibus erant ipſius Domini, neque ad eos boni paſtoris ſpectabant indicia; ſi enim de numero bonorum paſtorum fuiſſent, haud difficilè intellexiſſent quæ de dotibus & officio veri paſtoris Chriſtus ipſe Dominus enunciabat; Quid enim facilius intellectu his ipſis verbis Domini: *Bonus paſtor intrat per oſtium in ouile. Huic oſtiarius aperit, oues eius vocem audiunt, & proprias oues vocat nominatim. Educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur.* Sed vbinam Sacerdotes qui hæc verba audiunt, & vt reor intelligunt, ea actu præſtent quæ iiſdem exprimuntur? Canonicè vt præficiantur Presbyteri, quibus cura animarum incumbit, neceſſe eſt vt ritè fuerint ad Sacerdotium promoti, officium paſtorale ſint ab Epiſcopo, vel Papa per inſtitutionem authoriſabilem adepti. Prælatus etenim eſt Oſtiarius, qui eis aperit aditum in ouile; oportet propterea vt verbum diuinum quod eſt animarum cibus, populo ſibi credito annuncient, nam ſi taceant maledicto ſupponuntur; *Væ mihi* (ait Apoſtolus) *niſi euangelizauero: neceſſitas enim mihi credita eſt*, videlicet ex debito officij Epiſcopalis, quorum parochiale munus proprium eſt participium. Debet igitur loqui & clamare, iuxta illud, *Clama, ne ceſſes.* Nam oues ſui paſtoris vocem audiunt. vnde Apoſtolus, *Quomodo audient* (inquit Rom. 10.) *ſine prædicante?* Ex quo ſequitur, non ſatis eſſe Paſtori, ſi populo ſuo alienum concionatorem in vicem ſui ſubſtituat; officium enim prædicationis paſtorali muneri coniunctum eſt, Epheſ. 4. *Aſcendens Chriſtus in altum, dedit quoſdam Apoſtolos* &c. *Alios autem paſtores & doctores:* Quia docendi populum illis, ex paſtoralis officij intrinſeca ratione, onus incumbit: vt paſſim canones docent, & poſtremum Concilium Oecumenicum declarauit ac definiuit.

Ioan. 10. — *1. Cor. 9.* — *Iſa. 58.*

Sed hoc adhuc non ſufficit, at inſuper neceſſe eſt, vt Paſtor præcedat oues, ait enim Dominus, *ante eas vadit, & illæ eum ſequuntur.* Nec eſt quod quis obiiciat, ſolere paſtores oues ſuas ſequi, non antecedere: duplex enim paſtoris eſt circa oues officium, eas ſcilicet ducere & cuſtodire. quando ducit ad paſcua, ante eas vadit, quia ad locum illis ignotum dirigit. Sed alternatim eas ſequitur, ſcilicet vt à lupi inſidiis eas cuſtodiat, & ſi aliqua defeſſa maneat, hanc imponat ſuis humeris, aut ſi qua recedit à grege; eam in viam quâ cæteræ pergunt, reducat.

hom. 58. in Ioan.

S. Chryſoſtomus exiſtimat proprium Chriſti fuiſſe opus, ante oues ambulare: alios paſtores ſolitos non eſſe præcedere, ſed tantùm ſequi, quia ſolus Chriſtus ad omnem veritatem & virtutem inueniendam & innuendam ouibus ducem ſe oſtendit. Verùm hanc Domini propriam eſſe excellentiam, *qui non ex aliquo accidentali dono* (ait S. Gregorius homil. 14. in Euang.) *ſed eſſentialiter paſtor bonus eſt*, nequaquam inficior: ſed tamen ſub ſe Chriſtus alios gregis ſui ductores atque cuſtodes conſtituit, quos operis ſui Vicarios eidem contulit

præeſſe paſtores. Qui ſanè huic officio idonei eſſe non poſſunt, niſi ad ſui archetypi effigiem efformentur, hoc eſt Chriſtum imitentur, qui paſtorum eſt princeps.

Chriſtus verò parum ſibi eſſe cenſuit, homines hortari verbo, niſi firmaret exemplo. *Cœpit facere & docere.* ſanè Chriſtus multo plus fecit, quàm docuit, aut dixit: in vita abſcondita, quam per 30. & ſuprà annos duxit, fecit tantùm & non docuit. At docere à baptiſmate incipiens, adhuc plura fecit quàm docuit, nihil enim docuit quod non fecerit, & faciendo ſic docuit, vt quemadmodum rectè ait S. Auguſtinus, *omnis eius actio noſtra fuerit inſtructio.* S. Aug. in pſ. 63. ad ỽ. 2. Act. 1.

Ad hunc archetypum oportet quicumque regimini animarum præficitur, ſeſe accuratim componere, quantum humana ferre poteſt conditio. non ſatis eſt docere, agere itidem oportet, ac etiam pati. Eleganter dixit Petrus Bleſenſis ſerm. 18. Chriſtum in vita ſua operatum actionem paſſiuam, ſed in morte paſſionem actiuam. vſque ad extremum vitæ ſpiritum, debet animarum Paſtor agere, docere, & pati, Chriſti exemplô, vt poſſit populo ſibi commiſſo cum Apoſtolo dicere, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11. 1. Falluntur qui ſolo verbo paſcere gregem rationalem ſe poſſe putant. Non enim hoc fine tantùm paſtores fidelibus aſſignantur, ſic enim orat Eccleſia in Preſbyterorum ordinatione: *Vt grauitate actuum & cenſura viuendi, probent ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, vt in lege Dei tota die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur; iuſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem, cateráſque virtutes in ſe oſtendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purum & immaculatum miniſterij ſui donum cuſtodiant.*

Tritum eſt illud Senecæ epiſt. 108. *Longum, ad virtutm per præcepta, breue & efficax per exempla iter eſt.* Quam præclaram ſententiam S. Leo his ſuis verbis (ſerm. de S. Laurentio) luculentiùs expreſſit: *Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum: validiora ſunt tamen exempla quàm verba, & plenius eſt opere docere, quàm voce.* Teſtis eſt S. Chryſoſtomus hom. 17. in Ioannem, Gentiles non ita ſignis ad fidem adduci, quàm vitâ prædicatorum, & maximè Chriſtiana charitate: qui enim miracula faciunt, deceptores ab iis appellantur, vitæ puritas nonniſi bonum arguit. *Nihil adeo Gentiles arguit quàm virtus, nihil adeo perturbat vt malitia.* De hæreticis idem iam licet experiri, qui caſtis Sacerdotum moribus, probitatéque exploratâ ac inſigni pietate, magis flectuntur, quàm vllâ eloquentiâ, aut ſolertiâ eorumdem: quia enim ſuperbi ſunt, (vt omnis hæreſis filia eſt ſuperbiæ) vix cuipiam ingenio cedere volunt, at illuſtri virtute, quam meritò admirantur, haud erubeſcunt ſe vinci.

Ideo tantoperè Apoſtolus Rectoribus animarum, veritatíſque præconibus, bonorum operum exempla commendat: *Exemplum eſto fidelium* (ad ſuum Timotheum ſcribit 1. ep. 5.) *in verbo, & conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Et ad Titum c. 2. *In omnibus teipſum*

præbe exemplum bonorum operum. Sufficit laïco vt ſit bonus, at requiritur in paſtore, vt optimus ſit. ſatis eſt laico ſi ſtatui ſuo congruis virtutibus inſtruatur: at in Sacerdote animarum paſtore, neceſſe eſt vt omnibus exornetur, adeo vt chorum virtutum ducat. Quamobrem non requirit Apoſtolus, vt in quibuſdam præcellat, ſed vt *in omnibus* ſeſe præbeat exemplum & quaſi ſpeculum, in quo omnes qui reſpiciunt, formam quam aſſumere debent, contemplentur.

Oportet *qui præſunt fidelibus in Domino*, 1. Theſſ. 5. 12. *vt curent bonis operibus præeſſe.* Tit. 3. 8. id eſt, non modò bona opera facere, ſed magiſterium omnis virtutis inſuper profiteri: vt ſi quis concentui muſico præſit, non ſatis eſt vt cum cæteris ſymphoniacis moduletur, ſed neceſſe eſt præterea, vt artis muſices ſit ita peritus, vt non modò hanc ad vnguem calleat, ſed eandem reliquos doceat, chorum ducat & moderetur, nec loco ſolùm, ſed officio & actu præſit, vt princeps & magiſter quemadmodum profitetur, poſſit meritò exiſtimari.

Dicit Dominus Petro, bonorum paſtorum coryphæo, *Simon, diligis me plus his?* Nónne ſatis erat ſi reuera amaret? ſatis erat quidem priuato homini, ſed non ſatis animarum paſtori, in quo non modò charitas erga Dominum & gregem fidelium exigitur, quæ in quocumque alio poterat eſſe ſufficiens: ſed in eo requiritur ratione muneris paſtoralis virtus non vulgaris, ſed heroica, videlicet intenſa & ſupereminens charitas, fides magna, prudentia eximia, patientia ſingularis, caſtitas inſignis, pietas præcipua, & ſic de cæteris. Oportet ſiquidem illum non modò eſſe omnis virtutis ſtudioſum, ſed harum panopliâ ita exornatum, vt non modò iis præclaris dotibus ſit præditus, at in ſingulis gregi quem dirigit, longo interuallo præemineat: ita ſit Preſbyter (ait non ineptè quidam ſcriptor non nuperus) vt cæteris præbeat iter, ad omnem virtutem & bonam operationem: vnde ait Dominus, *bonus paſtor ante oues vadit.* Quò ſpectaſſe videtur Apoſtolus vbi ait, *curent bonis operibus præeſſe*; in Græco enim legitur προΐστασθαι, quod idem eſt quod *ſtare antè*, primum eſſe, præſtare aliis, & quaſi iis palmam in ſtudio bonorum operum præripere, ſeu potiùs iis ad iter omnis virtutis præferre facem. At ſatis pro breuitate inſtituta, de præcellentia Sacerdotis in ſtudio & cultu perfectæ virtutis atque iuſtitiæ, quarum exemplar gregi cui præeſt, eſſe debet.

Ioan. 10. 4.
Tit. 3. 8.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS POSTREMÆ PARTIS LIBER IV.

DE OFFICIO PRÆDICANDI.

OPORTET SACERDOTEM PRÆDICARE.

Ex Pontif. Rom. tit. de ordinat. Preſbyteri, in admonitione ad ordinandos.

CAPVT PRIMVM.

Quanta ſit dignitas, prædicare verbum Dei.

INTER potiora beneficia, quibus populum ſuum Iſrael, Deus olim pro ſua immenſa bonitate cumulauit, Apoſtolus hoc imprimis recenſet, quòd legis ſuæ dederit eis oracula, voluntatiſque ſuæ beneplacita manifeſtauerit: Hi *ſunt*, inquit, *Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* Rom. 9. 4. Et alio loco: *Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circumciſionis? multum per omnem modum: Primùm quidem, quia credita ſunt eis eloquia Dei.* Ibid. 3. 1. Quaſi diceret, hoc eſt primum & præcipuum Dei erga eos beneuolentiæ teſtimonium, quòd ſua illis præcepta tradiderit, & arcanorum ſuorum eloquia eis per Angelos ſuos & prophetas direxerit. Tantum beneficium antea prophetæ altis præconiis extulerant, Iſraelitarúmque præcordiis infixum ire ſingulari commendatione ſtuduerant, primus omnium Moyſes Deut. 4. *Scitis quòd docuerim vos præcepta atque iuſtitias ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis & obſeruabitis &c. hæc eſt enim veſtra ſapientia &c. Quæ eſt alia natio ſic indyta, vt habeat cæremonias iu-*

ſtáque iudicia & vniuerſam legem quam propono hodie ante oculos veſtros. Sic & author libri Eccleſiaſtici, c. 17. *Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos. Conſtituit Teſtamentum æternum, & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis.* Et Baruch propheta, *Beati ſumus Iſrael, quia quæ Deo placent manifeſta ſunt nobis.* At longè ſublimiùs Chriſtus attollit hoc beneficium diuinum, collatum Iſraëlitis beatitudinis titulo, nam effert eos hoc nomine vſque ad participationem quandam Deitatis, *Nónne* (inquit) *ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi, Dij eſtis? ſi illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt &c.*

Baruch. 4.

Ioan. 10. 35.

At ſi Dij cenſendi veniunt ij, ad quos diuinum verbum audiendum dirigitur, quanto magis eo titulo honorandi ſunt, ad quos diuinus ipſe ſermo, ad populo Dei annunciandum directus eſt? Moyſes miſſus ad Pharaonem, præco diuinæ iuſſionis, decus à Deo accepit diuini vocabuli. *Ego* (inquit Dominus) *conſtitui te hodie Deum Pharaonis.* Et cùm legem Dei ad ipſum populum afferret diuini ſplendoris decore in vultu rutilans apparuit. *Cúmque deſcenderet de monte Sinai, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua, ex conſortio ſermonis Domini, poſuítque velamen ſuper faciem ſuam, quod ingreſſus ad Dominum & loquens coram eo auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſraël omnia, quæ ſibi fuerant imperata &c. operiebat enim faciem ſuam quando loquebatur ad eos. Non poterant enim filij Iſrael* (ait Apoſtolus) *intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius.* Quam ſcilicet ex conſortio ſuæ cum Deo collocutionis, contraxerat.

Exod. 34. 29.

2. Cor. 3.

Vbi in Exodo legimus apparuiſſe Moyſen ferentem legem Domini populo cornuta facie, Septuaginta verterunt *glorificata*, quaſi iam ſcilicet Moyſes non vultum mortalis hominis, ſed immortalis & beati iámque glorificati præ ſe ferret faciem & ſpeciem. Vnde hoc? ait expreſsè ſacer textus: *ex conſortio ſermonis Domini.* Potéſtne homo mortalis cum Deo inire conſortium? ita quidem, quum ſcilicet ab eo non tantùm colloquio diuino honoratur, ſed verbi ipſius ad homines fit diſpenſator & nuncius. Huc redit Domini præcitatum oraculum, *Illos in lege Deos vocari, ad quos ſermo Dei factus eſt*, id eſt quibus creditus eſt, ad illum hominibus deferendum. Attamen alio ſenſu verba illa Exodi 34. *ex conſortio ſermonis Domini*, intelligi poſſunt. Certum eſt enim legem Moyſi à Deo fuiſſe traditam, ſed non immediatè, at per Angeli miniſterium: hinc S. Stephanus in cycnea illa oratione, quam habuit ad Iudæos in procinctu triumphalis ſui certaminis, illis probro vertit, quòd legem non cuſtodierint, *quam per diſpoſitionem*, ſeu diſpenſationem *Angelorum acceperant.* Et Apoſtolus ad Galatas ſcribens, *Legem* ait *ordinatam fuiſſe per Angelos in manu mediatoris*, Gal. 3. Et quidem ſunt qui non temerè arbitrentur in traditione legis plures Angelos interueniſſe, qui ignem, qui coruſcationem, qui buccinæ ſonum, ad terrorem Hebræis incutiendum, & conciliandam legi auctoritatem diuinam ediderunt: vnum tamen inter hos fuiſſe qui Moyſi loquebatur, & Dei vicem perſonámque ſuſtineret, ideóque ipſum Dei gerebat nomen: ſicut qui eidem Moyſi in

Act. 7. 53.

Dionyſ. Carthuſ. ad locum Apoſt. præſignatum.

in rubo ardenti & non comburenti apparuerat, dixit ei, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Suppoſito etenim S. Dionyſij hoc inſigni axiomate cap. 4. Hierarchiæ cœleſtis, quòd omnes Dei apparitiones quæ factæ ſunt in veteri Teſtamento, factæ fuerunt per Angelos: hic ſpiritus qui Moyſi loquebatur, non Deus ipſe, ſed verus Angelus erat, qui Dei ſibi aſſumebat nomen, quia non tantùm debito obſequio fungens, nuncium ereptionis populi Moyſi afferebat, ſed quia Dei inſpiratione loquebatur, loco & auctoritate agebat, Deique ipſius à quo fuerat miſſus, in tam miro apparatu, perſonam repræſentabat. At verò Moyſes habuit cum hoc Angelo (quem Michaelem fuiſſe putant S. Scripturæ interpretes) ex officio diſpenſandi ſermonis Dei conſortium. Nam Angelus ad Moyſem placita Dei perferebat, quæ Moyſes ſubinde populo Dei, eiuſdem nutu ac mandato denunciabat. Quò ſpectat illud Malachiæ prophetæ, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & populi requirent legem ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sic Angelus Domini, dilecto eius Ioanni, in habitu Sacerdotali (nam *indutus erat podere*) verbum Dei prædicandum populis & gentibus, diuino iuſſu detulit; *Significauit Deus mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni:* Et tamen iſte Angelus abſolutè dicit, *Ego ſum α & ω, principium & finis*; nimirum quia *ſimilis erat filio hominis*, & Chriſti vicem & vocem credito diuinitus munere prædicandi verbi Dei, digno cum decoro gloriæ & maieſtatis referebat: idcirco & Stephanus Protomartyr, Euangelium Iudæis plena in Synagoga prædicans, ſimilis Angelo ſplendida facie coruſcanti viſus eſt: *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Idémque contigit Laurentio in ignea craticula, tanquam è cathedra diuinæ veritatis præconia, coram tyranno, Ethnicíſque circumſtantibus proferenti, vnde Prudentius,

Apoc. 1.

Act. 6. 15.

Illi os decore ſplenduit,
Fulgórque circumfuſus eſt;
Talem reuertens legifer
De monte vultum detulit.
Talémque & illic prætulit
Oris coruſci gloriam
Stephanus, per imbrem ſaxeum,
Cælos apertos intuens.

In conſortium igitur venit Angelicum homo, cùm Dei eloquia defert ad homines, eiúſque placita illis tanquam cœleſtis nuncius deprædicat, arcanáque eiſdem manifeſtat: ſic enim hermes ſalutis & dux ad beatam æternitatem euadit.

Verùm vltrà adhuc progredior. Sanè multi Patres arbitrantur in omnibus apparitionibus veteris Teſtamenti, quæ factæ ſunt per Angelos, repræſentatum fuiſſe filium, non Patrem, non Spiritum ſanctum. Ita cenſent Iuſtinus contra Triphonem Iudæum, Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, S. Hilarius lib. 4. & 5. de Trinitate, S. Ambroſius lib. 1. de fide, S. Chryſoſtomus in cap. 7. Actorum.

Cur verò filius per Angelos, potiuſquàm Pater aut Spiritus ſanctus appareret, non vna eſt ratio. Prior eſt, quia ſolus filius humanam naturam pro ſalute mundi aſſumpturus erat, eapropter iam humanam præ ſe ferre geſtiebat ſpeciem, quam per Angelos in viſione imaginaria oſtendebat. Altera ratio elicitur ex iis verbis Domini, Matth. 11. 27. *Neque quis patrem nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare*, ſcilicet quia filius, patris verbum eſt, è mente patris productum, permanens in patre, cuius viua, perfecta & adæquatè prorſus expreſſa, imago eſt & character, vt Apoſtolus appellat Heb. 1. ſe etenim Verbum diuinum habet ad Patrem, vt ſermo ad mentem, non ſolùm propter generationem eius omnis paſſionis expertem, ſed etiam propter internam coniunctionem ipſius cum patre, vímque enunciatricem, qua totum in ſe exprimit & monſtrat genitorem, iuxta illud: *qui videt me, videt & patrem meum; nam ego in patre, & pater in me eſt*. Sed ab effectu etiam verbum dicitur ipſe Dei vnigenitus: quia vt mentem hominis ſermo eius manifeſtat, ſic filius clarificat patrem & eius notitiam nobis impertit. ſcitè ideo S. Ambroſius, lib. de fide contra Arrianos, c. 6. *Filius* (inquit) *verbum Dei dicitur, quia ex ore altiſſimi proceſſit, & pater ſine eo nihil iuſſit aut fecit.* Hinc Apoſtolus ait, *Deus* nobis *locutus eſt in filio*, Heb. 1. Et dilectus diſcipulus; *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe* (nobis) *enarrauit.* Ioan. 1. 18.

Ioan. 14. 9.

Multi ſunt modi Deum noſcendi & videndi, 1. eſt in diuinis operibus, ſicuti artifex aliquomodo cognoſcitur cùm opus eius manifeſtatur: de tali notione ait Iob 36. *Omnes homines vident eum & vnuſquiſque procul intuetur:* Siquidem *inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt viſibilia conſpiciuntur*, Rom. 1. Secundus modus eſt in figuris & imaginibus, ſub quadam corporea forma expreſſis, v. g. ſpecie ignis vel hominis, quomodo patribus olim multifariam apparuit, vt ex toto veteri Teſtamento conſtat &c. Tertius modus cognoſcendi Deum eſt per fidem: at verò auctor fidei eſt Chriſtus, filius Dei, verbum patris, qui ideo iam factus homo dicit: *Manifeſtaui nomen tuum hominibus. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam*, docendo ſcilicet veritatem & manifeſtando gloriam tuam, verámque de Deo vno & trino fidem tradendo, & hominibus diuina myſteria reuelando, & viam ſalutis, meis exemplis & documentis illis demonſtrando, meóſque Apoſtolos & Diſcipulos (quos præcones mei Euangelij conſtitui) vniuerſum in mundum mittendo hanc prædicatum fidem, vſque ad finem ſæculi per continuam Sacerdotum ſucceſſionem. Huc ſpectat illud Apoſtoli, *Finis legis Chriſtus ad ſalutem omni credenti &c. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem; ſed fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Ioan. 17. 4.

Rom. 10. 1. &c.

Cùm Chriſtus Apoſtolos ſuos in orbem vniuerſum nuncios pacis & maieſtatis ſuæ Legatos deſtinaret, inſufflauit & dixit eis, *Ac-*

cipite Spiritum ſanctum, ſicut miſit me pater & ego mitto vos. Et cùm de facto ad diſſeminandum Euangelium, eos vbique per orbem delegaret, *factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, repleuitque totam domum vbi erant ſedentes.* Igitur non ſine flatu & ſonitu Spiritum ſanctum illis infudit; ad ſignificandum, tam ſuas, quàm ſancti Spiritus vices illis committere, ad humanum genus, ſcientia ſalutis, per verba vitæ æternæ (quorum viua organa eos efficiebat) imbuendum: ſonus enim eſt verbi, vt flatus ſpirationis proprium vehiculum. hinc dicit eiſdem Apoſtolis, *qui vos audit me audit:* Et, *non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Sicut igitur Ioannes Baptiſta, vox Chriſti propter officium præcurſoris ipſius Domini appellatus eſt, *Ego vox clamantis in deſerto:* quia vt vox conceptum mentis per verbum expreſſum manifeſtat, ſic verbum Dei in carne abſconditum Ioannes oſtendebat; ita planè Apoſtoli, & qui eis ſuccedunt Sacerdotes, vox Chriſti ſunt, quia Verbum incarnatum prædicant, eiúſque arcana reſerant hominibus, quos ad rationem & amuſſim ſalutaris eius doctrinæ, efformant ad ſalutem. *Ioan. 20. 22 23.* *Act. 2. 2.* *Luc. 10. 16.* *Matth. 10. 20.* *Luc. 3. 4.*

Prædicatores idcircò Euangelici in diuinis oraculis, lingua, loquela, ſonus, vox, & verbum Chriſti appellantur. Acutè ſanè & ſublimi prorſus intellectu, S. Baſilius lib. 5. contra Eunomium, explicando promiſſum illud Domini de Spiritu ſancto mox à ſe mittendo ſuis diſcipulis, *De meo accipiet & annunciabit vobis*, Ioan. 14. ipſum Spiritum ſanctum *verbum filij* nuncupauit, quia is quæ filij ſunt, nobis afflatu ſuo reuelat. Præſignatis igitur titulis prædicatores Euangelij in ſcripturis ſacris honorantur, quia viuæ vocis oraculo, *magni pietatis Sacramenti quod in carne manifeſtatum eſt, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria,* myſteria, exempla, documenta, placita, præcepta, promiſſa nobis annunciant. Igitur diuini ſplendoris & gloriæ, quondam Moyſes ex conſortio ſermonis Domini, id eſt ſtupendo commercio, cum verbo Dei increato quidem, ſed incarnato, fiunt ipſo iure ſui officij participes. Nónne enim ſcriptum eſt in lege, (ait ipſe Dominus) de iis ad quos ſermo Dei factus eſt, *Ego dixi dij eſtis?* Chriſti enim & Spiritus ſancti vicem obeunt & ſacro munere diuinæ legationis defunguntur, mundantes Eccleſiam *lauacro aquæ*; ſed *verbo vitæ nutrientes*, tam Sacramentali quàm Euangelico, ceu *ſpiraculo vitæ*, quod Deus inſpirando in faciem primi hominis, *fecit eum in animam viuentem.* Appoſitè igitur & pereleganter ſcripſit dudum ad Leonem Papam Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, * *Pietate & recta prædicatione verbi veritatis, nihil honorabilius Sacerdotibus; Omnis enim noſtra ſpes atque ſalus, & repromiſſio promiſſorum bonorum, in iis eſt.* *1 Timoth. 3. 16.* *Ioan. 10. 34.* *Ephes. 5. 26.* *Geneſ. 2. 7.*

*Habetur in præambulis Concilij Chalcedonenſis.

CAPVT II.

Euangelicæ prædicationis, Epiſcopum præcipuum diſpenſatorem eſſe.

ARTICVLVS I.

Quo iure, & quibus rationum momentis, Epiſcopus ad id muneris obligetur.

HAVD leuis eſt altercatio inter ſcribentes, quodnam ſit præcipuum munus Epiſcopi? Quidam dicunt eſſe correctionem morum populi ſui, *ex Clement. vnica de off. ordin.* Alij dicunt ſitum eſſe in aſſidua oratione, iuxta axioma illud ſanctorum Patrum, *ſi eſt Sacerdos, oret pro populo.* Alij in orphanorum defenſione, viduarum conſolatione, & cæteris miſericordiæ officiis, iuxta illud Iacobi 1. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Alij in laudabilis exempli exhibitione, quemadmodum ſuum docet Timotheum Apoſtolus, 1. ep. 4. 12. *Exemplum eſto fidelium in verbo & conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Alij in ipſa executione ſui nominis: Epiſcopus enim dicitur ſpeculator, quia ſuperintendere debet circa gregem ſuum, vt ſaluetur & non pereat. vnde ipſe

1. Timoth. 4. 16. Apoſtolus eodem loco; *Hæc*, inquit, *meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus fiat; hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Huic theoremati ſuccinunt quæ ſequuntur, probata in ipſo iure nominis Epiſcopalis etymologia. Epiſcopus enim Græcè, Latinè dicitur ſuperintendens & ſpeculator, ſiquidem Præpoſitus Eccleſiæ ſpeculatur Cleri & populi mores & vitam. *can. Cleros 21. diſt.* vnde Apoſtolus ad ſuum ipſum Timotheum; *Tu verò vigila, in omnibus labora, tuum miniſterium imple.* & ad Rom. 12. *Qui præeſt in ſollicitudine.* Idémque ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Et ad Cor. 2. c. 11. *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Graphicè pridem Salomon Regum ſapientiſſimus, hanc paſtoralem ſollicitudinem depinxit Prou. 6. dicens, *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbo oris tui, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ.* quæ verba optimè de Epiſcopo interpretantur, S. Gregorius in Paſtorali p. 3. art. 5. & S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 5.

Vide Cardinalem Palæotum in ſuo Archiepiſcopali.

Sed Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. quæ fuit 8. ſub Pio IV. c. 4. Decreti de reformatione, declarat officium prædicationis, Epiſcopi eſſe munus præcipuum: *Prædicationis munus quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta Synodus quo frequentiùs poſſit ad fidelium ſalutem exerceri &c.* Nihil eſt quod magis in nouo Teſtamento, ipſis Epiſcopis com-

mendetur. Chriſtus mittens in orbem vniuerſum Apoſtolos ſuos (quibus Epiſcopi ſucceſſerunt) hoc eis primum mandatum dedit, *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes*, Matth. 28. 19. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Marc. 16. 15. Eò ſpectans vas electionis, Paulus, Epheſ. 4. ſcribit Chriſtum in cœlum redeuntem, reliquiſſe vice ſui, *alios quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, quoſdam autem prophetas: at alios Paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis ſui: ne eſſemus ſicut paruuli fluctuantes & circumferremur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris; ſed edoceremur in veritate, vt ſic in charitate creſceremus*. Mundâſſe enim *Ecclesiam ſuam lauacro aquæ*, hoc eſt baptiſmo, & nutrire, *in verbo vitæ*. verbum enim Euangelicum quo Chriſtus nutrit animas ad ſalutem, vitæ ſpiritualis & æternæ primum eſt principium, quo nititur fides, excitatur ſpes, charitas in fidelium cordibus accenditur. *Epheſ. 5.*

Ideo in Epiſcopi dotibus, Apoſtolus exigit ſcientiæ ſalutis, hoc eſt doctrinæ Chriſtianæ copioſam notitiam: *Amplectatur*, inquit, *eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere*, ad Tit. 1. 9. ideo ſuum erudiens prædilectum Timotheum, ſignatim ait, eſſe quidem debere Epiſcopum *prudentem, pudicum, hoſpitalem, ſobrium*, ſed ſuper hæc omnia neceſſariò requiri ipſum eſſe *Doctorem*, διδακτικὸν, id eſt aptum & expeditum ad docendum eo. Igitur ipſum Timotheum, igneis planè verbis ad hoc munus inſtanter obeundum ſtimulat ac impellit: *Attende*, inquit, *lectioni, exhortationi, doctrinæ, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Catenam hîc auream texendam mihi haud inane reor fore operæpretium, de hac Epiſcoporum primaria obligatione diuinæ ſpargendæ ſementis, ſeu Euangelij prædicandi, quo fidelibus à Paſtoribus ſuarum animarum pabulum exhibetur ad fomentum ſpiritualis vitæ. *2. Tim. 4.*

Apoſtolorum quæſo diſcipulos, Patres, & ſynodos, hoc de debito Epiſcopalis officij audiamus, &

I. S. Clemens B. Pauli adiutor, ac B. Petri ſanctiſſimus hæres lib. 2. Conſtit. Apoſtol. c. 20. *Oportet*, ait, *Epiſcopum peccatorum correptorem per admonitionem effici, iuſtitiæ ſcopum, præparatorum à Deo bonorum præconem, & futuræ in iudicio iræ nuncium*. Et lib. eodem c. 30. *Epiſcopus verbi miniſter eſt, ſcientiæ cuſtos &c. pietatis magiſter, &c. princeps & dux veſter.*

II. S. Dionyſius, ipſius B. Pauli alumnus chariſſimus, munus prædicationis doctrinæ Euangelicæ paſſim ait non eſſe quidem Pontificalis officij aliquantulam partem, ſed *ſubſtantiam ipſam Sacerdotij*, id eſt præcipuum munus functionis Epiſcopalis. *Noſtræ ſiquidem Hierarchiæ* (inquit) *eloquia eſſe diuinitùs tradita, & veram ſcripturarum ſcientiam.*

III. S. Ignatius epiſtola ad Polycarpum, Angelum illum Smyrnenſis Eccleſiæ, quem Ieſus triumphator mortis & inferni Rexque gloriæ, in Apocalypſi, ſine vlla reprehenſione, at multa cum commen-

datione ſalutat, c. 1. ℣. 8. potiſſimùm huius officij exequendi commonefacit; *Rogo* (inquit) *te, in gratia qua indutus es curſum tuum producas, & omnes admoneas vt ſaluentur.* Monitum hoc præcordiis Polycarpi altè defixum inſedit, nam ab ipſis edoctus Apoſtolis (ait auditor eius Irenæus, lib. 3. c. 3.) *docuit ſemper quæ ab eis didicerat, & valde ſenex glorioſiſſimo ac nobiliſſimo martyrio de hac vita exiuit.*

IV. S. Irenæus fundatam Apoſtolica prædicatione Eccleſiam: Epiſcopali quoque præconizatione conſeruatam & propagatam aſſeuerat: *Apoſtoli enim Epiſcopis ſui magiſterij locum reliquerunt, quibus ſcilicet ipſas Eccleſias committebant; & hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio & præconium veritatis ad nos vſque peruenit.* Et hæc (inquit lib. 3. c. 3.) *pleniſſima eſt oſtenſio, vnam & eandem fidem viuificatricem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis vſque nunc conſeruata eſt & tradita in veritate.*

V. S. Cyprianus glorioſus Martyr & Pontifex, potiorem officij ſui partem in prædicatione diuini Euangelij & eruditione populi ſui ſitam eſſe agnouit, idémque huic muneri perfungendo ſtrenuè ſemper incubuit; vnde librum ſuum ſic exorditur, de diſciplina & bono pudicitiæ: *Aliquas officiorum meorum partes non æſtimo præteriiſſe, dum ſemper enitor vel maximè quotidianis Euangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſcientiæ per Dominum incrementa præſtare. Quid enim aliud in Eccleſia Domini vtilius geri, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inueniri, quàm vt doctrina diuinorum per ipſum inſinuata, collatáque verborum poſſint credentes ad repromiſſum regnum venire cælorum: Hoc certè mei & operis & muneris quotidianum, votiuum negotium, abſens licèt obtinere connitor, & per litteras præſentiam meam vobis reddere conor; dum vos ſolito more allocutionibus miſſis in fide interpello, ideo conuenio, vt Euangelicæ radicis firmitate ſolidati, aduerſus omnia diaboli prælia ſtetis ſemper armati.* Hæc ſanctus ille Epiſcopus in feruenti perſecutionum ardore.

VI. Iuſtinus Martyr in fine Apologiæ ſuæ ſecundæ pro Chriſtianis, vbi ſacros eorum conuentus graphicè repræſentat, prædicationem Euangelicam primum omnium fieri ab Epiſcopo conſueuiſſe ſignatim meminit: *In omnibus*, inquit, *quas offerimus oblationibus benedicendo laudamus factorem omnium per filium eius Ieſum Chriſtum & Spiritum ſanctum. Et ſolis qui dicitur die*, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt in eundem locum conuentus fit, & commentaria Apoſtolorum & ſcripta prophetarum quoad tempus fert, leguntur: Deinde lectore quieſcente, præſidens orationem qua populum inſtruit & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohortatur, habet.* Deinde ritum Euchariſtiæ obiter (quia accuratiùs anteà expreſſerat) deſcribit, & reliquam enarrat pietatis Chriſtianæ diſciplinam. Eandem Conuentuum Chriſtianorum œconomiam, (in quibus à ſeniore præſidente *diſciplinæ diuinorum præceptorum inculcatio, exhortatio, caſtigatio, & cenſura morum fiebat*) recenſet Tertullianus in Apologetico pro Chriſtianis aduerſus gentes c. 39.

*Dicitur hæc dies Dominica, Chriſtiano more.

Quod ſi in mediis perſecutionum procellis Eccleſiæ Præſules, nullo metu à munere obeundo prædicationis Euangelicæ cohiberi potuerunt: nam mori maluerunt quàm tacere, eo quod officij ſui

Epiſcopalis præcipuam rationem in diuini verbi prædicatione ſitam eſſe certò ſcirent; haud mirum iam diuinô beneficiô, pace tandem Eccleſiæ conceſſa, ſi qui ſucceſſerunt in eorum cathedris, hoc opus ſibi præcipuum eſſe intelligentes, omnem curam & operam, vt miniſterium ſuum implerent, in ea re collocârunt, & opus Euangeliſtæ peregerunt: *Laborârunt* ſiquidem ſtrenuè, vt admonet Apoſtolus *in verbo & doctrina. In doctrina*, fidem aduerſus hæreticos ſcriptis eruditiſſimis ac eloquentiſſimis propugnando; *in verbo*, ſcilicet Euangelica prædicatione, Chriſti Eccleſiam, in dies fœtu nouæ prolis amplificando, fidelêſque in fide confirmando, *in iuſtitia & pietate erudiendo*, quemadmodum ex Concionum indiculis quas pro paſtorali ſuo munere ad populum habuerunt, quæ etiamnum extant in eorum monimentis operum, clarè patet, v. g.

S. Athanaſij Alexandr. Epiſc. hodiéque ſupereſt *Oratio contra idola; Quatuor orationes contra Arrianos, contra omnes hæreſes ſermo; alius in illud, Profecti in pagum inuenietis pullum*, homilia *de ſemente*, alia *de paſſione & cruce Domini*; alia *de ſanctiſſima Deipara Maria*, alia in illud Euangelicum, *Quicumque dixerit verbum* &c. Opera S. Cyrilli Hieroſolym. nihil aliud ſunt quàm Catecheſes Myſtagogicæ & parænetic æ. Inter opera S. Baſilij 11. homiliæ extant *in opificium ſex dierum, in Pſalmos* hom. 17. variorúmque argumentorum homiliæ 28. pietate, doctrina, & eloquentia præſtantes. Extant etiamnum S. Gregorij Nazianzeni *tres homiliæ de pace*, orationes *in dies feſtos ſeptem*, variorum argumentorum ſeptemdecim præter inſignem illam tragœdiam, cui titulus eſt *Chriſtus patiens*. S. Ambroſius incomparabilis ille Epiſcopus Mediolanenſis, ferè quotidie (vt refert ſanctus Auguſtinus oculatus teſtis & auritus, in Confeſſionibus ſuis) conciones ad Clerum & populum habebat, cuius officij monimento perenni ſunt 92. qui extant ad populum ſub diuerſis titulis ſermones, præter funebres orationes de obitu Valentiniani & Theodoſij Impp. de obitu Satyri, & de reſurrectionis fide. Libris de virginibus inſertæ leguntur ab ipſo habitæ in Eccleſia affines huic inſcriptioni Conciones, in híſque inſignis ſermo pronunciatus in Natali S. Agnetis Virginis & Martyris præclariſſimæ. S. Gregorij Niſſeni, B. Baſilij fratris Epiſcopi diſertiſſimi, plerique ſermones extant, ſcilicet de *Natiuitate Domini, de S. Stephano, de octo Beatitudinibus, de Paſcha, de Chriſti aſſumptione, de fide ſanctiſſimæ Trinitatis, de Baptiſmate, de Reſurrectione*, in dictum Domini *quatenus feciſtis vni ex his minimis, mihi feciſtis*: Item orationes encomiaſticæ *in 40. Martyres, in Gregorium Neocæſarienſem, in Baſilium, in Theodorum martyrem, in Baſilium, in Meletium, in Placillam, in Pulcheriam* &c. Amphilochius Iconij Epiſcopus præter librum de Spiritu ſancto, homilias quas habuit in Eccleſia non paucas litteris expreſſas piæ poſteritati reliquit. Tractatus S. Gaudentij Brixienſis, de variis inſcripti argumentis, nihil aliud ſunt quàm paſtorales ad populum declamationes, v. g. *de dedicatione Baſilicæ, de Paſcha, de Machabæis Martyribus, de promiſsione paracleti, de villico iniquitatis, de lectione Euangelij*. Inter Chriſtianos Oratores S. Ioannes Chryſoſtomus Con-

ſtantinopolitanus Epiſcopus, ſibi præcipuum decus nominis meritò comparauit. Media ſaltem pars eius operum, quæ totius pietatis & eloquentiæ refertiſſima ſunt promptuaria, homiliarum titulis inſigniuntur, nam nunc vſque extant homiliæ eius 67. in Geneſim; porro 26. in Pſalmos, in varia loca veteris Teſtamenti 52. in quibus quinque ſunt de viſione Iſaiæ; in Matth. hom. 27. in eundem operis imperfecti hom. 54. in varia loca veteris Teſt. 52. ex quibus 5. ſunt de viſione Iſaiæ: item in Matth. hom. 89. in eundem operis imperfecti hom. 54. in Marc. 14. in Lucæ varia loca 7. in Ioannem hom. 87. aliæ 6. in varia loca eiuſdem, in acta Apoſtolorum 52. de laudibus Pauli nonnullæ, & quædam aliæ in diuerſa eiuſdem loca; Commentaria per homilias in omnes Epiſtolas eiuſdem Apoſtoli, *ad populum Antiochenum hom. 80.* De *pœnitentia ſermones 12. Aduerſus Iudæos & hæreticos ſerm. 15. contra concubinarios ſerm. 2. variorum argumentorum ſerm. 48.* Floruit eodem tempore Seuerianus Epiſcopus Gabalenſis, qui eximiâ cùm præſtaret eloquendi ad populum facundiâ, perſæpè à S. Ioanne Chryſoſtomo & Arcadio Imperatore ad ſermones habendos in Eccleſia Conſtantinopolitana inuitatus eſt, vnde B. Chryſoſtomo agente apud Epheſum pro ſpeculatione Eccleſiaſtica, Seuerianus ille tantùm ſua eloquentia apud Clerum & populum Regiæ Vrbis valuit, vt ipſius Chryſoſtomi non ſolùm repleret locum, ſed dicendi copiam, docendíque ſolertiam & felicitatem ferè æquiparare videretur; qua ex gloria intumeſcens, S. Chryſoſtomo nonnihil negotij faceſſiuit. Excellebat hic Seuerianus arte rhetorica, qua & alius, nomine Antiochus, Ptolemaidis in Syria quoque Antiſtes, Conſtantinopolim veniens, & habendis concionibus ad populum à Chryſoſtomo adhibitus, magnum ſibi nomen pepererat, adeo vt alter Chryſoſtomus vulgò appellaretur; qui congeſtis inde opibus ſuam ad ſedem rediit: at Seuerianus eius exemplo excitus, in vrbem regiam vbi conuolâſſet, paríque honore à S. Chryſoſtomo exceptus, ab ipſóque proficiſcente in Aſiam vice ſui relictus Conſtantinopoli, vt ibi officium prædicationis exerceret, pleraque aduerſus eum ex inuidia molitus eſt, nec deſtitit, fouendo Imperatricis odio aduerſus ipſum Chryſoſtomum inuigilans, donec conflata inimicorum Epiſcoporum conſpiratione, eundem ſede ſacra deturbaſſet & extra vrbem eieciſſet. Et erit hîc fortè qui Chryſoſtomum non ſatis oculatæ mentis perſtringat: cur enim externum hunc hominem, & propriæ Eccleſiæ adminiſtrationi deuinctum, habendis ſui loco concionibus in vrbe regia admouit, cùm præſto eſſent plerique ex ſacro ordine viri ſcripturarum periti & eloquentia præſtantes, quibus hoc munus abſque eiuſmodi periculo facilè demandare poterat? ſed non abſque cauſa ſanctus Chryſoſtomus opera huius Seueriani, & antea præfati Antiochi vſus eſt in hoc obeundo munere: nam hoc Epiſcopale onus præcipuum cenſebatur, igitur vice ſui committendum viro Epiſcopali dignitate prædito, quòd inſolitum eſſet Conſtantinopoli inferiores Epiſcopo Clericos, officio prædicationis defungi: Addito

viri

viri malitiam, nam eius odium qui ſemper Chryſoſtomi ſe amantiſſimum oſtenderat, haud potuit Chryſoſtomus præcauere. Nec enim tantum eloquentia ſua ille Seuerianus Auguſtæ, aulicis, populóque adeo placuerit, ſed aſſentationibus ſuis, blandiendi etenim artes mirificè callebat; Amârunt ſemper homines (rectè ait S. Auguſtinus) *veritatem lucentem, oderunt redarguentem:* Seuerianus ſuis auditoribus admodum blandiebatur, mellitiſque verbis Eudoxiam, Proceres & plebem vniuerſam demulcebat. At S. Ioannes Chryſoſtomus Ioannis Baptiſtæ ſpiritum ſequebatur: clamabat, obiurgabat, ad pœnitentiam ſeriam populum ſuum impellebat, nec ſæculi poteſtatibus adulabatur; idcirco primo die quo in Pontificali Cathedra præſente Imperatore Arcadio, multiſque Epiſcopis, & proceribus, frequentíque Clero & populo ſummo cum honore collocatus fuit, ſic ſequentem ad eos ſermonem exorſus eſt: *Nos qui ineffabilibus Dei rationibus, ideo ad vos venimus, vt voluntatem eius teſtificemur, hoc primum verbum à Chriſto & diuino eius Præcurſore accipientes annunciamus & ſuademus. Pœnitentiam agite, propè eſt regnum cælorum; hæc neminem reuerentes neque dies timentes ad vos loquemur.* Stetit verbis vir ille ſanctiſſimus, vnde *præco pœnitentiæ* meruit appellari. *Apud Surium.*

Onus illud prædicationis, quod Epiſcopale imprimis eſſe nouerat S. Auguſtinus, tametſi bello à ſe indicto cunctis hæreticis ſemper implicitus, nunquam tamen ſuſtinere prætermiſit: ſiquidem præter multos polemicos tractatus, quibus maiori ex parte, operum eiuſdem inſignis Eccleſiæ Doctoris collectio conſtat; extant libelli plerique didaſcalici, quibus Chriſtianæ plebis mores ad gnomonem diuinæ legis efformabat: At inſuper ſermones propè innumeri, quibus viuæ vocis oraculo auditores in Eccleſia fidelis Paſtor inſtruebat. Sanè tractatus in Ioannem meræ ſunt conciones ab eo, è cathedra pronunciatæ, & ſubinde litteris ad poſterorum eruditionem conſignatæ, ſic & tractatus 10. in 1. epiſt. S. Ioannis. At Tomus 10. operum ipſius ſancti Doctoris, eius ad populum documentis è ſuggeſtu prolatis totus conſtat; in eo ſunt enim hom. 64. de verbis Domini; 35. *de verbis Apoſtoli;* Item 50. *homiliar. liber; de Sanctis hom.* 51. *ſermones* 2. *de communi vita Clericorum;* De quorum omnium ſinceritate, vix dubium vllum eſſe poteſt. Prodierunt tandem ſermones nuper excuſi ex Carthuſia Pariſienſi; & ſermones 128. recèns inuenti, quos ipſius eſſe S. Auguſtini genuinos fœtus hac ratione conſtat, quòd vel in indiculo Poſſidij cenſentur, vel à Beda citantur, ſed adeo graues & docti ſunt, vt ſtylum & ſpiritum ipſius ſancti Auguſtini planè redoleant, atque ab emunctæ naris cenſoribus tanto auctore digniſſimi exiſtimentur: ſicut plerique ex *ſermonibus de tempore*, qui eodem tomo continentur. Cæterum ex tanta copia concionum ſatis fit cuique perſpectum, quanta cum pietatis inſtantia, ſanctus ipſe Epiſcopus, prædicationi verbi Dei ad diuinæ Maieſtatis gloriam & Eccleſiæ ædificationem, populíque vtilitatem incubuerit, qui ſanè tot tantáque huius ſtrenuæ exercitationis reliquit monimenta, vt ſi nihil aliud

nobis ſui ſtudij & laboris reliquiſſet, hoc vel titulo iure promeruiſſet inter præcipuos Eccleſiæ Catholicæ doctores connumerari; ſiquidem tanto ſunt numero, eóque Chriſtianæ doctrinæ & diſciplinæ ſplendore micant, vt illum iis dicendis, ſcribendíſque crederes totum impendiſſe tempus ſuum: nam tantum laborem vitæ longioris curſum potuiſſe ad cumulum implere; qui cætera eius opera ferè innumera non perſpexerit, non abs re arbitraretur.

Porrò ſub tanti luminis occaſum clarere cœpit S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis, qui pleroſque ſermones, luce Chriſtianæ veritatis conſpicuos, ardorem pietatis ſpirantes, ſacráque planè eloquentia refertos apud ſuos populares pro Epiſcopalis vigilantiæ officio pronunciauit, atque æternæ memoriæ conſignauit: Tituli ipſi patenti ſunt indicio, quanto zelo huic præcipuo muneri exequendo vir Deo plenus inſtiterit; nam etiamnum ſuperſunt, olim à Gennadio recenſiti, ſerm. 2. *de Aduentu Domini:* De *vigilia eius Natalis* 1. *In ipſo Natali Domini*, 6. *in Circumciſione Domini* 1. *in Theophania* 8. *in Quadrageſima* 17. *in ſolennitate Paſchali* 5. *in Litaniis de ieiunio* 1. *in ſolennitate Pentecoſtes* 3. *in Natali S. Stephani* 1. *in Natali S. Agnetis* 1. *in Natiuitate S. Joannis Baptiſtæ* 3. *in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli* 5. *in Natali S. Laurentij* 3. *in Natali ſancti Euſebij Vercellenſis* 2. *in feriis S. Michaelis* 1. *in Natali Sanctorum Martyrum Tauricorum* 1. *in communi Martyrum* 1. *de expoſitione ſymboli* 1. *de non metuendis carnalibus hoſtibus* 2. *de auaritia vitanda* 2. *de eleemoſynis largiendis* 2. *de hoſpitalitate* 1. *&c.*

Non diu pòſt emicuit inſignis ſanctitatis & ſacræ eloquentiæ glóriâ, Petrus Chryſologus Epiſcopus Eccleſiæ Rauennatenſis, cuius claræ manent 122. homiliæ, breues quidem, ſed diſertæ, Myſteriis Euangelicis, ſanctorúmque natalibus accommodatæ.

S. Leo cognomento Magnus, ſed merito & dignitate Maximus, Apoſtolicæ Sedi eodem tempore præfuit. cuius os in medio Eccleſiæ, Deus aperuit: vnde in œcumenica Synodo Chalcedonenſi, tot perſonuerunt Patrum illius doctrinam admirantium & collaudantium perhonorificæ acclamationes. Præter epiſtolas ad diuerſos, dogmaticas, decretales & paræneticas ac tractatorias, in quibus de rebus grauiſſimis ſingulari ſapientia ac eruditione agit: homilias eloquentiſſimas de præcipuis ſolennitatibus Domini & Sanctorum habuit & litteris expreſſit. De iis quod de S. Cypriani libris ſuo in Catalogo virorum illuſtrium dixit S. Hieronymus, non immeritò poteſt vſurpari, *Superfluum eſſe harum indicem texere, cùm ſint ipſo meridiano ſole clariores.* Præcellunt in iis tamen *ſerm. 19. de paſſione Domini*, in quibus exhauſiſſe videtur, quicquid de tanto myſterio humana mente concipi, aut lingua quantumuis diſertiſſima exprimi poteſt: vnde Trithemius in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, de eo non inſcitè dixit, *Vir fuit in ſcripturis diuinis eruditiſſimus, & in declamandis homiliis ad populum adeo celebris & facundus, vt ſuperiorem Eccleſia Romana habuerit neminem: quod ſermones eius clariſſimi teſtantur. Fuit Eccleſiaſticæ dictionis Tullius, ſacræ Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, auctoritatis*

Apoſtolicæ Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus; eius ſermones cor penetrant, afficiunt animum, fidem Catholicam dulci breuiloquio confirmant. Nec mirum! Ignem diuini amoris geſtans accenſum in pectore, quid aliud quàm ardentia verba loqueretur?

S. Gregorius, ſuppari gloria ſequitur cognominis, dignitatis & meriti: eius extant ſucco refertæ eximiæ pietatis & doctrinæ, 40. *homiliæ in Euangelia*, quibus præcipua myſteriorum fidei ſolennia complexus eſt, documentáque organo Spiritus ſancti (qui in ſpecie columbæ hæc in eius aurem influere non ſemel viſus eſt, à Petro eius Diacono) digniſſima fidelibus enunciauit. Libri 38. Moralium in Iob, *ex Concionibus conferti ſunt, quas ad populum habuit*; Item *expoſitio in ſeptem pſalmos pœnitentiales.* Porrò cùm infirmitatibus pleriſque grauaretur, & podagra præſertim ſanctus hic Pontifex laboraret, nec poſſet ipſe ad populum quas diſpoſuerat conciones perorare, aliquando Diaconi, aliquando etiam Notarij vicariâ operâ vtebatur, vt vocis eorum oraculo homiliæ, quas eis ſcribendas dictauerat, publicè in Eccleſia nomine ſuo recitarentur, quemadmodum ipſe inſinuat in prologo ſuper homilias ſuas in ſacro-ſancta Euangelia, quin & S. Bernardus lib. 2. de Conſid. ad Eugenium PP. c. 9. hoc notatione imprimis dignum de ipſo beatiſſimo Pontifice commemorat: *O'ſidio vrbi, & barbaricus enſis ciuium ceruicibus imminebat; nunquid tamen iſtud terruit Beatum Papam Gregorium, quominùs ſapientiam ſcriberet in otio; eo namque temporis &c. obſcuriſſimam & extremam partem Ezechielis, tam diligenter quàm eleganter expoſuit.* Sacra Tridentina Synodus œcumenica præcipit Epiſcopis, *vt diebus Dominicis & feſtis, maioribúſque ſolennitatibus populo verbum Dei per ſeipſos annuncient, ſeu ſaltem per Sacerdotes idoneos, ſi ipſi legitimo quodam impedimento diſtineantur.* Arripiunt plerique præſules hanc poſtremam clauſulam, ſéque negotiis grauiſſimis implicitos non poſſe defungi aiunt per ſe prædicationis officio. At quæſo ab eis, ſi pluribus maioribúſque negotiis præpediantur, ab hoc obeundo præcipuo ſuæ diſpenſationis munere, quàm S. Gregorius, B. Leo aliíque ſummi Pontifices, qui orbem vniuerſum humeris ſuis impoſitum perferebant, quàm S. Auguſtinus aliíque ſanctiſſimi Epiſcopi, quibus perpetuus erat cum hæreticis conflictus, imminebat à barbaris quotidianum mortis periculum; quíque ſcribendi, docendi, prædicandi nihilominus ſtudio, infatigabili labore incumbebant? nunquam tamen de impedimento paſtoralis officij huius præcipui querebantur.

Dicent fortaſſis, ſanctiſſimos hos Patres exercitationis gratia hoc feciſſe, non quòd ſe obſtrictos crederent huic per ſe muneri ſubeundo. At contrarium facilè apparebit, ſi rationum momenta quibus ſe deuinciri huic officio perſonaliter exequendo cenſebant, ipſorum ex dictis expendamus.

1. S. Cyprianus ſuo iam tempore queritur, ſerm. 5. de Lapſis, *plures tum Epiſcopos* (quos ornamento cæteris eſſe oportebat & exemplo) *diuina diſpenſatione contempta, curis ſe ſæcularibus immiſcere*, CATHEDRA

RELICTA, *plebe deſerta, quam vitæ æternæ verbo, vero animarum cibo paſcere, credito ex officio obſtringuntur.*

II. S. Hilarius lib. 6. de Trinitate, *Studij*, ait, *mei & officij neceſſitate, hoc, Eccleſiæ Epiſcopus, prædicationis Euangelicæ munus debeo.* Spectauit profectò ſanctus hic antiſtes ad hæc verba Apoſtoli, 1. Cor. 9. 16. *Væ mihi niſi euangelizauero, neceſſitas enim mihi credita eſt.* Hinc enim Patres & Theologi colligunt, graui præcepto Apoſtolis præceptum fuiſſe à Chriſto *vt euangelizarent & docerent omnes gentes*, Matth. 28. 20. Marc. vlt. adeo vt ſi neglexiſſent euangelizare, peccaſſent mortaliter. Væ igitur negligentibus hanc potiſſimam partem implere miniſterij ſui, Apoſtolorum ſucceſſoribus, id eſt Epiſcopis, ideo Apoſtolus intonat quod iram Dei, & gehennæ perennis ſupplicium importat. Eodem præcepto ſub eadem interminatione Epiſcopi & Paſtores in iure canonico obſtringuntur. hinc gloſ. *Criminis* in can. *plus tacet* diſt. 25. notat quòd taciturnitas in Prælato eſt peccatum mortale. idem habetur in can. *Si rector* diſt. 43. hócque probat inductione Card. de Turrecremata, ibid. & Anton. in cap. *inter cætera* de *officio ordin.* Nec valet effugium eorum qui ſatis facere eos putant, qui curant per alios negligentiam ſuam ſuppleri, remoto enim legitimo impedimento, ſtricto iure ad hoc opus quod præcipuum eſt paſtoris, Epiſcopi obligantur, vt ex Concilij Tridentini definitione conſtat, ſeſſ. 5. can. 2. de reform. & ſeſſ. 24. c. 4. de eadem reform. *Vocem enim mercenarij oues libenter non audiunt*, ſed *vocem agnoſcunt paſtoris, & audientes illum ſequuntur*, Ioan. 10. Cæterùm non eſt cur ſeueriùs agi quiſpiam cauſetur cum Epiſcopo, illum reum fieri grauis culpæ, neglectu prædicandi, aſſerendo: ſiquidem grauitas materiæ tam graui illum piaculo obnoxium facit; nam in hoc debito ſita eſt formalis ratio officij paſtoralis. Adde quòd prædicatio verbi Dei eſt cibus animarum, quæ ſi deficiat, perire illas neceſſe eſt, idcirco can. *Epheſiis* diſt. 43. *Paſtor qui tacet, & oues ſuas pabulo verbi Dei, quod eſt vita animæ, non reficit, eas occidit.* inde minatur Deus per Amos c. 8. *Ecce dies veniunt & emittam famem in terram, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei.* Iræ igitur Dei ſignum eſt, iſta prædicationis inopia. At qui iræ Dei ſeruiunt, *virgæ furoris* eius appellantur; his verò maledictio intentatur Iſaiæ c. 10. *væ Aſſur, virga furoris mei!* ſed alios Patres audiamus.

III. S. Ambroſius lib. officiorum c. 1. de ſe & reliquis Epiſcopis hanc inſignem profert ſententiam, *Effugere non poſſumus* (inquit) *officium docendi, quod nobis refugientibus impoſuit Sacerdotij neceſſitudo.* verbis illis ſcilicet expreſſa Apoſtoli, *væ mihi niſi euangelizauero.* At paulò antè idem S. Ambroſius ea de lege loquens diffuſiùs, *Nos* (ait) *quibus in verbis diuinis credita eſt diſpenſatio, quíque Chriſti gregem nutriendum ſuſcepimus, non ſine ingentis piaculi noxa nos credimus euaſuros &c. Si minimè prædicamus: ad quod licèt nos retardet vitæ improbitas, inuitat tamen præcepti neceſſitas. Et væ iam mihi eſt, ſi minimè prædicauero, ſi ſuſceptum theſaurum defodero & occuluero, verbi diuini lucernam compreſſam retinuero, non cunctorum oculis manifeſtauero, non humanæ imperitiæ clauſtra regni cœleſtis reſerauero.*

IV. S. Ioannis Chryſoſtomi innumera hîc poſſem congeſtum ire monita, quibus quàm arcta hæreat Epiſcopo prædicandi neceſſitudo, docet & inculcat. At vnum dumtaxat è millibus inſigne eius hac de re pronunciatum, depromptum ex hom. eius 44. in Act. Apoſtolorum ad cap. 20. vbi expendens vltima hæc Apoſtoli ad Epheſios verba; *Vos ſcitis quomodo nihil ſubtraxerim vtilium quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos teſtificans Iudæis atque gentibus in Deum pœnitentiam & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. non facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodò conſummem curſum meum & miniſterium verbi quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei &c. quapropter conteſtor vos hodierna die quia mundus ſum à ſanguine omnium. Nec enim ſubterfugi quominùs annunciarem omne conſilium Dei vobis.* Ad hæc ſiquidem Apoſtolica verba, annectit hoc inſigne gloſſema beatus ipſe Chryſoſtomus: * *Mundus ego ſum à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi annunciare vobis omnem voluntatem Dei. Vides quomodo terret? Bene, quia neceſſarium erat. Igitur qui non docet reus eſt ſanguinis, hoc eſt cædis. Nihil hoc terribilius? oſtendit quod & illi, niſi hoc faciant rei ſunt ſanguinis. Et videtur quidem rationem reddere &c. Attendite igitur vobis & gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, vt paſcatis Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit per proprium ſanguinem,* * *vide quantam neceſſitatem, à Spiritu ſancto ordinationem habetis? vt paſcatis Eccleſiam Dei. Bene dixit, attendite, oſtendens rem eſſe perquàm neceſſariam. Eccleſia enim eſt, & magnum periculum.* Et infrà, ait hoc ſolum videri paſtoris debitum, *Annunciare, prædicare, docere.* Ideo abbreuiator Chryſoſtomi Theophylactus, in c. 1. ep. ad Titum, abſolutè neceſſariam aſſerit eſſe Prælato diuinæ legis ſcientiam. *Doctrina enim eſt* (inquit) *propria virtus & character Epiſcopi, quamobrem Apoſtolus ibidem ante omnia requirit, vt qui ad Epiſcopatum promouetur, amplectatur qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari; &c.* quò ſpectat & illud Sancti Hilarij lib. 8. de Trinitate, *ſumma omnium virtutum Epiſcopalium, eſt ſcientia & doctrina &c.* Sed quoſdam adhuc ſanctos Patres, de hoc præcipuo Epiſcopi officio audiamus.

* Ὅτι καθαρός εἰμι ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων, οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. ὁρᾷς πῶς [illegible] ὅτι ἀναγκαῖον ἦν. &c. ἄρα ὁ μὴ λέγων, ὑπεύθυνός ἐστι τοῦ αἵματος πάντων, τῆς σφαγῆς. οὐδὲν τούτου φοβερώτερον. δείκνυσιν ὅτι κἀκεῖνοι εἰ μὴ ποιῶσιν ὑπεύθυνοί εἰσι τοῦ αἵματος, καὶ δοκεῖ μὲν ἀπολογεῖσθαι, &c.

* Ὅρα πόσην ἀνάγκην, παρὰ τοῦ πνεύματος τὴν χειροτονίαν ἔχετε· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἔθετο. μία αὕτη ἀνάγκη. εἶτα ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, &c.

V. Sanctus Hieronymus temporis ſerie hîc nobis occurrit: qui quæſtione ſuppoſita, *quis commendatione dignior? num qui ſanctitate morum præſtat, ſed doctrina deficit, & bene operando ſilet? An qui non ita exemplo valet, ſed eloquio proficit ac ſcientia ædificat?* Sapienter & præclarè reſpondet, *Innocens & abſque ſermone conuerſatio quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet. Nam latratu canum, baculóque paſtoris luporum rabies deterrenda.* Et prologo in Biblia, *Sancta ruſticitas* (inquit) *ſolùm ſibi prodeſt, & quantum ædificat vitæ merito, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.* Et ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, ſcribit *tantam ſub lege veteri* (quæ figura fuit nouæ) *eſſe debuiſſe Pontificis eruditionem, vt eius & greſſus & motus & vniuerſa vocalia ſint, veritatem mente concipiat, toto habitu reſonet, quicquid agit aut loquitur, doctrina ſit populorum, abſque tintinabulis enim, nec ſancta ingredi poſſe, nec Antiſtitis nomen poſſidere.*

VI. S. Auguſtinus, S. Paulino Nolano Epiſcopo dignoſcere vo-

lenti, quid inter Paſtores & Doctores interſit, quos inter gradus & ordines Eccleſiæ à Domino conſtitutos Apoſtolus recenſet Epheſ. 4. reſpondit ep. 59. q. 4. eoſdem ſibi videri; *Quoſdam* enim ait Apoſtolus, *dictos eſſe Apoſtolos, alios prophetas, alios Euangeliſtas:* ſed ſine vlla differentia *paſtores & Doctores* nominauit, vt non alios paſtores, alios doctores nos intelligamus, ſed ideo cùm prædixiſſet paſtores, ſubiunxiſſe doctores, vt intelligerent paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam. Abſurdum igitur cenſuiſſet S. Auguſtinus, Eccleſiæ indecorum, & negligentibus officij præcipuum opus, periculoſum; Paſtorem & Epiſcopum reperiri qui plebem ſibi commiſſam ore proprio non doceret, ſed retento paſtorali nomine & honore, hoc onus quod Epiſcopi primarium eſt, adeóque præcipuum, in inferiorum humeros quaſi aut nimis graue, aut Epiſcopali dignitati minus conueniens reiiceret.

ep. 59. q. 4. tom. 2. p. 214.

VII. S. Gregorius lib. 1. ep. 24. differens de Sacerdotis ſummi in tabernaculum ingreſſu; *Sacerdos*, inquit, *tabernaculum ingrediens tintinabulis ambiri præcipitur, vt prædicationis vices habeat, ne ſuperni ſpeculatoris iudicium ex ſilentio offendat; Audiatur* (ait Moyſi Dominus) *ſonitus quando ingreditur vel egreditur ſanctuarium, in conſpectu Domini, vt non moriatur, Sacerdos enim ingrediens & egrediens* (in ouile Domini) *moritur, ſi de eo ſonitus non audiatur, quia iram contra ſe occultè iudicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicationis incedit.* Idem ſanctus Pontifex part. 2. ſui Paſtoralis c. 4. accumulatis Scripturæ ſacræ vtriuſque Teſtamenti pleriſque auctoritatibus, ductíſque hinc ſolidiſſimis argumentis, apertiſſimè demonſtrat, Paſtorem iure diuino & ex intrinſeca formalíque paſtoralis officij ratione ad opus prædicationis aſtringi, déque ſalute ſua grauiter periclitari, ſi hoc humanæ ſalutis præcipuum miniſterium, gregi ſibi commiſſo exhibere paruipendat, & quouis vmbratili prætextu à ſe amoliatur. Quod inſigne S. Gregorij documentum igneo ſanè pectore conceptum, verbíſque potiùs Angelicis, quàm humanis expreſſum, tanti Eccleſia fecit, vt licèt nonnihil prolixum, Codici ſui iuris ſeriatim intexuerit, decreti 1. part. diſt. 43. n. 1. can. *ſi rector*, &c.

Sed iam quia in Canonum mentionem incidimus, paululùm hunc in tramitem, obſecro, digrediamur. Apoſtoli in canonibus ſuis can. 77. & 78. oculo quidem orbatum, aut femore oblæſum hominem, aliàs Epiſcopatu non indignum, effici permittunt Epiſcopum: cæcum verò, aut ſurdum, vel mutum ab Epiſcopatu repellunt quamuis vitio aliquo non pollutum. Vt quid tanta diſtrictio pro ſimplici imperfectione corporali? quæ (vt ibidem inquiunt) animam non inquinat? niſi quod ſi cæcus fuerit ſacris operari nequeat, ſi ſurdus pœnitentium reconciliationi incumbere non valeat, ſi mutus prædicationis officium, quod imprimis debet Clero & populo ſuo, impendere non poſſit. Inde eſt quod can. 58. decernunt, Epiſcopum qui ſui muneris oblitus, populum non docet, ſegregetur, & ſi in ſocordia perſeuerat, deponatur. Tantum verò abeſt vt primitiuæ Eccleſiæ

politia indulſerit Epiſcopis, ab officio prædicandi pro libito abſtinere; quòd è contra canon, *ſcimus autem.* n. 3. prædictæ diſt. 43. prohibeat Epiſcopis, ſubtrahere ipſis perſecutoribus Eccleſiæ verbum prædicationis, ex ſcitis Anacleti Papæ & Martyris depromptis *. In Quiniſexta Synodo can. 19. hoc titulo conſtat; Epiſcopi diebus omnibus præcipuè Dominicis docere populum debent. digna eſt profectò hæc ſanctio, quæ hîc verbatim referatur: hoc igitur tenore ſeſe habet. *Quod oportet eos qui præſunt Eccleſiis, in omnibus quidem diebus, ſed præcipuè Dominicis, omnem Clerum & populum docere, pietatis ac rectæ religionis eloquia, ex diuina ſcriptura colligentes intelligentias & iudicia veritatis, & non tranſgredientes iam poſitos terminos, vel diuinorum patrum traditionem.* Sed VII. Synodi œcumenicæ can. 2. nulla ratio patitur hîc ſub ſilentio præterire, qui ad rem quæ vertitur totus ſpectat, hac contextus ſerie, qua & refertur diſt. 38. can. *Omnes pſallentes. Decernimus quemlibet quidem, qui ad Epiſcopalem gradum eſt prouehendus, pſalterium omnino noſſe, vt ex eo omnem quoque ſuum Clerum ita initiari moneat. A Metropolitano autem bene examinari, an ad ſacros canones diligenter, ac cum perſcrutatione, non autem curſim obitérque legendos, prompto, paratóque ſit animo,* ET SACRVM *etiam* EVANGELIVM & LIBRVM DIVINI APOSTOLI, *omnémque diuinam ſcripturam, & in diuinis præceptis verſari,* & POPVLVM DOCERE. *Noſtræ enim hierarchiæ* SVBSTANTIA SVNT ELOQVIA DIVINITVS TRADITA: *diuinarum ſcilicet ſcripturarum vera ſcientia,* ſicut & magnus Dionyſius oſtendit: *Siquis autem dubius fuerit animi, & non libenter hæc facere, & docere voluerit, non ordinetur. Propheticè enim dicit Deus: Tu repuliſti ſcientiam, & ego te repellam, ne ſis mihi Sacerdos,* Oſeæ 2. Meritò igitur Symmachus Papa in VI. Romana Synodo, ſic Epiſcopos tam præſentes quàm futuros impendentis extremi periculi ex officij prædicationis neglectu, ſeuerè, ſed verè equidem, admonebat; *Væ erit nobis, qui miniſterij onus ſuſcepimus, ſi Domini veritatem, quam Apoſtoli prædicauerunt, prædicare neglexerimus. væ nobis, ſi ſilentio veritatem oppreſſerimus, quam nummulariis erogare, id eſt populum docere iubemur! Quid in futuro Chriſti examine dicturi ſumus, ſi ſermonum eius veritatem prædicare confundimur? Quid erit nobis cùm de commiſſis animabus & officio ſuſcepto rationem iuſtus index exegerit? Ideo nos ſemper oportet nociua reſecare, profutura exigere, obiurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſolando, prodeſſe. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, prauis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur, vt quia Doctores dicimur viam ſalutis gradientibus oſtendamus, ſimus in cuſtodia vigilantes, aditus contra hoſtis inſidias ſolliciti muniamus, vt ouem perditam & de commiſſis gregibus errore abductam, toto niſu ad caulas Dominicas reuocantes, de Paſtoris nomine quod habemus, præmium non ſupplicium conſequamur.* Eodem ſpiritu Nicolaus & ipſe Pontifex Apoſtolicæ Sedis, can. final. (ex ep. ad Michaelem Imp. cuius eſt initium, *Propoſueramus*) diſt. 43. eloquitur. *Diſpenſatio* (inquit) *eſt nobis cœleſtis ſeminis iniuncta, væ ſi non ſparſerimus: væ ſi nos tacuerimus. quod cùm vas electionis formidet & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum eſt? Proinde ſicut non leue diſcrimen incumbit*

Anacl. Epiſt. 1. ad omnes vbique Epiſc.

Pontificibus ſiluiſſe pro diuinitatis cultu & Eccleſiæ correctione, quod congruit: ita iis (quod abſit) non mediocre periculum eſt, qui cùm debeant parere deſpiciunt. Hoc debitum prædicationis alta mente reuoluentes Patres Concilij Toletani XI. quod anno 675. ſedente Adeodato ſummo Pontifice habitum eſt, hunc can. qui 2. eſt ſerie ediderunt, Quòd neceſſe ſit Epiſcopum prædicare, & ab aliis curis ceſſare. *Quantum quis* (aiunt) *præcelſi culminis obtinet locum, tantum neceſſe eſt præcedat gratia meritorum, vt in eo quod præſidet ſingulis, ſingulariter ornetur eminentia ſanctitatis:* HABENS SEMPER ET IN ORE GLADIVM *veritatis, &* IN OPERE *efficaciam luminis, vt iuxta Apoſtolum potens ſit exhortari in doctrina ſana & contradicentes reuincere. Nos proinde noſtri ordinis gradum, vel ſuſcepti regiminis modum magnopere cogitare debemus,* VT QVI OFFICIVM PRÆDICATIONIS SVSCEPIMVS, *nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorundam mentes Pontificum ita corporis * otio, à lectionis gratia ſecluduntur, vt quid doctrinæ gregibus ſubditis exhibeat non inueniat* PRÆCO MVTVS. *Inſiſtendum ergo ſemper erit maioribus,* (id eſt Prælatis) *vt quos ſub regiminis ſui cura tuentur, fame verbi Dei perire non ſinant.* Quo in canone verba iſta, *vt qui officium prædicationis ſuſcepimus*, ſpeciali ſunt expenſione digna. Spectarunt profectò illi Patres ad Pontificalis ordinationis ritum. Ante omnia ſiquidem iuxta Concilij VII. generalis ſuprà citatum decretum, promouendus ad Epiſcopatum, ab Antiſtite Conſecratore hunc in modum compellatur. *Antiqua ſanctorum Patrum inſtitutio docet & præcipit, vt is qui ad Epiſcopalem ordinem eligitur antè diligentiſſimè examinetur, &c. Eadem itaque auctoritate & præcepto interrogamus te dilectiſſime frater, charitate ſincera, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, diuinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris?* Poſtquam annuit electus, perſequitur ordinator Pontifex: *Vis ea quæ ex diuinis ſcripturis intelligis, plebem cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis?* ℟. *Volo.* Deinde pro eo ſic Pontifex orat. *Sint ſpecioſi tuo munere pedes eius ad euangelizandum pacem, ad euangelizandum bona tua. Da ei Domine verbum reconciliationis &c. Sit ſermo eius & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & veritatis.* Poſtquam verò illum inunxit, & annulo ac baculo inſigniuit, accipit librum Euangeliorum de ſcapulis conſecrati *, & adiuuantibus eum ipſis Epiſcopis aſſiſtentibus, tradit eum clauſum conſecrato, tangenti illum ſine apertione manuum: dicens ACCIPE EVANGELIVM ET VADE, PRÆDICA POPVLO TIBI COMMISSO, *potens eſt enim Deus vt augeat tibi gratiam ſuam. Qui viuit & regnat &c.* Demum conſecrator recipit conſecratum ad oſculum pacis &c.

* *corporis*

* In lib. Sacram. S. Greg. prima rubrica ſic habet, *Epiſcopus cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum Codicem ſuper caput eius.*

AR-

ARTICVLVS II.

An caſus, cauſæque aliquot legitimæ ſubſint, quibus Epiſcopus fiat actualis huius obligationis expers?

HOc ex ritu igitur manifeſtè conſtat, Epiſcopum in ordinatione ſua officium Euangelicæ prædicationis ſolenni cæremoniâ ſuſcipere, hócque ſe functurum ex iniuncto ſibi Epiſcopalis Cathedræ debito, polliceri. Quod agnoſcens ſapientiſſimum Concilium Tridentinum, antiquos canones inſequendo, hac ſanctione edita ſub Paulo III. anno 1546. c. 2. Decreti de reformatione, Præſules officio huic perſonaliter obeundo aſtrictos eſſe declarauit, vtque actualiter exequantur, ſumma auctoritate ſanciuit: *Quia verò Chriſtianæ Reipublicæ* (ait ſacroſancta Synodus) *non minùs neceſſaria eſt prædicatio Euangelij quàm lectio,* ET HOC EST PRÆCIPVVM EPISCOPORVM MVNVS, *ſtatuit & decreuit eadem ſancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium.* Et ſeſſ. 24. celebrata ſub Pio IV. anno 1563. in decreto itidem de reform. c. 4. iterando idem præceptum, denuo ſic decernit: PRÆDICATIONIS MVNVS QVOD EPISCOPORVM PRÆCIPVVM EST, *cupiens ſancta Synodus, quo frequentiùs poßit ad fidelium ſalutem exerceri, Canones aliàs ſuper hoc editos ſub felicis recordationis Paulo III. aptiùs temporum vſui accommodando mandat, vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument &c. Saltem omnibus Dominicis & ſolennibus diebus feſtis: tempore autem ieiuniorum Quadrageſimæ & Aduentus, quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, diuinam legem annuncient, & aliàs, quotieſcumque id opportunè poſſe fieri iudicauerint.*

At ex exceptiua hac clauſula, *ſi legitimè impediti non fuerint*, plerique ſunt qui onus prædicationis facilè excutiant, ínque vicarios humeros paſſim deuoluant. Cauſantur enim ſe legitimo impedimento à prædicatione Euangelica, quam aliàs vltrò obirent, præpediri. Quod ſi verum eſſet, & ipſo rei obice, & Concilij ipſa lege, fateor iure excuſarentur. Verùm vt plurimùm prætextus eiuſmodi vmbratilis eſt, quicquid enim illis placet, pro impedimento obiiciunt, nec ſatis attendunt debere eſſe legitimum impedimentum, vt ab hoc præſtando officio, quod Epiſcoporum primarium & præcipuum eſt, iuſtè coram Deo & hominibus excuſari queant. Hos igitur, ſaluâ dignitatis reuerentiâ, qua in Eccleſia præfulgent, obſecro vt patres, & ſi velint vt principes, quatenus ſeriò recogitent ſi cauſa ſit legitima, quæ eos à pabulo præſtando ſuis ouibus (quod ſedulò præſtare debent) eos remoretur. Sanè legitimum dicitur quod iure conceſſum eſt & approbatum, vel antiqua conſuetudine receptum, gloſ. *Generalibus in Extrauag. ſuper Cathedram, de ſepulturis inter communes:* ſi impedimentum quo cohiberi ſe volunt à præcipuo ſuo munere exequendo eſt eiuſmo-

di, vadimonium quod quærunt non illibenter admitto, impedimentum enim iuſtum excuſat quemque ab eo, quod aliàs neceſſariò fieri debet, cap. *ordinarij* §. *Quod ſi forte* de *offic. ordin.* lib. *6.* Ad præfixum; igitur axioma iuris expendendum eſt, quo caſu iuſtè poſſint præſules, à prædicatione Euangelica excuſari?

Eſpencæus lib. 2. Digreſſionum &c.

Theologus quidam inſignis qui Concilio Tridentino interfuerat, de ipſius Concilij legis inobſeruantia, iam tunc profectò conqueſtus eſt. *Quid* (inquit) *emendationis ſperari poteſt à nobis, noſtra tam recens edita non obſeruantibus. Noui Epiſcopos etiam Græcè peritos, qui ſe vt ad iſtam docendi ſeruitutem demittant, ad iſtas ſordes deſcendant* (*generoſi ſcilicet & excelſi viri!*) *teneri perfractè negent, quòd cùm Epiſcopas aſſecuti ſunt, mos is non eſſet. Quaſi contra perpetuam Dei legem, vlla hominum præualeat deſuetudo? quos cùm omnis omnium temporum natura, ſcriptura, Eccleſia, Concilia, Pontifices, Cæſares,* * *ſuperi, inferi accuſent damnéntque, quis eſt qui abſoluat?* Hac ratione excluditur omnis excuſatio, quæ prætextu conſuetudinis ſeu potiùs deſuetudinis allegari poſſit.

* Nam de hac Epiſcoporum obligatione, in Caroli Magni & Ludouici Pij Capitularibus, Regúmque noſtrorum tam priſcis quàm nouis pragmaticis, plurima monita & decreta continentur.

Iam verò de iure ipſo videndûm. Sanè magnum illud Concilium Lateranenſe, quod præſidente Innocentio III. conſedit, ſanctionem ſpecialem edidit cap. *9.* de Prædicatoribus inſtituendis, cùm Epiſcopi prædicare non valent, cuius hoc eſt exordium: *Cùm ſæpe contingat quòd Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, ſeu occaſiones alias,* (*ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis eſt reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum*) *per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, &c.* Ex hac regula igitur inſpiciendum, num excuſatio quæ à Præſule obtenditur, legitima poſſit exiſtimari?

Diuerſa ſanè ſunt onera Epiſcopi, eáque grauiſſima; *Fluctus enim Epiſcopi animum concutientes* (ait S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio) *ventis mare conturbantibus crebriores, infeſtioréſque eſſe ſolent.* Et lib. *6. Si difficultates eas omnes* (inquit) *recenſere vellem, quas Epiſcopum tolerare oportet, nihil aliud erit, quàm maris altitudinem emetiri.* Dolebat vicem Epiſcoporum ideo S. Gregorius Nazianzenus, propter magnitudinem oneris, quod Angelis ipſis merito ſit formidandum, in orat. 150. ad Epiſcopos &c. hoc faſtigium itaque adeo periculoſum & inuidioſum eſſe dicit, vt arbitretur *neminem ſapientem læto animo pati poſſe, Epiſcopum creari.* Et rectè S. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. Dominicæ 2. poſt Paſcha, admodum ſibi aſſerit admirandum, *quomodo Epiſcopi poſſint cum aliquantulo gaudio viuere, cogitando onus grauiſſimum ac multiplex quod ſupra ſe portant.* Ideo S. Auguſtinus, *Nihil eſſe triſtius, miſerius, & periculoſius Epiſcopatûs officio* cenſebat, niſi cum ardenti charitate & ſedula ſollicitudine ac opera adminiſtretur; *Nihil verò eſſe laborioſius, ſi eo modo exerceatur quo Deus præcipit,* c. *Ante omnia.* Et ſanè multoculum eſſe Epiſcopum oportere S. Chryſoſtomus ſapienter admonebat. Siquidem vno in nomine officia pleraque continentur. Eſt enim Epiſcopus, pater, ſpeculator, paſtor, doctor, exemplar, & forma gregis commiſſi; dux, miles, præfectus, nauta, nutrix, agricultor, corre-

vbi ſuprà.

ctor, iudex, patronus, medicus, diſpenſator, œconomus; & vt vno dicam verbo, quo vniuerſa Apoſtolus officia generi humano ſalutaria complexus eſt, OMNIBVS OMNIA etenim *Omnia* (inquit) *omnibus factus ſum, vt omnes lucrifaciam. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quis igitur multiplices eſſe Epiſcopi occupationes, æquè poterit inficiari, ob quas eum per ſe poſſe ſemper præſtare opus Euangeliſtæ, nemo ſanus inficiatum ire poſſit. S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 5. graui monimento docet, Epiſcopum in ſua conſecratione ſe obligare ad ſtatum perfectionis, qui conſiſtit, vt animas ſibi creditas expurget, illuminet, inſtruat & ad perfectionem adducat, quem in finem grauiter peccat, ſi non animosè contendit ac modis omnibus enititur, nam ad hunc effectum omnia ſua & vitam ipſam debet profundere. Meritò igitur S. Carolus Borromæus cuidam Epiſcopo ſuccenſuit, qui ei ſcripſerat *ſibi parum negotij impræſentiarum occurrere;* hanc enim vocem vt Epiſcopo prorſus indignam, grauibus ad eum miſſis litteris, acriter latéque reprehendit. Fatendum reuerà, Epiſcopo graue onus diuerſiſſimaſque curas & occupationes impendere: & proinde ei licitum eſſe, imò pernecceſſarium quaſdam aliquando intermittere functiones, vt aliis incumbat. Dicit ordinando Epiſcopo conſecrator Pontifex, *Epiſcopum oportet iudicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare & confirmare.* Inſuper verò neceſſum eſt luſtrare diœceſim, Parochis ſuperintendere, Clerum & populum regere, propriam ſponſam nempe Eccleſiam perenni cura excolere, iura eius tueri, viduarum, orphanorum, pauperum defenſionem ac ſollicitudinem ſuſcipere, ſynodos diœceſanas celebrare, prouincialibus intereſſe, publicæ neceſſitatis cauſâ ad comitatum proficiſci, apud Regem, Proceres, vel Senatum intercedere, vt priuilegia Clericorum non lædantur, populus non opprimatur, defunctorum ſuprema vota impleantur, compeſcantur hæretici, Religio illibata conſeruetur, & id genus alia innumera, quæ non ſemel in vita, vel annis ſingulis agere, ſed quandiu ſpirat agere, vel conari neceſſum eſt. Et verò ſi viciſſim his at ſeriò incumbat officiis, abnuere noluerim ab actuali munere prædicationis poſſe non immeritò, ſed non ſemper, at aliquoties dumtaxat excuſari. Sed cùm apud me perpendo munus prædicationis, vt docet Tridentina ſynodus, *Epiſcopi eſſe munus præcipuum:* haud facilè patior perſuaderi, illorum officiorum concurſu, ipſum Epiſcopum penitus à præſtando Euangelicæ prædicationis officio fieri poſſe immunem; his enim occupationibus certis vicibus obeundis debere illum equidem reor incumbere, at quantocyùs poteſt, ad Euangeliſmi præconium, quod animarum vita eſt, tanquam munus ſuum præcipuum, redire, ſummo iure Epiſcopalis diſpenſationis obſtringi: vt enim dicit Dominus, *Illa* quidem *oportuit facere,* ſed *iſta* (vt pote quæ maioris ſunt momenti) *non prætermittere.*

1. Cor. 9.
2. Cor. 11.
Matth. 23. 23.

Addit Lateranenſe Concilium, *inualetudines corporales:* eundem caſum aſſignauit, cum cauſa legitimæ abſentiæ Concilium I. Mogun-

tinum, c. 25. *Si fortè Epiſcopus non fuerit in domo ſua, aut infirmus eſt &c. nunquam deſit tamen diebus Dominicis aut feſtiuitatibus qui verbum Dei prædicet &c.* Et Concilium Aquiſgranenſe II. c. 11. *Vt ſi fortè contigerit, aliquem Epiſcopum, tardiloquentem eſſe, aut infirmitate aliqua impeditum, habeat tamen miniſtrum doctum, qui eius vice pabula verbi diuini populo adminiſtrare poſſit* &c. Prouectam ætatem non ineptè quiſpiam infirmitati æquiparârit. Mutum verò tametſi Epiſcopum canones ab Epiſcopatu repellant, tardiloquentem tamen non excludunt, ſi de cætero qui vtilis Eccleſiæ reperiatur, dummodò in vicem ſui ſubſegat verbi diuini diſſeminatorem idoneum, quemadmodum pridem fecit Valerius Epiſcopus Hipponenſis, qui Auguſtino Preſbytero ſuo facultatem prædicandi ſuo loco conceſſit, quòd ipſe quum eſſet Græcus, minùs commodè Latino populo prædicare poſſet. Sic & Valerius Cæſarauguſtanus Epiſcopus propter linguæ impedimentum, officium ſanctæ prædicationis Vincentio Archidiacono ſuo delegauit, fortunatiſſimo delectu, hoc enim gradu Vincentius ad martyrium vſque conſcendit.

Poſſidius in vita S. Auguſtini c. 5.

Ex actis S. Vincentij. Breu. Rom. in eius Natali lect. 1. die 22. Ianuarij.

Deinde Lateranenſe præfatum Concilium inter legitima impedimenta varias occaſiones aſſignat, quæ nimirum expendendæ veniunt arbitrio boni viri, & Deum præ oculis ſuis, eo quo par eſt metu & reuerentia, habentis.

Denique ponit idem Concilium hanc cauſam: *Vbi adeo diffuſæ ſunt diœceſes, vt per ſe non par ſit Epiſcopus omnem populum prædicatione ſua inſtruere.* Cùm (inquit ſacra Synodus) *per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas diœceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone &c.* Qua ex ſanctione patet eam non fuiſſe mentem œcumenico illi Concilio, vt Epiſcopi propter amplitudinem propriæ diœceſis ab officio prædicationis eximerentur, ſed duntaxat vt propriis & alienis concionibus gregem creditum, quantumuis copioſum, verbo vitæ paſcerent, vicariâ enim illâ operâ vult ipſos ſubleuari, non autem exonerari; vnde ſubiungit de iis auxiliariis prædicatoribus, *quos habebunt Epiſcopi coadiutores & cooperatores*, &c. Quales ſcilicet ſub Apoſtolis fuiſſe 72. Diſcipulos Euangelium teſtatur, Pontiféxque in ordinatione Sacerdotum, conſimiles ſibi dari cooperarios ſupplex à Deo depoſcit. *Quapropter infirmitati noſtræ* (ait) *Domine, quæſumus hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus.*

Sed dux eſt verbi Epiſcopus, primus in acie huius militiæ debet, vt cæterorum imperator apparere: vt longè maiori auctoritate præſtat, ſic admodum efficaciori doctrinæ ſalutis præconio animas populi afficiet: *Magna virtus eſt* (ait S. Auguſtinus*) *nominis Epiſcopalis:* ideo ſummi Pontifices, etiam poſtquam in Occidente conſtituta eſt ſacroſancta Chriſti Religio, cùm ad extirpandas idololatriæ reliquias, vel barbaros mores amouendos, prædicatores deſtinabant paſſim, eos Epiſcopali conſecratione honorabant, non diœceſanos

S. Clement Conſt. Apoſt. l. 2. c. 26. in ipſo initio.

* *In actis cum Felice Manich. Tom. 6.*

creando Antiſtites, ſed regionales nuncupando Epiſcopos, quales pleroſque fuiſſe viros ſanctiſſimos, qui Euangelicis dogmatibus & præceptis Septemtrionales præſertim populos, Apoſtolico ore & ſpiritu imbuerunt, pleriſque locis noſtri Martyrologij conſignauimus.

Eadem ratione ſummi Pontifices inducti, quando loca quædam illuſtria, quibus tamen diœceſis non hærebat, inſigni aliqua prærogatiua decorare volebant: hoc ſolebant priuilegio eadem impertiri, vt non ſolùm incolæ exempti eſſent diœceſani Antiſtitis imperio, ſed inſuper ſpecialis ordinaretur eo in loco Epiſcopus, qui munus prædicationis Pontificali honore & auctoritate ſuffultus impleret. Sic Stephanus III. in diplomate conceſſo Fulrado Abbati Monaſterij S. Dionyſij prope Lutetiam, obiter commemorato indulto immunitatis ſeu exemptionis à ſacra poteſtate ordinaria, dudum eidem Monaſterio collato à Landerico Epiſcopo Pariſienſi ad preces Clodouei Regis filij Dagoberti, eiuſdem monaſterij fundatoris; hoc inſuper decus ipſi Monaſterio acceſſum iri decernit: *Et habere* (inquit) *vobis Epiſcopum per ſingulare priuilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate, vel à fratribus in monaſterio veſtro electus, & à fratribus noſtris Epiſcopis de illa regione conſecratus, illa veſtra Monaſteria à vobis ædificata prouideat, & vice noſtri nomine vbi fuerint regat, &* PRÆDICATIONI, *tam in ipſo veſtro Monaſterio, quàm in ſibi ſubiacentibus deſeruiat.* Cuius veſtigiis inhærens Hadrianus I. in reſcripto ſuo munifico ad Magenarium eiuſdem Monaſterij S. Dionyſij Abbatem, idem ius confirmando ſic ſtatuit: *Vt penitus liceat ibidem habere Epiſcopum ſicut à priſcis temporibus, & vſque hactenus fuit, per cuius prædicationem, populus qui diuerſis regionibus deuota mente quotidie ad ſancta eiuſdem Monaſterij limina concurrit, remedium conſequi mereatur animarum &c. Quia nolumus vt lumen quod ibidem hactenus tanto tempore per Epiſcoporum prædicationem claruit, vllis temporibus extinguatur.* Vigebat enim adhuc hoc præclarum Pontificale decus, quod prædicatio Euangelica functio Epiſcopalis præcipua, & quaſi Epiſcoporum propria eſſe, paſſim exiſtimabatur.

Extat apud Dubletium l. 1. antiqq. Monaſterij S. Dionyſ. c. 3. p. 447. & 448.

Ibidem c. 4. p. 450. & 451. &c.

CAPVT III.

Presbyteris etiam ius prædicationis competere, tam inſtitutione diuina, quàm vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu & perenni vſu.

APOSTOLORVM canonem 58. ſuprà protulimus, ad probandum Epiſcoporum debitum & obligationem prædicandi populo verbum Dei: ſed idem canon Presbyteros quoque deuincit, tanquam eidem ipſi debito ſimul obnoxios; ita enim habet: *Epiſcopus vel Presbyter, qui cleri vel populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, ſegregetur: & ſi in ſocordia perſeuerat, deponatur.* Nec ambigen-

dum eſt Apoſtolicum hunc canonem eſſe: tum quòd (vt habetur initio diſt. 16.) auctoritate recepti Zepherini Papæ, Canones Apoſtolorum legitimi ſunt 60. hic verò eſt tam apud Græcos quàm Latinos 58. tum quòd Apoſtolorum doctrinæ quæ hoc canone traduntur, ſunt omnino conſentanea, nam Clemens Apoſtolorum adiutor, deinde & hæres, c. 27. lib. 2. Conſtitut. Apoſtol. ex eorum diſciplina, adeóque oraculis, hanc ſententiam diſertè refert: *Presbyteri, nos Apoſtolos repræſentare exiſtimentur, ſintque Doctores cognitionis Dei, ſiquidem Dominus cùm Apoſtolos mitteret, Euntes docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque præcepi vobis.* Nec porrò excipi poteſt Presbyterorum nomen hîc pro Epiſcopis vſurpari, ſiquidem eo capite diſtinctè agitur de Epiſcopis & Presbyteris. Et Epiſcopus præeſſe quidem dicitur loco Dei, Presbyteros verò vices Apoſtolorum gerere. Vnde planum eſt ipſis quoque competere, Chriſti prædicare Euangelium, vigore mandati facti à Domino ſuis Apoſtolis, *Ite, docete omnes gentes*, ſicut enim verba iſta Domini ad Apoſtolos dicta, *Hoc facite in meam commemorationem.* & hæc alia: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis &c.* non tantùm Epiſcopos ſpectant, ſed Presbyteros quoque contingunt, alioqui nec Presbyteri conſecrare poſſent, nec offerre, nec ligare, nec ſoluere: ſic & illa, *Euntes docete omnes gentes &c.* non ſolùm Epiſcopis competunt, ſed etiam conueniunt Presbyteris. Nec eſt quod quis obiiciat, Quænam eſt ergo prærogatiua Epiſcopi ſuper Presbyteros? Reſponſio enim peruia eſt & facilis, dico ſiquidem illa Domini verba facere pro Epiſcopis principaliter, non tamen ſingulariter, ius enim conſecrandi, ſacrificandi, peccata remittendi, Euangelium prædicandi primariò, & præcipuè pertinere ad Epiſcopos, ſecundariò verò & cum canonica ſubordinatione, at legitimè tamen, ad Presbyteros ſpectare.

Matth. 28. 19. — 1. Cor. 11. — Ioan. 20. 23.

Iámque ipſo Apoſtolorum tempore ita intellectum, & vſu ſeruatum conſtat ex diuinis ſcripturis; ſiquidem Luc. 9. de Apoſtolis legimus: *Conuocatis autem duodecim Apoſtolis dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia &c. & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos.* Et c. 10. *Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam:* Et infrà, *Curate infirmos & dicite, Appropinquauit in vos regnum Dei. Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sicut autem Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, ita Presbyteros ſuccedere 72. Diſcipulis, res eſt apud Patres conſtantiſſima: ideo ab initio Eccleſiæ Presbyteros videmus Euangelium prædicâſſe; hoc indicat illud Apoſtoli, *qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

1. Tim. 5. 17.

Eccleſia, opus eſt incarnatæ ſapientiæ, quemadmodum S. Bernardus ſcribens ad Eugenium lib. 3. de conſider. c. 4. luculenter oſtendit; nihil igitur in ea inordinatum, nihil fruſtra inſtitutum; omnia rectè diſpoſita, & proprium in finem, nempe in bonum, quæque in ea ſunt, ab illa diuina ſapientia fuerunt ordinata. Certè ſi verbi di-

uini prædicatio actus eſſet proprius Epiſcopi, adeovt ipſi vni, ſoli, & ſemper Euangelij annunciatio conueniret: nec vllam haberent Preſbyteri *partem in ſortem miniſterij huius:* neceſſum eſſet Epiſcopatum his locorum anguſtiis circumſcribi, quibus in fide vel diſciplina Chriſtiana inſtituendis, poſſit opera vnius tantùm hominis ſatis eſſe; vel certè ſequeretur cùm diœceſes, vt ſunt conſtitutæ latè pateant, maximam populorum partem qui eas incolunt, famem panis ſpiritualis, qui verbum Dei eſt, ferè ſemper pati, & Epiſcopum perpetuo motu ac inquietudine agitari, diſcurrendo circumquaque & perpetuo labore prædicationis inſudando, vel cum exiguo (præ feſtinatione) tanti laboris fructu, vel cum cito virium defectu vitæque imminenti periculo. Natura enim humana continuo labore frangitur, & eſſe ſemper in motu ac operatione non poteſt. Neceſſariis igitur ſubſidiis Dei ſapientia ſuæ Eccleſiæ proſpexit, quibus diſſeminationi verbi vitæ opus erat. Quod ipſa rectè agnoſcens diuinæ gratiæ beneficium, in ordinatione Preſbyterorum, ſic voluit Pontificem eos conſecrantem coram Deo & hominibus confiteri: *Æterne Deus honorum auctor & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuerſa, per quem cuncta formantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione diſpoſitum, vnde & Sacerdotales gradus atque officia Leuitarum Sacramentis myſticis inſtituta creuerunt &c. Sic in eremo per 70. virorum prudentium mentes, Moyſi ſpiritum propagâſti, quibus ille adiutoribus vſus, in populo innumerabiles multitudines facilè gubernauit &c. Hac prouidentia Domine Apoſtolis filij tui, doctores fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ Domine quæſumus, hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus.* Et poſtquam eos inſigniuit ſtola & veſte induit Sacerdotali, hunc in modum orat: *Super hos famulos tuos quos ad Preſbyterij honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, vt grauitate actuum & cenſura viuendi probent ſe ſeniores, his inſtituti diſciplinis quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, vt in legẽ tua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur.* In ipſo autem ferè ordinationis exordio admonet illos ipſe Pontifex, præcipuorum actuum Sacerdotalis quid ſuſcepturi ſunt miniſterij, ne ignari ſint oneris, quod ipſorum humeris diuina inſtitutione imponitur: *Conſecrandi*, inquit, *filij dilectiſſimi in Preſbyteratus officium, illud dignè ſuſcipere ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudeatis. Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, baptizare.*

Hoc diuinæ inſtitutionis myſterium attentiùs perpendentes Patres Concilij II. Aquiſgranenſis, ſub Carolo Magno celebrati, cap. 5. rectè & ſapienter, ſic cùm præſentes tum poſteros monuerunt, *Preſbyterorum qui præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione diuini corporis & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt, miniſterium eſſe videtur, vt in doctrina præſint populis & in officio* PRÆDICANDI. Sed ſi altiori ab antiquitate repetenda ſunt ſanctorum Patrum ſuffragia, horum ſanè ad iuris

munerísque huius confirmationem, teſtimoniis, ſupra numerum abundamus; pauca hîc breuitatis causâ referemus igitur, ſed è multis ſelecta.

S. Polycarpus in celebri ſua epiſtola ad Philippenſes inter munera Presbyterorum, verbi miniſterium præſertim recenſet, cùm neceſſe habeant OMNES AB ERRORE CONVERTERE, eiſque ſemper prouidere bona coram Deo & hominibus.

S. Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes, Simonem & Gaium Presbyteros ſymmyſtas ſuos, *In verbo Dei miniſtros* appellat, quos ideo vt Chriſti Legatos fuiſſe dignè ſuſceptos à Smyrneorum populo, eidem impensè gratulatur. Et in epiſtola 1. ad ſuos Antiochenos, Presbyterorum eſſe dicit officium PASCERE GREGEM DEI. Paſcere autem & docere, ſynonima ſunt officia Sacerdotum, in ſacris litteris, quemadmodum earum peritis conſtat.

Sanctus Dionyſius capite quinto Cœleſtis Hierarchiæ latè docet proprium [a] *Sacerdotum munus eſſe, mentes hominum illuminare.* Et epiſtola 8. ad Demophilum, magna ei auctoritate inculcat, [b] *Sacerdotes eſſe Angelos, & poſt Antiſtites, diuinorum interpretes iudiciorum.* Cuius ex mente S. Maximus in Scholiis ad c. 3. cœleſtis Hierarchiæ, ad verbum iſtud ἐνεργῆσαι, operari, vbi docet Doctor diuinus, nihil vltra gradum diuinum proprium cuique ordini, tentandum eſſe, v.g. inquit [c], DOCENDVM *eſt Presbyteris, & munus offerendum, non tamen ordinandum.*

S. Iuſtinus in fine Apologiæ 2. vbi diuinæ Synaxis celebrationem deſcribit, iamiam moris fuiſſe inſinuat, vt *lectis ſacris ſcripturis lectore quieſcente, qui præerat ſacris,* (at præeſſe non poterat niſi Epiſcopus aut Presbyter) *populum prædicatione ſua inſtrueret, & ad intelligentiam & participationem myſticarum rerum cohortaretur.* Idem teſtatur Tertullianus c. 19. Apologetici aduerſus gentes.

S. Cyprianus ep. 5. ſcripta in ſeceſſu ad Clerum Carthaginenſem, Presbyteros hortatur, vt ipſo abſente, pro fide & religione, ſuas & ipſorum partes agere ſtudeant, ita vt nihil ad diſciplinam vel ad diligentiam deſit. Clerus verò Romanus durante illo ſeceſſu S. Cypriani, pro Romanæ Eccleſiæ generali ſollicitudine, eoſdem officij commonefaciens, ep. inter Cyprianas 3. *Reos fore eos* denunciat, *ſi non fratres ſtare immobiles in fide hortarentur, & ad martyrium animare, idipſum porrò ſeipſos impræſentiarùm facere cum omni ſollicitudine & periculo ſæculari &c. non deſerentes fraternitatem, & hortantes eos ſtare in fide, & paratos eſſe debere ire cum Domino. Se ſiquidem vice paſtoris cuſtodire gregem, quamobrem vereri, ne ſi negligentes inuenirentur, diceretur ſibi quod anteceſſoribus negligentibus dictum eſt, quoniam perditum non requiſiuimus & errantem non correximus. Nolle ſe ideo officio deeſſe ſuo*, nec velle, ſe Carthaginenſes *Sacerdotes, mercenarios inuenire, ſed bonos paſtores.* In fine verò epiſtolæ hoc ſe vti hortamento ſubindicant: eo quòd Romanæ Eccleſiæ proprium munus ſit pro cæteris *agere perennes excubias. Salutant vos fratres,* inquiunt, *qui ſunt in vinculis, & Presbyteri, & tota Eccleſia, quæ & ipſa*

Ezech. 34.

[a] Ἡ δὲ τῶν ἱερέων φωταγωγικὴ τάξις &c. ὑπὸ τῇ τῶν θείων ἱεραρχῶν τάξει, καὶ μετ' αὐτῶν ἱερουργοῦσα τὰς οἰκείας ἱερουργίας.

[b] Οἱ δὲ ἱερεῖς ἄγγελοι καὶ ὑποφῆται μετὰ τοὺς ἱεράρχας εἰσὶ τῶν θείων κριμάτων.

[c] Οἷον τοῖς πρεσβυτέροις διδάσκειν καὶ τὰ δῶρα προσκομίζειν, οὐ μὴν καὶ χειροτονεῖν.

ipſa cum ſumma excubat pro omnibus qui inuocant nomen Domini. Porrò ipſe Cyprianus, ep. 6.* vbi ſe iis lætari plurimum ſignificauit, quòd eos in fide & virtute fortes conſiſtere cognouerit: ſubinde monet, vt doctrinæ & iugis ad plebem cohortationis obeundæ ſint memores, *vt ſciant ex vobis, & INSTRVANTVR, & DISCANT quid ſecundùm Scripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat.* Epiſt. verò 10. ad eoſdem, qui officij huius populo exhibendi fuerunt immemores, *Legíſque diuinæ deuiis ſignificandæ ſtudio, non intendunt: perditorum caſus & ruinæ incurſum iri coram Deo reatum.* Hæc, inquit, *qui ſubtrahit fratribus* (diuina ſcilicet quæ commemorauit oracula) *decipit miſeros.* Et infrà, *ſed nunc illi rei non ſunt* (lapſi ſcilicet qui ad Euchariſtiam ſine pœnitentia proſiliunt) *qui minus ſcripturæ legem nouerunt. Erunt autem rei qui præſunt,* (nempe Preſbyteri) *& hæc fratribus non ſuggerunt, vt inſtructi à præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo, & præſcripta obſeruatione.* Sub finem verò eiuſdem epiſtolæ, fuiſſe ſemper antea morem hunc ſeruatum aſſerit, *vt deflectentes à recta via, legíſque Domini minus ſcientes, à Presbyteris, ſuggerentibus Diaconis, admonerentur, ac neceſſaria eius notitia imbuerentur.* Sed ep. 15. ad Clerum Romanum, nonnihil hoc nomine ſanctus Epiſcopus gloriatur, *quòd in hac parte, Presbyteris non defuerit Sacerdotalis vigor.* Meminit autem idem B. Cyprianus, ep. 24. Preſbyterorum Doctorum, vel doctiorum**, ex quorum conſilio ordinaſſe ſe ait Optatum iam cenſitum inter lectores, *doctorem audientium*, hoc eſt Catechiſtam. Quo ex inſigni loco planum eſt, tametſi ex vi ordinis Sacerdotalis competeret omnibus Preſbyteris ius docendi, tamen exercitium fuiſſe demandatum ſpecialiter doctioribus Preſbyteris, hóſque eapropter doctorum iam titulo conſueuiſſe honorari. Sed de S. Cypriani hac de re ſententia ſatis ſupérque.

*ad ſuos compreſbyteros, ſic enim vocat in fine epiſtolæ. *Vide ep. 19. titulum.*

** Variant codices vt notat Pammelius, alij etenim habent, *cum Preſbyteris Doctoribus*, alij verò *doctioribus*.

Origenes primus ille Eccleſiæ poſt Apoſtolos Magiſter, hom. 1. in Pſal. 37. circa medium, de ipſius Eccleſiæ praxi, à ſe viſa loquens; *Omnes, inquit, Epiſcopi, atque omnes Presbyteri erudiunt nos, & erudientes adhibent correptiones & verbis auſterioribus increpant.* Tum eos procuratores & actores noſtræ ſalutis ſubnominat, imò Angelos, quibus diſpenſandæ & regendæ creditæ ſunt animæ noſtræ. Porro ipſe cæteris hoc in officio ſtrenuè exequendo inſigni exemplo fuit. Penè enim quotidie concionabatur, vt Pamphilus Martyr teſtatur, in Apologia pro ipſo Origene, non procul ab exordio: *Et quidem* (ait) *quòd & honore Presbyterij in Eccleſia præditus fuerit, & vitam abſtinentiſſimam egerit, & valde philoſophicam; quódque puræ religionis obſeruauerit diſciplinam, & præ cæteris verbo Dei & doctrinæ operam dederit, dubium non eſt, & ex iis quæ & nos laboris & ſtudij eius certiſſima deſignamus indicia, præcipuè verò per eos Tractatus, quos penè quotidie in Eccleſia habebat ex tempore, quos & deſcribentes Notarij ad monimentum poſteritatis tradebant.*

S. Athanaſius, Apologia 2. Preſbyteris ſingulis proprias Eccleſias fuiſſe aſſignatas, cum certa plebe & ſubminiſtrantibus Clericis, atque ſacras ſynaxes, quæ nunquam fiebant ſine prædicatione verbi diuini, celebrare conſueuiſſe ex conſtanti Eccleſiæ vſu, paſſim com-

memorat, quibus characteriſmis dignoſci poſſe legitimos Preſbyteros, contra Iſchyram pſeudo-preſbyterum, contendit.

S. Baſilius in ethicis ſuis, ſeu moralibus, regula 71. c. 1. quæ S. Paulus ad Titum & Timotheum pro inſtitutione Sacerdotum ſcripſit, coniunctim præcepta eſſe docet Epiſcopis & Preſbyteris; in iis autem verbi diuini aſſiduam prædicationem, & intentum lectionis & doctrinæ ſtudium eſſe patet. Quamobrem ipſe ſanctus Pater, in c. 3. Iſaiæ ad illa verba, *In die illa Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem & Iuda validum & fortem, iudicem & prophetam, ariolum & ſenem.* * *Inter ea*, inquit, *quæ comminatur Dominus, eſt & ablatio Presbyteri, quia ex eius præſentia non mediocre emolumentum in alios reſiliat. Quiſquis igitur præſidentia Cathedræ dignus cenſetur, iámque aſcriptus eſt ordini Presbyteratus, qui talis eſt Presbyter, aut circumfert characterem Presbyterij: par eſt eum vel maximè eſſe irreprehenſibilis vitæ &c. amplectens eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Talis eſt Presbyter quem aufert Dominus* (iratus ſcilicet) *à delinquente populo &c.* Indignos porro cenſendos, ſubinde ſanctus Doctor iudicat, *qui otioſi deliteſcunt*, nec docent, nec agunt vt decet, *ſed neglectim in Presbyteratu ſe gerunt. At eo honore iure potiri illos* dicit *qui vt 70. ſeniores Moyſi datos à Deo in ſolatium, ſpiritum eius verbo & opere participâſſe noſcuntur &c. Oret proinde Eccleſia* (inquit) *ne à ſe auferatur Presbyter, qui ea dignus ſit appellatione.*

S. Ambroſius coætaneus fuit S. Baſilio. Eadem quoque de Preſbyterorum gradu & officio cenſuit, nam lib. 3. epiſtolar. ep. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem Paſtoris ſolatio deſtitutam directa, hanc regulam agnoſcit & inculcat, Apoſtolum eadem dediſſe præcepta Epiſcopis & Preſbyteris: *Sed prius*, inquit, *cognoſcamus non ſolùm Apoſtolum de Epiſcopo, ſed & Presbytero ſtatuiſſe* &c. At verò nihil magis exigit in eiuſmodi præceptis quàm lectionem, doctrinam, prædicationem. Ideo ipſe S. Ambroſius verba hæc Apoſtoli ad Theſſalonicenſes (1. ep. c. 5.) *Rogamus vos fratres, vt cognoſcatis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt illis ſummum honorem habeatis &c.* etiam de Preſbyteris intelligit. Ad quem ſenſum alia verba refert Apoſtoli, 1. Timoth. 5. *Hoc eſt*, inquit, *quod ait in alia epiſtola, Presbyteros duplici honore honorandos, qui laborant in verbo & doctrina.* Poteſt enim pigere eum qui inopiam patitur, exercitium facere quod proſit audientibus: quid enim magnum eſt offerre ei carnalia, qui tribuit ſpiritualia?

S. Ioannis Chryſoſtomi, nec doctrinam, nec exemplum hîc poſſumus, nec debemus prætermittere; qui eodem ſæculo quo S. Ambroſius clarebat, emicuit. Doctrina hæc eſt hom. 11. in 1. ad Timoth. ad c. 3. ** *Inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt fermè nihil; Quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis dixit* (Apoſtolus) *ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantùm pluſquam Presbyteri habere videntur.* Quem locum hîc recenſeo, non ad ſtimulos Preſbytero aduerſus Epiſcopum ingeren-

* Ἐν τοῖς ἀπειλουμένοις ἐστὶ καὶ ὁ τὸ πρεσβύτερον ἀφαιρεῖσθαι, ὡς ὄφελος οὐ μικρὸν ἐκ τῆς παρουσίας περιέχοντος. ἀλλ' οὗ ὁ ἄνθρωπος τῆς προεδρίας ἀξιωθείς, καὶ ἐγκαταλεγεὶς τῷ πρεσβυτερίῳ, οὗτος πρεσβύτερος, ὁ ὁ φέρων τὸν χαρακτῆρα τοῦ πρεσβυτέρου ἀνέγκλητον, &c. ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ παρακαλεῖν ἐν τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. οὗτος πρεσβύτερος, ὃν ἀπὸ τοῦ ἁμαρτάνοντος λαοῦ ἀφαιρεῖται κύριος, &c. ὄντας δέ τινας ἀξίους τοῦ ἐγκαταλέγεσθαι τοῖς πρεσβυτέροις, λανθάνοντας δὲ ἢ ὀκνοῦντας &c. ἡ δὲ ἐκκλησία εὐχέσθω μὴ ἀφαιρεθῆναι αὐτῆς πρεσβύτερον, τὸν τῆς προσηγορίας ἄξιον ταύτης. S. Baſil. in Iſa. Tom. 2. p. 95.

** Ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν καὶ τῶν ἐπισκόπων. καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας· καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόττει. τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τούτῳ μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. S. Ioan. Chryſoſtom. in 1. Tim. 3. hom. 11. ſub initio.

dum (quod Eccleſiæ vnitatem diſſolueret) ſed ad innuendum ſanctum hunc Epiſcopum, vt & reliquos Patres, inter communes Epiſcoporum & Preſbyterorum functiones, prædicationem numerâſſe, neque inter eas collocâſſe, quæ ſoli Epiſcopo propriæ ſunt. Porrò exemplum ſancti ipſius Patris, & ius & vſum Preſbyterorum, populo Euangelium prædicandi ſatis ſupérque confirmat. Qui ſcilicet primùm in foro verſatus magna cum nominis laude, atque ab eremo ad Clericatum vocatus, Preſbyter Antiochenus anno 8. Theodoſij iunioris ordinatus, non ſine diuinæ prouidentiæ patenti indicio, videlicet apparitione Spiritus ſancti in columbæ ſpecie, quæ ſuper caput eius volitans dum conſecrabatur, ab Epiſcopo ordinante, & pleriſque tam ex Clero quàm populo circumſtantibus, conſpecta eſt. Mox talentum cœlitus ſibi commiſſum diuini Euangelij prædicandi palam fecit. Habuit enim cùm Preſbyterio fungebatur, ad populum Antiochenum diuerſi argumenti homilias 80. quibus quantum diuino igne arderet, & lingua ignea (quæ diuini flaminis munus eſt) haud minùs quàm ore planè aureo loqueretur, longè latéque innotuit. Nec refert quòd harum homiliarum fragmenta ſparſim reperiantur in homiliis ſuper Matthæum, & Ioannem, & in Commentariis in Acta, & homiliis in S. Pauli epiſtolas: hæc omnia enim ſunt ipſius Chryſoſtomi opera genuina, potuítque fieri vt hæc opera ſanctus ipſe Doctor in Preſbyteratu exorſus ſit, eadémque poſtquam Epiſcopus creatus eſt perfecerit, aut ſuo ipſe labore vſus, quæ in homiliis ad populum Antiochenum dictauerat, inde poſtmodum excerpſerit, & in poſteriores tractatus ſuos tranſcripſerit. Antiochiæ certè agentem in Preſbyteratu, & prædicationibus habendis, & tractatibus conſcribendis pleriſque incubuiſſe, teſtis eſt Palladius Diaconus, eius diſcipulus in dialogo quo eius vitam deſcripſit: *Presbyter* (ait) *à ſanctæ memoriæ Flauiano Epiſcopo conſecratur inuitus &c. Permanſit autem bis ſenis annis in officio Presbyterij, Antiochenam Eccleſiam vitæ mundiitia illuſtrans, partim vndis Spiritus recreans.* Quæ ſunt verò vndæ illæ Spiritus, quibus Eccleſiam illam recreabat? niſi, vt ſubiungit ipſe Palladius, *Prædicatio verbi Dei, qua fungens omnium corda mirabili facundia Scripturarum dulcedine ornata, ad ſe rapiebat. Quàm multos*, inquit, *quàm pulchros, quàm neceſſarios, plenóſque vtilitatis tractatus ediderit, quis referre ſufficiat?* Hos autem per Concionum modum digeſſit; quia ſcilicet catechiſticæ, vel tropologicæ, & parænecticæ erant ad Clerum & populum orationes, quas è ſuggeſtu pronunciabat, & in libros ſacræ Scripturæ per ſeriem de induſtria compoſitas, deinde in faſciculum per modum Commentarij conſertas, decenti ordine colligebat.

S. Hieronymi teſtimonium, quo conſtat ius & vſum fuiſſe Preſbyteris prædicandi, hîc etiam referri debet, in libro ſiquidem de ſeptem gradibus Eccleſiæ, adducto Apoſtoli 1. Timoth. 5. clariſſimo loco, *Presbyteros duplici honore dignos eſſe, qui laborant in verbo & doctrina;* hæc verba ſubnectit; *Prædicare eos decet & alia quædam facere, quæ præſertim in Oriente, Illyrico, Italia, Africa conſuetudinis fuiſſe omnibus in locis*

temporibus Apoſtolorum, manifeſtum ſit. Hinc amariuſculè conqueritur de quibuſdam Epiſcopis, Preſbyteros prohibentibus prædicare; *Presbyter Dei* (inquit) *amittit linguæ opus, prædicandi confidentiam non habet, perfectionem, plenitudinémque conſecrationi eius competentem* * *non retentat, non ſine damno gregum Domini.* At ſanctum hunc Patrem iterum ea de re paulo infrà audiemus.

* ait enim Pontifex dum ordinat Preſbyterum: *Oportet Sacerdotem offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, baptizare.*

S. Auguſtinus lib. 1. de moribus Manichæorum, c. 33. vbi per oppoſitionem, mores Eccleſiæ recenſet. Sanctiſſimos quammultóſque Preſbyteros à vitæ inſigni caſtimonia commendans, ſubiungit, *non ſanatis magis quàm ſanandis hominibus præeſſe, atque ideo ſtrenuè laborare vt vitia multitudinis curentur.* Qua arte? niſi videlicet eo modo quo Apoſtolus Timotheum ſuum agere admonebat: *Prædica verbum,* (inquit) *inſta &c. opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Inter ſancti ipſius Doctoris opera, ſermo extat ad Preſbyteros ſuos, quos ſic hortatur: *Seruum Dei non oportet rixari,* inquit, *ſed humilem ad omnem eſſe patientem, doctorem in manſuetudine, erudientem eos, qui contrà mouentur.* Nemo autem neſcit quomodo à Valerio Epiſcopo Hipponenſi Presbyter ordinatus ſanctus ipſe Auguſtinus, officium prædicationis, ipſo Epiſcopo qui Græcus cùm eſſet, populum hac lingua non imbutum commodè docere non poterat, requirente, ſubierit, ſummáque cum laude, nec minori fructu laboris impleuerit.

Serm. 36. inter ſerm. ad fratres &c.

S. Gregorius cognomento Magnus, Sacerdotes Chriſti in officio prædicationis ſucceſſiſſe Leuiticis lib. 3. expoſitionum in 1. Reg. c. 1. inſinuat. Cuius officij neceſſitatem perpendens paſſim ſuis in ſcriptis aſſerit prædicatores ipſos eſſe *canes, boues, portas, cælos, aſtra, nubes, torrentes, cultores, rectores, angelos, linguas, maxillam & dentes Eccleſiæ.* Quæ ne de Epiſcopis tantùm dicta quis exiſtimet, obſeruare iuuat, illum etiam propter maiorem vtilitatem Eccleſiæ, voluiſſe Diaconos officio prædicationis incumbere: vnde vetuit, ne Cantorum munere fungerentur, ſiquidem in Synodo quam Romæ tempore Mauritij Imperatoris habuit ad corpus S. Petri, ſic ſtatuiſſe legimus: *In ſancta Romana Eccleſia cui diuina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum eſt conſuetudo valde reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant,* QVOS AD PRÆDICATIONIS *officium eleemoſynarúmque ſtudium vacare congruebat &c. Qua in re, præſenti decreto conſtituo vt in hac Sede ſacri altaris miniſtri cantare non debeant &c.* At qui volebat Diaconos officio prædicationis inſiſtere, num tuliſſet Preſbyteros otiari, aut abſtinere iuſſiſſet ab officio, Eccleſiæ tam ſalutari quàm neceſſario, eorúmque ordini ex ipſa conſecratione competenti? Tantum abeſt. nam obtentu huius neceſſitatis indulſit Candido Epiſcopo Maioris vrbis veteris, Monachos de propriis Monaſteriis aſſumere, & ad Preſbyteratum ſi cæteri digni eſſent, paréſque officio tam ſublimi difficilíque obeundo, canonico ritu promouere: *Indicauit nobis fraternitas tua ſe non habere Presbyteros, & ex hac cauſa neceſſitatem non modicam ſuſtinere,*

Extat l. 4. ep. 45. vbi in limine notatur hanc Synodum celebratam fuiſſe indictione XIII. menſe Auguſto.

& quia &c. propterea præſentibus vobis licentiam damus epiſtolis, Monachos de Monaſteriis in tua parochia poſitis, cum conſenſu Abbatis ſui tollere, & Presbyteros ordinare; ſed illud præ omnibus eſtote ſolliciti, vt vitam actúſque eorum &c. ſubſequenter debeatis inquirere. Sed quiſpiam fortè obiiciet: Quid hoc ad rem præſentem? hìc enim quæſtio eſt de officio prædicandi, de quo illa in Epiſtola Gregorius non loquitur, ſed tantùm de inſtanti neceſſitate Presbyterorum ordinandorum in Eccleſia, & cauto eorum delectu. Verùm hoc ipſum innuit quod volumus, nam adeo neceſſarios iudicauit eos eſſe, vt de Monachis ordinari permiſerit propter Sacerdotum penuriam; quia Epiſcopus nec prædicationi, nec ſacrificio, nec populorum regimini ſolus ſufficere poteſt, at prorſus indiget inferiorum Sacerdotum ſolatio: qui ſcilicet ſubſidio illi diuinitùs dati ſunt, vt ore ac manu illi auxilientur, prædicatione ſcilicet & Sacramentorum conſecratione ac diſpenſatione, & bonæ operationis exemplis. Nam quod ad prædicandi munus attinet, S. Gregorius diſertè docet & potenter inculcat part. 2. curæ paſtor. c. 4. hoc eſſe de iure & neceſſario officio Epiſcopi non ſolùm, ſed cuiuſcumque Sacerdotis, qui paſcendi videlicet gregis Domini portionem ſuſcepit. Ipſum quæſo ſuis verbis loquentem audiamus: *Clauis apertionis*, inquit, *ſermo correptionis eſt &c. Hinc Paulus ait, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Hinc per Malachiam dicitur, Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Hinc per Eſaiam Dominus admonet dicens, Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* PRÆCONIS *quippe officium ſuſcipit quiſquis ad Sacerdotium accedit &c. Sacerdos ergo ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt* PRÆCO MVTVS?

S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis anno 596. creatus eſt, qui 6. erat Pontificatus S. Gregorij: Libros porrò edidit eximios & non paucos, in quibus ſpectabilis eſt Tractatus de diuinis officiis. Ibi verò lib. 7. c. 7. ſic de Presbyterali ordine eiúſque dignitate & officio multiplici eloquitur: *Presbyterorum ordo exordium ſumpſit à filiis Aaron: Qui enim Sacerdotes vocabantur in veteri teſtamento, hi ſunt qui nunc appellantur Presbyteri, & qui nuncupabantur principes Sacerdotum, modò Epiſcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur ſeniores, quia ſeniores ætate, Græci Presbyteros vocant. His enim ſicut & Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: Præſunt enim Eccleſiæ Chriſti, & in confectione Domini corporis & ſanguinis conſortes ſunt cum Epiſcopis,* SIMILITER ET IN DOCTRINA POPVLORVM, ET IN OFFICIO PRÆDICANDI; *ac ſolùm propter auctoritatem, ſummo Sacerdoti Clericorum ordinatio & conſecratio reſeruata eſt, ne à multis diſciplina Eccleſiæ vindicata, concordiam ſolueret, & ſcandalum generaret.* Quæ verba planè aurea Aquiſgranenſis I. Synodus c. 8. ſua fecit, vt ex collatione vtriuſque contextus fit perſpectum. Cæterùm excurſis ſex primis ſæculis, ſuperuacaneum eſſe puto, ad poſteriora progredi, cùm exploratum ſit ſanctos pleroſque Presbyteros diuini verbi prædicatione claruiſſe, & plurimùm hoc officio ſuo ſanctæ Eccleſiæ

profuiſſe: antiquum verò ius Sacerdotij, quod patet ex præmiſſis au-ctoritatibus & exemplis, (ſicut fuerat ab initio) conſtanter fuiſſe cuſtoditum, vſúmque etiam diffuſiùs receptum & propagatum, quemadmodum Sanctorum Sacerdotum quæ ſuperſunt ſtrenui laboris, hoc in munere exequendo, præclara monimenta docent, præſénſque praxis & conſuetudo Catholicæ Eccleſiæ euidenter oſtendit.

CAPVT IV.

Obiectiones cum ſolutionibus.

ATTAMEN contra hoc ius Preſbyterorum, ipſúmque vſum, vir quidam magnus & de Catholica Eccleſia admodùm bene meritus nonnulla ſcripſit, quæ cùm nobis obiici poſſint, diſcutienda operæ pretium eſſe cenſemus. Poſtquam enim probauit Diaconis etiam competere munus prædicandi, ſignatis exemplis S. Stephani & B. Philippi protodiaconorum, Act. 7. & 8. & S. Vincentij qui cùm Diaconus eſſet, prædicabat, vt S. Auguſtinus teſtatur ſerm. 2. de ipſo ſanctiſſimo Martyre: tum in aliam partem ſe reflectens, hoc ad lectorem monitum confeſtim ſubiungit.

OBIECTIO I.

» EST tamen obſeruandum (inquit) hæc omnia, ac præſertim offi-
» cium prædicandi, propria Epiſcoporum eſſe, ita vt ne Preſbyteris qui-
» dem prædicare liceat, niſi ex Epiſcopi mandato aut conſenſu: Epi-
» ſcopi enim propriè Apoſtolis ſuccedunt; Apoſtoli autem ſunt qui
» Act. 6. dicunt, *Non eſt bonum nos relinquere verbum Dei, & miniſtra-*
» *re menſis.*

SOLVTIO.

Qua, de iure Preſbyteri, & Epiſcopi præeminentia, nonnulla ſcitu non indigna notantur.

VERVM quidem eſt Apoſtolis Epiſcopos ſuccedere, ſed non ita propriè, vt ius illud ſit eis *proprium quarto modo*, vt Dialectici loquuntur. Etſi enim hoc ipſis conuenit omnibus, & vbique, & ſemper; ſolis tamen eis non competit, in pleriſque, & ſignatim in ea re de qua hìc vertitur quæſtio: aliàs Preſbyteris nec baptizare, nec ſacrificare, nec peccata remittere fas eſſet. Dicit Dominus Apoſtolis ſuis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Item, *hoc facite in meam commemorationem.* Item, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* At triplicem hanc poteſtatem communem eſſe tam Epiſcopis quàm Preſbyteris, Eccleſia ſemper credidit & docuit: & nouiſſimè Concilium œcumenicum Tridentinum, ſeſſ. 22. declarauit, *Chriſtum Dominum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis &*

Matth. 28. Luc. 22. 1. Cor. 11. Ioan. 20.

vini, Deo patri obtuliſſe, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidiſſe, & eiſdem eorúmque ſucceſſoribus vt offerrent præcepiſſe per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & docuit. Ex quo Spiritus ſancti oraculo, duo prorſus certa ac explorata euadunt; alterum, poteſtatem conſecrandi & offerendi Sacerdotalem eſſe, proinde Epiſcopis & Presbyteris communem: alterum, vtroſque eſſe Apoſtolorum in Sacerdotio ſucceſſores. De Epiſcopis hoc tritum eſt apud Patres. de Presbyteris hoc diſertè aſſerit ex doctrina ipſorum Apoſtolorum S. Clemens lib. 2. Conſt. c. 32. S. Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes, & S. Auguſtinus in Pſal. 44. &c. At verò ad Sacerdotium pertinet, vt Theologi paſſim docent, non minùs clauis ſcientiæ, quàm clauis poteſtatis. Clauis ſiquidem ſcientię neceſſaria eſt, ad diſtinctionem lepræ & lepræ, cauſæ & cauſæ; atque etiam ad interpretationem ſcripturæ, illuminationem animarum & doctrinæ ſalutis præconium. Quamobrem S. Dionyſius docet Epiſcopi quidem eſſe perficere, ſed Presbyteri illuſtrare; verùm ad Tridentini Concilij axiomata redeo; tam Epiſcopi quàm Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis in poteſtate conſecrandi & offerendi, & in poteſtate peccata remittendi; nam Concilium Florentinum in inſtructione ad Armenos definiuit, Pœnitentiæ Sacramenti miniſtrum eſſe Sacerdotem. Et Tridentinum ſeſſ. 14. c. 6. circa miniſtrum huius Sacramenti declarat *falſas eſſe & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſuis homines præter Epiſcopos & Sacerdotes, clauium miniſterium pernicioſè extendunt.* Et can. 10. eiuſdem ſeſſ. 14. *Si quis dixerit Sacerdotes &c. poteſtatem ligandi & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis &c. anathema ſit.* Item ſuccedunt in miniſterio baptizandi, vnde Concilium Florentinum vbi ſuprà, diſertè docet, *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare;* Igitur & in munere prædicandi, ait enim Dominus eodem præcepto ſuis Apoſtolis, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, Matth. 28. Succedunt igitur Presbyteri Apoſtolis communi iure cum Epiſcopis tam in miniſterio ordinario baptiſmi*, quàm in officio prædicationis. Quapropter cùm Epiſcopus ordinat Presbyterum, ante omnia illi dicit, *Oportet Sacerdotem &c. prædicare, baptizare.* Proinde locus iſte ab inſigni illo auctore citatus; *non eſt bonum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, probat quidem competere Epiſcopis prædicare, at Presbyteros non excludit, quibus hoc ipſum ex officio conuenit, ipſis in ſua ordinatione impoſito: ſed inferiores tantùm Clericos.

* intellige, cum ſubordinatione legitima.

Act. 6.

Eſt tamen hic aduertendum aliud eſſe loqui de ipſa facultate prædicandi, aliud de vſu & executione ipſius facultatis. Sacerdotes in ordinatione ſua ſuſcipiunt ius & onus prædicandi, ſed vti illa poteſtate ritè nequeunt, niſi accedente Epiſcopi mandato & conſenſu; aut vbi vrget neceſſitas, & vel eſt difficilis, aut impoſſibilis ad Epiſcopum recurſus, vel ratihabitionis non eſt temeraria præſumptio,

aut ſummi Pontificis qui immediatè prædicatores ſemper & vbique miſit, intercesſerit auctoritas: quia nimirum aliàs violaretur dignitas Epiſcopi, ordo legitimus Eccleſiæ perturbaretur, & plerique abuſus irreperent ſcandaláque plurima hac ex confuſione ſuborirentur. S. Clemens ep. 1. ad Iacobum (ſeu potiùs Simonem Iacobi fratrem) referens vltima verba S. Petri: *Volebat* (ait) *Petrus nullum Preſbyterum in alienius Epiſcopi parochia aliquid agere abſque eius permiſſu, ſed & cunctos Preſbyteros propriis Epiſcopis abſque mora obedientes, inſtituente Domino eſſe debere dicebat.* Idem poſteà Clemens ſimilia iniungit Preſbyteris, quibus ſcribebat, ep. 3. In iure communi Eccleſiæ canon extat Pij I. Papæ & Martyris 11. q. 1. can. *Si quis Sacerdotum*, quo qui inobedientes fuerint Epiſcopo Presbyteri vel Clerici, deponendi decernuntur. In Concilio Arelatenſi I. canon 19. ſic habet, Presbyteri ſine conſcientia Epiſcopi nihil faciant. Simile mandat Damaſus, ep. 4. ad Proſperum & cæteros Epiſcopos Numidiæ: *Presbyteri*, ait, *ſine iuſſu Epiſcopi nihil agant &c. quia ſi vileſcit nomen Epiſcopi, omnis ſtatus perturbatur Eccleſiæ.* Eadem ſtatuit Concilium Carthag. II. c. 9. & Tribnrienſe c. 32. Vernenſe autem c. 8. ſic decernit: *Omnes Presbyteri qui in parochia ſunt, ſub poteſtate Epiſcopi eſſe debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter præſumat in illa parochia baptizare, nec Miſſas celebrare ſine iuſſione Epiſcopi in cuius parochia eſt.* Diſtrictior eſt circa hanc politiam Apoſtolorum canon 32. cuius titulus eſt eiuſmodi, *Presbyter contempto Epiſcopo, ſeorſim conuentus congregare non tentet*; textus verò hoc tenore conſtat, *Si quis Presbyter contemnens Epiſcopum ſuum ſeorſum collegerit, & altare aliud erexerit, nihil habens quo reprehendat Epiſcopum in cauſa pietatis & iuſtitiæ, deponatur, quaſi principatus amator exiſtens, eſt enim tyrannus, & cæteri Clerici quicumque tali conſentiunt, deponantur, laici verò ſegregentur*; Quia tamen non leuiter aduerſum Preſbyterum Epiſcopo agendum eſt, ſubiungit canon, *Hæc autem poſt vnam, & ſecundam, & tertiam Epiſcopi obſecrationem fieri conueniat.* Sed & canon 40. qui inſcriptus eſt, *de dignitate Pontificis*, hac ſerie expreſſus eſt, *Preſbyteri & Diaconi præter Epiſcopum nihil agere pertentent; nam Domini populus ipſi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.*

Vide Gelaſij I. ep. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutiorum & Siciliæ c. 30. & canon. Quapropter 2. 2. q.

ARTICVLVS I.

De obligatione prædicandi, qua Presbyteri animarum regimini præfecti, ipſo hoc titulo obſtringuntur.

AT alia eſt ratio Preſbyterorum curam animarum habentium: alia, huius præfecturæ expertium. Qui enim plebes proprias habent, vt in partem ſollicitudinis paſtoralis vocati ſunt, ſic non modò officio, ſed debito prædicationis populo ſuo exhibendæ, fiunt hoc ipſo ſuo titulo obnoxij. Oecumenicum Concilium Tridentinum veſtigiis antiquorum inhærens, hoc expreſsè declarat & præcipit ſeſſ. 2. c. 2. vbi poſtquam de Epiſcoporum omnium obligatione, quod ratio

ratio officij neceſſariò poſtulat, edixit, ſubiungit ſtatim: *Archiepiſcopi quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Eccleſias quoquomodo obtinent per ſe, (vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint) diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſolennibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandóque eis cum breuitate & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & æternam gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi iuriſdictione, quauis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiamſi Eccleſiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra diœceſim exiſtenti forſan annexæ, vel vnitæ, modò reipſa in diœceſi ſint, prouida paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur, Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, itaque vbi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu aliàs ad Epiſcopi arbitrium cogantur &c.* Idem repetitur ſeſſ. 24. c. 4. Vbi etiam, ne Parochus officio ſuo paſcendi oues creditas verbo diuino, ſatisfaciens, à populo deſeratur, ſubdit ſapientiſſimum Concilium: *Moneátque Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, vbi id commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.*

Porrò non ſic de Preſbyteris, qui munere & officio paſtorali non ſunt inſigniti: his enim ſiue ſæculares, ſiue regulares ſint, non licet verbum Dei in vlla diœceſi prædicare, niſi de expreſſa licentia ſeu approbatione Epiſcopi cuiuſlibet priuilegij prætextu: nam hunc in modum ſtatuit præfatum generale Concilium Tridentinum, ſignata ſeſſ. 5. c. 2. paulò ante finem: *Caueant præterea Epiſcopi, ne aliquem vel eorum qui cùm ſint nomine regulares, vel Preſbyterorum ſæcularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu, in ſua diœceſi prædicare permittant.* Quæ ſanctio, Apoſtoli eſt prorſus documento conſentanea, *Quomodo audient ſine prædicante, quomodo autem prædicabunt niſi mittantur?* Rom. 10.

OBIECTIO II.

SCRIBIT *etiam Poſſidius in vita S. Auguſtini, c. 5. Valerium Epiſcopum conceſſiſſe S. Auguſtino Preſbytero ſuo, prædicandi poteſtatem, quòd ipſe tùm Græcus eſſet, minus commodè Latino populo prædicare poſſet?*

SOLVTIO.

LOCVS integra ſerie expreſſus facem perlucidam rei geſtæ cognoſcendæ vt oportet, exhibebit. Sic igitur ſcribit Poſſidius, diſcipulus ipſius B. Auguſtini, poſtea Epiſcopus Calamenſis, in eius vita, capite ſignato: *Sanctus verò Valerius ordinator eius, vt erat vir pius & Deum timens, exultabat & Deo gratias agebat, ſuas exauditas à Domino fuiſſe preces, quas ſe frequentiſſimè fudiſſe narrabat: ſcilicet vt ſibi diuinitùs homo concederetur talis qui poſſet verbo Dei, doctrina ſalubri Eccleſiam ædificare, cui rei ſe homo natura Græcus minúſque Latina lingua & litteris inſtructus, minus vtilem peruidebat. Et eidem Preſbytero poteſtatem Dei coram ſe in Eccleſia Euangelium prædicandi, ac frequentiſſimè tractandi contra vſum & conſuetudi-*

nem Africanarum Eccleſiarum. Vnde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant, ſed ille vir venerabilis ac prouidus, in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciens, vtilitati Eccleſiæ conſulens, obtrectatorum non curabat linguas, dummodò factitaretur à Preſbytero, quod à ſe Epiſcopo impleri minimè poſſe cernebat. Vnde accenſa & ardens eleuata ſuper candelabrum lucerna, omnibus, qui in domo erant lucebat.

Ex quo liquet datam à Valerio Epiſcopo, Sancto Auguſtino poteſtatem prædicandi non quamlibet; habebat enim Auguſtinus ex Sacerdotali ordinatione ſua ius prædicandi verbum Dei ad populum Chriſtianum, ſed Valerius conceſſit, vt pro ſe prædicationis officio fungeretur, adeóque in ſui ipſius præſentia (quod in vſu ſaltem in Africa & aliis quibuſdam locis non erat) concionaretur. Epiſcopi enim tum omnes prædicabant, maximè in ſua principali Eccleſia, víxque vt Preſbyteri vices ſuas hac in re ſupplerent, patiebantur. Sua verò in præſentia vt prædicarent, non ferebant. Qua de re inſignis eſt querela S. Hieronymi ſcribentis ad ſuum Nepotianum: *Peſſimæ conſuetudinis eſt*, inquit, *in quibuſdam Eccleſiis tacere Preſbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire. Et ſi alij, inquit Paulus, fuerit ſedenti reuelatum, prior taceat, ſic enim poteſtis per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & conſolentur.* 1. *Cor.* 14. *Gaudeat Epiſcopus iudicio ſuo, cùm tales Chriſto elegerit Sacerdotes, qui &c. prædicare poſſint.* Lingua Epiſcopi vnius, totius Diœceſis plebes non poterat inſtruere: neceſſe igitur omnino iam tunc erat, vt Preſbyteri in pagis & oppidulis verba ſalutis plebibus curæ ſuæ aſſignatis annunciarent; ac in propriis titulis vrbis etiam Epiſcopalis, ſed non in præſentia Epiſcopi, neque eius loco, ſine eius iuſſu aut permiſſu, qui tamen apud Africanas Eccleſias in vſu non erat, quamuis in Oriente mos ille obtineret. Nam & Palladius in Dialogo de vita S. Ioannis Chryſoſtomi refert eandem ei datam fuiſſe poteſtatem à Flauiano Epiſcopo Antiocheno: *Presbyter*, inquit, *à ſanctæ memoriæ Flauiano Epiſcopo conſecratus &c. permanſit autem bis ſenis annis in officio Preſbyterij, Antiochenam Eccleſiam vitæ munditia illuſtrans, partim vndis ſpiritus recreans. Agebat autem Epiſcopi vices in prædicatione verbi Dei, omniúmque corda mirabili facundia ſcripturarum dulcedine ornata ad ſe rapiebat.* Quod cùm ſine ſtrepitu murmurationis factum fuerit, hinc ſatis apparet rem hanc haud fuiſſe his in partibus inſolitam, ſed vſu peruiam, & eapropter vnanimi omnium conſenſu, in tam illuſtri Eccleſia, quæ Patriarchalis erat, receptam.

Verùm quiſpiam fortaſſis obiiciet, in Alexandrina Eccleſia, quæ ſecunda erat ſedes Patriarchalis, non licuiſſe Preſbyteris, ſed tantùm Epiſcopo verbum diuinum prædicare? At notare operæ pretium fuerit, qua de cauſa & quando mos iſte cœperit in illa Eccleſia. Refert Sozomenus lib. 7. c. 19. Hiſtor. Eccleſ. poſt lapſum Arrij, qui Preſbyter Alexandrinus erat, haud conceſſum fuiſſe Presbyteris docere populum in Eccleſia Alexandrina, ſed deinceps id muneris fuiſſe ſolis Epiſcopis attributum. Ab initio igitur non fuit ſic, ſed vſu re-

ceptum erat vt Presbyteri doctrinam ſalutis populo diſpenſarent. Quo officio in eadem Eccleſia Clemens Alexandrinus Presbyter doctiſſimus, Origenſque Magiſter ſumma cum laude functus eſt. Extat inter inſignia eius opera eiuſdem parænetica ad gentes oratio, qua illos ad fidem inuitat. Libri eius ſtromatum 8. & 3. pædagogi magna ex parte ſpirant ad fideles facta oretenùs monita : ſed maximè hunc ſpiritum redolebant explanationes eiuſdem in epiſtolas canonicas, quarum Caſſiodorus meminit lib. 1. diuinarum inſtitut. De Origene itidem Alexandrino ſuperiùs dictum eſt.

OBIECTIO III.

LEGIMVS *quoque in Concilio Vaſenſi II.can. 2.* * *factam ab Epiſcoporum Concilio Preſbyteris poteſtatem prædicandi?* * aliàs 1.

SOLVTIO.

CANON ille Concilij Vaſenſis II. quod anno 529. conſedit, ſic ad verbum habet: *Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum & pro vtilitate totius populi, nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus Preſbyteris poteſtatem: Ita vt ſi Preſbyter aliqua infirmitate prohibente per ſemetipſum non potuerit prædicare, ſanctorum Patrum homiliæ à Diacono recitentur &c.* Quiſquis attentè vt par eſt canonem iſtum expenderit, nihil minus ex eo, dubio procul eliciet, quàm tunc primùm cœpiſſe Presbyteros prædicare, aut iis collatam fuiſſe ab Epiſcopis docendi fideles in Eccleſia poteſtatem. Quæ enim ſuprà adducta ſunt luculenta ſanctorum Patrum teſtimonia, à primo Eccleſiæ ſæculo ad ſeptimum vſque, pro iure & vſu prædicationis Presbyteris legitimè competenti, prolata ſunt, manifeſto ſunt aſſertionis noſtræ fulcimento. Nec canon ille aduerſatur, ab vndecim dumtaxat Epiſcopis, qui profectò legem vniuerſali Eccleſiæ non dederunt, ſancitus. Decernit enim vt in pagis, ſicut in ciuitatibus detur presbyteris licentia prædicandi. Quia fortè in Phocenſi prouincia, cuius hæc eſt Antiſtitum ſynodus, quibus Cæſarius Arelatenſis Metropolites ſanctitate & doctrina celebris præfuit, vt ex eius, & eorum ſubſcriptionibus patet, mos non erat, vt ruſticani Presbyteri prædicarent, ſed ciuitatenſes tantùm, qui doctiores erant. Sed hoc diſcrimen in terminatione ſua Synodus illa propter plebium, vt ait, vtilitatem, & omnium Eccleſiarum ædificationem, prudentiſſimè ſuſtulit. Mos enim eiuſmodi contrarius erat conſuetudini vniuerſalis Eccleſiæ, ſuperiùs perſpicua inductione propalatæ. Cui inductioni etiam illud addi poteſt, quod Nicephorus ex priſcis monimentis, praxíque etiam Alexandriæ primitùs obſeruata, & hactenùs cuſtodita commemorat lib. 8. c. 11. hiſt. Eccleſ. ex conſuetudine antiqua omnibus Presbyteris, vnum Epiſcopum præfuiſſe: Presbyteros tamen ſuas ipſas rexiſſe Eccleſias, atque in eis populum congregatum docuiſſe. Iſidori Peluſiotæ, S. Ioannis Chryſoſtomi auditoris, profeſſione Monachi, eruditione doctiſſimi, Attico ſermone diſertiſſimi, amplius ter mille Epiſtolæ didacticæ & paræneticæ extant. Inter quas plures ſunt ad Presbyteros diuerſarum regio-

In quibuſdam editionibus ſignatur habitū anno 445. ſed in editione Sirmondi, quæ accuratior videtur, hoc notatur anno.

num ſcriptæ, quibus ad præconium Euangelij purè, & ornatè, ac fructuosè enunciandum eos hortatur, & inſtituit. Harum in ſupplemento epiſtolarum ab Andrea Scotto Presbytero Societ. Ieſu edito, legitur epiſtola numero 4. Zozimo Presbytero directa, qua docet concionantem Sacerdotem, plus exemplo quàm verbo ædificare ſuos auditores. Idem epiſt. 28. ad Dydimum Presbyterum ſuper obitu Aphrodiſij itidem Presbyteri, eum impensè laudat tam virtutis titulo, quàm inſigni gloria prædicationis; *Cuius*, inquit, *in oculis habitabat pudor, ſuadela in labris, ſapientia in lingua.* Iterum Zozimo Preſbytero ſcribit ep. 213. *exemplis potiùs quàm verbis ſuadendum.* Et Theopompo Preſbytero epiſtola 233. *opus quàm orationem magis monere.* Item ep. 290. Heraclidi Presbytero, de commonentis officio, vbi id Ezechielis inculcat, *Tu ſi annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua; in iniquitate ſua impius morietur, tu autem animam tuam liberaſti; ſi tu non annunciaueris ei, ſanguinem eius de manu tua requiram.* Et ep. 475. Athanaſio Presbytero ſcribit, *virtuti potiùs quàm fucatæ orationi ſtudendum.* Hæc & alia ſimilia monita, quæ vir ille ſanctus & doctus ſcribit ad Presbyteros, verbum Dei paſſim annunciantes, ſatis oſtendunt communi more iam fuiſſe receptum vt Presbyteri ordinario munere prædicarent. Proinde ius & vſum prædicandi Presbyteros non accepiſſe à Synodi prouincialis Vaſenſis (quæ longè poſterior fuit) indulto; Quòd ſi quis Iſidori huius teſtimonium ſpectare ſolùm Eccleſias Orientales excipiat, minimè verò Occidentales: ſanè ſuprà nonnullas tam Orientalium quàm Occidentalium Patrum auctoritates conſignauimus, quibus idem ius, idémque vſus Presbyterorum in vtraque Eccleſia Græca & Latina ab initio vigens comprobatur. Quòd ſi de illo ipſo tempore quo in Oriente florebat Iſidorus Peluſiota, teſtimonium aliquod in Occidente exigitur, Leonis Magni ſummi Pontificis qui eodem tempore quo claruit præfatus Iſidorus, non Occidentali modò, ſed vniuerſali totius orbis Eccleſiæ præſidebat, vel vna breuis ſententia huic poſtulato ſatisfaciet; *Illud ſanè* (inquit*) *quod ad Sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia canonum ſtatuta volumus conſeruari, vt non in quibuſlibet locis, neque quibuſlibet caſtellis, vbi antè non fuerint, Epiſcopi conſecrentur*, CVM VBI MINORES SVNT PLEBES, MINORESQVE CONVENTVS, PRESBYTERORVM CVRA SVFFICIAT. At certè ſufficere non poſſet, ſi Presbyteri animarum curatores poſſent duntaxat diuinum officium celebrare, & Sacramenta miniſtrare; deeſſet enim panis quotidianus fidelium, qui verbum Dei eſt, dicente Domino, *Non ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Cuius pabuli ſpiritualis defectu, propheticum illud lamentum rurſùm Eccleſiam contriſtaret, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Leo equidem ſanctiſſimus & ſapientiſſimus Pontifex, cenſeri non debet fidelium animas, qui in pagis, caſtellis, & oppidulis degunt, huic ſpiritualis panis penuriæ exponere voluiſſe, qua certè laborarent ſi vni tantùm Epiſcopo, in ſede ſua principali conſiſtenti, Dei verbum euangelizare fas eſſet: Presbyteris verò

Ezech. 5.

* *Ep. 87. ad Epiſcopos Africanos, per Mauritaniam Cæſarienſem conſtitutos c. 2.*

Matth. 4.

qui curam animarum iis in locis gerunt (vt plurimum ab Epiſcopali ſede longè diſſitis) idem vitæ pabulum ouiculis ſuis ſubminiſtrare non liceret. Exigit Apoſtolus in Epiſcopo *vt doctor ſit, & potens ſit exhortari in doctrina ſana fideles, & eos qui ex aduerſo ſunt redarguere:* Quo documento non ſolùm Epiſcopos, ſed Preſbyteros quoque inſtituit; *Illa enim ea eſt B. Pauli Apoſtoli* (ait eadem epiſtola S. Leo) *per ſpiritum Dei emiſſa præceptio, quia in perſona Timothei omnium Sacerdotum Chriſti numerus eruditur.* Quid quod *Neophytum Epiſcopum ordinari Apoſtolus ipſe non permittit, ſed ex Preſbyteris deligi* (vt ibidem S. ipſe Leo inſinuat) *qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum, & argentum purum eſſe meruerunt.* At quiſnam eſt ille ignis eruditionis Sacerdotum, niſi is de quo idem Apoſtolus ad ipſum Timotheum ſcribit, *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ, &c. Hæc meditare, in iis eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis: Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quiſnam verò labor? niſi perpetuus docendi populum in ſcientia ſalutis & viis vitæ, ardor & æſtus? Labor nónne ille eſt, de quo idem ad eundem dilectum ſuum Apoſtolus ait, *Qui bene præſunt Preſbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* At de hoc iure & honore Preſbyterorum, iam ſatis pro præſenti inſtituto.

1. *Timoth.* 4.

1. *Timoth.* 5. 17.

CAPVT V.

De ætate legitima Prædicatoris Euangelici.

ADMONENDI *ſunt* (inquit S. Gregorius in Paſtorali, part. 3. c. 26.) *quos ab officio prædicationis imperfectio & ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, quod pulli auium ſi ante pennarum perfectionem volare appetunt, vnde ire ad alta cupiunt, inde in ima merguntur; quódque ſtructuris recentibus necdum ſolidatis, ſi tignorum pondus ſuperponitur, non habitaculum ſed ruina fabricatur: quódque conceptæ proles, ante tempus natæ, non domos ſed tumulos replent.*

Vtinam iuuenes illi Concionatores, qui vixdum ex ephœbis egreſſi, in publicos Eccleſiarum ſuggeſtus, auſu ſanè ſtupendo proſiliunt, iſtam ſancti huius Pontificis admonitionem, apud ſe æqua lance ſeriæ meditationis expenderent! haud enim dubito, quin eos ſuæ dolendæ huiuſmodi præcipitationis ita puderet, vt etiam pœniteret; ſuóque tanto periculo edocti, ocyúſque ab hoc periculoſæ præſumptionis anfractu, cui ſe temerè obiecerunt, pedem reflecterent, & onus longè firmioribus humeris vix ferendum, Sacerdotibus in lege Dei die ac nocte à tot annis meditantibus, & vt ait S. Leo, *per longæ eruditionis ignem & per fornacem diuturni laboris excoctis*, *vltro ſuſtinendum relinquerent*, indicto ſibi tam neceſſariô quàm Eccleſiæ vtili, imò Deo & Angelis non ingrato ſilentiô.

Dolendum ſanè, vt in Eccleſia fiat quod pridem in republica Græcorum (vt ſapiens quidam querebatur) accidit. *Prodierunt oratores adoleſcentuli, noui, rerum imperiti, qui garrulitate ſua, inconſideratiſque conſiliis rempublicam perdiderunt. Spiritum*, ait Apoſtolus*, *nolite extinguere*, & *nolite contriſtare Spiritum ſanctum in quo ſignati eſtis?* Declamatores ſanè illi iuuenes, qui rhetoricis dumtaxat artibus parumper imbuti, ignari Theologiæ, Scripturæ ſacræ imperiti, vixdum ad minores ordines promoti, nullo rerum vſu præditi, neque de Dei gloria, neque de ſua, neque de populi curanda ſalute ſolliciti, ſed ſolo pruritu captandæ auræ popularis, aucupandíque fauoris humani, & agglutinandi pinguis, vt aiunt, cuiuſdam beneficij, æſtu propudioſo feruentes, imberbes & compti: Euangelicæ prædicationis ſibimet munus arrogare non verentur, cathedras inſigniores ambiunt, adulterantéſque verbum Dei, floſculos dumtaxat artificioſæ loquacitatis, ſacros in conuentus ſpargunt, doctrinâ Euangelicâ quaſi ingratâ importunáque ſuppreſſâ: Spiritum ſanè illum, quem Dominus, mittens diſcipulos ſuos prædicatum toto orbe Euangelium æternum, in eos inſufflauit, & poſt aſcenſum ſuum ad dexteram Patris vberiori influxu, ſub linguarum ignearum ſpecie effudit; *quantum in ſe eſt, extinguunt*, ipſique *ſpiritui gratiæ*, qui verba ſua, verba veritatis eſſe voluit & cathedras Eccleſiæ conſtituit veritatis oracula, non proſtibula vanitatis, *contumeliam faciunt.*

* 1. Theſſ. 5. 19. Epheſ. 4. 30.

Grauiter Tertullianus de genio hæreticorum conqueritur, apud quos quilibet immeriti, & munera quælibet obeunt, & gloriam mero ſuo ambitu cum publica pernicie promerentur; *Nuſquam*, inquit, *citiùs præficitur quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum illic eſſe, promereri eſt: Nunc Neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt.* Abſit, vt in Eccleſia Catholica quæ *caſtrorum acies eſt ordinata*, quia in ea omnia, ordine diuino conſiſtunt, & in qua vt docet Apoſtolus, *omnia cum ordine fieri* debent, temerario auſu quorumdam tyrunculorum imberbium, imperatores antequàm milites fieri ambientium, lues hoc, ſegregum propria, locum obtineat. Apoſtolus vetat *Neophytum* Epiſcopum, vel Preſbyterum ordinari; quia his incumbit non ſolùm regere populum, ſed & verbum Dei ex officio prædicare: *Amplectatur eum qui ſecundùm doctrinam eſt*, inquit, *fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt* (veritati) *arguere.* Monet idem Apoſtolus Timotheum ſuum, quem theorematibus Epiſcopalis muneris accuratim informabat, *Ne citò cuipiam manus imponat*, id eſt ante legitimum ordinandorum examen, tam circa mores quàm doctrinam; vel ante idoneam, tam arduo oneri ferendo ætatem. *Hæc commenda*, inquit, *fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Iſta autem diſpoſitio non ſolùm docendi, dicendíque reſpicit facultatem; ſed ætatem inſuper aptam, officióque huic omnium perdifficili congruam dignè ac fructuosè exequendo reſpicit.

Ætatis ratio magni quidem hæc in re eſt momenti: at hoc ſanè

non, vt par eſſet, perpendunt ij, qui in præmatura ætate ſeſe ingerunt Euangelicæ prædicationi. In lege veteri nullus Sacerdotum ante annum trigeſimum ætatis tabernaculo deſeruire poterat; & veteres canones prohibent Preſbyterum ante hanc ætatem ordinari. Ioannes Hieroſolymitanus Epiſcopus hac ex regula S. Hieronymo negotium faceſſiuit, quaſi præmatura ætate Paulinianum ſuum fratrem ad Preſbyteratum promoueri per S. Epiphanium procuràſſet; quam querelam refellens S. Hieronymus, *Occidentalium*, inquit, *Sacerdotum commouis aures, dicens eum adoleſcentem & penè puerum, Presbyterum conſtitutum: eius autem ætatem cùm ad annorum triginta ſpatia iam peruenerit, puto in hoc non reprehendendum, quæ iuxta numerum aſſumpti hominis* (à Domino) *perfecta eſt.*

Sed dicet quiſpiam, non hîc agi de ætate ad ordinem Sacerdotalem promouendorum, ſed eorum dumtaxat Clericorum, qui habendis concionibus ætate virenti ſeſe accingunt? Verùm cùm canones ſuperioribus Capitulis recitati, ſolis Epiſcopis & Preſbyteris munus prædicationis proprium eſſe definiant, nec permittant Diaconis, etiam infirmo, vel abſente Preſbytero, (contra quam regulam non ſine ſtupore & gemitu, paſſim iam hac in vrbe Regia conſpicimus Diaconos, imò & Subdiaconos, præſentibus Preſbyteris è loco ſuperiori ſolenniter prædicare) Dei verbum annunciare populo; ſed tantùm *Sanctorum Patrum homilias* è loco inferiori perlegere: facilè hinc intelligere eſt ætatem ad minus Sacerdotalem, ad officium prædicationis obeundum requiri. Nec tamen ſtatim ac quiſpiam Sacerdotio initiatus eſt, officio tam arduo ſeſe debere immiſcere exiſtimo, ſiquidem etiamſi, ex quo Sacerdos creatus eſt, habeat poteſtatem Miſſæ ſacrificium celebrandi, monet tamen eum Epiſcopus, ne citò hoc Sacerdotale officium exequatur: *Moneo vos* (inquit Pontifex ad recèns ordinatos Preſbyteros) *vt diligenter Miſſæ ordinem atque hoſtiæ conſecrationem, ac fractionem, & communionem, ab aliis iam doctis Sacerdotibus diſcatis, priuſquam ad celebrandam Miſſam accedatis.* Non abſimili profectò ratione, quamuis ius recipiant prædicandi, (vnde ab eis elicitur dum ordinantur, fidei Catholicæ profeſſio: *vertit enim ſe poſt communionem ad Preſbyteros ordinatos Pontifex; qui ante altare, coram ipſo ſtantes profitentur fidem quam prædicaturi ſunt &c.*) munus hoc tamen Euangelicum aggredi non debent, priuſquàm congruo ſpatio temporis ad id ſeſe ſedùlò diſpoſuerint, non modò priuatim ſtudendo, ſed etiam ſub doctorum Preſbyterorum, & officij prædicationis peritorum magiſterio didicerint, quo modo id poſſint rectè & vt oportet exercere.

Iam verò ſi conueniamus iuuenculos illos verbi Dei præcones, quo Magiſtro artem illam prædicandi adeo difficilem, tam breui tempore perdiſcerint, támque perfectè, vt inter primæ lanuginis erumpentes pilos, ſapientiæ cœleſtis ſeſe Magiſtros audeant profiteri: vix quempiam repereris, qui ſe ab alio doctore, quàm ſeipſo inſtructum hac in functione, poſſit oſtendere; at multos qui hoc ipſo

nomine glorientur, quòd ſibimet facem prætulerint, ineundæ huic ſublimi adeo profeſſioni. At Chriſtus qui eſt verbum & ſapientia ſui æterni Patris, non ſeipſum huic officio ingeſſit, ſed accepto libro Iſaiæ ad interpretandum, ante omnia proteſtatus eſt, ſe à patre miſſum & inſtructum: *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me &c.* Luc. 4. 18. & Ioan. 12. 49. *Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi pater, ſic loquor.* Paulus vas electionis ad pedes Gamalielis Legem Moyſi, & Prophetas ſe didiciſſe gloriatur. *Et iam factus Apoſtolus, poſt Damaſcum, Arabiámque luſtratam* (ait S. Hieronymus in Epiſtola didactica ſuper libros ſacros ad Paulinum) *aſcendit Hieroſolymam, vt videret Petrum, & manſit apud eum diebus quindecim; hoc enim myſterio hebdomadis & ogdoadis, FVTVRVS GENTIVM PRÆDICATOR INSTRVENDVS ERAT.*

Agricolæ, (pergit dicere S. Hieronymus) *cæmentarij, fabri, metallorum, lignorúmque cæſores, lanarij quoque, & fullones, & cæteri qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricantur, abſque Doctore eſſe non poſſunt quod cupiunt: quod Medicorum eſt promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant, &c. hanc ſophiſta verboſus, &c. hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.* Auertit autem ab hoc auſu Paulinum: *Hæc,* inquit, *à me perſtricta ſunt breuiter &c. vt intelligeres te in ſacris ſcripturis,* (hæc porrò ſcientia prædicationis eſt) *ſine præuio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.*

Sed ad ætatem quod ſpectat legitimam Concionatoris redeamus. Idem S. Hieronymus in cap. 1. Ezechielis, ipſum notat anno trigeſimo ætatis prophetandi officium inchoaſſe. Ea ætate fuiſſe Ioſeph quando in Ægypto populo eſurienti frumenta largitus eſt, Geneſ. 40. vbi gloſſa interlinearis habet, *ante eam ætatem neminem aſſumi debere ad Sacerdotium, vel officium prædicationis.*

Concilium Neocæſarienſe anno Chriſti 314. celebratum, & à Leone IV. poſtmodùm probatum, diſt. 20. de libellis, inſignem hac de re canonem promulgauit ſerie 11. qui in Codicem ſacri Iuris relatus legitur, diſt. 78. c. *Presbyter ante*, hoc contextu: *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis ſit probabilis vitæ, ſed obſeruet vſque ad præfinitum tempus. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus triceſimo anno baptizatus eſt, & tunc prædicauit.*

Fateor poſteriores canones priſcorum rigorem nonnihil temperaſſe, quoad tempus ordinationis. Indulſerunt enim anno ætatis 25. poſſe Sacerdotem promoueri. Sed nunquid ideo hac in ætate, adhuc efflorenti, & nondum graui adeo oneri matura, permiſit iuuenculos illos Sacerdotes, munere ordinario Euangelium prædicare, magiſteriúmque cœleſtis ſapientiæ palam & vbique profiteri?

S. Lucas Euangeliſta non abſque cauſa, annum ipſum notauit c. 3. quo S. Ioannes Baptiſta prædicare cœpit, qui fuit 30. eius ætatis: Quum enim Auguſtus Cæſar annis 57. imperauerit, & anno imperij eius 42. idem B. Ioannes natus ſit, ipſi autem Auguſto, Tiberio proximè ſuccedente, ipſius anno 15. prædicare cœperit, manifeſtum

ſtum eſt 30. annos ætatis Beatum Ioannem ante prædicationem compleuiſſe, quindecim ſub Auguſto, & quindecim ſub Tiberio, & tamen tantæ virtutis Ioannes erat, (qui repletus fuerat Spiritu ſancto ab vtero matris ſuæ, & prima ætate ſanctiſſimè in deſerto vitam duxerat) vt ante annum ætatis 25. idoneus ad prædicandum videri potuerit, imò etiam extiterit, haud tamen ante annum 30. *factum eſt verbum Domini ſuper eum in deſerto, vt veniens in omnem regionem circa Iordanem prædicaret.* Condemnat ſanè hoc exemplum ambitionem & præſumptionem adoleſcentum noſtri temporis, qui poſt ſæculares litteras, vel minus, vel plus ſanè quàm foret neceſſum delibatas, repentè munus prædicationis arripiunt, nec minùs indocti in libris ſacris, quàm ſunt imberbes, cathedras Eccleſiarum inuadunt, factíque Magiſtri ante tempus neſciunt vt plurimum (ſicut ait Apoſtolus) *neque de quibus affirmant, neque de quibus eloquuntur. Sermone compoſito* (ait vbi ſuprà S. Hieronymus) *aures populi mulcent, & quicquid dixerint hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur quid Apoſtoli, quid Prophetæ ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia &c. Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores, imò vt cum ſtomacho loquar, nec hoc quidem ſcire quod neſcias.*

S. Gregorius Nazianzenus (cuius hac die qua hæc ſcribo ſacra memoria celebratur) hanc adoleſcentum noſtrorum feruentiorem impetum ſolita eloquentia perſtringens, ſolidis etiam rationibus retundit orat. 2. in ſancta Epiphaniorum lumina, de Chriſti Baptiſmo diſſerens: *Spiritalis*, inquit, *& corporalis ætatis perfectio, eos tangit qui per diſpenſatores myſterij promouentur &c. Tangit etiam qui iuuentuti confidunt, & omne tempus doctrinæ & prælationis eſſe exiſtimant: Et tu antequam tibi genæ barba veſtiantur, ſeniores doces, vel docere credis nec ætate nec moribus venerandus. Sed in promptu Daniel eſt. Verùm non quod rarò accidit Eccleſiæ lex eſt, quandoquidem vna hirundo ver non efficit, nec linea Geometram.* Et in Apologetico ſic queritur, *Ita fit vt ex nobis plures penè antequam primos pueritiæ pilos tondeamus, dum adhuc puerile balbutimus, vix dum Dominica atria ingreſſi, ſacrorum librorum vix ſaltem nomina cognoſcentes, & vtriuſque ſcripturæ auctores & characteres; ſicubi duo vel tria piorum virorum verba, aut totidem ex antiquis tractatoribus ſermones didicerimus, idque ex auditu magis quàm ex lectione &c. ac veſte vel fuſiori compoſita, &c. ad zonam vſque philoſophiam oſtentantes, ita pietatis ſpeciem appingere & faciem colorare cœperimus: Papæ! quàm & dignitate & prudentia reliquos excellere & aliis præeſſe, admirationique eſſe continuò volumus? quaſi Samuel aliquis iam inde à cunabulis conſecrati nobis videmur, & mox ſapientes & Doctores in diuinis myſteriis ſublimes, inter legis ſcribas & interpretes noſmetipſos ordinamus, veluti cœlites quidam incedimus, volentes ab hominibus vocari Rabbi.* Matth. 23. Hæc aliáque in eo genere præclara, pro genio & more ſuo Gregorius ille, digniſſimo cognomine dictus Theologus; ab ipſóque ſancto Hieronymo, qui eius auditor fuit, *os Chriſti & ſacrum Spiritus ſancti promptuarium.*

VVuu

CAPVT VI.

An iuuenilis ætas, ex dictis, omninò, ab ſtudio & officio prædicationis excludatur?

VERVM hæc ſeueriùs pleriſque dicta, haud dubito videbuntur, qui & nonnulla ſacræ auctoritatis oracula, & adoleſcentium quorundam inſignium, qui probante Deo verbum eius prædicârunt, populoque laudabiliter præfuerunt, exempla contra ſuperiùs inducta obiicient, vnde aduerſam quam tenent ſententiam tueantur.

Viſus eſt S. Bernardus ep. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ſcripta, omnes, vel ſaltem potiores rationes, exempláque complecti quæ iuuenibus ad præfecturas Eccleſiaſticas promotis, cathedríſque regiminis & doctrinæ inſidentibus, opitulari videntur, vbi enim pleraque pro ſuperiori ſententia dixiſſet, quaſi in oppoſitam opinionem deflectens, per modum exceptionis ſubiungit: *Nec dicimus quamcunque ætatem Dei gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram. Cùm multos videamus iuniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt compenſare virtutibus. Boni pueri qui quod ætate videntur, eſſe ſtudent & malitia, malitia inquam, ſed non ſenſu. Quorum iuxta admonitionem Apoſtoli, nemo contemnat adoleſcentiam. Meliores bonæ indolis adoleſcentes, inueteratis dierum malorum; Puer centum annorum maledictus eſt, & è regione ſenectus venerabilis non diuturna neque annorum numero computata. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus erat auditor, dicens, loquere Domine quia audit ſeruus tuus. 1. Reg. 3. Bonus & Hieremias, qui antè ſanctificatus quàm natus, cùm ſe excuſaret de pueritia, nihilominùs conſtitutus eſt ſuper gentes & regna. Bonus quoque Daniel, cuius ſpiritum ſuſcitauit Deus vt conuinceret omnia iniqua iudicia & ſanguinem innoxium liberaret. Denique cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata.*

Hæc quidem lubens admitto, in fauorem piæ & eruditæ iuuentutis, producta à S. Bernardo exempla & argumenta; ſed cum prudenti moderamine, quod ipſemet continuò ſubnectit, *Sicubi huiuſmodi puer ſenex promotus inuenitur, opus Dei eſt, iis qui tales non ſunt mirandum, non imitandum.*

De S. Remigio, in eius actis legimus annos ipſum natum 22. ad infulas Eccleſiæ Rhemenſis, Comprouincialium Epiſcoporum iudicio & vniuerſi Cleri ſuffragio, plebíſque gratulatione & applauſu fuiſſe prouectum. *Et cùm ad viginti & duos ætatis ſuæ annos peruenit* (verba ſunt Hincmari hiſtoriam vitæ eius deſcribentis *) *defuncto Bennadio Archiepiſcopo in hac vrbe Rhemenſi, omnium generaliter votis ad Pontificij culmen raptus fuiſſe dignoſcitur, potiùs quàm electus. Fit ergo concurſus populi, diuerſi quidem ſexus, conditionis & dignitatis, nec non & ætatis, ſed vnius at-*

* c. 5. apud Surium tom. 1. die 14. Ian.

que eiuſdem ſententiæ: cuncti hunc verè Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamabant. Sed quædam ſunt circa eius promotionem conſideranda.

I. *Quod quantum potuit renixus eſt: cauſatus ad obicem ponendum, præter alias rationes ipſius ætatis defectum. Cùm his acclamationibus ſe vrgere conſpiceret, de infirmitatis & ætatis ſuæ tempore conqueri cœpit, & quia Eccleſiaſticus ordo infirmam ætatem, ad hanc non reciperet dignitatem.*

II. *Deum ſpectabili indicio oſtendiſſe electionem iſtam à ſe profectam eſſe, etenim cùm modo prædicto reniti conaretur* (pergit præfatus Auctor) *videntibus cunctis qui aderant, deſcendit ſubitò radius noui luminis ſuper ipſius ſancti viri verticem, ac ſi ipſe ſol de cœlo motus ſuper eum ceciderit &c. Placuit etiam omnipotentiæ diuinæ huic miraculo aliud addere &c. etenim radio ſupradicto ſe illuſtrante, ſenſit capiti ſuo vnguinis ſacri infuſum liquorem, quo totum eius delibutum eſt caput &c. vt qui oleum ſpirituale populis, quo eorum quidem capita viſibili, mentes autem prædicatione, ſancto Spiritu in ſe loquente, vncturus erat chriſmate inuiſibili, id eſt gratia eiuſdem Spiritus ſancti, ipſe quoque priùs tali vnctione inſigniretur.*

III. *His tantùm ſignificationibus diuinæ voluntatis inductum, ſuæ electioni conſenſum præbuiſſe. Acceptis autem talibus ac tantis auſpiciis, diuinis timuit contraire ſtatutis. Poſthabita igitur omni dubitatione, vnanimitate Epiſcoporum Rhemenſis Prouinciæ, infulis induitur Sacerdotalibus, benedictione conſecratur Epiſcopali, atque in ſede Præſulatûs collocatur.* Videlicet nec petita, nec obtenta Pontificis Romani diſpenſatione, quia nimirum diuina Maieſtas hoc totum ſuum conſilium & opus eſſe, patentibus eiuſmodi indiciis oſtenderat.

Si quis porro trahere voluerit hanc S. Remigij ordinationem in exemplum, hæc arceſſat ſibi ſubſidia neceſſe eſt, 1. Panopliam inſignium virtutum, quibus ſanctiſſimus hic adoleſcens ex repromiſſione natus, ab ortu ſuo diuinæ benedictionis ſignis patentibus refulgens, innocentiæ, pietatis, doctrinæ, charitatis, quin & auſteritatis ſtupendæ irradiationibus conſpicuis omnium in oculis emicuit. 2. Vota ardentiſſima vniuerſi populi, Cleri totius poſtulationem inſtantiſſimam, Epiſcoporum vnanime iudicium. 3. Diuinæ Maieſtatis tam ſplendidis ſignis teſtatam approbationem. 4. Poſtquam ſic fuerit electus, vocatus & ordinatus, ſupparem diuinæ ſuſceptæ diſpenſationis ſucceſſum. De moribus etenim idem eius ſucceſſor Hincmarus, & ipſe inſignis, licèt non immediatus, hæc compendioſè expreſſit ab ingreſſu ſuo: *Sic apparuit aptus & deuotus, tanquam ſi officio ad quod nouiter aſcenderat iugiter præfuiſſet. Fuit itaque in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione deuotus, in humanitate profuſus, in doctrina præcipuus, in charitate perfectus, in ſermone paratus, in conuerſatione ſanctiſſimus: Quicquid ad ſalutem poſſet pertinere æternam, non minus implebat beatiſſimus opere, quàm* SERMONIS PRÆDICATIONE DOCEBAT. Si quis ita fecerit, & docuerit, ipſe quidem non puſillus, ſed magnus meritò habebitur *Matth. 5. 1.* in regno cœlorum.

Verùm plus me exigere quàm par ſit nonnemo hîc obiiciet; *Mul-*

Ioan.14. 2. *tæ ſunt manſiones* (ait Dominus) *in regno patris mei: ſtella differt à ſtella in* 1. Cor. 15. 41. *claritate. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? gratia Dei ſu-* Ibid. 12. 29. *mus vnuſquiſque quod ſumus*, & ſine gratia nihil ſumus, nihil poſſumus: Epheſ. 4. 6. Deus autem *cuique ſecundùm propriam menſuram, gratiæ ſuæ dona diſpenſat; alij ſic, alij verò ſic.* Primitiæ ſpiritus datæ ſunt Apoſtolis, Apoſtolicorúmque Chariſmatum affluentia quæ primis ſæculis Eccleſiam inundabat, paulatim decreuit. Ad ea ſæcula quæ nouiſſima ſunt, & tempora illa periculoſa ab Apoſtolo prædicta, iam deuenimus, in quibus dicere poſſumus cum Propheta, *Saluum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Pſ. 11. 1. ſi iam enim S. Cyprianus aſſerit ſuo tempore, quo ethnicæ crudelitatis theatra, cruore Chriſtiano adhuc madebant: frigentibus tamen iam pleriſque Chriſtianis, in medio Martyrum ardore, priſtinam pietatem, * Serm. de lapſis. charitatem, diſciplinámque elanguiſſe*: minimè tamen periiſſe, quia ſolis lapſis conſtare Eccleſiam, fidéque eam excidere, ſpem perdere, aut in ea charitatis ſpiritum extinctum iri, diuina miſericordia nunquam patietur, epiſt. 27. Qualiacumque ſint tempora, infidelitas hominum, fidem Dei non euacuabit: *Non deficiet vnquam nix Libani:* neque candor iuſtitiæ & veritatis, in Eccleſia Catholica quam ſupra petram Chriſtus ædificauit, itidem deficiet. Erit ſemper *meſſis multa licèt operarij pauci.* Et ſanctitas ſemper in Eccleſia permanebit, quam- Luc. 10. 2. uis arctioribus circumſepta cancellis, ad comparationem Apoſtolorum, & Sanctorum aliorum qui per temporum ſucceſſionem miniſterium ſalutis in Eccleſia geſſerunt, non eſt quod nunc paſtorum ac prædicatorum perfectionem exigamus. Indiget ſi vmquam aliquando opus habuit, miniſtris verbi vitæ ſacro-ſancta Eccleſia. Porro ſi ad antiquorum Canonum ſeueritatem, eorum dotes ætatémque ipſa expenderet, vix iam inueniret qui ſubeundo huic oneri pares eſſent, ſicque pleriſque opportunis ac neceſſariis ſeſe priuaret ſolatiis, & paruulis petentibus panem, multis in locis non eſſet qui frangeret, vnde ingens animarum pernicies oriretur. His igitur vt occurſum ire poſſit incommodis, neceſſum habet, citiùs quàm olim operarios ad laborem vel catecheſis, vel prædicationis, onúſque regiminis animarum admittere; & hoc obtentu indulgere vt iuuenes Sacerdotes dummodo docti ſint, piíque, & vitæ innocentia conſpicui, his muneribus adhibeantur. In Panoplia noſtra Clericali modum ſatis accuratim expreſſimus, quo ſiue à puero bonis moribus cum pietatis ſpiritu imbibendis, ſiue humaniorum litterarum ſtudio ineundo ſeſe quiſque provt decet & oportet adaptare poſſit; deinde cum progreſſu ætatis factus Clericus, ordinibus cùm minoribus, tum ſacris ritè initiari queat: prouectus autem fructuoſè & decenter in vnoquoque gradu infra Sacerdotium ſeſe gerat; maximè verò quâ viâ, tam Theologiæ quàm ſacrarum litterarum lectioni & meditationi, ſanctorúmque Patrum doctrinæ perdiſcendæ ſe diſponat. Hunc tramitem ſi quo par eſt ſtudio ineat ac conſectetur, futurum ſpero, vt præmatura ætas non graui ſit ei detrimento; *Siquidem nulla regno Dei infirma*

eſt ætas, (ait magnus Ambroſius, lib. 7. Comm. in Luc. ad c. 15.) *nec fides grauatur annis, ipſe enim ſe indicauit idoneum qui popoſcit. Siquis enim indiget ſapientia* (ait S. Iacobus) *poſtulet à Deo &c. nihil hæſitans, & dabitur ei. Omne enim datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Iacob. 1.

CAPVT VII.

De auxilio diuino ante omnia expetendo Sacerdoti, vt prædicationis officium piè & feliciter aggrediatur.

SANCTI Ambroſij ſuſpiciendum exemplum, & æterna dignum memoria documentum, ad præfixi lemmatis confirmationem, ſolum mihi videtur ſatis ſupérque eſſe poſſe. Is igitur lib. 1. de virginibus ad Marcellinam ſororem ſuam, rationem reddens, cur cùm plurimùm de viribus ſuis diffideret, arduum tamen opus prædicationis Euangelicæ, poſtquam Sacerdotio fungi cœpit, ſit aggreſſus: *Ingenio* (inquit) *diffiſus, ſed diuinæ miſericordiæ prouocatus exemplu, ſermonem meditari audeo. Nam volente Deo etiam aſina locuta eſt; Quod ſi mihi, ſub iſtius ſæculi oneribus conſtituto aſſiſtat Angelus, ego quoque muta diu ora laxabo; poteſt enim impedimenta ſoluere imperitiæ, qui in illa aſina ſoluit naturæ. In arca veteris Teſtamenti, virga floruit Sacerdotis, facile Deo eſt vt in ſancta Eccleſia de noſtris quoque nodis, flos germinet. Cur autem deſperandum quòd Dominus loquatur in hominibus, qui eſt locutus in ſentibus, nec rubum eſt dedignatus? Atque vtinam meas quoque illuminet ſpinas! Erunt fortaſſe, qui etiam in noſtris ſentibus aliquem mirentur lucere fulgorem; erunt quos ſpina noſtra non vrat, erunt quibus de rubo audita vox noſtra ſoluat de pedibus calciamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis inceſſus. Quod ſi nomen Ioannis reddidit patri vocem, ego quoque deſperare non debeo, quin vocem licèt mutus, accipiam, ſi loquar Chriſtum.*

At verò nemo poteſt dicere, *Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto.* 1. Cor. 12. 3. Spiritus autem ille antequam quiſque Chriſtum eloquatur, ſumma inſtantiâ pietatis & orationis ſedulæ ac humilis ſtudio, poſtulari debet, ſicut ipſe per oraculum hoc ſuum nobis ſignificat, Eccleſ. 39. *Sapiens cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis* (quæ ſcilicet obicem gratiæ Dei ponunt) *deprecabitur; ſi enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium illius.*

Quàm multos agnoui, qui viribus ſuis innixi, omnémque ſuam fiduciam in induſtria ſua reponentes, in auguſtioribus Regiæ vrbis cathedris in feſto ſolenni, in frequenti auditorio, prædicationem aggreſſi, ingenti cum pudore repentè obmuteſcendo receſſerunt. Nihil tamen iſti induſtriæ prætermiſerant, vt ſe tam inſigni actioni

præpararent, floſculos eloquentiæ incredibili ſtudio collegerant, omnes ingenij neruos adhibuerant, elaborando, vt raris diſſerendi artificiis mulcerent auditorum aures, traherent ad ſe affectus & ſui admirationem in eorum mentibus excitarent. Fruſtrà tamen tota hæc eorum intentio fuit, gloria enim eorum conuerſa eſt in confuſionem ipſorum: videlicet quia in auxilio Dei ſpem non repoſuerant, & ab oratione opus illud Domini non fuerant exorſi, impletum eſt in illis hoc vaticinium Prophetæ, *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor* (Pſ. 52. 6.) *Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent; confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos.*

Clauis ſcientiæ, oratio eſt, ſine qua ſapientiæ Chriſtianæ nemini patet aditus, & ſacræ Scripturæ quæ fons eſt prædicationis, ſignacula non reſerantur. Quapropter exprobrat Phariſæis Dominus, qui neglecta Dei deprecatione, ſolo ducti ſuperbiæ ſpiritu diuinæ legis arcana præſumebant populo exponere, incaſſum id eos niti, deeſſe enim illis ſacræ orationis ſubſidium, ſine quo nulli via ad intelligentiam ſanam verbi Dei pateret. *Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ; ipſi non introiſtis, & eos qui introibant,* (id eſt introire volebant) *prohibuiſtis:* Luc. 11. 51. videlicet malo exemplo, & falſa vel futili interpretatione veſtra. Permittit enim iuſto Deus iudicio, vt qui proprio fiſi ingenio, ſuperna neglecta ope, non glorificandi Deum, ſed placendi hominibus, ſibique optata parandi, officio prædicationis, & ſacræ Scripturæ expoſitioni ſe ingerunt, in funeſtos corruant lapſus, vtque ſerpentes ex floribus venena conficiunt, de verbis veritatis errores conflent, *verbis legis* (ait ſcitè præfatus S. Ambroſius) *legem impugnent,* ſicque paulatim perdentes fidem & bonam conſcientiam, in ſempiternum naufragium abeant præcipites. Porrò qui non adeo mali ſunt, ſed tamen Ciceroniani magis quàm Chriſtiani nominis laudem ambiunt, ſpretis Patribus, neglecta Scriptura, contempta Theologia, argutiis inanis philoſophiæ & humanæ ſapientiæ perſuaſibilibus verbis toti intenti, prorſus à ſcopo ſuo (qui vanæ mundi gloriæ ſtudium eſt) excidant, & nec quod quærunt inueniant, nec quod maximè cupiunt, aſſequantûr. *Conuerſi ſunt in vaniloquium* (ait Apoſtolus 1. Timoth. 1. 6.) *volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Chriſtus Apoſtolos ſuos, quos primos Euangelij ſui nuncios & ſcientiæ ſalutis doctores conſtituit, ideo admonebat, vt propriæ conſcij infirmitatis nihil in verbo, vel opere vnquam aggrederentur, quin ante omnia imploraſſent ſuæ gratiæ auxilium: *Ego ſum* (ait) *principium, qui & loquor vobis: Principium & finis. Ego ſum oſtium, ſine me nemo venit ad patrem, ſine me nihil poteſtis facere.* Quibus diuinis theorematis inſtructus vas electionis Paulus, etſi ab ipſo Chriſto Domino iam in gloria patris regnante vocatus Apoſtolus, Doctor gentium factus, & prædicator veritatis in vniuerſo mundo, ipſóque in paradiſo inter Seraphim edoctus, ſemper ad orationis ſubſidium, vt Moyſes quondam ad diuinum Tabernaculum, recurrebat: neque

propriis tamen ſiſus meritis fidelium enixè poſcebat pias ad Deum pro ſe iugiter effundi preces, *Obſecro vos fratres* (ad Romanos ſcribens c. 15.) *per Dominum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me apud Deum.* Quo fine? nempe quem potiſſimum eodem capite præſignauerat, *vt ſim Miniſter Jeſu Chriſti, in gentibus ſanctificans Euangelium Dei.* Et ad Philippenſes c. 1. vbi de officio prædicationis à quibuſdam rectè & ſecundùm Deum inito: ab aliis verò tantùm per inanem gloriam, vel aliam eiuſmodi occaſionem vſurpato, quædam ex intimo corde monita depromſiſſet, confeſtim ſubiungit, *Quid enim? dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo; ſed & gaudebo: ſcio enim quoniam hoc mihi proueniet ad ſalutem per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti ſecundùm expectationem & ſpem meam, quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem: Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* O vas dignum electionis! vas honoris & gratiæ, vas decoris & virtutis, vas reuera ornatum omni lapide pretioſo! Quàm mirè honoras Domini Euangelium? quàm dignè imples miniſterium tuum? *In Chriſto enim poſitus ſum* (ais ad dilectum tuum) *prædicator & Apoſtolus, doctor gentium, in fide & veritate,* 1. Timoth. 2. Non in ſyllogiſmis & fallaciis, & huiuſmodi ſophiſticis artibus inanis philoſophiæ; non in futilibus Rhetoricæ forenſis figuris, non in floſculis ſæcularis eloquentiæ, ſed *in fide & veritate;* In fide quæ Dei gloriam manifeſtat, & eius miſericordiam prædicat, quæ Catechumenos illuminat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, peccatores ſaluat, iuſtos coronat. In veritate quæ diuina myſteria quæ non videt credit, quæ æternam beatitudinem aſſequendam omnibus certis mediis oſtendit, quæ Deum verum puro & ſincero cultu adorat, quæ neminem fallit, quæ vnicuique quod ſuum eſt reddit; quæ non tantùm verbo & lingua proximum diligit, ſed opere & actu amat; quæ fidem otioſam eſſe non ſinit, ſed viuam efficit & in charitate operantem. In fide denique, quia Domino meo ſum fidelis; in veritate, quia mundo doctrina illa cœleſtis, eſt quam prædico ſalutaris. At magne Paule, cùm ita ſit, cur ſecurè fidem illam non prædicas? quare opem per fidelium orationes tanta pietatis inſtantia, tanta animi demiſſione depoſcis? Nimirum quia ſine diuinæ gratiæ auxilio tam arduo prædicationis Euangelicæ exequendo muneri mihi vires non ſuppetunt, ſed planè deficiunt, nec dignum me puto, qui valeam hoc diuinum adiutorium meis precibus promereri: Peto igitur interceſſionis fidelium apud diuinam Maieſtatem ſubſidium, quia Dominus multorum orantium in nomine ſuo lubentiùs ſolet exaudire deprecationes. Nomen quidem ſuum me portare coram gentibus, regibúſque & filiis Iſrael præcepit *, ſed ad nominis eius enunciandum præconium, mihi eius gratiæ & virtutis neceſſarium eſt auxilium.

S. Aug. de verbis Domini.

* *Act. 9. 15.*

Rectè S. Ambroſius exponens hæc S. Lucæ verba, *Exiit Ieſus in*

Lib. 5. Comm. in Luc. ad c. 6.

montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Orat, inquit, *Dominus non vt pro ſe obſecret, ſed vt pro me impetret. Nam etſi pater omnia poſuerit in poteſtate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obſecrandum patrem putat eſſe pro nobis; ſpecies tibi datur, forma præſcribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro te facere oportet quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? quid te facere conuenit, cùm vis aliquod officium pietatis adoriri?* Chriſtus in oratione Dei pernoctabat, & die docebat populum, vt nimirum doceret Euangelij ſui præcones, ab oratione hoc miniſterium eſſe ſalutis inchoandum: nec obiter orandum vt diuinæ gratiæ auxilium impetretur, ſed inſtanter & diu ac feruenti deuotione. Chriſtus miſſurus Apoſtolos orauit priùs, vt orationem præludium Euangelicæ prædicationis eſſe oſtenderet, & eis innueret potiùs orationi, quàm doctrinæ ſtudio nuncios gratiæ, fiduciæ ſuæ debere anchoram ire defixum.

Hoc Dominicum documentum Apoſtoli alta mente retinentes, orationem prædicationi ſemper anteferendam eſſe cenſuerunt, decretóque inſigni declarauerunt, Act. 6. *Non eſt* (inquiunt) *æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Vbi palam eſt illos coniunctim quidem orationem & prædicationem, ſibi Apoſtolico ex officio obeundam profiteri: orationem tamen prædicationi præponere, tanquam riuulo fontem, fundamentum ædificio, radicem ramo, & effectui cauſam.

CAPVT VIII.

Opem Beatiſſimæ Virginis Deigenitricis deuotè poſtulandam eſſe: etiam publicè, iuxta piam iam olim receptam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem.

ARTICVLVS I.

Sanctiſſimam ipſam Virginem, Apoſtolorum & Euangeliſtarum Magiſtram verè extitiſſe.

MARIÆ venerabile nomen vi ſuæ originis præclara pleraque complecti elogia, ſancti Patres certatim ſcrutando repererunt atque tradiderunt. Verùm inter varios ſignificatus, quibus ſacrum illud nomen excellentiam Virginis beatiſſimæ, glorioſiſſimæque Deigenitricis deſignat, non poſtremo loco reor eſſe acceptionem hanc referendam, qua Mariam *illuminatam* non modò, ſed etiam *illuminatricem* perſonare ſancti ipſi Patres docuerunt. Etymologiis accuratè expendendis hîc non immorandum mihi puto: cùm ad Grammaticorum, maximè Hebraicæ linguæ peritorum, negotium

gotium eiuſmodi iure cenſeam diſcuſſionem huiuſmodi referendum eſſe. Sat eſſe mihi videtur quod ſapientiſſimi Patrés hoc epithetum includi, in ſinu Mariani nominis, ſint grauiſſima teſtificatione profeſſi, videlicet S. Eucherius Lugdunenſis, in libello aureo de altercatione Eccleſiæ & Synagogæ, S. Iſidorus, lib. 7. Etymologiarum, Venerabilis Beda, ad cap. 1. Lucæ, S. Bernardus ſerm. ſuper Miſſus eſt, & ſerm. de Natiuit. eiuſdem benedictæ Virginis; aliíque non nulli recentiores ſacræ ſcripturæ interpretes, quos breuitatis gratiâ nominatim recenſere prætermitto.

Ioannes Fungerus, in Etymologico Trilingui, ſub vocabulo, *Maria*, tametſi honorificè illud exponit ad gloriam incorruptæ Virginis Deiparæ: minus tamen probat Venerabilis Bedæ & S. Bernardi ſententiam, qui diuinum hoc oraculum, *Orietur ſtella ex Iacob*, impletum fuiſſe in ipſa Virgine Benedicta cenſuerunt, *quanquam* (ait) *conuenientius fortaſſe vaticinium illud de Chriſto intelligi poſſit, qui ſolus gratiæ ſuæ radiis illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1.* Sed leuis eſt hic ſcrupulus; ad litteram enim intelligi locum hunc de ipſo Chriſto non diffitemur, ſed per accommodationem à ſanctis illis Patribus, vim nominis Mariæ, & ſanctæ ipſius Virginis excellentiam gratiæ conſiderantibus, ſine vllo gloriæ eius filij detrimento, eidem Virgini adaptatum, facile eſt aduertere ex diſcrimine inſigni, quo iſtam applicant ſignificationem. Aiunt enim, *Mariam* ſimul dici *illuminatam*, & *illuminatricem*, quod Chriſto non quadrat, ipſe enim illuminat non illuminatur: ſed *ipſe eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* At ideo Beata virgo illuminat, quia illuminatur: eapropter *ſtella* dicitur quæ lumen ſuum à ſole mutuatur. Sol iſte Chriſtus eſt, filius eius & Deus ac Dominus noſter Apoc. 12. *Apparuit mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* Sol igitur gratiæ & iuſtitiæ, qui Chriſtus eſt, Mariam illuminat: ipſa verò ſuſceptum à Sole lumen (vt Luna in res inferiores) ſic in nos ipſa refundit, quamobrem ſimul eſt *illuminata & illuminatrix*, quia quicquid habet, & in nos deriuat, à filio ſuo recipit. Doctrina eſt ſancti Dionyſij ſic ſe habere ſtatum cœleſtis Hierarchiæ, vt inferiores ordines Angelorum illuſtrentur à ſuperioribus. Maria longè ſupereminet Angelis & Sanctis omnibus in lumine gratiæ & gloriæ, magíſque his omnibus antecellit, quàm Seraphim & Cherubim Angelos ipſos inferiores hoc in lumine ſuperant. Eapropter *exaltata ſuper omnes choros Angelorum*, ab Eccleſia prædicatur, Sanctorúmque omnium Regina ac Magiſtra meritò agnoſcitur & prædicatur.

Huc ſpectat inſignis ſententia S. Anſelmi, lib. de excel. Virg. c. 7. *Licèt ipſi Apoſtoli per reuelationem Spiritus ſancti edocti fuerint in omnem doctrinam incomparabiliter: tamen eminentiùs ac manifeſtiùs ipſa per eum ſpiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc eis multa reuelabantur, quæ non ſolùm in ſe ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat.* Solerter igitur & egregiè Rupertus lib. 2. de gloria filij ho-

minis, inter alia præclara de B. Virgine, hæc habet: *Habuit Beata Virgo tempus loquendi & tempus tacendi: tacuit quamdiu Chriſtus in hoc mundo vixit, cùm in corde ſuo omnia verba diuina conſeruabat & conferebat, Luc. 2. Locuta eſt poſt Chriſti aſcenſionem, cùm in multis ſubobſcuris arcanis mentes eorum illuminauit.*

Et quidem de S. Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, B. Ambroſius, lib. de inſt. Virg. c. 7. prudentiſſimè arbitratur, Ioannem ipſius ſanctiſſimæ Virginis cuſtodem perpetuum, plura ſublimiora de Chriſti diuinitate myſteria didiciſſe, & hinc Euangelium ſuum altiùs admodùm exorſum, intonuiſſe, *In principio erat Verbum. Mirum non eſt* (ait S. Ambroſius) *præ cæteris Ioannem locutum fuiſſe diuina Myſteria, cui præſto erat aula cœleſtium Sacramentorum.*

* Nota diligenter.

Ita & Lucam qui pleraque enarrat ſoli Virgini ab initio comperta, ipſiúſque mentis rimatur & reſerat penitiores receſſus: non dubito ab ea horum notitiam arcanorum delibâſſe. id ipſe non obſcurè prorſus in limine ſacri ſui Codicis Euangelici ſubindicat, *Sicut*, ait, *tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis.** At ſanè Apoſtoli ab ipſo exordio, res Chriſti non viderunt. Quæ igitur enarrat ipſe Lucas de S. Ioannis conceptione & natiuitate, de Gabrielis annunciatione, de Chriſti incarnatione, de Elizabeth viſitatione & myſteriis tunc peractis: de Cantico illo, *Magnificat*, à Virgine pronunciato, de eiuſdem partu, Chriſti natiuitate & circumciſione, nominis Ieſu impoſitione, ipſius Domini in templo præſentatione, de fuga in Ægyptum, reditu in Iudæam, deſcenſu in Nazareth, & aliis quæ vſque ad baptiſmum Ioannis ſcripſit, non ab Apoſtolis accepit, quia ab initio non viderunt, ſed ab ipſa Virgine benedicta didicit, quæ *multiocula*, vt eleganter eam vocat ſanctus Epiphanius, & *ſecreti cœleſtis conſcia*, vt ait S. Ambroſius, ſola ab ipſo principio hæc omnia conſpexit, inter quæ nonnulla cogitauit, dixit, fecit: *Verbi enim diuini incarnandi* (ſcitè ait Beda) *miniſtra facta eſt temporalis, ſed eiuſdem ſemper amandi & exaltandi cuſtos manebat æterna**. Quæ igitur ſibi ſoli erant cognita myſteria, haud dubium quin Apoſtolis & Euangeliſtis res Chriſti ab initio deſcribere optantibus, pro eius gloria & Eccleſiæ inſtructione reuelauit. *Ab ipſa* (ait Euſebius Emiſſenus) *hæc Apoſtoli audierunt, & ipſa dictante ſcripſerunt, nobíſque legenda mandauerunt.* Eapropter MATREM CREDENTIVM, Abulenſis obſeruat à ſanctis Patribus, Auguſtino & Bernardo, meritò fuiſſe appellatam, ab Ignatio autem inclyto Chriſti Martyre, MAGISTRAM *noſtræ religionis.*

Lib. 4. in Luc. c. 49.

* hoc confirmat illud Luc. 2. 19. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* & ibid. ℣. 51. *Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo.*

Ep. ad S. Ioannem Euangeliſtam.

ARTICVLVS II.

Prædicatorum eſſe quoque opitulatricem : & hinc pium morem exortum, vt à ſalutatione Angelica conciones ſuas auſpicentur.

MEMINIT inter alios piæ huius conſuetudinis S. Antoninus in Summa ſua Theologica part. 4. tit. 15. c. 24. §. 3. his verbis : *Hanc quoque beatam prædicant & benedicunt omnes ſermocinantes & prædicantes Chriſticolis, exordium pro gratia impetranda, à ſalutatione Angelica facientes.* Quem pium morem iniquè carpit & rodit Eraſmus; ſed id rectè fieri contra eum docet Albertus pius Carporum Comes, lib. 9. contra varios Eraſmi locos, quos ab eo cenſet recognoſcendos & retractandos, vbi eum ita alloquitur : *Sed quid habes quod reprehendas, cenſor grauiſſime, in more ſalutandi Virginem à ſacris Concionatoribus piè inducto? Animaduerte & dicas quæſo, Concionatorum nónne munus eſt Euangelium prædicare? Eſt quidem dices, quapropter & contendo Chriſtum inuocandum, non Mariam. At certè non negabis ante prædicatum Euangelium Mariam Virginem ab Angelo Gabriele fuiſſe ſalutatam. Si igitur idem faciunt Concionatores, vt priùs Mariam ſalutent, quàm Euangelium annuncient, perperam facere dici poſſunt? cùm Angeli morem imitantes, ſimul & ordinem rei geſtæ obſeruent? Prætereà quid in ea ſalutatione contineatur? perpendendum. Prolatis quippe ſalutationis Euangelicæ verbis, celebratóque & benedicto ſub nomine fructus Virginei ventris, ipſo ſanctiſſimo Domino Ieſu, ſubiungitur, Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus &c. Interpellatur ergo, vt apud filium aduocatam agat, non vt ipſa gratiam nobis impertiatur; quod & ipſi Concionatores palam proteſtantur dicentes, Exoremus Virginem vt apud Dominum nos ea dicere impetret, quæ ad gloriam eius faciunt, & nobis ſunt ſalutaria.*

S. Gregorium Epiſcopum Neocæſarienſem, cognomento Thaumaturgum ob innumera quæ patrauit miracula: ope implorata ſanctiſſimæ Virginis, ab ea viſibiliter ſibi apparente edoctum, ſymbolum illud fidei dictâſſe, quod S. Gregorius Niſſenus ſeriatim recitat, in Panoplia noſtra Clericali part. 1. lib. 7. c. 2. art. 2. qui *de ſcientia tractat Eccleſiaſtica, & ſtudio ſacrarum ſcripturarum, piorúmque librorum lectione*, conſignauimus. Quo loco etiam felicem vicem recenſuimus Alberti Magni, beati Thomæ Aquinatis præceptoris, qui optimo quidem genere natus, indoléque proba & honeſta, ſed qui adeo tardo erat ingenio, & ferè hebete memoria, vt quod infimæ ſortis adoleſcentes nullo negotio complectebantur, ægrè vix & multo labore tandem aſſequeretur. Cuius ſtupiditatis pertæſus, ſéque deſertum agnoſcens naturæ præſidiis, quam nouercam expertus erat, ad aſylum Virginis quæ ſupra naturam Virgo & mater Dei colitur, deuotiſſimæ mentis affectibus confugit, aſſiduíſque ſuis precibus obtinuit donum illud ſapientiæ admirabilis, quam & prædicando, & ſcribendo, do-

cendóque in Scholis Theologicis, palam omnibus fecit; vnde non ineptè quidam hos ad eum cecinit verſus.

Quod tibi magne Pater, natura nouerca negârat,
Mater cæleſtis præſtitit ingenium.
An ſua noluerit prodi miracula mundus,
Neſcio. Magne, tibi prodita cuncta ſcio.

Sed longè illuſtrius exemplum ipſo in Euangelio Luc. 1. legimus, *Intrauit Maria in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. Et factum eſt vt ſalutationem Mariæ audiuit Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Hinc ſancti Patres eliciunt, ſalutatione ſanctiſſimæ Virginis Ioannem adhuc clauſum in matris vtero, dedicatum fuiſſe prophetam. *Per vocem Virginis*

** Serm. de S. Ioan. Bapt.*

(ait S. Chryſologus*) *facta eſt ſanctificatio Præcurſoris.* Et S. Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas; *Salutatio ſanctæ Virginis Mariæ Ieſum ferentis in vtero, Ioannem mouit ad prædicandum.* Perſonuiſſe autem ait ſanctus Chryſoſtomus in auribus Elizabeth afflatu Spiritus ſancti Mariæ vocem, *vt Ioannes in prophetam vngeretur.* Quis igitur iam eſſe poteſt Euangelij prædicator, qui adiutus Mariæ adeo felicibus auſpiciis, rectè ac vtiliter enunciandi verbum Dei populo Chriſtiano fiduciam ingentem non concipiat? ſibíque vt ea opem ferat prædicaturo Chriſtum cum Ioanne ſalutationem Virginis fore fortunato ſubſidio firma ſpe non perſuadebit? Dictum Ambroſij memoria perdignum eſt, *Qui Ioannem loquitur, Chriſtum prophetat.* Qui igitur Mariæ vocem audit, Chriſti ſpiritu repletur, qui opem Mariæ ſupplex petit, Chriſtum inuocat adiutorem. Doctiſſimus Origenes alterum ab altero ſeparari non poſſe arbitratur, ex quo Angelus ipſi dixit Virgini Deiparæ, *Aue gratia plena, Dominus tecum;* híncque rectiſſimè elicit, *Si in puncto temporis repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, & exultauit infans in vtero eius, quiſnam dicere audeat, per tres menſes nec Ioannem nec Elizabeth ex vicinia matris Domini & ipſius Saluatoris præſentia profeciſſe?* hom. 9. in Lucam. Eadem eſt mens S. Ambroſij: *Quantum* (inquit ad hunc locum S. Lucæ) *putamus vſum tanti temporis ſanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam, ita ſanè Ioannes vngebatur.* Salutatione igitur Angelica qua Chriſtus conceptus, Maria virgo genitrix eius effecta eſt: Nominis ipſius deuota expreſſione, vocis eius ſalutifero præconio, Euangelicæ prædicationis dedicandum exordium, conciliandúmque Concionatori opportunum auxilium, ad diuinæ Maieſtatis & gratiæ ediſſe-

Pelbartus lib. 4. operis Mariani part. 3. a. 1. hunc citat locum S. Bernardi ex opuſc. de laudib. Virg.

tendum myſteria, populóque proferendum conducibilia ad ſalutem; neminem eſſe iam reor pium & prudentem qui inficietur. Piè & præclarè Bernardus qui mel ſuum ex lacte virginis delibauit, hîc nos docet, *Qui Mariam diligit, Deum honorat: qui nomen eius inuocat puro corde, quicquid poſtulat conſequetur.* ſed per Chriſtum eius filium, omnis gratiæ auctorem & largitorem.

CAPVT IX.

De morali eius diſpoſitione qui accedit ad prædicandi verbi diuini miniſterium.

APOSTOLVS ſub finem epiſtolæ ſuæ ad Romanos, ideo gratiam illam copioſam quæ claruit à Domino accepiſſe inſinuat, vt Euangelium ſanctè & ſinceré in vniuerſo mundo prædicaret: *Propter gratiam* (inquit Rom. 15.) *quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Quæ verba Origenes ſolito mentis acumine ediſſerens, iis inſigne hoc monimentum ſubiungit. *Sicut Pontifices cùm offerebant, neceſſariò eis erat prouidendum ne macula ineſſet hoſtiæ, nec vituperationis vitium, vt poſſet Deo accepta eſſe & grata: Ita & qui Euangelium ſanctificat, & verbum Dei annunciat, curare debet ne qua in prædicando macula, ne quod in docendo vitium, ne qua in magiſterio culpa naſcatur: ſed vt ita dixerim ſi fieri poteſt, ſemetipſum primò immolet, ſe primum vitiis iugulet, vt ſua priùs peccato membra mortificet, vt non ſolùm doctrina, ſed & vitæ exemplo diſcipulorum ſalutem, oblationem ſuam acceptabilem faciat Deo; ſanctificata, inquit, in Spiritu ſancto, quia ſanctificationis fons Spiritus ſanctus eſt.* Hæc Origenes ille primus Eccleſiæ poſt Apoſtolos Magiſter, paucis verbis quidem, ſed expreſſis complexus quicquid ad prædicatorem huic officio aptum, aut ineptum, Deóque vel gratum vel ingratum, & Eccleſiæ vtilem vel noxium poſſit efficere. *Origenes l. 10. Comm. ad ep. Rom. c. 15. &c.*

ARTICVLVS I.

Concionatori vitia priùs iugulanda in ſeipſo, quàm in populo inſectanda.

ANTIQVOS Philoſophos de verbis curioſos quidem extitiſſe, de moribus autem negligentes, Lactantius Firmianus lib. 3. diuinarum inſtitutionum c. 15. verè & prudenter pronunciat: *Nam ſi quis mores eorum* (inquit) *diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua vitia celantes; domi facientes ea quæ in ſcholis arguiſſent: Fortaſſe mentior accuſandi gratia? Nónne idipſum Tullius fatetur & queritur?* probátque Ciceronis teſtimonio, cui Senecam adiungit. Alius longè Magiſter Chriſtus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus: nam peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in labiis eius, qui venit ad deſtructionem corporis peccati, tranſiit benefaciendo erga omnes, nihílque docuit quod priùs ipſe non fecerit: cœpit enim facere & docere, ſuóſque diſcipulos ſe imitari iuſſit. *Vocatis me* (inquit) *Magiſter & Domine, & benè dicitis, ſum etenim: Exemplum dedi vobis vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis,* ideóque eis præcepit à fermento cauere Pha-

Matth. 23. 27. riſæorum quod eſt hypocriſis, *Dicunt enim & non faciunt, feſtucam conſpiciunt in oculis fratrum, trabem autem in ſuis non vident.* Veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Sepulchris ſunt ſimiles dealbatis, quæ à foris quidem parent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Quibus ideo exprobrabat vas electionis Paulus, ipſos ſub ſpecie pietatis virtutem eius abnegare, & dictis quidem fateri Deum, at verò negare factis. Acriùs autem obiurgat hac grauiſſima reprehenſione, Rom. 2. *Gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, inſtructus per legem confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.* Ironicè verò hæc eis tribuit elogia, confeſtim enim ſequitur: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces; qui prædicas non furandum, prædaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? qui gloriaris in lege, per præuaricationem legis Deum inhonoras? Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes?* Abſit! vt tam horrenda monſtra apud Chriſtianos vſpiam inueniantur? Dolebat ſua tamen ætate ſanctus Hieronymus quid ſimile reperiri: *Væ nobis*, inquit, *miſeris! ad quos Phariſæorum vitia tranſierunt:* faſtus nempe, hypocriſis, & ſub pallio pietatis corrupti mores, peruerſáque conſcientia. Si iam res ita ſe habebant, an meliùs de hoc infeliciſſimo tempore iudicandum? Certè non aliunde ortæ ſunt hæreſes & ſchiſmata, quàm ex eorum peruerſitate, qui vocari Rabbi, & cathedras tenere in Eccleſia, ac doctrinæ fama & ſingularitate aliis præferri ambiebant: non tamen alia de cauſa circa fidem naufragauerunt, quàm quod priùs corrupti erant mente, ac moribus impuris deprauati, ſubque columbino candore & ouina pelle, ſerpentinum virus, vlcúſque perditæ conſcientiæ occultabant. Aditum enim ad impietatem corruptio vitæ, mentíſque rectæ peruerſio parit; vnde ſuum ſic hortatur dilectum Apoſtolus: *Hoc præceptum commendo tibi vt milites bonam militiam, habendo fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* Caueant Concionatores noſtri à tam exitioſo anfractu, in quem qui incidunt, abeunt tandem præcipites in æternæ perditionis abyſſum. Sapienter igitur hos admonet S. Gregorius hom. 17. in Euangelia; *Quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus propriam? vnde ſancta Eccleſia de membris ſuis infirmantibus dicit; poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui; vineæ quippe noſtræ actiones ſunt, quas vſu quotidiani laboris excolimus, ſed cuſtodes in vineis poſiti noſtram vineam minimè cuſtodimus: quia dum extraneis actionibus implicamur, miniſterium actionis noſtræ negligimus. Nullum puto fratres, ab aliis maius præiudicium quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare exempla prauitatis cernit; quando ipſi peccamus qui compeſcere peccata debuimus. Conſiderate, quid de gregibus agatur, quando paſtores lupi fiunt? Hi enim cuſtodiam gregis ſuſcipiunt, qui inſidiari gregi Dominico non metuunt*, &c.

ARTICVLVS II.

An Concionator, qui extra ſtatum gratiæ prædicat verbum Dei, mortalis culpæ incurrat reatum?

CAIETANVS in 3. part. S. Thomæ q. 64. a. 6. in reſponſione ad primum: aſſerit *prædicatorem exiſtentem in ſtatu grauis peccati, publicè & ſolenniter concionando, mortaliter peccare.* Ratio eius eſt, quia actus prædicandi eſt de numero actuum conſecratorum, nam eſt actus ad quem Miniſter Eccleſiaſticus ſpecialiter ordinatur; etenim eius munus ex officio primariò eſt Epiſcopi, ſecundariò Sacerdotis, & ex commiſſione, actus etiam Diaconi, quemadmodum ex dictis in ſuperioribus capitulis fit manifeſtum. Videtur autem Caietanus in ſua ſummula ſubinde contrariam ſententiam tenuiſſe, (fortè à quibuſdam rogatus, vt prioris ſententiæ aſperitatem mitigaret) fatetur enim quòd tametſi prædicator extra gratiam exiſtens, non ſe exhibeat vt Dei miniſtrum, qualis eſſe deberet, tamen mortaliter non peccet. Ratio eius eſt, quia actus prædicandi non eſt ſecundùm ſe actus alicuius Sacramenti; quapropter laici etiam poſſunt prædicare. Verùm hæc ratio parum eſt efficax, nam & laici poſſunt etiam baptizare, ſed non ex officio, at in caſu duntaxat inſtantis neceſſitatis, vel abſentiæ Sacerdotis, aut Diaconi, inferioríſque Clerici, &c. Sic nunquam ex officio prædicant, ſed ſolùm in eiuſmodi caſu neceſſitatis, aut abſentiæ, vel accedente mandato Papæ, aut Epiſcopi, vel Sacerdotis. Ex quo diſcrimine eliciunt, S. Thomas 3. p. q. 64. a. 6. ad 3. Richardus in 4. diſt. 5. a. 3. q. 3. Soto diſt. 1. a. 6. in fine, Silueſter in verbo Baptiſmus 3. n. 5. &c. aliique grauiſſimi recentiores Theologi, non teneri eſſe in gratia, qui in neceſſitate baptizant & ſine ſolennitate lauachrum hoc myſticum adminiſtrant, dummodò ſemper intendant facere quod Eccleſia facit ſine contemptu Sacramenti, videlicet quia tali modo baptiſmum conferentes non ſe exhibent tanquam publicos miniſtros ex officio, ſed tantùm ſubueniunt neceſſitati patientis. A pari igitur ſi in neceſſitate per modum catecheſeωs prædicant, non ex officio hoc faciunt, ſed dumtaxat ex expreſſa vel tacita licentia Eccleſiæ, quæ in tali caſu, maximè verò inter infideles, & vbi hæreſes vigent, deſúntque proprij verbi vitæ miniſtri & fidei Catholicæ vindices, ſic fieri indulget propter ſalutem animarum. At verò Epiſcopus, vel Sacerdos quando prædicant Euangelium ſiue fidelibus, ſiue infidelibus, creditum ſibi diuinitus miniſterium obeunt, & ſoli publicè in Eccleſia tanquam diſpenſatores Euangelicæ doctrinæ concionari poſſunt ac debent. Id igitur Apoſtolici muneris ex officio exequuntur, quia ad hoc ſunt ex diuina inſtitutione ordinati. Formaliter agunt vt Miniſtri Chriſti, qui *poſuit in nobis miniſterium reconciliationis* (ait Apoſtolus) præcipiendo, *Ite, prædicate Euangelium meum &c. & docete omnes gentes. Vos eſtis lux mundi.* Videte igitur *vt luceat lux veſtra coram hominibus, vt filij lucis ſitis:* & quod Apo- *2. Cor. 5. 18.* *Matth. 28.*

ſtolus exigit, dici de vobis poſſit, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti* &c.

Propter hoc diuinum miniſterium, cenſuit S. Thomas in 4. diſt. 19. q. 2. Sacerdotem qui in graui reatu Euangelium prædicat, mortali fieri propterea culpæ obnoxium; nec excipi poteſt, etiam Angelicum ipſum Doctorem docuiſſe, peccare mortaliter Prælatum, qui in peccato graui exiſtens ſententiam profert in ſubditum ſuum. At hanc ſententiam retractâſſe 2. 2. q. 33. a. 5. & q. 60. a. 2. ad 3. quamuis enim ab hac opinione reſilierit, quantum ad Prælatum, vel iudicem Eccleſiaſticum ſpectat, ſententiam tamen prædictam de prædicationis actu non retractauit; ratam igitur manere voluit, quia veram credidit. Et recentiores Doctores, qui poſteriorem Caietani opinionem ſequuntur, fatentur etiam, poſſe per accidens interuenire aliquando mortale peccatum, vt ratione ſcandali vel contemptûs, vt ſi quis pro nihilo ducat in ſtatu mortalis peccati concionari, abſque vllo timore & reuerentia verbi Dei, maximè quando peccatum quo obſtringitur, publicum eſt & ſcandaloſum; tum enim non poſſe excuſari à graui culpa, ratione eiuſmodi ſcandali, vel contemptûs.

Non dubito quin ad huiuſmodi periculum ſpectauerit S. Hieronymus ſcribens in c. 1. ad Galat. vbi ait, *grande eſſe periculum in Eccleſia loqui*; vnde & ſeriò monet Nepotianum ſuum vt hoc caueat quàm maximè prædicare Euangelium Chriſti ſi conſcius ſit peccati; non ſolùm ne confundant opera ipſius ſermonem; quo audito quilibet tacitus dicat, cur ergo quæ dicis ipſe non facis? delicatum eſſe magiſtrum, qui pleno ventre de ieiuniis diſputet: & vix ferri poſſe latronem, rapinam & auaritiam accuſantem: ſed præcipuè ne di-
Pſal. 49. uinam in ſe iram prouocet; dixit enim Deus peccatori, *quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum?*

De Origene refert S. Epiphanius hæreſ. 64. ſub Deciana perſecutione, cum apud Alexandriam fuiſſe captum, probris affectum, & cruciatibus immanibus ob conſtantem fidei confeſſionem applicatum. Cùm demùm verò ei propoſitum fuiſſet, aut vt Æthiops eius corpore abuteretur, aut vt idolis ſacrificaret: hoc vltimo potiùs electo, non tamen ſponte, id egerit, ſed duntaxat permiſerit vt iniecto in manum thure ad aræ rogum adduceretur. Porrò ſic ab Alexandrinæ Eccleſiæ Martyribus & Confeſſoribus reiectum (& quòd etiam ibi ferre ſannos exprobrantium nequiret) ſe Hieroſolymam recepiſſe, ibique multùm rogatum à Sacerdotibus, vt virum ſummè eruditum, & præſtantiſſimum myſteriorum Dei enarratorem, in Eccleſia docere, eiuſmodi precibus compulſum, aperto libro è quo thema diſſerendi depromeret, in eam ſententiam Pſ. 49. ℣. 16. incidiſſe; *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Non vltrà progreſſum, ſed mox volumen ſacrum depoſuiſſe, & cum fletu & lacrymis, ob lapſûs, quamuis inuolunta-

rij,

rij, ſua pungentem præcordia, memoriam conſediſſe, atque ſecum in planctum & gemitum vniuerſos ſpectatores conuertiſſe. Caſum hunc, Cardinalis Baronius ad ann. 253. refert ex S. Epiphanio; & additamenti ad ſincerum contextum loco habet, pedéque fixo impugnat; tametſi ipſe fateatur à poſterioribus ſcriptoribus Leontio ſcholaſtico de ſect. act. 10 Suida verbo Origen. Zonara Annal. lib. 2. Nicephoro lib 5. c. 24. & aliis recentioribus Græcis & Latinis, vt rem actam, certam, & exploratam recenſitum. Quicquid ſit, hoc ipſum referendi locus hic iuſtam occaſionem præbuit. De facto Origenis litem contra Baronium hîc non moueo; ſed tamen ipſum Origenem, vt ſolertem Scripturæ interpretem & ſtudioſum, accuratúmque Prædicatorum Euangelij monitorem, dignum eſſe qui hîc audiatur, præclara dicentem & noſtro inſtituto admodum conſona ſuggerentem exiſtimo; Is hom. 8. in Leuiticum, vbi obſeruat *os leproſi obtegendum fuiſſe*, hinc rectè colligit myſticum & moralem ſenſum iſtius legis hunc eſſe, quòd ei, qui leprâ peccati laborat, os claudatur, ſermóque prohibeatur: nec enim licet auctoritate alios docendi in Eccleſia vti, qui ſeipſum docere non potuit; at nomen ipſum quod gerit Sacerdotis, malis ſuis actibus & operum prauorum ſcandalis deturpauit. Iure igitur in Eccleſia Catholica mos ille ſeruatur, vt cùm ſolenni ritu abrogatur, Clericorum apici, Sacerdotum principi, nempe Epiſcopo, Sacerdotium; degradando vnus ex miniſtris tradat Euangeliorum librum; quem Pontifex degradator auferens de manibus degradandi dicit, *Redde Euangelium, quia prædicandi officio, quo ſpreta Dei gratia te indignum feciſti; te iuſtè priuamus.*

ARTICVLVS III.

Non ſolùm purum ſceleris, ſed virtute præſtantem; & pietate conſpicuum Prædicatorem eſſe oportet.

NON *accipiunt veſtes ſacras Sacerdotes*, (ait S. Hieronymus ad Fabiolam diſſerens de veſte Sacerdotali) *niſi loti priùs ſordibus &c. præceptis Dei lauandi ſumus, & cùm parati ad indumentum Chriſti tunicas pelliceas* (quæ ſunt mortiferorum operum inſignia) *induemur, veſte linea nihil in ſe mortis habente, ſed tota candida vt cingamus lumbos in veritate, & tota priſtinorum peccatorum turpitudo celetur. Vnde & Dauid, Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Poſt tunicam lineam induimur hyacinthino veſtimento, & incipimus de terrenis ad alta conſcendere: hanc habuerunt omnes illi quibus dicitur, In montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion. Non ſufficit nobis priorum ablutio peccatorum, doctrina ſecretior, niſi habuerimus & opera. Vnde iungitur & Ephod, id eſt ſuperhumerale, quod rationali copulatur, vt non ſit laxum, neque diſſolutum, ſed hæreant ſibi inuicem, & auxilio ſint opera & verba, ratio enim operibus & opera ratione indigent, vt quod mente percipimus, opere perpetremus. Rationale hoc duodecim lapides habet & quatuor ordines, quos puto eſſe quatuor virtutes Cardinales. Cùm indutus quis fuerit virtute multiplici, conſequens eſt veritatem quam corde*

tenet, ſermone proferre, & ob id in rationali veritas eſt, vt nouerit quæ donanda & docenda ſint, & manifeſtatio atque doctrina, vt poſſit inſtruere alios quod mente concepit. Moyſes Sacerdotis ſcientiam ornat in veſtibus: Paulus Timotheum & Titum inſtruit diſciplinis.

Quibuſnam diſciplinis? Poſtquam Epiſcopum, Sacerdotem, Diaconúmque propriis characteriſmis depinxit, Timotheum in quo ideam perfecti miniſtri Dei & Eccleſiæ Doctoris efformabat, traditis etiam Chriſtianæ fidei & iuſtitiæ præcipuis theorematis, demum ſic hortatur: *Hæc proponens fratribus bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei & doctrinæ quam aſſecutus es &c. Præcipe hæc & doce, nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* 1. Timoth. c. 4. & c. 6. *Tu autem ô homo Dei, ſectare iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem: Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.* Ad perſeuerantiam ſubinde hortatur; *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu &c. vt ſerues mandatum ſine macula irreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. O Timothee depoſitum cuſtodi.* Altera epiſtola, c. 2. ſic eundem monet, *Tu ergo fili mi confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me, &c. hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere. Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu &c. Sollicitè cura teipſum, probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis &c. vt ſis vas in honorem, ſanctificatum & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia autem deſideria fuge: ſectare verò iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem, & pacem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro &c. Seruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, &c.* & c. 3. *Tu verò permane in iis quæ didiciſti & credita ſunt tibi &c.* & c. 4. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto &c.* Iam verò Titum poſtquàm etiam de dotibus neceſſariis Eccleſiæ Dei Paſtoribus edocuit, ac ipſummet de ſedula officij ſui erga omnes diſpenſatione commonuit, ita ſubinde interpellat, *In omnibus teipſum præbe exemplum*
Tit. 2. 7. *bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.*

Nullo gloſſemate hæc Apoſtoli monita indigere cenſeo, vt à quocumque prædicationis Euangelicæ candidato queant intelligi: Ita enim ſunt plana, peruia, & perſpicua, vt ſimplici ſua ſerie longè pulchriora ſint, ſuauiora & ſucculentiora, quàm ſi vllo artificioſo commentario condiantur. Nec mirum, aqua enim in ſuo potata fonte, purior, & iucundior eſt, quàm vllo vaſculo etiam aureo delibata. Verba illa Apoſtolica è ſcatebra diuinæ ſapientiæ, quam in cœlo Paulus inter Cherubim hauſerat dimanârunt, quapropter non voces hominis, ſed Spiritus Sancti viua ſunt oracula. Vtinam ab iis quorum maximè intereſt, nimirum gratiæ Dei nuntiis, gloriæ & iuſtitiæ præconibus, eo quo par eſt affectu, reuerentiæ & attentionis ſtudio exciperentur. Non foret certè neceſſum, cur concionatoris Euangelici efformandis ad diuinæ

maieſtatis beneplacitum moribus, vel ego omnium minimus inſudarem, vel alius quiſpiam magis idoneus operam daret; eſſent enim *omnes docibiles Dei*, & opus non haberent monitore, ſed vnctio Dei doceret eos, quæ ſæpè vbertim ex prælibatis Apôſtoli riuulis defluit & dimanat. Præclara in multis profectò eſt S. Ioannis Chryſoſtomi de hoc Apoſtolo ſententia, hom. 3. de Pauli laudibus, eum videlicet omnibus hominum ordinibus leges præſcripſiſſe, omnium officiorum perſonas docuiſſe & ſubiiſſe, munerúmque omnium rationes ad amuſſim Euangelij adæquâſſe. De plurimis hîc non loquor; at ex dictis ſatis ſupérque patet, quàm purè, piè & exactè concionatorum virtutes, dotéſque expreſſerit. E Demoſthenis, Tulliíque ſchola, ſæculi prodeunt oratores: ex Pauli verò vnius diſciplina procedat oportet, quicquid eſt præconum gratiæ Dei, veritatis & iuſtitiæ, maieſtatis & gloriæ, humanæque ſalutis tutelarium, illuſtre & præclarum in Eccleſia.

Sed vt rem quam intendo vberiùs patefaciam, ad axioma S. Hieronymi non illubenter redeo: ait, vbi ſuprà proximè notauimus, *Moyſen Sacerdotis ſcientiam ornare veſtibus, Paulum verò inſtruere diſciplinis.* Rationale igitur eſſe documentorum ipſius Apoſtoli myſticum ſignaculum: quas enim virtutes Paulus in Sacerdote docente populum Dei exigit, Moyſen in rationali per gemmas expreſſiſſe. *Rationale hoc* (inquit) *duodecim lapides habet & quatuor ordines, quos puto eſſe quatuor Virtutes Cardinales.* Nempe iuſtitiam, & fortitudinem, prudentiam, & temperantiam. Vnde ſequitur ad has quatuor virtutes cæterarum virtutum harmoniam reuocari, & Panopliam Doctoris Euangelici ipſarum in penu contineri. De his igitur quatuor primariis virtutibus (quantum ad vſum & ornatum prædicatoris conferunt) hîc mihi eſt recto diſſertationis tramite, ſine vlla prolixitate tractandum.

ARTICVLVS IV.

Concionatorem quatuor virtutibus Cardinalibus præditum eſſe debere.

§. I.
De Iuſtitia.

MIRA eſt hæc profectò S. Gregorij ſententia, *Iuſtitiam præponendam eſſe pietati.* Cùm enim pietas auctore S. Ambroſio virtutum omnium fundamentum ſit, quî fieri poteſt vt vna hæc virtus quæ dicitur iuſtitia, ipſi pietati antecellat? Verùm duæ iſtæ virtutes ita intimè cohærent, vt ab inuicem nequeant diuelli, nec enim vera pietas eſſe poteſt ſine iuſtitia, nec iuſtitia ſine pietate conſiſtere, vt ſapienter S. Petrus Chryſologus admonet, ſerm. 145. De pietate infrà ſuo ordine dicendum erit: de iuſtitia hîc obiter. Rectè Lactantius Inſtit. diuinar. lib. 5. c. 5. docet etiam apud priſcos philoſophos iuſtitiam ſummam virtutem eſſe, aut fontem ipſius virtutis, quæ cùm omnes virtutes complectatur, duæ tamen ſunt principales, quæ ab ea ſeparari

S. Gregor. 19. Moral. S. Amb. lib. 1. de Abraham Patriarcha, c. 2.

* Non hîc ſumitur pro virtute illa Theologica, quę ſpei & charitatis ſocia eſt, imò mater: ſed pro fidelitate, &c.

non poſſunt, pietas nimirum & æquitas, *Nam fides*, temperantia, probitas, innocentia, integritas, & cætera eiuſmodi* (inquit idem Lactantius) *vel naturâ, vel inſtitutis parentum poſſunt eſſe in iis hominibus qui iuſtitiam neſciunt, ſicuti ſemper fuerunt. Pietas verò & æquitas quaſi venæ ſunt eius: his ex duobus fontibus conſtat tota iuſtitia.* Pietas eſt verus cultus Dei, ait S. Auguſtinus epiſt. 52. Æquitas verò eſt proprius iuſtitiæ modus, quo fit, ne vſus iuſtitiæ nimia indulgentia vileſcat, & ne impenſiori ſeueritate ſuccenſeat; nimium enim rigorem & nimiam laxitatem conuenienti proportione moderatur. Iuſtitia igitur * Deum colit pietate: æquitate verò hominem rectè dirigit, tam erga ſeipſum quàm erga proximum ſuum.

* Nota.

Iuſtitia enim à iure dicitur. Iuris verò tria ſunt præcepta, 1. honeſtè viuere, 2. neminem lædere, 3. vnicuique ſuum tribuere. Quò ſpectans Theodidactus Bernardus, in ſermonibus breuibus: *Tribue* (inquit) *tribus quæ ſua ſunt, ſuperiori, æquali, & inferiori. Redde reuerentiam & obedientiam Prælato, quarum altera cordis, altera corporis eſt: tribue æquali conſilium, quo ignorantia erudiatur, & auxilium quo infirmitas adiuuetur; tribue ſubiecto cuſtodiam, vt poſſit cauere peccatum, & diſciplinam, vt quod minimè cauet, minimè maneat impunitum.* Porrò non minùs ornatè & eruditè S. Anſel-
» mus in libro, *Cur Deus homo?* Iuſtitia eſt mihi libertas, tribuens vnicui-
» que ſuam propriam dignitatem, maiori reuerentiam, pari concor-
» diam, minori diſciplinam: Deo obedientiam, ſibi ſanctimoniam,
» inimico patientiam, egeno miſericordiam.

Vtinam hæc omnia & ſingula iuſtitiæ prædicamenta, Concionator noſter Euangelicus ſibi ſedula mente & operâ ſtudeat promereri! Decus profectò ſibi ſolidæ iuſtitiæ non inani titulo compararet. Sed hoc vt efficaciùs perſuadeam, alia quædam his congrua principiis documenta præſertim ex ſacris deprompta litteris, & Sanctorum Patrum libris didacticis, operæpretium mihi viſum eſt hîc pro ipſo cultu iuſtitiæ, quæ Prædicator præſtare debet, ſubnectere.

Sacerdotem ſapientiſſimum eſſe oportere (ait S. Chryſoſtomus lib. de dignitate Sacerdotali) & perſpicacem. In omnibus, & mille ex omni parte oculos habentem, quippe qui non ſolùm ſibi, ſed & populo viuit. Hinc Apoc. 4. 7. Animalia illa myſtica quæ ſunt in circuitu ſedis *plena ſunt oculis antè & retrò*: nec modò multas ſingula habent alas quibus ad ſuperna erigantur, *Sed in circuitu & intus plena ſunt oculis.* Vera hæc eſt viri Apoſtolici, Myſtæ, Sacerdotis, Euangeliſtæ, Prædicatoris effigies, ſurſum ſemper mentem habere directam, & oculos non ſolùm circumquaque, quibus omnium circumſpiciat actus, defectus, vitia, peccata, quæ zelo diuinæ gloriæ & humanæ ſalutis inſtanter fortitérque corripiat: ſed intus quoque ferre lumina, ne dum aliorum emendationi inuigilat, ſibimet obdormiat. Neceſſe eſt igitur non foris tantùm, ſed intus multioculum eſſe, vt quam in excolendis proximis diligentiam ponit, eandem ſibi ſollicitiùs accommodet. Acutè hoc obſeruauit S. Anſelmus in præſignatum Apocal. locum; *In circuitu,* inquit, *habeant apertos oculos, vt aliis bono exemplo luceant, & intus quan-*

tem ad ſeipſos; alioquin prorſus miſerandum foret, prædicatorem, animarum de faucibus tartari ereptarum ſpoliis glorioſum, ſuppliciis nihilominus addici interminandis, quòd erga ſeipſum oculos, vel non habuerit, vel clauſos ipſe tenuerit.

Paulus vas electionis, præco veritatis, & totius virtutis exemplar perfectiſſimum, hos interiores oculos vigili ſemper attentione in ſeipſum vibrabat, *Caſtigo*, inquit, *corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Quaſi diceret, proprium officium iuſtitiæ, eſt vnicuique reddere quod ſuum eſt; ergo mihi quoque iuſtum eſt, de cura propriæ ſalutis admodum eſſe ſollicitum: alios debeo diuini verbi cenſurâ corripere, ne incorrecti pereant: ſed valde mihi iniuſtus eſſem, ſi in meipſum non animaduerterem peruigili morum operúmque cenſurâ. Gladium fero in manibus qui eſt verbum Dei, gladius iſte viuus eſt, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritûs &c. hoc armatus gladio in promptu habeo omnem vlciſci inobedientiam, ad deſtruendum corpus peccati. 1. *Cor.* 9. 27. *Heb.* 4. 2. *Cor.* 10. *Rom.* 6.

Petrus qui verbo oris ſui peccatores interficiebat, dum aſpiceret in cœlo extenſum linteum magnum, in quo erant quadrupedia & ſerpentia terræ & volatilia cœli: diuinum mandatum accepit, vt ea occideret atque comederet, *Surge Petre, occide, & manduca.* Pulchrè & ſolerter Arator, eximius ille poëta Chriſtianus, qui acta Apoſtolorum carminibus elegantiſſimis ediſſeruit, mandatum hoc de hominibus peccato mortificandis, & gratiæ generandis, conuertendíſque, in ſumentis cibum, imò eiuſdem vitæ & conuerſationis conſortium interpretatur. *Act.* 11. 7.

Clauiger æthereus, cœlum conſpexit apertum
Vſus honore ſuo, demittitur inde figura
Vaſis, vt in terris ſit viſio, corpore Petri
Omnia poſſe capi, qui quicquid ſumit edendum
Eccleſiæ facit eſſe cibum. Præfertur imago
Quatuor ordinibus, ſe ſubmittentibus, vna
Forma eſt Eccleſiæ, quæ quatuor eminet orbis
Partibus, & laxat totidem PRÆCONIBVS *ora;*
Omne genus retinens volucrum, pecudumque, ferarum,
Reptiliúmque ſimul: mortalibus iſta cohærent
Ex meritis vitiíſque ſuis; patet ergo quod auctor
Iuſſit in Eccleſiæ transfundi viſcera gentes:
Macta, & manduca dum præcipit, abſtrahe quod ſunt,
Et tibi fac ſimiles, qui vertitur alter habetur.
Denique Saulus obit, quia Paulus viuere cœpit.

Verùm antequam prædicator mactet illa animalia & manducet; ſuámque in ſubſtantiam transformet, debet ſeipſum hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem per rationabile obſequium, Deo cui ſeipſum debet, obtuliſſe. Sapienter id notauit Origenes in Comm. epiſt. ad Rom. lib. 10. c. 15. *Semetipſum* (inquit) *primò immolet, ſe primum*

vitiis iugulet, vt ſua priùs peccato membra mortificet, vt non ſolùm doctrina, ſed & vitæ exemplo, diſcipulorum ſalutem acceptabilem faciat Deo. Alioquin ſi mactat non manducet: quia ſi ſit peſtifer & reprobus, alios ſui ſimiles ſine ſuo & ipſorum exitio efficere non poteſt. At ſi ſit fide integer, mente purus, opere vt ſermone potens, Deo erit pergratum & acceptum, Eccleſiæque apprimè vtile & iucundum, ſi occiſos peccato, gladio verbi Dei auditores ſuum in pectus traiiciat, in ſuámque ſimilitudinem transformet igne charitatis decoctos. Dicit Apoſtolus de Rege, *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt.* Rom. 13. 4. Materialem gladium Princeps vt vindex iuſtitiæ, atque Dei miniſter, tradente ſibi Epiſcopo, de altari ſuſcipit*. Sed gladium ſpiritualem quoque recipit Sacerdos, dicente ei Pontifice, *Oportet Sacerdotem prædicare*, ſic fit miniſter gratiæ, iuſtitiæ, & gloriæ Dei. Nec ſine cauſa gladium portat: gladium ſpiritûs qui eſt verbum Dei; hoc enim ferire debet, quicquid diuinæ maieſtatis beneplacito repugnat, amputare pudenda putidáque carnis vlcera, fœda peccatorum monſtra interimere. *Maledictus* (ait Propheta) *qui facit opus Dei negligenter, & qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Gladium quippe à ſanguine prohibere (ait S. Gregorius 3. part. Paſtoral. admonit. 26) eſt prædicationis verbum, à carnalis vitæ interfectione retinere. Notent hoc Concionatores, qui vitia populi non caſtigant, ſed diſſimulant, aut etiam palpant: *Væ enim illis* (ait Dominus, Ezechiel. 13.) *qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia &c. ad capiendas animas &c. confortantes manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret.* Summopere igitur neceſſe eſt, vt ab eiuſmodi impia auditorum ludificatione & animarum pernicie Concionator caueat: ſed memor grauiſſimi huius ſit monimenti, quo quemque præconem ſuæ voluntatis, Deus per eundem prophetam compellat & hortatur: *Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ſermonem meum ex ore meo, annunciabis eis ex me; ſi me dicente ad impium, impie morte morieris; non fueris locutus vt ſe cuſtodiat à via ſua, impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ad quæ diuina verba, quin potiùs verbera, S. Gregorius aciem mentis conuertens: *Penſemus* (inquit hom. 17. in Euangel.) *qui vnquam per linguam noſtram conuerſi, qui de peruerſo ſuo opere noſtra increpatione correpti pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex noſtra eruditione deſeruit? quis auaritiam, quis ſuperbiam declinauit? Penſemus quod lucrum Domino fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium miſſi ſumus.* Et paulo ſuprà: *Hi qui nobis commiſſi ſunt, quotidie permultas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus &c. Imploremus Ieremiæ lachrymas &c. qui deplorans dicit, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in medio omnium platearum.* Conſimili cum gemitu Origenes hom. 7. in Ioſue aduerſus hanc Paſtorum, Prædicatorúmque deſidiam, crudelémque ignauiam inuehitur: *Vides* (inquit) *ouiculas Domini ignaras, periculi ferri ad præcipitia, & per abrupta pendere, nec reuocas? non ſaltem voce cohibes, & correptionis clamore deterres.* His tantis noſtris aliorúmque periculis vt occurſum eamus, S. Ber-

Rom. 13. 4. — * Nota — Hierem. 48. 10. — Ezechiel. 33.

nardus in aureis ſuis ſententiis, ad tria nos confugere remedia conſulit, *ad diſciplinam, ad cuſtodiam, ad preces: Ad diſciplinam, propter morum correctionem, ne grex Domini propria moleſtia deficiat. Ad cuſtodiam, propter diabolicam ſuggeſtionem, ne hoſtili calliditate ſeducatur. Ad preces, propter tentationum inſtantiam, ne vincatur à puſillanimitate: in diſciplina enim rigor eſt iuſtitiæ, in cuſtodia ſpiritus conſilij, in prece affectus compaſſionis.* Atque hactenùs ſatis pro inſtituto de prædicatoris iuſtitia.

§. II.

De Fortitudine.

HIC non philoſophicè de fortitudine tractatum aggredior, ſed ſecundùm Chriſtianæ diſciplinæ rationem, de fortitudine animi & conſtantia ſeruanda, in veritatis defenſione, & vera ac ſincera verbi Dei prædicatione obeunda; qua cum cæteris donis Spiritus ſancti indutum fuiſſe Stephanum protomartyrem, Lucas Euangeliſta in Actis ſignatim commemorat: *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine &c.* c. 6. 8. Siquidem vt rectè hunc ad locum notat magnus Cardinalis Petrus Damiani, ad ſtrenuè diſputandum & moriendum, fortitudine opus fuit planè ſingulari. *Infuſo autem* (ait ſerm. de S. Steph.) *ſpiritu libertatis, ignitus animus, in lumen veritatis erumpit, nec patitur vllo pacto, rigorem iuſtitiæ vel ſubmitti, aliquando vel dimitti.*

Hac virtute inter tot aliarum inſignia S. Ioannes Baptiſta præcellenter emicuit, de quo Dominus dicebat, *Quid exiſtis in deſerto videre? arundinem vento agitatam?* calamus eſt vacuus & nullam habet firmitatem, & ideo quocumque flante vento huc illuc impellitur. *Sic* (ait S. Chryſoſtomus) *homo carnalis, in quo nulla eſt fidei medulla, nec zelus veritatis, inflectitur: Arundo igitur vento agitata Ioannes non erat,* Hom. 27. oper. imperf. in Matth. *qui à veritatis prædicatione, & iuſtitiæ defenſione nunquam potuit diuelli. Nec Herodis potentiam timuit, nec Iudæorum aſſentationi ceſſit; inceſtas illius reprobabat nuptias, & dicebat ei, Non licet tibi habere vxorem fratris tui? Iudæis verò blandè percontantibus, num Chriſtus eſſet? candidè & ſincerè reſpondit, neutiquam ſe Chriſtum eſſe, confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus. Sic ſtetit Ioannes vſque ad mortem ineluctabilis.* Nec mirum, non enim venerat vt concionando diuitias cumularet, vt principum gratiam venaretur, vt famam eloquentiæ compararet, vt nomen illuſtre ex opinione ſanctitatis ex ſplendore doctrinæ acquireret, ſed vt Chriſtum & Patrem eius manifeſtaret hominibus, vt pœnitentiam prædicaret, vt ad fidem & iuſtitiam populos vocaret; *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum;* Ioan. 1. *erat igitur prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Marc. 1. 4. Prædixerat Archangelus patri eius Zachariæ, Chriſto eſſe præcurſurum *in ſpiritu* Luc. 1. 17. *& virtute Eliæ*, nimirum, qui ſurrexit quaſi ignis, qui verbo Domini « continuit cœlum, & deiecit de cœlo ignem, qui ſuſtulit de inferis « Eccleſ. 48. 1. &c. mortuum in verbo Domini, qui deiecit reges & confregit poten- «

tiam eorum, & vocat eos ad pœnitentiam. Vt Achab Elias, ſic Ioannes Herodi loquebatur, ideo venit in ſpiritu Eliæ, in ſpiritu ardoris, in ſpiritu fortitudinis, quamobrem nullo minarum turbine, nullo potentiæ metu, nulla Iudæorum adulatione vel impetu à veritate prædicanda, à iuſtitia tuenda, à virtute aſſerenda, à vitiis inſectandis deterreri potuit,

Virgil.

Illi velut pelagi rupis immota reſiſtit.
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet, ſcopuli ne quicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

* Ideo hæc verba Eccleſia legit in Natiuit. S Ioannis Baptiſtæ: in 1. Noctur. &c.

Ierem. 1.

Quod enim Ieremiæ dictum in ipſo rurſus à Spiritu ſancto impletum eſt *: *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream & in murum æreum: ſuper omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te &c. Ideo ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuerſa quæcumque mandauero tibi loqueris ad eos.* Particula illa *quæcunque*, digna eſt quæ attentiùs perpendatur; ſicut enim plerique Concionatores, qui quædam quæ Deus mandat, prædicant, alia verò tacent: quia illa placent, iſta verò ſciunt auditoribus ſuis minùs grata & accepta fore. Scitè ait S. Auguſtinus, homines *amarunt veritatem lucentem, oderunt redarguentem.* Nôrunt hoc paſſim qui concionantur. Ideo nonnulli auditorum aures mulcent, ſuaui vocularum tinnitu, & ſplendido elocutionis ornatu, ſublimes in Scripturam conceptus ſuos explicant, magna fidei myſteria ſolerti acumine enunciant, quæſtiones Theologicas in vtramque partem verſant, & provt libet enodant, ſplendidis elogiis, blandiſque apoſtrophis magnates qui interſunt, cohoneſtant; populi gratiam miris artificiis aucupantur. At altum ſilentium de moribus; non arguunt, nec increpant auditores, quibus placere omni ſtudio contendunt, diſplicere timent, nituntúrque per omnia aſſentari. Iſti Concionatores mihi videntur non ineptè aſſimilari poſſe luci fulguris, quæ cùm præſens eſt, clareſcere quidem facit aërem, ſed in momento tranſeunte hoc fulgore, aër fit, quàm antè fuerat obſcurior. Ad horam etenim declamatores iſti concionem ſuam illuminant: ſed euanida luce, quæ mox deficit, & populum verbis tantùm ſplendidis oblectatum, maiori quàm antea caligine relinquit circumfuſum. Ioannes longè aliud lumen perferebat, *Erat enim lucerna ardens & lucens.*

Ioan. 5. 35.

Lucebat ortum ſolis iuſtitiæ proximum indicans, viáſque eius præparandas docens: at ardebat zelo iuſtitiæ peccatores intrepidè & audacter reprehendens, dicebat enim Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui?* Iudæis verò in peccatis ſuis inueteratis improperabat, *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* Matth. 3. Quantum Ioannes fuit in verbo Dei annunciando fortis, tantum fuit iis quos gladio iſto feriebat, terribilis. Appoſitè ideo ſanctus Ambroſius, caput ipſius Ioannis ob iuſtitiæ & veritatis teſtimonium

Ibid. 10.

nium impiè deciſum, & in conſpectu Herodis & pellicis eius, ſuper menſam conuiuialem expoſitum, deſcribens lib. 3. de virginibus poſt initium, tyrannum, ſic ipſum Herodem affatur: *Intuere Rex acerbiſſime, tuo ſpectacula digna conuiuio, cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectum deliciarum? Clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius ſententiam ferre non poteras conticeſcit, & adhuc timetur.*

Conſimilem fortitudinem Chriſtus ſuis Apoſtolis & Diſcipulis promiſit & dedit: *Ego* (inquit) *dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere aduerſarij veſtri.* Sic dedit Stephano, cum quo diſputantes Iudæi, *non poterant reſiſtere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.* Act. 6. 10. Autographum addit, *propterea quòd illi ab ipſo redarguerentur cum omni libertate*; alij vertunt *cum omni fiducia.* Erat enim *plenus gratia & fortitudine.* vtrumque igitur iungebat, clamorem & amorem; *Viri patres & fratres audite?* En verbum charitatis & gratiæ? *Dura ceruice & incircumciſis auribus & cordibus, vos Spiritui ſancto ſemper reſiſtitis.* En verbera iuſtæ indignationis? *Clamat* igitur (rectè notat Bernardus) *ſed amat; ſæuit, ſed diligit.* Parem vim animi indidit ſuis Apoſtolis Dominus, ſed maximè Petro, quem è ſpuma maris eductum adamantem effecit, vniuerſo orbi inluctabilem. Poſtquam iam factus fuerat columna & baſis Eccleſiæ: ipſi, & Ioanni denunciauerunt ſub graui interminatione Iudæorum principes, ne loquerentur & docerent in nomine Ieſu. At tum in ſpiritu ardoris conſtanter cum Ioanne reſpondit Petrus: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate? nos enim non poſſumus, quæ vidimus & audiuimus non loqui?* Reduces inde ad Diſcipulorum cœtum, iis renunciatis, gratias rependerunt Domino, & ſic cum ſociis orauerunt: *Reſpice Domine in minas eorum* (Iudæorum,) *& da ſeruis tuis, loqui verbum tuum cum omni fiducia.* Quod factum illicò narrat continuo nexu rei geſtæ S. Lucas, qui ſubinde refert aliud inſigne exemplum Apoſtolicæ fortitudinis in prædicatione Euangelij: Adduxerunt Magiſtratus & Miniſtri Apoſtolos, & *ſtatuerunt eos in Concilio: & interrogauit eos princeps Sacerdotum, dicens, Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius? Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli dixerunt, Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Huc refert S. Gregorius illud Pſalmographi, (hom. 30. in Euang.) *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.. Cœlorum* (inquit) *ergo virtus de Spiritu ſumpta eſt, quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent, niſi eos Sancti Spiritus fortitudo ſolidáſſet. Quales namque Doctores ſanctæ Eccleſiæ ante aduentum huius fuerint ſpiritus ſcimus, & poſt aduentum illius, cuius fortitudinis facti ſunt, conſpicimus. Hinc Petrus, qui vna perculſus voce mulieris, dum mori timuit, vitam negauit &c. Poſtea principibus & ſenioribus magna auctoritate reſpondit, Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus.*

Pauli eandem animi fortitudinem ſuſpicere licet, tam in eius ſcriptis quàm geſtis. Hoc ſanè donum affatim ſibi dari ſummopere exoptauit; quapropter orare pro ſe fideles enixè obſecrabat, *Vt detur*

Luc. 21. 15.

Serm. de S. Steph.

Act. 4. 19.

Act. 4. 29.

mihi (inquit Epheſ. 6. 19.) *ſermo in apertione oris mei, cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena iſta, ita vt in ipſo audeam, prout oportet me, loqui.* Conſecutus eſt autem copioſè quod tam feruidis votis poſtulabat, vnde ad Corinthios (1. ep. c. 2. ✠. 4.) ſcribit, *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Virtus hæc, fortitudo eſt, quæ à ſpiritu diuino tanquam riuulus à fonte ſuo dimanat. Verba enim non ſatis ſunt ad imbuendos animos hominum (ait Origenes cont. Celſum lib. 6.) niſi Doctori conceſſa ſit vis quædam, & dictis eius adſit gratiæ cœleſtis energia. Et hoc eſt quod ait Dauid, Pſ. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute magna:* virtus hæc eminenter in Apoſtolo Paulo emicuit, vt eius acta etiam innuunt ac confirmant. Vnum ex multis hîc exempli gratiâ, fortitudinis huius in enunciatione verbi diuini indicium, ad rem quod ſatis conferat, conſignabo. *Cùm eſſet Paulus in vinculis apud* Cæſaream, ſub Felice Præſide, *veniens ipſe Felix cum Druſilla vxore ſua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & iudicio futuro, tremefactus eſt Felix.* Act. 24. 24. &c. Sacræ huius hiſtoriæ vt nucleus aperiatur, quædam obſeruare iuuat, 1. Felicem hunc, teſte Tacito, ſæuitiæ ac libidini effusè fuiſſe deditum. 2. Druſillam iſtam filiam Agrippæ Regis, hoc nomine primò nupſiſſe Azizo Emeſenorum Regi, quo dimiſſo, adhúcque viuente, illicitum connubium cum Felice, pellecto eius præcellenti pulchritudine contraxit, patria religione eiurata. Ab his igitur accerſitus Paulus, vt coram de Religione Chriſtiana diſſereret, Apoſtolus qua erat ſolertia, & ſpirituum præſtabat diſcretione, cùm neſciret ipſos non pietatis aut religionis ſtudio, ſed fallendi temporis deſiderio, & ſolo curioſitatis pruritu, ab ipſo exigere expreſſum iri fidei noſtræ ſpecimen: quod minimè vellent iſti, ſed quo maximè indigebant, propoſuit, & ſermonem inſtituit de iuſtitia contra fraudes & latrocinia; de caſtitate aduerſus effrænes libidines: de iudicio contra nimis liberam agendi in tanta poteſtate rationem. Quamuis enim morum generale compendium his tribus titulis comprehendatur, cùm iuſtitia ea ſpectet, quæ ad proximum, caſtitas quæ ad ſeipſum, iudicium extremum quæ ad Deum: tamen Apoſtolus quæ perſonæ vtriuſque vitiis ac peccatis antidota maximè congruebant, triplici hoc themate propoſuit, nec vllo metu eorum incurrendæ indignationis, ſub quorum poteſtate vita eius tunc erat, aut quauis alia formidine, cohiberi potuit, quin ea quibus laborabant, ſcelera reprehenderet, atque terrorem iræ Dei, æternique exitij, ingenti ſpiritus ardore ipſis incuteret. Tanta autem vi cœleſtis eloquentiæ tria hæc capita perſecutus eſt, vt Felix quanquam impius, hoc ſermone, tanquam repentè illapſo fulmine exterritus, eiuſmodi ſermonem interruperit, ferre ſcilicet non valens tam ſtupendæ quàm ſalutaris doctrinæ prædicationem. Sic mirabili cataſtrophe factum, vt iudici ſuo formidabilis fieret reus, & vt à reo

Lib. 5. hiſtor. & 12. Annal.

Magiſter Hiſtoria Scholaſtica.

iüdex tremendam adeo ſententiam audiret. Ex quò exempló nonnullorum Chriſtianorum peruerſitas plurimùm deplotanda venit, qui hæc quidem dogmata quæ pronunciauit Apoſtolus, credunt, nec iis tamen concutiuntur: & quorundam prædicatorum ignauia, ſeu vt veriùs dicam, perfidia, qui de his pro concione tractare lemmatibus de induſtria prætermittunt, ne auditores ſuos exterreant, eóſque à ſe reddant præ hac formidine alienos.

Perniciosæ huius reticentiæ & propudioſi metus originem, ſi quæſierim, triplicem huius cauſam inuenio, nempe vt in arundine vento agitata, vacuitas medullæ, ſic & gratiæ defectus, & inſuper latens intus peccatum, ac in propria prudentia & viribus fiducia, & à Chriſto ſeiunctio, ſunt tantæ perniciei principia. De primo ait Apoſtolus Heb. 13. *optimum eſt gratiâ ſtabilire cor.* Vnde enim cor mœrens? niſi ex gratiæ defectu. Gratia Dei (ait S. Bernardus ſerm 55. in cantica) *cibus eſt animæ.* Quantum igitur quis creſcit in gratia, tantùm in fide dilatatur*, tantùm virtute firmatur; ipſa enim dat vires non tantùm ad bene viuendum, ſed etiam ad bene docendum. ** Inuictos facit quos iuuat, & laborantes coronat. *** De ſecundo ait Ieremias, *Peccatum peccauit Jeruſalem, ideo inſtabilis facta eſt.* Quid mirum igitur ſi prædicator qui latentis peccati ſibi conſcius eſt, alios metuit reprehendere? Angitur teſtimonio propriæ conſcientiæ, cuius ſtimulis pungitur, etſi non compungitur; hinc fit vt dum placere Deo non ſtudet, hominibus diſplicere timeat, & ideo taceat, ne etiam propriis ſermonibus condemnetur, iuxta illud Apoſtoli: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui dicis non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, ſacrilegium facis.* Rom. 2. De tertio dicit Dauid, Pſ. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam: vt annunciem omnes prædicationes tuas in portu filiæ Sion. Nemo poteſt ponere aliud fundamentum* (ait Apoſtolus) *præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Qui hoc non nititur, ſed ſuæ virtuti ac induſtriæ confidit, labitur, deficit, & quicquid tentat facere, fruſtra contendit. *Sine me* (ait Chriſtus Apoſtolis ſuis) *nihil poteſtis facere; qui mecum non colligit, diſpergit.*

* Idem ſerm. 3.
** S. Greg. ſup. 1. Reg.
*** S. Chryſoſt. hom. 24. in Geneſim.
Thren. 1. 8.
Rom. 2. 21. 22.
Pſal. 72. 28. 29.
1. Cor. 3. 11.
Ioan. 15. 5.

Væ mihi, quia tacui, ait Propheta. Et quare tacuit? *quia vir pollutus labiis* (inquit) *ego ſum.* Quis verò poteſt hanc immunditiam purgare, & tacenti ac meticuloſo Prophetæ os reſerare, vt loquatur? En efficax illico remedium. *Volauit ad me vnus de Seraphim* (inquit) *& in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentis* &c. *Vade & dices populo huic, audite audientes* &c. Tum igitur loqui cœpit Propheta, qui antè nec audebat labia ſua mouere. Calculum hunc ſumptum de altari, Chriſtum eſſe cenſet S. Cyrillus lib. de Incarnatione Vnigeniti, c. 8. huius igitur virtute, forcipe fidei apprehenſa, & ſpiritu gratiæ applicata Deus prophetæ, & prædicatori peccata remittit, & ſpiritu eos implet Euangelico, ac ſimul fiducia & magnanimitate, vt ſuperato metu poteſtatum, intrepidè

Iſa. 6. 5.

deinceps prædicent veritatem, & populi ac procerum arguant cæcitatem, corripiántque malitiam, vt ad pœnitentiæ gemitus conuertantur.

Sed B. Hieronymi hîc mihi occurrit appoſita valde huic doctrinæ obſeruatio, lib. 12. in Ezechiel. c. 41. in hæc verba: *Duáſque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte. Etenim ſic habet intrinſecus in interioribus templi, poſt ſcientiæ multitudinem velantur & palmæ, in quibus ſignum victoriæ eſt, dicente Apoſtolo, perſequor ad brauium diuinæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Cherub autem quatuor facies nequaquam, vt in principio huius prophetiæ legimus, ſed tantùm duas, hoc eſt hominis & leonis, quorum primum ad rationem pertinet, ſequens ad furorem. Furorem autem dicimus, non eum qui perturbationi & vitio proximus eſt, ſed qui mentis conſolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis. In principio enim ſubiacemus concupiſcentiæ, quæ refertur ad vitulum propter terrena opera, & alia ſunt carnalia, alia ſpiritualia, quorum extremum aquilæ deputatur. Cùm autem intrauerimus Sancta Sanctorum, & interiora templi poſſidemus, nequaquam alia re indigemus, niſi ratione atque fortitudine, quorum alterum ad pudicitiam, alterum refertur ad animi perſeuerantiam.* Hæc S. Hieronymus. ex cuius ſententia palma victoriæ duabus potiſſimùm virtutibus, nempe prudentiæ ſeu rationi, & perſeuerantiæ ſeu fortitudini debetur. Sed de fortitudine prædicatoris hactenus.

§. III.

De Prudentia.

INVERTIMVS harum virtutum ordinem, ſi S. Bernardo credimus, partus enim ſequitur ventrem, non præcedit. At verò (ait) *mater fortitudinis prudentia: non enim fortitudo, ſed temeritas eſt quilibet auſus, quem prudentia non parturiuit.* Sed S. Hieronymus iuſtitiæ & prudentiæ prolem eſſe veram fortitudinem exiſtimauit: *Iuſti*, inquit, *& fortis viri eſt, nec aduerſis frangi, nec proſperis ſubleuari, ſed in vtroque eſſe moderatum: Fortitudo enim via regia eſt, à qua declinat, ad dexteram qui temerarius eſt & pertinax, ad ſiniſtram qui formidoloſus eſt & pauidus.* Tamen S. Gregorius ſcribens ſuper Ezechielem, quatuor quas vocamus virtutes Cardinales, mutuis ſe ſtringere complexibus inſinuat: *Menſuretur* (inquit part. 2. hom. 10. ſup. Ezechiel.) *perfectorum vita per quadrum, & tantum habet ſpatij ſolatij latus vnum, quantum latera ſingula, quia vnuſquiſque tantum prudens eſt, quantum temperans, fortis & iuſtus; tantum temperans, quantum prudens, iuſtus & fortis fuerit.* Scitè igitur & ſapienter ipſe B. Gregorius, lib. 22. Moralium, ait: *Quatuor virtutes cardinales quando perfectæ ſunt, ſingulas ſibi coniunctas eſſe, disiunctas autem perfectas eſſe non poſſe, quia non eſt temperantia perfecta, quæ fortis, iuſta & prudens non eſt; nec iuſtitia vera quæ non fortis eſt, temperata, & prudens; nec genuina fortitudo quæ non eſt prudens, iuſta & temperata; denique nec prudentia integra, quæ non ſit iuſta, moderata & fortis.*

Lib. de Conſid. ſuper Iſaiam. ſuper Ioelem.

Iam de iuſtitia & fortitudine præfati ſumus: vnde difficile non eſt qua iuſtitia & fortitudine niti prudentia debet, vt vera & ſincera ſit, colligere. Sed quia de prudentia in genere hîc inire tractatum non aggredimur, ſed dumtaxat de prudentia in quantum officium Euangelici prædicatoris ſpectat, diſſerere, ſtrictim ſed nitidè intra delineatum circulum, de prudentia ipſa dicere ſtatuimus; ſed antequam exordiamur, ſupponendum eſt, hîc me de prudentia non ſpeculatiuè, ſed practicè per proprios eiuſdem actus, quos cenſemus Concionatori neceſſarios, habitum ire ſermonem.

Et verò virtutes manifeſtari per actus ſuos omnium ſapientum concors eſt ſententia; tunc enim virtus ex animo ſe prodit, cùm per actionem ſuam foras erumpit. Prudentia itaque cùm ſit virtus, non alio modo clareſcit, quàm cùm per actionem ſe prodit ac manifeſtat.

PVNCTVM I.

De octo virtutis Prudentiæ, Concionatori neceſſariis Actibus.

ACTVS I.

Terrena deſpicere, & amare cæleſtia, Deique imprimis quærere gloriam, & propriam ac populi ſalutem.

SIC namque B. Auguſtinus lib. 6. Muſicæ, prudentiam definiuit: *Prudentia eſt affectio animæ, vel motus, quo quis intelligit æterna ſuperiora eſſe, & inferiora eſſe terrena. Et ideo iſta ſpernit, illa verò cupit, & ad ea toto enixu anhelat.* Licèt enim quiſpiam rectè diſponat media ad conſequendum aliquem finem, quæ pars eſt non minima prudentiæ, tamen ſi finis ille non fuerit ſupermundanus, cæleſtis, diuinus: taliter diſponens, nequaquam verè prudens cenſendus erit; qui enim deteriora eligit cùm meliora poſſit & debeat, imprudenter agit, vt omnibus notum eſt. At verò *quæ videntur temporalia ſunt, quæ verò non videntur æterna.* Spiritualia diuina ſunt: carnalia verò, caduca, fœda, & corruptibilia. Hinc Doctor Angelicus 2. 2. q. 47. a. 13. prudentiam falſam à vera ſecernendam eſſe aſſerit; Prudentia, inquit, falſa «
per ſimilitudinem dicta eſt, cùm quis bene diſponit ea quæ ſunt agenda «
propter malum finem conſequendum, ſic dicitur prudens latro, «
qui ſubtiles modos inuenit ad furandum & rapiendum alienum; ſic «
laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet, (etſi commodum ſuum faciens ex domini detrimento) *quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*, id eſt aſtutiores, cautiores, & rebus ſuis magis intenti. Sed tamen *hæc prudentia carnis mors eſt.* Rom. 8. 6. quia in malum finem contendit. Et hac ducitur quiſquis *Chriſtum* (vt ait Apoſtolus) *prædicat, non per charitatem, ſed per occaſionem & inanem gloriam, vel quæſtum.* De pernicioſo hoc abuſu cathedræ veritatis loquitur Apoſtolus dicens 2. Cor. 2. 17. *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei.* Ad quæ verba ſpectans S. Gregorius, lib. 22. Moral. c. 17. *Adulterari* (inquit) *verbum Dei, eſt aut aliter de*

Luc. 16. 8.

eo ſentire quàm eſt, aut ex eo non ſpirituales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ: ex ſinceritate verò loqui, eſt nihil aliud eloqui quàm oportet, & auctoris & creatoris gloriam quærere. Stultus eſt igitur reuera, qui ex Euangelio ſibi laudes humanas, vel turpe lucrum & tranſitorium commodum, vel honorem & gaudium quærit: hoc enim ex peſſimo fine ad quem detorquet verbi Dei prædicationem, nihil veri boni ſibi comparat, ſed propriam animam perdit.

Matth. 16. 26. *Quid prodeſt homini* (ait Dominus) *ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Prudentia igitur iſta falſa eſt, *non eſt iſta*

Iac. 3. 15. *ſapientia de ſurſum deſcendens* (ait S. Iacobus) *ſed terrena, animalis, diabolica.* Vera autem & perfecta prudentia eſt, quæ ad bonum finem per media proportionata tendit, eóque dirigit vota ſua, conſilia, iudicia, præcepta, & facta. Hæc eſt ſupermundana, cœleſtis, diuina, ſalutaris, qua præditi ſunt qui Deum amant, iuſtitiam colunt, terrena faſtidiunt, ad cœleſtia aſpirant. Proinde & Concionator eſt fidelis & prudens, qui hac præditus, in factis & ſermonibus ſuis Dei gloriam quærit, ſuámque & proximorum ſalutem verbis veritatis, ſinceróque affectu charitatis, conſequi peroptat. Præclarè hoc docet Apoſtolus, exemplum de ſeipſo in ſpiritu Dei proponens: *Ideo,*

2. Cor. 4. inquit, *habentes hanc miniſtrationem, iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui pereunt eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſeruos veſtros per Ieſum.* Et

Iac. 3. 17. hæc eſt prudentia cœleſtis, de qua S. Iacobus ait, *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & operibus bonis, ſine ſimulatione &c.*

ACTVS II.

Diuinarum & humanarum rerum coniungere notitiam: vicibúſque alternis meditationi & actioni immorari.

PERITVS ſit iuris oportet qui iuriſprudentiam profitetur; dialecticæ qui philoſophiam; artis curandæ ſanitatis, qui Medicinam; & oratoriæ facultatis qui Rhetoricam docere pollicetur. Si verò quis à me quæſierit, quænam illa eſt ſcientia, quam prædicator profitetur? paucis verbis reſpondebo, his omnibus diſciplinis, non tam oportere illum eſſe imbutum, quàm rerum diuinarum humanarúmque notitia præſtantem. Hinc S. Ambroſius exiſtimat ſitam eſſe prudentiam (quam Chriſtus Euangelij ſui nunciis tantopere commendauit) *in inueſtigatione veritatis.* Nec longè abluſit ab hac ſententia Iuſtinianus Auguſtus, qui Cod. 11. §. 1. *Prudentiam diuinarum atque humanarum rerum notitiam definiuit.* Iridi igitur ſimilem eſſe non ineptè dixerim, quæ ſimul cœlum, terrámque ſuo iungit amplexu.

Vides arcum (ait Sapiens Eccleſ. 43. 12.) *& benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in decore ſuo; gyrauit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt eum.* Præfatus S. Ambroſius, lib. de Noë & Arca, c. 27. *Iris eſt* (inquit) *clementia Dei, quæ quaſi arcus contentus, ſed carens ſagitta, per aduerſa quæ immittit magis terrere nos vult, quàm ferire.* Vnde S. Ioannes, Apoc. 4. 3. vidit thronum Dei circumdatum Iride, id eſt miſericordia: verùm Rupertus ipſam Iridem ſignum eſſe cenſet Euangelicæ legis, quæ ſcilicet Chriſtum prædicat Deum ſimul & hominem, Aduocatum & iudicem noſtrum, Regem & Pontificem, gratiæ & gloriæ largitorem, auctorémque fidei & iuſtitiæ, quibus tota ſalutis doctrina continetur. Nam in hoc binario ſacra illa trias tota eſt, qua conſtat Chriſtiana Religio, fides ſcilicet, ſpes & charitas, quæ tribus Iridis coloribus exprimuntur. Color cæruleus eſt fides, viridis eſt ſpes, rubicundus eſt charitas; quas diuinæ bonitatis rorida nubes, percuſſa radiis ſolis iuſtitiæ ac gratiæ, in homines depluit. At tres illi colores mihi inſuper ſignificare videntur triplicem vim purgandi, illuminandi, & perficiendi, quam à Deo & Angelis, Doctores Eccleſiæ participant, quáſque præcones noui Teſtamenti elicitum ire in generis humani ſalutem, ipſorum ſacra exigit profeſſio. In montem Moyſes aſcendebat, vt à Deo doceretur, deinde deſcendebat ad populum vt ipſos Hebræos doceret. In Eugenio ſuo Theodidactus Bernardus, virum ſpiritualem inſtituens, qualis non modò Pontifex, ſed Sacerdos quique, & maximè Euangelij prædicator eſſe debet, ſic temperandas ei rerum vices eſſe docet, vt primùm meditationi ſeu contemplationi, deinde actioni det operam: hócque officium eſſe proprium conſiderationis, quo nomine prudentiam, ſeu diſcretionem deſignat, ciúſque ſic miros affectus & effectus deſcribit: *Et primùm quidem ipſum fontem ſuum, id eſt mentem de qua oritur, purificat conſideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Poſtremò diuinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert.* Piè tamen, & prudenter monet rerum diuinarum conſiderationem, primo loco ineundam eſſe. *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Quod ſanè *in partibus conſiderationis* (inquit) *præcipuum eſt.* Ita ſenſit & S. Ambroſius lib. 1. de off. c. 25. *Fuit in Abraham primo loco prudentia, de quo Scriptura dicit, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Nemo enim prudens, qui Deum neſcit. Denique inſipiens dixit, quia non eſt Deus.* Idem & S. Baſilius cenſuit hom. 12. *Ipſa prudentia ædificanti domum, fundamentum ſupra petram locare, hoc eſt in Chriſti fide fundare largitur.*

Lib. 1. de Conſider. c. 7.

Pſal. 45.

Sed idem S. Baſilius in Iſaiam, c. 11. obſeruat Moyſem ipſum omni *ſapientia Ægyptiorum eruditum*, & quod ſummum eſt, cum Deo familiari colloquio congredientem, in rebus tamen cum hominibus gerendis, conſilium à Ietro ſocero ſuo accepiſſe. Quo exemplo Doctor populi Dei, inſtruitur, non ſatis eſſe ſi ſpirituali ſcientia ſit eruditus, ſed prætereà neceſſum eſſe vt peritus ſit rerum humanarum, prudentúmque ſcita perquirat & ſequatur, *Sapientis eſt enim deliberatè gerere*, gloſſa, *Matura.* in Extrauag. *Quorundam*: Ioannis XXII. Qui inſuper mo-

net Extrauag. *Vas electionis*, prudentiæ propriæ innitentes in errorem ſæpè corruere, quamobrem *Sapientes conſulere, eſſe bonitatis magnum ſignum dicitur*, cap. 3. de *præſumpt.* Ideò concionator, præſertim nuperus, de ſeipſo parum confidere debet, ſed quo modo quáve ratione tam arduum exequendum ſit officium, à ſpectatæ doctrinæ & experientiæ veteranis Magiſtris debet ſciſcitari. Inſuper verò ſic inter homines verſari vt morum patriæ, populíſque cui verbum Dei prædicaturus eſt, ingenia & propenſiones conſiderare, rerum ciuilium politiam, ſtatum, ſucceſſum, & varios euentus memoriæ commendare, & quantam oportet ac decet in rebus gerendis ſenſus ſibi comparare peritiam; quamuis nec earum ignarus & rudis debet accedere ad concionandum publicè. Inter dotes Epiſcopi & Sacerdotis, Doctoríſque Euangelici Apoſtolus exigit vt prudens ſit, & qui res domeſticas rectè diſponat ac gubernet. Ideóque in Decretis priſcarum electionum, diſertis verbis expreſſum obſeruaſſe memini, *Electum eſſe geminæ ſcientiæ prudentia pollentem.* Manifeſtum eſt in Epiſcopo presbyterum contineri, quibus ex officio competit populum Dei exhortari in doctrina ſana, & Euangelicæ prædicationis miniſterium ſedula pietatis inſtantia adimplere. *Opus fac Euangeliſtæ* (ait Apoſtolus dilecto ſuo,) *miniſterium tuum imple*, 2. Timoth. 4. 5. Præſtitæ huius operæ & prudentiæ ſtudio praxíque (præeunte Dei gratia) præfatus S. Bernardus ſerm. 51. in Cantica, exemplo proprio, ſed modeſta inſinuatione expreſſo, graphicè inſinuat: *Si quando* (inquit) *comperi profeciſſe aliquem veſtrûm ex meis monitis, tunc non me piguit fateor, curam prætuliſſe ſermonis, proprio otio & quieti. Cùm enim poſt ſermonem iracundus eſt mutatus in mitem, ſuperbus in humilem, puſillanimus in fortem, in ſua quiſque gratia exercuiſſe, & qui fortè tepuerant & languebant circa ſpirituale ſtudium torpentes & dormientes, ad ignitum eloquium Domini referbuiſſe & euigilaſſe videntur: Hi inquam cùm de rore verbi, & pluuia voluntaria, quam ſegregauit Dominus hæreditati ſuæ, refloruiſſe probantur facti in omnibus deuoti; non eſt vnde ſubeat mentem (quaſi pro intermiſſo ſtudio iucundæ contemplationis) triſtitia, cùm talibus fuero circumdatus floribus & fructibus pietatis. Patienter auellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, vt de Lia exuberent mihi fructus profectuum veſtrorum. Minimè prorſus pigebit me intermiſſæ quietis pro cura ſermonis, cùm videro in vobis germinare ſemen meum, atque ex eo augeri incrementa iuſtitiæ veſtræ. Charitas enim quæ non quærit quæ ſua ſunt, id mihi iamdudum facilè perſuaſit, nihil deſiderabilium meorum veſtris præferre vtilitatibus. Orare, legere, ſcribere, meditari, & ſi qua ſunt alia ſpiritualis ſtudij lucra, hæc arbitratus ſum propter vos detrimenta, ſentiens in hoc fore & beneplacitum ſponſi, & filiorum ſalutem & propriam conſolationem.* Hactenùs mellifluus Bernardus. Ex cuius ſcitis, dictis, & factis colligere promptum eſt, prudentiam, charitatis germanam ſororem eſſe: adeovt quamuis ſcientiam, imò peritiam ſupernarum & inferiorum rerum profiteatur, ſimúlque vt Iris amplexetur cœlum & terram, & ideo diuinarum rerum meditationi & humanarum conſiderationi, natiuo ex genio incumbat, tantóque interuallo diuina humanis anteferre debeat quantum ab infinito diſtat

Vide Decret. Electionis H l-d:b. Archidiaconi in ſumm. Pontificem l. 1. ep. Gregorij VII. initio.

ſtat

ſtat quod eſt finitum: tamen aliquando æquum eſſe, quia neceſſarium, imò Deo gratum & acceptum, à diuinis & cœleſtibus auelli, vt humanis & temporalibus ſtudiis ac occupationibus reductiuè ad cœleſtia & æterna exercitia, Præco gratiæ & gloriæ Dei immoretur. At ſi quis ogganniat huic documento, ſic ſanctus hic Pater obiectionem proponit, vt mox iuſtam & rationabilem reſponſionem ſubiiciat, eodem lib. c. 3. in fine, *Ecquid vis me facere, inquis, hoc impoſſibile fortaſſe reſpondebis, facilius Cathedræ valedicere poſſe? Rectè hoc, ſi rumpere, & non magis interrumpere, iſta hortarer.*

ACTVS III.

Mala cauere, & bona eligere.

INTER diuerſas definitiones prudentiæ, illa ſemper celebris habita eſt, qua dicitur eſſe *appetendarum vitandarúmque rerum ſcientia.* In hoc enim placitum tam Philoſophi, quàm Chriſtiani Doctores conuenerunt. Ariſtoteles lib. 6. Ethicorum, *Prudentia* (inquit) *eſt virtus quæ conſiſtit in cauendis malis, & bonis eligendis*; & Romanus Orator lib. 1. Offic. *Prudentia* eſt, (ait) *rerum expetendarum fugiendarúmque ſcientia.* Porrò S. Baſilius in principium Prouerbiorum, dicit prudentiam, haud aliud eſſe, quàm *agendarum omittendarúmque rerum cognitionem.* Quam definitionem ſequitur S. Auguſtinus, lib. de libero arbitrio. idem verò lib. 83. qq. q. 21. ſolum adiaphorarum rerum notitiam ſuperaddit, ait enim eſſe *rerum bonarum & malarum, neutrarúmque ſcientiam;* ſed lib. 19. de Ciuit. Dei, c. 4. luculentiùs rem ipſam exponit, nec enim prudentia mera eſt bonarum malarúmque, aut indifferentium cognitio, ſed etiam cautio & declinatio tam opportuna quàm neceſſaria. *Quid* (ait) *eſt illa virtus quæ prudentia dicitur? nónne tota vigilantia ſua bona diſcernit à malis, vt in illis appetendis, iſtíſque vitandis nullus error obrepat. Ipſa enim docet malum eſſe ad peccandum conſentire, bonúmque eſſe ad non peccandum, non conſentire libidini.* Ideo inter partes prudentiæ etiam Philoſophi cautionem cenſuerunt. Macrobius ineſſe docuit prudentiæ, rationem, intellectum, circumſpectionem, prouidentiam, docilitatem, & cautionem. Theologorum princeps idem ferè docuit, *partes* enim ait *eſſe prudentiæ, docilitatem, ſolertiam, rationem, circumſpectionem & cautionem.* Docilitas eſt, qua vel audiendo prudentum conſilia, vel legendo eorum libros, vel quadam rerum experientia diſcimus quid agendum ſit. *Solertia* (ſecundùm Philoſophum 9. Ethic.) *eſt bona & celeris coniectatio. Ratio* eſt cognitio vnius rei ex alia per argumentationem. *Circumſpectio* eſt circumſtantiarum accurata conſideratio. *Cautio* verò eſt prouiſio conueniens aduerſus mala, quæ obſtare bonis poſſint conſiliis, vnde Apoſtolus ad Epheſ. 5. 15. ſcribebat, *Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes; redimentes tempus quoniam dies mali ſunt, propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.*

S. Thom. 2. 2. q. 49.

Memorem eſſe huius Apoſtolicæ commonefactionis iugiter eſſe oportet Sacerdotem, tam quoad ſe, quàm populum cui Euange-

lium annunciat, nam & cauere debet diligenter ab omni malo, & alios vt ab eo prorſus abhorreant, admonere: ex aduerſo verò quæcumque bona ſunt, ſedulò conſectari, & vt alij hæc appetant & exquirant aſſiduo hortatu contendere. Iuſtitia Chriſtiana in hoc duplici cardine poſita conſiſtit, *Declina à malo, & fac bonum*, ſed

Pſ. 36. 27.

Hoc opus, hic labor eſt. . . . .

Facere enim bonum tantum abeſt vt poſſimus, cùm (ait Apoſtolus) *nec bonum ex nobis tanquam ex nobis cogitare valeamus*: declinare autem à malo, quis, oro, poteſt? non dico à malo pœnæ, cui ab ipſo ortu ſumus obnoxij, ſed à malo culpæ & reatûs, quod tanto peius quod multiplicius, quin & humanæ concupiſcentiæ & intimis hominis medullis magis hærens. *Cor hominis & cogitatio prona ſunt ad malum ab infantia ſua.* Quod & quotuplex eſt hoc malum? audiendus hîc venit S. Auguſtinus, lib. 22. de ciuit. Dei c. 22. *Sunt* (inquit) *mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallaciæ, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam vtriuſque ſexus, tot ſtupra atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere: ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, periuria, oppreſſiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, prævaricationes, falſa teſtimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita hominum non recedit.* Ab his malis declinare primus omnium debet Sacerdos, ab iiſque cæteros hominum, auulſum ire. At quo pacto alios ab hac malorum pernicie eripiet, qui ſeipſum ab ipſis niſi gratia opitulante abſtrahere poteſt? dicit Apoſtolus, *Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio; non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago: infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Si hoc Apoſtolus vas electionis, de ſeipſo dicit, quin & ſcribit, quid de ſe miſer Sacerdos, & infelix prædicator, peccatorum tanto onere degrauatus poteſt, quæſo, præſumere? humanæ mentis diuerſa, eáque grauiſſima ſunt vulnera, difficultas intelligendi naturas rerum, ignoratio ſui ipſius, ignoratio proprij finis, ignoratio mediorum ad ipſum finem, corporis craſſitudo, ipſius mentis hebetudo. Porrò voluntatis adhuc ſunt vulnera grauiora; Bone Deus! quot hîc monſtra? quot portenta? inconſtantia, inſtabilitas, propria in ſeipſam pugna: faſtidium proprij ſtatus, immoderatus rerum temporalium appetitus; incredibilis circa ſpirituales & æternas negligentia, φιλαυτία, ſeu ſuiipſius inordinatus amor, difficultas quam experimur in vitiis ſuperandis & excolendis virtutibus; denique deplorabilis ipſius voluntatis humanæ peruerſitas; quæ tantum abeſt vt declinet à malo, & faciat bonum, quin ex aduerſo bonum vel odit, vel negligit; malum etiam quod maximè noxium non ignorat, vel appetit, vt admittit etiam cum delectatione & gaudio. Ab his tantum malis grauiſſimis & multiplicibus debet Dei præco, omni ſtudio decli-

2. Cor. 3. *Geneſ. 8. 21.* *Rom. 7.*

nare, ab iiſque populum Dei tam verbo quàm exemplo auertere, atque in bona oppoſita toto animi impetu ferri, alióſque ad ea omni animi enixu, quamuis rebelles gratiæ lumini, excitare. At *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nónne tu Domine qui ſolus es? Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*, à quo etiam ſolo manat omnis gratiæ, virtutis & meriti principium. Arguat Sacerdos, obſecret, increpet, inſtet opportunè, importunè; clamare ne ceſſet, vt tuba exaltet vocem ſuam, niſi Dominus dederit *huic voci vocem virtutis*, fruſtra ſibi prædicator aliiſque laborabit; nihil enim proficiet ſibi cæteríſque, niſi Deus ipſi adſtiterit, qui dicentis auditorúmque (vt eleganter ait S. Bernardus ſerm. 1. de Pentecoſte) *moneat memoriam, moueat voluntatem, doceat rationem*, non modò ad falſum à vero diſcernendum, ſed etiam malum à bono diſtinguendum, hoc vt eligat & faciat, illud vt caueat & fugiat. Iob. 14. 4. 1. Cor. 3. Pſ. 67. 34.

ACTVS IV.

Media ad finem rectè eligere, & oſtendere, vt bonus finis qui intenditur, obtineri poſſit.

PRVDENTIA *eſt vera atque perfecta* (ait S. Thomas 2. 2. q. 47. a. 13. *quæ ad bonum finem totius vitæ, quæ ſunt conducibilia indicat, & præcipit.* Tres enim ſunt partes prudentiæ ſecundùm Philoſophum, 6. Ethicorum c. 9. & 10. Prima, eſt conſilium: conſtituto enim fine ad quem obtinendum tendimus, voluntas mouet intellectum vt inueſtiget media ad id conſequendum idonea. Secunda eſt iudicium, quo iudicat homo quod medium ſit magis opportunum. Tertia eſt imperium, quo imperat ratio voluntati vt exequatur quod iudicatum eſt. Ad has autem actiones facilè, accuratéque eliciendas, tres aſſignantur habitus, eubulia, ſyneſis, & gnome. Eubulia ſeruit ad media accommodata faciliùs inuenienda; Syneſis ad bene iudicandum de iis, quæ lege aliqua decreta & definita ſunt: Gnome verò ad ferendum iudicium de iis quæ non ſunt lege aliqua decreta, ſed tantùm in praxim & vſum veniunt.

Prudentis eſt igitur conueniens medium inuenire ad conſequendum intentum finem. Hinc prudentes dicuntur militiæ duces, prudentes iudices, prudentes negotiatores, prudentes nauarchi, qui media idonea inuenire & præparare nôrunt ad conſequendum proprium finem officiorum quibus funguntur. Verùm hæc prudentia eſt imperfecta, quia inuenit tantùm media ad conſequendum finem ſpecialem alicuius negotij vel muneris; non autem ad finem vltimum totius vitæ humanæ.

Iuriſperiti hoc decretum habent, *Medium ſapere naturam extremorum:* ſed hoc mutuati ſunt ex doctrina philoſophorum, qui in genere moris docent medium participare de vtroque extremorum, vt liberalitas eſt medium inter prodigalitatem & auaritiam, auaritia eſt in defectu, prodigalitas in exceſſu, liberalitas in medio, quia dat quidem, ſed non minus, neque nimis: & quod habet nec dilapidat, nec arctiùs

quàm par ſit tenet; imò à Theologis idem axioma deſumptum eſt, dicunt enim Filium eſſe mediam perſonam Trinitatis per abnegationem, quia nec eſt Pater, nec Spiritus ſanctus; at quia eſt perſona media, cum Patre conuenit, quia, ſicut Pater producit Spiritum ſanctum, ſic & Filius: conuenit etiam cum Spiritu ſancto, quia ſicut Filius producitur, ita producitur ipſe Spiritus ſanctus, quamuis alio modo. Ergo medium participat cum vtroque extremo.

Doctrinam hanc vt ad propoſitum noſtrum reuocemus, dicere iam v. g. licet: Quiſquis prædicat verbum Dei, vel hoc facit per occaſionem, vel per charitatem, id eſt vel propter poprium honorem, aut commodum, vel propter Dei gloriam, & propriam, ac proximi ſalutem. Si primum, in eius affectibus & verbis amor proprius præualebit, vana gloria, ſcientia inflans, eloquentia turgida, inanis Philoſophia, famæ & celebritatis impotens appetitus. At qui Dei honorem & gloriam prædicando quærit, ſuæque & generis humani ſaluationis curandæ ſeriò ſollicitus eſt, nihil in votis & dictis niſi hunc finem ſpirat, eóque quicquid ſapit & optat, vt in finem ſingulariter intentum dirigit. Docent Scholaſtici Theologi quadruplex eſſe cognitionis medium, vnum eleuans, alterum contemperans, aliud adducens, alterum coniungens. Si prædicator media hæc in rectum quem diximus finem & vſum refert; finem proculdubio quem intendit & ſpectare debet, iuuante Deo, conſequetur.

Vide Gerſon. Tract. 5. ſup. Magnificat.

Medium ad æternam beatitatem aſſequendam, bona eſſe opera, Euangelium docet dicente Domino, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata;* Et Petro Apoſtolo, 2. ep. 1. 10. *Satagite, vt per bona opera veſtra, certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Igitur ad bona opera neceſſum eſt vt Concionator populum ſedulò adhortetur: medium autem huic medio ſubalternum, ſed valde conueniens & longè efficaciſſimum illud eſt, vt non ſolùm verbo, ſed & exemplo, ſtudeat quod docet ſuis auditoribus ire perſuaſum: Etenim *ſermo viuus & efficax* (ait S. Bernardus ſerm. 56. in Cant.) *exemplum operis eſt: longum eſt enim iter per præcepta, breue & efficax per exempla.* Plus enim ex moribus, quàm ex verbis trahimus. Chriſtus idcirco ſummus Magiſter noſter, *cæpit facere & docere;* ſuíque imitatores ſuos diſcipulos eſſe voluit: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis:* Quem ſecutus Apoſtolus, Rom. 15. 18. *Non audeo*, inquit, *aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Chriſtus, in obedientia gentium verbo & factis.* Verebatur enim ipſe vas electionis, ne ſi ſolo verbo docuiſſet gentes, indignum ſe eſſe eius diſcipulum proderet, qui ab exemplis ineundam eſſe docendi rationem præmonſtrauit. Rectè igitur S. Gregorius in Moral. prædicatorem compellat, vbi ait, *Nullum conſilium melius arbitror, quàm exemplo tuo fratres docere ſtudeas.* Cui ſuccinens S. Bernardus, ep. 72. *Pulcherrimus*, inquit, *ordo eſt & ſaluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas & doceas qualiter oportet aliis moderari.*

Matth. 19. 17.
Senec. ep. 6.
Act. 1.
Ioan. 13. 15.

ACTVS V.

Veri finis cognitio, & vſus.

FINIS *præſentis vitæ debet cohærere vitæ æternæ principio*, (ait idem S. Bernardus ſerm. 2. in die SS. Apoſt.) quia ſcilicet tota hæc vita, nihil niſi via eſt ad vitam æternam, quæ ſummum noſtrum bonum & finis eſt vltimus ad quem diuina bonitate creati ſumus. *Deus enim fecit hominem* (ait ſcitè & eleganter S. Auguſtinus) *vt ipſum agnoſceret, cognoſcendo amaret, amando quæreret, quærendo inueniret, inueniendo poſſideret, poſſidendo frueretur, fruendóque æterna felicitate gauderet.*

Hinc Apoſtolorum princeps, oriri docet hominum reproborum perniciem, quòd ſint finis ob quem facti ſunt, ignari vel immemores: *Hi* (inquit) *velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in iis quæ ignorant, blaſphemant;* (ideóque) *in correptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ: voluptatem exiſtimantes, coinquinati, deliciis affluentes, in conuiuiis ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti: pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes. Maledictionis filij, errauerunt derelinquentes rectam viam, quibus caligo tenebrarum reſeruatur: libertatem promittentes, cùm ipſi ſint ſerui corruptionis.* 2. Petr. 2. Et c. 3. apertè dicit illos tandem in Atheiſmum per effrænem hanc morum licentiam, & impiam Dei obliuionem deuenire, & ſic futuram dari vitam impudenter inficiari: *Venient* (inquit) *in nouiſſimis diebus illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes, vbi eſt promiſſio aut aduentus eius? Latet enim eos hoc volentes, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat Deus promiſſionem ſuam, ſicut illi exiſtimant, ſed patienter agit &c. nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* 2. Petr. 3. Ideo in hac vita aſſiduos inſtituit monitores, qui in nomine ſuo impiós illos ab infelici tramite quem ſectantur, via ſcilicet perditionis auocarent, atque ad fidem, pœnitentiam, & iuſtitiam, quæ viæ ſunt beatæ æternitatis ſedulò hortarentur. Hinc Apoſtolus Timotheum ſuum intentum eſſe huic officio, graui interpellatione præcipit, multáque vti vult patientia atque prudentia, vt ad meliorem poſſit frugem eos conuertere, *Seruum Dei &c.* (inquit 2. Timoth. 2. 24. &c.) *oportet manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati, nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.* Aliis verbis, ſed non abſimili ſenſu Iudas Apoſtolus in fine epiſtolæ ſuæ hoc commendat. *Et hos quidem arguite iudicatos* *, (inquit) *Illos verò ſaluate de igne rapientes, aliis autem miſeremini in timore &c.* Grande hoc opus eſt, animas de igne rapere, de Diaboli laqueis eripere, reconciliare Deo, & de filiis iræ & maledictionis, in filios transferre gratiæ & benedictionis. Ars illa planè diuina eſt, quam is in cœlo didicit;

*Qui enim non credit iam iudicatus eſt. Ioan. 3. 18.

Qui lupus antè rapax, veſtitur vellere molli
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus:
Mox recipit viſum, fit Apoſtolus, ac populorum
Doctor, & ore potens, coruos mutare columbis.

Prudentius in Enchiridio veter. & noui Teſt. &c. ſub finem.

Quo pacto id fieri queat, ipſe Timotheum ſuum edocuit, in quo reliquos omnes Dei Sacerdotes & miniſtros Euangelij erudiebat: *Tu verò permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris. Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum eius & regnum eius. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Quot verba, tot fulmina. *Quis hæc audiens*, (ait magnus Auguſtinus lib. 1. cont. Creſcon. c. 6.) *ſi Deo fideliter ſeruit, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia & inſtantia conquieſcat? quis ſub tanta teſtificatione ſegnis eſſe audeat?*

Dolebat idem ſanctus Pater magnopere Sacerdotis vicem: quia ſi tacet, iram Dei incurrit. (*Væ mihi! quia tacui*, ait Propheta. *Væ mihi! niſi euangelizauero*, dicit Apoſtolus) At in odium incidit hominum ſi loquitur vt oportet. Verùm hoc odium Sacerdoti gratum & acceptum eſſe debet, dummodò impleat miniſterium ſuum. Nullum enim ſacrificium Deo ſuauius offerri poteſt, quàm hominibus ſaluandis ſeſe totum impendere. Ideo gaudebat Apoſtolus, ſi quotidie pro hac cauſa immolari potuiſſet. Et dignum fuiſſe Petrum qui oues Chriſti paſceret, cenſet Bernardus ſerm. 20. in Cant. quia pro Domino & ouibus eius *paratus* erat *& in carcerem & in mortem ire.* Nihil fortius (ait S. Hieronymus in Marc. ad c. 1.) quàm animas ſaluare, quæ errorum ſuorum » vitiis interibant. Debet propter hoc Sacerdos ſemetipſum impendere » & ſuperimpendere, omnibúſque omnia fieri, vt omnes quantum» uis induratos lucrifaciat. Nec cedere debet illorum improbitati, nec cedere labori, nec deſpondere animum, ſi diu clamans, arguens, increpans, obſecrans non perficiat, *Spiritus enim vbi vult ſpirat*, ac etiam quando vult. Igitur prædicator os clauſum tenere non debet, quia etſi ſemper peccatores non conuertat, ſatis eſt quod conſtat ſemper aliquos conuerti poſſe. Appoſitè S. Bernardus monet *, munus Prælati & Prædicatoris eſſe, affectu medicare, non curare actu: *Noli diffidere*, (ait) *curam exigit non curationem. Denique audiſti, Curam illius habe? non autem cura, vel ſana illum. Verum dixit quidam,*

Iſa. 6.
1. Cor. 9.
Ioan. 3. 8.
S. Hieronym. l. 4. In Ezech. c. 13.
* Lib. 4. de Conſid.

Non eſt in Medico, ſemper, releuetur vt æger.

Paulus loquitur, plus omnibus laboraui: non ait plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, &c. vnuſquiſque ſecundùm laborem ſuum accipiet, non ſecundùm ſuum prouentum. Et ob hoc in laboribus potiùs quàm in fructibus gloriandum putauit. Ita quæſo fac tu, quod tuum eſt, nam Deus quod ſuum eſt abſque tua ſollicitudine curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas expleſti partes, ſanè incrementum vbi voluerit dabit Deus, non tu; vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura, Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum. Securus labor! quem nullus valet euacuare defectus alicuius.

Ex hoc patet quanti ſit momenti, finis Euangelicæ prædicationis cognitio. Cui ſi conformis fuerit intentio Prædicatoris, ipſi ſufficiet ad ſalutem. Licèt autem finis ſit magis eligendus, quàm ea quæ ſunt ad finem, media tamen quæ huc conducunt, haud debet concionator prætermittere. Fideles princeps Apoſtolorum hortatur, vt ipſi mediorum ad ſalutis finem adhibendorum ſint ſedulò ſolliciti: *Quales oportet*

Ariſt. 3. Topic.

vos eſſe (inquit 1. ep. c. 1. 9.) *in ſanctis conuerſationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini &c. Propter quod chariſſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati & inuiolati, ei inueniri in pace, & Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini.* Media quibus fideles finem reportare poſſunt fidei ſuæ, quæ ſalus eſt animarum ipſorum, idem Apoſtolorum Primarcha initio ſuæ poſterioris epiſtolæ breui quidem indiculo, at planè inſigni aureóque inſinuat (c. 1. ℣. 4. 5. &c.) *Fugite*, inquit, *eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Curam autem omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis, charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum ſint & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent, in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione &c. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando; ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus, in æternum regnum Domini noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti.*

Officium Euangelici prædicatoris in hoc ſitum eſt cardine, vt hæc media probè calleat, his congruenter principiis ſe gerat, ad hæc auditores ſuos efformare tam verbo, quàm opere, niſu perenni elaboret, neque deſinat vnquam ab hoc enixu, quo vas electionis ſe anxiari teſtatur. Gal. 4. 19. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ad quæ verba Chryſoſtomus, *Apoſtolus hic refert*, inquit, *matrem de liberis trepidantem; vides anxietatem, vides eiulatum multo acerbiorem quàm ſolet eſſe parturientium.* Huc collineat illud Prophetæ, *Nunquid parturientes ceruas conſideraſti? incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt.* Iob. 29. 1. Pulchrè S. Gregorius in hunc ipſum locum, *Video Paulum* (inquit lib. 10. Moral. c. 21.) *quaſi quandam ceruam, quoſdam in partu ſuo magni laboris rugitus emittentem; ait enim, Filioli, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. Conſideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & poſtquam potuit concepta edere, rurſum compulſa eſt extincta ſuſcitare.*

Mulier cùm parit triſtitiam habet, cùm peperit autem puerum, non meminit preſſuræ, quia natus eſt homo in mundum. S. Auguſtinus tract. 101. in Ioannem pro ſolita ſolertia, iſto loco notat *non dici cùm peperit puellam, ſed puerum, quia maſculi partus maiorem incutit dolorem quàm fœminæ.* Animam Deo vel vnicam parturire, longè multò difficilius eſt, quàm magnum quoduis patrare miraculum. Sed vt magna in parturitione maſculi preſſura eſt, ſic & maius inde gaudium ſubſequitur, quo mater exultat. Similitudinem hanc matris parturientis rectè accommodari poſſe reor prædicatoribus verbi Dei, Prælatíſque & Paſtoribus, quorum intereſt aliorum ſaluti conſulere, & ad Chriſtum conuertere. Egregiè in hunc locum obſeruat doctiſſimus Cardinalis Toletus: *Qui enim* (ait) *alios Chriſto lucrantur, dicuntur eos parere, & qui Deo acceſſerunt, filij appellantur:* *Ad c. 16. Ioan. Annot. 27.* cùm animorum *conuerſio non ſine magnis doloribus & periculis, & ſudoribus fiat;* propterea exemplo hoc meritò exprimuntur Prædicatores &

Prælati, ad Gal. 4. *Filioli quos iterum parturio &c.* S. Gregorius, lib 30. Moral. c. 10. hanc doctrinam eodem Apoſtoli teſtimonio confirmat. Cyrillus in illud Iſaiæ c. 26. *Sicut quæ concipit cùm appropinquauit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus à facie tua, Domine, concepimus & quaſi parturiuimus ſpiritum ſalutis;* Applicat Apoſtolis, qui ſpiritum ſalutis, id eſt doctrinam Euangelicam quam conceperant priùs à Domino, in nobis ediderunt, parturientes magnis doloribus & laboribus animas noſtras.

Ioan. 4. 38. At nos Sacerdotes, *in eorum labores ingreſſi ſumus*, non vtique in dolores, quia non iam vt Chriſti Apoſtoli, & proximi eorum ſequaces, decertamus vſque ad ſanguinem & mortem: ſed *labor eſt ante nos*; fuerunt illi plantatores & ſatores, nos autem meſſores, non tamen ſine æſtu & ſudore: *Ingemiſcimus enim & parturimus vſque adhuc*; ſed *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hac ſpe iam ſalui facti ſumus, adoptionem filiorum expectantes. Si autem quæ non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. At ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Qui autem ſcrutatur corda ſcit, quid deſideret ſpiritus, quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis:* id eſt pro electis, quos *vult conformes fieri imaginis filij ſui, idcirco quos prædeſtinauit, hos & vocauit* per miniſterium noſtrum, qui ideo corde & ore *iterum eos parturimus, donec formetur in ipſis Chriſtus*; vt ſic iuſtificentur, ac glorificentur. Hic eſt ſcopus Euangelicæ prædicationis: *Virtus eſt enim omni credenti ad ſalutem*, & prædicatori ad coronam: *Qui enim docti fuerint* (dicit Prophetæ per Angelum Spiritus ſanctus) *fulgebunt quaſi fulgur firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates:* Et iure quidem, nam, vt ait magnus Dionyſius, *diuinarum omnium perfectionum, diuiniſſima eſt Dei cooperatorem eſſe, in reductione animarum ad creatorem.*

Rom. 8.

Daniel. 12.

Quantùm quæſo gloriari poſſet creatura, per quam Deus vt cauſam ſecundam cuncta creaſſet, quæ diceret cum diuina ſapientia, licèt non adæquatè, ſuo tamen modo: *quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, cum eo eram cuncta componens.* Multo verò excellentius eſt hominem cum Deo cooperari ad gratiam conferendam, quæ multis excedit nominibus omnem naturam. Certè ſicut in cœlo ſuprema Hierarchia conſtat Cherubinis, Seraphinis & Thronis, è quibus omnis illuminatio prouenit ad inferiores Angelos: ſic in Eccleſia conſtituit Deus ſupremum ordinem Hierarchicum, ſcilicet Sacerdotium, ad illuminandos & inflammandos inferiores homines: Angeli quantumuis ſummi ſint, altiora exercitia non habent, quàm rationales creaturas ad Deum reducere, purgando ſcilicet, illuminando & perficiendo; *omnes* enim *ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium, miſſi* (ait Apoſtolus) *propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Digniori igitur officio non poſſunt homines adhiberi, quàm vt fratrum ſuorum ſaluti inuigilent, eóſque verbo vitæ & operibus iuſtitiæ ac Sacramentis gratiæ, deducant ad æternam felicitatem. In regno cœlorum eſt *lux non illuminata*, ſed *purè illuminans nempe Deus*, *lux*

Prouerb. 8.

Heb. 1. 14.

lux illuminata & illuminans, ſcilicet ſupremi Angeli, *& illuminata non illuminans nimirùm ſpiritus inferiores.* In Eccleſia (quæ ad typum regni cœleſtis efformata eſt) ſic eſt lux merè illuminans nempe Chriſtus, lux illuminata Doctores, quibus ipſe ait, *vos eſtis lux mundi;* & lux merè paſſiua, nempe plebs quæ non illuminat, ſed illuminatur. In hoc opus prædicatores à Deo aſſumuntur, vt fidei & iuſtitiæ fulgores & ardores charitatis influant in gregis Domini inferiores portiones, vnde Apoſtolus ait 1. Cor. 3. *Dei adiutores ſumus: vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum.* Quanto igitur plus in hoc miniſterio quiſpiam laborauerit, tanto maiorem à Deo recipiet mercedem. *Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5.19. At qui minus laborauerit, minimus quoque hic erit.

Reſpicite igitur fratres vocationem veſtram! ſpectate finem officij huius 1. *Cor.* 1. ad quod vocati eſtis. *Dedit Dominus aſcendendo in altum, Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos & Euangeliſtas, dedit paſtores & Doctores: quem ob finem eos inſtituit? ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, ne ſcilicet de cætero homines* *Epheſ.* 4. *eſſent ſicuti paruuli fluctuantes, & circumferrentur omni vento doctrinæ, ſed occurrerent in vnitatem fidei, & creſcerent in virum perfectum, ad ſimilitudinem Chriſti.* Neceſſe eſt igitur, vt iſti Doctores ſint veraces, déque generis humani promouenda ſalute ſuper omnia ſolliciti. Vnde ſubdit Apoſtolus, *facientes veritatem in charitate*, id eſt non tantùm verum loquentes, ſed operantes veritatem quam prædicant, propter gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem.

S. Bonauentura in prologo ſuper libros ſententiarum, quærit, cur hi ſint conſcripti? Reſpondet verò finem eorum eſſe, vt ſiamus boni. Si quæras cur ſcriptum ſit Euangelium? *cur prædicatum in gentibus?* cur quotidie *prædicatur in vniuerſo mundo?* Reſpondeo, *vt manifeſtum fiat magnum pietatis Sacramentum quod reuelatum eſt in carne, & iuſtificatum eſt in ſpiritu; vt glorificetur Deus ab omnibus per Ieſum Chriſtum.* Inſuper vt homines erudiantur ad ſalutem: fiant iuſti & boni, ſicque ſint in æternum beati cum Chriſto & Angelis. In hunc finem vota ſua ſuprema ad patrem, Chriſtus ipſe in ſuæ paſſionis procinctu, concluſit, *Pater* (inquit, loquens de diſcipulis ſuis) *ſanctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt: ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum: Et ego pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt credat mundus quia tu me miſiſti.* Ioan. 17. Hic eſt finis Euangelij, ciúſque Prædicatorum tota debet eò ſpectare intentio ac ſcopus. In cuius aſſecutione, & laboris ſui terminum, & quietis æternæ principium, pacíſque & felicitatis perennem fontem inuenient. Quapropter Timotheo ſuo tantopere ſtudium adimplendi huiuſmodi muneris Euangelici commendat & inculcat. *Præcipe hæc & doce,* (inquit) *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ &c. Hæc meditare, in iis eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus; attende tibi & doctrinæ. inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Timoth. 4. 15. 16.

ACTVS VI.

Præteritorum recordatio, conſideratio præſentium, & futurorum præuiſio.

VETVS eſt apud Græcos adagium, πρόσω καὶ ὀπίσω à fronte & à tergo: quod eſt diligenter inſpicere, & præterita cum præſentibus & futuris conferre. Hoc prudentiæ proprium eſt, vnde Seneca, lib. 1. de Beneficiis, *Si prudens* (inquit) *fuerit animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur, præterita cogita, præſentia ordina, futura prouide.* quod diu anteà aliis, ſed non minùs elegantibus verbis Marcellus in litteris ſuis ad Annibalem expreſſerat, vbi ait, Non eſt tantùm illud ſapere, quod ante pedes nunc præſens eſt, intueri, ſed quæ futura ſunt præuidere, ſumptis præteritis in exemplum. Sapientes ſæculi ex diuinis litteris theorema tam inſigne vt pleraque alia decerpſerunt, Deut. 32. 28. 29. quo Moyſes de populi ſui imprudentia ſic queritur; *Gens abſque conſilio* (eſt) *& ſine prudentia, vtinam ſaperent* (præſentia ſcilicet) *& intelligerent* (nempe præterita) *ac nouiſſima præuiderent!*

Tria hæc prudentiæ munera prædicator Euangelicus imprimis callere debet, prudentia enim illi ſummopere neceſſaria eſt, quam ideo Diſcipulis ſuis Chriſtus Dominus commendauit, Matth. 10. 15. 24. 45. Luc 12. 42. Nihil magis ipſis incutiebat, quàm vt eorum quæ dici ab eo audierant, aut fieri viderant, reminiſcerentur. Ex rebus præſentibus docebat futura prænoſcere, vt in parabola de ficu florente proximæ æſtatis indicio: per ſigna præcedentia iudicium, aduentum ſuum monebat coniiciendum eſſe: Hiſtoriam Ionæ, dies Eliæ, Salomonis prudentiam & gloriam, Reginæ Sabba ad eius ſapientiam ediſcendam acceſſum, & ex veteri Teſtamento pleraſque alias res geſtas ſanctorum hominum ad imitandum, impiorum ad euitandum paſſim illis proponebat. Myſteria ſub cortice litteræ, legis & prophetarum ſignificata reſerabat, ſcrutandáſque ſcripturas illis ſeriò commendabat, & ſub parabolarum inuolucris, quas ex rerum præſentium viſu vſúque eliciebat, mores efformare, nouiſſima præuidere & timere, illos admonebat. Denique dabat de prudentia hoc ſingulare documentum: *Omnis victima ſale ſalietur; bonum eſt ſal, habete*
Marc. 9. 48. 49. *ſal in vobis*, hoc eſt prudentiam, qua omnes veſtros actus & ſermones condiatis.

S. Bernardus ſerm. de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, hac ex virtute quæ ex tribus conſiderationibus coaleſcit, omnem vitæ humanæ œconomiam pendere inſinuat. Adducto enim loco Deuter. præſignato, *Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent!* ſubiungit; *Sic æternitatis imago reformaretur in nobis, ſcilicet præſentia moderaremur per ſapientiam, præterita per intelligentiam diiudicaremus, nouiſſima prouideremus ad cautelam.* Et ep. 292. *O vtinam ſaperes quæ Dei ſunt! intelligeres quæ mundi ſunt, prouideres quæ inferni ſunt! profectò inferna horreres, ſuperna appeteres, quæ ſunt mundi contemneres.*

Hæc eſt dubio procul ſumma prudentiæ Chriſtianæ, qua ſi caruerit Concionator, quicquid dixerit, vel fecerit, inſipidum erit, ipſéque ſal infatuatum, putidum, & ad omnem vſum inutile fiet. *Rerum cœleſtium prædicatores* (ait S. Hilarius in Matth. can. 5.) *ſunt æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferentes. Verùm quia conuerſioni homo ſubiacet, & ſolus beatus qui vſque ad finem in omnibus Dei operibus permanſerit; ideo eos ſal terræ nuncupatos, monet Dominus in traditæ ſibi poteſtatis virtute ſubſiſtere, ne infatuati nihil ſaliant, & ipſi ſenſu ſaporis amiſſo, viuificare corrupta non poſſint, & proiecti de Eccleſiæ promptuariis, cum iis quos ſalierint, pedibus incedentium proterantur.*

ACTVS VII.

Moderatio linguæ.

IN moderamine linguæ prudentiam ſitam eſſe maximam diuina oracula declarant. Prou. 10. 19. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſsimus eſt.* Et c. 17. 27. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt ac pretioſi ſpiritus.* Eccleſ. 21. 28. *Verba prudentum ſtaterâ ponderabuntur*, vt ſcilicet æquo pondere & menſura proferantur, nec exceſſu, nec defectu, à veritate & iuſtitia, ac pietate deflectant.

Hanc ob cauſam myſtici Scripturæ interpretes, Spiritum Sanctum ſub linguarum igncarum imagine cœlitus delapſum, Apoſtolorum capitibus inſediſſe exiſtimant, vt tanquam illuſtri hieroglyfico, ſignificaret, verbum Dei prædicantibus opus eſſe prudentiâ & ſapientiâ in loquendo. Lingua enim ſuper caput vbi mens hominis præſidet, egregiè inſinuat linguam prudenter gubernandam, quia non mentem illa, ſed mens & ratio eam debet præcurrere, quod adeo verum eſt vt ipſa humani oris compago, id docere voluiſſe videatur: nam ſicut Anatomiſtæ aſſerunt, à cerebro in linguam nerui influunt, quo admonemur, quanta eſſe debeat linguæ cum ratione connexio, quantúmque in ſermonibus prædicatorum hæc neceſſaria ſit, *qui potentes eſſe debent* *Tit. 1. 9.*
exhortari in doctrina ſana, & ſummopere cauere, ne *cui dent vllam omnino* *2. Cor. 6. 3.*
offenſionem, ne ipſorum vituperetur miniſterium.

Socrates lib. 1. hiſtor. Eccleſ. c. 5. & 6. infauſta referens Arianæ hæreſis exordia, manâſſe hæc refert ex Arrij inconſideratione: qui Alexandrinæ Eccleſiæ preſbyter & prædicator, quædam verba de generatione filij Dei cùm temerè & præcipitanter, ſed publicè in Eccleſia præſente Epiſcopo Alexandro, & toto Clero, ac populo effutiiſſet: quæſtione inde mota, pertinaciter in errore perſtitit, neć monitus, Epiſcopi ſui ſalutaribus conſiliis acquieuit: ſed à verbis ad facta & ſcripta progreſſus, orbem ferè vniuerſum ſua hæreſi inflammauit. *Accenſus eſt* (inquit Socrates) *modicâ ſcintillâ magnus ignis, ſumptóque ab Alexandrina Eccleſia initio, malum hoc totam Ægyptum ac Libyam & ſuperiorem Thebaïdem peruagatum, imò & reliquas prouincias depaſtum eſt.*

Ab hoc exemplo diſcant Concionatores, nonniſi timoratè, ſenſatè, & prudenter *in Eccleſia loqui*, neque ſe ſupra ſe efferre ſublimibus, & captum ſuum ac populi, ſuperantibus quæſtionibus ſe & auditores im-

plicare, magis quàm ſtudere proponendis (vt oportet) ſobriis, caſtis & ſalutaribus documentis. Apoſtolus totus eſt in auertendo dilecto ſuo Timotheo, necnon & Tito eius ſymmyſta, ab imprudenti, infelicíque verborum elocutione. Poteſt peccare in concione prædicator tractando ludicra & profana, hoc vitium à ſuggeſtu Euangelico profligat Apoſtolus, *Profana* (inquit 2. Timoth. 2.) *& vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem.* Item poëtica fabulamenta, *Ineptas, & aniles fabulas deuita*, 1. Timoth. 4. 7. Denique quæſtiones magis curioſas quam vtiles, *ſtultas etiam quæſtiones* (inquit) *& genealogias, & contentiones, & pugnas legis, ſunt enim inutiles & vanæ.* Tit. 3. 9. Quàm etiam ſint periculoſæ, & plerumque exitioſæ, hac noſtra infelici tempeſtate plus experimento diſcimus, quàm vllis verbis exprimere poſſimus. Quo ſpiritu agantur, neſcio: vnum certè ſcio, *Deum eſſe Deum pacis non diuiſionis.* Linguæ quæ à Spiritu Sancto deſcendunt *igneæ ſunt*, & *ſedent*
Act. 2. 3. *ſuper illorum capita*, qui eas recipiunt, eo quod à mente & ratione reguntur, & non aliunde mouentur, quàm ab igne ſupremæ charitatis,
Rom. 5. *Charitas enim Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Si igitur linguæ verba irrationabilia effutiunt, & à ſpiritu contentionis agitantur, à Deo non ſunt, nec eſſe poſſunt; hic eapropter Bernardi magni gemitus eſt, quod non immeritò hîc vſurpem: *Non eſt* (inquit lib. 3. de Conſid. c. 4.) *bona arbor faciens fructus tales, inſolentias, diſſolutiones &c. ſimultates, ſcandala, odia &c. inimicitias graues, perpetéſque diſcordias, quæ animas audientium non ducunt ad vitam, ſed præcipitant in interitum & perditionem.* At plura dicere geſtientem, ipſa charitas non ſinit, & licèt longè ſit à me prudentia, timor tamen concitandi fratres aduerſus fratres, ipſáque conſcientia quæ Deum timet, motus ciere me impedit, pacem Eccleſiæ ſitientem.

ACTVS VIII.

Rom. 12. 16. *Non alta ſapere, ſed humilibus conſentire*, & ad audientium captum, ſermonem contemperare.*

MAGNVS Gregorius è Petri cathedra hoc docebit, ſic enim eloquitur cum ſingulari qua præcelluit prudentia, in ſuo Paſtorali parte 3. c. 5. *Sciendum eſt prædicatori, vt auditoris ſui animum vltra vires non trahat, ne, vt ita dicam, dum pluſquam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Vnde Dominus dicit; quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi tritici menſuram? per menſuram quippe tritici exponitur modus verbi, ne cùm anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur extra fundatur: hinc Paulus ait, Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus; tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam. Hinc Moyſes à ſecreto Dei exiens, coruſcantem coram populo faciem velat, quia nimirùm turbis, claritatis intimæ arcana non indicat.* Diu ante ipſum Gregorium, Origenes illud ipſum prudenter admonuerat, hom. 26. in c. 33. Numerorum. *Cùm conderet Deus mundum* (inquit) *innumeras creauit ciborum differentias pro diuerſitatibus naturæ animalium: hinc ipſa animalia cognoſcunt proprios cibos, & aliis quidem cibis vtitur leo, aliis ceruus, aliis boues, aliis verò*

aues: ſed & inter homines ſunt quædam differentiæ in appetendis cibis, & alius quidem qui bene ſanus eſt, fortem cibum requirit, ſi quis verò infirmiorem ſe ſentit & inualidum, delectatur oleribus, & fortem cibum pro ſui infirmitate non recipit; ſi verò ſit aliquis paruulus, etiamſi voce indicare non poſſit, re tamen ipſa nullam aliam quàm lactis requirit alimoniam. Cibus verò rationalis naturæ ſermo Dei eſt. Sed ſicut in nutrimentis corporis multas paulo antè dedimus differentias, ita natura rationabilis, quæ natura & verbo Dei paſcitur, non omnis vno eodémque verbo nutritur, vnde ad ſimilitudinem corporalis exempli, eſt aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior ſcilicet ſimpliciórque doctrina, vt de moralibus eſſe ſolet, quæ præberi conſueuit iis qui initia habent in diuinis ſtudiis & prima eruditionis rationabilis elementa ſuſcipiunt, at abſcondita myſteria quaſi non ſuum cibum refugiunt, vtpote nec ſibi conueniunt: Ita igitur operam ludunt Concionatores, qui rara & curioſa theoremata ſuis auditoribus proponunt: ſublimiúmque rerum tractatione, eos vel in ſtuporem, vel ſui admirationem rapere contendunt: Iam fermè *receperunt mercedem ſuam*, inanem ſcilicet iactationem ſcientiæ, & futilem de ſe rudium hominum exiſtimationem. At longè deflectunt à ſcopo prædicationis Euangelicæ, & dum populo illudunt, ſemetipſos fallunt, Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: iuſtóque fit iudicio, vt dum oblectantur variis & curioſis argutiis, ſolida cœleſtis doctrinæ ſcientia careant, gratiæque lumine deſtituantur. Hinc Dominus ait, *Confiteor tibi pater, quia hæc abſcondiſti à prudentibus & ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.*

Matth. 6. 2.

Matth. 11. 25.

§. IV.

De Temperantia.

IVSTITIA *quærit*, (ait præfatus iam pluries S. Bernardus) *prudentia inuenit, vindicat fortitudo, temperantia poſſidet. Pax itaque & quies eſt in temperantia: quæ in iuſtitia litigante, in prudentia inquirente, in fortitudine pugnante non inuenitur.* Vnde eſt cur illam quæſtionem hîc accuratiùs expendamus, quæ diſquirit, cur cùm virtutes cardinales non vno ſemper modo nec ordine à ſacris & profanis numerentur: ſemper tamen temperantia poſtremum locum obtineat? Ratio genuina huius rei videtur, quod iuxta Philoſophum lib. 1. Rhetoricor. c. 9. eæ virtutes cæteris antecellant, quarum latiùs patet vtilitas; patent verò diffuſiùs quæ magis vergunt in commune multitudinis bonum: bonum enim publicum (eodem Philoſopho teſte, lib. 1. Ethicor. c. 2.) diuinius eſt priuato: quare cùm iuſtitia & fortitudo (maximè quæ in bello eſt) Reipublicæ bonum promoueant; prudentia verò virtutes omnes ſuo imperio dirigat, at verò temperantia ſpectet bonum priuatum cuiuſque: hac ex ratiocinatione non ineptè elicitur, cæteras virtutes huic vni omnes anteferendas, eam verò, loco, dignitate & merito licèt poſtrema ſit, reliquis tamen vim magnam, & decus non modicum concedere.

Lib. 2. de Conſid. c. 8. in fine.

Theorema hoc adeo inſigne, tamen eſſe non reor abſolutè ve-

rum. Fateor quidem, quòd ſi ipſam temperantiam eo modo ſpectémus, quo ab Oratore Romano definitur, lib. 2. de Inuentione, ſcilicet, *Temperantia eſt rationis, in libidinem, atque alios non rectos animi impetus, firma & modeſta demonſtratio;* vel iuxta S. Auguſtini ſententiam lib. 1. de libero arbitrio, *Temperantia eſt animæ affectio coërcens & cohibens appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur.* vel denique iuxta ſancti Thomæ documentum 2. 2. q. 141. *eſt virtus moralis, earum paſſionum appetitus concupiſcibilis, quæ circa delectabilia corporis iuxta ſenſum tactus in vſu cibi & potus & venereorum verſantur, moderatrix.* Tum ſi iuxta has acceptiones conſideratur, priuatam eſſe virtutem inficiandum non eſt, proinde neque primam, neque præcipuam. At SS. Patres longè ampliores partes temperantiæ concedunt, volunt enim in qualibet moderatione conſiſtere, & ideo multo plura eidem officia attribuunt: Clemens Alexandrinus 2. Stromat. *Oportet*, inquit, *nos exercere ad ea cauenda, quæ ſunt obnoxia vitiis:* at hoc officium eſſe temperantiæ aſſerit, vnde concludit, eam eſſe *donum maximum Dei*, vt quæ medium virtutis teneat, & vitiorum omnes exceſſus vel defectus vigili cautela, ſuo à ſacrario eliminet. Proſper ideo cenſet temperantiam chorum ducere virtutum, & qui ea præditus eſt, illarum ornatu omnium reddere inſignem: *Temperantia*, inquit, *temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas: Ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placidâ tranquillitate componit, & totum tempus ab omni vitiorum tempeſtate defendit*, lib. de vita contempl. c. 10. Et rurſus c. 19. *Temperantia eſt* (inquit) *quod ſenioribus reuerentiam exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternæ dilectionis impendimus, quod præſtamus loquenti ſeniori ſilentium, quod ipſius ad loquendum præſtolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum, quod riſui prorumpere non permittimus in cachinnum, quod nulli detrahimus, ſed detrahentes æquanimiter ſuſtinemus.* Qua ex doctrina liquet hanc virtutem lumen & decus eſſe omnium cæterarum: hácque ſi ideo Concionator ſit præditus, æquo iure magiſterium virtutis ipſum poſſe profiteri, quarum in ſe exhibebit omnibus numeris exemplar abſolutum; cuius archetypum in Chriſto præfulgentem, ſuſpiciendum eſſe, S. Bernardus exponit ſerm. 22. in Cantica: *Incaſſum quis laborat* (ait) *in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putet, quàm à Domino virtutum, cuius doctrina ſeminarium prudentiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ*, CVIVS VITA SPECVLVM TEMPERANTIÆ, *cuius mors inſigne eſt fortitudinis.*

Sed S. Ambroſius lib. 1. Offic. c. 27. aliqua temperantiæ munera aſſignat, quæ licèt ea virtus, vt omnium collectiua, Chriſtianis omnibus debeat eſſe communis: Doctori tamen Eccleſiaſtico, ſeu prædicatori Euangelico eam maximè indicant conuenire. Ait enim: *In temperantia maximè tranquillitas animi, ſtudium manſuetudinis, moderationis*

gratia, honeſti cura, decoris conſideratio ſpectatur & quæritur. Quid enim Concionatori ſacro aptius conuenire poteſt, quàm animi tranquillitas, cùm eius ſit officium, præconium pacis, omniúmque perturbationum animi moderatio? ſi decorum vſquam ſeruandum eſt, vbinam magis quàm in Eccleſia, quàm in Cathedra veritatis? ſi manſuetudinis ſtudium debet in quouis Sacerdote elucere, quanto magis in eo qui Chriſti non modò doctrinam prædicat, ſed & mores docet, ſedulo mentis affectu, eſſe imitandos; *Diſcite à me* (dicit ipſe Chriſtus) *quia mitis ſum & humilis corde.*

Cæterùm S. Auguſtinus lib. de morib. Eccleſiæ c. 21. eximiè docet, & hanc eſſe virtutis temperantiæ functionem, vt curioſitatis pruritum cohibeat, *Curioſi eſſe prohibemur,* (inquit) *quod magnum temperantiæ munus eſt.* Curioſitas innatum ferè nobis, at inquietum malum eſt, quod humanã mentem continuo fluctu cogitationum agitat, rerúmque alienarum importunum facit hominem ſcrutatorem, ſuarúmque ipſarum obliuioſum. Curioſus enim animus quanto fit peritior alieni meriti (ait S. Gregorius hom. 36. in Euangelia) tantò magis fit ignarus ſui. Quamobrem ſcitè ait S. Auguſtinus, *Omnem indoctum curioſum eſſe, & cum ſeipſum ignoret, cupere tamen omnia cognoſcere*, lib. de Mirab. Script. & lib. Confeſſ. 10. c. 8. Et verò non mirum eſt, cur curioſus verè doctus eſſe non valeat: tot enim externarum rerum varietatibus, quin & contrarietatibus diſtrahitur, vt vix in obiecto poſſit vno fixus tantiſper conſiſtere; dum enim mox ad aliud diuagatur, prioris obliuiſcitur, nec menti eius impreſſum hærere poteſt, quod raptim & in momento aſpectum, minimè comprehenditur. At tria ſunt vitia curioſitatis, quæ Concionatori multum officiunt. 1. eſt *curioſitas verborum*, quam euitandam ſapienter Plato * cenſet, eo quod cùm ſelectorum verborum accuratiori indagini ac ſermonis pompæ indulget orator, minus fit ſolidæ ratiocinationi intentus. 2. eſt *prurigo ſcrutandi arcana quæ Deus occulta eſſe voluit* *. vt ſunt prædeſtinationis, gratiæ, & iuſtitiæ Dei profundiora myſteria. 3. eſt *pudor proferendi populo ſimplicem Chriſti doctrinam quoad fidem & mores.* Multi enim *plus ſtudent* (ait S. Bernardus) *alta quàm apta proferre, & erubeſcunt plana & humilia; vt hæc ſolùm ſcire videamur.* Quot mala hæc peſtis, quæ hoc tempore latè apud concionatores ſerpit, Eccleſiæ intulit ac quotidie infert, prudentibus nequit eſſe incognitum. At ſapientiſſimorum Antiſtitum Eccleſiæ officij ac curæ fuerit huic tam exitioſo contagio occurſum ire, prædicatoribúſque præcipere, vt muneris ſui memores ſic temperatè ſe gerant, vt Chriſti fidelibus puram eius doctrinam, quæ fidem & mores maximè efformet, planè & perſpicuè, reiectis ad ſcholas Theologicas, quibuſque magis arduis quæſtionibus vel problematibus, minùs ad ſalutem omnium neceſſariis, proponere & exponere ſtudeant. Aliàs ſi parere tam ſalubribus monitis, imò iuſtis & piis iuſſionibus paruipenderint, *vigore planè Sacerdotali*, (vt verbis S. Cypriani vti liceat) obedire compellantur.

* *de Regno.*

* *S. Proſper hoc notat lib. de vocat. gentium.*

ARTICVLVS V.

De reliquis virtutibus Concionatori neceſſariis.

IN Epiſcopali Panoplia, & Clericali quæ iam typis excuſæ publicam in lucem prodierunt, hácque Panoplia Sacerdotali, de virtutibus quæ Clericum, Sacerdotem & Epiſcopum decent, iiſque ratione ſui ordinis ac gradus ſunt neceſſariæ, propriis locis diſſeruimus. Sed & de virtutibus quibus qui Catecheſim Chriſtianam docet, debet præditus eſſe, vt tam ſalutari officio dignè & vtiliter defungatur; in ipſa Panoplia Clericali * didacticum expreſſimus indiculum, quo oſtendimus Catechiſtam imprimis Doctrinæ Chriſtianæ oportere eſſe ſcientem, vnáque factorem verbi, pium, prudentem, lenem & affabilem, patientem, fortem, & in munere ſuo perſeuerantem. Has profectò dotes ſi concionator ab ipſo limine profitendæ ad docendum Catecheſis Chriſtianæ imbuerit, atque in progreſſu prædicandi quo par eſt affectu excoluerit; Vix eſt quòd ampliorem in eo exigam virtutum, quæ muneri ſuo conferunt apparatum. Nihil igitur hoc loco ſupereſſe videtur, quàm media quædam ſubiunctum ire, quibus has virtutes vel comparare poſſit, vel ſi has iam fuerit adeptus, eaſdem queat auctiores facere.

* *Part. 1. lib. 8. de exercitiis pietatis c. 7. ſeu 7. Gradu, cuius titulus eſt* Catecheſis Chriſtiana, *p.* 430. *ad* 439. *incluſiuè.*

Primum medium ſuggerit S. Baſilius in c. 1. Iſaiæ, & in 1. Pſ. Dauidis, ſcilicet receſſionem à vita flagitioſa: * *Principium* (inquit) *recuperandorum bonorum, eſt receſſio à malo; Declina à malo & fac bonum, ſi enim ſtatim propoſuiſſet tibi perfecta, pigriùs ea aggreſſus fuiſſes; nunc verò iis quæ faciliùs comprehenduntur te aſſuefacit, quo maiori animo ſequentia aggrediaris. Vt enim in ſcala primus aſcenſus eſt à terra diſceſſio, ita in diuina politia, principium progreſſus, ſeceſſio eſt à malis.*

* Ἡμεῖς δὲ πρῶτον λέγομεν, ὅτι ἀρχὴ πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν καλῶν ἡ ἀναχώρησις τοῦ κακοῦ. ἔκκλινον γάρ φησιν, ἀπὸ κακοῦ, καὶ ποίησον ἀγαθόν. εὐθὺς σε ἐπὶ τὰ ἐπίχειρα προσάγων ἡμᾶς εἰς ἀρχὴν, τὴν ἀναχώρησιν τῆς κακίας ἀρχὴν ἐποίησατο τῶν καλῶν. εἰ γὰρ εὐθὺς προσέβαλέ σοι τὰ τέλεια, ἀπώκνησας ἂν πρὸς τὴν ἐγχείρησιν· νῦν δὲ τοῖς εὐληπτοτέροις σε προσεθίζει, ἵνα καταλαμβάνης τὰ ἑξῆς, &c. ὥσπερ οὖν ἐπὶ τῆς κλίμακος πρώτη ἀνάβασίς ἐστιν ἡ τῆς γῆς ἀποχώρησις· οὕτως ἐπὶ τῆς κατὰ Θεὸν πολιτείας ἀρχὴ προκοπῆς ὁ χωρισμὸς τοῦ κακοῦ. *S. Baſil. in Pſal. 1. ſub medium.*

Secundum eſt mortificatio, vel excidium omnium prauarum cupiditatum huius mundi, vt ipſe docet S. Baſilius hom. in Pſ. 61. *Beatus* (ait) *qui omni ſpe rerum huius mundi, ſeipſum orbauit, ac in ſolo Deo omnem ſpem fixit; diuina autem gratia vix digni eſſe poſſumus: ſi priùs eas perturbationes, quæ prauitate ſua animos noſtros infecerunt, non exegerimus. Vidi igitur medicos non priùs præbentes ſalutaria medicamenta, quàm antè vomitionibus eam materiam, quæ morbum gignebat vacuam feciſſent, quam ſibi ipſis ex praua victus ratione homines intemperantes aggregarant. Verùm & vas ſi re aliqua malè olente unctum fuerit, & non elutum, recipit vnguenti influxionem, proinde neceſſarium eſt, vt ea quæ priùs inſunt effundantur, vt poſteà poßint recipi quæ inducenda atque inferenda ſunt. Omnibus quidem adeſt Spiritus ſanctus, ſed ſolummodò illis, qui à perturbationibus ſunt vacui, propriam virtutem imprimit ſuam.* Idem ſanctus Pater in Aſceticis, *Fieri*, inquit, *non poteſt, vt id rectè cui ſtudemus perficiatur, ſi animus in diuerſas diſtractus fuerit curas, ſicut ipſe Dominus declarauit dicens, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*

Tertium ex axiomate S. Ambroſij elicitur, in Pſ. 118. *Nulla ſine labore virtus eſt.* Cui ſubſcribit S. Hieronymus ep. 13. ad Paulinum, *Nihil ſine magno labore, vita mortalibus dedit.* Præcinens verò ambobus dixit

dixit eleganter Lactantius, lib. 3. diuinar. inſtit. *Hoc vno beati hac in vita eſſe poſſumus, ſi fugientes illecebras voluptatum, ſolique virtuti ſeruientes, in laboribus miſeriiſque viuamus, quæ ſunt exercitia & corroboramenta virtutis; ſi denique aſperam illam vitam difficilémque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta eſt tam Chriſti verbo; nam regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud: quàm exemplo; Oportuit enim Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.*

Quartum medium ad virtutem ſtrenuo labore comparandam, eſt *Spes copioſæ remunerationis*, nullus enim *labor durus, nullum tempus longum videri debet* (ait S. Hieronymus) *quo gloria æternitatis acquiritur.* Certè omne opus leue fieri ſolet cùm eius præmium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium ſit laboris. Tanto magis excitat merces ad laborem & virtutem, quanto maius eſt quod proponitur & ſperatur præmium. Pulchrè ad hæc Caſſiodorus lib. ↄ. epp. *Nutriunt præmia virtutes, nec quicquam eſt, quod non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientia teſte laudatur.* Non ſunt audiendi qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt, nam præmium & decus virtutis, longè laborem & æſtum quibus paratur, tranſcendit ac ſuperat.

Quintum medium, eſt *Dei timor*, iuxta illud Pſ. 110. *initium ſapientiæ timor Domini.* Per timorem Dei etenim (ait egregiè Caſſianus lib. 4. Inſtitut. c. 39.) *& vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia, his qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.* Vnde & S Bernardus, *Sicut ſecuritas,* (inquit) *vel deſidia cauſa eſt & mater omnium delictorum: ſic timor Domini radix eſt & cuſtos omnium bonorum.* Et ideo Iſaias in timore Dei ponit diuitias ſalutis, c. 33. Et ipſum timorem eſſe theſaurum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quæ eſt ſcientia Sanctorum, dicitur Sap. 10. qua edocti Deum religioſè colunt, voluntatem eius inquirunt, ad mandata eius ſeruanda impelluntur, vitia odio habent, virtutes diligunt; quæ ſunt mundi, faſtidiunt, ad ſuperna per ardens deſiderium rapiuntur.

Sextum, eſt *exemplorum quæ nobis Sancti, ad imitandum reliquerunt attenta conſideratio.* S. Gregorius ad illa verba Iob 36. *Qui effundit imbres ad inſtar gurgitum, qui de nubibus fluunt: Nubes viri ſancti* (inquit lib. 17. Moral. c. 5.) *& Apoſtoli ſunt imbres quæ * deſuper aërem prætereunt; ſi in cœlum oculos attollimus, non cœlum, ſed ipſas intuemur &c. Quia intellectus noſter ad diuina tranſire non ſinitur, niſi priùs per exempla Sanctorum præcedentium formetur, vnde aliàs dicitur, illuminans tu mirabiliter à montibus æternis &c. Ex æternis enim montibus Deus nos illuminat, quia per admirabilem vitam Patrum radio nos ſuæ claritatis illuſtrat. Ecce cùm præceptis cœleſtibus ſubdi per obedientiam cupimus, conſideratis antiquorum Patrum veſtigiis iuuamur: admirantes Abrahæ obedientiam, patientiam Iſaac, labores Iacob, caſtitatem Ioſeph, manſuetudinem Moyſis, conſtantiam Ioſue, benignitatem Samuelis, miſericordiam Dauid &c. More enim nubium extenſa ſuper nos Patrum vitâ tegimur, vt ad fructum fœcundi germinis infundamur.* At de hoc medio, ad virtutem comparandam quàm efficaci, ſatis ſupérque dictum in Martyrologij noſtri Gallicani Analectis; in cuius etiam contextu innumera

* nubes

CCccc

ad ſingulas virtutes exempla ſuppetunt, & ipſorum exemplorum copioſi fructus, quos pij imitatores Sanctorum perceperunt, ex ipſorum aſſidua meditatione, affatim expromuntur.

CAPVT X.

De Sede, ſeu Cathedra Prædicatoris.

PRÆCLARÉ, vt cætera ſemper, præcipuus Eccleſiæ Doctor, Auguſtinus admonuit in prol. lib. 1. de Doctrina Chriſtiana; ſic complacuiſſe Deo, vt homines, per homines, quæ ſunt ſalutis docerentur; ideóque ſummopere eſſe curandum vt qui docetur, humiliter diſcat, & qui docet, ſine ſuperbia & inuidia tradat, quod ipſe à Domino accepit.

Hoc axiomate poſito, aliud ſubiiciam, quod eſt huiuſmodi. Euangelium è ſurſum eſſe. Iam olim mos in Eccleſia obtinuit, vt cùm Diaconus in incruento Miſſæ ſacrificio, Euangelium lecturus eſſet conſcenderet pulpitum, vel ambonem, qui locus erat editior, vt à Deo deſuper datum ſalutaris huius doctrinæ munus, omnibus circumquaque audientibus ſignificaretur: vnde illud Cypriani lib. 4. ep. 5.
» Quid aliud quàm ſuper pulpitum, id eſt tribunal Eccleſiæ oporte-
» bat imponi (Confeſſor ſcilicet ſtrenuus, qui perductus ad iudicem,
» ſpretis ſuperatíſque tormentis, fidei præconium intrepidè protulerat)
» vt loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi vniuerſæ pro honoris ſui
» claritate (id eſt pro ordinis gradu ſpectabili) conſpicuus legat præ-
» cepta Euangelij Domini. Quæ idem B. Cyprianus lib. 2. ep. 5. *ſublimia verba* eleganter appellat: tum videlicet quòd diuina & planè cœleſtia, vt pote de ſupernis accepta; tum quod ad æterna laborum piorum præmia Chriſti pugiles excitant & prouehunt, hæc ipſa eſſe pietas Chriſtiana profitetur. Eadem igitur ratione, qui Euangelium prædicabat, ac qui recitabat è libro, ſublimiori in loco conſiſtebat: nec enim id ſolum fieri mos erat, vt commodiùs Euangelizator à circumſtantibus audiretur, ſed vt etiam doctrinæ quam annunciabat, cœleſtis origo, & ipſius Concionatoris qui diuinus eſt nuncius, dignitas cuique innoteſceret. Quò ſpectare videtur illud Iſaiæ prophetæ, *Super montem excelſum aſcende, tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem.* Vnde ipſe Dominus, qui ad hoc vnctus & miſſus ſuo à Patre erat, vt annum placabilem prædicaret & euangelizaret captiuis indulgentiam, daréque lugentibus tam diu deſideratam conſolationem: paſſim *docebat in monte* vt eminentiori loco reſidens doctrinam ſalutis generi humano, ſito in infimis, ſed ad ſublimia efferendo, diſpenſaret; quemadmodùm præfatus notat S. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte ſub initium, vbi etiam admonet, docendo in monte non ſtetiſſe, ſed ſediſſe ad indicandam diuini Verbi prædicatoris dignitatem: *Docet* (inquit) *in*

Iſa. 40. 9. *Ibid. 61. 1.* *Luc. 4. 18.*

monte: ſedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem Magiſterij.

Et verò inter Hebræos hic vetus mos obtinuit, vt Magiſtri docendo ſederent: quo ex vſu & ipſe Chriſtus omnium Doctorum ſummus didaſcalus adhuc dum eſſet puer duodennis repertus eſt à parentibus ſuis in templo ſedens in medio Doctorum, audiénſque & interrogans eos, ſubindéque ad eorum poſtulata reſpondens, ita vt omnes qui aderant plurimùm mirarentur. Poſtquam autem vir factus eſt & cœpit euangelizare regnum Dei, cùm doceret populum ſemper ſedere conſueuerat, Luc. 4. 20. *Ingreſſus Synagogam Nazareth, accepit librum Iſaiæ Prophetæ, & vt reuoluit illum &c. ſedit.* Et cap. 5. Cùm aſcendiſſet in nauim Simonis, *ſedens docebat de nauicula turbas.* Et Ioan. 8. 1. *Venit diluculo in templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.* Erant enim in templo cathedræ pro eorum ſeſſione qui populum docebant, vt colligitur Marc. 12. Luc. 11. & Matth. 23. dicebat ipſe Dominus, *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi dicunt & non faciunt: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.* Ad quæ verba S. Hieronymus lib. 4. Comment. in Matth. c. 23. *Per Cathedram* (inquit) *Dominus doctrinam legis oſtendit, vnde & illud quod dicitur in pſalmo, In cathedra peſtilentiæ non ſedit: Et, cathedras vendentium columbas euertit, doctrinam debemus accipere.* Ideo Apoſtoli vbi locus commodus erat, in cathedris ſedentes euangelizare ſolebant. Aſſeruatur adhuc Romæ in Baſilica Vaticana cathedra lignea, in qua S. Petrus docendo ſediſſe perhibetur: ſicut Ieroſolymis fuiſſe cuſtoditam magna cum reuerentia cathedram Iacobi Apoſtoli, ſuo adhuc tempore, teſtatur Euſebius Cæſarienſis lib. 7. de vita Conſtantini, c. 19. quin & conſeruatam reperimus, etiam apud veteres, cathedram S. Marci, Petri ipſius apicis Apoſtolorum diſcipuli: in qua ſucceſſores ob cœleſtem inde micantem mirum ſplendorem, inſidere non audebant. S. Clemens ep. 1. ad Iacobum, (ſeu potiùs Simeonem) fratrem Domini, cathedræ meminit, aſſumens hoc nomen pro Epiſcopatu vel Sacerdotio, quia ſcilicet munus docendi primario iure competit Epiſcopo, deinde Sacerdoti. Quo fungendo Stephanus Papa cùm ſynaxim expleſſet, ab emiſſariis Valeriani ſedens in cathedra ſua deprehenſus, ibidem capite amputato, cathedram ipſo ſuo ſanguine conſecrauit; quam eius cruore conſperſam fideles reuerenter cum eius corpore in cœmeterio Caliſti condiderunt. Tempore perſecutionis ſolebant paſtores & fideles in cryptis & ſpeluncis, aliiſque campeſtribus latibulis ad ſacra conuenire; & ibi Epiſcopis, cathedræ ad docendum plebem excidebantur. Quo ex more etiamnum viſitur in Parœcia de Macoſo prope Agennum, S Capraſij Pontificalis cathedra in grandi exciſa lapide, ſub hiatu ſpeluncæ, in qua exterritos fideles ad ſe confugientes, verbi diuini pabulo recreabat, quemadmodum in Supplemento Martyrologij Gallicani notauimus 5. *Idus Iunij.* Poſt ſedatos atros perſecutionis turbines, Præſides Eccleſiæ inſigniores cathedras habuerunt, in templis enim vbique ædificatis, & ſedes Pontificales & cathedras

Luc. 2. 46.47.

doctrinales, eis extruxit iam toto orbe triumphans pietas Chriſtiana. Hinc Caſſiodorus in Pſal. 1. *Cathedra propriè doctoribus datur: ſicut etiam iudicum tribunal, & ſolium Regum proprium eſſe memoratur.* Sidonius tamen vt tribunalia à cathedris diſtinguit: ipſas cathedras doctrinæ diſcriminat, à cathedris altarium lib. 7. ep. 9. ſub finem. Sedes iſtæ Epiſcopales erant abſides gradatæ, ſeu cathedræ velatæ, quarum meminit S. Auguſtinus ep. 203. ad Maximinum. Cathedræ verò è quibus ſedendo prædicabant, dicebantur ſuggeſtus, pulpitum, ambo. Hinc illud Socratis de ſancto Ioanne Chryſoſtomo, *Epiſcopus reſidens ſuper ambonem, vbi ſolebat priùs verba facere, homiliam increpatoriam fecit*, lib. 6. cap. 5. S. Ambroſius oratione de non tradendis baſilicis, cathedras Eccleſiaſticas hinc collectiuè ſumit, & pro tribunali ſacro, & pro ambone Euangelico, *Quid ſunt* (inquit) *cathedræ, niſi honores*, ſcilicet Eccleſiæ? Quamobrem in earum ambitores acriter inuehitur S. Gregorius Nazianzenus orat. 8. quæ eſt in laudem S. Baſilij. Eodem ſpectat illud Beati Apoſtoli Petri apud Clementem loco præſignato: *Cathedra eum qui cupit eam & audacter expetit, non requirit, ſed ornatum moribus & verbis eruditum.* Cæterùm Diaconis cùm abſente Preſbytero verba ad populum faciebant, fas non erat è cathedra vel ſuperiori loco ſermocinari. Notat ex veteri diſciplina Petrus Bleſenſis ep. 123. & 141. quin idipſum inſinuat S. Anſelmus in c. 4. epiſt. ad Epheſ. Nam nec eis propriè prædicare conceſſum erat, ſed dumtaxat homilias SS. Patrum populo recitare, vt liquet ex can. Concilij II. Vaſenſis: at catechizare proprio illis iure competebat, vt ex Schola Apoſtolica docet & teſtatur S. Dionyſius lib. de Eccleſ. Hierarchia, vbi ſcribit Miniſtrorum primum (quem Archidiaconum vocitamus) Catechumenis præfuiſſe. Porrò non eſt quòd quis hîc obiiciat primò dicta, hoc in capite, poſterioribus aduerſari, quòd è pulpito ſeu ambone dixerim antea Diaconum, ſupremo loco ab altari eminentem, conſueuiſſe iam olim recitare Euangelium: poſtmodum verò fas illi non eſſe aſſeram, è loco ſuperiori, quem veteres analogium, dicterium, cathedram, ambonem &c. appellabant, populum docere. Verumenimverò iſta duo rectè conueniunt: nam aliud eſt Euangelium legere in ſacrificio, aliud autem ipſum Euangelium prædicare & explicare populo, pro ſuggeſtu. Diaconum ſolenniter in Liturgia Sacerdoti miniſtrantem diximus ex officio conſueuiſſe Euangelium è ſublimi loco legere, qui ideo dicebatur lectorium (hinc illud Anaſtaſij in Leone IV. *Fecit lectorium argenteum*) At ei non licebat conſcendere ambonem, analogium, cathedram ad prædicandum & exponendum populo Euangelium: hoc enim munus prædicationis Euangelicæ proprium Epiſcoporum, & ſubinde Preſbyterorum erat. Vnde eſt quòd corruptos mores huius ſæculi doleamus, dum videmus non tantùm Diaconos, ſed etiam Subdiaconos, imò minores Clericos eò audaciæ proſiliiſſe, (conniuentibûs paſſim iis ipſis, quos tantam temeritatem vigore planè Sacerdotali compeſcere oportebat) vt publicos ſuggeſtus, ſubli-

mes Eccleſiarum cathedras conſcendere non vereantur; atque hinc etiam circumſtanti Sacerdotio, magiſtratibus, & populo ſolenniter Euangelium prædicare, inſidendo cathedræ, operto capite, & ea auctoritate, qua Epiſcopus vel Sacerdos munus hoc Apoſtolicum obiret: cùm ſacri canones Diaconum ſedere in medio Preſbyterorum diſtrictè prohibeant, ac modeſtiæ memorem eſſe & ſui gradus (qui ad ordinem principantem non ſpectat, ſed ſolùm ad miniſtrantem) menſuram tenere ſancti Patres grauiſſimis monitis paſſim adhortentur. ſed adoleſcentuli illi prædicatores æſtu præcipiti abripiuntur, pruritúque feruent ſeſe oſtentandi mundo: vnde ſupramodùm ſe efferendo, de cathedra veritatis faciunt *oſtentorium* vanitatis: quo nomine etiam (fortè propter hos effrenes auſus, pudendóſque illorum ambitus) locus ille ſublimior, è quo Sacerdotes diuinum Euangelium populo prædicant & exponunt, iam pridem cœpit appellari, vt videre eſt apud Baſilium Seleucienſem lib. 2. de Thecla: qui cum altero eiuſdem tituli à Petro Pantino Decano Bruxellenſi, Latinus factus, typiſque Plantinianis editus in lucem anno 1608. prodiit.

Verùm hîc eſt quòd Sacerdotes admoneam: quamuis liberior ac illuſtrior pateat illis, quàm Diaconis, ad populum docendum aditus: non eſſe tamen, cur de loco ſublimiori adeo extollantur. Non dicam cum Bernardo ad ſuum Eugenium: *Gloriaris de cathedra? ſpecula eſt non ſolium:* ſed quod ſcribit præfatus Sidonius ad Claudianum lib. 4. ep. 3. *Nobis autem grandior audacia, ſi vel apud municipales, vel cathedrarios oratores, aut forenſes rabulas garriamus.* vbi per *Cathedrarios oratores* non eos qui hoc gradu digni ſunt, intelligit: ſed eos qui neſcio quo typho ſuperbiæ oratoriam artem infeliciter profitentur: & oratorum famam dum ambiunt, nihil minus quàm huic muneri ſatisfaciunt, cuius immeritò præſeferunt facultatem. Quo acumine iamdudum Seneca, Cathedrarios Philoſophos, veris & ingenuis opponebat, lib. de Breuitate vitæ. *Solebat*, inquit, *dicere Fabianus: Non ex iis cathedrariis Philoſophis, ſed ex veris & antiquis.* Caueant hoc quæſo prædicatores noſtri, qui in altum locum conſcendunt, ad diuinam doctrinam populo annunciandum: *Cathedrariorum oratorum* ambiguum nomen, quin & non obſcurum temeritatis indicium, auſibus adeo miſerandis ſibi comparare: Studeántque potiùs Oratores Chriſtianos eſſe, quàm Cathedrarios dici. Quòd ſi de loco ſublimiori, quod vice Chriſti obtinent (dum prædicant eius Euangelium) gloriari nihilominus voluerint, per me non ſtabit, quin etiam eo titulo glorientur, dicentes cum Apoſtolo: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Memores ſint enim eiuſdem Apoſtoli, præclari iſtius documenti: *Nihil me arbitratus ſum ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum crucifixum.* Chriſti autem crucifixi cathedra, fuit ipſa crux, in qua Apoſtolus omnem gloriam ſuam reponebat. Hinc ſcitè dictum S. Bernardi: *Crux patientis, cathedra fuit docentis.* Ex hoc enim excelſo loco, Chriſtus quidquid gratiæ, veritatis & ſalutis erat, nos affatim edocuit. Quamobrem piè, & eleganter ſuo more magnus Auguſtinus, de hoc Chriſti ſuggeſtu, ad cu-

Gal. 6. 14.

1. Cor. 2. 2.

ius exemplum erecta eſt Euangelici prædicatoris cathedra, dixit: *Crux quæ grande ludibrium eſt impiis, grande piis eſt myſterium. Igitur vnde mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit. Quod illis viſum eſt ſtultitia, Apoſtolo factum eſt ſapientia & gloria* *. Sit igitur crux Chriſti prædicatio noſtra: in eáque omnis noſtra exaltatio, decus, & gaudium.

* S. Auguſtinus vbi tractat dictum hoc Apoſtoli ad Galatas: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce D. N. Ieſu Christi.*

CAPVT XI.

De ſcientia Prædicatoris.

PAVLVS Apoſtolus vas electionis dictus, quia legis & Scripturarum Sanctarum erat armarium, tuba Euangelij, vox Chriſti & flumen eloquentiæ Chriſtianæ: cui præ omnibus *Sanctis data eſt gratia hæc, Euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo* *; Paulus, inquam, ille, qui à Chriſto poſitus eſt *Prædicator & Apoſtolus, Doctor gentium in fide & veritate* *, factus repentè de Saulo Paulus, ſingulari diuinæ omnipotentiæ ac miſericordiæ indicio; ſub ipſo ferme exordio ſuæ conuerſionis, raptus in cœleſtia, (vbi, ſicut placet quibuſdam notæ inſignioris Theologis, diuinam, exiguo licèt interuallo, intuitiuè contemplatus eſt eſſentiam;) anſam nobis præbet inquirendi cur tam properè, adeóque in ipſo melioris vitæ limine, ad ſuperna regna intuenda fuerit admiſſus? Te Lectorem pium hoc circa non morabor. Ratio eſt in promptu. Quia deſtinabatur gentium Magiſter, qui latiſſimè per vniuerſum orbem Euangelium diſſeminaret, Chriſtíque nomen vt Dominus ipſe ſtatuerat portaret coram gentibus & regibus, & filiis Iſraël. Act. 9. 15. Quaſi igitur beatorum donatus vrbe, (vnde dicebat, *noſter municipatus in cœlis eſt*) ſub ipſo tyrocinio monebatur, cœleſtem ſe deinceps vt in omnibus ciuem probaret. Nihil igitur de iis quæ mundi eſſent cogitaret, non conniueret ad ſenſuum lenocinia, non ad regnorum pompam, non ad carnis blandimenta, non ad mundi placita: ſed omnia floccifaceret & computaret (ſicut ipſe poſtmodum dixit) vt ſtercora, niſi Chriſtum, cui animas lucrifaceret, & in cuius encomiis vnicè diſceret gloriari. Eapropter eum cœleſtem omnino apparere expediebat. Siquidem quomodo mundum vniuerſum doctrina & inſtructione ad Chriſti fidem traduceret, niſi populi & populorum apices, ſuper humanum, aliquid in eo conſiderâſſent? Non ita certè ad vocis eius tonitruum nationes deſerta auorum religione, noua amplecterentur inſtituta, deſertíſque opibus, deliciis, honoribus, mutato natiuitatis ſolo, eremum replerent ſacrorum Anachoretarum impolluta examina, nec ita alacri animo poſt auditam eius prædicationem ad extrema pro fide certamina, ad cruenta ſcilicet martyria tanto ardore cucurriſſent. Sed cùm homines intuebantur eum humana omnia parui-

* *S. Hier. in ep. ad Paulin. ſup. libros Bibl. & ep. 61. ad Pammachium.*
* *Epheſ. 3.*
2. Tim. 2.

S Thom. lect. 8. in cap. 12. ep. 2. ad Cor.

pendentem, viri ſtudia vniuerſa in Deum tendere, conciliabat vitæ tenor, vóxque pluſquam Angelica vim eius ſermonibus planè mirabilem. *Paulus in paradiſum raptus* (ait ad hoc appoſitè S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 14.) *audiuit ſanè ineffabilia verba &c. Deſcendit autem rurſum, non quòd dignus non eſſet conuerſatione tertij cæli, ſed vt guſtatis cæleſtibus, & honoratus deſcendens* (vt Angelorum conciuis & Dei domeſticus, ac nuntius generalis) *Chriſtum prædicaret.*

A puero elementa ſcientiæ mundi didicerat, atque ad pedes Gamalielis edoctus fuerat in Legis & Prophetarum arcanis: tamen poſthabitis his omnibus humanæ ſcientiæ principiis, vnius ſe nouæque & mundo inuiſæ ac exoſæ ſcientiæ profeſſorem, declarauit: *Et ego cum veniſſem ad vos* (inquit 1. Cor. 2. 1.) *non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ: non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Compendium hoc eſt vnicum Philoſophiæ Chriſtianæ, imò totius meæ doctrinæ promptuarium. Quis non ſtupeat audire tam abſurdæ, vt videtur, doctrinæ profeſſorem, qui in ea tamen ita gloriatur, vt cæteras omnes ſcientias, & diſciplinas in quibus genus humanum præcipuum vitæ decus & fulcimentum conſtituit, floccifaciat?

Sunt ſanè diuerſa ſcientiarum genera; nam eſt ſcientia ſpeculatiua & practica, ſeu intellectiua & moralis. Inſuper ſcientiæ ſunt quædam rationales, ſcilicet grammatica, logica, rhetorica, poëtica, oratoria: quædam reales, vnáque ſpeculatiuæ, vt ſunt mathematica, phyſica & metaphyſica; & quædam ſolùm operatiuæ, vt ſunt omnes factiuæ artes. Corinthi omnes iſtæ ſcientiæ in vſu & ſplendore erant, maximè autem vigebant philoſophia & eloquentia. Se inermem ab iis præſidiis hanc celebrem vrbem aggreſſum Apoſtolus fatetur; imò inde gloriatur: *Et ego cùm veniſſem*, inquit, *ad vos fratres, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ*; ſcilicet humanæ, quæ apud vos variis ex titulis rutilans ſummo eſt in pretio. Sunt qui velint Apoſtolum hìc non abſolutè, ſed comparatiuè tantùm loqui; nec enim ſe inſcium prorſus litterarum ſæcularium ſentiebat: at ſe cum illis qui Corinthi erant mundi ſapientibus, oratoribus & philoſophis, non ideo in his diſciplinis comparari poſſe arbitrabatur; fuiſſe tamen doctum in humanis diſciplinis hinc eliciunt, quod aliquoties poëtas citauerit, vt Tit. 1. 12. verſum Epimenidis, *vbi ſuprà.*

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

quod Faber Stapulenſis pari carmine Latino expreſſit,

> *Gnoſſius vſque loquax, mala beſtia, viſcera pigra.*

Citat idem Apoſtolus Act. 17. Arati hemiſtichium in Phænomenis.

> . : . . . . . αὐτοῦ γὰρ, καὶ γένος ἐσμέν. *Ipſius enim & genus ſumus.*

At S. Chryſoſtomus ſecus opinatur: ſiquidem hom. 6 ſuper 1. ad Corinth. latè docet Apoſtolum, vt collegas eius, fuiſſe humanarum ſcientiarum, maximè autem philoſophiæ & rhetoricæ, ac præcipuarum quæ in ſingulari mundi luce ſunt, imperitum; *Oſtendit* (inquit, ſcilicet Paulus in iſto capite,) *quod non ſolùm docuit Deus mundum per doctos & peritos, ſed etiam indoctos & imperitos vocauit. Non ſolùm enim*, inquit, *diſci-*

puli erant indocti, ſed ego quoque qui prædicabam. Vnde Paulum ipſum, idem Chryſoſtomus ſubiunctim compellat: *Quid, dic quæſo, ſi venuſte voluiſſes in ſublimitate ſermonis, potuiſſeſ-ne? Ego quidem ſi voluiſſem non potuiſſem. Chriſtus autem ſi voluiſſet, potuiſſet: ſed noluit, vt trophæum fieret præclarius: igitur hoc non fuit Chriſtus, quia non expediebat.*

Nec ductum ex citatione Poëtarum facta ſignatis locis ab Apoſtolo, argumentum eſt efficax: vna enim hirundo non facit ver. Raró autem Paulus poëtas allegauit, nempè Epimenidem & Aratum; at hos quidem ſemel tantùm & obiter. Multi ſunt apud nos litterarum humanarum ignari, qui tamen aliquem verſum, vel ſententiam quam tritiore vſu proferri Latinè audierunt, memoriter tenent, & vbi occurrit occaſio, illam recitant vt plurimùm appoſitè: Doctos tamen & verſatos hos in oratoribus & poëtis, propterea nemo prudens dixerit. Hebraïcarum litterarum peritiam in Paulo agnoſcimus, quam imbibiſſe ipſe teſtis eſt ad pedes Gamalielis, vnde euaſit ardentior zelator Iudaïcarum theoriarum & praxeωn. Aliquam etiam habuiſſe Græcarum litterarum notitiam, ipſum quantumuis religione Iudæum, tamen in Tharſo Ciliciæ natum, & origine ingenuum, vtpote Romanum ciuem, non grauatè conceſſero. At quid hoc ad ipſarum ſcientiam, quam potuerit tanto cum nomine profiteri, vt de palma eruditionis, vel eloquentiæ, cum philoſophis & oratoribus qui Corinthi, & paſſim in Græcia florebant, poſſet pari gloria eruditionis contendere? Nec eſt quòd quis obiiciat, infuſam Apoſtolis per Spiritum Sanctum linguarum omnium notitiam, tam quoad vſum, quàm habitum: ſiquidem hanc cognitionem ipſis indidit Spiritus Sanctus, non quoad pompam & ſplendorem, ſed quoad vſum dumtaxat neceſſarium & ipſorum miniſterio congruentem, quod animarum conuerſionem ſpectabat, & quod per fidei prædicationem impleri oportebat, cuius myſteria penitus ſapientibus huius ſæculi incognita erant; quapropter non poterant eorum ex libris delibari. Sic de ſcientiis, fateri debemus, per Spiritum ſanctum donum ſcientiæ Apoſtolis omnibus fuiſſe impertitum; ſed quid hoc ad ſæcularium ſcientiarum influxum? Si quis petierit à Theologis, quid eſt ſcientia, vt eſt donum Spiritus ſancti? Reſpondet ex eorum ſchola Gerſonius part. 2. de ſeptem donis Spiritus ſancti, *Eſſe lumen ſpirituale acceptum à Deo, in quo videntur rationes operabilium pertinentium ad vitam, per quos ſanctè & meritoriè viuamus.* Ad hoc igitur acceperunt Apoſtoli donum ſcientiæ diuinitùs infuſum: inſuper ad intelligentiam ſacrarum Scripturarum: *Aperuit enim illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas,* (Marc. 24. 45.) vt omnia fidei myſteria noſſent, vt eadem docerent & prædicarent, hócque modo *omnem intellectum captiuarent in obſequium fidei, non per inanem philoſophiam, neque per mundi ſapientiam, neque per ſublimitatem ſermonis.* (2. Cor. 10. 5.) Ideo Apoſtolus ſe vt collegas ſuos, nihil ſcire de iis ex quibus mundi Sapientes ſuperbiunt & inflantur, grauiter aſſeuerat. Vnum ſe theorema, in quo omnis ſua doctrina continetur, ſcire & profiteri teſtatus: *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Quaſi diceret, non aliam exiſtimaui veram ſcientiam, & quæ digna

digna eſſet quæ à me ad ſanguinem vſque & vltimum vitæ ſpiritum prædicaretur & defenderetur, atque ab omnibus hominibus patulis vlnis exciperetur, vt in qua ſola eſt omnium ſalus & felicitas, quàm eam quæ eſt de Ieſu crucifixo Saluatore noſtro. Vnde me ita geſſi inter vos ab omni gloria humanæ ſcientiæ, & mundi ſapientiæ abhorrentem, vt ſimpliciter ſicut alij Apoſtoli prædicarem, tantùm *Chriſtum crucifixum.* Non quòd alia fidei myſteria non annunciauerim, ſed quòd præcipuè docuerim & inculcârim cum ferventi fidei & charitatis ſpiritu, *in vna Chriſti cruce eſſe gloriandum*: hinc ſperandam eſſe iuſtitiam & ſalutem: ad hócque conſequendum, crucem Chriſti amplectendam eſſe, patientiam, humilitatem, obedientiam, charitatem eius imitandam, & vitia crucifigenda ab omni homine, qui iuſtus in hac vita, & beatus in futura eſſe voluerit. Hoc Pauli & cæterorum Apoſtolorum prædicationis eſt verum & genuinum compendium, imò fundamentum, primúmque principium, ac etiam fons & riuus, clauis & theſaurus, ſcientiæque Euangelicæ pelagus inexhauſtum. *Gal. 6. 14.*

Dicet verò hîc aliquis, Ergóne Prædicatorem Euangelicum, ſæcularis litteraturæ & humanæ ſcientiæ exigis prorſus eſſe expertem? Minimè verò; at in iiſdem terminis hîc ſumus, quibus ſe pridem S. Bernardus conſtrictum ſentiens, breui perſpicuóque reſponſo ſe expediuit. Dixerat ſerm. 36. in Cant. *Petrus & Andreas & filij Zebedei, cæteríque condiſcipuli omnes, non de ſchola Rhetorum aut Philoſophorum aſſumpti ſunt: & nihilominùs tamen Saluator per ipſos operatus eſt ſalutem in medio terræ, &c. Denique notas fecerunt mundo vias vitæ, & non in ſublimitate ſermonis, aut in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed ſicut placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis eorum, ſaluos facere credentes, quia mundus eum in ſua ſapientia non cognouit.* Præfatus vbi hoc fuit ſanctus Pater, mox pro ſua ſingulari prudentia obiectioni, quam ſibi proponi poſſe ſentiebat, ſolerter occurrit: *Videar forſan in ſugillatione ſcientiæ, & quaſi reprehendere doctos, & prohibere ſtudia litterarum? Abſit! Non ignoro quantùm Eccleſiæ profuerint & proſint litterati ſui, ſiue ad refellendos eos qui ex aduerſo ſunt, ſiue ad ſimplices inſtruendos. Denique legi, Quia repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi Sacerdotio: legi, Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui erudiunt ad iuſtitiam multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: ſed & ſcio vbi legerim, ſcientia inflat; denique qui ſanat contritos corde, execratur inflatos; Quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et Apoſtolus dicebat, Dico autem per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem. Non prohibet ſapere (proinde nec humanis diſciplinis dare operam) ſed plus ſapere quàm oportet. Quid eſt autem ſapere ad ſobrietatem? vigilantiſſimè obſeruare, quid ſcire magis priúſve oporteat, tempus enim breue eſt. Eſt autem quod in ſe eſt* OMNIS SCIENTIA BONA, *quæ tamen in veritate ſubnixa ſit; ſed tu qui cum timore & tremore, tuam ipſius operari ſalutem pro temporis breuitate feſtinas, ea ſcire priùs ampliúſve curato, quæ ſenſeris viciniora ſaluti.*

Quid autem vicinius ſaluti, quàm ſcire & prædicare *Chriſtum & hunc crucifixum?* Omnis ſcientia ſalutis, quæ ſola ſcientia eſt San-

ctorum, vt ſcitè & eleganter ait Clemens Alexandrinus, *in ſtipitem crucis*, quaſi in ſcopum, obiectum & terminum fidei & ſpei Chriſtianæ, charitatiſque collineat. Qui ſe putat aliquid ſcire, & hoc neſcit, nihil planè ſcit, neque diſcendo quicquam aliud proficit. Mirè ad hæc B. Bernardus iam laudatus, ſed nunquam ſatis laudatus, ſerm. 22. ſup. Cant. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia* (inquit) *in prædicatione, iuſtitia in abſolutione peccatorum, ſanctificatio in conuerſatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in paſſione quam pro eis ſuſtinuit.* Et paulò inferiùs, *Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia docens prudentiam, iuſtitia delicta donans; & ſanctificatio in exemplum temperantiæ continenter viuens, & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens. Vbinam quæſo vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? Vnde vera iuſtitia, niſi de Chriſti miſericordia? Vbi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? vbi vera fortitudo, niſi in Chriſti paſſione?* Vnde theodidactus ipſe Pater concludit: *Soli ergo qui eius doctrina imbuti ſunt, prudentes dicendi ſunt. Soli iuſti qui de eius miſericordia veniam peccatorum conſecuti ſunt. Soli temperantes, qui eius vitam imitari ſtudent. Soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduerſis tenent. Incaſſum igitur quis laborat in acquiſitione* (proinde & commendatione) *virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putet, quàm à Domino virtutum: cuius doctrina ſeminarium prudentiæ, cuius miſericordia opus iuſtitiæ, cuius vita ſpeculum temperantiæ, cuius mors inſigne eſt fortitudinis.* In cruce igitur eſt *verbum abbreuiatum* omnis ſcientiæ & ſapientiæ, quamobrem Apoſtolus in ea ſolùm ſe profitebatur gloriari, Gal. 6. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quæ verba verè Apoſtolica, S. Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli accuratim perpendens, inſigne hoc documentum ex his elicit: *Poterat Apoſtolus gloriari in ſapientia Chriſti, & verum diceret; poterat in poteſtate, & verum diceret, ſed dixit in cruce; vbi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Quo Domino? Chriſto crucifixo. Vbi humilitas, ibi maieſtas, vbi infirmitas, ibi poteſtas; vbi mors, ibi vita; ſi vis ad illam venire, noli erubeſcere.*

Sunt prædicatores quibus verbum crucis importunum videtur, nimis aſperum, nimis triſte, nimis deiectum & humile: erubeſcunt de cruce Domini ſui, idcirco de diuina prouidentia, de prædeſtinatione & gratia, de Trinitate, de Incarnatione, de maieſtate, de gloria, de virtutibus philoſophico more diſſerere delectantur; in iiſque tractandis ſummoperè gloriantur, in quibus ſuæ eloquentiæ ſplendorem, ingenij ſui ſolertiam, doctrinæ & eruditionis copiam magis putant eluceſcere, ſed peſſimè falluntur, ſéque ipſos decipiunt, ſiquidem in iis euenit quod prædixit Apoſtolus, *Euaneſcunt in cogitationibus ſuis, & putantes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt;* Nam dum ſe, ſi non inimicos crucis Chriſti, ſaltem non amicos produnt; *gloria eorum fit in confuſionem ipſorum:* neque enim quod quærunt inueniunt, neque miniſterium Euangelicum, cuius titulum iactitant, obeunt; neque Deum glorificant, neque Eccleſiam ædificant, neque populum erudiunt, neque vitia eradicant, neque virtutes ſerunt, neque fruges iuſtitiæ colligunt, neque fructus metunt pœnitentiæ, nec gra-

Rom. 1. 22.

tiæ talenta multiplicant, nec aliud quicquam efficiunt, quàm lucernam ſub modio abſcondere: veram ſcilicet & vnicam occultando ſcientiam, quâ via patet ſalutis, & felicitatis æternæ aditus indicatur. Audiant quæſo, vani iſti homines, præcones verbi diuini perſonati (laruæ ſunt enim, non veri prædicatores) audiant quæſo grauiſſimam qua per Hieremiam, c. 9. Deus eos compellat, commonefactionem: *Non glorietur* (inquit) *ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me?* In hoc cardine vertitur tota ſalus hominis, in hoc vno theoremate tota ſapientiæ Chriſtianæ diſciplina continetur. *Hæc eſt vita æterna* (ait Dominus, Ioan. 17.) *vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum?* Niſi hæc ſcierit prædicator, neque docere poterit, & ſi non docuerit oleum & operam perdit, hoc enim ſummum & ſingulare eſt Chriſti ad miniſtros regni ſui mandatum: *Ite*, inquit, *prædicate Euangelium meum:* quod totum in documento iſto conſiſtit. Eſt igitur hoc proprium Concionatorum officium, fons lucis animæ, fidei, & ſpei, ac charitatis ſolum ſolidúmque fundamentum. Scitè igitur nec minùs piè magnus Pater Auguſtinus vniuerſa vota ſua in hoc deſiderio includebat, *Breuiſſimè*, (inquit Soliloq. c. 1.) *ac perfectiſſimè ſic oratur, Deus, Deus ſemper idem! nouerim te, nouerim me?* Hæc cognitio (ait æquè magnus Hieronymus) *omnia flagitia excludit*, in Ezech. c. 22. *Omniúmque virtutum poſſeſſio eſt*, in Ierem. 31. *Cognitio Dei & filij eius vnigeniti* (inquit S. Cyrillus Alexandrinus) *nos ad benedictionem adducit, per quam ſpiritus in cordibus noſtris habitat, in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem per vitam Euangelicam & incorruptibilitatem reformat.* Lib. 11. in Ioan. c. 17. *Matth. 10. 17.*

Enixè igitur quiſquis verbi Dei ſe præconem profitetur, in hac docenda vnica ſcientia elaboret, ſuáſque partes omnes in hoc officio ſitas eſſe, pro certo perſuaſum habeat, háſque piè & ſtrenuè exequendo perficere opus ſuum, *miniſterium ſuum ſtudeat adimplere, quod* (ſi ritè vocatus eſt) *accepit à Domino* Col. 4. 17.

Cæterùm de ſcientia qua inſtructus debet in arenam hanc prodire, iam aliàs ex inſtituto diſſerui, ſcilicet in Clericali Panoplia part. 1. lib. 7. quo agitur de diſpoſitionibus poſitiuis, c. 2. inſcripto, de externis & actiuis ſuſcipientis ordinem Clericalem diſpoſitionibus, cùm art. 1. *De ſtudio humanarum litterarum*, à p. 253. ad 259. incluſiuè. tum art. 2. *De ſcientia Eccleſiaſtica*, præſertim verò, *de ſtudio ſacrarum litterarum, & piorum librorum lectione*, à fine vltimò ſignatæ paginæ, ad extremam vſque oram pag. 376. quæ luculenta cùm ſit tractatio, etiam huius loci intercapedinem iuſta dimenſione implere poterat. Verùm quæ hîc denuò congeſſimus, augmento vberiori eſſe poſſunt. Cui inſuper & quæ infrà dicturi ſumus (vbi de ſubiecto & materia propria prædicationis, ſpeciali ſub lemmate tractabitur) cumulum conferent pleniorem, ne quis de parcitate nimia in re tam neceſſaria quàm vtili, dicam mihi moueat.

CAPVT XII.

De Eloquentia.

SCIO *quià tria ſolent in prædicatore requiri* (ait Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, ſermone habito, in ſynodo Turonenſi, præſente Alexandro III.) *plenitudo ſcientiæ, fœcundior eloquentiæ vena, ſanctitas conuerſationis. Requiritur ſanctitas conuerſationis, quia niſi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit prædicatio eius gratioſa, cuius enim vita contemnitur, reſtat vt & prædicatio contemnatur. Perfectio ſcientiæ quæritur, vt habeat prædicator vnde poſſit de theſauro cordis ſui proferre noua & vetera, & eruditum nouerit expectantibus explicare ſermonem, & ſecundùm perſonarum qualitates temperare quod dixerit, vt ſciat quibus debeat lac potum dare, non eſcam: quibus ſolidiorem cibum debeat miniſtrare. Eloquentia deſideratur, ad quid? quia ſicut ſi non haberet ſcientiam, non habebit quid dicat, ita niſi habuerit eloquentiam, non habebit quomodo dicat; vtraque neceſſaria eſt.*

Iam verò nos de ſanctitate conuerſationis, vbi de morali diſpoſitione prædicatoris ſub proprio titulo actum eſt; de ſcientia ſpeciali etiam capite proximè expreſſo, diſſertauimus. Hîc igitur rectus ordo poſtulat, vt de eloquentia ſeu de recta dicendi, docendíque ratione, qua Concionator vti debet, ſi rectè officio fungi velit, tractatum aggrediamur.

ARTICVLVS I.

An Apoſtoli, & ſignatim Paulus, expertes fuerint facultatis eloquentiæ?

SANCTVS Ioannes Chryſoſtomus eadem hom. 6. in c. 1. ad Timotheum, docet *Apoſtolos, & ipſum B. Paulum, fuiſſe humanæ ſcientiæ & mundanæ eloquentiæ expertes, prædicationémque eorum non in verbis ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, extitiſſe, ſignis enim & miraculis ſtupendis confirmâſſe quæ prædicando docebant: Tamen & alia ſcientia, longéque excellentiori quàm humana, & eloquentia etiam magis efficaci fuiſſe præditos. Nam qui verbum* (inquit) *ſeminârunt, ab initio erant indocti & imperiti: ac ex ſe nihil dicebant, ſed quæ à Deo acceperant, ea toti orbi dederunt, & nos ipſi nunc non quæ à nobis ipſis habuimus diſſeminamus, ſed quæ ab eis accepimus, ea dicimus omnibus, & neque nunc ſyllogiſmis perſuademus, ſed diuinis ſcripturis &c. Neque verò ij ſolis ſignis tunc perſuadebant, ſed etiam diſſerendo.* In diſſerendo autem miram habuiſſe dicendi efficaciam. hinc paulo antè probat: *Quod laborioſa erant admodùm præcepta, & dogmata periculoſa, quæ proferebant: & qui audiebant & erant perſuadendi, in deliciis, temulentia, & multis vitiis erant educati. Et nihilominùs doctrinam illam perſuaſerunt tanta vi ſermonis, vt orbem in ſuam ſententiam pertraxerint re-*

luctantem, fidémque non ſolùm in cordibus hominum impiorum plantauerint, ſed eos de lupis agnos redditos, ad defenſionem ipſius fidei Chriſtianæ amplectendam vſque ad ſanguinem & mortem crudeliſſimam ſua prædicatione excitârint, ſuíque ſimiles in vita & morte, in fide & iuſtitia effecerint, fremente quamuis vndique & furente aduerſus eos non ſolùm hominum cæterorum, ſed & dæmonum, inferorúmque inuidiâ atque ſæuitiâ.

Exemplo eſt nobis ſingulari Apoſtolicæ huius eloquentiæ vas electionis Paulus, quem ipſe Chryſoſtomus hom. 4. de laudibus eiuſdem Apoſtoli, verè & inſigniter appellat, *mare ſapientiæ profundiſſimum atque puriſſimum.* Porrò S. Hieronymus ep. 61. ad Pammachium, *tubam Euangelij, rugitum Leonis noſtri, & flumen eloquentiæ Chriſtianæ.* Et meritò quidem: admirabilem enim in eo extitiſſe dicendi efficaciam, orbis ferè vniuerſi conuerſio eius prædicatione potiſſimùm facta, manifeſto eſt argumento, cuius miræ efficaciæ præclara licet exempla, ex actis eius à S. Luca in Apoſtolica hiſtoria deſcriptis, elicere.

Die quadam Felix Iudææ Præſes perſuaſus à Druſilla vxore ſua, quæ Iudæa erat, vocauit Paulum, quem tenebat in vinculis, *& audiuit ab eo fidem quæ eſt in Chriſtum Jeſum. Diſputante autem illo de iuſtitia, de caſtitate, & iudicio futuro tremefactus eſt Felix.* Præſes inquam ille rapax, iniuſtus, inceſtus: fulmina enim verbi Pauli ore vibrata * ferre ſine terrore magno non potuit, quamuis tanta fretus potentia & auctoritate, quæ hîc ſub ſolo Cæſare ſumma erat. Sic tamen effectum mirabili cataſtrophe, vt reus ſuo iudici fieret formidabilis, inermíſque captiuus cinctum exercitu præſidem, ipſis regibus metuendum, tanto pauore ac metu percelleret; adeo incredibili docendi vi, orationíſque efficacia Paulus valebat. *Act.* 24.

* *S. Hier.* loco in textu ſignato: *quem*, inquit, *quotieſcumque lego, videor mihi non verba, ſed audire tonitrua.*

Sub Feſto qui Felici ſucceſſit, cœleſtis eiuſdem facundiæ aliud portentum emicuit: Iuſſus eſt idem Apoſtolus coram Agrippa Rege, & Bernice Regina, ipſóque Feſto pro tribunali ſedente, fidei Chriſtianæ explicare tenorem. Zelator ſalutis hominum Apoſtolus, quem ideo *vas electionis* Dominus appellauerat, tum eximiam diſſertationem fecit de fide: ſummam eius breui, ſed ſolido & eleganti ſermone complexus: qua oratione Rex adeo concuſſus eſt, vt extra ſe raptus mox in hanc vocem eruperit, *Paule in modico ſuades me Chriſtianum fieri?* Tantam enim ex Spiritu ſancto victricem ſapientiæ gratiam habebat Paulus, vt ipſe iam Rex Iudæorum Agrippa (ait Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 17.) adeo permoueretur, vt parum abfuerit quin fidem Chriſtianam palam ſuſciperet, de qua intimè fuiſſe hoc ex ſermone perſuaſum, ipſe mox non obſcurè inſinuauit, cùm nihil morte nec vinculis dignum Paulum admiſiſſe, ideóque debuiſſe dimitti, niſi Cæſarem appellaſſet, ipſi Præſidi teſtatus eſt. *Act.* 26. *Ibid.* 9. 15.

Licaonios ad Pauli ipſius Euangelium, vocémque in tantum fuiſſe attonitos refert qui aderat S. Lucas Act. 14. vt ſicut numen de cœlo delapſum ſuſciperent ac ſuſpicerent, illíque ac Barnabæ eius ſocio, ſed ipſi maximè, diuinos honores, ipſúmque ſacrificium deferre

voluerint, ſi modò quod abhorrebat permiſiſſet: *Dij ſimiles nobis* (clamabat ethnicus ille populus) *deſcenderunt ad nos; & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.*

Act. 14. 11.

His attentè perpenſis, S. Chryſoſtomus Paulum fuiſſe *Chriſtianæ eloquentiæ miraculum* paſſim exiſtimat, appellátque totius orbis terrarum oratorem ſapientiſſimum, Orat. in 12. Apoſt. Dices, hoc non liquet ex eius epiſtolis, in quibus ipſe imperitiam ſermonis confitetur. At huic obiecto S. Hieronymus prudenter occurrit, *ſe imperitum,* inquit, *ſermone dum affirmabat, de Græco intelligebat, cùm eſſet in Hebræa vernacula diſertiſſimus.* Quin & S. Auguſtinus hanc imperitiam ſoli neglectui humanæ eloquentiæ adſcribit. At ipſum Apoſtolum alia eloquentia nimirum Christiana, quæ ſæcularem mirè ſuperat, aſſerit excelluiſſe: quin & humanam alio modo quàm oratores mundi, qui pompam ſermonis, rhetoricæque floſculos, & artes ſuper rebus quas explicant, anteferre conſueuerunt. At Pauli doctrinæ, eloquentia ſeruiebat, quamobrem non præcedebat, ſed ſequebatur, *Sicut Apoſtolum* (inquit) *præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quòd eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia non negamus,* lib. 4. de Doct. Chriſt. c. 6. & 7. *Videntur enim verba eius ſimplicia* (ait ſpectans eius epiſtolarum contextum S. Hieronymus) &c. *Sed quocumque reſpexeris, fulmina ſunt: hæret in cauſa, capit omne quod tetigerit.* Id in ſeipſo expertum ſe teſtatur ſanctus Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. c. 12. Qui tria in votis maximè habuiſſe fertur*, 1. videre Chriſtum in carne conuerſantem. 2. cernere Romam in priſtino imperij ſplendore triumphantem. 3. audire Paulum in cathedra fulminantem.

Ad Algaſiam q. 10.

* *De his 3. votis S. Aug. ſcripſit Lipſius, nec non Rausſius, aliique.*

Hoc vltimo deſiderio flagraſſe etiam S. Chryſoſtomum, ſatis eius ſcripta teſtantur, qui & Romam, ** non propter Vrbis magnitudinem, vel antiquitatem, ædificiorúmque eius pulchritudinem, amplitudinem imperij, diuitiarum copiam, réſque præclarè in pace & fortiter in bello geſtas, in pretio habebat: ſed maximè diligebat, quòd Paulus ita eam amâſſet, vt coram diſſeruerit, & doctrinam ſuam ibi totam cum extremo ſpiritu profuderit; cuius vocem adhuc in ſcriptis reſonantem, eximios in ſe excitare pietatis affectus & ſpiritualis lætitiæ motus ſuauiſſimos perſentiebat. *Gaudio,* inquit, *exulto, tuba illa ſpirituali perfruens, & excitor, ac deſiderio incaleſco, vocem mihi amicam agnoſcens, & ferè præſentem ipſum animo intueri & diſſerentem audire videor.*

** *Serm. 32. in ep. ad Rom. in Mor. l. exhort.*

ARTICVLVS II.

Quibus legibus & documentis Apoſtolus Paulus, in Timotheo ſuo, Prædicatorem Euangelicum inſtituerit.

AT dicet forſan hîc aliquis, Quorſum ita latè exſpatiaris Pauli gloriam in Euangelica prædicatione, qua orbem Chriſto ſubegit, celebrando? Fuit hæc illi gratia ſingularis, *Mihi,* inquit, *ſan-*

ſtorum minimo data eſt gratia hæc, Epheſ. 3. 8. Quamobrem quæ dixit & fecit præco ille cœleſtis, in verbi diuini miniſterio, potiùs admiranda nobis ſunt quàm imitanda. Cæterum nec ego hîc exigo, vt Concionator quem informare ſatagimus, Pauli excellentiam æmuletur, in ídque meriti & gloriæ faſtigium ambiat irrepere, quo Paulus ipſe conſcendit. Habuerunt Apoſtoli primitias ſpiritus, & Paulus inter eos, diuinæ ſapientiæ ſpiritu & cœleſtis eloquentiæ dono præcelluit; ſed tamen in Paulo præter admiranda, plura eſſe reor quæ à prædicatore Euangelico imitanda ſunt, vt quod Chriſti crucifixi ſcientiam vnicam profeſſus ſit, eiúſque reſpectu omnes mundi glorias quaſi quiſquilias deſpexerit, ſapientiam carnis abhorruerit, humanam facundiam non curârit, ſed doctrinam cœleſtem à ſe prædicandam hominibus tradere ſtylo ſimplici, affectu ſincero, ſpiritu feruenti, Deíque gloriæ & humanæ ſalutis ſuper omnia cupido ſtuduerit, hæcque à Verbi vitæ diſpenſatoribus affectanda eſſe ac ſequenda ſummoperè deſiderauerit. Non exigit à Timotheo ſuo vt inter cœli ſe efferat cardines, tertium in cœlum vt ipſe rapiatur, illícque diſcat arcana illa diuina, quæ ſe ibi didiciſſe commemorat. Non quærit vt miracula faciat, quibus eius prædicatio muniatur; neque niti præcipit, vt per eum ſicut per ipſum Paulum multiformis ſapientia Dei, principatibus & poteſtatibus ſupernis innoteſcat*. Non enim petit vt Angelos illuminet, ſed homines doceat: Et quidem *non in ſublimitate ſermonis vel oſtentatione ſcientiæ*, ſed *in fide & veritate*, adeóque *in omni patientia & doctrina*, quam vt competenter ſibi comparare poſſit, ſeriò monet, *vt militet bonam militiam, habeat fidem & bonam conſcientiam* 1. ep. 1. *Enutritus verbis fidei, ineptas & aniles fabulas deuitet, exerceat ſeipſum ad pietatem, quæ virtus ſit ad omnia vtilis, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Doceat ante omnia credentes, *ſperare in Deum viuum, qui ſaluator omnium eſt maximè fidelium: ſeipſum eis præbeat exemplum in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Dum Dominum expectat, non inaniter terat tempus ſuum, ſed ſedulâ operâ *attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ, c. 2. Hæc meditetur, in iis hæreat, vt profectus eius manifeſtus ſit omnibus; ſibi attendat, doctrinæ inſtet, gratiam quam accepit per impoſitionem manuum Preſbyterij, non negligat*, ſed curet rediuiuam in ſe adaugere. Inſuper interpellat eundem ſuum chariſſimum B. Apoſtolus c. 6. *Vt depoſitum cuſtodiat, profanas vocum nouitates deuitet.* 2. ep. 1. *Non erubeſcat teſtimonium Domini, ſed ſecundùm Dei virtutem collaboret Euangelio, formam conſeruet ſanorum verborum quæ à ſe* veritatis prædicatore Chriſti Apoſtolo, & gentium Magiſtro audierat. *Confortetur in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu*, conſignet doctrinam ſuam *fidelibus hominibus, qui idonei ſunt & alios docere.* c. 2. *Laboret vt bonus Chriſti miles, non ſe implicet negotiis huius ſæculi, ſed placere Domino curet cui ſe probauit; ſciat coronam ſe non adepturum, niſi in agone legitimè certauerit. Nolit contendere verbis, quia iſta contentio vergit, vt plurimum, in audientium ſubuerſionem:* ſollicitè igitur curet *ſeipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* c. 3. *Deuitet autem profana & va-*

*Epheſ. 3. 10. vbi Chryſoſtomus, *Paulus*, inquit, *Angelorum Euangeliſta, hic eos illuminauit.*

niloquia; ſtultas verò & ſine diſciplina quæſtiones fugiat, quæ generant diſcordias & lites: audire ſe litigioſum caueat, *ſed manſuetum ad omnes ſe præbeat, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati. Permaneat in iis quæ didicerit, ſciens à quo acceperit.* Meminerit *ſe ſacras litteras ab infantia didiciſſe, qu æ ipſum poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnem enim ſcripturam diuinitùs inſpiratam vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Denique per Ieſum Chriſtum venturum viuorum & mortuorum iudicem, & per aduentum eius & regnum ipſius, ipſum obteſtatur, vt prædicet verbum, inſtet opportunè, importunè, arguat, obſecret, increpare etiam non metuat, ſed cum omni patientia & doctrina. Vigilet aſſiduè, in omnibus laboret, opus Euangeliſtæ faciat, miniſterium ſuum impleat.*

His documentis ac legibus Apoſtolus inſtituit dilectum ſuum diſcipulum, quibus omnem alium Euangelicum prædicatorem volebat identidem informari. In tam accurata autem & copioſa inſtructione, mirum de diſcendis Dialecticorum ſyllogiſmis, oratorúmque figuris, ac poëtarum fabulis, ſilentium! Non tamen Oratorem Chriſtianum, Apoſtolus vult expertem congrui apparatus in ſuggeſtum prodire; ad hoc autem conducere tria docet: Gratiæ Dei auxilium, orationis ſubſidium, aſſiduæ lectionis & meditationis ſtudium: Quæ ſi adſint Sacerdoti, ſecurè poſſe tum docere. *Intellige*, inquit, *quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* 2. Timoth. 2. 7.

CAPVT XIII.

De recta dicendi docendique ratione à ſanctis Eccleſiæ Patribus, ſacro Concionatori tradita & præſcripta.

PARAGRAPHVS I.

Ex S. Cypriano, tractatu de Oratione Dominica, in ipſo exordio.

EVANGELICA *præcepta, fratres dilectiſſimi, nihil ſunt aliud quàm magiſteria diuina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fouendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis, quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cæleſtia regna perducunt.* Hæc ille magnus Epiſcopus & Martyr paucis verbis omnia complexus, ad quæ Euangelicus prædicator aſpirare, & auditores ſuos doctrina ſua dirigere debet. Si eò tendit, finem attingit muneris ſui proprium: ſi aliò ſpectat, prorſus deflectit à ſcopo ſuo, & incaſſum laborat.

§. II.

§. II.

Ex Origene, hom. 3. in cap. 13. Ezechielis.

V*Æ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas. Per iſtiuſmodi figuram* (ait hæc Prophetæ verba ediſſerens) *eos culpat magiſtros, qui per vaniloquentiam &c. multitudinem audientium libidini permittunt. Cùm autem aliquis Euangelizator moribus populi, vt placeat eis quibus aures pruriunt, loquitur, quæ gratanter accipiant, quæ vicina ſunt voluptati, talis Magiſter conſuit ceruicalia ſub omni cubito manus. Item cùm aliquis docuerit ea, quæ aurem populi mulceant, & ſtrepitum potiùs laudationum, quàm gemitum moueant &c. Similiter ij qui ad voluntatem meditata deportant, & iſta ſemper inquirunt, quæ delectent potiùs audientes, quàm conuertant à vitiis, faciunt velamina ſuper caput, vt omnes decipiant &c. Effœminatæ ſunt quippe eorum Magiſtrorum & animæ & voluntates, qui ſemper* SONANTIA, *ſemper* CANORA COMPONVNT, *Et, vt quod verum eſt dicam, nihil vtile, nihil forte, nihil Deo dignum eſt, in his qui iuxta gratiam & voluntatem* AVDIENTIVM PRÆDICANT *&c. Oramus vt & nos liberet Deus de manu talium Magiſtrorum, qui vbicumque fuerint ad delectationem audientium loquuntur, & ſcindunt ac diuidunt Eccleſiam.* Quia ſcilicet animas decipiunt & præcipitant in perditionem.

§. III.

Ex S. Baſilio, in Moralibus, c. 23.

[a] QVOD *nullo modo, neque ad oſtentationem, neque ad quæſtum, verbum Dei conferri debet, blanditiis in aures audientium influendo, qua noſtris vel voluptatibus, vel commodis conſulamus. Quódque contra in docendo tales nos eſſe conuenit, perinde ac ſi pro gloria Dei, ipſo audiente loqueremur.* Cap. 24. [b] *Quod qui aliis in Eccleſia docendis præeſt, is data ſibi poteſtate nequaquam ad ſubiectorum contumeliam abuti debet, neque ſe ſupra illos efferre; ſed potiùs gradum illum tanquam materiam quandam exercendæ aduerſus eos humilitatis tenere.* Cap. 25. [c] *Quod nequaquam ex æmulatione inuideant, aut contendendi ſtudio, quæ nobis aduerſus aliquos ſint, prædicandum à nobis eſt Euangelium Dei.* Cap. 26. [d] *Quod ad prædicationem Euangelij, humanæ facultates per quas cæteris præſtamus, adhibendæ à nobis non ſunt ea re, ne offuſcata Dei gratia, minor appareat.* Cap. 27. [e] *Quod non debemus putare, poſſe nos conſiliis noſtris illud aſſequi, vt proſperè prædicatio noſtra ſuccedat: Quódque contra, huius rei ſpes omnis, nobis collocanda eſt in auxilio Dei.*

§. IV.

Ex S. Gregorio Nazianzeno: Oratione 1. inter init. & med. Vbi oſtendit quàm ſit difficile rectè concionari.

IAM *ipſam** (inquit) *verbi diſtributionem, (vt quod noſtrorum om-*

[a] Ὅτι οὐ δεῖ ἐπιδεικτικῶς, οὐδὲ ἐμπορευόμενον τὸν λόγον τῆς διδασκαλίας ἐν κολακείᾳ τῶν ἀκουόντων, εἰς πληροφορίαν τῶν ἰδίων ἡδονῶν, ἢ χρειῶν· ἀλλὰ τοιούτους εἶναι, [illegible] λαλοῦντας.

[b] Ὅτι οὐ δεῖ τὸν προεστῶτα ἐν λόγῳ εἰς ὕβριν κατὰ τῶν ὑποταγέντων ἀποχρῆσθαι τῇ ἐξουσίᾳ, οὐδὲ κατεπαίρεσθαι αὐτῶν, ἀλλὰ μᾶλλον ὑπόθεσιν τῆς πρὸς αὐτοὺς ταπεινοφροσύνης τὸ βαθμὸν ἔχειν.

[c] Ὅτι οὐ δεῖ κατ' ἔριν, ἢ φθόνον, ἢ φιλονεικίας τῆς πρός τινας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον.

[d] Ὅτι οὐ δεῖ ταῖς ἀνθρωπίναις προτερήμασι κεχρῆσθαι εἰς τὸ κήρυγμα τοῦ εὐαγγελίου, ἵνα μὴ [illegible] αὐτοῖς ἡ τοῦ θεοῦ χάρις.

[e] Ὅτι οὐ δεῖ νομίζειν τῆς εὐοδίας τοῦ κηρύγματος ἐν ἰδίαις ἐπινοίαις κατεργάζεσθαι, τὸ δὲ ὅλον ἐπὶ τῷ θεῷ πεποιθέναι.

* Αὐτήν γε τὴν τοῦ λόγου διανομήν, ἵνα τελευταῖον εἴπω τὸ πρῶτον τῶν ἡμετέρων, τὸν θεῖον λέγω καὶ ὑψηλόν, καὶ ὃ νῦν

nium primum eſt, poſtremo loco dicam) diuini, inquam, verbi, & excelſi diſtributionem, quam omnes hac ætate profitentur: Si quis eſt alius, qui præſidenti animo ſuſcipiat, aut cuiuſuis ingenij eſſe cenſeat, hunc ego ſolertiæ nomine admiror, ne dicam ſtultitiæ. Mihi quidem res minimè vulgaris paruique ſpiritus eſſe videtur, verbi perinde ac tritici menſuram tempeſtiuè cuique dare, & dogmatum noſtrorum vtilitatem ac veritatem, cum iudicio diſpenſare. Hoc eſt ea omnia quæ ſacra Philoſophia de mundis, vel de mundo diſſeruit, de materia, de mente, de intelligentibus naturis tam melioribus quàm deterioribus: de prouidentia omnia conſtringente & gubernante, tum quæ modo rationi conſentaneo euenire videntur. Quæ de prima noſtra conſtitutione, & poſtrema refectione; de typis, veritate, ac teſtamentis, de Chriſti aduentu tam primo, quàm ſecundo; de incarnatione, & cruciatibus & reuerſione, de reſurrectione, de fine, de iudicio, ac retributione tam triſtiore quàm ſplendidiore; Et quod caput eſt, quæcumque de principe & beata Trinitate credenda ſunt &c. Hæc autem idcirco in præſentia paucis commemorauimus, vt iſtud planum fiat, ei qui de tantis rebus diſputationem habet, præſertim apud multitudinem, quæ ex variis ætatibus, animíque affectionibus conflata eſt, ac muſici cuiuſdam inſtrumenti multis fidibus conſtantis in modum, variis pulſibus opus habet; difficile eiuſmodi orationem inuenire, quæ omnes concinnare, ac ſcientiæ lumina colluſtrare poſſit. Non modò quòd cùm in tribus his rebus periculum verſetur, hoc eſt in mente, & ſermone, atque auditu, ſi non ad omnia, ad vnum certè aliquod horum offendere neceſſe eſt, aut enim MENS MINIME ILLVMINATA EST, AVT SERMO ELANGVIT, *aut denique* AVRIS HAVD SATIS PVRGATA, *minimè excepit; atque ex horum vno perequè, atque ex omnibus veritas claudicet neceſſe eſt. Verùm etiam quia id quod iis qui aliud quoddam doctrinæ genus profitentur, facilem atque plauſibilem ſermonem reddit, hoc eſt auditorum religio, in detrimentum atque periculum hîc cedit.* Deinde multis interiectis quæ breuitatis ſtudio prætermittimus, adductáque Apoſtoli ſimilitudine de lacte & ſolido cibo, in quorum delectu debet Concionator viri prudentis officium ſuis auditoribus exhibere, ſtylum mox vertit in eos qui contrà quàm decet prædicatorem Euangelicum, verbum Dei alio quàm gloriæ eius fine ac intento diſſeminauit; à quorum more & genio ſe innuit, ſuíque conſimiles vehementer abhorrere, ** *Non enim* (inquit) *pleriſque ſimiles ſumus, qui veritatis doctrinam adulterant, ac vinum aquæ miſcent, hoc eſt doctrinam cor hominis exhilarantem, cum vili & vulgari, humique ſerpente & euanida, fruſtráque & temere fluente, (vt ipſi ex hac cauponandi ratione aliquid obiter elucrentur) aliſque alio modo, cùm iis qui ad ipſos accedunt, verba faciunt, omnibúſque aſſentantur, ventriloqui ſanè quidam & vaniloqui, voluptatibus ſuis ſeruientes, verbis ex terra prolatis & in terram peſſum euntibus, vt maximam apud vulgus gloriam & nominis celebritatem conſequantur, maximis ſeipſos damnis afficientes, aut etiam omnino perdentes, atque innoxium ſimpliciorum animarum cruorem effundentes, de manibus noſtris aliquando requirendum.* Et infrà ſubindicans hoc iunioribus paſſim dedecus ac exitium contingere, ſubiungit: *Præclarè enim cum eo agitur, cui vel in profundam ſenectutem canus ſermo veniat, eámque vim habens, vt recenti adhuc in pietate animæ, adiumento eſſe poſſit. Nam*

[illegible] &c. longè pòſt. [illegible]

certè alios docere aggredi, priuſquam ſatis edocti ſimus, ac figulinam vt dici ſolet, in dolio diſcere, hoc eſt in aliorum animabus pietatem meditari ac exercere; valde ſtultorum aut temerariorum hominum eſſe videtur; ſtultorum, ſine inſcitiam quidem ſuam agnoſcunt; temerariorum ſi cùm eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur. Hactenus prudenter, doctè, piè, & eleganter, vt aſſolet Gregorius ille Theologus, os Chriſti à ſancto Hieronymo, inſigni quidem at iuſto elogio, nuncupatus.

[illegible]

** [illegible] &c. paulò pòſt. [illegible]

§. V.

Ex S. Ioanne Chryſoſtomo, hom. 30. in Acta.

MVLTI *vt in medium procedunt, multa faciunt vt prædicent, & ſi applaudentem multitudinem habent, quaſi regnum adepti ſunt, gaudent: ſi autem cum ſilentio claudatur ſermo, triſtitia illis maior è ſilentio quàm ex gehenna. Hoc ſubuertit Eccleſias; quia & vos non quæritis audire ſermonem qui compungere poſſit, ſed qui oblectet & tinuato ſtrepitu & verborum compoſitione, quaſi Citharœdos & Cantores audientes: & nos frigidè & miſerè facimus veſtras affectiones ſequentes quas eiicere oportebat. Et idem fit ac ſi pater videns puerum, quem ſupra modum tenerè amat, ægrotum, illi frigida & quæ eum delectant porrigat: quæ autem vtilia ſunt minimè curet. Deinde quando obiurgatur à Medicis, ait, videns flentem puerum, ferre non poſſum? Miſer ac ærumnoſe, & proditor; neque enim talem patrem dixerim; hoc enim nobis accidit. Floſculos verborum, & compoſitionem & harmoniam curioſiùs ſectamur, vt canamus, non vt proſimus, vt ſimus in admiratione, non vt doceamus, vt oblectemus, non vt compungamus; vt plauſu & laudibus obtentis, abeamus, non vt mores componamus. Credite mihi, quando inter dicendum plauſum excito, per illud quidem tempus humanum quoddam mihi accidit, diſtrahor & diffundor: vbi autem domum redeo & intelligo plaudentes ſine fructu abiiſſe, ploro, & gemo, & lachrymor, & quaſi fruſtra omnia dixerim ſic afficior, mihíque ipſi dico, Quæ ſudorum meorum vtilitas? ſi auditores à verbis meis nullum fructum accipere volunt?*

§. VI.

Ex S. Ambroſio, Enarratione in Pſal. 118. *Octon.* 11.

SED *fortaſſe dicat aliquis, dictum eſſe ab Apoſtolo, quia non in ſermone regnum eſt Dei, ſed in virtute; ſcriptum non nego, ſed in quo ſermone? cognoſce, nempe quem inflatus effuderit, qui audientibus ſermo prodeſſe non poſſit, qui ſine oſtenſione ſit ſpiritus atque virtutis. Hunc ſermonem Paulus non dignatur*

cognoſcere; vult enim magis virtutem ſermonis commendare. Denique nolebat talem ſuum eſſe Apoſtolus ſermonem, qui in infirmitate veniebat, vt alios ſaluos faceret & fortiores in timore & tremore, vt timentes nihil metuerent niſi Dominum Ieſum, trementes pacem, eius tranquillitatem ſeruarent. Audi ergo qualem ſermonem Apoſtolus habebat; & ſermo, inquit, meus & prædicatio mea non in perſuaſione humanæ ſapientiæ verborum, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, QVIA FIDES NON IN FORENSI SERMONE *ſapientiæ, ſed in* 2. Cor. 2. 4. *oſtenſione ſpiritus, ſed Dei virtute firmatur. Ergo in ſermone Sanctorum virtus eſt, in ſermone autem forenſi iſto ac philoſophico* VANITAS MVNDI. *Virtutem autem eſſe in ſermone Sanctorum, etiam ipſe Propheta te doceat, qui ait, Dominus dabit verbum euangelizantibus pacem, virtute multa; hoc eſt vt multa poßint virtute Euangelium prædicare. Probatum eſt ergo quod in Euangelij prædicatione ſit virtus;* Pſal. 67. 12. PRÆDICATIO AVTEM EVANGELII SERMO SANCTORVM EST.

Ex eodem, in 1. Cor. c. 1. ad illa verba Apoſtoli, Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti?

QVIA *prædicatio Chriſtiana non indiget pompa & cultu ſermonis, ideóque piſcatores homines imperiti electi ſunt, qui euangelizarent, vt doctrinæ veritas ipſa ſe commendaret teſte virtute, ne hominum verſutia & calliditate humanæ ſapientiæ acceptabilis videretur, non autem veritate, ſicut diſciplinæ ab hominibus inuentæ, in quibus non ratio, non virtus, ſed verborum quæritur compoſitio, ac per hoc gloriam ſuam quærit, qui fidem Chriſti ſermonum verbis exornare vult, obſcurat enim illam ſplendore verborum vt non illa ſed ipſe laudetur, ſicut pſeudoapoſtoli, ne ſtulti viderentur prudentibus mundi in ſapientia hominum, Chriſtum prædicabant duplici genere, vt eloquentiæ ſtuderent, & ea quæ mundus in nobis ſtulta iudicat, euitarent: vt neque incarnatum Dei filium, & de virgine natum docerent, neque carnis futuram reſurrectionem; quia iſtud mundi ſapientia & ratio ſtultum iudicat. At per hoc Apoſtolus non ſe in ſapientia hominum dicit Chriſtum prædicare, ne euacuetur crux Chriſti, Quia qui in* SAPIENTIA HOMINIS CHRISTVM ANNVNCIANT, *negant prædicationis veritatem.*

§. VII.

Ex S. Hieronymo, ep. 2. quæ eſt ad Nepotianum.

DOCENTE *te in Eccleſia, non clamor populi ſed gemitus ſuſcitetur; lachrymæ auditorum laudes tuæ ſint: ſermo Preſbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam garrulum ſine ratione, ſed myſteriorum peritum & Sacramentorum Dei tui eruditißimum; verba voluere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Attrita frons interpretatur ſæpe quod neſcit, & cùm aliis perſuaſerit, ſibi quoque vſurpat ſcientiam.* Eadem epiſtola citat illud præceptoris ſui Gregorij Nazianzeni, *Nihil tam facile quàm vilem plebecu-*

lam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, QVÆ QVICQVID NON INTELLIGIT PLVS MIRATVR.

Idem in ep. ad Paulinum ſuper libros Bibliæ : *Taceo* (inquit) *de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſæculares litteras venerint, &* SERMONE *compoſito populi* AVRES MVLSERINT, *quicquid dixerint hoc legem Dei putant*, NEC SCIRE DIGNANTVR *quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum dicendi genus deprauare ſententias & ad voluntatem ſuam, ſcripturam trahere repugnantem, quaſi non legerimus Homero-centonas, & Virgilio-centonas: ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit, Iam redit & Virgo, redeunt ſaturnia regna; Iam noua progenies cœlo dimittitur alto. Et patrem loquentem ad filium; Nate, meæ vires, mea magna potentia ſolus. Et poſt verba Saluatoris in cruce, Talia perſtabat memorans, fixúſque manebat. Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia: docere quod ignores, imò vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire quod neſcias.*

Idem ſanctus Doctor ſcribens in cap. 34. Ezechiel. damnat eos *qui cùm populo perſuaſerint vera eſſe quæ fingunt, & in theatralem modum plauſus concitauerint & clamores, immemores fiunt imperitiæ ſuæ, & adducto ſupercilio*, LIBRATISQVE SERMONIBVS ATQVE TRVTINATIS *magiſtrorum ſibi aſſumunt auctoritatem.*

Idem in c. 2. Oſeæ negat in verbi Dei explanatione oratoriis declamationibus vtendum.

Porrò ipſe ſcribens in cap. 9. Eccleſiaſtæ, grauem inſtituit querelam, aduerſus eiuſmodi nugatores, qui meris nixi ſæcularis eloquentiæ artificiis, Euangelicæ prædicationis munus vſurpare non verentur : *Videas in Eccleſia imperitiſſimos quoque florere, & quia nutrierunt frontis audaciam, & linguæ volubilitatem conſecuti ſunt, dum non recogitant quod loquantur, prudentes ſe & eruditos arbitrantur, maximè ſi fauorem vulgi habuerint, qui magis dictis leuioribus delectatur & commouetur.*

Sed magis & acriùs excandeſcit ſanctiſſimus ac doctiſſimus ille Pater aduerſus abuſum eiuſmodi, lib. 3. commentar. in epiſt. ad Galatas: *Iam enim* (inquit) *& in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſáque Apoſtolorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum & auditoria conuenitur, vt plauſus circumſtantium ſuſcitentur, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quaſi meretricula quædam procedat in publicum non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæſitura, & in modum pſalterij & tibiæ dulce canentis, ſenſus demulceat audientium. Hinc fit vt auditorum nonnulli verba excipiant, & canora ac blanda voce capiantur, nec aliter iis delectantur quàm cruſtulariis, libariis, botulariis & ſimilibus popinarum inſtitoribus, qui apud Romanos mercem ſuam quadam & inſignita modulatione vendebant, vt teſtis eſt ille Romanus, qui philoſophi Chriſtiani cognomentum promeruit.*

§. VIII.

Ex S. Auguſtino, lib. 4. de Doctrina Chriſtiana.

Oratoris Chriſtiani vera idea.

DEBET *diuinarum ſcripturarum tractator, & Doctor, ac debellator erroris bona docere & mala dedocere: atque in hoc opere ſermonis conciliare auerſos, remiſſos erigere, neſcientibus quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Vbi autem intentos, beneuolos, dociles, aut inuenerit, aut ipſe fecerit, cætera peragenda ſunt, ſicut cauſa poſtulat. Si docendi ſunt qui audiunt, narratione faciendum eſt, ſi tamen indigeat, vt res de qua agitur innoteſcat: vt autem quæ dubia ſunt, certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum eſt; ſi verò qui audiunt monendi ſunt potiùs quàm docendi, vt in eo quod iam ſciunt agendo non torpeant, cùm alij prædicent obtusè, deformiter, frigidè, alij acutè, ornatè, vehementer: illum ad hoc opus de quo agimus iam oportet accedere, qui poteſt diſputare vel dicere ſapienter, etiam ſi non poteſt eloquenter, vt proſit audientibus, etiam ſi minus prodeſſet, quàm ſi & eloquenter poſſet dicere. Qui verò affluit inſipienti eloquentia, tanto magis cauendus eſt, quanto magis ab eo in iis, quæ audire inutile eſt, delectatur auditor, & eum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere exiſtimat. Hæc autem ſententia nec illos fugit qui artem rhetoricam docendam putârunt; faſſi ſunt enim ſapientiam ſine eloquentiâ parum prodeſſe ciuibus, eloquentiam verò ſine ſapientia obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam; ſapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in ſcripturis ſanctis magis minúſve profecit. Sunt qui eas legunt vt teneant, negligunt ne intelligant. Quibus ſine dubio præferendi ſunt qui verba earum minus tenent, & cor earum ſui cordis oculis vident; ſed vtriſque ille melior qui & cùm volet eas dicit, & ſicut oportet intelligit. Hinc ergo qui ſapienter debet dicere, etiam quod non poteſt eloquenter, verba ſcripturarum tenere maximè neceſſarium eſt; quanto enim ſe pauperiorem cernit in ſuis, tanto oportet eum in iſtis eſſe ditiorem, vt quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis; & qui propriis verbis minor erat, magnorum teſtimonio quodammodo creſcat: probando enim delectat qui minùs poteſt delectare dicendo,* QVI ELOQVENTER DICVNT SVAVITER AVDIVNTVR: *qui ſapienter, ſalubriter etiam audiuntur, propter quod non (ait ſcriptura) multitudo eloquentium, ſed multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum: ſicut enim ſæpè ſumenda ſunt & amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt pernicioſa dulcedo.*

Sap. 6.

Idem ſanctus Eccleſiæ Doctor, paulò infrà dicit: *Sunt quædam, quæ ſua vi non intelliguntur quantolibet & quantumlibet, quamuis planiſſimè * dicentes verſentur eloquio, qui in populi audientiam, vel rarò ſi aliquid vrget, vel nunquam omnino mittenda ſunt.*

* pleniſſimè

Idem iterum paulò inferiùs: ET HÆC SENTENTIA BONORVM INGENIORVM *inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire non poſſumus? aut quid obeſt lignea ſi hoc poteſt, quando patere nihil quærimus niſi quod clauſum eſt? Sed quoniam inter ſe habent nonnullam ſimilitudinem veſcentes atque diſcentes propter faſtidia plurimorum, etiam ipſa ſine quibus viui non poteſt alimenta condienda ſunt. Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, vt do-*

ceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit, *Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ.* Videndus idem S. Auguſtinus lib. de Moribus Eccleſiæ tom. 1. de fide & ſymbolo tom. 3. de fide ad Petrum de Catechizandis rudibus tom. 4. de Concione ad Catechumenos tom. 6. de Vtilitate credendi, ibidem. De Correptione & gratia tom 7. Meditationum lib. 1. &c.

§. IX.

Ex S. Gregorio Magno, in Paſtorali part. 1. capit. 8.

SACRVM *officium non ſolùm non diligit omnino, ſed neſcit qui &c. cæterorum ſubiectione paſcitur, laude propria lætatur, ad honorem cor eleuat, rerum affluentium abundantiâ exultat.*

Ibidem part. 2. capit. 4.

SÆPE' *dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur, & auctorem ſuum eadem loquacitas inquinat, quæ ſeruire auditoribus ad vſum profectus ignorat. Vnde bene per Moyſen dicitur, Vir qui fluxum ſeminis patitur immundus erit. In mente namque audientium ſemen ſecuturæ cogitationis, eſt qualitas auditæ locutionis, quia dum per aurem ſermo concipitur, cogitatio in mente generatur, vnde & à mundi huius ſapientibus prædicator egregius ſeminiuerbius eſt vocatus. Qui ergo fluxum ſeminis patitur, immundus aſſeritur, quia multiloquio ſubditus eſt, & ex eo ſe inquinat. Quod ſi non inordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuiſſet, dúmque incautus per loquacitatem defluit,* &c.

Ibidem capit. 6. in fine.

HOC *Doctoribus quod Rectoribus documentum aſſignat, vt iis inſit conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina, adeovt ſollicita circumſpectione prouideant, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa: miſcendam enim eſſe lenitatem cum ſeueritate.* Poſteà ducta ſimilitudine ex arca fœderis, cui cum virga Sacerdotali manna ſuauiſſimum erat inditum, hinc aſſumit: *Sit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non plus quàm expediat parcens &c. adeovt qui præeſt* (paritérque qui prædicat) *corda terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.*

Ex eodem ſuper Ezechielem.

PENSARE *debet doctor,* QVID LOQVATVR, CVI LOQVATVR, QVANDO LOQVATVR, ET QVANTVM LOQVATVR; *ſi enim vnum eorum defecerit, locutio apta non erit.* Nota prudenter concionandi generalem regulam.

Ex eodem in Moralibus.

QVI *prædicatori prædicat, tanta diſpenſatione componere prædicationem debet, vt nec derelicta ſpe, timorem ſubtrahat, nec ſpe ſubtracta, in ſolo cum timore derelinquat.*

Ex eodem in libros Regum.

LINGVA *noſtra bonis fomentum ſit, prauis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides hortatu ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur; vt qui doctores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus.*

Ex eodem, hom. 30. *ſuper Euangelia.*

NISI *Spiritus ſanctus adſit cordi audientis, otioſus eſt ſermo Doctoris. Nemo ergo homini docenti tribuat, quod ex ore docentis intelligit; quia niſi ſit intus qui doceat, Doctoris lingua interius in vacuum laborat.*

Ex eodem in iam citato Paſtorali.

VT *longè antè nos reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna & eadem exhortatio cunctis congruit; quia nec cunctos per morum qualitatem aſtringit; ſæpe namque aliis officiunt quæ aliis proſunt, quia plerumque herbæ quæ alios nutriunt, alios occidunt &c. & paſtus qui viam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet ſermo doctorum, vt ſua ſingulis congruant, & tamen à communi ædificationis arte nuſquam recedant.*

Ex eodem, in homil.

Nota. DISPENSANDA *eſt prædicatio pro loco, & tempore, & locorum capacitate, quæ ſi rara fuerit, non ſufficit: ſi aſsidua vileſcit.*

Ex eodem in Moral. lib. 20. *c.* 1.

AD hæc verba, *ſuper ipſos ſtillabit eloquium meum*, ſic ait; *Debet prædicator perſpicere ne plus prædicet quàm ab audiente capi poſsit, ne dum paruis ſublimia & non profutura prædicat, ſe magis curet oſtendere, quàm auditoribus prodeſſe.* Nota.

Idem lib. 9. *Moral. c.* 1.

DVM *perſona diſplicet, nec recta quæ protuleris placent*[a]. *Ideo bonus prædicator in cunctis quæ loquitur, ſe inſpicit, ne in eo quod rectè prædicat, vitioſa elatione ſe extollat, néve vita à lingua diſcordet &c.* lib. 23. Moral. cap. 4.

[a] Huc collineat illud celebre ſancti Aug. *Exaudi teipſum immaniſſime Doctor, quid mihi lingua aurea & cor ferreum.* in epp.

§. X.

Ex S. Bernardo, in ſerm. 18. *ſuper Cantica.*

SI *ſapis, te concham exhibebis, & non canalem: hic ſiquidem penè ſimul & recipit & refundit; illa verò donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum qui partem ſuam facit deteriorem &c. Verùm canales hodie multos habemus in Eccleſia, conchas verò paucas. Tantæ enim charitatis ſunt per quos nobis fluenta cœleſtia manant, vt antè effundere, quàm infundi velint, loqui quàm audire, paratiores docere quod non didicerunt, & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt.* Deinde ibidem

ibidem producta ampliùs hac eadem ſimilitudine, Concionatorem admonet, vt generet ſobolem eruditam, more æterni patris qui verbum ſuum lumen producit abſque vlla ſplendoris ſui diminutione:
Imitare illum (inquit) *de cuius plenitudine omnes accepimus, diſce, & tu non* Ioan. 1. 16.
niſi de pleno effunde, nec Deo largior eſſe velis, concha imitatur fontem: non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur niſi ſuis ſatietur aquis. Non pudeat concham non eſſe ſuo fonte profuſiorem. At non proficit plenitudo, niſi rectè diſpoſita effuſio hinc ſequatur: quamobrem ſcitè & prudenter citato Apoſtoli oraculo, idem ſerm. 37. ſup. Cant. circa med. *Qui ſe putat aliquid ſcire, nondum ſcit quomodo oporteat eum ſcire;* egregiè ſubiungit, *Vides, quoniam non probat multa ſcientem; ſi ſciendi modum neſcierit. Vides (inquam) quomodo fructum & vtilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit? Quid ergo dicit modum ſciendi? quid? niſi vt ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat. Quo ordine? vt id prius, quod maturius ad ſalutem. Quo ſtudio? vt id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi; ſunt namque qui ſcire volunt vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt eo fine tantùm vt ſciant, & turpis curioſitas eſt, &c. Et ſunt qui ſcire volunt vt ſcientiam ſuam vendant, verbi cauſa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt: ſed ſunt quoque qui ſcire volunt vt ædificent, & charitas eſt. Et item ſunt qui ſcire volunt vt ædificentur, & prudentia eſt.* Iunge & quod de *ſcire* ait, accipe pro *docere*.

Idem ſerm. 44. in Cant. explicans verba illa, *Botrus cypri dilectus* Cantic. 1. 14.
meus mihi in vineis Engaddi, ait: *Vir Eccleſiaſticus qui hunc ſpiritum iam accepit, curabit fratrem delinquentem inſtruere in ſpiritu lenitatis: quia verò vulnera illius qui incidit in latrones non in ſolo oleo, ſed in vino ſanitatem receperunt, neceſſarium habet ſpiritualis medicus etiam vinum feruidi zeli, cum oleo manſuetudinis. Cui ſanè conuenit non ſolùm conſolari puſillanimes, ſed & corrigere inquietos, ſi enim viderit eum qui vulneratus eſt, qui peccauit, blandis aut lenibus hortamentis quæ in eum prærogata ſunt, minimè emendatum, magis autem fortè abutentem, eius manſuetudine negligentiorem fieri, fruſtratoq; oleo tam ſuauium monitorum, oportebit ſanè mordacioribus vti medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris increpationibus agere.*

Idem rurſus ſerm. 62. ad hæc verba, *Vox enim tua dulcis & facies* ibid. 2. 4.
tua decora: ſic inquit, *Quantum ſponſo placeat cum puritate mentis, prædicatio veritatis, oſtendit cùm dicit, vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat vox, ſi non placeat facies, demonſtrat cùm illicò ſubdit, Et facies tua decora. Quid internæ decor faciei, niſi puritas? in pluribus hæc abſque prædicationis voce complacuit; illa abſque iſta in nemine. Impuris non ſe oſtendit veritas, non ſe credit ſapientia. Quid ergo loquuntur, quod non viderunt? Quod ſcimus,* inquit, Ioan. 3. 11.
loquimur, & quod vidimus teſtamur: Id ergo tu audes teſtari, quod non vidiſti,
& loqui quod ignoras? Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere; lux eſt puritas, Pſal. 126. 2.
lux charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt. Hæc præcedat, & pes linguæ in incerto non ponitur: non eſt quòd ſe veritas deneget intuendam puro cordi, ac
per hoc non eloquendam. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias Pſal. 49. 6.

meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Multi puritate neglecta antè loqui quàm videre conati ſunt: & aut grauiter errauerunt neſcientes de quibus loquerentur, aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, ſeipſos non docuiſſent.

Idem lib. 1. de Conſid. *Monſtruoſa res eſt* (inquit) *lingua magniloqua & manus otioſa, ſermo multus & fructus nullus &c. Sapientibus & inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi? ſtultus & ſapiens, ſeruus & liber, diues & pauper, ſenex & iuuenis, vir & fœmina, Clericus & Laicus, iuſtus & impius participant te: omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; & tu ſitiens ſtabis? ſanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines & iumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, ſed inter cæteros, bibe & tu de fonte putei tui.* Hæc ſanctus Bernardus. Quæ dicit de Pontifice, ſuo etiam modo de prædicatore dici poſſunt, quamobrem non ineptè hîc accommodari poſſe cenſui. Videndus idem ſanctus Pater ſerm. 30. & 58. ſup. Cantica, & ep. 201. ad Balduinum Abbatem &c.

Rom. 1. 14. *Geneſ. 24.*

CAPVT XIV.

Spiritu compunctionis, magis quàm dictionis elegantia, poſſe Concionatorem auditores ſuos commouere; ideóque potiſſimùm in eo deſiderari gemitum columbæ, & vocem turturis.

ARTICVLVS I.

De vi & modo eloquentiæ ſacræ.

Demet. apud Diog. lib. 5.

QVANTVM in bello poteſt ferrum; tantùm in republica prodeſſe eloquentiam, priſci ſapientes non imperitè cenſuerunt. Hanc autem non ſolùm in republica, ſed etiam in Eccleſia multum prodeſſe, ſi quis ea rectè & vt decet vtatur, reor haud eſſe ambigendum. Scitum eſt illud Ciceronis 2. Tuſcul. *A philoſopho, ſi afferat eloquentiam non aſpernor: ſi non habet non admodum deſidero.* A quo theoremate non longè abludam ſi dixero: Si afferat Theologus vel Concionator in docendo eloquentiam, non illubenter hanc admitto: ſi non afferat, non puto exigendam eſſe.

De vi eloquentiæ Chriſtianæ, vt hîc verba facerem, magna eloquentia qua indigeo, opus eſſet. At paucis multa dicam. *Eloquentiâ Ambroſij, Auguſtinus liberatus eſt*, vt ipſe fatetur & enarrat lib. 5. Confeſſ. c. 13. & 14. *Et veni* (inquit) *Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum in optimis notum orbi terræ, & pium cultorem tuum* (Domine) *cuius tunc eloquia ſtrenuè miniſtrabant adipem frumenti tui, & lætitiam olei, & ſobriam vini ebrietatem populo tuo &c. Suſcepit me paternè ille homo Dei &c. & illum amare cœpi, primò quidem non tanquam doctorem veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabam, ſed tanquam hominem benignum in me, & ſtudioſè au-*

Pſal. 4.

diebam diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans eius facundiam, vtrum conueniret famæ ſuæ: an maior minórve profluerct quàm prædicabatur, & verbis eius ſuſpendebar intentus. Rerum autem incurioſus & contemptor adſtabam, & delectabar ſuauitate ſermonis, quanquam eruditioris, minus tamen hilareſcentis atque mulcentis, quàm Fauſti (Manichæi) *erat, quod attinet ad dicendi modum. cæterùm rerum ipſarum nulla comparatio, nam ille per Manichæas fallacias aberrabat; iſte autem ſaluberrimè docebat ſalutem. Sed longè à peccatoribus ſalus, qualis ego tunc aderam, & tamen propinquabam ſenſim, & neſcius: cùm enim non ſatagerem diſcere quæ dicebat, ſed tantùm quemadmodum dicebat audire &c. veniebant in animum meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam; neque enim ea dirimere poteram: & dum cor aperirem ad inſpiciendum quàm diſertè diceret, pariter intrabat & quàm verè diceret, gradatim quidem.* Subiunctim illos gradus deſcribit, quibus demum ad Deum, fidémque Catholicam conuerſus eſt. Sic Ambroſius eloquentiâ ſuâ ſacrâ, Auguſtinum Deo & Eccleſiæ peperit, & in vno Auguſtino progenuit pluſquam mille Doctores.

Regnum Chriſti ab oratoribus illis exordium ſumpſit, quos ipſe animatos igneis linguis inſtruxit ad ſuum Euangelium orbi vniuerſo prædicandum,

Spiritus æthereа deſcendens ſanctus ab aula,
Irradiat fulgore locum, quo ſtemma beatum
Eccleſiæ naſcentis erat: quibus igne Magiſtro
Imbuit ora calor, dictíſque fluentibus exit
Linguarum populoſa ſeges, &c.

Arator. lib. 1. Carm. in Acta c. 3.

quæ ſubinde in Eccleſia toto orbe diffuſa, vberrimè pullulauit. A Roſtris Romanis & Græcorum Academiis, certatim oratores plerique inſignes ad Chriſti diſciplinam tranſierunt, fidéque duce *loqui cœperunt magnalia Dei* tantâ eloquentiæ gloriâ, quanto ſapientiæ, doctrinæ & pietatis ſplendore. Obſtupuit mundus, ex ſtipite crucis tantam exarſiſſe flammam, ex hac radice tantam oratorum copiam germinaſſe, per quos huius ſæculi ſapientum ſuperbiam, ferociam tyrannorum, vitiorum terra portenta, inferorúmque poteſtates Chriſtus orbis triumphator, ſaluatórque debellauit, manſuefecit barbaras nationes, & ad iugum ſuæ legis tam fortiter quàm ſuauiter inflexit. Hac ex arce Chriſtianæ ſapientiæ & virtutis illuſtriſſimi illi oratores prodierunt, qui ſuis fulgoribus tam Orientem quàm Occidentem impleuêre; hinc illuxerunt Origenes, Athanaſius, Baſilius, vterque Gregorius, Nazianzenus & Nyſſenus, Ephrem, & incomparabilis (quem ferè prætcribam) Chryſoſtomus, in orientali Eccleſia: in occidentali verò Cyprianus, Ambroſius, Maximus, Auguſtinus, Leo Magnus, Petrus Chryſologus, aliáque præclariſſima eloquentiæ ſacræ lumina, imò fulmina, quæ in ſui ſtuporem, pariter ac venerationem, reges, principes, philoſophos, & vniuerſos mundi ſapientes rapuerunt, gentéſque omnes ac populos ad ſuaue Chriſti iugum, fidei cultum, ſalutíſque iter pertraxerunt: ipſáque ſua rara eloquen-

Act. 2. 11.

tia perſuaſerunt (vt ſcitè ait Lactantius lib. 1.) *bene dicere quidem ad paucos pertinere, bene autem viuere ad omnes.* Hæc vis eſt ſacræ eloquentiæ, quæ in illuſtrium illorum Eccleſiæ Oratorum monimentis etiamnum refulget, ac Eccleſiam in dies cùm leguntur, illuminat, perenni ſapientiæ ſplendore, quæque iuſtitiæ ac pietatis cultum & amorem in Deum & homines, in iis accendit: qui homilias magnorum illorum Chriſti præconum vel legunt, vel audiunt, cáſque attentione & reuerentia, qua par eſt, excipiunt atque meditantur.

Verùm, *non omnibus datum eſt adire Corinthum.* At hoc ſacræ eloquentiæ decus, pauciſſimi iſti apices omnium, demeruerunt aſſequi; cæteri verò tentârunt potiùs quàm adepti ſunt, ſupparem in docendo laudem. Et reuerà (vt eleganter aiebat Pius Papa II. magnus ipſe orator ac poëta laureatus) *Oratio difficillima eſt moderatu: tumidum enim orationis genus ciuile nequaquam eſt: tenue verò nuſquam mouet. Inſuper grata quàm vtilia dicere difficilius eſt; rarúſque eſt qui ſimul æquè poſſit inuenire præclarè, enunciare magnificè, aptè diſponere, figurare variè, ad captum auditorum & ad rei naturam ſe decenter accommodare, dicendi tempus cognoſcere, locum & perſonas oſtendere congruo delectu, rariórque qui pariter queat docere & perſuadere: nam & bonus Orator non ſemper perſuadet, vt nec eximius Medicus ſemper ſanat.*

Præclarè Tullius de opt. gen. orat. *Nemo eſt orator, qui non ſe ſimilem Demoſthenis eſſe velit.* A pari mihi fas ſit dicere, vix vllus prædicator eſt, qui Ambroſio, Chryſoſtomo, Leoni Magno, cæteríſque eloquentiæ ſacræ principibus, merito & laude æquari vehementer non deſideraret. At vt illa ſtulta foret æmulatio *; ſtudium tamen aliquantulæ imitationis, iure reprehendi non poteſt. Paucis verbis graphicè litem illam expreſſit Aurelius Caſſiodorus, ſup. Pſal. 73. *Eloquens eſt ille qui ſcit parua ſubmiſſè, media temperatè, magna granditer dicere; Qui ſcit inuenire præclarè, enunciare magnificè, diſponere apertè, & figurare variè.* Sed eo ſæculo viuimus, quo paſſim qui ſuggeſtus Eccleſiarum ambiunt, ſe iis perornatos dotibus gloriantur. Et reuerà artificioſæ orationis apud pleroſque ingens eſt ſtudium: ſed vereor ne illud Lactantij hîc iure liceat vſurpare: *Vtinam tam multi benefaciant, quàm multi bene loquuntur!* Eraſmus dixit, *præcipuam eloquentiæ partem eſſe, appoſita dicere.* At eloquentia Chriſtiana in hoc officio non conquieſcit, at inſuper exigit in ſuo profeſſore pietatem, iuſtitiam, probitatem, ſine his comitibus tantum abeſt vt proſit, quin perſæpè multum nocet. Vnde magnus Auguſtinus lib. 1. de anima, dicere non dubitauit, *Eloquentiam in prauo homine, venenum eſſe in poculo aureo*, ideóque malè eloquentiam diſci ſine bonis moribus. Verùm de his ſuprà, proprio loco diximus, ex inſtituto.

* Eloquentiæ ſummam pauci aſſequuntur. *S. Aug. de vtilit. credendi.*

Idem S. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt.

ARTICVLVS II.

De ſpiritu compunctionis, ſine quo eloquentia Concionanti ſacro parum proficit.

SED ſupponamus duo hæc in Concionatore, ſeu Oratore Eccleſiaſtico pariter inueniri, ſcilicet eloquentiam & probitatem: binarium tamen iſtud, feliciter vt munus ſuum obeat, non ſufficit. Placebit enim oculis & auribus prædicator probus & diſertus, ſed cor non mouebit, niſi habeat ſpiritum compunctionis. Dolor animi de peccato commiſſo, eſt compunctio, quam ille Spiritus excitat in nobis, *qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt nos per internam inſpirationem gemere facit, & cum lachrymis & ſuſpiriis nos poſtulare efficit, à diuina clementia gratiam & miſericordiam, ſeu per externam operationem, ſcilicet per vocem prædicatoris, qui nos ad horrorem peccati, contritionem cordis, amorem Dei, odium mundi, & cœleſtis patriæ deſiderium, tanquam per viuum organum ſuæ bonitatis & gratiæ efficaciter mouet ac impellit; ſic enim ſtat ad oſtium & pulſat, clamátque, vt ſibi ianua cordis aperiatur. Hanc in Oratore Chriſtiano requirebat ſanctus Hieronymus orationem, quæ non plauſum excitaret, ſed eliceret lachrymas. Prædicante Petro, qui aderant Chriſti confixores, *gladij illius ſpiritualis penetrabilioris omni gladio ancipiti, & pertingentis vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus:* quem in ore Petrus ferebat, verbis eius transfixi, aciem puncturámque ſalutiferam perſenſerunt. *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos, Quid faciemus viri fratres* (ſentiebant ſe etenim ingenti piaculo conſtringi,) *Petrus verò ad illos, pœnitentiam*, inquit, *agite* &c. Hæc eſt vox, quæ parit ſpiritum compunctionis & ſalutis in præcordiis auditorum. Hanc igitur ſi habeat prædicator Euangelicus animas conuertit: ſi non habet, aures quidem pulſat, ſed cor non tangit: & loquitur quidem foris, ſed intus nihil efficit, nam affectum cordis non mouet, nec Dei timorem, nec amorem in auditorum animis producit. Sunt certè de prædicatorum numero, qui ſeria & graui oratione exhortantur, & proficua magis quàm curioſa eloquuntur: fructum tamen exiguum conuerſionis animarum referunt. Quænam obſecro huius ſterilitatis occaſio? quoniam licèt aliis ſpecioſè conſulunt, ipſi molles & tepidi inueniuntur, homiliam quam magno ſtudio antè præparârunt, memoriæque demandârunt diligenter, bene pronunciant, ſuauíque ediſſerunt effatu: ſed nullis ante concionem ſuſpiriis ad Deum ingemiſcunt, nullas profundunt lachrymas, ſpiritum compunctionis pro ſeipſis non expetunt, nec conuerſionis animarum gratiam poſtulant, ſine qua aërem verberant, nec miniſterij ſui fructum Domino referunt, víxque vllam laboris mercedem conſequuntur.

Rom. 8. 26.
Hebr. 4. 12.
Act. 2. 37.

ARTICVLVS III.

De gemitu columbæ, eiúſque ſimplicitate, aliíſque proprietatibus à Concionatore imitandis.

Matth. 10. *De columba myſticis dotibus lege S. Tho. 3. p. q. 39. a. 6.* *Iſa. 60. 8.* *Pſal. 67. 10.*

CHRISTVS Dominus cùm Apoſtolos ſuos prædicatum mitteret vbique Euangelium ſuum, iuſſit eos columbæ ſimilitudinem æmulari, in cuius ſpecie Spiritus Sanctus ſuper ipſum, in Iordane baptizatum à Ioanne, viſibiliter deſcenderat. Ad quam Euangelij pacis nunciorum illorum ſimilitudinem reſpiciens Iſaias Propheta, mirabundus exclamabat, *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Apoſtoli ſiquidem & Diſcipuli Domini, ſicut nubes toridæ quaquauerſum volantes, impetu Spiritus Dei impulſæ, *pluuiam illam voluntariam, quam dedit Deus hæreditati ſuæ*, vbique effluxerunt, imbrémque Euangelicæ doctrinæ hominum mentibus infundendo, eaſdem fidei & ſalutis ſemine fœcundârunt, & fructu bonæ operationis illas decorârunt, tanta Spiritus virtute impulſi, vt nulla vis terrena, curſum potuerit ipſorum vllo obice ſiſtere.

At non modò vt nubes volârunt, ſed vt columbæ, nec ipſi ſoli, ſed qui eorum ſortiti ſunt vices. Vnde Septuaginta vertunt, *ſicut columbæ cum pullis ſuis*. Sunt inter ethnicas nænias & fabulas, quæ gentiles Scriptores referunt, de internuncio columbæ. Plinius ſiquidem lib. 10. c. 37. narrat quòd non ſemel columbæ internunciæ fuerint in rebus magnis, ferentes epiſtolas in pedibus ligatas. Eò ſpectare plerique putant carmen Tibulli inquientis,

Quid referam vt volitet, crebras intacta per vrbes,
Alba Palæſtino ſancta Columba Syro.

Exempla pleraque illuſtria moris illius affert, ex locuplete antiquitatis penu Vliſſes Aldobrandinus tom. 2. Ornithologiæ lib. 10. p. 189. & fuſiùs titulo, Hiſtorica, p. 189. Necnon Raderus in Columbam Aretatæ Martialis lib. 8. epigram. 32. Sed quicquid ſit de profanæ antiquitatis teſtimonio, ſanè ſcriptores noſtri ſimilia exempla in rebus noſtris comperta referunt, inter quos Sabellicus Æneide 9. lib. 9. denarrat, quemadmodum in expeditione ſacra Chriſtianorum ad Palæſtinam, interceptu columbæ, litteras volatu ferentis ad Regem Damaſcenorum, vt obſeſſis ſubueniret Tyriis, remiſſa eſt eadem conficta regis nomine epiſtola, qua omnis auxilij ſpes ſubmouebatur, ad circumſeptos, deditáque vrbs ſic noſtris fuerit. Sed in ſacris litteris, gerulæ huiuſmodi columbæ fauſti internuncij, hiſtoriam legimus in Geneſi, quando ſcilicet emiſſa à Noë ſecundo parente humani generis, ex arca, ſemel & iterum, columba rediit ad eum, ramuſculum oliuæ virentem ſuo deferens ore, in ſignum prætéritæ orbis terrarum funeſtæ eluuionis. Chriſtus poſt paſſionis ſuæ ſuperatos vortices, fluctúſque longi diluuij diſſipatos, rediuiuus Apoſtolis ſuis apparens, eiuſmodi ramum oliuæ ſacratiſſimo ore ſuo detulit, dicens eis, *Pax vobis*, & ipſis cùm aſcenſurus erat ad patrem præcepit *vt euntes in mundum vniuerſum*

pacis euangelium nunciarent, ianuáſque cœli apertas omnibus gentibus indicarent ad æternam ſalutem & felicitatem. S. Ephrem ſerm. de Paſſione Domini, ſcribit Christo moriente in cruce ac clamante, *conſummatum eſt*, columbam candidiſſimam è templo euolaſſe, eo indicio, quòd per Chriſti mortem innocentia, ſanctitas, veritas, omníſque virtus & ſapientia, à Iudæis ad Chriſtianos auolaret, déque Synagoga Iudæorum ad Eccleſiam gentium iuſto Spiritus ſancti iudicio tranſmitteretur. Hoc bonum nuntium, hoc æterni fœderis Euangelium, Apoſtoli eorúmque ſymmyſtæ ac ſequaces, totum per orbem ad omnes gentes, velut virentem oliuæ ramum, gratiæ miſericordiæ & pacis æternæ ſymbolum ac pignus, pernici volatu detulerunt, in diéſque præcones Euangelij, qui per ſingulas Eccleſias docent populum vias vitæ, ſemitas iuſtitiæ, & ad perpetuæ beatitatis deducunt aditum, deferunt, dum Dei verbum piè, doctè & prudenter eloquuntur. Vtinam igitur quæ inſedit Chriſti vertici columba, ſuper eos inſideret! ſuámque ipſis communicaret ſpeciem & ſimilitudinem. Enitet in columba mirabilium proprietatum congeries, quæ bearent Concionatores noſtros, ſi iis inſignirentur. Eſt certè columba in volatu perſeuerans & conſtantiſſima, gemitum pro cantu habet, mirificè eſt beneuola ac mitiſſima, meliora grana ſeligit, putrida reſpuit, integra deglutit, ſed de ſubtus terram illa non extrahit; in hoc gallinæ diſſimilis quæ vnguibus terram quatit, ſi fortè conſentaneum ſibi cibum latentem inueniat. Quando columba grana ſumit, oculos ad cœlum leuat, quaſi propter præſtitum ſibi cibum gratias referens creatori. Mortua corpora execratur, gaudens in foraminibus petræ deliteſcit, alienos pullos alit, conſortij & ſocietatis eſt amantiſſima, circa aquarum fluenta libenter verſatur, in quibus velut in fulgentiſſimo ſpeculo impreſſam accipitris figuram conſpiciens, rapaces eius vngues ocyus fugit; ſinceritate & ſimplicitate prædita eſt, felle caret, timore & pauore facilè percellitur, carnibus non veſcitur, nec immundis alitur. Ferunt ſanguinem ex latere ſub dextera ala latente eductum, oculis ſalutiferum & proficuum eſſe. In foraminibus petræ paſſim nidificat: roſtro non lacerat, tota mitis, ſimplex, pulchra, amabilis. *O quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem!* Si cætera, ipſi ſint eximiis his columbæ qualitatibus prædit! Non repant ſuper terram, ſed volent ſemper aſpirando ad ſuperna & æterna, ibíque auditorum ſuorum efferant mentes; ſtrenuè in verbo & opere laborent, *attendentes* iugiter vt monet Apoſtolus (1. Tim. 4. 13.) *lectioni, exhortationi & doctrinæ.* Gemebunda voce, pióque affectu; ſua populíque peccata defleant, ſéque ipſos illóſque excitent ad pœnitentiæ luctus. Sint in conuerſatione benigni, in verbo piè ſæuientes, & modeſtè blandientes. Meliora grana ſeligant, id eſt documenta promant populo ſalubriora. Putida dogmata vt venena animarum reiiciant & refellant, integra proferant hortamenta. Animarum alimoniam non de terra, ſed de cœlo quærant. Quæ hauſerint à Deo ſcientiæ & pietatis lumina, ſpargant in populum, Deo illorum donorum auctori grates debitas referendo. Mor-

Ioan. 19. 30.

Ioan. 1. 32.

Rom. 10. 15.

Cantic. 2. 14. tua opera execrentur, viua ſuadeant & faciant: *in foraminibus petræ*, Chriſti ſcilicet crucifixi, cruce & vulneribus nidificent, eiúſque agoniam pro nobis, iugi cogitatione mediteutur. Animas ſibi creditas ad docendum, ſicut filios foueant, dicentes cum Apoſtolo 1. Theſſ. 2. 7. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi facti eſtis nobis. Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ideò ſint conſortij & ſocietatis fidelium amantes, reconciliationíſque eorum cum Deo, & vnionis & mu-
Pſal. 1. 3. tuæ dilectionis inter ſe ſolliciti. *Circa aquarum decurſus*, limpidiſſimâ ſcilicet Scripturarum fluenta, aſſidua meditatione immorentur, patrúmque puros hinc delibatos ſupernæ ſapientiæ latices, imbibere frequenti ſcriptorum eorumdem lectione ac ſtudio aſſueſcant. Artes & machinamenta ſatanæ explorentur, hæcq; cautè anteuertere, vel ocyùs declinare, alióſque vt ea fugiant ſedulò monere inuigilent; felle ſic careant, vt immemores fiant iniuriæ. Timorem Dei altè præcordiis incuſſum ſemper habeant, fideléſque vt ſuper omnia Deum metuant, cohortentur. Carnis ſpurcitias toto corde exhorreant; ore neminem lædant nec opere. Mites, humiles & amabiles, ſimul tamen & vere-
2. Cor. 6. 3. cundos ac verendos ſeſe vnicuique exhibeant: *Nemini dantes vllam offenſionem, ne ſuum miniſterium vituperetur.*

Sed inter tot præclaras columbæ proprietates, duæ ſunt quas potiſſimum debet Orator Eccleſiaſticus æmulari, nempe gemitum & ſimplicitatem.

Iſa. 59. 11. De gemitu, ait Propheta: *Quaſi columbæ meditantes gememus:* debet
Idem 38. 14. meditabor vt columba. qui pœnitentiam prædicat, antequam concionetur, in dolore animæ peccati horrorem in animo concipere, Dei iuſtitiam & miſericordiam meditari; gemitu ſuo proprias noxas eluere, cæteróſque excitare ad luctum & lacrymas. Beatum Ambroſium fuiſſe ad miraculum vſque eloquentem S. Auguſtinus eius auditor aſſeuerat; at ſubinde notat fuiſſe ea eloquentia præditum, quæ ſeriò doceret ſalutem, at quæ potiùs ad gemitum animas quàm ad oblectationem prouo-
Iſai. 3. 12. cabat. Verè & grauiter S. Hieronymus, ſuper illud Iſaiæ, *Popule meus qui te beatum dicunt* &c. *Ille eſt* (inquit) *Doctor Eccleſiaſticus, qui lacrymas, non riſum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit eſſe felicem.* Idem ſanctus Doctor lib. 3. Comm. in Matth. 16. vnde ſortitus ſit Simon Petrus Apoſtolus ſuum cognomentum, ſciſcitans reſpondet, *ex confeſſione ſortitum eſſe vocabulum, quod reuelationem ex*
Matth. 16. 17. *Spiritu ſancto habeat, cuius & filius appellandus ſit, ſiquidem Bar-Iona in noſtra lingua ſonat filius columbæ?* Et aptè quidem filius columbæ appellatur, qui à Spiritu ſancto confeſſionem fidei de Chriſti diuinitate & gloria doctus eſt. Sed quoniam ſpiritus ille, qui ſub columbæ ſpecie
Rom. 8. apparuit, *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia animas excitat ad compunctionem & pœnitentiæ gemitum: Ideò Petrus eius quoque filius dici promeruit, quia donum lacrymarum habuit;
Matth. 26. 75. poſt lapſum ſiquidem ſtatim egreſſus de domo peccati, *fleuit amarè*,

&

& deinde auditores ſuos ad compunctionem excitauit, eo enim prædicante, vt refert S. Lucas, ipſi Chriſticidæ interno animi dolore concuſſi ſunt; *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum: quid faciemus?* Sic impleuit Domini ſui præceptum: *Conuerſus confirma fratres tuos.* Nam peccatores infirmos corroborauit, & ad ſeriam pœnitentiam ſuo exemplo animauit; factus non ſolùm Apoſtolorum vertex, ſed & perfectus typus pœnitentium. Sic, obſecro, ſtudeat quiſque prædicator effici filius columbæ, per pœnitentiæ præconium & exemplum, qualem Petrus voce, factis, fletu & lacrymis ſeſe omnibus exhibuit. *Act. 2. 37.* *Luc. 22.*

Denique neceſſe eſt vt columbæ ſimplicitatem imitetur; hoc enim ad præcones ſuos expreſſum Domini mandatum eſt; *Eſtote* (inquit) *ſimplices ſicut columbæ?* Quomodo autem ſeruari poſſit à prædicatore Euangelico illa ſimplicitas, elegantiſſimè Gillebertus Abbas, ſerm. 27. ſuper Cantica mihi expreſſiſſe viſus eſt: *Vtinam* (inquit) *iſtud attendant qui facturi ſunt in Conuentu fratrum ſermonem! Student magis alta, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum ſui, non ipſorum ſalutem operantes. Erubeſcunt humilia & plana docere, ne ſola hæc ſciſſe videantur; erubeſcunt vbera habere, nudare mammam, lactare paruulos. Quid eſt illud? ideóne conſediſti in medio, cathedram tenens, vt ſcientiam iactes? an vt teneram ſubditorum lactes infantiam? ſubtilia texis, artem qui audiunt mirantur, eloquentiam laudant. bene quidem, tamen ſi gratiam ſentiunt, ſi te diſputante, audientium moueatur affectus, intellectus inſtruatur. Alioquin quid ad præſens negotium peregrina quædam adducere, quæ auſcultantes non capiant?* Atque hactenùs ſatis de columbæ gemitu & ſimplicitate. *Matth. 10. 16.*

ARTICVLVS IV.

De voce turturis, eiúſque à columba multiplici differentia: & Concionatoris, tam myſtica quàm morali, cum turture, conformitate.

TANTVM affinitatis habent turtur & columba, vt paſſim in lege, & Euangelio coniungantur, vt videre eſt Leuit. 1. 14. 12. 6. 24. 30. Num. 6. 10. Luc. 2. 24. Quæ cauſa eſt, cur cùm Theologo inſigni, Concionatoríque percelebri (cui ſeriem huius opuſculi de prædicandi munere recenſebam) duo hæc lemmata de gemitu columbæ, & voce turturis oſtenderem; mox ille ſubſiſtens parumper, à me ſciſcitatus ſit, *quodnam eſſet diſcrimen inter vocem turturis & gemitum columbæ?* ſibi enim hæc adiaphora, imò promiſcua videri: quamobrem mirari ſe cur duos proprios articulos de turturea voce & columbino gemitu ſtatuerem, cùm ſub vno eodémque lemmate potuiſſet communiter, & fortaſſe congruentiùs de vtroque diſſertari.

Et verò non eſt quòd inficier vtramque auem habere vocem in gemitu, vel gemitum pro voce: de columba iam dictum; cui & illud accedit quod S. Bernardus, Ezechiæ Regis dum ediſſerit lugubre

Iſai. 38. 14 canticum, ad illa verba, *Sperabam vſque ad mane &c. ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba. Cùm gratiæ* (inquit) *matutinum arriſerit, in modum hirundinis exultans & clamitans, gratias agam pro viſitatione, & cùm veſpera ingruerit non deerit ſacrificium veſpertinum: cùm inſtar columbæ lachrymas fundam in tribulatione. Mœrens mœrebo in veſpera, quò lætus fruar matutino. Placet vtrumque Deo, & peccator compunctus, & iuſtus deuotus: cui è regione diſplicet tam ingratus iuſtus, quàm peccator ſecurus.*

At conſimilem gemitum in voce turturis, idem ſanctus Abbas agnoſcit. Quamobrem ſerm. 59. ſup. Cant. illa expendens verba Cant. 2. 12. ſponſi ad ſponſam, *Vox turturis audita eſt in terra noſtra* &c. *Et vox quidem* (ait) *gementi quàm canenti ſimilior, peregrinationis noſtræ nos admonet. Illius doctoris vocem libenter audio, qui non ſibi plauſum, ſed mihi planctum moueat.* Vbi ſpectâſſe videtur ad præcitata verba S. Hieronymi, *verè Doctorem eſſe Eccleſiaſticum, qui non riſum, ſed lacrymas mouet.* Vnde ſequitur, eos indignos eſſe hoc nomine, qui concionando riſus & cachinnos excitant ſcurrilitate ſua: quæ tam ſunt Deo exoſa, quàm perniciosa hominibus. Apoſtolus vt hunc abuſum præcideret, Titum Tit. 2. ſuum monet, & in hoc vno Eccleſiaſticos omnes obteſtatur, *vt loquatur quæ decent, ſanam doctrinam, præbeat ſe exemplum* fidelibus non ſolùm *in bonis operibus*, ſed inſuper *in doctrina, in integritate, in grauitate, adeovt verbum eius ſit ſanum, irreprehenſibile*, &c. Vt ſcilicet ad Euangelij quod docet cum metu & reuerentia, auditores ſuos excitet obſeruantiam & venerationem. Vnde illud Chryſoſtomi ad hæc Apoſtoli verba: *Supplementum ſit doctrinæ, exemplar virtutis tuæ, ſpeculum vitæ quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti archetypus & primitiua quædam imago, in ſe habens, quæ bona & honeſta ſunt.* Et ideo ipſe Apoſtolus 1. Tim. 4. 12. Timotheum admonet quoque ſuum, *vt exemplum ſit fidelium* non minùs *in verbo*, quàm *in conuerſatione*. At è morali hoc diuerticulo, aduerſus concionatores (ſi qui ſunt) leues, dicaces, mordaces, mimos, ridentes, ridiculos, cachinnantes, & cathedram veritatis vertentes in ſcurrarum theatrum, quos omnes execratur Apoſtolus, qui ipſos, eo- 2. Cor. 2. 17. rúmque ſimiles vocat *adulteros cauponantes verbum Dei*; iam in viam rectam redeamus, qua dicere præſtituimus de voce turturis, & de gemitu columbæ.

Fatemur itaque vtramque auem, vocem habere in gemitu, ſeu gemitum pro voce. Sed in hoc ipſo differunt, quòd columba omni tempore gemebundam edat vocem: at verò turtur nunquam niſi cœlo ſereno, vnde in hyeme vocem non edit, quin nec ſe humanis oculis præbet aſpectabilem. Hinc illud Ariſtotelis lib. 8. de animalibus c. 16. Nemo (propè dixerim) vidiſſe per hyemem vſpiam turturem dicitur. quò ſpectat illud Hieremiæ c. 8. *Turtur cuſtodit tempus aduentus ſui.* Hæc turturis proprietas, eiúſque à columba diſſimilitudo aptiſſimè noſtro propoſito quadrat. Monet ſic Timotheum Apoſtolus, & 2. Tim. 4. 1. in eo omnes prædicatores Euangelicos adhortatur, *Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto &c. per aduentum ipſius & regnum eius. Prædica verbum,*

inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, &c. Quid eſt prædicare verbum opportunè, importunè? in Codice Græco legitur εὐκαίρως, ἀκαίρως, tempeſtiuè, & intempeſtiuè, *Verbum enim opportunum* (ait eleganter S. Auguſtinus) *eſt libenter audienti, importunum inuito*; vtrumque tamen prædicator captare debet. Turtur gemit opportunè, nempe vt eſt in Canticis, *quando tempus putationis aduenit*: at columba importunè, nam ſemper eſt in gemitu, quem pro voce naturali habet, ſic typus Concionatorum faciebat Paulus, qui Aſianis dicebat (Act. 20. 18. &c.) *Vos ſcitis à prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim &c. quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, teſtificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c. propter quod vigilate memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrûm.* Hæc vox erat gemitus columbæ, quam ſemper prædicator Euangelicus populo Dei præſtare debet, hortando peccatores ad pœnitentiam omni tempore. Sed lucidiora ſunt aliis momentis, temporum interualla. *Spiritus vbi vult ſpirat*, & quando vult ſpirat. Quamobrem idem Apoſtolus conſulit Timotheo vt non nimis vrgeat, ſuis hortatibus refragantes, ſed modeſtè & prudenter cum eis ſe gerat, temporáque magis opportuna ſciat deligere, quo lubentiùs verba ſalutis excipiant, *Seruum Dei enim oportet manſuetum eſſe ad omnes, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; ſi quando det illis Deus pœnitentiam, vt reſipiſcant à diaboli laqueis.* Temporis igitur eſt ratio quàm diligenter obſeruanda, vt non ſolùm importunè & intempeſtiuè, ſed magis tempeſtiuè & opportunè monita ſalutis, hominibus proponantur. Scitè hîc & appoſitè S. Gregorius ait *, *Dicturus Apoſtolus importunè, præmiſit opportunè, quia ſcilicet apud auditoris mentem ipſa ſua vtilitate ſe deſtruit, ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.*

Cantic. 2. 12.

2. Timoth. 2. 25.

** part. 2. paſtoral. 10. 4.*

Omnia tempus habent, ſed curandæ nullum eſt tempus intempeſtiuum ſaluti: attamen ſunt tempora magis aliis conducibilia ad animarum ſollicitandam, vrgendámque conuerſionem. Paulus ipſe cùm adhuc Saulus eſſet, ab Anania eo tempore conuentus eſt, quo excipiendæ gratiæ magis aptus erat: *Dixit Ananiæ Dominus, ſurge & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tarſenſem, ecce enim orat.* Lucidum hoc erat interuallum, quamobrem præteriri ab Anania incaſſum non debuit: vnde & operam non luſit; *Nam eo loquente, ceciderunt ab oculis Sauli tanquam ſquammæ, & viſum recepit, ſurgenſque baptizatus eſt.* Pretioſa ſunt inſtantis gratiæ momenta. Sapientiſſimum Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. c. 4. idcirco tempora quæ ad meliorem frugem excitandis hominibus magis ſunt opportuna, prædicationis miniſterio eſſe impendenda, ſpeciali ſanctione decreuit: *Prædicationis munus* (inquit) *&c. cupiens ſancta Synodus quo frequentiùs poſſit ad fidelium ſalutem exerceri, &c. Mandat vt Epiſcopi in ſua Eccleſia ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument: in aliis autem Eccleſiis per Parochos, ſiue iis impeditis, per alios ab Epiſcopo,*

Act. 9. 11.

impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur vel ſolent, deputandos; in ciuitate, aut in quacumque parte diœceſis cenſebunt expedire, ſaltem omnibus Dominicis & ſolennibus diebus feſtis. Tempore autem IEIVNIORVM QVADRAGESIMÆ *&* ADVENTVS DOMINI, *quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita opportunè duxerint, ſacras ſcripturas, diuinámque legem annuncient, & aliàs quotieſcumque id opportunè fieri poſſe iudicauerint.* Sed cur magis inſtanter in Aduentu & Quadrageſima? nempe quia ſunt tempora ſelectiora pœnitentiæ; vnde in eorum initio, Eccleſia claſſicum hoc ex Apoſtoli verbis intonat: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Et reuerà dies illi ſunt tempus meſſis animarum & vindemiæ defœcatæ. Opportunè igitur eſt hoc tempore prædicandum, quo Doctorem & auditores iuuant plurimùm ad ſalutem ieiunia, orationes, ac Eccleſiæ quæ in luctu pro filiis eſt, profuſior gemitus, lugubris apparatus, & vox illa ſingulis diebus in auribus Sacerdotum altè perſonans. CLAMA NE CESSES, *quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Hoc eſt enim ſpecioſum, omníque cum ſpiritûs lætitia amplectendum tempus, de quo ſponſus ad ſponſam in Canticis c. 3. ait, *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea & veni. Iam enim hyems tranſiit*; (horrida ſcilicet tempeſtas bacchanalium dierum, quibus nemo ferè ſerit, neque metit: ſed omnes letali ſomno deliciarum indormiunt) *At imber abiit & receſſit; flores apparuerunt* (ſaniorum deſideriorum) *in terra noſtra: Tempus putationis* (hoc eſt amputationis culpæ, infuſionis gratiæ) *aduenit. vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Hæc eſt auis quæ in delectu temporis opportuni omnium ſagaciſſima, nonniſi cœlo ſereno & tranquillo vocem edit, vocem quidem non tam ſuauem quàm ſalutarem; mox enim ac turtur ſuam emittit vocem, *ficus proferunt groſſos ſuos, vineæ florentes dant odorem ſuum;* nam prædicantibus, præſertim hoc tempore Dei miniſtris pœnitentiam, auditorum emolliuntur duriora præcordia, excitantur ſana deſideria, profluunt tanquam è percuſſa in deſerto virgæ ictu duriſſima rupe lacrymæ & gemitus; floréſque erumpunt bonæ operationis, ex quibus prodeunt digni fructus pœnitentiæ; adeo efficax eſt vox turturis opportunè edita. Columbæ verò cùm ſit gemitus perennis, vox etſi ſit bona & plerumque vtilis, tamen quia importunè, eo quod ſemper perſonat, nonnullis intempeſtiua & importuna videtur, proinde & minùs fit audientibus grata atque proficua.

Rom. 13. 11.
2. Cor. 6. 2.
Iſa. 58. 1.

Cæterùm SS. Patres, myſticas moraléſque rationes nobis ſuggerunt, ob quas non ſolùm columbæ, ſed & turturis ſimilitudinem aſſequi Eccleſiaſticus orator percupiat.

1. S. Ioannes Chryſoſtomus, vt columbam ſimplicitatis, ſic caſtitatis turturem ſymbolum eſſe docet; vtque communis vitæ columbam, ſic & turturem ſolitariæ typum eſſe exiſtimat. Quantùm ſimplicitas columbina prædicatori ſit neceſſaria, præceptum Domini quo iuſſit Euangelij ſui nuncios ſimplicitatem columbæ imitari, manifeſto eſt argumento: quo Domini oraculo, candor & ſinceritas dolo contraria

Matth. 10. 16.

commendatur *. Porrò caſtitas turturis non minùs ipſum decet concionatorem, qui & in meditando ſolitarius, & in prædicando communitatis coadunator eſſe debet. Dignus eſt ipſe Chryſoſtomus qui propriis verbis audiatur : igitur de columba ad illa verba Domini: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Contra infideles* (inquit) *eſtote ſerpentes, cum fidelibus autem eſtote columbæ? Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, vt malum intelligatis & caueatis, & eſtote ſimplices ſicut columbæ vt non faciatis vllum malum : quia intelligere malum laudabile eſt, facere autem vituperabile.* De turture idem verò eleganter ſuo more dicit, *Turtur amatrix eremi, quando in deſertis degit locis, delectabilibus blandimentis arceſſit comparem &c. Vnanimi autem mente ad inculta & prærupta rupium cubile fundantes, exinde ſuos ſine vllo timore volare pullos prouocant.* Aſſeuerant quidam turturem caſtam & amatricem comparis eſſe, ita vt ſi quando euenerit eius maſculum ab aquila, ſiue aucupe capi, non ſoleat ſe commiſcere alteri, ſed ipſum cupere, & ipſius præſtolari aduentum, & in amore, eius expectatione pendere &c. Talis eſt caſta turtur Eccleſia: viro enim ſuo crucifixo, & hinc ad dexteram Patris in cœlis ſedente, alteri viro non commiſcetur, ſed ipſum deſiderat, ipſum expectat, & deſiderio eius commori cupit. Aëream turturem eleganter princeps Vatum Romanorum appellat,

* *Lactant. l. 1. diuin. inſtit.* *S. Bern. ſerm. 71. ſup. Cant.*

Tom. 1. hom. de virtut.

Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab vlmo.

Verus Prædicator Chriſti crucifixi & triumphantis, ſurſum aſpirat, cordáque auditorum ſuorum abſtracta à terrena colluuie, eò vbi ſponſus animarum reſidet, nempe ad dexteram Patris in cœleſtibus euectum ire toto virium enixu contendit: *Quàm dilecta tabernacula tua* (ait Pſ. 83.) *Domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos.* Ibi enim verus prædicator anhelat, & ſuos diſcipulos, filios vtique ſpirituales ſatagit quantum poteſt extollere.

11. S. Ambroſius (vel vt magis verum eſſe reor, Euſebius Emiſſenus, ſeu quiuis huius nominis auctor vetuſtus & celebris) ſerm. de Purificat. de columba & turture à Doctore Chriſtiano vel diſcipulo crucis imitandis, pulcherrimam aliam inſinuat perſuaſionem : *Non ſine cauſa* (inquit) *ſacrificium quod pro Domino myſticè oblatum perhibetur, ex turturibus & columbis fuiſſe* (Lucas Euangeliſta) *enarrat; in turture enim caſtitas inuenitur, & in columba charitas commendatur: turtur namque intemeratam ſeruat vni viro fidem : columba verò aliarum cohabitantium non deſerit vnitatem. Catholicus igitur Chriſtianus tunc verè ſpiritualis turtur efficitur, ſi veram Trinitatis fidem firma ſedulitate conſeruet, & hæreticæ prauitatis ſenſum, tanquam fornicationis inquinamentum repudiet. Tunc verò erit columba, ſi longanimiter vſque in finem in Catholica ſocietate permaneat, & contra tentationum ſcandala immobili firmitate perſiſtat : vt nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei caſtitatem, nec* AMARA DISSENSIO *Eccleſiaſticæ charitatis diſperdat vnitatem.*

Sed id non patior hîc mihi intactum excidere, quod turtur dicatur

apud Hebræos תור *tor*, à תור *tur*, id eſt cogitare, meditari, eo quòd turtur gemebunda auis intus loqui videatur, inſtar eorum qui meditabundi ſecum loquuntur. Turtureum hoc ſoliloquium vt imitetur non obſcurè ſuadet Apoſtolus Timotheo ſuo, dum eum inſtruit ad rectè & fructuosè ſeſe prædicationi Euangelicæ apparandum; vult enim ſtudium ſacrarum Scripturarum & meditationem præcedere, quæ ſit fons ſacræ & ſanæ doctrinæ, & quaſi mater bene diſpoſitæ elocutionis: *Dum venio* (inquit) *attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Hæc meditare, in iis eſto &c. attende tibi & doctrinæ, inſta in illis.* 1. Timoth. 4. 13. 15. &c.

Meditatio autem, *pia eſt & affectuoſa rerum ſanctarum conſideratio, quæ hominem ad laudandum Deum, Chriſtique doctrinam & virtutes Sanctorum ſectandas & ſuadendas; ad bonum denique amplectendum & malum fugiendum efficaciter promouet.* Partes eius ſunt quatuor; præparatio, repræſentatio, conſideratio, colloquium, ſeu petitio. Sed hic locus has partes ſigillatim expendi non ſinit, tum quòd nimiùm tractatio noſtra, quæ iam prolixa ſatis videtur, excreſceret, tum quòd hîc ex profeſſo de meditatione non agimus, ſed obiter tantùm, in quantum ſcilicet eſt neceſſaria Eccleſiaſtico Oratori, cui ſatis ſit indicâſſe fontem, vt hauriat quantum ſibi opus eſt. Memor ſit igitur præmittendæ ante prædicationem ſeriæ meditationis, iuxta illud Sapientis conſilium, *Ante orationem præpara animam tuam, noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Eccleſ. 18. Hoc iaculum contra eos tendit qui temerè, haud præmiſſo competenti ſtudio & meditatione vel recollectione, repentè in cathedras inſiliunt, ſuóque confiſi ingenio declamitant quicquid in os venit, ſine vllo delectu & matura diſpoſitione. Vnde contingit vt inepta quæque, incondita, futilia, ſæpéque ridicula effutiant, *non intelligentes* (vt ait Apoſtolus) *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. Timoth. 1. vel ſubitò mente moti conticeſcant, memoriæ non tam defectu, quàm iudicij repentino deliquio, quo fit vt publico ludibrio exponantur, non ſine Dei offenſione & auditorum ſcandalo, quemadmodum nonnullis ætate noſtra in frequenti concione accidiſſe haud ſine pudore ſpectauimus, nec ſine animi dolore impræſentiarum etiam meminimus. Quod ſanè non contingeret cuipiam, ſi antequam conſcenderent ſacros ſuggeſtus, diligenti ſtudio, ſeria meditatione, & fuſa ad Deum in animæ gemitu deuota oratione, munus hoc Apoſtolicum aggrederentur, dicendo cum diuino Pſalmiſta: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.* Pſ. 83. Appoſitè S. Auguſtinus verba hæc intelligit de ſtudio quo medulla Scripturarum à vigili ſcrutatore, meditando elicitur, & auditores ab Eccleſiaſte ſapienter inſtruuntur, vnde ſic eos interpellat: *Rogo vos fratres chariſſimi, vt ſecundùm conſuetudinem fidelium, cum ſilentio & quiete ea quæ vobis prædicantur, accipiatis; animus enim noſter, quando donante Deo aliquid potuerit de lectione ſanctarum Scripturarum concipere, ſpiritualem nidum in cordibus veſtris deſiderat inuenire. Et ideo velut caſtiſſimi*

turtures, diuina verba ſancti Spiritus feruore in nidum cordis veſtri fouere contendite &c. Eſtote, ſicut ait Apoſtolus, ſpiritu feruentes. Rom. 12. 11. *Quomodo enim columbæ vel turtures, poſtquam genuerunt oua, ſi illa permiſerint refrigerari, perdunt fructum illorum; ita & vos ſi conceptum verbum Dei per obliuionem refrigerari permittitis, deſiderabilem fructum habere non poteſtis. Præſtate in vobis nidum ſermonibus ſanctis, ſecundùm quod ſcriptum eſt, turtur inuenit ſibi nidum, vbi reponat pullos ſuos.* Pſal. 83. 3. Sed de auditione fructuoſa verbi Dei in noſtra Panoplia Clericali ex profeſſo diſſeruimus*, vbi de exercitiis pietatis proprium expreſſimus tractatum. (* Part. 2. lib. 8. c. 6. gradu 2. à p. 413 incluſiuè, ad 430.) Hîc agitur non de auditu, ſed de effatu & prædicatione: quam ſanè vt Eccleſiaſtes feliciter exequatur, ſicut Moyſes ad tabernaculum antequam loqueretur ad populum ſemper confugiebat, fuſáque prece diuinum depoſcebat auxilium, túmque hauſto mentis lumine oracula Dei ſibi credita populo annunciabat: ſic Concionator recurrat ad diuinæ gratiæ ſacrarium, faciat nidum in corde ſuo, quo diuina oracula excipiat ac meditetur, vt ea ſubinde populo Chriſtiano verbum vitæ ab eius ore expectanti cum pleno ſpiritu ſapientiæ & ſcientiæ, conſilij & intellectus, fortitudinis & pietatis ſubminiſtrare poſſit; ſic *inueniet vt turtur nidum ſibi, vbi reponat pullos ſuos.*

CAPVT XV.

De ſubiecto, ſeu materia propria prædicationis.

ARTICVLVS I.

De materia ipſa in genere.

INTER Rhetoricæ partes hæc prima cenſetur, quæ in inuentione ſita eſt: eloquens enim ille habetur omnium conſenſu peritorum oratoriæ facultatis, qui ſcit *inuenire præclarè, enunciare magnificè, diſponere appoſitè & figurare variè.* Inuentio igitur non minùs formam orationis, quàm materiam ſpectat. Materia eſt duplex, prima nimirum, & ſecunda; Prima eſt ipſum rei ediſſerendum argumentum, de qua tractatur, vnde ab initio diſpiciendum, quid veniat dicendum, quid ſit attributum, quale ſubiectum. Materia ſecunda continet rationes & probationes quæ ad illuſtrandum thema propoſitum afferuntur; petuntur autem ex locis partim communibus, partim propriis, de quibus fusè agunt Rhetorici. Forma orationis ex materię diuerſitate conſurgit, ex eóque fonte varia eſt; aliter enim tractatur exornatiuum genus, aliter didaſcalicum, aliter adhortatorium: deinde formæ varietas ex circumſtantiis puta locorum, temporum & perſonarum differentia profluit. His præmiſſis Rhetorices principiis, ſi quis à me petierit quænam ſit materia orationis Eccleſiaſticæ, ſeu ſacræ prædicationis? dicam vno verbo, Chriſti Euangelium eſſe: ſiquidem *Euangelium virtus eſt omni credenti ad ſalutem:* Rom. 1. 16. Vnde ait Dominus ſuis Apo-

Matth. 28. ſtolis, *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate meum Euangelium.* Hæc eſt materia non ſolùm prima, ſed & ſecunda Concionis; nam eius ſubſtantia ex ipſo Dei verbo, ſeu Chriſti Euangelio conſtare debet. Licèt inſtar accidentium modus prædicandi & adminicula probandi, & perſuadendi aliunde peti poſſint, videlicet ex Eccleſiæ traditionibus, Conciliorum definitionibus, Pontificum Decretis, SS. Patrum qui Scripturam ſacram interpretati ſunt, commentationibus: ex Iure canonico, Theologiæ Scholaſticæ axiomatis, Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum probatioribus monimentis: ex quibus fontibus fluunt figuræ, allegoriæ, parabolæ, ritus & cæremoniæ, monita, exempla, & id genus alia fulchra & ornamenta, variúſque omnis apparatus ſacræ Concionis. Hinc elicere promptum eſt, inuentionis, ſaltem quoad materiam generalem prædicationis, delectum in concionantis arbitrio ſitum non eſſe. Digito enim Dei ſignata eſt materia, ex qua, & circa quam diſſerendi, principium atque fundamentum eſt à prædicatore aſſumendum. *Euntes* (inquit Apoſtolis ſuis Chriſtus & eorum ſucceſſoribus in miniſterio verbi) *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quamobrem ne res adiaphora videretur, materiæ dicendi in Eccleſia delectus: ipſa prudentiſſima Chriſti ſponſa edocta à Spiritu ſancto, iam pridem ſpecialem etiam materiam prædicatoribus aſſignauit, vnde thema Concionis petendum, ipſi, ſingulis per anni circulùm temporibus certò cognoſcerent, nec ad libitum circa hoc eis fas eſſet diuagari. Quemadmodum igitur (vt obſeruat S. Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 10.) ex auito more apud Hebræos legitimis præfinitíſque diebus, ex lege & prophetis lectiones recitare vſu receptum erat: ſic & in Eccleſia, tam noui quàm veteris Teſtamenti paginæ, certis myſteriis, diebus feſtis applicari iamdudum conſueuerunt, quas vt nec lectori, ſic nec concionatori fas eſſe poterat immutare. Quò ſpectans S. Auguſtinus initio expoſitionis ad 1. Ioannis epiſtolam, ſignatim ait, *eas ita eſſe annuas, vt aliæ eſſe non poſſint.* Nec eſt quòd obiicias nimias in anguſtias concionatorem hac lege & more coniectum iri: ſiquidem non ita arcta erat Euangelij aliarúmque ſcripturarum ſacrarum præſcriptio, vt ex hac diuerſæ periodi variorum argumentorum ſegetem non expromerent. Cùm in ætate florenti, Dominicis feſtíſque diebus Pariſiis in celebri cathedra S. Germani Antiſſiodorenſis matutino tempore circa ann. 1619. & 1620. verbi diuini miniſterio incumberem *, frequenti auditorio, quia Parœcia iſta, regia eſt, in Lupara Galliarum Auguſto ſedem tenente, inſignis Concionator ætate prouectior potiórque meritis pomeridianis horis in eadem Eccleſia verba ſalutis faciebat. Cui cùm renunciatum fuiſſet, me ampliori auditorum frequentia frui, tametſi in me eſſet non minimo beneuolentiæ affectu propenſus: ratus tamen me illi docendi materiam præcidere, quòd eandem lectionem Euangelij prior ediſſererem: ipſo amicitiæ priuilegio per communem amicum me interpellauit, vt abſtinere vellem Euangelica lectione pro tempore decurrenti, Epiſtolarúmque Liturgicarum contextum populo explicandum

*Vbi etiam pomeridianis horis, ſolenniorum dierum multas habui poſtea conciones.

dum mihi vltrò aſſumerem, relicta ſibi integra Euangelij currentis expoſitione? Monitis eius neutiquam acquieui; ſed ſupplex oraui hominem, fineret me iure meo vti: nullam ei ſiquidem me inferre, neć velle irrogatum ire iniuriam, poſſe ſiquidem vnam eandémque præſcripti qualibet dic ſacra Euangelij lectionem, tam mihi quàm illi, idoneam dicendi materiam ſuppeditare: didiciſſe me etenim eximio auctore ſancto Hieronymo, *Scripturam ſacram margaritam eſſe perfectè rotundam, quæ ex omni parte non incommodè perforari poſſit;* ſi ab vna parte perforarem, alia poſſe via ipſum eandem ſcrutari & interpretari. Quamlibet enim lectionis vnius ſectionem, ſufficiens argumentum diſſerendi de fide & moribus ad Dei gloriam & ædificationem Chriſtianæ plebis, multis Euangelij præconibus ſubminiſtrare poſſe. Ceſſit vir optimus & prudens eiuſmodi ſatisfactioni, noſtróque vterque tramite, ſine vlla deinceps moleſtia progreſſi ſumus. Thema igitur multiplex ac diuerſum, in vno eodémque Euangelij fragmento, ſignatis diebus appropriato, cuilibet Concionatori ſemper patet. Quapropter præſcripta materia vel prima vel ſecunda, generaliſque aut ſpecialis, prædicatoris libertati (quæ, vbi Dei ſpiritus eſt, ſemper regnat*) nequicquam officit.

* *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3.

ARTICVLVS II.

Scripturam ſacram librum eſſe Sacerdotalem, à Chriſti Miniſtris ſedulo meditandum, ſingulariter profitendum, & ſolidè, ac perſpicuè prædicandum.

PARAGRAPHVS I.

Sacra Scriptura liber eſt Sacerdotalis.

APVD Hebræos peruulgata eſt traditio, cui ex noſtris Origenes hom. 5. in Num. & S. Hilarius in Pſ. 2. adſtipulantur, Moyſen cum lege, etiam legis explicationem in monte Sina diuinitùs accepiſſe: eique præceptum eſſe vt legem quidem ſcriberet, ſed legis myſteria & ſenſa Ioſue reuelaret, & hic Sacerdotibus, híque viciſſim ſuis ſequacibus qui arcanum depoſitum ad poſteros tranſmitterent, magna religione conſignarent. Hinc Anatolius apud Euſebium lib. 7. c. 28. interpretes 70. Ptolemæo Philadelpho Ægypti Regi percontanti, multa ex Moyſis occultis traditionibus, reſpondiſſe narrat. Et Eſdras vel quiuis auctor lib. 4. Eſdræ (cui etſi canonica hactenus non ineſt integra auctoritas, canonicis tamen adiuncto, ſua fides conſtat) c. 14. Moyſi edictum refert: *hæc palam facies verba* (ſcilicet populo) *& hæc abſcondes.* Quare Moyſes identidem in Deuteronomio præſertim omne populi ambiguum & difficile circa legem iudicium, ad Sacerdotes referri præcepit. Quapropter Malachias eodem ſpiritu edoctus, expreſſè ſcribit, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & populi requirent legem ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malach. 2. 7.

Sub Euangelio idem munus Chriſti Sacerdotibus creditum eſt. Hinc dictum Ioanni Apoc. 10. *Vade & accipe librum apertum de manu Angeli &c. Et abii* (inquit) *ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum, & dixit mihi: Accipe librum & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel: & accepi librum de manu Angeli & deuoraui illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cùm deuoráſſem eum, amaricatus eſt venter meus, & dixit mihi, Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Liber igitur iſte cœleſtis, aliis clauſus, at Ioanni qui prædicaturus erat, apertus, & in ore tanquam mel dulcis erat, propter diuini verbi in labiis Sacerdotis ex præſcripto eius docentis ſuauitatem: in ventre autem amarus, propter ipſi inſitam libro, carni & ſanguini, ac ſenſualitati repugnantiam: ſed mel ipſo ex libro diſtillans in viſcera, illam amaritudinem non ſolùm mitigat, at in dulcedinem per pœnitentiam conuertit. *Quia* (inquit eleganter more ſuo magnus Ambroſius) *ſicut, oris amara, quæ febribus, vel aliis ægritudinibus acciderunt, mel mitigat, ita triſtia corda ob delictorum pœnitentiam, diuino ſermone dulceſcunt.* Miniſterio ſcilicet Sacerdotis, ſalutis ſcientiam ex illo libro prædicantis.

Cuius libri ſtudium ideo ſanctus ipſe Ambroſius tam Epiſcopis quàm Preſbyteris, adeo impenſè commendare ſolebat, vt eum vocaret LIBRVM SACERDOTALEM, lib. 3. de fide, c. 7. Qua in re ſecutus eſt magnum illum & cœleſtem Dionyſium, Pauli inſignem diſcipulum, libro de diuinis nominibus, qui aſſerit *ſacram Scripturam eſſe ſubſtantiam Sacerdotij noſtri.* Cuius rei rationem luculentiùs expreſſit lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 5. vbi inquirit, cur capiti Hierarchæ cùm ordinatur, imponatur ſacræ Scripturæ liber, ſic enim huiuſmodi reſpondet quæſtioni. *Cùm perfectiua quæque ſacri ordinis vis atque ſcientia, diuinis Pontificibus, à diuino principali, ordinúmque originali bonitate concedatur; meritò Hierarcharum capitibus eloquia diuinitùs tradita imponuntur, quæ continent exponúntque ſcitè omnem Theologiam, Deíque cùm operationem* (in creatione) *tum apparitionem* (in carne) *ſacrúmque ſermonem & actionem, vnóque verbo diuina omnia, ſacráque opera ac verba, quæ à benefico diuino principatu,* SACRO NOSTRO ORDINI INDVLTA: *ita vt Pontifex, Deiformis quidem omnis virtutis hierarchicæ planè particeps exiſtat: omnium verò ſacro principalium eloquiorum & operationum veritatem, diuinitúſque traditam ſcientiam non tantùm per illuſtrationem accepturus ſit, verùm etiam in alios pro cuiuſque ad res ſacras capacitate transfuſurus, nec non perfectiſſima quæque totius Pontificatus munia, diuiniſſimis ſcientiis ſublimiſſimis anagogis pontificaliter celebraturus.*

Viget etiamnum iſte ritus adhuc in Eccleſia Catholica: ſed ne mera cæremonia cenſeatur, vis eius inſinuatur à Pontifice conſecrante ipſimet Antiſtiti promouendo: *Interrogamus te* (inquit) *dilectiſſime frater, ſi omnem prudentiam tuam, quantum tua capax eſt natura, diuinæ ſcripturæ ſenſibus accommodare volueris?* Poſtquam annuit ordinandus, pergit ab eo inquirere Ordinator: *Vis quæ ex diuinis Scripturis intelligis*

plebem cui ordinandus es & verbis docere & exemplis? ℞. *Volo.* Poſtquam autem conſecratus eſt & inſignia recepit, tradit ei Pontifex Euangeliorum librum dicens, *Accipe Euangelium & vade, prædica populo tibi commiſſo; potens eſt enim Deus vt augeat tibi gratiam ſuam* &c. Ritum eundem impoſitionis Euangelij ſuper caput ordinandi ad Epiſcopatum, Græci etiamnum obſeruant, vt videre eſt in eorum Euchologio, in ipſo ferè initio ſeruandi ritus in ordinatione Epiſcopi. Ibi enim Pontifex conſecrator explicat, id eſt apertum tenet Euangelium, & manum etiam admouentibus reliquis Pontificibus, capiti ipſius ordinati imponit, túmque pro eo ſupplex Deum orat, vt iugum Euangelicum dignè ſuſcipiat.

In ordinatione Preſbyteri, liber ipſe Euangelij ei non imponitur; ſed in Romana Eccleſia nihilominùs declaratur ipſum initiatum Sacerdotio, ad munus quoque prædicationis aſſumi; monet etenim Epiſcopus ordinandum, *ipſum oportere prædicare.* Et in præfatione ſeu præliminari ad Deum deprecatione obnixè orat, *vt eos in vicem 72. Diſcipulorum ſublegere velit, quos ſuaui prouidentia vnigeniti ſui Apoſtolis addidit fidei Doctores, qui totum orbem ſecundis prædicationibus impleuerunt.* Succinit Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, eo in more Eccleſia Orientalis; nam in ritu ſeruando in ordinatione Preſbyteri, qui in Euchologio deſcribitur, ſignatum extat; in ſecreta quæ prima eſt pro initiando oratione, *vt Deo complaceat ingentem gratiam Spiritus ſancti promouendo Preſbytero infundere, vt in ipſo tam magno Sacerdotali honore, veritatis ſuæ verbum ſanctificare valeat*, id eſt in ſpiritu ſanctitatis Euangelium Chriſti prædicare, & expreſſiùs in poſteriori prece ſic ſupplicat: *Deus in virtute magnus, intellectu inueſtigabilis, & mirabilis in conſiliis ſuper filios hominum &c. Iſtum quem tibi Preſbyterij gradum ſubire complacuit, dono ſancti tui ſpiritus adimple, vt inculpatè ſancto tuo altari dignus fiat,* REGNI TVI EVANGELIVM ANNVNCIARE, *veritatis tuæ verbum ſanctificare, dona & hoſtias ſpirituales tibi offerre* &c. Ex qua obſeruatione fit perſpectum, ipſum Euangelium pro ſuſcepti muneris debito, à Preſbytero veritatem Dei ſanctificante, ſeu glorificante, & ſuperno nutu iuſſúque diſſeminante ſcientiam ſalutis, eſſe prædicandum. Et ideo rectiſſimè à ſancto Ambroſio ſacrum ipſum Codicem diuinorum eloquiorum appellari *librum Sacerdotalem*, & à ſancto Dionyſio, *ſubſtantiam Sacerdotij noſtri.*

§. II.

A Concionatore ſedulò meditandus.

OFFICIVM igitur primarium Sacerdotis eſt, in huius libri ſacratiſſimi perenni meditatione verſari. Ideo in Preſbyterorum ordinatione Eccleſia voce Pontificis ordinantis, Deum enixè orat, *vt in Dei lege, die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur.* Hoc zelo diuinam legem perpeti ſtudio meditandi, quantùm exarſerint Moſaici Sacerdotes, eruditorum nemo eſt *Pſal. 1. 2.*

qui neſciat. Referunt Thalmudiſtæ, hac de re inſigne Rabbi Iſmaelis dictum, qui à ſororis filio rogatus liceré-ne ſibi Græcorum ſiue Gentilium, iam ſcripta legere, poſtquam Moyſis legem percepiſſet? Reſpondit *eam ſolam alus ſcientiis & diſciplinis quam legi, impendendam eſſe horam, quæ nec ad diem pertineret, nec ad noctem*. Spectauit vt reor Hebræorum ille Magiſter, ad Regij prophetæ oraculum, qui Pſal. 1. viri pij iuſtíque dotes deſcribens, inter has recenſet iugem illam meditationem diuinæ legis, *In lege Domini* (inquit) *voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte*. Ita vt (magnus ait Baſilius*) non inueniat vllum ſpatium, quo ad futiles cogitationes euagari poſſit. Conſulit adoleſcentibus qui ad lauream poëtices peruenire cupiunt, inſignis quidam artis huius ſectator, eorum qui in ea excelluerunt, opificia,

*Reg. 306. in breuior. b.

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

Horat. de arte poët.

Siquis ad Sacerdotalis ſcientiæ magiſterium aſpirat, & cathedras Eccleſiæ cum laude & fructu geſtit aliquando conſcendere, ſciat non alia ſibi via patere ſacros ad ſuggeſtus aditum, quàm ſedula Scripturæ ſacræ lectione & meditatione: *Scrutamini ſcripturas*, (ait Dominus Ioan. 5. 39.) *illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Vrget ad hoc intentiſſimum ſtudium vehementer vas electionis Paulus dilectum ſuum Timotheum, in quo vno omnes Dei Miniſtros inſtituit. *Tu verò* (inquit, 2. epiſt. 3. 14.) *permane in iis quæ didiciſti & credita ſunt tibi, & quia ab infantia ſacras litteras nôſti quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: hæc meditare, in iis eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus; attende tibi & doctrinæ inſta in illis. O Timóthee depoſitum cuſtodi!* O Epiſcope, ô Sacerdos, ô Doctor! (ſubiungit condecenti nexu Vincentius Lerinenſis) *Talentum doctrinæ ſacræ & fidei Catholicæ tibi creditum conſerua! aurum accepiſti, aurum redde, nec plumbum nec ærumenta ſuppanas.* (vt ſunt poëtarum figmenta, Philoſophorum ſophiſmata, oratorum nugæ, hæreticorum blaſphemiæ) *Eadem quæ didiciſti* (in Euangelij ſcilicet diſcipulatu & Eccleſiæ ſchola) *ita doce, adorna, illuſtra, vt cùm dicas nouè, non dicas noua*. Nam profanæ ſunt in Chriſtiana doctrina heterodoxæ vocum nouitates: tametſi (vt Dominus ait) *omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, è theſauro ſuo* (qui Scripturæ diuinitùs inſpiratæ penus eſt) *profert noua & vetera*.

1. Timoth. 4. 13. Ibid. 6. 20.

Matth. 13. 52.

Theſaurus iſte *in quo ſunt omnes* diuitiæ *ſapientiæ & ſcientiæ* Dei reconditæ, Verbum Dei eſt incarnatum, hoc eſt *magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*: cuius ſcientia & doctrina hominibus reuelata, in veteri & nouo Teſtamento repoſita eſt. hinc ait Dominus diſcipulis ſuis (Matth. 13.) *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo &c. præ gaudio vadit & vendit vniuerſa quæ habet & emit agrum illum. Theſaurus iſte* (ait S. Gregorius) *cœleſte eſt deſiderium*, id eſt Chriſtus *deſideratus collium æternorum: Ager verò in quo abſconditur, diſciplina ſtudij cœleſtis*: ſeu vt ait S. Hieronymus lib. 2. comment. in Matth. cap. 13. *Regnum cœlorum prædicatio Euangelij eſt, & no-*

Coloſſ. 2. 3.

1. Tim. 3. 16.

Hom. 11. in Eu.

Geneſ. 49. 26.

titia ſcripturarum. Ad hanc igitur ſcientiam comparandam, qui Euangelicæ prædicationis miniſterium dignè & fructuosè vt debent exequi cupiunt: omnia vendere debent, agrum vt illum ſibi queant acquirere; ſcilicet omnes eò vertere mentis cogitationes, nec ſudoribus, nec laboribus parcere, inſtare omni tempore, lectione, ſtudio, oratione huic ſibi comparando theſauro: *Scripturæ enim vel exigua cognitio* (ait magnus Auguſtinus) *toti humanæ philoſophiæ præferenda eſt*; imò omnibus mundi diuitiis ac honoribus, rebúſque quibus videtur ineſſe voluptas quædam & gloria, infinito eſt interuallo anteponenda. Vniuerſa ſunt enim contemnenda, modò theſaurus iſte comparetur. Quædam verò ſunt media, quibus acquiri poſſe, ſancti Patres ſuo experimento docuerunt; *Lib. 2 de Geneſ. ad litteram.*

I. Eſt *fides. Scripturarum enim intellectus* (ait S. Auguſtinus) *eſt fidei præmium*; Et ideo Apoſtolus dicit Timotheo, *ſacras litteras quas à puero didicit, poſſe eum inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* *Serm. 51. de verbis Domini, in Ioan. Euang.*

II. Eſt *humilitas*; hinc Domini ad Patrem inſigne illud ſuſpirium: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis? ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Scitè igitur ait S. Gregorius, *Scripturam ſacram fluuium eſſe profundum, in quo natat agnus, & elephas mergitur, Deus* enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Rectè quoque S. Auguſtinus lib. 2. de Doctr. chriſt. c. 41. *Cogitat* (inquit) *ſcripturæ ſtudioſus, illud Apoſtolicum, Scientia inflat, charitas ædificat, illudque Chriſti: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, vt in humili charitate radicati & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, altitudo & profundum crucis Domini.* Quia nimirùm hoc eſt verbum abbreuiatum: nam ſcire omnia, nihil aliud eſt quàm *Chriſtum ſcire crucifixum.* Totius ſcripturæ veteris & noui Teſtamenti, hoc vnum ſubiectum eſt & prædicatum. *Matth. 11. 25.* *Præfat. in lib. Moral.* *Iac. 4. 6.* *1 Cor. 8. 1.* *Matth. 11. 29.* *Epheſ. 3. 18.* *1. Cor. 2. 2.*

III. Eſt *puritas cordis. Scripturarum enim intellectum impedit mens impia, & impura*, ait S. Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Apoſtoli.

IV.* Eſt *mortificatio. Plus enim* (ait verè Caſſianus) *in vitiis extirpandis quàm libris euoluendis operæ ponendum eſſe: quod iis expulſis confeſtim cordis oculi cæleſte lumen admittentes, ſublato velamine paſſionum, Sacramenta ſcripturarum naturaliter* * *incipiant contemplari.* * *mirabiliter*

V. Eſt *oratio. Iuſtus enim* (ait auctor Eccleſiaſtici c. 39.) *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur: Aperiet os ſuum in oratione & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ &c.* Piè & præclarè ait S. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. Dei, c. 13. *Scripturas nemo intelligit, qui linguam qua ſcriptæ ſunt, ignorat.* Dictauit eas Spiritus ſanctus; igneas linguas vt eas interpretarentur Apoſtolis indidit. Ab eo igitur intellectus ſcripturarum petendus eſt, vt rectè intelligi poſſint, & verè explicari.

VI. Medium eſt *lectio* & in lectione & meditatione *exercitatio aſſidua.* Idem Sanctus Auguſtinus ſolerter petit, cur cùm Deus auctor ſcripturæ *lux ſit, & tenebræ in eo non ſint vllæ*, ſermo eius qui litteris *Tract. 1. expoſit. ſuper Euangel. Ioan.* *1. Ioan. 1. 5.*

ſacris inſcriptus eſt, adeo tamen obſcurus ſit? Reſpondet autem Scripturarum ſacrarum obſcuritatem, propter noſtram exercitationem relictam eſſe. Porro ep. 2. ad Voluſianum de hac re practicè loquens, & proprio experimento edoctus, *Tanta eſt* (inquit) *Chriſtianarum profunditas Scripturarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte ætate, vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Præter fidem enim tam multa, támque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant, tantáque non ſolùm in verbis, verùm etiam in rebus latet altitudo ſapientiæ, vt animoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat: quod eadem ſcriptura quodam loco habet: cùm conſummauerit homo tunc incipiet.*

Eccli. 18. 6.

Quæ ratio inſigniores Eccleſiæ Patres tanto ardore inflammauit, vt certatim ſtudio ſacrarum litterarum ſeſe totos dederint, atque ab ipſa iuuentute intenderint earum lectioni, meditationi, interpretationi, & ſubinde prædicationi.

1. De Origene, auctor eſt Euſebius, eum iam inde à puero ſtudium illud inchoâſſe; ſolitúmque patri (poſteà Martyri) in dies ſingulos, ſententias aliquot ſacras è memoria, velut diurnum penſum reddere. Neque iis contentum, altiſſimas etiam earum notiones & ſenſa perueſtigare & interrogare cœpiſſe. At cùm adultior factus eſſet, cathedráque donatus, perdius & pernox cœpta proſecutus eſt. Qua de cauſa Hebræam linguam perdidicit, & toto orbe conquiſitas variorum interpretum verſiones collegit, & primus nouo exemplo Hexapla & Octapla immenſo labore elucubrauit, ſcholiíſque illuſtrauit, dignus (ſi à næuis expurgetur) qui poſteà ſingulari elogio dictus ſit PRIMVS ECCLESIÆ POST APOSTOLOS MAGISTER.

2. & 3. Non minùs felici enixu, ſingulare decus præcellentis notitiæ ſacrarum Scripturarum adepti ſunt SS. Baſilius & Gregorius Nazianzenus, qui ad Monaſterij ſolitudinem, quietem, otiúmque confugientes ipſos tredecim annos, remotis omnibus Græcorum ſæcularium libris, ſoli diuinæ Scripturæ ſcrutandæ, intelligendæ, illuſtrandæ operam dederunt; qua via eò progreſſi ſunt, vt Baſilius quidem merito cognomentum Magni, Gregorius verò per ſingularem excellentiam Theologi titulum conſecuti ſint, quo etiamnum benedicta illorum memoria honoratur.

Ruff. lib. 11. hiſt. c. 9.

4. S. Ambroſius, admirabile illud ſapientiæ Chriſtianæ, ſanctitatíſque portentum, huic eidem ſtudio non tantùm vigens valénſque, iugiter inſudauit, ſed & ſeneſcens eidem continuè incumbere adeóque immori voluit: *nam vſque ad vltimam ægritudinem ſuam* (ait Paulinus *) *non ceſſauit vnquam ſcribere, commentari, & prædicando & ſcribendo exponere ſacras litteras*, ac denique commentationi Pſal 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, immortuus eſt: vnde & commentarium in eum inabſolutum reliquit, duobus eius vltimis verſibus intactis. Quo tempore ſphæra ignea cœlitus demiſſa, caput eius cingens & allambens, euidens ſignum & teſtimonium dedit, hoſce eius inſignes commentarios, totque igneos ſermones à Deo non tantùm proba-

* in eius vita.

ri, ſed & diuinitus aſpiratos ac ſuggeſtos fuiſſe.

5. S. Hieronymus ſui æui phœnix & miraculum, incredibili ardore eidem ſtudio ab ipſa ineunte ætate ſe applicuit. Romæ enim adoleſcens baptizatus & in liberalibus diſciplinis à Donato & aliis viris doctiſſimis copioſè eruditus, diſcendi deſiderio Galliam noſtram peragrauit, vbi pios aliquot & diuinis litteris eruditos viros coluit, multóſque ſacros libros ſua manu deſcripſit. Móxque ſe in Græciam conferens, (iam philoſophiâ & eloquentiâ inſigniter inſtructus) ſummorum Theologorum ſeſe conſuetudini & obſeruantiæ addixit. Gregorio autem Nazianzeno maximè adhæſit, quo Doctore ſe ſacras litteras didiciſſe paſſim profitetur: ex cuius diſciplina maiori cupiditate ſapientiæ huius incenſus, ſéque in ſolitudinem Palæſtinæ recipiens, tanta vi animi eum in ſcopum contendit, vt in hoc labore ad extremam vſque canitiem conſenuerit, atque ex Hebræo Latinam Bibliorum verſionem conſignârit Eccleſiæ, quæ proinde eum *in exponendis ſacris Scripturis Doctorem maximum*, in ipſa felicis eius depoſitionis ad Deum oratione, honorificentiſſimè denominat.

6. Porrò S. Ioannes Chryſoſtomus ille Orientalis Eccleſiæ ſol ſplendidiſſimus, qua ratione tantum ad faſtigium ſapientiæ & eloquentiæ ſacræ conſcenderit, ipſe candidè declarat in præfatione ſuper Epiſtolam ad Romanos: *Neque enim* (ait) *quæ ſcimus, ſi quid ſcimus, ab ingenij bonitate atque acumine ſcimus, ſed quòd erga hunc virum* (B. Apoſtolum Paulum intelligit) *impensè affecti, ab illius lectione nunquam diſcedimus.* Hinc in eius elogio, Catholica Romana Eccleſia, magnificam hanc eius nominis commendationem enunciat: *Multitudinem, pietatem, ac ſplendorem concionum, cæterorúmque eius ſcriptorum, interpretandi etiam rationem & inhærentem ſententiæ ſacrorum librorum explanationem, omnes admirantur, dignúmque exiſtimant cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirificè coluit, ſcribenti & prædicanti multa dictâſſe videatur.*

7. De S. Auguſtino iam præfati ſumus; imò potiùs ipſe, quàm feruenti æſtu animi viriúmque ingenij contentione huic ſtudio, ac ſtrenuo labori incubuerit vſque ad extremum vitæ ſpiritum, propriis verbis edixit. Quamobrem ſuperfluum puto, hìc minutiùs explicare, quo titulo iuréque, DOCTORIS ECCLESIÆ PRÆCIPVI cognomentum promeruerit.

8. Audiendus de ſeipſo Venerabilis Beda, alter ſuæ ætatis Auguſtinus: *Ego* (inquit in præfatione hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ) *ſeptennis monaſterium ingreſſus, ibi tota vita omnem meditandis Scripturis operam dedi, atque inter obſeruantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.* Hinc in omnes penè Scripturæ libros Bedæ extant commentaria præſtantiſſima, perpluréſque homiliæ & conciones, ſucco Scripturarum ſacrarum plenæ: quas etiamnum Eccleſia diuinis in præconiis recitat, ingenti cum eius nominis celebritate, nec minori cum audientium fructu.

9. S. Bernardi eodem in ſtudio gloriam, abſit vt hìc ſilendo prætere-

eam. Sanctus hic Abbas, Galliæ noſtræ ſingulare decus, Catholicæ Eccleſiæ ætate ſua præcipuum lumen ac columen, cœleſti ſapientia & mellea facundia quam omnes mirantur, excelluit; ipſe verò de ſe paſſim dictitabat, ſe in ſacræ Scripturæ ſcientia, *non alios quàm fagos & quercus magiſtros habuiſſe*, inter quas nimirum orando & meditando, omnem ſub ſe poſitam & expoſitam vidiſſe ſacram Scripturam. Conſulendus idem ſanctus Pater ſerm. 37. in Cant. vbi quomodo ipſius Scripturæ ſacræ notitiam ac intelligentiam quiſquam aſſequi poſſit, breuiter ac nitidè docet.

Vita S. Bern. l. 1. c. 4. & lib. 3. c. 5.

10. Hoc noſtro proximè ſuperiori ſæculo claruit mirâ pietatis ac ſanctimoniæ gloriâ S. Carolus Borromæus, nouus Mediolanenſium Ambroſius, qui inter potiora ſuę Epiſcopalis ſollicitudinis officia, ſacrę Scripturæ lectionem ac meditationem ſuis Clericis & Sacerdotibus, potiſſimùm verò paſtorali animarum curæ adſtrictis, tam verbo quàm exemplo ſtudioſè commendauit: ſolebat enim ipſe eam aſſiduè & voluere & populo ſuo explanare, ídque tanto ſtudio, deuotione, ac reuerentia; vt ſub vltimis vitæ ſuæ annis, ſanctam Scripturam, quaſi ipſiſſimas Dei ad homines litteras nonniſi nudo capite & genibus flexis venerabundus lectitaret: memor ſcilicet Auguſtiniani huius oraculi, *Quæ Scriptura docet, Deus dicit*, lib. 13. Confeſſ. c. 29.* ideóque in Scripturæ lectione non ſolùm quod dicitur, ſed etiam à quo dicitur eſſe obſeruandum, propterea cum timore & reuerentia illam eſſe ſcrutandam. At de eius lectione & meditatione iam ſatis ſupérque.

**Item cont. Priſcill. & Origen.*

§. III.

Vnicè profitendus.

DE eius profeſſione Sacerdoti propria, iam pauca quidem, ſed propoſito ſatis conſentanea noſtro ſupereſt ire ſubiunctum. Tritum eſt S. Ambroſij dictum, *Si eſt Sacerdos, ſciat legem Domini*, ſine qua ſcientia nomen ipſum Sacerdotis nulla ratione ſubſiſtere poſſe, S. Hieronymus aſſeuerat in epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdot. qui rurſus in Aggæum Prophetam, *Sacerdotis eſt ſcire legem Domini, & ad interrogationem reſpondere de lege*; De cuius proferenda ſcientia, magna ei contumelia eſt (ait S. Gregorius hom. 29. in Euang.) à quoquam admoneri, hoc enim genuinum eius eſt officium. Cùm Paulus & Silas eſſent Philippis, *Factum eſt* (inquit Lucas qui aderat *) *euntibus nobis adorationem, puellam quandam habentem ſpiritum pythonem obuiare nobis &c. Hæc ſubſecuta Paulum & nos, clamabat dicens; iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis?* Illuſtre hoc erat muneris Apoſtolici præconium, quod ſpiritus ipſe nequam efferre publicè à Spiritu ſancto coactus ac compulſus eſt; *Verum enim hoc erat teſtimonium* (ait S. Auguſtinus l. 2. de Doct. Chr.) *quod Apoſtolis Domini perhibuit.* Idipſum eorum etiam ſucceſſoribus competit, qui in verbo Dei & doctrina laborant; ſunt enim omnes ſerui Dei excelſi, & ab eo conſtituti ſunt ad annunciandum hominibus viam ſalutis. Non ad inanem philoſophiam iactan-

** Act. 16. 16.*

iactandam, non ad eloquentiam oſtendendam, non ad curioſa & vana effutienda: ſed ad verbum veritatis cum ſinceritate tractandum, ad homines ad fidem & pœnitentiam excitandum, ad eos in pietate & iuſtitia edocendum, vno verbo ad Chriſti euangelium prædicandum. Quæ cauſa eſt huius ſolennis ritus Eccleſiæ, quòd cùm iuxta Apoſtolum nemo *prædicare poſſit niſi mittatur:* ita etiam nullus in pulpitum ad plebem docendum publicè admittatur, quin priùs fuſis ante altare precibus, & ſupplex ac genuflexus coram Prælato Eccleſiæ, vel eius gerente vices, licentiam prædicandi popoſcerit, dicit enim *Iube Domne benedicere.* cui tum Præſes Eccleſiæ bene precando ait, *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis ad dignè & competenter annunciandum populo ſuo ſanctum Euangelium pacis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; Amen.* Hæc formula benedictionis paucis quidem verbis exprimitur, ſed iis tamen quæ præciſè & dilucidè miſſionem & officium continent prædicatoris, finémque verum indicant Concionis, quæ tota Euangelica & planè Apoſtolica eſſe debet, vt Deo grata, prædicatori meritoria, & auditoribus ſalutifera eſſe poſſit. Rom. 10.

§. IV.

Solidè ac perſpicuè prædicandus.

AT iam de fine Concionis ſacræ, ſuprà vbi de prudentiæ actibus actum, ſatis copioſè diximus: de modo etiam, vbi ſanctorum Patrum hac de re protulimus perinſignem ſeriem, eximia documenta & exempla, infráque iterum de modo & forma prædicandi à ſacris canonibus præſcripta dicendum erit. Obiter igitur hîc quædam cenſemus annotanda. Præſes Eccleſiæ cùm benedictionem poſtulanti concionatori, licentiámque prædicandi publicè impertitur, orat diuinam clementiam, ſuo vt præconi dignetur adeſſe, gratiam eius infundendo cordi atque ori, ad *dignè* & *competenter* prædicandum populo ſuo ſanctum Euangelium pacis. Duo hæc aduerbia maximi momenti monita comprehendunt.

Dignè ſiquidem prædicare nihil eſt aliud quàm quod Apoſtolus vas electionis, Timotheo ſuo ſummopere commendat; *Sollicitè* (inquit) *cura teipſum exhibere Deo operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis*, hoc eſt recta intentione, & puro ore ac animo. vbi vulgata habet *inconfuſibilem*, Græcè eſt ἀνεπαίσχυντον, qui non pudefiat, vel erubeſcat prædicare *Chriſtum, & hunc crucifixum.* Mutare ſciat vocem ſuam, non grandia loqui, quamuis ſit doctiſſimus & eloquentiſſimus: ſed humilibus conſentire, ad eorum captum ſeſe accommodare vſque ad fidei rudimenta, ad Catecheſim Chriſtianam, qua potiſſimùm plebs indiget deſcendere, & omnibus omnia fieri, vt omnes lucrifaciat. Aliter paululùm explicat inconfuſibilem S. Anſelmus, id eſt (inquit) quem non confundat, non pudore afficiat ſua ignorantia, mala vita aut doctrina, ſed talis vt ſit quem non pudeat, Doctorem veritatis & deſtructorem peccati, ſuaſorémque virtutis & iuſtitiæ, vindi- 2. Tim. 2. 15. 1. Cor. 2. 2.

cémque diuinæ legis & gloriæ, profiteri & agere. Addere liceat, qui metu humano non corripiatur, ſed Euangelium cum magna in Deum fiducia, poteſtatibus ipſis & principibus huius ſæculi intrepidè annunciet; illis placere non ſtudeat, ſed veritatem ſine hæſitatione dicat, eóſque de peccatis vt oportet & quando opus eſt, reprehendat: vt

Pſal. 118. 46. dicere poſſit cum Propheta, *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* Obteſtatur Timotheum Apoſtolus vt prædicando, Chriſti exemplum ſequatur, mundi huius magnatibus neutiquam blandiendo & aſſentiendo, ſed pro veritate & iuſtitia teſtimo-

1. Tim. 6. 13. nium ferendo irrefragabile. *Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine macula.* Quale mandatum? illud ſcilicet quod

Ioan. 18. 37. Chriſtus à Patre accepit, & Pilato ſignificauit dicens, *Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Illud

Matth. 28. 19. 20. inquam ipſum mandatum, quod Apoſtolis ſuis iniunxit, *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis: ite, prædicate Euangelium meum.*

Competenter autem, non tam Euangeliſtæ perſonam, quàm auditorum eius ſpectat, *Bonum eſt* inquiunt *quod conuenit;* at verò conuenit audientibus Euangelicam Concionem, vt prædicator ſolidè ac perſpicuè diuinum verbum eloquatur. Si enim leuiter thema Euangelicum tractauerit, in auras tenues facilè euaneſcet quicquid pro ſuggeſtu, ſplendido potiùs ſermone, quàm ſolida diſſertatione enunciā-

Act. 17. 18. rit, audiétque *Seminiuerbius*, potiuſquàm Eccleſiæ Doctor in fide & veritate: ſi obſcurè autem ea quæ prædicat edixerit, labori & oneri erit audientibus plus quàm ſolatio atque documento. Tritum eſt dictum illud priſci ſapientis, *loquere vt te videam?* Qui verò ambiguè & intricatè loquitur, ſtylóque ſcabritioſo, ac tenebricoſo verba facit, mentem potiùs ſuam occultat quàm aperit, & ſuos magis obcæcat quàm illuſtrat auditores. At verò prædicator Euangelij lucem cum pace ferre debet, caliginémque omnem ignorantiæ & peccati, ſplendore doctrinæ quam annunciat, de mentibus ſuorum diſcipulorum diſcutere,

Pſal. 118. 105. vt impleat ipſius diuini verbi elogium, *Lucerna pedibus meis Domine verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Monet fideles princeps Apoſtolorum Petrus, vt eo mentis oculo verbum Dei excipiant, quo nocte lumen

2. Pet. 1. 19. lampadis accenſæ ſolent corporaliter intueri. *Et habemus firmiorem* (inquit) *Propheticum ſermonem* (Euangelicus etenim prophetico longè admodum eſt præſtantior) *cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies* (hoc eſt fides) *eluceſcat, & lucifer* (nempe Chriſtus, ſtella matutina, & ſol iuſtitiæ) *oriatur in cordibus veſtris.* In hoc igitur debet prædicator quanta vi poteſt, intendere vt clarè & dilucidè proponat ſuis auditoribus verbum Dei, memor officij ſui; quia vt Diaconi munus eſt purgare: ſic Sacerdotis eſt illuminare animas, quas Epiſcopo perficere pro cumulo ſanctificationis incumbit. Verùm Apoſtolus vbi Timotheum ſuum hortatur, vt ſollicitè curet rectè tractare verbum veritatis, in autographo ſignificantiùs admonet, ſtu-

deat rectè ſecare, digeſtum ire prudenter, ac conuenienter diſtribuere verbum Dei. Certè Platonis inſigne eſt pronunciatum, videlicet dialecticum inſulſum, malum coquum eſſe, eo quòd rectè diuidere non calleat. Et reuera qui publicè dicit, maximè autem Eccleſiaſticus Orator, non ſolùm quaſi peritus coquus, ſed potiùs vt ſympoſiarches & ModImperator debet doctrinam ſuam aptè decentérque proponere. Caueat diligenter oportet, verbum diuinum quod prædicat non mutilare, non diſcerpere, non contra ſenſum torquere, ſed rectè ſecare, diuidere, ſecernere, & quaſi nucem rectè aperire, enucleare & exponere: vt ſcilicet verum ſenſum à falſo, rectum à contorto diſcriminet ac ſecernat, eúmque aptè cuique pro ſuo captu & guſtu exponat & communicet, vt docta doctis, communia rudibus, limpidiora populo promat & proferat. Si igitur iuxta Apoſtoli conſilium vult eſſe in domo Dei *operarius inconfuſibilis, rectè tractans verbum veritatis*, caueat diligenter * ne de nuptiis diſputet apud Virgines, nec apud coniugatos de Virginitate; puſillanimis crudè non obiiciat iudicium & infernum; audacibus & tumidis gloriæ cœleſtis promiſſionem non polliceatur. Et ſic de reliquis, quæ ad prædicandum competenter conferunt ſanctum Euangelium pacis. Rectè non tractat Euangelium quicumque res altas & ſublimes coram puſillis proloquitur; v. g. qui de Trinitate, de prædeſtinatione, de gratia efficaci, vel inefficaci coram mulierculis diſputat, incertáque & occulta ſapientiæ Dei, coram ſimplici plebe tractare præſumit. Quod quantum afferat Eccleſiæ detrimentum, quotidiano ſanè videre licet experimento. * Nota.

CAPVT XVI.

De Scripturæ ſacræ excellentia, ac multiplici vtilitate.

OMNIS *Scriptura diuinitus inſpirata*, (ait ad Timotheum Apoſtolus) *vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ac inſtructus ad omne opus bonum.* 2. Timoth. 3. 16.

Habet argentum venarum ſuarum principium, & auro locus eſt, in quo conflatur. Iob. 28. 1. Si quæras quodnam ſit principium ſacræ Scripturæ? vno verbo reſpondet Apoſtolus, non alium habere auctorem quàm ipſum Deum. *Omnis enim* (ſacra) *ſcriptura* (inquit) *diuinitùs eſt inſpirata*; nec qui eam calamo ſcripſerunt, auctores eius fuerunt, ſed tantùm exceptores: *Voluntate enim humana allata non eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Porrò ſicut Deus eſt auctor & inſpirator Scripturæ, ita per eam loquitur, quotieſcumque ipſa prædicatur vel legitur. Senſatè igitur pridem S. Marcianus apud Theodoretum in Philotheo, rogatus ab Epiſcopis dicere verbum ſalutis, reſpondit non ſine intimo pectoris ſuſpirio & columbino gemitu: *Deus quotidie nobis loquitur per creaturas ſuas & maximè per ſacram Scripturam, & tamen paruum hinc vti-* 2. Pet. 1. 21.

litatem capimus: quî ergo loquens vobis prodero, qui cum aliis amitto hanc vtilitatem? Sed tamen ſunt in Eccleſia ipſo Dei nutu Preſbyteri, qui in verbo & doctrina laborant, populúmque docere ex officio obſtringuntur: quibus niſi id faciant imminet idem periculum quod Apoſtolus formidabat. *Væ mihi niſi euangelizauero*, ſeu vt ait Propheta, *Væ mihi quia tacui*, ſeu *ſi conticuero?* Neceſſitas enim impoſita eſt Epiſcopis & Sacerdotibus prædicandi verbum Dei, illúdque interpretandi & populo exponendi. Bene eſt eis ſi ita Domini talentum multiplicent, tum enim (vt ait Apoſtolus) *duplici honore digni fiunt;* Nam & apud Deum & homines tam ſtrenuo quàm ſalutari labore benedictionem vberem & honorem eximium promerentur. Verùm ſicut in Sacramentis, quorum œconomi ſunt & diſtributores, vnum ab eis potiſſimum exigitur, nempe fidelitas erga Dominum, qui ſua hæc illis bona credidit. *Sic nos exiſtimet homo* (ait Apoſtolus 1. Cor. 4. 1.) *vt miniſtros Christi & diſpenſatores myſteriorum Dei: ſed iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur?* Sic planè & in prædicatione Euangelij, vnum eſt ante omnia ab miniſterij huius perfunctoribus requirendum: ſeriò ſcilicet vt recogitent, cuius ſit verbum illud quod hominibus annunciant, *Si quis loquitur* (ait princeps Apoſtolorum) *tanquam ſermones Dei.* Quod enim Euangelium prædicant, eſt ipſiſſimum verbum, quod ex ore altiſſimi prodiit, eiúſque à ſpiritu, Prophetis, Apoſtolis, & Euangeliſtis dictatum eſt, quin & ore ipſius cœleſtis Patris vnigeniti, prædicatum, & vice ſua Sacerdotibus creditum: *Docete* (inquit) *omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Adſum enim præſentia corporali, quamuis inuiſibili: Adſum ſpiritu, qui vos perenni afflatu ſuo *docebit omnem veritatem*, nec modò vobiſcum ſemper erit, ſed in vobis erit, ideóque non eritis *vos qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquetur in vobis.* Igitur quando Euangelium prædicabitis, perpendite diligenter, non veſtrum eſſe illud Euangelium, ſed meum; verbúmque quod promulgatis, non eſſe humanum ſed diuinum.

Nota. Eapropter erant olim in templis duo ſecretaria, à dextro ſiniſtróque latere abſidis poſita, in quorum altero ſacra Euchariſtia aſſeruabatur, in altero verò reconditi erant ſapientiæ diuinæ (ſcilicet ſacri, propheticæ, Euangelicæ, & Apoſtolicæ ſcripturæ) Codices, vnde S. Paulinus in templo Nolano à ſe erecto, hos verſus ad dexteram inſcribi iuſſit,

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, & qua
Ponitur alma ſacri pompa miniſterij.

Hoſce verò ad leuam,

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Quid verò ſapientiſſimos Eccleſiæ Patres mouerit, vt ad ſanctum altare, corpus Domini & eius Euangelium, cæteráque diuina eloquia coniungerent? ratio ſatis eſt perſpicua: nimirum quòd vtrumque eſſe noſſent rationalis animæ proprium alimentum, & vtrumque diuinum,

ac à fonte æternæ bonitatis in nos defluens beneficium, ídque maximum & inæſtimabile. De diſpenſatione magni pietatis Sacramenti, quod manifeſtatum eſt in carne, ſub panis & vini ſpeciebus obuelata : verè ſed aculeatè magnus Orientalis Eccleſiæ Homiliaſtes Chryſoſtomus, ad Sacerdotes ait *. *Ad vos ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis. Non parua vobis imminet vltio, ſi quemquam vllius culpæ conſcium, huius menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur. Propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis, hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona.* A ſimili habent verbi diuini diſpenſatores conſiderare, quanto cum metu & reuerentia Chriſti Euangelium prædicare ipſos condeceat. Voces enim quas audiunt è throno diuinæ ſapientiæ, quáſque populo refundunt, *Sunt voces Dei, non hominis :* & non modica eos pœna manet, ſi vel oſcitanter audiant, vel ſegniter hæc oracula ſibi credita eloquantur. Maior verò longè imminet vltio, ſi ſua non Dei verba proferant, in ſacro Eccleſiæ ſuggeſtu. *Fabulæ in ore laici, meræ nugæ ſunt: at in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* Si quis igitur Sacerdos adulterat verbum Dei, & tanto loco abuſus, non Dei myſteria, mandata, promiſſa, iudicia, ſed inuenta ſua, vel ſapientiæ mundi commenta, artificiáque diſſeminat: eiuſmodi næniæ, erunt eius in ore quaſi blaſphemiæ, reúſque fiet coram Deo ſacrilegij & idololatriæ, quòd vertat cathedram veritatis in vanitatis proſtibulum, & verbum Dei ſuper omnia pretioſum aſpernando, carnalis ſcientiæ idolum in Eccleſia erigat. Quid enim hoc eſt facere? *niſi abominationem deſolationis ponere in loco ſancto?* faciendo nimirum *de domo Dei ſpeluncam latronum.* Sic enim verbum Dei aboletur, & ſpiritui gratiæ & veritatis contumelia irrogatur. Certè abhorret Chriſtus profanas eiuſmodi cathedras in domo patris ſui: quamobrem *eas euertit*, & abutentes loco ſacro tam fœda nundinatione, hinc eiecit cum improperio & flagello. Sic interminatur verbi ſui contemptoribus ac Euangelij ſui deſertoribus, in alia quàm ſcientia ſalutis gloriantibus, Oſee 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* At abſit vt tantum malum ſuſpicari poſſim, de iis qui ſacro ore corpus ſanguinémque Domini conficiunt, quíque viua Spiritus ſancti oracula ſunt: nam nuncij æternæ ſalutis, per miniſterium Euangelij (quod eis ad prædicandum creditum eſt) præcipuo gratiæ Dei munere ſunt conſtituti. Expectamus de eis longè viciniora ſaluti, quamobrem eos dumtaxat commonefacimus, vt hortatus Apoſtolici memores ſint, *ſi quis loquitur, tanquam ſermones Dei.* In geſtis Origenis apud Euſebium legimus tunc adhuc morem veterem ab Hebræis defluentem fuiſſe obſeruatum, vt Sacerdos antequam concionaretur, librum ſacri eloquij acciperet à lectore, ac ſine delectu loci, aperiens Codicem, quæ fortuitò occurrebant populo perlegeret, móxque interpretaretur : ſcilicet vt hoc ritu Sacerdos admoneretur, non aliud ei licere in Eccleſia loqui, quàm ſacro-ſanctum Dei verbum, viderétque populus ex pura ſcatebra Euangelij (Eccleſia interprete) fidei iuſtitiæque Chriſtianæ ſumi

* *Hom. 60. ad popul. Antiochenum.*

S. Bern. de Conſ.

præconium, éxque Scriptura diuinitus inſpirata, doctrinam quàm Sacerdos annunciat, ab ipſo delibari. Felicem ſanè Sacerdotis ſortem, cui datum ſit vocem eſſe æterni verbi, ac Spiritûs S. animatum oraculum! Legati Sedis Apoſtolicæ antequam Synodos auſpicentur, commonitoria ſibi data à Pontifice Chriſti Vicario legebant, vt non ſe quæ dicebant ſuo è cerebro fingere viderentur. hinc phraſis illa vſitatiſſima; *Si habent mandata proferant, quibus nitantur?* *In Chalced. Conc. act. 16.* *Pro Chriſto legatione fungimur* (ait Apoſtolus) *tanquam Deo exhortante per nos.* Inſtructiones noſtræ, ſunt ipſa Dei eloquia. Hoc noſtrum munus ac decus eſt, ab ipſo Deo quæ reliquos doceamus, tanta dignatione edoceri. Non Apollinem ex tripode conſulit Euangelicus prædicator, ſed Deum ipſum, clariùs multo & certiùs quàm ex veteri arca è medio Cherubim audit refértque proloquentem: *Omnis enim ſcriptura* (quam legit è ſacro Codice & exponit, iuxta Eccleſiæ ſenſum,) *eſt diuinitùs inſpirata*, ad inſtructionem animarum, in ordine ad ſalutem.

Eáque ratio eſt cur tam ſit vtilis & efficax ad docendum. Hanc vtilitatem S. Auguſtinus in fine lib. 2. de Doct. Chriſt. graphicè exponit & mirificè commendat. *Quantùm* (inquit) *minor eſt auri, argenti, veſtiſque copia, quam de Ægypto Hebræus populus abſtulit, præ diuitiis quas poſteà Hieroſolymæ, maximè ſub Salomone, conſecutus eſt: Tanta eſt etiam cuncta ſcientia vtilis, collecta ex libris gentium, ſi diuinarum Scripturarum ſcientiæ comparetur: Nam quicquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; & cùm ibi quiſque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit: multo abundantiùs ibi inueniet ea, quæ nuſquam omnino alibi, ſed in illarum tantummodò ſcripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.* Ancillantur enim illi quaſi dominæ & reginæ omnes liberales diſciplinæ, omnes linguæ, omnes ſcientiæ atque artes, quæ certis ſingulæ terminis continentur. Sacra autem hæc ſcientia ambit omnia, complectitur vniuerſa, omniúmque vſum ſuo iure ſibi aſſumit, vt proinde quaſi omnium perfectiſſima, omnium finis & ſcopus vltimo loco veniat addiſcenda. Hinc doctos ſui temporis ſcribit ſanctus Hieronymus ad Paulinum, *ad ſcripturas ſanctas, non niſi poſt ſæculares litteras venire;* Quarum omnium ſummus apex, in ipſis ſacris litteris tantùm inuenitur. *Vtilis eſt* igitur plus quàm omnes ſcientiæ, artes, & diſciplinæ ſæculares AD DOCENDVM, ſcilicet SANAM DOCTRINAM, SCIENTIAM SANCTORVM, verámque ſapientiam.

Vtilis eſt etiam ad ARGVENDVM: nam officium ipſius Scripturæ ſacræ profeſſoris proprium eſt, arguere & reprehendere ſuos auditores, vt pater filios, vt magiſter diſcipulos: ſed vbi Apoſtolus monet Timotheum (& in eo omnem alium diuini verbi præconem) ſuos vt arguat auditores: Græcè pro verbo, *argue*, legitur ἔλεγξον, id eſt argumentis conuince; eos nimirùm qui contradicunt veritati, Euangelio repugnant, & ſacris hortatibus atque conſiliis, ex ſacrario diuini verbi depromptis pertinaciter obſiſtunt: quales erant Iudæi, Ethnici, ſúntque etiamnùm hæretici, ſchiſmatici; etiámque Catholici, ſuis in prauis habitibus innutriti, atque in peccato quique ſuo grauiori peruicaces.

AD CORRIPIENDVM. S. Ambroſius legit ad *redintegrandum*, procul-dubiò quàm appoſitè: officium eſt enim prædicatoris Euangelici, peccatores vocare ad pœnitentiam. Porrò effectus pœnitentiæ (quæ ſecunda eſt poſt naufragium tabula) eſt reſtituere lapſos fideles in priſtinum ſtatum gratiæ; ideóque Sacramentum pœnitentiæ ſolum eſt poſt baptiſmum, quo gratia prima confertur, vel reſtituitur, per alia enim Sacramenta tantùm conſeruatur vel augetur.

Vtilis eſt inſuper Scriptura ſacra AD ERVDIENDVM IN IVSTITIA. Scitè & eleganter Bernardus Theodidactus, ſerm. 22. in Cantica: *Vbinam quæſo vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? vbi vera iuſtitia niſi de Chriſti miſericordia? vbi vera temperantia, niſi in Chriſti vita? vbi vera fortitudo niſi in Chriſti paſſione? Quæ omnia ſcilicet in Scriptura ſacra ſuggeruntur, quæ omnis iuſtitiæ regula & virtutum ſeminarium eſt.* Vbi legimus 3. Reg. 6. Salomonem in templo ſculpſiſſe Cherubim & palmas, operuiſſéque omnia laminis aureis, opere quadro ad regulam: interpres quidam rectè ait, per Cherubim quod exponitur plenitudo ſcientiæ, & palmas quæ ſemper ſunt virentes, & laminas aureas, intelligendam eſſe Scripturam ſacram, quam perpetuam regulam iuſtitiæ Chriſtus in Eccleſia eſſe voluit, in hac enim omnium virtutum dimenſiones & menſuræ continentur, quæ in quadro expreſſæ ſunt: quia in Euangelio omnis ratio veritatis, iuſtitiæ regula & virtutum documenta ac exempla ſunt (mediante Eccleſiæ conſenſu & iudicio) præſcripta. At infelicis Achan * qui regulam abſcondit, vnde magnum ipſi & populo accidit exitium, eſt hîc quòd exemplum peſſimum, à quibuſdam qui officium prædicationis vſurpant, noſtris temporibus renouari doleamus. Regulam enim iuſtitiæ nónne abſcondunt, qui ſuos inanes conceptus populo prædicant; eloquentiæ humanæ, in auditorio ſacro ſpecioſos ſpargunt floſculos; quæſtiones, quo ingenij oſtentent acumen, pleraſque mouent vel futiles, vel admodum inutiles? Cæterùm Scripturam quæ malleus eſt cordium conterens petras, gladius vlcera vitiorum pungens & diſſecans, medicina liniens & ſanans vulnera, lux veritatis proferens ſplendorem, ſemen omnem in anima germinans virtutem, nubes gratiæ rorem influens, ignis charitatem accendens, prætermittunt vel occultant, non ſine graui Dei iniuria, animarum pernicie, ſuóque ipſorum extremo periculo. Non ſic Apoſtolus magnus veritatis prædicator & vas electionis, qui fidelibus dicebat: *Ad vos peruenimus in Euangelio Chriſti &c. Spem habentes creſcentis fidei veſtræ: in vobis magnificari ſecundùm regulam noſtram &c. Euangelizare non in aliena regula, in iis quæ præparata ſunt gloriari. Sed qui hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia Dei.*

* *Ioſue* 7. 11

2. *Cor.* 10. 15. 16.

Gal. 6. 16.

Denique *vtilis eſt Scriptura omnis diuinitus inſpirata, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Mira eſt ad panopliam Chriſtiani hominis inſtruendam, verbi Dei virtus & efficacia! Nam ex lectione, vel prædicatione Scripturarum (quæ *ad noſtram* conſolationem & *vtilitatem ſcriptæ ſunt*) omnibus malis medela, & ad omne bonum excitamentum elici poteſt. Quamobrem ſcitè Origenes

Rom. 15. 4.

mannæ cœleſti ſimilem eſſe diuinam ipſam Scripturam inſinuat hom. 7. in Exod. *Si tu* (inquit) *verbum Dei tota fide & deuotione ſuſceperis, fiet tibi ipſum verbum quæcunque deſideras. v. g. ſi tribularis conſolatur te dicens, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit: ſi lætaris pro ſpe futura, cumulat tibi gaudium dicens, lætamini in Domino & exultate iuſti: ſi iracundus es, mitigat te dicens, deſine ab ira & derelinque furorem: ſi in doloribus es, ſanat te dicens, Dominus ſanat omnes languores tuos: ſi paupertate conſumeris, conſolatur te dicens, Dominus alleuat de terra inopem: ſic ergo manna verbi Dei reddit in ore ſuo ſaporem quemcumque volueris.* Et S. Auguſtinus epiſt. ad

ep. 2. Voluſianum, de eadem Scriptura loquens: *Hic ſalubriter* (ait) *& praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando neſcit eam eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.* Nec minùs ſapidè & ſcienter S. Gregorius lib. 18. Moral. c. 14. ad illud Iob: *Habet argentum venarum ſuarum principia. Argentum* (inquit) *eſt eloquij, vel ſapientiæ claritas, venæ ſacra Scriptura, ac ſi apertè dicat, Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt vt cauſarum origines à ſacris paginis ſumat, vt omne quod loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, atque in eo locutionis ſuæ formet ædificium.* Qui ſanctorum Patrum conciones & alia monimenta peruoluerit, perenne hoc in eis ſtudium facilè deprehendet. In quibus præter plenam ſcripturarum cognitionem, ſuſpicere licet ſermonem ſtylúmque non tam Scriptura ſacra infertum, quàm concinna quadam catena nexum, & contextum, mirabili quodam doctrinæ & pietatis, in iis pariter conſpirantis, artificio.

Verùm ſapientiſſimi Patres neceſſitatem & vtilitatem ſacræ paginæ apprimè nouerant, nec neſcij erant humanam ignorantiam nonniſi diuina ſapientia poſſe ſanari; porrò vberrimè in ipſa ſcriptura inueniri, quæ menti humanæ irradiandæ, & mouendæ voluntati ad omne bonum, oblectandæque etiam pura & vera lætitia, conducibilia eſſe poſſunt.

1. Eſt enim ipſa Scriptura diuinitùs inſpirata, theſaurus copioſus, & valde ſapidum, nec minùs efficax ad vitam animæ rationalis, alimentum. Quòd theſaurus ſit pretioſiſſimus, os aureum Ioannes hom. 3. in Geneſim, aſſeuerat: *Meritò* (ait) *theſauro confertur diuinarum litterarum lectio: Nam in Scriptura ſacra, indicibiles diuitias inuenire licet; idcirco mærentem & afflictatam in triduo mortis Christi Eccleſiam adhuc paruulam & non habentem vbera, volens Spiritus ſanctus conſolari, intromiſit eam in*

* ad illud 1. Cant. *Introduxit me rex in cellam vinariã.* *cellam ſuam vinariam. Id eſt* (ait magnus Ambroſius*) *in omnia interiora myſteria diſpenſationis Christi; dedit ei claues, vt aperiret ſibi theſauros ſcientiæ Sacramentorum, clauſas anteà fores panderet, cognoſceret quieſcentis gratiam, defuncti ſomnum, virtutem reſurgentis.* Porro docuit nos expreſſiſſimè Chriſtus, quòd ipſa diuina Scriptura ſit proprium animæ alimentum: *Non ex ſolo pane* (inquit) *viuit homo, ſed ex omni verbo quod*

Matth. 4. 4. *procedit de ore Dei.* De pane ad eſcam hoc transferens oraculum ſanctus Auguſtinus ſerm. 112. de tempore: *Sicut de carnalibus eſcis* (ait) *alitur caro, ita ex diuinis eloquiis interior homo nutritur & alitur, ſicut Pſal-*

Pſalmiſta inquit, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.

II. Hinc ipſa Scriptura à præfato S. Ambroſio dicitur ager ille delicioſus, in quem Iſaac ad meditandum diſceſſit. Quò ſpectans Ailredus, ſuauiſſima hæc verba ad Chriſtum euibrat: *Quoties mihi, Ieſu bone! dies vergit in veſperam, quoties paruæ alicui conſolationi quaſi luci diuinæ intolerabilis dolor velut nocturna caligo ſuccedit, vertuntur, in faſtidium opera, oneri ſunt cuncta quæ video; ſi quis loquitur vix audio vix ſentio, in modum ſilicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena ſiccatur. Quid tunc? Ecce certè ad meditandum in agrum,* SACRVM *reuoluo* CODICEM, *cùm ſubitò mihi occurrens Rebecca, ſcilicet gratia tua Ieſu bone, ſua luce tenebras diſcutit, pellit faſtidium, duritatem frangit, non ſuſpiriis cedunt lacrymæ, & lacrymas cœleſte gaudium comitatur. Infelices! quos cùm triſtitia æquè perturbat, non hunc agrum ingrediuntur, vt gaudeant.* *Geneſ. 24.*

III. Nec ager amœnus tantummodò, at hortus etiam floridus & fœcundus. Deliciatur hac in cogitatione ſæpe iam laudatus Ambroſius: *Paradiſus eſt* (inquit) *Geneſis liber, in quo virtutes pullulant Patriarcharum. Paradiſus Deuteronomium, in quo legis præcepta germinant. Paradiſus Euangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ ſpei mandata ad omnes populos diffunduntur.* *Lib. 4. epp. ep. 31. ad Sabinum*

IV. *Cella* etiam *vinaria* eſt, vinum promens è quo germinantur virgines. Philo Carpathius: *Dum legit diuina mandata anima fidelis, & meditatur diuinas Scripturas, ex eis fructu ſuauiſſimo paſcitur, & intima quadam animi ſuauitate repletur, adeo vt in cellam vinariam* (hoc eſt in arcana diuinitatis contemplanda) *ſæpè rapiatur, indéque ſic edocta, voluptates omnes rerum omnium humanarum facillimè abominatur ac fugit.* Eodem ſpectat illud ſancti Chryſoſtomi, hom. 22. ad popul. *Verſare ſemper* (inquit) *in diuinis Scripturis; ſicut enim vinum dum bibitur, triſtitiam ſedat & cor commutat in lætitiam: ſic & ſpirituale vinum dum bibitur, in lætitiam animam conuertit.* *Cantic. 2. 4.*

V. Eſt *puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu ex Libano:* hìc venuſtè more ſuo Origenes; *Nuſquam receditur à puteis, nunquam deſiſtitur ab aquis; Rebecca inuenitur ad puteum; & Iacob ad puteum venit, & ibi inuenit Rachel; ſed & Moyſes ad puteum inuenit Sephoram filiam Raguel. An putas ſemper caſu contingere vt Patriarchæ ad puteos veniant? & ad aquas coniugia ſortiantur?* Mox verò reſpondet: *Sanctorum nuptias dico coniunctionem eſſe animæ cum Verbo: hanc autem coniunctionem non aliter fieri poſſe niſi per inſtructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur; ad quos ſi quis veniat, & hauriat etiam ab his aquas: id eſt meditando in hos ſenſum, intellectum percipiat altiorem, inueniet nuptias Deo dignas, coniungitur enim anima eius cum Deo.* *ibid. 4. verſ. 15.*

VI. Ros eſt etiam ſermo diuinus: *Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Rore quid ſuauius? quid tranquillius? imò quid dulcius, quando & mella parit? lætitia eſt ſegetum, camporum riſus, florum alimentum. Verbo Dei ſcripto, lecto, prædicato, credito, roris hæc elogia conueniunt, hoc enim quicquid ſuaue, pulchrum aut delicioſum eſt, in ſinu Eccleſiæ, animæque fidelis viſceribus generatur & fouetur. *Deut. 32. 2.*

VII. *Odor eſt agri pleni cui benedixit Dominus*, Geneſ. 27. Nihil inter naturæ gazas pulchrius campo mille & mille florum pigmentis variegato: nihil etiam ſuaueolentius. Ex veſtimentis ſponſi exhalari eiuſmodi fragrantiam, vates ait diuinus, *Myrrha* (inquit) *& caſia à veſtimentis tuis.* Nemo poteſt excipere eximias has exhalationes, niſi cui Spiritus ſanctus nares aperit ad Chriſtum, ſub littera Scripturæ latentem, ſubodorandum. *Da amantem & ſentit quod dico, da deſiderantem, da feruentem, da in lege Dei die, noctéque meditantem, da talem & ſcit quid loquor?* Currebant in odorem horum vnguentorum SS. Patres, qui perenni ſtudio ſacræ Scripturæ incumbebant, non frigora, non ieiunia, non æſtus ſentiebant, abrepti huius lectionis & meditationis ſuauitate, ac incredibili, quæ de myſteriis hîc reconditis redolet, fragrantiâ.

Pſal. 44

S. Aug. tract. 26. in Ioan. poſt init.

VIII. *Lectulus* præterea dicitur diuinæ Scripturæ Codex ſacratiſſimus: vnde Theodoretus ad lectulum Salomonis, de quo fit mentio in Canticis Cantic. *Lectum verò vt arbitror* (inquit) *appellat diuinam Scripturam, in qua & ſponſus & ſponſa conquieſcentes, mutuò ſpiritus conſuetudine coniunguntur. At ſponſus quidem prabet verbi ſemina, ſponſa autem illa ſuſcipiens concipit, & fert in vtero, & parturit, & clamat cum propheta; propter timorem tuum Domine in vtero concepimus & parturiuimus & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ, quem geſtauimus ſuper terram.* Vicem tenet ſponſi illius myſtici prædicator Euangelicus, qui ſpiritum ſalutis per ſemen verbi vitæ, è diuinorum librorum penu deſumptum, mentibus fidelium infundit. Niſi verbum igitur diuinum diſſeminet, ſed ſuas inuentiones profundat; ſalutis ſpiritum influere, eorum cordibus non poteſt.

Cant. 1. 16. & 3. 7.

Cæterùm in immenſum pelagus delabimur, quò enim ampliùs de Scripturæ ſacræ excellentia & vtilitate diſſerimus, eò magis creſcit materia diſſerendi: quamobrem vela cimbæ noſtræ neceſſariò contrahimus, paucíſque vt verbis epilogus lemmatis huius concludatur, eximiam ſententiam Philonis Carpathij præfati, operæ pretium hic retexendam arbitramur: *Incredibile eſt* (inquit) *neſcienti, quàm ſuaue ſit de Deo Opt. Max. ex ſacris litteris meditari & loqui; in his enim legendis peccatores de propriis erratis admonentur, quoquo modo ſe caſtigent, corrigant, ac emendent, apertiſſimè docentur, & quicquid homines alter alteri vel dicere verentur, vel ignorant; hoc ſacræ litteræ & ſanctiſſimè audent, & vberrimè nouerunt. Ex his guttur noſtræ mentis in Deum, admirabili dulcedine repletur.*

Quæ cauſa eſt, cur ſatis admirari nequeam, qui fieri poſſit, vt præcones ipſi Eccleſiaſtici, ſtudio ſacræ Scripturæ neglecto, in ſæculares toti litteras diuagantur? Haud mirum igitur ex aduerſo ſi nec ſibi proſunt, nec populo proficiunt, eo carentes ſpiritu, eo apparatu, quo deberent eſſe penitus inſtructi. Appoſitè hanc in rem facit Anaſtaſij Synaitæ luculenta ſententia, quæſt. 78. ex iis quas in ſacram fecit Scripturam: *Quamobrem* (inquit) *quicumque ſunt imperiti diuinarum Scripturarum, non poſſunt eſſe patres-familias, vt qui neque à ſe habeant, neque ab aliis accipiant, ſed ſeipſos decipiant pereuntes fame ignorationis. Nam quomodo fieri poteſt, vt terra non irrigata, etiamſi millies in eam deiiciantur ſe-*

mina, ſpicas ferat? Ita etiam fieri non poteſt vt animus diuinis Scripturis non irrigatus, etiamſi quiſpiam mille verba effundat, vllum fructum oſtendat. Malum ergo, malum eſt (præſertim ſacro Concionatori) *ignorare Scripturas. Hinc germinauit magna peſtis hæreſeon, hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio dæmonis.*

De Scripturæ ſacræ tamen abuſu, noſtra hac tempeſtate nimis vſitato, eſſet reuera quòd hîc non inconuenienter nonnulla ſubiicerem. Sed prolixa iam huius operis ſeries, mihi remoram iam aliàs fatiſcenti iniicit. Pauca igitur dumtaxat hîc attexenda eſſe reor. Obiter iam meminimus regulæ illius aureæ quinquaginta Siclorum, quam concupiſcens abſtulit & in terra abſcondit Achan, eapropter lapidibus obrutus, Ioſue 7. Allegoriam exhinc duxit pulcherrimam Stephanus Cantuarienſis in allegoriis, à Tilmanno recenſitus: *Aurea regula eſt* (inquit) *ſapientia, qua vitam noſtram quaſi regula lineam in rectum dirigit: hanc furatur qui ſapientiam ad aliud retorquet, quàm ſibi datur à Domino.*

Prodiit ſuperiori anno in lucem eximius liber Toloſæ, cui titulus eſt, *Idea Cœtûs Concionatoribus informandis addicti, ad munus ſuum in Domino, ex voto Eccleſiæ, & ita vt oportet eos loqui, obeundum**. In quo doctus admodùm & pius auctor (qui ſe Logotimum inſcribit, ſuppreſſo ex affectu humilitatis proprio nomine **) ſtrenuè elaborat, indicandis vitiis quæ ſæculi prauitate in ſacro ſanctæ prædicationis miniſterium (proh dolor!) irrepſerunt: adhibendíſque remediis, quibus illa animarum pernicies amoueatur, concionatorúmque ac auditorum ſaluti, vera & ſincera diſciplina prædicationis Euangelicæ poſtliminiò tandem aliquando reſtituta, Concionatorum inſtituto informandorum prout oportet, cœtu, ac velut ſeminario, iri queat proſpectum. Inſpecto opuſculo quod demum Auctor ipſe tum Pariſiis degens, promouendi ſui propoſiti deſideriô, amico cuidam pro ſua dignatione dedit, ingenti gaudio affectus ſum, ipſúmq; opus quod auidè perlegi, & auctoris propoſitum ſummopere commendaui, illíque ipſi ſubinde ingenuè confeſſus ſum me ferè de eodem ſubiecto tractare impræſentiarùm, verùm nihil obeſſe quin intentum ipſe ſuum perſequeretur, non enim eadem via me cum eo incedere, quamuis in eundem contenderem terminum; ſiquidem in votis nihil me quoque habere magis quàm Apoſtolicum prædicationis munus videre aliquando nitori ſuo reſtitutum; Panopliam at verò me cudere Sacerdotalem, cuius pars non minima ſit, Concionatorem inſtruere, ad hanc Apoſtolicam militiam. Id me aggreſſum ex inſtituto, & eò vſque iam progreſſum eſſe, vt pauca quædam capitula contexenda ſupereſſent, abſoluendo operi, quod ex intimis rei quam tractabam principiis elucubratum propediem, fauente Deo, typis me mandaturum ſperâbam. Hocce verò meum opus ſuis optatis ſuccenturiaturum: nam vbi cœtus, ſeu ſeminarium, quod ipſe meditabatur, adhuc non inſtitutum foret, aut conſtitui præ loci anguſtia, vel temporis difficultate non poſſet, librum hunc ſubſidio futurum, ipſum ſiquidem fore quaſi ambulatorium ſeminarium, & portatile gymnaſium ſacræ huius profeſſionis, in quo quid facere,

**Col.* 44.

** Deprehendi poſtmodum hunc eſſe D. de Cambolas, Doctorem Theologum in Academia Tholoſana, ibidémque nuper ad ſancti Saturnini Canonicum: multorum aliorum opuſculorum parentem, qui nunc Pariſiis propoſitum perſequens ſuũ, de ſeminario excitando, pro inſtituendis verbi Dei concionatoribus iuxta doctrinæ ſuæ theoremata, ſedem fixit. At vereor ne dum laudabili adeo conatu contendit in hunc pium finẽ, SS. Apoſtolis quorum ſpiritu feruet, iure æquiparari poſſit, de quibus ait S. Luc. Act. 5. 13. *Magnificabat eos populus, ſed nemo audebat ſe adiungere illis.* Collaudant enim plerique hoc eximium eius ſtudium, ſed nemo illum adiuuat, nec dat ei, vt olim Petrus, Iacobus & Ioannes, Paulo & Barnabæ, *manus aſſociationis.*

quid fugere, quid ſcire, quid docere, & quatenùs ſibi hoc in munere ſit agendum, eius candidati perdiſcerent. Annuit vir optimus his dictis meis, cœptíſque viciſſim congratulatus, opus vt ſuſceptum perficerem quantocyùs benignè me admonuit, dum ipſe ſuum intentum ſedula cura, nec ſegni operâ promoueret.

Interim eſt hîc, quòd lectorem noſtrum moneamus, vt præſignatam illam Ideam, à pio illo & erudito auctore expreſſam, perluſtrare haud inane ſibi fore operæ pretium exiſtimet (dignus eſt enim totus tractatus qui legatur): ſed maximè perlegere velit lib. 1. qui eſt *de deprauato concionandi modo*, ſignatim verò cap. 4. *quo fertur iudicium de prædicatoribus huius temporis*, & quod potiſſimum ad rem præſentem facit cap. 5. *Quomodo ſe quidam Concionatores circa ſacram Scripturam gerant?* necnon lib. 2. quo auctor de remediis diſſerit huius mali, prudenter ſanè & eruditè. His enim ſub titulis, lector pleraque inueniet legitimo vſui ſacræ Scripturæ, & prædicationis officio conducibilia, & ſedula obſeruatione non minus quàm ſeria lectione, proculdubiò digniſſima.

CAPVT XVII.

De doctrina ſanctorum Patrum à prædicatore vigili ſtudio veſtiganda, atque in Concione inſtanter & honorificè, Christiano populo proponenda.

ORATOREM Eccleſiaſticum docere, qui Chriſtianum populum doceat ex officio, temerarium non immeritò videretur, ſi proprio id iure præſumerem: ſed cùm ad Scripturam illum remitto, Patréſque illum adire & ambire ſuadeo præceptores, haud eſt quòd verear, à quoquam pio & prudente æquè me poſſe temeritatis inſimulari. Multis ambagibus hîc illum non morabor: nihil enim exigam, niſi quod olim in Nepotiano, florentis ætatis & maturi meriti in ipſa ferè adoleſcentia Preſbytero, maximus Eccleſiæ doctor (vt decus ordini Sacerdotali proprium) inſigni ſacræ memoriæ elogio commendauit: *Lacrymas Deo* (inquit) *non hominibus offerebat &c. ſermo eius &c. de ſcripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpondere verecundè, recta ſuſcipere, praua non acriter confutare; diſputantem magis contra ſe docere quàm vincere, & ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius eſſet ſimpliciter confiteri, atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando, eruditiſſimus habebatur: illud aiebat Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij eſt; ſic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Ambroſius &c. lectionéque aſſidua & meditatione diuturna pectus ſuum* BIBLIOTHECAM *fecerat Chriſti.*

S. Hieron. in epitaph. Nepotiani.

Hoc vnum in Prædicatore ſacro exigimus, vtque nôrit dicere, & non inaniter vſurpare, denſum illud mole quidem, ſed diſcretione

& ſucco plenum ſanctorum Patrum præconium, quod ſingulis proprium decus attribuit. Pridem ab Apollinari Sidonio, inſigni iudicio pronunciatum, enixè peroptamus: *Oratores Romani veterum Rhetorum & philoſophorum ſpeciales dotes, inſigni hac attributorum clauſula iactitabant; ſentit vt Pythagoras, diuidit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Ariſtoteles, vt Æſchines blanditur, vt Demoſthenes iraſcitur; vernat vt Hortenſius, incitat vt Curio, moratur vt Fabius, ſimulat vt Craßus, dißimulat vt Cæſar, ſuadet vt Cato, diſſuadet vt Apius, perſuadet vt Tullius.* Quibus præfatus Sidonius hanc Patrum Eccleſiæ coronam, pretioſis micantem gemmis cuique illorum propriis, mirâ mentis ſolertiâ, ac ſublimi ingenij acumine reponit: *Iam ſi ad ſacro-ſanctos Patres pro comparatione veniatur, inſtruit vt Hieronymus, deſtruit vt Lactantius, aſtruit vt Auguſtinus, attollitur vt Hilarius, ſummittitur vt Ioannes, vt Baſilius corripit, vt Gregorius conſolatur, vt Oroſius affluit, vt Ruffinus ſtringitur, vt Euſebius narrat, vt Eucherius ſollicitat, vt Paulinus prouocat, vt Ambroſius perſeuerat.* Vtinam ſingula hæc Patrum decora Concionatores noſtri pio ambitu contenderent æmulari! non eſſet certè cur oratores Chriſtianos hoc tempore deſideraremus, quo ſæculares in Eccleſiarum cathedris ſub fucato titulo & vmbra, intuemur ac patimur. Geſtio prorumpere ex intimo dolore animi in alta profectò ſuſpiria, dum iuuenum SS. Patres ſpernentium, miſerandam deſidiam vel proiectam audaciam attonitus conſpicio: proſiliunt in ſacra pulpita Catholicæ Eccleſiæ non quidem Euangeliſtæ, ſed oratores, cauſidici, pompaticè eloquentes, *ſubtilia multa tractantes* (vt verbis magni Auguſtini tract. 45. in Ioan. poſt initium, inhæream) *diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſimè concludentes, ſuam ſapientiam buccis crepantibus ventilantes.* De lege, de Prophetis, de Euangelio vix modicum verbum, de Patribus mirum ſilentium.

Lib. 3. ep. 3. ad Claudianum poſt med.

Me hîc deficiunt verba præ gemitu. Quamobrem præmemoratum Logotimum nuperum quidem Concionatorum Pædagogum, at prudentiſſimum Cenſorem, meam hîc vicem ſubire precor, ſuámque pro mea vocem interponere, luctuoſum Patrum neglectum, quo paſſim laborant, nec minùs aculeata expreſſione deplorantem. Querula hæc igitur, ſed iuſta piáque ſimul ac neceſſaria eius eſt aduerſus eos expoſtulatio, qui SS. Patres nedum citare in cathedra, ſed nequidem in muſeolo legere meditaríque ad diſcendum, vel docendum dignantur.

Spiritus ille diuinus (inquit) *de ſumma æternitatis arce, omnibus hominibus proſpiciens, quæ ſingulis in quolibet ſæculo appoſita ſunt, vt virtutibus vitam ſuam excolant, & vt Deum ſinceræ mentis affectu diligant, & tandem beatitudinem ob quam conditi ſunt, aſſequantur, in Scriptura ſacra & in SS. Patrum monimentis, quæ illius ſunt interpretamenta, plus quàm etiam neceſſum fuerat coacernauit. Hic propendet omnis armatura fortium ad hoſtes debellandos, hic pharmaca omnia reconduntur ad vitia curanda &c. hîc fornax, ex qua globi ignei ad cordis duritiem expugnandam, hîc apotheca ampliſſima, ex qua omnia ad vitam, victum, robúrque ac Chriſtianæ pietatis perfectionem præ-*

ſente & ſemper inexhauſto ſubſidio ad placitum & abſque faſtidio deſumantur. Quid ergo his ſpretis, aliis inhiabimus? an non potiùs ex iis contra vitia inſtruamus aciem &c. ex his pharmacis quæ ſingulis morbis curandis magis valent, ſeligentes remedia conficiamus. Denique ex hac panoplia ſagittas, globos, haſtilia depromamus, quibus feriatur cor & lethale vulnus in peccati ſui necem infligatur. Nolim tamen negare quin liceat ſymbolum aliquod de ſuo conferre, dummodò quod adducitur genium ſpiret & ſpiritum redoleat ſanctæ Scripturæ & SS. Patrum.

Porrò hi de quibus nunc agimus Concionatores, huicne lectioni SS. Patrum toti incumbunt & inſtant in illa? Nec enim res eſt quæ exiguo tempore confici poſſit, ſed totius ferè vitæ negotium inuigilantiæ, dum illos legunt, vt ſpiritum illorum imbuant, ſenſane, cogitatus, affectus, motus illorum, denique genium diuinum & mirabile in ſe transferre ſatagunt? hoc ſanè ſi fieret idipſum profectò eructarent loquentes quod SS. Patres, ſcilicet docerent populos veritatem ſincerè, nitidè, ſecluſis ambagibus & tricis, fucis, inuolucriſque verborum, ad virtutem, Dei amorem & cultum ſalutiſque perennem curam ex charitate, zelóque flammeo accenderent, geſtum quoque corporis & omnem exterioris hominis apparatum ad modeſtiam & grauitatem quæ decet miniſtros Dei ad SS. Patrum exemplar componerent, nihil ſibi pompaticum aut mundiale permittentes: Denique verbis vterentur non ad auram popularem aucupandam concinnatis, ſed ignitis ad animæ ſenſum potiùs quàm ad aurium lenocinium comparandis, vno verbo verbis Dei ipſiuſmet ore vel prolatis, vel ſi loqui dignaretur proferendis. Verumenimverò potéſtne cuiquam vel parum in SS. Patrum lectione verſato ſuccurrere, ipſos, & aëreas haſce cogitationes quas aliquando audimus in pulpitis perſonare, & has exquiſitas & futiles quas vocant ratiocinationum concatenationes, adeóque ieiunos à Scriptura diſcurſus, populis deprompſiſſe. Cæterùm quis Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum & alios, hac geſtuum, motuum & corporis liberioris oſtentatione, nihilque diuinum prorſus, ſed merè humanum, vel etiam mundanum & ſæculare quodpiam ſpirante agitatione ſolitos fuiſſe concionari, poſſit vel in ſomnio comminiſci? Vellem equidem vt seriò ſuper his ſuam ipſi conſulerent interiùs conſcientiam, & iuſta iudicij ſui ſtatera, hæc omnia, hi de quibus nunc agitur ponderarent. Hæc Logotimus: qui paulò antè de SS. Patrum ſpiritu, ſcriptis & eorum vtilitate hæc piè & præclarè admonuerat. *Sanctos Patres nobis ſenſa & praxes ſanctæ Scripturæ non ſolùm commendáſſe, verùm etiam dilucide explanáſſe, & ad minutiſſima quæque Chriſtianæ conuerſationis opera, ſingulorúmque ſtatum, & quidem feliciùs, copioſiùs & fructuoſiùs quàm per nos fieri poſſet accommodáſſe. Tum verò diuino ſpiritu afflante, zelóque vrgente animarum, tanta ex proprio Scripturæ tamen ſanctæ genio, ſtylóque perſæpe, & aſtantibus populis deprompſiſſe, & ad poſteros vel tanquam partus ſuos à ſe dum viuerent in lucem editos, vel poſthumos, ab aliis tranſmittenda curaſſe; in iis autem quis dubitet inexhauſtum tam diſcurſuum & ratiocinationum, quàm motuum & adhortationum theſaurum adeo altè infoſſum fuiſſe, vt quaſi ſuperfluum videri poſſit, ſi quis alia ex proprio ſenſu & penu in medium afferre laboret, ignorare verò ſe eos apertè conuincatur qui vel meliora, vel fortiora, vel cuique rei aut cordi aptiora, vel fini ſuo, cultus nempe Dei animarúmque ſaluti conducibiliora ex proprio ingenio, velut ex vberiori ſolo eruere ſe poſſe præſumat.*

Maioribus adeo cordi fuit, doctrinæ Patrum in Concione commendatio, vt in Quini-ſexta Synodo canon hic fuerit promulgatus (can. 19.) *Ne Epiſcopi doceant quæ nimiam continent digreſsionem, ſed ea quæ à SS. Patribus ſunt tradita.* In Vaſenſi II. Concilio can. 2. *Ægrotante Preſbytero, fas eſſe ſtatutum eſt Diaconis, ſanctorum Patrum homilias publicè recitare, aliáſque eorumdem expoſitiones.* Vincentius Lerinenſis in libello aureo *contra profanas vocum nouitates*, vult depoſitum hoc eſſe Sacerdotibus diuinitùs creditum, vt ſeruent fidem Patrum intemeratam, illorúmque ſint ſententiarum & totius doctrinæ feruentiſſimi cuſtodes: cætera enim quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, vt à ſacra fide, Eccleſia, religione, aliena, ſedulò fugienda eſſe: id eſt vocum, dogmatum, rerum, ſententiarum, & conſequenter ſermonum nouitates.

CAPVT XVIII.

Vti licere ſacro Concionatori, humanæ litteraturæ apparatu: ſed quaſi adminiculo dumtaxat, verbo Dei, & traditioni Eccleſiæ, doctrinæque Patrum inhærenti, tanquam fundamentali principio.

SI quis tamen ex præmiſſis illatum ire volet, me Concionatorem intra arctos nimis cancellos conſtringere: eò ſcilicet adactum, vt ſola ſacræ Scripturæ ſcientiâ, Patrum doctrinâ, Eccleſiæque decretis & ritibus tantùm vti poſſit, in ſacræ prædicationis officio exequendo, me profectò iniuria afficere tentabit, nihil minùs cogitantem, quàm oratorem Eccleſiaſticum in has anguſtias detrudere. Vti poſſe enim cenſeo ſæcularis ſcientiæ diſciplinis, at non abuti; vſum eſſe in recto modo vtendi, abuſum in obliquo, ſeu etiam in quouis exceſſu vel defectu: fas eſſe ſiquidem Doctori Euangelico ſæcularis eruditionis adminicula adhibere in aſſerendæ fidei & iuſtitiæ Chriſtianæ ſubſidium; nefas autem eiuſmodi acceſſorium tranſuertere in locum vicémque principalis, diuinúmque lumen Euangelicæ veritatis, nebulis humanæ ſapientiæ ſæculariſque eruditionis offundere.

Amatiuſculè dictum à Tertulliano nolim ire inficias lib. de reſurrect. carnis, *Quòd ipſæ hæreſes à Philoſophia ſubornantur, & ſi hæreticis auferantur, quæcumque hæretici ſapiunt, & de ſolis Scripturis ſuas quæſtiones ſiſtant, ſtare non poſſe.* Vera enim Philoſophia fidei Chriſtianæ non repugnat; quamobrem nec reiicit Apoſtolus omnem philoſophiam, ſed vanam tantùm & ſophiſticam: *Videte* (inquit) *ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam &c. ſecundùm elementa mundi & non ſecundùm Chriſtum.* Coloſ. 2. 8. Qua de re doctè & ſapienter diſſerit S. Irenæus lib. 2. cont. hæreſ. c. 9. vbi ſigillatim oſtendit hæreſes im-

pietatéſque, quæ tum vigebant, à Philoſophorum quos nominatim deſignat axiomatibus, ſeu potiùs paradoxis, ortas eſſe: ſed non ideo Apoſtolus omnem damnat humanam ſcientiam, & litteraturam, imò neque Philoſophiam, niſi quæ fallit & veritati contradicit, fidem euacuat & à Chriſto abducit; atque per mores perditos in ſenſum reprobum ac damnationem homines præcipitat. alias *Zenam legis peritum*, vt *fidelem* non commendaſſet: *Lucam Medicum*, Græco ſermone eloquentem, in indiuiduum comitem non aſſumpſiſſet, neque idoneum cenſuiſſet qui ſcriberet Euangelium, quod ſuum paſſim vocitat; Poëtas ipſe non citâſſet in ſuorum dictorum ſuffragium, Dionyſium Areopagitam, inſignem Philoſophum cùm Chriſto nomen dedit, abrenunciare philoſophiæ (qua deinde cæteríſque ſcientiis in obſequium fidei feliciter vſus eſt) coëgiſſet.

Tit. 3. 13. Coloſſ. 4. 14.

Sanè Patres in hanc ſententiam pleraque diſputârunt; at ſemper in eum deuenerunt conſenſum, non modò innoxiè poſſe ſcientiam ſæcularem diſci, & cum fide Chriſtiana retineri; ſed etiam hinc vtilitatem multiplicem religioni & Eccleſiæ prouenire: hinc enim arma ſumi ad fidei confirmationem & impietatis ac hereſeωn refutationem: petita enim ab aduerſariis teſtimonia ad fidem tuendam, & debellandam perfidiam validiora ſunt. Experimento ſuo cùm hoc perſenſiſſet Iulianus Apoſtata, edicto vetuit, ne Chriſtiani Gentilium libros legerent, neque in poëſi, oratoria arte, philoſophia, cæteríſque diſciplinis humanis inſtituerentur. Qua de lege vt planè tyrannica SS. Patres Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, & Cyrillus Alexandrinus lib. 7. contra eundem non immeritò conqueruntur, litteráſque humanas in veræ religionis ſubſidium pariter & ornamentum rectè transſcribi poſſe copioſè demonſtrant, plurimúmque ad deſtructionem idololatriæ & falſæ cuiuſlibet religionis proficere. Idémque ex profeſſo docet Magnus Baſilius orat. *de vtilit. ex Gentilium libris capienda.*

Præclarè S. Auguſtinus hoc ipſum oſtendit lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 40. & lib. 22. cont. Fauſtum c. 91. *Nónne* (inquit) *aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuauiſſimus & Martyr beatiſſimus. Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam.* (ſeipſo videlicet, ac S. Ambroſio, & beato Hieronymo, aliíſque magnis ſui ſæculi luminibus) *Quanto innumerabiles Græci? Quod ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat, de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni ſapientiâ Ægyptiorum.* Idem obſeruat S. Hieronymus de Daniele & eius ſociis; *Si Daniel & tres eius ſocij qui cibis regiis ne pollucrentur veſci noluerunt, in vitio eſſe & contra religionem noſſe doctrinam Chaldæorum, & libros eorum legere exiſtimaſſent, nunquam id facere ſuſtinuiſſent. Ea igitur didicerunt illi, non vt ſequerentur, ſed vt vanitatis & falſitatis atque impietatis conuincerent ac damnarent. Nam ſi quis aduerſus Mathematicorum, quos Genethliacos vocant, dogmata diſputarent, Matheſeωs eorum ignarus, riſui omnium pateret, itaque tres illi pueri ſapientiam Chaldæorum ea mente didicerunt, qua Moſes doctrinas Ægyptiorum didicerat.*

In Daniel. 1. & refertur diſt. 37.

Non

Non hinc abludere putat S. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, factum Hebræorum, qui egredientes de Ægypto, opes Ægyptiorum ſuos in vſus tranſtulerunt: *Quo facto Hebræorum* (inquit) *nos monemur, non eſſe negligendas doctrinarum diuitias, quas Gentes poßident, moralem, naturalémque Philoſophiam, Aſtronomiam, Geometriam, Muſicam, Dialecticam, cæteráſque ſcientias, quibus alieni ab Eccleſia florent, accipere ab illis, ac eiſdem abutentes priuare, ſi poßibile eſt, & in meliores vſus transferre iubemur.* Reprehendebant nonnulli S. Hieronymum (virum ad miraculum vſque doctum, adeo vt iure de eo S. Auguſtinus, præclarum hoc elogium dixerit, *Quod iſte ignorauit, cæteri neſcierunt*) quòd ſcilicet in opuſculis ſuis ſæcularium litterarum interdum poneret exempla, quaſi candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret. At verò acutè & ſapienter reſpondet ſanctus Doctor, ep. 84. tantum abeſſe, vt factum eiuſmodi cedat in aliquod Eccleſiæ detrimentum, quin potiùs ingenti hoc ei ſubſidio & decoro prodeſſe: *Hoc enim* (inquit) *eſt extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare: hoc eſt captiuæ mulieris radere caput, ſupercilia, omnes pilos & vngues corporis amputare, & ſic habere in coniugio. Et vt alibi dicis, Ex vxore fornicaria generare filium Iezrael, qui vocatur ſemen Dei: Nouacula acuta barbam & crura radere peccantium; fornicantis tondere cæſariem.* Idem verò ſubinde affert* multa Latinorum & Græcorum Patrum exempla, qui ſcripta ſua, Ethnicorum ſcriptionibus intermiſcendo, ſtuporem ipſis Ethnicis ſapientibus mira ſua eruditione excitârunt, pérque ſæculi ſcientiam, glorioſè pro fide Chriſti, & cruce decertando triumphârunt. Theodoretus ſubſequenter ſæculi ſui decus præcipuum lib. 1. de Græcor. affect. ſub finem, his ductus exemplis, pleriſque etiam aliis rationibus docet, idem rectè fieri ab eo poſſe, qui cum delectu faciat, ex ſpinis roſas decerpendo, & ex floribus mella, & ex venenatis feris atque ſerpentibus ſalutares medicinas. Eleganter & verè Baſilius magnus, orat. ad adoleſcentes: *Sicut ſolent tinctores vt perfectum purpuræ colorem panno inducant, inferiorem alium colorem ſubtexere, ita ſe habent diſciplinæ ad diuinam ſcientiam.*

Ep. 146.
Oſe. 1. 4.
Eſa. 7. 2.
Ezech. 5. 1.

* *ep. ſup. citata 84. lectu profectò digniſſima.*

Ancillari igitur debent, non imperare. Nam & colores (de quibus olim ex profeſſo ſcripſimus*) ſi extremi ſint, aliis non poſſunt ſubſterni, iiſque congruum ſubminiſtrare fomitem. Modus itaque adhibendus eſt, ſine quo vix fieri poteſt vt ſæcularium eiuſmodi ſcientiarum vſus in Eccleſia quicquam vtilitatis afferre poſſit. Quæ cauſa eſt cur Canones videantur abſolutè prohibere viris Eccleſiaſticis, maximè Sacerdotibus, quibus ex officio plebem docere vias ſalutis incumbit, humanarum litterarum ſtudium, quemadmodum videre licet diſt. 27. Can. 1. qui 16. eſt IV. Concilij Carthag. *Epiſcopus Gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro neceßitate & tempore.* Et can. *Sacerdotes*, eiuſdem diſt. 2. Sacerdotes ipſi ſugillantur, *qui Dei omißis Euangeliis & prophetis, Virgilium tenent, & quod in pueris neceßitatis eſt, crimen in ſe faciunt voluptatis.* Et can. ſeq. *Nónne vobis videtur*, inſimulantur etiam acriter viri ſacri, *qui ſæcularibus occupantur diſciplinis.*

* *In Panoplia Clericali part. 2. lib. 4. à p. 536. ad 619.*

Tamen can. *legimus.* ex S. Ambroſio depromptus, docet ſæculares litteras legendas eſſe, ne ignorentur. Et can. 10. eiuſdem diſt. ex dictis expreſſus S. Hieronymi, ſic habet: *Si quis autem grammaticam nouerit, vel Dialecticam, & rationem rectè loquendi habeat, & inter falſa & vera diiudicet, non improbamus. Geometria quoque, & Arithmetica, & Muſica habent in ſua ſcientia veritatem, ſed non eſt ſcientia illa, ſcientia pietatis. Scientia pietatis eſt noſſe legem, intelligere prophetas, Euangelio credere, Apoſtolos non ignorare.*

Qui hanc ſcientiam nouerit, docendi populi idoneus erit, in qua ſcientia cæteras omnes contineri identidem reperiet. In Conſtit. Apoſtolic. lib. 1. c. 6. S. Clemens idcirco docet, nec hiſtoriam deſiderari in libris Regum, nec ſophiſticam (id eſt eam quæ argutè ad ſapientiam refertur) in Eccleſiaſte & Prouerbiis; nec poëticam in Iob, Prouerbiis & Prophetis; nec cantilenas in Pſalmis; nec vetuſtatem originis in Geneſi, nec leges in Deuteronomio &c. Hunc tramitem ſequendo dicere mihi liceat, omnes ſcientias hac in vna Scripturæ notitia propriis in ſedibus inueniri; Phyſicam in Geneſi, in Iob, & in Eccleſiaſte: Ethicam in Prouerbiis & Eccleſiaſtico per breuiſſimas gnomas & ſententias; Metaphyſicam maximè in Iob & Pſalmis, quibus per hymnos Dei potentia, ſapientia, immenſitas, celebrantur; hiſtoriam & Chronologiam ab ipſo mundi exordio, ad Chriſti vſque tempora in Geneſi, Exodo, libro Ioſue, Iudicum, Regum, Eſdra, Machabæis, hincque à Chriſti ortu in Euangelio & Apoſtolorum Actis. Myſtica Theologia in Canticis, Pſalmis & Apocalypſi. Symbolica in Prophetis; Moralis & Politica ac etiam dogmatica & polemica Theologia in SS. Apoſtolorum Epiſtolis; & quid non denique in tota ſacra Scriptura, Patribus, Conciliis, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, quæ ſunt genuini appendices ipſius Scripturæ diuinitùs inſpiratæ?

Attamen can. *Relatum eſt.* citata diſt. 37. n. 14. documentum eximium ſuggeritur his verbis: *Cùm ex diuinis Scripturis* (ſecundùm veritatem à maioribus traditam) *quis firmam doctrinæ regulam ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat, ita tamen vt vbi vera didicerit, falſa & ſimulata declinet.* Atque hactenùs ſatis de recto & temperato ſcientiæ ſæcularis & litterarum humanarum vſu, à Sacerdote populum docente, ſobriè & prudenter obſeruando.

Nota.

CAPVT XIX.

De modo & forma legitimè prædicandi, Concionatoribus à ſacris Conciliis præſcripta.

ARTICVLVS I.

Ex Concilio Oecumenico Lateranenſi, ſub Innocentio III. cap. 3. cuius eſt titulus, Vt excommunicentur qui ſine licentia prædicant.

*Q*VIA *verò nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem eius (iuxta quod ait Apoſtolus) abnegantes, auctoritatem ſibi vendicant prædicandi, cùm ipſe Apoſtolus dicat: Quomodo prædicabunt niſi mittantur? omnes qui prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur, & niſi quantocyùs reſipuerint alia competenti pœna plectantur.*

Conſonat ſynodica hæc ſanctio cum Can. 33. Concilij III. Conſtantinopolitani, ſeu VI. Generalis, qui ſic habet: *Nulli liceat ex omnibus eorum qui in Clericorum ordinem relati, populo in ſuggeſtu diuinas Scripturas explicare; niſi is Sacerdotali ordine nexus fuerit, & benedictionem à ſuo paſtore canonicè ſuſceperit. Si quis Preſbyter hæc facere deprehenſus fuerit, deponatur &c.*

ARTICVLVS II.

Ex Lateranenſi Concilio incepto ſub Iulio II. at verò abſoluto ſub Leone X. ſeſſ. 11. vbi de officio veri prædicatoris.

QVONIAM *B. Gregorius prædicatores vehementer hortatur, vt dicturi ad populum prudentes cautéque accedant, ne dicendi impetu rapti, verborum erroribus quaſi iaculis audientium corda configant, & cùm ſapientes fortaſſe videri deſiderant, decepti ſperatæ compagem virtutis inſipienter diſcindant; ſæpe namque verborum effectus amittitur,* CVM LOQVACITATE IMPORTVNA, *vel incauta audientium corda leuigantur. Et ſanè in nullo alio hi plebem rudem maiori damno, ſcandalóque afficiunt, quàm cùm vel tacenda prædicant, vel falſa & inutilia docendo eam in errorem inducunt. Quæ quoniam huic ſacræ religioni diuinitùs inſtitutæ, vt noua & aliena, omninò contraria eſſe noſcuntur, graui certè accuratóque ſunt examine digna, ne ſcandalum populo Chriſtiano & ſuorum auctorum ac aliorum animabus intentum pariant. Nos igitur ſanctæ Dei Eccleſiæ vniformitatem, quantum cum Deo poſſumus, poſthabitam reducere & retentam conſeruare cupientes, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, vt nullus tam Clericus ſæcularis, quàm cuiuſcumque etiam mendicantium ordinis*

regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi tam de iure quàm conſuetudine, vel priuilegio, aut aliàs pertinet, ad officium eiuſmodi exercendum admittatur, niſi priùs per ſuperiorem ſuum reſpectiuè diligenter examinatus (in qua re conſcientiam ipſius ſuperioris oneramus) ac morum honeſtate, doctrina, probitate, prudentia & vitæ exemplaritate ad illud aptus & idoneus reperiatur. Et hic quòcumque poſteà prædicaturus acceſſerit, de eiuſmodi examine & idoneitate ſua per litteras authenticas ſeu aliàs ſui examinatoris approbatoriſque, Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis fidem legitimè faciat. Mandantes omnibus qui hoc onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt vt EVANGELICAM VERITATEM, *& ſanctam Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & explanationem Doctorum, quos Eccleſia, vel vſus diuturnus approbauit, legendóſque hactenus ſuſcepit & in futurum recipiet, prædicent & explanent: nec quicquam eius proprio ſenſui contrarium aut diſſonum adiiciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſis ſacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus ritè & ſanè intellectu non diſcordant. Prohibemus inſuper omnibus cuiuſcumque gradus & ordinis exiſtant, ne de cætero in ſermonibus ſuis publicis tempus præfixum futurorum malorum, aduentum Antichriſti, aut certum diem iudicij prædicare, cùm veritas doceat, Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Sed nec alia quæcumque futura ex litteris ſacris conſtanter prædicere, nec illa à Spiritu ſancto, vel diuina reuelatione ſe habuiſſe affirmare, & alienas inanéſque diuinationes aſſeuerando, aut alio quocumque modo tractanda aſſumant, ſed ex diuinæ vocis præcepto,* EVANGELIVM OMNI CREATVRÆ *cum vitiorum deteſtatione & virtutum commendatione enucleent & declarent, & pacem & dilectionem mutuam à redemptore noſtro tantopere commendatam vbique fouentes,* NON SCINDANT VESTEM INCONSVTILEM CHRISTI, *ſed ab Epiſcoporum & Prælatorum, ac aliorum ſuperiorum, eorúmque ſtatus ſcandaloſa detractione, quos coram vulgo & laicis non modò incautè, ſed etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis malè geſtorum expreſſis nominibus, aperta & manifeſta redargutione abſtineant. Denique Conſtitutionem felicis recordationis Clementis V. quæ incipit* RELIGIOSI *&c. quam tenore præſentium innouamus & approbamus, inuiolabiliter ab eis debere obſeruari decernimus, vt hac ratione ad* VTILITATEM *populi prædicantes, & cum Domino lucrifacientes, talentum quod à Domino acceperunt, ſuperlucrari & eiuſdem gratiam & gloriam conſequi mereantur. Si autem quibuſdam forſan Deus futura reuelauerit, quoniam res magni momenti eſt, nec licet facilè omni ſpiritui credere, antequam eiuſmodi reuelationes & inſpirationes publicentur, volumus vt lege ordinaria Apoſtolicæ Sedis examini, aut ſi fieri non poteſt, ordinario loci notificentur, vt adhibitis ſecum quatuor doctis & grauibus viris, huiuſmodi negotio cum eis examinato quando id expedire videbunt (ſuper quo eorum conſcientias oneramus) licentiam concedere poſſint. Aliter præſumentes vltra pœnas à iure ſtatutas, excommunicationis ſententiam, à qua niſi à Romano Pontifice, præterquàm in mortis periculo conſtituti abſolui poſſint, eos incurrere volumus. At vt eorum exemplo alij attentare ſimilia minimè audeant, etiam eis prædicationis officium interdictum eſſe perpetuò decernimus; Non obſtantibus priuilegiis aut indultis & litteris Apoſtolicis, ordinibus & perſonis priuatis etiam in Mari magno comprehenſis, ac*

etiam forſan à nobis approbatis, innouatis, vel etiam de nouo conceßis, quæ quoad hoc nolumus eis in aliquo ſuffragari. Et reſponderunt omnes, Placet. Eadem verbatim renouat Concilium Ratiſbonenſe ſub Laurentio Cardinale c. 1.

ARTICVLVS III.

Ex Concilio prouinciali Senonenſi Pariſiis celebrato, Præſide Antonio à Prato Cardinali tit. S. Anaſtaſiæ & Archiepiſcopo Senonenſi, anno 1528. ſedente Clemente VII.

Cap. 35. de officio prædicationis.

CESSENT *in ſanctis Concionibus profanarum legum minimè neceſſariarum citationes poëtarúmque auctoritates ſuperuacaneæ, ſubtilium quæſtionum & plerumque futilium inanes allegationes: A ridiculis etiam, hiſtrionicíſque ſermonibus (concionatores) abſtineant.*

Cap. 36. ibidem.

SINT *prædicatores iuxta Gregorium, in verbo diſcreti, nec vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant. Prædicent rurſus ſacrum Euangelium, innitantur interpretationibus ſacrorum Doctorum: inſtruant populum ad obſeruationem præceptorum Dei, vt fidem inconcuſsè teneant, atque omnibus mandatis Dei & Eccleſiæ pareant, nec ab eiuſdem Eccleſiæ decretis & ſanctionibus deuient. Sint etiam prædicatorum ſermones caſti & examinati, ad amorem Dei trahentes populum: deteſtentur vitia Concionatores verbi diuini, alliciántque auditores ad amplexus virtutum: Habeant præ oculis pro ſcopo honorem Dei & profectum animarum: nihil ad gloriam & oſtentationem faciant, non quæſtui ſint intenti, aut vindictæ appetentes.*

Quòd ſi ſecus fecerint, aut ſi populum more ſcurrarum viliſsimorum dum ridiculas & aniles fabulas recitant ad riſus, cachinnationéſque excitauerint, aut quod deterius eſt, ſi Prælatis Eccleſiæ Sacerdotibúſque detraxerint, ac tandem populum ab obedientia ſuperiorum retraxerint &c. Nos volumus tales tam ineptos & pernicioſos Concionatores ab officio prædicationis ſuſpendi, & à ſuis ſuperioribus pro modo & menſura exceſſus acriter puniri. Per præſens tamen ſtatutum non intendimus derogare Clementinæ, Dudum, &c.

ARTICVLVS IV.

Ex Concilio Colonienſi ſub Hermanno Archiep. celebrato ſub Paulo III. ann. 1536. Pars 6. eſt tota de diſſeminatione verbi Dei.

CAP. 1. eſt hoc ipſo titulo inſcriptum. Cap. 2. *de eo quod Paſtori meditandum eſt, in hoc exequendo officio.* Cap. 3. & 4. *Quis ſit fidelis verbi diſpenſator.* Cap. 5. *De Chriſtiana charitate, in qua ſita eſt verbi Dei & prædicationis ſumma.* Iterum c. 6. *de ſumma Euangelicæ prædicationis.* Cap. 7. *Quanta ſollicitudine in prædicatione verbi Dei vtendum.* Cap. 8. *Quemadmodùm ſermo temperandus.* Cap. 9. *Quid cauendum inter concionandum.* Cap. 10. *Nihil aut fabuloſum aut ſuſpectum afferendum.* Cap. 11. *Loquacitas vitanda.* Cap. 12. Methodus breuis rectè & piè concionandi.

hæreſes quomodo oppugnandæ. Cap. 13. *A ſcommatis & conuitiis abſtinendum.* Cap. 14. *In contentioſis dogmatibus, quomodo docendus populus.* Cap. 15. *Qualem oporteat eſſe prædicatorem in reprehendendis criminibus.* Cap. 16. *Manifeſta reprehenſio vtriuſque poteſtatis vitanda.* Cap. 17. *Quomodo reprehendendi Magiſtratus.* Cap. 18. *Admonendus populus, vt pro Magiſtratibus oret.* Cap. 19. *Notantur qui ſecus docent.* Cap. 20. *Summa doctrinæ Chriſtianæ in Enchiridion contrahenda.* Cap. 21. *Enchiridion quæ docebit.* Cap. 22. *Ordo concionandi quem ſimpliciores ſequentur.* Cap. 23. *Sanctorum hiſtoriæ, quatenùs attingendæ.* Cap. 24. *Allegoriæ quomodo explicandæ.* Cap. 25. *Quomodo finienda Concio.*

Auguſtienſis ſynodus ſub Othone Cardinale ſedis huius Epiſcopo habita eodem Paulo III. Pontifice anno 1548. idem ferè, ſed multò conciſiùs docet ac decernit, cap. 13. inſcripto, *De officio Concionatoris, & diuini verbi prædicatione.*

ARTICVLVS V.

Ex Oecumenico Concilio Tridentino, ſeſſ. 5. ſub ipſo Paulo III. in Decreto de Reformatione c. 2.

* Lateran. ſub Innoc. III. c. 10.

*SI verò contigerit Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij *viros idoneos aſſumere teneantur, ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum.* Et infrà,

Diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſolennibus plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, dicendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annunciandóque eis cum breuitate & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.

Aduertendum in his verbis Concilij prædicatoribus ſummopere commendari vt doceant populum, ea quæ omnibus ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem, pro captu audientium cum facilitate & breuitate ſermonis. Quod fundamentale documentum à Patribus etiam ſæpè ſæpiùs inculcatum, & ſynodicis Decretis tantopere commendatum, ab exemplo Domini deſumptum eſt, de quo S. Marcus ſignanter ſcribit c. 4. facilioris inſinuationis doctrinæ ſuæ gratiâ, dum inſtrueret populum conſueuiſſe familiaribus vti parabolis, quia ſe maximè eorum captui accommodabat, *Et talibus* (inquit) *multis parabolis loquebatur,* PROVT POTERANT AVDIRE; *ſine parabola autem non loquebatur eis.* ℣. 33. 34. Quod ſecutus exemplum Apoſtolus 1. Cor. 14. 19. familiariter etiam plebem docere ſolebat, & verbi diuini reliquis diſpenſatoribus ſuadebat, *In Eccleſia* (inquit) *volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in lingua,* id eſt in ſermone ſublimi & profundo, eloquióque exculto & eleganti, magíſque auditoribus admirabili quàm vtili & fructuoſo. Quamobrem eximius Magiſter & perfectus typus prædicatorum Chryſoſtomus, ad hæc Apoſtoli verba, *in ſenſu meo,* interpretatur, in iudicio, adeo vt dicat Apoſtolus, *vt diſcretè & cum iudicio loquar & doceam; ita vt audien-*

tes licèt rudes & imperiti eadem intelligere, capere & retinere poſſint. Eò enim ſpectare debent maximè, diuini verbi prudentes ac fideles diſpenſatores. At de hac re iam ſuprà non obiter dictum.

Porrò quia valde exitioſum eſſet Eccleſiæ, ſi omnes ſe prædicationis officio pro mero libitu Sacerdotes ingererent : & quia regulares exempti poſſent id faciliùs quàm alij præſumere, refrænandæ huic periculoſæ præſumptioni, ſapientiſſimum idem Concilium Oecumenicum hanc legem præfixit : *Regulares verò cuiuſcumque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare non poſſint : cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis verò quæ ſuorum ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.* Deinde cenſuræ & correctioni ipſorum Epiſcoporum illos ſubiicit, ſi in exequendo prædicationis officio deliquerint, non obſtante quocumque priuilegio. Et Epiſcopos ſubinde monet ſacra ſynodus, vt neminem ſiue regularem, ſiue ſæcularem Preſbyterum, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet priuilegiorum prætextu in ſua ciuitate, vel diœceſi prædicare permittant.

ARTICVLVS VI.

Ex Conciliis Gallicanæ Eccleſiæ poſt Concilium Tridentinum celebratis.

I. IN Concilio prouinciali Rothomagenſi, anno 1581. ſub Carolo Cardinale Borbonio, Archiepiſcopo Rothomagenſi & Normaniæ Primate celebrato; Concilij Tridentini præcitatum Decretum circa officium prædicationis, verbatim repetitur, atque omnibus diſtrictè præcipitur obſeruandum ; addita pœna excommunicationis aduerſus ſe aliter eidem miniſterio Euangelico ingerentes. Additúrque, vt etiam regulares miſſi ab Epiſcopo, prædicare volentibus iure ſuo Curatis, ne ſe opponant : at eis ſuam licentiam prædicandi in eorum adiumentum exhibere teneantur, ac cum ipſis de correctione populi, prædicationis ædificatione, atque hora & loco conuenire. Sed monentur etiam Curati cum parœcianis ſuis, ipſis prædicatoribus ſeminantibus pro ipſis ſpiritualia, in temporalibus pro viribus miniſtrare, & tanquam Angelos Dei eos ſuſcipere.

II. Concilium etiam prouinciale Burdegalenſe anno Domini 1583. ab Antonio Preuotio Burdegal. Archiepiſcopo cum ſuis Coepiſcopis celebratum, ſtatuit, vt interim dum Sacerdotes ad prædicationem verbi Dei inſtruentur, & fructus colligi poſſit, qui ex Seminariis ſperatur, Epiſcopi quilibet in ſua Diœceſi, ſex aut plures, paucioréſve, prout magis expedire videbitur, prædicatores ſiue ſæculares,

ſiue religioſos eligant, quibus id oneris imponant, vt parochias obeuntes ſinguli in eo Archiepiſcopatu, vel parte diœceſis, quæ illis deſignabitur, fame (verbi diuini) propemodum enectas Dei oues, ſalutari hoc pabulo reficiant; de quorum ſtipendiis etiam quædam ſeruanda decernit; ſubindéque officij adeo ſalutaris ſincerè exequendi quoſlibet prædicatores commonefaciens, ſubiungit: *Caueant ſummopere prædicatores, ne in ſuis Concionibus fabulas, iocos, dicteria & ſcommata, quibus riſus excitetur, intermiſceant. Concionatoris enim eſt non riſum mouere, ſed lachrymas auditoribus excutere. Videant etiam ne concionando aliquid contumelioſè aduerſus præfectos Eccleſiaſticos, ciuiles Magiſtratus, vnde in odium & contemptum apud populum adducantur, proferant: quin potiùs auditores moneant vt Præpoſitis etiam diſcolis pareant & obediant, à Deo aſsiduis precibus efflagitantes, vt eorum animos ad ſui officij & miniſterij partes omnes ad Dei gloriam & populi ſui ſalutem obeundas excitare & impellere, pro ſua in gregem ſuum pietate & miſericordia velit.*

cap. 20. de verbi diuini prædicatione.

III. Concilium prouinciale Patriarchalis Eccleſiæ Bituricenſis, anno ſequenti habitum à Reginaldo de Beaune Archiepiſcopo Bituricenſi & Aquitaniæ Primate, cum Collegis ſuis, conſimilem ſuperiorum Synodorum Decretis circa normam prædicationis Euangelicæ rectè & vtiliter obeundæ politiam præſcribit, Tit. 3. prænotato, *de prædicatione & expoſitione verbi Dei.* Porro, Tit. 6. *de inuocatione Sanctorum &c.* hanc ſubnectit eadem de re appendicem Can. 1. *Doceant prædicatores verum cultum Sanctorum tanquam ſeruorum Dei, qui tamen iam æterna beatitudine fruuntur, pro mortalibus orant, & precibus ſuis populi votis apud Deum fauent.* Et can. 3. *Concionatores abhorreant aniles fabulas, & quæ potiùs profana quàm ſanctis Dei conuenientia, quæque infirmis offendiculo eſſe poſſunt, nec quicquam pro hiſtoria Sanctorum proferant in medium, niſi quod ab Eccleſia Catholica receptum ſit: ſcandala etiam, calumnias & detractiones non effundant. Si contrà fecerint, ab Epiſcopis extraordinariè puniantur.*

IV. Concilium prouinciale Aquenſe ab Alexandro Canignano Metropolita cum ſuis ſuffraganeis celebratum anno 1586. ſub titulo *de Concionibus & verbi Dei prædicationibus*, iiſdem ſuperiorum Conciliorum veſtigiis inhæret, ſubnectítque hoc inſuper notabile: *Dum vel Epiſcopus, vel Parochus, vel alius concionem habet, eo ipſo tempore in ea Eccleſia eiúſve aliquo ſacello Miſſæ ſacrificium ab vllo quouis Sacerdote fieri, aut baptiſmi, ſi modò mortis periculum non immineat, Sacramentum miniſtrari prohibemus.*

V. Concilium itidem prouinciale Narbonenſe ſub Ludouico Archiepiſcopo habitum anno Domini 1609. cap. 4. inſcripto, de diuini verbi prædicatoribus, eadem veſtigia ſequitur. At hoc ſingulare ſuperaddit monimentum: *Concionatores ea tantùm prædicent quæ ad diuini verbi explanationem, virtutis laudem, vitiorum contemptum pertinent: improbatas fabulas, hiſtorias, & alia ad riſum inuitantia, minimè proponant. Quòd ſi hæreticorum dogmata aliquando tractanda fuerint, tantùm de illis dicant, quantum viderint populo expedire: hæreticorum rationes proponendo veluti per contemptum, quas ſtatim refellent, ſolutionibus dilucidis & explicatis,*

ſeuerè

ſeuerè in hæreticos inuehendo, vt populus dignoſcere poßit, quantum à via veritatis & recto fidei tramite deſciuerint.

CAPVT XX.

Regulæ breues, ſed peraptæ, ad rectè prædicandum; verbi Dei Concionatoribus præſcriptæ, à S. Carolo Borromæo S. R. E. Cardinale & legato, Mediolanenſi Archiepiſcopo: & promulgatæ in ſuæ prouinciæ primis Comitiis, primo ſcilicet Concilio Mediolanenſi. Sub tit. de prædicatione verbi Dei, *paulò ante medium, & infrà.*

IIs autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Chriſtianam doctrinam tradendi munere funguntur, hanc viam & rationem ineundam proponimus.*

I. *Vt ſacram Scripturam interpretentur eo ſenſu, quem Catholica Eccleſia, & conſentiens ſanctorum Patrum auctoritas comprobauit: neque quicquam ab Eccleſia, aut à Doctoribus Eccleſiæ probatis alienum proferant. Vt ſi quando ad auditorum vtilitatem vtendum erit allegoriis, eas ex receptis ab Eccleſia ſcriptis ſeligant; ne certum tempus Antichriſti aduentus & extremi iudicij diem prædicent, cùm illud Chriſti Domini ore teſtatum ſit; Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta: neve quicquam prætereà futurum ex ſacris litteris diuinare, eique euentui certam diem præfinire audeant, neque temerè id ſibi diuinitus reuelatum eſſe affirment. Ne hiſtorias ex apocryphis Scriptoribus populo narrent; neve miracula, quæ probata ſcriptoris fide non commendentur. Si qua tamen auditoribus ſalutaria iudicârint, ita commemorent vt à certa eorum affirmatione abſtineant: ne ineptas, & ridiculas fabulas recenſeant: neve ſuperuacanea & parùm fructuoſa.*

II. *Ne hæreticorum opiniones & argumenta referant apud imperitam multitudinem: quòd ſi alicubi neceßitas poſtulârit, vt eorum falſa dogmata accuratiùs ac liberiùs confutentur, id non longa diſputatione, ſed graui redargutione faciant. Quod facilè aſſequentur, ſi Catholicam veritatem exponentes, ſanctæ Eccleſiæ, Conciliorum & probatæ veteris conſuetudinis auctoritate, ac ſanctorum Doctorum, quos probat Eccleſia, teſtimoniis roborârint, & ſacræ Scripturæ locos, quorum ſenſus ab illis ad corrumpendas ſimplicium hominum mentes, deprauantur, & ex aliis eiuſdem Scripturæ locis & ex ſanctorum Patrum ſententia fideliter interpretentur; ſic enim fiet vt dogmatum peruerſitas, quæ falſa interpretatione nitebatur, Catholicæ veritatis vi, & rectæ interpretationis pondere corruat. Ne quid ambiguum, ancépſ-ve loquantur, quod auditoribus variè intelligendi occaſionem præbere poßit: neve conciſè & obſcurè quicquam exponant, qua ex re auditorum animi expectatione incerti, & ſuſpenſi relinquantur.*

III. *Ne oſtentandæ doctrinæ & eloquentiæ cauſâ, difficiles atque inanes quæſtiones, fucúmve orationis & pigmenta conquirant, vnde ſuiipſius potiùs, quàm Ieſu Chriſti prædicatores eſſe videantur; ſed præcipuè in Euangelij, ſymboli, orationis Dominicæ, Angelicæ ſalutationis, decem præceptorum, Sacramentorum Eccleſiæ, & ſacrorum rituum dilucida explicatione verſentur; in reprehendendis*

Extat eiuſdem B. Caroli Borromæi inſigne planéque aureũ opuſculum, cui titulus eſt, *Inſtructiones prædicationis verbi Dei*, inſertum actis Eccleſiæ Mediol. deinde per modum Enchiridij editum cum aliis opuſculis opera Ioannis Franciſci, Nuncij Apoſt. Epiſcopi Vercellenſis, Coloniæ apud Maternũ Cholinum an. 1587. hoc ſub programmate, *Paſtorum, concionatorúmque inſtructiones, ad concionandum, confeßioniſque & Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrandum vtiliſſima, iampridem ab illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo ſanctæ memoriæ Domino Carolo Borromæo tit. S. Praxedis Cardinale & Archiep. Mediolanenſi ad ſuæ diœceſis & prouinciæ vſum edita.* In quo locupletiſſimo promptuario facile fuerit cuilibet pio & muneris rectè ſciẽdi & exequendi ſtudioſo Concionatori inuenire quicquid huic officio affine ac opportunum eſſe poteſt.

vitiis ita ſe gerant, vt pietatis, & charitatis ſtudio eos adductos, non hominum odio id facere omnes intelligant. Diligentes ac vehementes ſint in iis vitiis & peccatis exagitandis, in quibus magis volutatum populum, aut ad ea procliuiorem vident.

IV. *In prauas etiam conſuetudines inuehantur, & in eas quæ etſi malæ non videntur, tamen facilè peccandi cauſam afferunt.*

V. *Ne quemquam nominatim, aut tacitè illum deſignantes, inſectentur.*

VI. *Ne in ordinem vllum, ſtatum, aut vitæ genus ab Eccleſia receptum inuehantur.*

VII. *Ne Epiſcopos, alióſve Prælatos, neve ciuiles Magiſtratus cum auditorum offenſione aſperiùs obiurgent, ſed piè potiùs admoneant, populúmque doceant Præpoſitis ſuis etiam dyſcolis obedire: quem etiam ſæpiſſimè moneant ex Apoſtoli ſententia, vt faciant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarúmque actiones pro omnibus hominibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, præſertim verò pro iis qui peruigilant quaſi rationem pro animabus illorum reddituri, vt tranquillam & quietam vitam gerant in omni pietate & caſtitate.*

1. Pet. 2. 18.
1. Tim. 2. 1.

VIII. *Ita afficere ſtudeant auditores, vt ſua peccata dolenter defleant, quos interdum propoſitis ſuppliciis æterni ignis, à flagitiis & facinoribus deterreant; interdum commemoratis cœleſtis vitæ præmiis, ad virtutes, imprimis verò ad Dei & proximi amorem accendant.*

IX. *Decreta Concilij Tridentini, præſertim verò quæ ad mores & diſciplinam Chriſtianam pertinent reſtituendam, & has noſtras Conſtitutiones populo ſtudioſiùs inculcent.*

X. *Omnes hortatis & præceptis ad pietatem erudiant, & quæ cuiuſque ſit propria virtus; quod officium patris, filij, viri, vxoris, domini, ſerui, laici, clerici, priuati, magiſtratus, omnium denique ætatum, generum, ordinum partes & munera aſſiduè commemorent.*

XI. *Hanc præterea rationem habeant, vt non ſolùm Dei & Eccleſiæ præcepta ſeruanda eſſe doceant, ſed modum illis tractent, quo ea ex Dei voluntate ſeruare oporteat. Commoneant, vt non ſolùm præceptis ſeruandis, ſed etiam conſiliis amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere ſtudeant.*

XII. *Doceant quomodo vtendum ſit bonis animi, corporis, & externis? quóve modo ſecundis & aduerſis rebus: ut ea ſint illis tanquam inſtrumenta ad conſequendam vitam cæleſtem.*

XIII. *Maximè verò caueant, ne quod præceptis & hortatu ædificant, id vita & moribus deſtruant? Ne cùm aliis prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur.*

1. Cor. 9. 27.

Hoc Deus optimus maximus, pro ſua immenſa bonitate & gratia, ab omnibus verbi ſui diſpenſatoribus, longiùs quæſo propulſet & auertat; ſed eis potiùs, ſingulíſque eorum, illud ſummopere exoptandum Apoſtoli votum obtingere largiatur, *Attende tibi & doctrinæ; inſta in illis, hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Amen.

1. Timoth. 4. 16.

FINIS.

PANOPLIÆ SACERDOTALIS

POSTREMÆ PARTIS LIBER V. ET VLTIMVS.

DE MINISTERIO BAPTISMI.

SACERDOTEM OPORTET BAPTIZARE.

Ex Pontificali Romano Tit. de ordinat. Preſbyteri, in admonitione ad ordinandos.

CAPVT PRIMVM.

An Chriſtus Baptiſmi ſit Miniſter, primus & principalis?

APOSTOLVS de Chriſto ad Coloſſenſes ſcribit, *Ipſe caput eſt corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Sanè principium corporis eſt caput, principium reſurrectionis eſt Chriſtus, quia eſt fons & auctor reſurrectionis, eiuſdémque archetypus & primum exemplar. Primas eſt & princeps inſuper vtriuſque Eccleſiæ tam militantis in terris, quàm in cœlis triumphantis, *Vt ſit in omnibus primatum tenens,* originis, poteſtatis, dignitatis, & honoris. Quamobrem de primatu eius cœleſti idem Apoſtolus paulò antè ait, *qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlo, & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Porrò de principatu eius ſubcœleſti, continuò ſubiungit eundem eſſe *caput corporis Eccleſiæ, principium eius, denique & primogenitus reſurrectionis mortuorum, idcirco in omnibus primatum tenens. Etenim in ipſo*

Coloſſ. 1. 18.

Ibid. ℣. 17.

v. 19. *complacuit* (patri) *omnem plenitudinem inhabitare* gratiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, poteſtatis, honoris, & dignitatis, virtutis & operationis. Hinc non eſt tantùm *paſtor bonus*, Ioan. 10. ſed *princeps paſtorum*, 1. Pet. 5. & *Epiſcopus animarum noſtrarum*, ibidem c. 2. 25. Non tantùm *Sacerdos in æternum*, v. 11. Pſ. 109. ſed & *Pontifex futurorum bonorum*. Heb. 9. Ideo beatus ipſe Paulus, poſtquam in epiſt. ad Epheſ. inſinuauit Chriſtum, Eccleſiâ ſuâ in terris conſtitutâ, rediiſſe ad Patrem *&* *aſcendiſſe ſuper omnes cœlos vt impleret omnia*. Sic tamen antea ſuæ Eccleſiæ proſpexiſſe docet: vt ad eius regimen, tutelam, & incrementum diuerſos ei Præſulum & diſpenſatorum gradus præfecerit, Epheſ. 4. 12. *ad conſummationem Sanctorum* (inquit) *in opus miniſterij*: quaſi diceret, Apoſtolatus eſt quidem dignitas ſumma in Eccleſia Dei; Epiſcopatus & Sacerdotium honorum ſunt & munerum omnium ſacrorum apices: tamen Apoſtoli omnes, & ipſe Petrus omnium princeps, omnes Epiſcopi, ipſéque Papa & cuncti Sacerdotes, ad ſummum nihil aliud ſunt, quàm Chriſti ſerui, eiúſque miniſtri, 1. Cor. 3. 4. 5. vicarij, œconomi & diſpenſatores. Quid eſt igitur Apollo? Quid verò Paulus (cæteríque omnes) *Miniſtri eius, cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit*. Tale eis competit miniſterium, quale & quantum cuique Dominus dedit. Non igitur in eo qui vos docuit in fide, vel baptizauit gloriandum eſt, ſed in Chriſto; hi enim non ſunt domini animarum veſtrarum ſed paſtores, non auctores fidei veſtræ, ſed doctores, non Sacramentorum inſtitutores aut datores, ſed dumtaxat diſpenſatores & miniſtri: ſiquidem Chriſtus hos adhibet circa vos, vt ſuæ gratiæ, poteſtatis, & virtutis inſtrumenta, per quæ quicquid fit 1. Cor. 4. 1. veſtræ ſalutis miniſterio ipſemet operatur; *Sic nos igitur exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Accedit quòd Apoſtolus Moyſen Chriſto opponit, ex eo quòd fuerit Moyſes in domo Dei tantùm miniſter & œconomus, Chriſtus verò ſit *filius & dominus* Heb. 3. 5. Cenſet igitur Apoſtolus non decere Chriſtum ſerui nomen, neque munus miniſtri, quod quidem etſi Scriptura tribuat Angelis, aſſerit tamen Chriſto minimè conuenire, vtpote qui *tantò melior Angelis effectus eſt, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*. Heb. 1. 4.

Attamen qui rem penitiùs conſiderauerit, in bono ſenſu reperiet, Chriſto miniſterium, in Sacramentis, iure proprio conuenire: Theologi enim triplicem cauſam efficientem in Sacramentis aſſignant, vnam principalem & omninò independentem, in qua dicunt eſſe poteſtatem auctoritatis. Quæ cauſa ſolus Deus eſt, qui ſolus à ſe gratiam dare poteſt, & proinde Sacramenta inſtituere, quæ gratiam conferunt, aut infallibiliter ſignificant. Secundam, inſtrumentalem, ſed inſtrumenti coniuncti, in qua dicunt eſſe poteſtatem excellentiæ; hanc verò Chriſtum eſſe, vt homo eſt. Chriſti enim humanitas eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati vnione hypoſtatica, & ideo Chriſto tribuitur poteſtas miniſtrantis ſeu miniſterialis à diuinitate deriuata: quamobrem poteſtas hæc dicitur excellentiæ, quia ſoli Chriſto com- 2. Cor. 5. 19. petit; Hinc Apoſtolus ait, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*,

ſcilicet per inſtrumentum coniunctum, humanitate ſiquidem ſibi perſonaliter vnita Verbum vtebatur tanquam organo coniuncto; appoſitè ideo S. Cyrillus ad illa verba, *Et accedens Ieſus tetigit loculum, & dixit, Adoleſcens tibi dico, ſurge?* *Dominus*, inquit, *in miraculis ſuis tactum adhibebat humanitatis ſuæ, carne enim verbum vtebatur etiam in operationibus ipſis vt cooperatrice ſua.* *Luc. 7. 14.*

Tertiam cauſam, quam Theologi in Sacramentis conſtituunt, vocant *ſimpliciter miniſterialem*, vtpote quæ ſit *merè inſtrumentalis*, ſed inſtrumenti ſeparati: quod munus ac nomen Chriſto non poteſt conuenire, ſed puro homini.

Ex his liquet iam ſatis, Chriſtum eſſe miniſtrum etiam Sacramentorum, ſed eminenti titulo, per poteſtatem excellentiæ quam habet Sacramenta non ſolùm inſtituendi, ſed conficiendi & diſpenſandi, prout de facto feciſſe legitur in Euangelio: nam Euchariſtiam non ſolùm inſtituit, ſed & primus omnium conſecrauit & diſpenſauit.

In ſupremæ noctè cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plenè,
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Túmque recumbens cum ſuis diſcipulis, *Ego* (inquit) *in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat.* Luc. 22. 27. Ita baptizauit quoſdam propriis manibus. Sanctus Auguſtinus, epiſt. 108. ad Seleucianum ſcribit Chriſtum aliquos baptizâſſe ex ſuis Diſcipulis, per quos poſtmodum reliquos baptizaret, & per hos alios. S. Euodius ſucceſſor S. Petri in Antiocheno Epiſcopatu, teſtatur apud Nicephorum lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 3. Chriſtum ſingulariter primum, baptizâſſe ſanctiſſimam Virginem, deinde Petrum Apoſtolorum primatem; quod etiam aſſerit ex antiqua traditione Eutymius in c. 3. Ioannis. Sed & S. Gregorius Nazianzenus orat. in ſancta lumina, Chriſtum poſtquam baptizatus eſt, eundem Ioannem baptizâſſe non obſcurè inſinuat. Ex quo ſequitur hallucinatum fuiſſe Tertullianum, dum lib. de baptiſmo ait, *Ecce Dominus venit & non tinxit*, etiamſi dicat S. Ioannes c. 4. *quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli eius.* Siquidem hoc intelligit de ordinario more, aliquos enim, vt diximus, Dominus baptizauit: & ipſum ſuum baptiſtam, vt Cardinalis Bellarminus ex illis eius verbis elicit, *Ego à te debeo baptizari*, lib. 1. de baptiſmo, c. 23. in fine. Verùm quia paucos per ſeipſum Dominus baptizauit, rectè dictum eſt quòd *ipſe non baptizauit, ſed diſcipuli eius*, ſcilicet vt plurimùm: nam alioquin ipſum baptizaturum Ioannes ipſe qui mendax eſſe non potuit, prædixerat, Matth. 3. *Ipſe vos* (inquit) *baptizabit in Spiritu ſancto.* Tamen & hoc etiam alio modo poteſt intelligi, ſcilicet vt per ſe facere cenſeatur, qui principaliter facit, & qui per miniſtros (quod ipſe facere) operatur. Et ideò verum ſemper eſt quòd Chriſtus etiamnum baptizat. Qui enim eo funguntur munere Sacerdotes, vel quicum-

que alij in caſu neceſſitatis, vices eius gerunt. Et ſicut in Miſſa conſecrat & offert; ſic etiam in Sacramento regenerationis ipſe eſt per miniſtros qui baptizat non tantùm principaliter, vt cauſa efficiens, quia Deus eſt: ſed etiam primariò, vt ſummus Sacerdos, cuius alij omnes miniſtri ſunt & vicarij. Eſt enim vt Verbum diuinum cauſa ipſa efficiens Sacramenti, ſed vt homo cauſa inſtrumentalis coniuncta non ſeparata, vt eſt miniſter purus homo. Præclarè S. Auguſtinus Tract. 6. in Ioann. hanc Chriſti præcellentem in baptiſmo conferendo poteſtatem exponit: *Quid per columbam* (inquit) *Ioannes Baptiſta didicit? niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto: Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat. Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diuerſitate meritorum baptiſma ſanctum eſt, quia diuerſa ſunt merita, diuerſa erunt baptiſmata: Et tanto quiſque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur accepiſſe. Ipſi ſpirituales ſancti &c. boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad ſortem ciuitatis illius Hieruſalem, ipſi boni in Eccleſia, de quibus dicit Apoſtolus, nouit Deus qui ſunt eius, diuerſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent; ſunt alij aliis ſanctiores, ſunt alij aliis meliores. Quare ſi vnus ab illo v. g. iuſto, ſancto, baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, vnum tamen par & æquale eſt quod acceperunt, niſi quia hic eſt qui baptizat?*

Ex quo principio ſequitur ſi quis baptizetur ab homine malo, modò in Chriſti nomine, & eo quo præſcripſit ritu, Sacramentum miniſtretur, validum quidem eſſe, nec obeſſe regenerato diſpenſatoris nequitiam. Ideóque qui à Iuda baptizati ſunt, quoad vim ipſius baptiſmi, haud minus accepiſſe, quàm qui à Petro aut Andrea, Iacobo aut Ioanne, aliíſque ſanctiſſimis Chriſti Apoſtolis baptiſmum receperunt. Quo ex axiomate Patres, Donatiſtarum * hæreſim confutarunt exigentium in miniſtris baptiſmi dignitatem moralem, à qua non pendet virtus baptiſmi, quia ipſe Chriſtus eſt *qui baptizat in Spiritu ſancto.*

* Nota

Nec longè abludit ab hoc theoremate Tertullianus loco citato, at eò recurrit: *Ecce* (inquit) *venit Dominus & non tinxit; legimus enim, & tamen is non tingebat, verùm diſcipuli eius. Quaſi verò ipſum ſuis manibus non tincturum Ioannes prædicâſſet? Non vtique ſic intelligendum eſt, ſed ſimpliciter dictum more communi, ſicut eſt v. g. Imperator poſuit edictum, aut Præfectus fuſtibus cecidit. Nunquid ipſe proponit? Nunquid ipſe cædit? ſemper dicitur is facere cui præminiſtratur. Ita erit accipiendum verbum Ioannis Baptiſtæ, ipſe vos tinget, pro eo quod eſt per ipſum, vel in ipſum tingemini.* Hactenùs Tertullianus.

Cæterùm S. Auguſtinus quæſtionem mouet, * *Cur ipſe Dominus per ſe vix baptiſmum contulerit?* Reſpondet at verò: *Quia ſi per ſe baptizaret, Miniſter forſitan crederetur Baptiſmi, vt cæteri ſunt, idcirco vt baptiſmi crederetur auctor, non ſimplex Miniſter, non per ſe, ſed in nomine ſuo per alios paſſim baptiſmum conferri voluit.*

* In Ioan.

CAPVT II.

Sitne ita neceſſarium, miniſtrum Baptiſmi eſſe hominem, vt Angelus hoc Sacramentum conferre non poſſit?

LEGITIMVS Miniſter baptiſmi homo eſſe debet, non autem Angelus ſiue bonus ſiue malus: ſcilicet quia præter materiam & formam, ritus à Chriſto præſcriptus, & mandatum ſeruari debet. Quod ſanè nunquam legitur factum Angelis à Domino, ſed tantùm hominibus: *Euntes* (inquit Matt. 28.) *docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Quapropter mihi ſemper ridiculus & explauſibilis Martinus Lutherus viſus eſt, qui (lib. de Miſſ. priuata & vnct. Sacerdotum) docere non erubuit, *etiam diabolum validè baptizare poſſe, modò diabolus ſeruet Chriſti ordinationem*; ſiquidem vbi hanc ordinationem Chriſti reperire eſt, qua mandârit diabolo, vt Sacramentum regenerationis hominibus conferat, validúmque & ratum decreuerit quicquid Sathan ipſe circa hoc aggrederetur? Adde quòd bona intentio requiritur in quolibet miniſtro cuiuſcumque Sacramenti. At quanta dementia eſſet aſſerere diabolum, qui ſemper Deo rebellis eſt, nititúrque conatu perpetuo *vias Domini ſubuertere rectas*, habere intentionem rectam, Deique placitis conſonam, quibus ſemper & vbique ſe opponit? Nec porro valet Lutheri ratiocinatio, Iudas baptizauit, & baptiſmus ab eo collatus, ratus & ſtabilis fuit. atqui Iudas membrum fuit diaboli; negari igitur non debet ipſum poſſe diabolum efficere, quod Iudas & cætera membra diaboli validè potuerunt. Etenim etſi Iudas fuerit membrum diaboli, & verum baptiſma contulerit, non inde tamen ſequitur hoc idem diabolo conuenire. Nam Iudas non vt membrum diaboli, ſed vt Apoſtolus & Miniſter Chriſti, à quo acceperat legitimam poteſtatem baptizandi, adminiſtrauit baptiſmum: at nunquam diabolo Chriſtus hanc poteſtatem conceſſit, & gratiæ miniſterium neutiquam contulit Angelis tenebrarum: qui quidem miniſtri ſunt Dei iræ, non autem diſpenſatores donorum gratiæ & miſericordiæ. Nec valeret eiuſmodi inſtantia, Iudas non ſolùm fuit inſtrumentum & operarius diaboli, ſed diabolus ipſe fuit, dicit hoc enim de eo Dominus, *Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? dicebat autem de Iuda Simonis Iſchariotis, hic enim erat traditurus eum.* *Ioan. 6.*
ſiquidem ex oppoſito dixit Dominus de Ioanne Baptiſta, *Ioannes ipſe eſt Elias*, quod tamen de ſe ipſe Ioannes à Phariſæis interrogatus negauit. *Elias es tu? non ſum*, inquit. Quam antitheſim appoſitè S. Gregorius conciliat hom. 17. in Euangelia, hoc modo: *Ioannem venturum prædixerat Angelus in ſpiritu & virtute Eliæ: Ioannes igitur in ſpiritu Elias* *Matth. 11. 14.* *Ioan. 1. 21.*

erat, in perſona non erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioánnes denegat de perſona. A ſimili liceat dicere, Dominus ait de Iuda, *Vnus ex vobis diabolus eſt:* erat igitur Iudas diabolus non naturâ, ſed nequitiâ. Certum eſt verò Theologiæ principium, imò Eccleſiæ iudicium, pronunciatum olim contra Donatiſtas, efficaciam baptiſmi & cæterorum Sacramentorum non pendere à qualitate accidentali miniſtri, vt eſt bonitas vel nequitia, ſed à qualitate eſſentiali, ſine qua non eſt verus miniſter. Qualitas autem eſſentialis eſt, vt miniſter ſit homo, ſicut ex Euangelio patet, vbi miniſterium Sacramentorum ſolis hominibus Chriſtus ſemper iniunxit: vnde ait Apoſtolus, *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Iudas autem etſi malitiâ diabolum imitaretur, & hac de cauſa dictus fuerit à Domino diabolus, naturâ tamen diabolus non erat, ſed verus homo, & inſuper Chriſti Apoſtolus, cui baptizandi miniſterium, vt cæteris Apoſtolis Chriſtus ipſe Dominus contulerat.

* Nota

* Verùm fortaſſis quiſpiam ex hoc axiomate eliciet, *bonum Angelum æquè ac diabolum, ſic à baptiſmi & reliquorum Sacramentorum diſpenſatione excludi; ſi enim neceſſariò exigitur, vt ſit legitimus miniſter, quòd ſit homo; non alia quævis creatura muneris huius obeundi capax eſſe poteſt.* Vt nodus hic ſoluatur, præmittenda ſunt certa quædam theoremata.

I. *Angelos bonos reipſa quædam Sacramenta miniſtrâſſe.* Refert Nicephorus lib. 11. c. 20. hiſtoriæ Eccleſ. ex vetuſtis monumentis, S. Amphilochium ab Angelis ordinatum fuiſſe Epiſcopum, & ordinationem eius ratam habitam ab Epiſcopis prouinciæ. Euchariſtiam autem ab Angelis quibuſdam ſanctis hominibus miniſtratam, in eorum actis paſſim legimus, exempláque nonnulla huius facti conſignauimus in noſtro Martyrologio Gallicano, inter quæ hoc maximè memoratu dignum, quod notatum extat nono Kalendas Nouembris, de Angelo qui B. Maglorio Epiſcopo Dolenſi in extremis exiſtenti, diuinum viaticum miniſtrauit.

II. *Circa baptiſmum vt plurimùm curâſſe Angelos, vt ab Eccleſiæ miniſtris, ſeu præſidibus, fidei candidati Sacramentum primum omnium ſuſciperent.* cuius rei inſigne exemplum annotaui in Supplemento prædicti Martyrologij, tertio Kal. Februarij, in S. Thyrſij Martyris Africani (cuius ſacræ exuuiæ poſtmodùm in Galliam Aquitanicam tranſlatæ ſunt) elogio, his verbis: *Hic in Africa ſub Decio Imperatore, quòd Chriſtianos mores ſpiraret, in ergaſtulum coniectus eſt, è quo per Angelum eductus, deductúſque ad Epiſcopum vt baptizaretur, ſuſcepto lauachro ſalutari in carcere, pugnaturus pro fide, eſt reductus.* Et infrà, *Multis impetitus tormentis in quibus ſemper extitit inluctabilis, demum ſera* (vt quondam Eſaias) *diſſectus, nobile martyrium conſummauit.* Sed in Actis Apoſtolorum, c. 10. perilluſtre hac de ſollicitudine Angelica exemplum legitur circa Cornelium Centurionem peractum, quem Angelus viſibiliter apparens admonuit Petrum accerſere Apoſtolorum principem, vt fidei myſteria ab eius ore perciperet, & ſacro baptiſmate tingeretur cum omni familia ſua.

III. Eſt, *aliquando Angelum etiam miniſtrâſſe baptiſma:* Sanè etenim ex actis ſancti Sauiniani Martyris Trecenſis, 24. Ianuarij laureati, obſeruâſſe memini, illum edoctum fuiſſe primùm ab Angelo de neceſſitate baptiſmi, & poſteà reipſa baptizatum à cœleſti myſta diuinitùs ad eum hanc gratiam ardentiſſimè ſitientem, & continuis precibus flagitantem deſtinatum, quem fuiſſe Angelum, non hominem, omnes rei geſtæ circumſtantiæ non obſcuro ſunt indicio. His prænotatis,

Dico magnum eſſe diſcrimen in re quæ vertitur, *Inter bonum Angelum & Dæmonem*, ſi enim Angelus bonus Sacramentum aliquod miniſtraret, illud iure habendum eſſe ratum, nec dubitandum enim quin hoc diuino iuſſu perageret, *miniſtri enim ſunt Dei, potentes virtute ad faciendam voluntatem eius.* At de diabolo ſecus eſt, qui nec habet ex ſe poteſtatem, nec accepit à Deo, ſed hoc ſibi miniſterium arrogaret, non vt prodeſſet homini, ſed vt ei illuderet & eum falleret. *Pſal. 102. 21.*

Cæterùm contrà obiici poteſt: S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, & hom. 85. in Ioan. prope finem diſertè docet, *Angelis non eſſe conceſſum quod hominibus permiſſum eſt, videlicet vt Sacramenta miniſtrent?* Reſponſio eſt in promptu, Angelis id non eſſe conceſſum lege ordinaria, ſed quando id faciunt, non ſuo nutu, ſed diuina diſpenſatione, & ſpeciali mandato Dei, munus illud humanæ ſalutis exercere.

CAPVT III.

Epiſcopum eſſe primum & principalem miniſtrum ordinarium Baptiſmi.

PVLCHRE Proſper Aquitanicus, lib. 2. de vita contemplatiua, c. 2. Epiſcoporum in Eccleſia præcellentiam, titulis ac elogiis pleriſque deſcribit. Poſtquam enim eos præcipuam Eccleſiæ curam gerere aſſeruit, eos ſubinde Apoſtolis ſuppares eſſe poteſtate ac honore eleganter deprædicat: *Eccleſiæ Chriſti ſunt* (inquit) *poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles, & malè ſibi conſciis, etiam ipſo viſu terribiles, vindices oppreſſorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœleſtium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum & forma fidelium. Ipſi ſunt decus Eccleſiæ, in quibus amplius fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipſi ianuæ ciuitatis æternæ, per quas omnes qui credunt, ingrediuntur ad Chriſtum.* Ratio eſt, quia in veteri Eccleſia baptiſmi diſpenſatio non modò quoad ius, ſed quoad actum & vſum Epiſcopis competebat; quos ideo rectè Proſper appellat *Patres regeneratorum.* S. Clemens lib. 6. Conſtitut. Apoſtolic. c. 15. lib. 7. c. 40. & 42. hanc praxim agnoſcit & memoriæ poſterorum conſignat. *Poſt hanc enim* (Catechumeni ſcilicet)

promiſſionem, deinceps venit ad olei vnctionem: benedicitur hoc oleum à Sacerdote (quo nomine liquet loqui de Epiſcopo) *in remiſsionem peccatorum & præparationem baptiſmi.* Et c. 43. *Deinde venit ad aquam, benedicit & glorificat Sacerdos Dominum Deum omnipotentem. Et poſt hoc baptizatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vngit vnguento, dicens &c.* Idem S. Dionyſius Areopagita lib. de Hierarch. Eccleſ. inſinuat c. de Sacram. illuſtr. vbi hoc officium eſſe Sacerdotis, quem appellat Hierarcham, euidenter oſtendit. Nec modò hoc miniſterium ſalutis Antiſtes implebat, ſed non licere aliis hoc obire, niſi ex eius iuſſu vel indulto antiquiſſimi Patres teſtantur. Sanctus Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes, *Non liceat*, inquit, *ſine Epiſcopo baptizare.* Subſcribit Tertullianus lib. de baptiſmo c. 17. *Supereſt* (inquit) *ad concludendam materiolam de obſeruatione quoque dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem vim habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, deinde Preſbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter* * *Eccleſiæ honorem.* Idem docet S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, n. 20. dicens; *Inde venit, vt ſine chriſmate & Epiſcopi iuſsione, Preſbyteri neque Diaconi ius habeant baptizandi.* Hinc in lib. Sacramentorum ſancti Gregorij qui ordinarium à Gelaſio pridem recognitum recenſuit, vbi ſolennis ritus baptiſmi conferendi deſcribitur, Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ, tam benedictionem fontis quàm regenerandorum ſiue infantium, ſiue adultorum tinctionem, à Pontifice fieri debere legitur præſcriptum; Rubrica hæc eſt inſignis: *Inde accipiens* (Pontifex) *vas aureum cum chriſmate fundit chriſma in fonte, & expandit aquam cum manu ſua, tunc baptizantur infantes, primùm maſculi, deinde fœminæ, & tenente eo infantem à quo ſuſcipiendus eſt, interrogat Pontifex &c.* Idem legitur in veteri Ordine Romano, ſed paulò enucleatiùs. nam in ordine *de Sabbato ſancto*, poſt benedictionem fontis, & chriſmatis cum aqua factam à Pontifice mixtionem, baptiſmi miniſterium per ſe aggreditur ipſe Pontifex. Tamen ne onere nimio grauetur, ordo ille ſubiungit: *Deinde Pontifex baptizet vnum aut duos, vel quantum ei placuerit* &c. *Et ſubinde cæteri regenerandi à Preſbyteris baptizantur.* Sed ab initio non fuit ſic vbique & ab omnibus Epiſcopis ſeruatum: nam Paulinus in ſancti Ambroſij vita, inter eius laudes enarrat, *tanta corporis animique fortitudine in Epiſcopalibus muneribus obeundis, ipſum præditum fuiſſe, vt quod ipſe ſolus circa baptizandos cumulatiſsimè præſtabat, quinque poſtea Epiſcopi poſt eius obitum vix implere ſufficerent.* Quod exemplum praxim illam euidenter confirmat, qua obeundi baptiſmatis officium ſolenne, Epiſcopo ſingulari prærogatiua dignitatis competebat. Vaſquez diſput. 147. in 3. part. S. Thomæ q. 67. a. 5. n. 21. tom. 2. p. 329. etſi parciùs de ipſo actu loquitur, quia res in Eccleſia geſtas antiquitus non enarrat, peculiarem tamen aſſignat rationem delati Epiſcopo ſpecialiter huius honoris, *Quia* inquit, *is ſolus rectè & iure admittere poteſt ad corpus Eccleſiæ, qui corpori ipſi tanquam caput præeſt; Atqui Epiſcopus caput eſt propriæ diœceſis &c.* Igitur &c. Conſimilem rationem affert Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacramento Confirmationis,

* *Epiſcopi*

c. 12. circa medium, vbi probat illius Sacramenti proprium miniſtrum eſſe Epiſcopum: *Tertiò*, inquit, *probatur ratione, nam confirmatio eſt complementum & perfectio baptiſmi; proinde conuenit vt à primario miniſtro detur, ſic enim in omnibus aliis rebus forma imprimitur à primo agente: præterea in confirmatione adſcribimur ad Chriſti militiam; adſcribere autem ad militiam proprium eſt Ducum & Imperatorum.* Quæ ratio ſi cuius ſit momenti in diſpenſatione Sacramenti confirmationis, æqualis videtur eſſe ponderis in miniſterio baptiſmi: *Per baptiſmum enim Chriſti oues eſſe incipimus*, ait S. Auguſtinus lib. 1. contra Petilianum; & hoc Sacramentum *fidei ſignaculum eſt*, inquit S. Ioannes Chryſoſtomus, hom. 5. ſup. Matth. ſed de hoc ſignaculo alibi dixiſſe pleraque ſcitu non indigna memini, videlicet in Panoplia Epiſcopali, lib. 3 quo de Epiſcopali annulo diſſerimus, c. 8. à pagina 276 ad 285.

Nec porrò eſt quòd quis hîc obiiciat: Scribit B. Paulus ad Corinthios, *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Igitur baptiſmus non eſt munus Epiſcopi, quia nec Apoſtoli, ſed inferioris gradus miniſtrorum, qui ſunt Presbyteri & Diaconi &c. At Apoſtolus eo loci dicere non intendit, quòd ſibi non liceat baptizare, ibidem enim diſertè ait, *Corinthi ſe baptizaſſe Criſpum & Caium & Stephanæ domum & alios quoſdam:* Eius igitur ſenſus eſt ſe non miſſum eſſe principaliter ad baptizandum, ſed ad euangelizandum. Quò ſpectat hoc Domini de eo ad Ananiam, oraculum, *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Iſrael.* Act. 9. 15 Igitur eius præcipuum munus, Euangelij prædicatio erat. Porrò actualis ipſa miniſtratio baptiſmi facilè poterat per ſubordinatos miniſtros, videlicet Presbyteros, quos vbique ordinabat impleri. Sic & Petrus poſtquàm Cornelium & domeſticos eius doctrina Chriſtiana imbuiſſet, *Iuſſit eos baptizari in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Act. 10. Qui ritus ſenſim in Eccleſia receptus id effecit, vt pleriſque locis maiores Sacerdotes, officio baptizandi in ſecundi ordinis Sacerdotes deuolutô, prædicationis munus vt principale paſſim obirent. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in 1. ad Cor. delectum etiam hac in re habitum inſinuat inter Presbyteros: refert ſiquidem ſuo tempore *baptizandi miniſterium datum ſenioribus qui inutiliores eſſent.* verbi doctrinam ſapientioribus & validioribus ad docendum: nam docendi labor non eſt ſine ſudore, qui ſenibus iam fatiſcentibus & ferè enectis noxius eſt.

1. ep. 1. 17.

ibid. v. 14.

CAPVT IV.

Preſbyterum eſſe etiam ordinarium & legitimum miniſtrum huius Sacramenti.

SICVT ad Sacerdotem pertinet conſecrare Euchariſtiam, ita etiam baptizare. Concluſio eſt S. Thomæ 3. part. q. 67. a. 2. cuius titulus eſt, *Vtrum baptizare pertineat ad officium Presbyteri?* Colligitur hæc aſſertio ex Euangelio: nam ſicut Dominus Epiſcopis, ſic & Preſbyteris, ſuis in Apoſtolis præcepit vt docerent & baptizarent; *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hinc igitur rectè elicitur, Sacerdotes omnes ex ſua conſecratione poteſtatem habere legitimam, vt verè & licitè baptizent. Quamobrem ſicut cùm Epiſcopus conſecratur, ſpecialis illi à Pontifice conſecrante fit de baptiſmo conferendo expreſſio, *Epiſcopum* (inquit) *oportet iudicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare & confirmare.* Ita & Preſbytero; huic enim dicitur ab Antiſtite ordinante, *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeſſe, prædicare & baptizare.* Idipſum ab Eccleſiæ incunabulis videmus conſtanti ritu obſeruatum, atque ex ipſa Apoſtolorum politia, quam referens Sanctus Clemens lib. 3. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 11. diſertè dicit: *Imò neque reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus, vt lectoribus, cantoribus, ianitoribus, aut miniſtris, niſi tantùm Epiſcopis & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis.* Et lib. 3. c. 20. *Nec Presbyterum, neque Diaconum iubemus ordinare ex laicis Clericos, ſed Presbyterum tantùm docere, offerre, baptizare &c.* Idque ipſum can. 50. Apoſtolorum inſinuat, qui ſic habet: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non tria vnius myſterij baptiſmata perfecerit, deponatur.* In Epiſtola Paſchaſij Epiſcopi ad Leonem Papam, legimus ex more ſtabili Eccleſiæ, *Cùm Presbyter ſecundùm morem, baptizandi horam requireret.* Et in vita S. Ioannis Chryſoſtomi à Palladio conſcripta: *Ioannis ipſius Presbyteri quibus Dei aderat timor, in publico lauachro quod Conſtantianum appellatur, coactis populis vigilias inchoârunt, partim diuina eloquia legentes, partim eos qui inſtructi erant in fide baptizantes, vt eſt moris in Paſcha.* Ex quo iure moréque authentico S. Iſidorus lib. 2. de diuinis officiis hoc elicit theorema: *Vnde conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe traditum, eiúſque miniſterium, nec ipſis Diaconis explere licitum eſt, abſque Epiſcopis, vel Presbyteris, niſi illis procul abſentibus, vltima languoris cogat neceſſitas, quod & laicis fidelibus plerumque permittitur.* Hinc in Concilio Florentino ea in inſtructione quæ Armenis tradita eſt, diſertè legimus definitum, vbi agitur de baptiſmi Sacramento, *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos* &c.

Matth. 28.

Scholaſtici Theologi & Canoniſtæ Doctores agnoſcunt Parochum, ſcilicet Preſbyterum ſpecialis parœciæ paſtorem, eſſe miniſtrum legitimum baptiſmi: habere etenim ex ipſo ſuo titulo *appro-*

bationem iuris, & proinde ſine ſpeciali licentia Epiſcopi poſſe ſuo officio fungi, ideóque non ſolùm licitè poſſe, ſed ex ipſo parochiali titulo obſtrictum eſſe conferendo baptiſmo parœcianis ſuis, ſiue adultis, ſiue paruulis: quod tamen non fit independenter ab Epiſcopo, quia ipſi Parœcus ſubeſt, & ab eo, vel ſummo Pontifice, recipit cum onere illius ſubordinationis & dependentiæ animarum regimen & inſtitutionem in officio canonicam. A qua & ipſo ordine ſuo ius habet in ſuæ diſtrictu parœciæ baptiſma miniſtrandi, nulla deinceps tamen petita ab Epiſcopo licentia, quia id muneris ei ipſo iure obeundum incumbit.

At ſecus eſſe de Preſbyteris, qui Baptiſmali Eccleſiæ non præſunt; hi etenim, quamuis ex charactere ſuo habeant veram poteſtatem baptizandi, defectu tamen ſubiectæ materiæ illam potentiam licitè exercere non poſſunt. Quòd ſi ſe ingerant huic miniſterio validum quidem eſſe baptiſmum, ſed miniſtrum tamen peccare, reatúque teneri violatæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Axioma eſt Apoſtoli; *Quæ à Deo* Rom. 13. 1. *ſunt ordinata ſunt*; Proindéque in Eccleſia *omnia debent cum ordine fieri.* 1. Cor. 14. 40. Ordo autem non patitur, vt omnes ſibi omnia arrogent, ſed ſua in menſura permaneant, quam eis dimenſus eſt Deus, vel Eccleſia eius auctoritate præſcripſit. Eleganter S. Ambroſius in c. 4. Epiſt. ad Epheſ. ordinis huius Eccleſiaſtici neceſſitatem ac conuenientiam deſcribit: *Poſtquàm locis omnibus* (inquit) *Eccleſiæ ſunt conſtitutæ & officia ordinata, aliter compoſita res eſt quàm antè cœperat. Primùm enim omnes docebant & omnes baptizabant, quibuſcunque diebus vel temporibus fuiſſet occaſio: vt ergo creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt & euangelizare & baptizare & Scripturas explanare: At vbi omnia loca complexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſia ſunt ordinata* &c. Ideò ſapienter Concilium Florentinum in citata inſtructione ad Armenos, vbi dixerat, Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, continuò ſubiunxit per modum reſtrictionis, *cui ex officio competit baptizare.* At loquitur ſynodus, ſeu ex ſynodi conſona mente Eugenius Pontifex, de miniſtro ordinario & extra caſum neceſſitatis, quô non ſolùm cuilibet Preſbytero, ſed & Diacono, & Clerico, quin & laico &c. baptizare licet paruulum vel adultum in neceſſitate verſantem.

Dices, ſed ſic nihil habet Sacerdos plus quàm Diaconus, aut Clericus, at nec, quod laicus &c. quia vt ſubiungit decretum illud Florentinum, *hi omnes in eo caſu baptizare poſſunt.* At hoc dignitati Sacerdotali repugnat, & Scripturæ ſacræ obuerſatur, in qua pro maledicto ponitur *Quòd ſit populus, vt Sacerdos.* Isai. 24. 2. Verùm illa conſequentia negatur, nam cùm ſic quicumque Preſbyter baptizat, non hoc facit vt miniſter extraordinarius, ſed vt ordinarius cui id incumbit abſolutè ex officio, ſaluo ordine Eccleſiæ. Inſuper, Preſbyter quicunque in illo caſu baptizare poteſt ſolenniter & chriſmate verticem linire infantis vel adulti, quod non licet Diacono, multo minùs inferiori Clerico, & prorſus nefas eſt laico quantâvis ſuffulto dignitate.

Sunt qui dicunt ex commiſſione Epiſcopi fas eſſe cuilibet Preſbytero, etiamſi non Parocho vbique in diœceſi baptizare, etiam inuito Parocho loci. Non nego quidem ius eſſe Epiſcopi id muneris cuicumque Sacerdoti committere, vt baptizet etiam ſolenniter in Parœcia, v. g. dummodò paſtoris ſit proprij ſolatio deſtituta, vel Parœcus ſit interdictus aut ſuſpenſus, aut mutus, aut mutilus, aut æger, aut alio quovis modo incapax ſeu impeditus ſuo miniſterio perfungendi, & nulli alij eſſent pro eo Vicarij Sacerdotes qui miniſterium hoc explerent. Quo caſu vel conſimili ceſſante, Epiſcopus non poteſt canonicè quemquam deputare, qui hoc officium inuito Parocho exequatur, tum enim grauaret inferiorem eíque iniuriam irrogaret, rixarúmque & ſcandali non leuis daret occaſionem, ſicque contra iuſtitiam & canonicam diſciplinam peccaret, & materiam conquerendi daret Parocho iuxta regulam iuris, *Qui me debuit defendere, me non debuit opprimere.* Speculator & ſuperintendens eſt Epiſcopus, ideóque proprio ex officio obſtringitur proſpectum ire ne Eccleſia accipiat detrimentum. Incurreret verò Eccleſia graue incommodum, ſi Epiſcopus ſpreto ordine & omni ratione, ſpoliaret ſine culpa Parochum iure ſuo, videlicet ſummittendo operarios in eius meſſem ſine vlla neceſſitate. Tunc enim renitente Parocho & ius quæſitum defendente, ſcandala orirentur; Epiſcopus ſeſe exponeret inferiorum contemptui, aut certè illi in ſuo munere obeundo fierent puſillanimes, ab eo ſcilicet iniuriam querentes ſe pati, à quo expectare debent ſuo in labore ſolatium, atque iuris ſui canonicam defenſionem. Adde quòd ſi vrgeret committendi neceſſitas, quandiu in promptu eſſent Sacerdotes, non Monachi, exequendis parochialibus officiis, maximè verò miniſtrando baptiſmo idonei, non poſſet ex iure canonico Epiſcopus Monachos huic explendo muneri præficere, ſic enim ſtatutum habetur can. Placuit 2. 16. q. n. 1. *Placuit* (inquit in ſynodo Eugenius III.) *vt nullus Monachorum de monaſterio exire, nefandiſſimo auſu præſumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo accipere, neque baptizare.* At verò Epiſcopo non licet venire contra canones, hos enim ſe ſeruaturum in conſecratione ſua, ſpeciali iureiurando promiſit, neque ei licet diſpenſare contra ius commune Eccleſiæ, niſi in caſibus quibus ipſo iure conceſſum eſt. At hic caſus diſpenſandi non ſuppetit quandiu præſto ſunt Sacerdotes, votis monaſticis non aſtricti: Sacerdotes tamen regulares in caſu neceſſitatis, vbi ſæculares non adſunt, ritè & validè baptiſma miniſtrare poſſunt, imò ex officio Sacerdotali ad id conferendum tenentur. At hoc in caſu, neceſſaria non eſt Epiſcopalis licentia, niſi generalis, & ex iure præſumpta.

His præmiſſis peruium eſt ad obiectiones reſpondere, quæ pro Epiſcopali prærogatiua in baptiſmi ipſa miniſtratione, ſuperiùs ex auctoritatibus & rationibus adductis elici poſſunt: loca enim Patrum quæ Epiſcopum ordinarium miniſtrum baptiſmi eſſe teſtantur, Presbyterum non excludunt, eſt enim Presbyter quoque baptiſmi ordinarius

miniſter, ſed ſecundarius, quia Epiſcopus primarius eſt. Et ſi quæ ſunt Patrum ſententiæ quæ munus baptizandi ſoli Epiſcopo tribuant, intelligendæ ſunt de baptiſmo ſolenni, quando in vnaquaque ciuitate vnum templum, vnúmque tantùm baptiſterium erat: vel de duobus diebus ſolennibus, Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ, vel Sabbato Pentecoſtes. Quæ tamen praxis erectis parœcialibus titulis ſeu baptiſmalibus Eccleſiis, & vnicuique præfecto proprio Sacerdote, ſenſim quidem, ſed penitùs demum ferè iam vbique exoleuit, iure tamen ſolido prærogatiuæ ſingularis reſeruato Antiſtiti, quocumque & quotieſcumque voluerit, actum ipſum ſibi vendicandi, quia *omnes baſilicæ ſunt Epiſcopi.* Et ipſe Epiſcopus vniuerſæ diœceſis proprius eſt Sacerdos, eminentiori modo quàm Preſbyter proprius Paſtor aſſignatæ plebis ac determinationis Eccleſiaſticæ. Ad rationem autem quam afferunt Scotus & Gabriel: *Admittere quemuis in aliquam rempublicam vel congregationem, conuenit ei qui præſidet. Atqui baptizare aliquem, eum eſt in Eccleſiam admittere. Ergo hæc facultas Epiſcopo competit.* Reſpondeo Sancti Bernardi verbis, rationem ipſam facere quidem pro Epiſcopo *principaliter, ſed non ſingulariter*, ideóque Epiſcopum eſſe ordinarium miniſtrum baptiſmi præcipuum, at non ſolum ordinarium. Si Epiſcopus ſolus potuiſſet omnia explere Sacerdotalia munera, haud opus fuiſſet in Eccleſia multiplicare Sacerdotes: in quorum tamen ordinatione gratias Deo referens ipſe Epiſcopus, de hoc ſibi diuina bonitate acceſſo ſolatio expreſſim ait: *Hac Domine prouidentia Apoſtolis filij tui, Doctores fidei comites addidiſti*, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, quæſumus hæc adiumenta largire, qui quantò fragiliores ſumus, tantò his pluribus indigemus.* Applicatio eſt facilis, conſequentiáque manifeſta. Nec propoſita comparatio eſt obici, ſiquidem in ordinatione Preſbyteri dicitur *oportere illum non modò baptizare, ſed & præeſſe.* Vbicunque igitur abeſt Epiſcopus, Sacerdos, ſacer dux cenſendus eſt: Præeſt ſiquidem abſente Epiſcopo in Eccleſia, maximè ſi propriæ ſit plebi parœciali, iure ac honore præfectus. Qua de re vberiùs diximus olim, in libro *de Epiſcopali Monogamia & Eccleſiaſtica vnitate.*

* Luculentum olim Commẽtarium ſcripſimus de 72. Domini diſcipulis, qui nõdum typis editus eſt: in quo, quanto fuerint ſubſidio Apoſtolis illi diſcipuli, quos ipſe Dominus in eorum ſolatium deſignauit Luc. 10 perſpicuum facimus: his autem ſucceſſiſſe Presbyteros, Canones docent, & Patres paſſim aſſerunt.

CAPVT V.

Diaconum eſſe ſubſidiarium miniſtrum Baptiſmi.

QVANDO Epiſcopus ordinat Diaconos, ſic eos antequam actionem incipiat, alloquitur: *Prouehendi filij dilectiſſimi ad Leuiticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis:* DIACONVM *enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, prædicare.*

At pugnare hæc doctrina videtur cum traditione Apoſtolica, quam S. Clemens plerisque locis Conſtitutionum teſtatur, ſed diſertiſſimè lib. 8. c. 28. *Diaconus*, inquit, *non baptizat, non offert* &c.

& c. 46. poſt medium; *Neque fas Diacono aut ſacrificium offerre, aut baptizare.* Conſonat & Can. *Conſtat* de Conſec. diſt. 3. Sed ad harmoniam hæc reuocari facilè poterunt admiſſò temperamento, quod Canones paſſim interponunt, vt non liceat Diacono baptizare, *niſi cogente neceſſitate, & ex conceſſione Epiſcopi, vel Presbyteri,* vt patet citato canone, *Conſtat.* & Can. *Diaconos.* qui eſt excerptus ex Epiſtola Gelaſij Papæ ad Epiſcopos Lucaniæ. & can. *Præſente* diſt. 93. Verùm obſtat huic concentui regula hæc Eccleſiaſtica, quæ ſeptima eſt inter canones Romanorum miſſos ad Epiſcopos Galliæ, qua *Diaconis baptizare extra tempus Paſchæ prohibetur. Porrò in Paſcha hoc tantùm indulgetur propter affluentem multitudinem, quam ſolus Epiſcopus, vel Presbyteri baptizare non ſufficiebant.* In ſubſidium igitur Diaconi vocati tunc tantùm ad hoc munus arceſſebantur ab Epiſcopo, ſed ſequitur in canone, ne hoc vltra diem illum quo iubente Epiſcopo id faciunt Diaconi præſumant, *Sed quod ſemel fortè contigit* (verba ſunt canonis) *vſurpare per neceſſitatem dicuntur excuſati, nec poſteà in ſecunda commiſſum* (hoc eſt ab eis attentari poteſt) *impune.* Fulcit hunc canonem Clementis præfati doctrina lib. 8. Conſtitut. c. 26. vbi cùm dixiſſet Diaconis fas non eſſe baptizare, aliquibus interpoſitis, id confirmat exemplo Stephani Diaconi protomartyris. Ad id verò quod obiici poſſe videbat de Philippo Diacono, Stephani ſymmyſta, qui Eunuchum baptizauit, reſpondet, non hoc feciſſe ex officio, ſed ex diuina diſpenſatione, & ſpeciali Chriſti mandato, quemadmodum & Ananias, quem vult fuiſſe merum laicum fidelem, hic enim Chriſti ſibi apparentis expreſſa iuſſione, Saulum baptizauit, ſequente miraculo, quod commiſſionis eius patens erat ſigillum.

Extant tom. 1. Concil. Gall. p. 589.

Vbinam igitur eſt hîc (dices) prærogatiua Diacono, ſi nihil in miniſterio baptiſmi magis poteſt quàm ſimplex Laicus? cur ei igitur dicit Epiſcopus in ſua ordinatione, oportet Diaconum baptizare? verba ſanè Epiſcopi eſſe vera neceſſe eſt, proinde aliquid concedendum eſt Diacono in parte miniſterij huius, quo non tantùm laicis fidelibus, ſed & inferioribus Clericis antecellit.

Hoc igitur habet Diaconus ex vi ſui ordinis, vt eo præſente nullus inferior Clericus, nullúſque omninò laicus baptizare omninò præſumat: quod ſi attentârint rei ſunt grauis piaculi, nimirum ſacrilegij, eo quòd in re ſacra vſurpent alienum officium. Inſuper hoc habent non ſolùm vt in neceſſitate abſente Epiſcopo & Presbytero licitè baptizent, quaſi ex proprio munere, ſaltem in hoc inſtanti, ſed etiam Epiſcopo, vel Sacerdote præſente, dummodò ipſi iubeant hoc miniſterium obire. Nec porrò eſt in poteſtate Epiſcopi, vel Sacerdotis, ſi adſit Diaconus, alium inferiorem Clericum delegare, quoniam hoc habet priuilegium Diaconus ex ordinatione ſua, vt tertio ordine ad hoc munus accedat, mediante tantùm Epiſcopali vel Sacerdotali iuſſione, quæ perficit facultatem inchoatam per characterem ipſum Diaconatûs, dum ad actum per hanc iuſſionem, licitè reducit poteſtatem, qua vti licitè nequit, ſine mandati illius acceſſione.

Sed

Sed quæſtio vertitur, an cùm Diaconus ſupplet vicem Sacerdotis in miniſtrando baptiſmate, poſſit ſolenniter baptizare? Sotus affirmat, quem ſequitur Vaſquez in 3. part. S. Thomæ diſput. 147. c. 4. q. 67. a. 5. Et nuper Geſualdus tom. 1. Moralium operum, quo tractat de Sacramentis nouæ legis part. 1. tract. 2. de Sacramento baptiſmi c. 1. n. 8. quanquam obiter. Et verum quidem eſt in hoc ſenſu, quòd Diaconus poſſit non tantùm publicè, ſed in Eccleſia ipſóque Baptiſterio cum ſtola à dextro humero in ſiniſtrum ſub axillam dependente, baptiſmum miniſtrare tam paruulis quàm adultis, neceſſitate exigente, vel Sacerdote iubente. Sed ſi aduerbium illud, SOLENNITER, ſumitur eo ſenſu, vt poſſit Diaconus omnes baptiſmi cæremonias explere, quas ipſe Sacerdos implet dum baptizat: tum dico Diaconum non poſſe ſolenniter baptizare, cùm ei non liceat aquam baptiſmalem benedicere, nec linire ſacro chriſmate verticem eorum quos baptizat: hoc enim proprium eſt Sacerdotum ex traditione Apoſtolica, quam ſanctus Silueſter primus ſpeciali decreto renouauit: *Hic & hoc conſtituit* (ſcribit Anaſtaſius in Silueſtro) *vt baptizatum liniret Presbyter chriſmate, leuatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis*, voluítque hoc eſſe proprium Preſbytero: ſicut chriſma conſecrare Epiſcopo, vt idem Anaſtaſius ibidem inſinuat. Ius igitur hoc eſt Sacerdotale, nec Diacono competere poteſt &c. Verùm de Diaconi tam ordinariis quàm extraordinariis muneribus aliàs diximus ex profeſſo, ſcilicet tom. 1. de Myſticis Galliæ Scriptoribus in Paulo, Ritu 2. & in digreſſiuncula poſt Ritum 11. §. 4. de Protodiaconis & Archidiaconis à pag. 108. ad 128.

Anaſt. de Vitis Pontif. Roman. n. 34. paulo poſt initium.

Cæterùm quod ſpectat ad canonem vltimo loco citatum, dico intelligendum eſſe extra caſum vrgentis neceſſitatis, quo ingruente fas eſſe Diacono, imò & omnibus ei inferioribus baptizare, alij Canones prænotati declarant. Quin & in Concilio I. Aurelianenſi, anno Chriſti 511. habito, canon extat ſerie 12. hoc tenore, *Si Diaconus, aut Presbyter pro reatu ſuo, ſe ab altaris communione ſub pœnitentiæ profeſſione ſubmouerit, ſic quoque ſi alij defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat eis baptizare.* Quòd ſi Diacono reo & pœnitenti, quanto magis Diacono criminis & cenſuræ canonicæ experti?

CAPVT VI.

De inferioribus Clericis, vtrum ius quoddam habeant ſui ordinis titulo conferendi Baptiſmum?

DE Baptiſmi miniſterio, nulla mentio fit in ordinatione Subdiaconi, nec in ordinatione inferioris gradûs Clericorum, quia hoc officium ad ipſorum munus non ſpectat. Si enim ad aliquem ex inferioribus Diacono Clericis pertineret, Subdiacono ſanè competeret qui gradu & honore proximus eſt, & eodem quo Diaconus ipſe priuilegio gaudet, *Gloſſ. fin. in cap. Ad hæc de relig. Domibus;* Quam-

OOooo

obrem inter minores Ordines non cenſetur, *Cap. Prætereà, de ætate & qualit.* &c. Sed ad maiores refertur: quorum etſi poſtremus, tamen vnus ex tribus eſt, & ideo ſicut Diaconus & Preſbyter ad continentiam obligatur. *Cap. à multis, eodem tit.* & vt canonicè ordinetur, habere debet bonum de ſe teſtimonium, & in minoribus ordinibus probari & exerceri, quin & ſi per annum in officio ſuo verſatus non fuerit, ad Diaconatum non eſt promouendus. Ex decreto Concilij Trident. ſeſſ. 23. c. 2. Sed quamuis ſit ordo ſacer *Cap. fin. de Bigamis*, nullum tamen Sacramentum ei miniſtrandum incumbit. Neque ipſe Baptiſmus, quem ſi quando miniſtrat, non ex officio ſed ex mera neceſſitate, vt quilibet alius inferior Diacono Clericus, imò & laicus hoc facit; vnde ſequitur multo magis minores Clericos hoc Sacramentum miniſtrare ex officio non poſſe.

Aliqua tamen prærogatiua hoc in caſu (ſcilicet vrgente neceſſitate) tam Subdiaconus quàm inferiores Clerici potiuntur: nimirum vt aliquo ex iis præſente, non liceat cuiuis laico collationem ſibi baptiſmi arrogare; ſi verò attentauerit, quamuis ratus maneat baptiſmus, *Can. Sanctum. De conſec. diſt. 4.* laicus tamen ipſe graui reatu irretitur, propter illam præſumptionem, qua Eccleſiæ contempſit ordines, & eius perturbauit politiam. *Can. Mulier. diſt. 23. & gloſſ. in canonem fin. 24. q. 1.* Rectus igitur ordo requirit, vt cùm inſtat baptizando paruulo vel adulto mortis periculum, inferior * ſemper cedat ſuperiori, & ſic laicus cuicunque Clerico, etiam infimæ claſſis. Et verò, laico mulier; & perſonæ baptizatæ, quilibet non baptizatus Iudæus vel paganus: Et minor Clericus ſuperiori ſuo, v. g. Acolythus Subdiacono. Ita eliciunt ex doctrina S. Thomæ, p. 3. q. 67. a. 4. Paludanus in 4. diſt. 5. q. 2. concluſ. 3. n. 7. Gabriel diſt. 6. q. 1. a. 2. poſt concluſ. 2. Sotus diſtinct. 4. q. vnica a. 2. §. *Circa tertium verò*, Silueſter verbo *Baptiſmus*, non procul ab initio, Nauarrus in ſumma c. 22. num. 7.

* Nota

CAPVT VII.

De Laicis: Num eis inſtante neceſſitate, abſente Epiſcopo, vel Sacerdote (quibus ex officio munus baptizandi competit) quin & Diacono, ac inferioribus Clericis: baptiſmum miniſtrare liceat?

SANCTI Auguſtini (ſi Geſualdo ſuprà citato credimus) occurrit hîc primùm perpendenda ſententia, quæ grauis profectò eſt momenti; ita enim ſanctum Auguſtinum Geſualdus ipſe pronunciantem refert lib. 2. contra Parmenianum c. 13. *Soli Sacerdotes habent poteſtatem & ius adminiſtrandi Sacramenta, quæ ab ipſis adminiſtrari poſſunt, nam collatio Sacramenti eſt actio ſacra, ad quam dignè perficiendam miniſtri conſecrantur.*

Verùm Geſualdus morem quorundam Scholaſticorum ſecutus eſt, qui quamlibet Patrum auctoritatem, vbi ab aliquo priùs citatam reperiunt, ſi ſuis intentis accommodetur, quamuis abſona à Theologiæ certis principiis videatur, nihilominùs ardenter arripiunt, & quaſi à ſe apud ipſum auctorem repertam, & hinc excerptam ſua in ſcripta inducunt, vt hoc freti teſtimonio, ſolidiùs diſſerere, & eruditiùs diſputare, ab inexpertis in Patrum lectione cenſeantur. S. Hieronymus paſſim eiuſmodi ſcriptores reprehendit, qui *alienis legunt oculis*, & ſic proprio parcunt labori, (qui in euoluendis Patrum libris ſapientúmque operibus haud leuis eſt) vt dum alienæ fidunt diligentiæ, plerumque cæci cæcum ducem ſequantur. Sanè locus iſte vbi citatur à Geſualdo, apud S. Auguſtinum non extat, quamuis caput ex quo notatur adeo prolixum ſit, vt columnas duas & dimidiam inſuper complectatur. Antequam ſententiam ipſam cum citato originali contuliſſem, mihi profectò in mentem ſubiit, eam Auguſtini non eſſe. Conſtat enim terminis nimis accuratè ad Scholaſticam phraſim accommodatis: quod dicendi genus recentius eſt, quàm vt purè Auguſtinianum eſſe poſſit.

Tametſi autem illa ſententia, iiſdem & totidem verbis quibus à Geſualdo expreſſa eſt, apud S. Auguſtinum, vel ſignato loco, vel quouis alio reperiretur: ea tamen non efficeret abſolutè, vt nulli alij quàm Sacerdotes, quædam Sacramenta (quæ clauium poteſtatem non requirunt, v.g. matrimonium & baptiſmum) adminiſtrare poſſent. Verum eſt, quædam eſſe Sacramenta, eáque plura quæ nonniſi ab Epiſcopis vel Preſbyteris confici poſſunt, v. g. confirmatio, ordinatio, pœnitentia, euchariſtia, & extrema vnctio; quorum duo priora, alterum, vt miniſtrum ordinarium, alterum vt proprium miniſtrum ad Epiſcopum pertinent: tria cætera tam ipſi quàm Preſbyteris competunt: ita vt, ſi qui alij, vel Clerici, vel laici hæc ſibi munera arrogare præſumunt, non ſolùm ſacrilegium committant, ſed quod attentant, nullum prorſus & inane, hoc ipſo auſu, euadat. Quamuis autem collatio Sacramenti ſit actio ſacra, non tamen hinc neceſſariò ſequitur, vt nonniſi à ſolis miniſtris conſecratis expleri poſſit: cùm quædam ſint excepta Sacramenta, vel ob grauem neceſſitatem, aut aliam optimam rationem, quæ à miniſtris non conſecratis validè, vt baptiſmus, & neceſſariò, vt matrimonium, conferri poſſunt.

Verùm hîc fortè dicet quiſpiam: hæc nunc eſt doctrina communis, ſed ab initio non fuit ſic: Apoſtolorum enim tempore miniſterium baptiſmi penitùs laicis prohibitum erat, ſicut teſtatur S. Clemens lib. 3. Conſtit. Apoſtolic. c. 10. vbi ait, *Neque laicos concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti ſacrificium, baptiſmum, manus impoſitionem, vel benedictionem magnam ſiue paruam: non enim quis ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, & cui per Epiſcopi manus datur hæc dignitas, & qui ad eam promotus non eſt, ſed eam ſibi vſurpat, Oſiæ pœnam ſuſtinebit.* Veruntamen hîc ſermo eſt de Baptiſmo ſolenni, vel in præſentia Sacerdotis, à laico temere vſurpato.

Nam aliàs quòd fieri licitè poſſit, vt non Sacerdos, nec Diaconus, nec etiam Clericus, proinde laicus, queat in eorum defectu poſcenti baptiſmum miniſtrare: Clemens ipſe cenſuit lib. 8. Conſtitut. c. vlt. vbi ponit exemplum Ananiæ Damaſci baptizantis, tametſi nec Sacerdos, nec Diaconus, ſed tantùm eſſet (vt putat) laicus fidelis. Nec obſtat quòd à S. Luca nuncupetur diſcipulus. *Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias.* Nam teſte ipſo Luca, antequam Antiochiæ ſub Paulo & Barnaba, Chriſtiani nomen vſu inoleuiſſet, paſſim *fideles, diſcipuli vocabantur.* Act. 11. 26. Verùm tametſi fuiſſet Ananias tantùm laicus, non poſſet tamen factum eius in exemplum traduci, quòd ex diuino iuſſu ſpecialiter ſibi facto, Ananias Saulum baptizauerit. Cæterùm non fuit tantùm diſcipulus lata acceptione, quatenus erant tum omnes credentes; ſiquidem diſcipulum Chriſti inſignem vnum videlicet ex 72. ſubindè verò proprium Epiſcopum Damaſci hunc fuiſſe, clarè & ſolidè oſtendimus in noſtra Septuaginta duorum Domini diſcipulorum Synopſi, *in ipſo Anania*, cuius & Martyrium ibidem deſcripſimus. Sepoſito igitur hoc exemplo, vt quod vix ad rem faciat, palam eſſe dico, iam olim in Eccleſia creditum, in caſu neceſſitatis inſtantis, potuiſſe laicos baptiſmum conferre. Hinc Tertullianus, *Vbi non eſt conſeſſus Eccleſiaſticus, tu tingu.* Nec porrò illicitè. *Quia* (ait lib. de Baptiſmo) *quod ex æquo ab omnibus accipitur, ex æquo ab omnibus dari poteſt.* Idem dicit S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *Scimus etiam licere laicis, vt enim accipit quis, ita & dare poteſt.* Idem traditur *can. Conſtat de Conſec. diſt. 4.* Vbi poſtquam dictum eſt non licere Diacono abſque Epiſcopi, vel Preſbyteri licentia, baptiſmi explere miniſterium: continuò ſubditur, *Niſi illis procul abſentibus, vltima languoris cogat neceſſitas, quod & laicis fidelibus plerumque permittitur.* Tandem hoc expreſſè definiuit Concilium Florentinum in admonitione ad Armenos, iam ſemel ac iterum laudata, praxíſque generalis Eccleſiæ hoc ipſum confirmat. Nec ipſi hæretici Caluiniſtæ hoc reipſa inficiantur. Tametſi enim Caluinus lib. 4. Inſtit. c. 15. 20. 21. & 22. & in Antidoto Concilij Trident. ſeſſ. 7. Can. 10. de Sacramentis dixerit, iis qui non ſunt ordinarij Eccleſiæ Miniſtri, minimè licere quamuis vrgeat neceſſitas, aliquem baptizare, non tamen aſſeruit, ſi actualiter quiſpiam alius à publico Eccleſiæ Miniſtro hoc munus obierit, nullum aut inualidum huiuſmodi baptiſmum exiſtimandum eſſe. Nec eius ſectarij quamuis non neſciant in Eccleſia Catholica & Romana, laicos inſtante neceſſitate conferre aliquoties baptiſmum, illum proptereà reiiciunt aut reiterandum contendunt. Accedit quòd Magiſtrum ſequentes, ſuos Miniſtros meros laicos eſſe arbitrantur, nulla ordinatione conſecratos, ſed tantùm ad hoc officium deputatos ex populi, vel magiſtratus commiſſione: Et verum tamen baptiſmum ab iis conferri volunt: Sic ſatis apertè baptiſmum poſſe à laicis, validè ſaltem miniſtrari, confitentur.

Act. 9. 10.

CAPVT VIII.

Mulieribus an liceat in caſu inſtantis neceſſitatis baptizare?

CIRCA mulieres grauior nonnihil videri poteſt difficultas: Patres enim in aduerſum ſtare prorſus videntur. S. Clemens lib. 3. Conſtit. Apoſt. c. 9. Apoſtolos inducit ſic loquentes: *De mulieribus autem an hæ baptizare debeant, ſignificamus vobis, quòd non paruum periculum imminet iis qui hoc faciunt, ideo non conſulimus; periculoſum eſt enim, imò iniquum & impium.* Et infrà: *Quòd ſi in præcedentibus eas docere non permiſimus, quomodo quis eas præter naturam ſacra facere concedat? Hæc eſt enim iniuſtitia ad impietatem Græcorum pertinens, fœminis deabus ſacrificulas inſtituere.* Tertullianus verò libro de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, capite 41. de hæreticis mulieribus refert ita eſſe procaces, *vt audeant docere, exorciſmos agere, curationes repromittere, & forſan tingere*, hoc eſt baptizare. Et lib. de baptiſmo c. 17. *Petulantia*, inquit, *mulierum, quæ vſurpauit docere, vtique non etiam tingendi ius ſibi pariet? niſi ſi qua noua beſtia euenerit ſimilis priſtinæ, vt quemadmodum illa auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat.* Per priſtinam beſtiam, Quintellam intelligens, contra quam librum ipſum ſcripſit. Hæc enim baptiſmum negauit, vt conſtat ex libri eiuſdem c. 1. vbi ipſe Tertullianus Chriſtianos vocat *piſciculos, qui ſecundùm Chriſtum in aqua naſcuntur: ita in Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integrè quidem docendi ius erat, optimè nôrat piſciculos necare de aqua auferens*, hoc eſt denegans illis baptiſma. S. Epiphanius lib. 3 hæreſ 79. quæ eſt Collyridianorum, vbi prohibitum aſſerit mulieribus ſacrificare: *Si mulieribus*, inquit, *præceptum eſſet ſacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Eccleſia, oportebat magis Mariam ipſam ſacrificium perficere in nouo teſtamento, quæ digna facta eſt ſuſcipere in propriis ſinibus vniuerſorum Regem, Deum cœleſtem, filium Dei: cuius vterus templum factum eſt ac domicilium, ad Domini in carne diſpenſationem, per Dei benignitatem, & admirandum myſterium præparatus eſt. At non complacuit.* SED NEQVE BAPTISMA DARE *concreditum eſt, alioqui potuiſſet Chriſtus ab ipſa baptizari, potius quàm à Joanne.* Et hæreſ. 42. conqueritur de Marcione hæreſiarcha, *Dat etiam mulieribus permiſſionem vt baptiſmum dent:* Quem errorem etiam Marcionis ſectatoribus tribuit S. Ioannes Damaſcenus in ſuo de hæreſibus libro. Accedit Carthaginenſis Concilij canon 100. allegatus à Gratiano de Conſec. diſt. 3. his verbis, *Mulier baptizare non præſumat.*

Sed nihilominùs aſſerendum eſt, mulieres in illo caſu neceſſitatis vrgentiſſimæ, non ſolùm validè, ſed etiam licitè baptizare poſſe, ſic enim definitum fuit ab Eugenio IV. in Oecumenico Concilio Florentino, in ſæpiùs iam memorata ad Armenos inſtructione, vbi ſic decernit de baptiſmo, *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex offi-*

cio competit baptizare: in caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus & MVLIER, imò etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.

Sanè axioma eſt Chriſtianum, circumciſionem fuiſſe ſignum & figuram baptiſmi: atqui circumciſio conferri poterat à mulieribus, vt patet exemplo Sephoræ, quæ laudabiliter filium ſuum circumcidit, Exod. 4. Ratio eſt, quia circumciſio quæ fuit Sacramentum legis naturæ, non autem legis ſcriptæ, non habebat miniſtrum determinatum, cuius deſignatio alium excluderet, vt notat Abulenſis ſuper Ioſue, ad cap. 5. Et licèt vt plurimùm à Sacerdotibus adminiſtraretur, tamen vbi non aderant, à laicis, & mulieribus conferri poterat, vt re ipſa factum, per viros etiam incircumciſos elicitur ex Geneſ. 34. Et per mulieres, tam ex facto Sephoræ, ſuprà memorato, quàm ex eo quod refertur 1. Machab. 1. vbi legimus à multis matribus filios circumciſos fuiſſe; *Mulieres quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur, ſecundùm iuſſum regis Antiochi.* v. 63. Proinde martyrij laureâ propter hoc pietatis officium, à Deo honorari meruerunt. Celebríſque eſt ex ritu Hebræorum opinio; matres potiùs quàm patres filios circumcidiſſe, quoniam cùm natura piæ, & animo ſint teneriores, quo blandiùs & mitiùs poterant, adminiſtrabant, reſecantes tantillam particulam, quantula ſatis eſſet ad ritus & legis ſatisfactionem. Quo ex more Catholici quidam Auctores aſſerunt Chriſtum Dominum non à Ioſeph, neque à Simeone, vt pictores fabulosè repræſentant, ſed à propria matre Virgine beatiſſima fuiſſe circumciſum: quod ex ſancto Hieronymo eliciunt in paruo opuſculo, quod tom. 4. eius operum extat, imò ex S. Bernardo, qui ſcribit in ſermone de Circumciſione Domini, Virginem eius Genitricem hoc functam fuiſſe officio: ait enim, *Virgo Chriſtum genuit, lactauit, & octaua die circumcidit.* Nec eſt quòd quis excipiat tenerioris fuiſſe animi erga vnigenitum ſuum benigniſſimam Virginem, quàm vt guttulam ſanguinis eius vlla vi, (vt ſine vi fieri nequit) effunderet: ſtetit enim impauida ante eius crucem, & eum pro mundi ſalute immolatum, quantum in ſe erat obtulit Deo patri, morienti ex obedientia filio ſuo conſentiens: vnde euaſit ſuorum viſcerum immolatrix, magis quàm Abraham qui fide tantùm immolauit filium ſuum Iſaac, non re ipſa ſacrificauit. At fortior Virgo aſtitit filio ſuo in cruce morienti, & eius obedientiam, adæquata conformitate ad præceptum Dei patris, ſuô aſſenſu obſignauit. Sic reſpexit ad legem, diuinúmque beneplacitum, filium ſuum circumcidens, proinde maternam animi teneritudinem excelſo compreſſit animo, & filij ſeſe legi vltrò ſubiicientis, quo Patri placeret & eum nobis placaret, ſeſe voluntati conſentientem exhibuit, à quo nunquam in re vel minima diſſenſit.

Hac igitur ex inductione liquet, fas fuiſſe mulieribus filios ſuos circumcidere, proindéque miniſterium explere circumciſionis. Cùm itaque circumciſio fuerit figura baptiſmi, & neceſſe ſit figuram cum re

figurata conuenire: hinc colligere rationi conſentaneum eſt, mulieres prorſus à miniſterio baptiſmi non excludi, ſed aliquando ſcilicet vbi vrget neceſſitas, & neque Sacerdotes, neque Clerici, imò nec laici fideles præſentes ſunt, illius explere poſſe miniſterium: quin ſi abeſſent viri Chriſtiani, adeſſent tantùm Iudæi, vel Sarraceni, aut quilibet alij infideles, his præferendas eſſe mulieres Chriſtianas non dubito: tum quòd ſexu non obſtante perſona quæuis baptizata dignior eſt alia quauis non baptizata; tum quòd mulier Chriſtiana magis perita eſt ritus baptiſmi, formæque & materiæ legitimæ obſeruandæ ſecundùm Eccleſiæ intentionem, capacior & ſtudioſior præſumenda eſt, quàm quilibet infidelis, qui hoſtis fidei eſt quandiu in infidelitate perdurat, nec ſeruus Dei & Eccleſiæ eſſe poteſt filius, priùs quàm fidem diſcat & profiteatur, baptiſmúmque in voto, vel reipſa ſuſcipiat.

His præmiſſis, ad loca Patrum indicata facile eſt reſpondere, videlicet intelligenda eſſe de munere ordinario, vel miniſterio publico & ſolenni, vel extra caſum neceſſitatis. Nec enim in dubium reuocari poteſt, quin Eugenius IV. Pontifex & Patres Concilij Florentini, qui ei aſſiſtebant in hoc generali Eccleſiæ conſeſſu, illas Patrum ſententias cognouerint & æqua lance perpenderint, proinde ſic intelligendas cenſuerint, vt non obeſſe crediderint ſuæ definitioni, cui facem prætulerat Vrbanus II. in reſponſali Epiſtola ad Vitalem Brixienſem Preſbyterum, ex qua excerptus eſt can. 4. cauſæ 30. q. 3. Qui ſic habet, *Super quibus conſuluit nos tua dilectio, hoc videtur reſpondendum, vt & baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit.* Cæterùm Concilium IV. Carthaginenſe, c. 99. vel 100. non abſolutè prohibet mulieri baptizare, ſed in conuentu, hoc eſt in Eccleſia, qua cum reſtrictione refertur idem canon de Conſec. diſt. 4. Can. *Mulier*, qui eſt huius diſtinctionis n. 20.

CAPVT IX.

De Hæreticis Baptiſmum miniſtrantibus.

REBAPTIZANTES in Africa (ait Card. Bellarminus part. 2. Chronologiæ ſub annum 239.) Agrippino qui S. Cyprianum in Epiſcopatu Carthaginenſi præceſſit, auctore exorti ſunt: docuerunt baptizatos ab hæreticis, iterum eſſe in Eccleſia baptizandos, & quamuis Agrippinus & S. Cyprianus appellari non poſſint hæretici, cùm Eccleſiæ communem nunquam reliquerint vnionem; tamen poſteri eorum Donatiſtæ, qui pertinaciter anabaptiſmum defenderunt, meritò hæretici habiti ſunt, vide S. Auguſtinum lib. de baptiſmo. Sed graphicè rem geſtam, nec minùs nitidè quàm breuiter explicat S. Vincentius Lirinenſis, qui decennio poſt S. Auguſtini obitum claruit in Gallia, inſigni ſapientiæ Chriſtianæ ſplendore, in aureo illo li-

Commonitorio 1. c. 9. to. 4. Biblioth. SS. PP. col. 59. edit. postrema Par.ſ.

bro, nunquam ſatis laudato, quem ſcripſit aduerſus profanas vocum nouitates, ſic enim ait: *Quondam venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra conſenſum omnium Sacerdotum, contra morem atque inſtituta maiorum, rebaptizandum cenſebat. Quæ præſumptio tantùm mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauerſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio renitterentur; tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum vt opinor exiſtimans, ſi reliquos omnes tantùm fidei denotione vinceret, quantùm loci auctoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ tunc in Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit: nihil innouandum, niſi quod traditum eſt. intelligebat enim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, nóſque religionem non qua vellemus ducere, ſed potiùs qua illa duceret, nos ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris traducere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Quis ergo tunc vniuerſi negotij exitus? quis vtique niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa nouitas.* Hæc Auctor ille in Eccleſia ſemper laudatiſſimus. Paulopòſt eadem in Africa floruit ſanctus Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis qui in libro *de fide ad Petrum*, cùm iam res eſſet extra controuerſiam poſita, axioma iſtud iam vbique receptum, poſterorum memoriæ inuiolabiliter tenendum conſignauit parte 2. cap. 3. *Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, Sacramentum baptiſmatis non ſolùm extra Eccleſiam Catholicam prodeſſe non poſſe, imò ſicut intra Eccleſiam rectè credentibus per ſanctum Baptiſma conferri ſalutem, ſic extra Eccleſiam baptizatis, niſi ad Eccleſiam redierint, eodem baptiſmo accumulari perniciem &c.* Hauſerat iſtam ſententiam ex ſcitis ſancti Auguſtini, cuius doctrinæ tenaciſſimus erat, lib. 2. de baptiſmo c. 7. *Baptiſmus datus in hæreſi vel ſchiſmate curat, cùm ad vnitatem Eccleſiæ peruenitur, non tamen iteratur.* Hinc oraculum Leonis Magni ad ſynonymum ſuum Rauennatenſem Epiſcopum c. 2. *Erga baptizatum ab hæreticis nullatenùs Sacramentum regenerationis iteretur, ſed hoc tantùm quod defuit, conferatur, vt per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem ſancti Spiritus conſequatur.* Magno ſuo deceſſori, Magnus ſubſcribit Gregorius, lib. 9. Regiſtri, epiſtola 61. quæ ſcripta eſt ad Quirinum Epiſcopum & Epiſcopos Hiberniæ his verbis: *Ab antiqua Patrum traditione didicimus, vt quilibet qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut vnctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ reuocentur. Vnde Arrianos per impoſitionem manus, Occidens; per vnctionem verò ſancti chriſmatis, ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat &c. Hi verò hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, ſicuti ſunt Bonoſiaci & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti Spiritum ſanctum peruerſo ſenſu eſſe quendam purum hominem Montanum credunt, quorum ſimiles multi ſunt alij, cùm ad ſanctam Eccleſiam veniunt,*

veniunt, baptizantur, quia baptiſma non fuit quod in errore poſiti in ſanctæ Trinitatis nomine, minimè perceperunt. Nec poteſt hoc ipſum baptiſma dici iteratum, quod ſicut dictum eſt in Trinitatis nomine non erat datum. Idem ſtatuit Concilium III. Conſtantinopolitanum dictum Quini ſextum, c. 95. Moguntinum IV. c. 5. Wormatienſe, c. 5. apud Burchardum lib. 4. Decretorum cap. 40. Tandem Concilium generale Florentinum ex Græcis & Latinis congregatum, ore Eugenij IV. in inſtructione ad Armenos; denique Concilium quoque Oecumenicum Tridentinum, his verbis, ſeſſ. 6. c. de baptiſmo: *Si quis dixerit baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit.* Ratio fundamentalis huius dogmatis eſt, quia in baptiſmo nec fides, nec probitas requiritur miniſtri, de Chriſto enim rectè dicit Ioannes, *Iſte eſt qui baptizat in Spiritu ſancto;* ſed ſatis eſt, ſi qui miniſtrat, vſum habeat rationis, linguæ, & manuum, vt poſſit cum recta intentione ad diuinam voluntatem conformata, & Eccleſiæ intentioni adæquata verba proferre, & aquam ſpargere, ſeu effundere. *Ioan. 1. 33.*

Legiſſe me ab aliquot annis memini Epiſtolam MSC. P. Vireti ad Ioannem Caluinum, iam Geneuam (quam corruperat in fide) occupantem, qua ſe mirari nonnihil ſignificat*, cur Caluinus ipſe (quem vt diſceſſionis ab Eccleſia Romana primarium poſt Lutherum auctorem, & iam inter Nouatores anteſignanum ſuſpiciebat) poſtquam nouam religionem inſtituiſſet, ipſius Romanæ Eccleſiæ non ſolùm abrogatis ritibus, ſed & nonnullis fidei dogmatibus abnegatis: nihilominus baptiſmum concederet paſſim verum in ea adminiſtrari, nec auulſos ab eius ſinu & gremio fideles rebaptizaret: ſibi enim videri, vel baptiſma Romanæ Eccleſiæ reiiciendum eſſe, vel recedendum ab illo Caluini principio, quòd Papa ſit Antichriſtus. Qui ſanè Antichriſtus eſſe non poterat, cùm traderet baptiſmum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, ſeruata forma & adhibita materia legitima, cum recta intentione faciendi in huius Sacramenti diſpenſatione, quod Chriſtus Dominus ſuis Apoſtolis præceperat. Reſpondit Caluinus ſe valde fuiſſe propenſum in eam ſententiam, qua baptiſmus Romanæ Eccleſiæ reiiceretur, & hinc ad ſe accedentes rebaptizarentur: verùm fuiſſe ab hac cogitatione obtentu ingentis incommodi deterritum, ſiquidem formidâſſe, ne ſibi, ſociiſque, qui in Romana Eccleſia baptizati fuerant obiiceretur, ſi verè baptizati non eſſent, ius reformandi religionem & populum congregandi, paſtoréſque committendi, ipſis nullum ſuppetere; atque ideo nihil magis ad ſe Eccleſiæ reformandæ, prædicandíque, ac Sacramenta miniſtrandi officium pertinere, quàm ad Iudæos, vel Turcas, alióſque infideles; abſtinuiſſe igitur ab hoc cogitatu, neque lapidem mouiſſe, quem ſuper ſe & ſocios timebat non ſine clade magna ruiturum.

* Nota

CAPVT X.

De Baptiſmo collato ab infidelibus, cum recta intentione, ſeruata forma, & materia legitima adhibita.

MVLTÆ Pontificum auctoritates ac Patrum ſententiæ ſparſim relatæ ſunt, de conſec. diſt. 4. quibus (vt apparet) baptiſmus miniſtrari ab infidelibus prohibetur, & ſi fortè confertur iterari debere decernitur. Hos canones, quibus alij ibidem plerique videntur obſeruari, cum oppoſitis vel conciliat, vel more Scholaſtico, diſtinctione paſſim adhibita, vel explicatione commoda reſoluit Vaſquez in 3. part. S. Thomæ diſp. 147. q. 67. a. 5. c. 2. quam ne crambem recoquere videar, his iterum excutiendis, explicandis aut conciliandis non immorabor. At vt breuiter ac nitidè dicam, monitum lectorem velim, quæſtionem difficilem fuiſſe viſam S. Auguſtino, qui lib. 2. contra Parmenianum, c. 13. dubio propoſito *an non baptizatus poßit baptizare?* candidè dicit *ſe non audere rem hanc determinare, cùm in nullo generali Concilio res fuiſſet eò vſque definita.* idémque repetit lib. 7. de bapt. c. 53. Sed denique factum eſt, quod beatus Auguſtinus cupiebat, ſcilicet in Concilio Oecumenico Florentino, ex Eccleſia tam Orientali quàm Occidentali congregato, vbi in inſtructione fidei Armenis tradita, de baptiſmo regula hæc ſtatuitur, *Miniſter huius Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare; in caſu autem neceßitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam laicus & mulier; imò etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.* Res igitur in dubium nunc ampliùs non vertitur; ſed cautè eſt attendendum, qua cum conditione id illa inſtructio definiat: ſapienter enim Pontifex & Concilium appoſuerunt hanc clauſulam ſuo decreto, *Dummodò* (paganus &c.) *formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.* Quod vt raró contingit, ſecuriùs eſſe puto, baptizatum hoc modo, iterum, ſed ſub conditione baptizare: cùm vix infidelis quiſpiam inueniri poſſit qui formam calleat baptiſmi legitimam, & cogitet de intentione Eccleſiæ, quam vel odit, vel ignorat. Quæ cauſa fuit, propter quam iam olim Gregorius II. in epiſt. 2. ad Bonifacium *iuſſerit rebaptizari à paganis baptizatos: Quos à paganis*, inquit, *baptizatos aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Trinitatis mandamus:* & refertur can. *Quos à paganis* de Conſecrat. diſt. 4.

CAPVT XI.

De intentione Miniſtri.

LICET verba Sacramentorum habeant in ſe virtutem operatiuam ex Chriſti inſtitutione, virtus tamen illa non operatur niſi dependenter à miniſtro. Tunc enim ſolùm verba illa virtutem habent, dum coniunguntur cum virtute eorum applicationis, quæ eſt in miniſtro; etenim miniſtri Sacramentorum, ſunt inſtrumenta Dei, ſed inſtrumenta animata & ratione vtentia: nec enim agit Deus cum homine, vel per hominem, quaſi faber cum malleo, ſed cum creatura rationali & libera, quæ quod agit, iudicio & voluntate operatur, iuxta illud Matth. 24. *Quis eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* vbi fidelitas & prudentia indicant, talem eſſe hunc ſeruum, vt in eius arbitrio ſit facere, vel non facere, prout expedire iudicauerit. Sanè cùm Chriſtus ait Apoſtolis ſuis, *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, voluit eſſe in eorum arbitrio peccata remittere vel retinere.

Accedit quòd ſicut in Sacramentis eſt materia determinata, quam aliâ commutare non licet, ita & forma quæ conſtat in verbis, debet determinari & reſtringi ad certum ſignificatum, ſine qua determinatione, forma eſſet vaga & non ſtabilis, poſſet enim ad ſignificationes diuerſas pro vtentium arbitrio, atque ad varios actus extendi, v. g. *Ego te baptizo, ſeu abluo, & tingo aqua*, ſumi poteſt non pro actione Sacramentali, ſed naturali, qua quis lauat ſordes corporis, aut infirmum refrigerat balneo. At iſta indifferentia formæ reſtringi non poteſt ad ſacrum lauacrum, niſi ex intentione miniſtri, qui illa verba profert & applicat ad vſum actûs Sacramentalis, ſecundùm præſcriptam inſtitutionem à Domino. Præclarè deſcripſit in actis Apoſtol. S. Lucas, legitimum modum tam adminiſtrandi, quàm ſuſcipiendi baptiſmi, quando adultis confertur, vbi agit de Eunucho, quem baptizauit Philippus Diaconus: *Ait Eunuchus, Ecce aqua quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait, Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum &c. Et deſcenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Vbi palam eſt vtrimque concurriſſe intentionem tam Philippi baptizantis, quàm Eunuchi baptiſmum ſuſcipientis. Porro ſicut renitente ſuſcipiente, quamuis miniſter fundat aquam ſuper caput eius, & verba proferat à Chriſto determinata, cum actuali vel virtuali intentione faciendi, quod fieri ab eo qui hoc Sacramentum diſpenſat, Chriſtus præcepit: nihil tamen verba hæc efficaciæ habent, quia ſuſcipiens ponit obicem, & non ſolùm non credit, ſed baptizari repugnat; ſic qui mimicè baptizat, & vt pſittacus, verba profert ſine vlla intentione actuali vel virtuali, efficiendi quod Chriſtus præſcripſit, & eius Eccleſia intendit, nihil prorſus effi- *Act. 8. 36. &c*

cit quoad rem, etſi quoad ſpeciem, quæ ſunt Sacramenti extrinſeca operetur; vel etiam quamuis diſſimulet corde & mente id agere, quod ore & verbo ſignificat, & manibus exequitur.

Theologi copioſè de triplici intentione tractant, videlicet actuali & virtuali, quas ſolas legitimas eſſe volunt ad verum & validum Sacramenti miniſterium: & de habituali (vt eſſe poteſt in homine dormiente, qui loquitur, vel agit ex habitu infuſo vel acquiſito) quam poſtremam non ſufficere vnanimiter docent. Haud neceſſarium verò cenſui de his quæ nimis trita ſunt, & peruia in libris, plures paginas operis huius (quæ vix ſatis eſſe poſſent) opplere. Vnum eſt monitum quod hîc præterire nequeo, alta mente ſemper à miniſtro baptiſmi reuoluendum *: multum eſſe diſcriminis inter baptiſmum & cætera Sacramenta quoad intentionem miniſtri; ſi enim in Euchariſtia Sacerdos malus intentionem conſecrandi actualem vel virtualem non adhiberet, (vel, quod peius eſt, contrariam haberet) hoc tantum incommodi, quoad adorantes ſequeretur, quòd ſignum ſine re apprehenderent; veruntamen excuſarentur ex recta intentione adorandi tantùm ſub hoc ſigno verum Chriſti corpus, quod vi conſecrationis præſens eſſe ſub illis ſpeciebus, conſecrationem bona fide ſupponendo, crederent: ſuſcipientes verò etſi ſuo deſiderio ſumendi, ſcilicet verum Chriſti corpus fruſtrarentur, deuotæ tamen mentis coram Deo merito non carerent. In pœnitentiæ autem Sacramento quamuis malus quoque Sacerdos dicendo, *Ego te abſoluo*, reipſa abſoluere à peccatis non vellet, pœnitens vi clauium non eſſet abſolutus: tamen virtute contritionis ſuppleri poſſet inuoluntarius à parte pœnitentis iſte defectus, quia & ipſi rectè confitenti incognitus. Verùm in Sacramento baptiſmi ſecus eſt, qui licèt in adultis per baptiſmum flaminis in aliquo caſu ſuppleri poſſit, nequit tamen ſic ſuppleri in paruulis; qui ſic perirent vitio non ſuo, ſed neglectu, aut prauitate miniſtri. Quàm maximè igitur pius Miniſter ſtudere debet, ſeriæ intentioni huic Sacramento conferendo, adhibendæ, ne reus fiat perditionis animarum, quarum hac in re, ſalus æterna ab eius ope & cura, tanquam ab inſtrumento animato & rationali dependet.

* Nota

CAPVT XII.

De ieiunio olim à ſacris Eccleſiæ Miniſtris, baptiſmum conferentibus, obſeruato: & ſobrietate ab iis qui etiamnum illum adminiſtrant, ſtudiosè colenda.

MIRI ſunt Baptiſmi, & diuini planè effectus: vt quòd animam quam abluit ab omni ſorde peccati, pulchram efficiat & Deo dilectam, ſplendentem diuinis chariſmatibus; quòd eam obſignet Chriſti ſigillo & imagine, quòd faciat eam hæredem Dei, quòd aperiat ei regnum cœlorum. Theologi preſſiùs docent, baptiſmi tres proprios & principales eſſe effectus. 1. Tollit reipſa omnem cul-

Vide S. Greg. Naz. orat. in S. Lauacrum. Et S. Chryſoſtomus hom. 1. ad Neophytos.

pam & pœnam. 2. confert gratiam ex opere operato, & dona diuina quibus verè homo iuſtificatur. 3. imprimit characterem indelebilem, ob quem reiterari non poteſt.

Propter hos tam ſublimes & ſalutares effectus baptiſmi Sacramentum ſemper in Eccleſia ſumma in veneratione fuit, etiamnúmque habetur; nec immeritò. Baptiſmus eſt enim ianua vitæ & fons ſalutis, opus perfectiſſimum ſanctiſſimæ Trinitatis, ſignaculum per quod oues Chriſti eſſe incipimus, character primæ gratiæ, ſine quo animæ ſaluari non poſſunt, ineffabilium Chriſti donorum primarium munus, ſigillum fidei, præcipua pars ſpiritus, ſalutis radix, & vitæ æternæ principium. Eapropter iam olim in vſu fuit, vt à ieiunis miniſtris in Eccleſia traderetur (& hora 9. qua Chriſtus in cruce expirauit, & ex latere percuſſo aquam cum ſanguine profudit) ſicut legimus in veteri Concilio Pariſ. lib. 1. c. 33. & ex Concil. Meldenſi apud Gratianum de Conſec. diſt. 5. Quod tamen cùm difficile videretur, propter Chriſtianæ plebis multitudinem, & paruulorum periclitantium inſtantem neceſſitatem, viſum eſt ſaltem vſum hunc ſeueriorem hoc pacto temperandum, vt nonniſi à ſobriis Sacerdotibus eius diſpenſatio fieret. qua de re inſignem edidit canonem, II. Synodus Moguntina c. 16. hac verborum ſerie: *Vt tanto myſterio debita omninò reuerentia exhibeatur, Parochos & Eccleſiarum Miniſtros ſedulò monemus, vt manè intra officia diuina, aut mox poſt ea peracta, cum multa ſobrietate, & accurata deuotione baptiſmum adminiſtrent; commeſſationes verò & parùm ſobria conuiuia, quæ quibuſdam in locis poſt baptiſmum fiunt, per ciuiles Magiſtratus inhiberi, aut ſaltem ad moderationem Chriſtianis dignam reduci volumus.* Ad cuius diſciplinæ imitationem S. Carolus Borromæus in III. Concilio Mediolanenſi, Decreto 13. conuiuio ſolenni quod nonnulli poſt filiorum baptiſmum opiparè exhibere ſolebant, animarum curatoribus intereſſe prohibuit.

Elogia baptiſmi ex SS. Patribus collecta.

CAPVT XIII.

De linitione Chriſmatis in vertice Baptiſmi candidatorum ſeu infantium, ſeu adultorum, à Presbytero facienda.

ALIA hæc eſt ab vnctione quæ fit paulò ante ipſum baptiſmum, ex oleo oliuæ benedicto ab Epiſcopo ſolenni ritu, quod dicitur oleum Catechumenorum: quia eo Catechumeni à Presbytero quoque in pectore & inter ſcapulas vngi ſolent poſt exorciſmos, poſt Satanæ & operum eius abrenunciationem, ac ſinceræ fidei profeſſionem. Ab ipſo enim Apoſtolorum tempore diſtinctam fuiſſe hanc vnctionem, ab ea quæ mox poſt collatum baptiſmum fit à Sacerdote, ex chriſmate in vertice recèns baptizati; teſtis eſt S. Clemens lib. 3. Conſtit. Apoſtol. c. 13. his verbis: *Baptiſmus datur*

in mortem filij, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro Spiritu ſancto, ſigillum crucis pro cruce, chriſma confirmatio confeſſionis eſt. Et lib. 7. c. 23. ex Apoſtolica theoria ſic ſacrum Myſtam inſtruit: *Vnges eum* (Catechumenum videlicet) *priùs oleo ſancto, deinde baptizabis, poſtremò ſignabis vnguento chriſmatis, vt ſit oleum vnctionis participatio ſpiritus, aqua ſymbolum mortis, vnguentum chriſmatis, ſigillum pactionum.* Idem fermè tradit ſanctus Dionyſius lib. de Hierarch. Eccleſ. c. 2. Idem & Iuſtinus Martyr in lib. Reſp. ad Quæſtiones &c. Tertull lib. de reſurrect. carnis c. 8. ſanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. S. Ambroſ. lib. 1. de Sacram. c. 2. S. Aug. tract. 44. in Ioannem. Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autolycum, & priſci Rituales auctores, tom. 10. Biblioth. SS. PP. quæ ſtrictim notata ſufficiunt, quoad vnctionem illam primam, quæ fit ante baptiſmum. Sed accuratiùs hîc mihi incumbit diſſerere de vnctione illa, quæ fit ex chriſmate mox ac Sacerdos baptiſmum paruulis vel adultis miniſtrauit.

Et imprimis diligenter diſtinguenda eſt illa vnctio ab ea, quæ in confirmatione confertur: tametſi enim vtraque ex eodem fiat liquore, ſcilicet ex chriſmate, confecto, vt notum eſt, ex oleo oliuæ & balſamo, quo odoriferum & fragrans redditur myſticum hoc vnguentum, ab Epiſcopo ſolenni ritu quotannis conſecratum Feriâ v. in Cœna Domini: tamen baptiſmalis chriſmatio à Preſbytero peragitur; altera autem in confirmatione ab Epiſcopo confertur. hæc Sacramentum eſt, illa verò quid Sacramentale tantùm, & appendix baptiſmi. Diſtinctè de vtraque Damaſus in lib. Pontif. ſeu potiùs Anaſtaſius his verbis meminit in vita ſancti Silueſtri: *Conſtituit chriſma ab Epiſcopo confici: & priuilegium Epiſcopis dedit, vt baptizatum conſignarent &c. Hic & hoc conſtituit vt baptizatum liniret Preſbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis.* Quæ tamen verba benigna interpretatione indigent, nec enim S. Silueſter Epiſcopis priuilegium dedit vt baptizatos conſignarent, cùm hoc eis ius competat ex Dominica inſtitutione, Apoſtolica traditione ab initio defluenti obſignata: Quam videre eſt à Cardinale Bellarmino accuratè deſcriptam, lib. vnico de Sacram. confirmationis c. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Sed S. Silueſter dedit priuilegium Preſbyteris, vt leuatos de aqua, id eſt recèns baptizatos chriſmate ſacro linirent. Hoc eius inſtitutum patet ex Ritualium veterum Scriptorum venerandæ antiquitatis monimentis authenticis innixorum, exploratis teſtimoniis; ſiquidem Amalarius Fortunatus Archiepiſcopus Treuirenſis, lib. 1. de Eccl. off. c. 27. hoc ipſum decretum B. Silueſtri ſic obſeruat: *In geſtis Pontificalibus legitur, Silueſter Papa inſtituit vt à Presbytero vngeretur Neophytus in cerebro &c.* Et paulò infrà, *Si quis ſine iſto chriſmate migrauerit de ſæculo, periculoſum iter accipit; Hoc præuidens Silueſter Papa quantum potuit ſubuenit, & propter abſentiam Epiſcopi, neceſſitate addidit, vt à Presbytero vngerentur.* Rabanus Maurus ex Abbate Fuldenſi Archiepiſcopus Moguntinus lib. 1. de inſtit. Clericor. c. 28. idem inſinuat, ait enim: *Legimus & in geſtis Patrum, quòd Silueſter Papa in Romana Eccleſia conſtituerit, vt ſicut poteſtas & priuilegium*

apud ſolum Epiſcopum conſtat, quod ſacrum chriſma ipſe conficiat, & baptizatum per manus impoſitionem cum ipſo chriſmate conſignet, propter hæreticam ſuaſionem, ita Presbyter eodem chriſmate liniat baptizatum leuatum ex aqua propter occaſionem tranſitus mortis. Walfridus Strabo Abbas Augienſis, in lib. de reb. Eccleſ. c. 26. hoc ipſum commemorat dicens, *Teſtantur decreta Innocentij Papæ, & ſtatuta Siluestri, quia & ipſe inſtituit vt Presbyter baptizatum chriſmate liniat, propter occaſionem tranſitus mortis.* Rupertus Tuitienſis Abbas lib. 5 de diuinis off. c. 16. eodem tramite incedens ait: *Legitur autem in geſtis Pontificalibus quòd Silueſter Papa conſtituit, vt baptizatum Presbyter liniat chriſmate, leuatum de aqua, propter occaſiones tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrent.* Hæc Rupertus, qui tamen non ſatis aptè linitionem illam baptizati in vertice, manus impoſitionem appellat: quo nomine Patres Sacramentum confirmationis, quod ſolus Epiſcopus confert, deſignare ſolent: longè enim eſſe diuerſam hanc vnctionem chriſmatis in vertice baptizati quæ fit à Presbytero, ab ea quæ fit ab Epiſcopo in fronte extra baptiſmum, res eſt quàm certiſſima, & ab Innocentio I. epiſt. 1. ad Decentium expreſſis verbis declarata: ſic enim ait c. 3. illius ſuæ epiſtolæ: *Presbyteris chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cùm tradunt Spiritum ſanctum.* De vnctione hac in vertice extat eximium B. Ambroſij teſtimonium lib. 3. de Sacram. c. 7. vbi ait: *Ecce merſiſti, veniſti ad Sacerdotem, tibi dixit: Deus pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam.* Et lib. eodem c. 1. *Accipis autem myſterium, hoc eſt vnguentum, ſuper caput, quia ſenſus ſapientis in capite eius.*

Irrepſit mos vt Presbyter, non pollice aut indice, hoc ſignaculum ſuper caput baptizati, ſed aliquo adhibito inſtrumento efformet; ſic enim in quodam nouo Rituali legitur præſcriptum in ordine baptiſmi paruulorum: *Hic Sacerdos chriſmate vngat infantem cum baculo in vertice capitis in modum crucis dicens, Oremus: Deus omnipotens &c.* At non cum baculo ſed proprio pollice facere debet Presbyter eiuſmodi chriſmationem, ſic enim legimus in ſancti Gregorij libro Sacramentorum, *Vt autem ſurrexerit à fonte, ille qui eum ſuſcipit offerat eum vni Presbytero, qui faciat ſignum crucis de chriſmate cum pollice in vertice eius dicens, Deus omnipotens pater Domini noſtri Ieſu Chriſti qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chriſmate ſalutis in vitam æternam.* Idem expreſſum reperi in veteri Ordine Romano, in ordine Sabbati ſancti, vbi cùm agitur de baptiſmo puerorum & adultorum, ſic habetur, *Ille verò Presbyter facit de chriſmate crucem cum* POLLICE *in vertice eorum, ita dicendo, Deus omnipotens pater Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.* Quem ritum etiamnum Romana Eccleſia in viuo vſu retinet, vt videre eſt in Romano Rituali, Pauli V. iuſſu edito in ordine baptiſmi paruulorum, vbi expleto baptiſmate regula hæc legitur, *Deinde intingit pollicem in ſacro chriſmate, & vngit infan-*

tem in ſummitate capitis in modum crucis dicens, Deus omnipotens &c.

Nec adiaphora videri debet hæc formula, ſiquidem Sacerdotis pollex inſtrumentum eſt viuum diuinæ poteſtatis & gratiæ, ſpeciali vnctione ad vſus myſticos conſecratum in Sacerdotali ordinatione: at baculi eiuſmodi ſeu virgulæ argenteæ in vaſculo chriſmatis intinctæ nulla fit benedictio, nouóque more in hunc vſum vſurpatur, contra venerandæ antiquitatis auctoritatem, & huc vſque vigentem Romanæ Eccleſiæ, omnium matris & magiſtræ, conſuetudinem.

Iam verò in quem finem vnctio hæc chriſmalis, quæ mox ſequitur baptiſmum, inſtituta fuerit, ſiquis ſcire aueat, occurrit reſponſurus huic ſciſcitationi Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, qui ſub Ludouico Pio Imperatore claruit, in lib. MSS. *de ordine baptiſmi*, c. 15. vbi ait, *Baptizatorum itaque capita chriſmate liniantur, vt in regno & Sacerdotio Eccleſiæ delibuti, & Chriſtiani nominis prærogatiuam accipiant, & eius membra qui eos redemit & eorum caput eſt, effici valeant.*

Quod autem à chriſmate defluat venerabile Chriſtiani vocabulum præclarè docet ſanctus Auguſtinus tract. 33. in Ioannem ad c. 8. ſuper illa verba, *Perrexit Ieſus in montem Oliueti, & diluculò iterum venit in templum:* quæ ſic ediſſerit: *Ieſus perrexit in montem Oliueti, in montem vnguenti, in montem chriſmatis, vbi enim decebat docere Chriſtum, niſi in monte Oliueti? Chriſti enim nomen à chriſmate dictum eſt. Chriſma enim Græcè, Latinè vnctio nominatur, ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit.*

Ioan. 8. 1.

Vngi verò ad regnum ſpirituale chriſmate ſacro fideles, Prudentius 1°. in Symmachum libro, hoc verſu inſinuat,

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

Et in Pſychomachia rurſus *regale* vocat,

Vnguentum regale datum eſt, & chriſmata perenne.

S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum, c. 1. hoc myſtico vnguento ſignificari ſimul edocet regnum & Sacerdotium, vnde Chriſtiani nomen & decus oritur. In Ordine Romano, chriſma quo ab Epiſcopo fideles dum confirmantur, inunguntur, *Chriſma dicitur principale*, non quòd ſi materiam reſpicias, aliud ſit ab eo quo Preſbyter ſtatim à baptiſmo linit Neophyti verticem, ſed quòd vnctio illa quæ fit ab Epiſcopo cum crucis ſignaculo, ſit ipſum Sacramentum confirmationis, à baptiſmo diſtinctum, per quod Spiritus ſanctus traditur & Chriſtianus perficitur*, quæ fit autem à Preſbytero, ſit appendix baptiſmi, & non quidem Sacramentum, ſed quid duntaxat Sacramentale.

* Vide can. vt Ieiunii 6. de Conſec. diſt. 5. & ibi gloſ. *Chriſtianus.*

At dices, vocatur à ſancto Ambroſio vnctio illa myſterium, lib. 3. de Sacram. c. 1. *Accipis autem myſterium, hoc eſt vnguentum ſupra caput.* Ita quidem eſt, ſed impropriè & adumbratiuè tantùm; ſicut* enim panis benedictus qui fidelibus dari ſolet non communicantibus in Euchariſtiæ vicem, non eſt corpus Chriſti, ſed ſignum eius: *Quamuis non ſit corpus Chriſti* (inquit ſanctus Auguſtinus) *ſanctum eſt tamen, & ſanctius* quàm

* Nota.

lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. c. 26.

quàm cibi quibus alimur: ſic vnctio illa quæ ex chriſmate fit in vertice baptizati à Preſbytero, non eſt quidem Sacramentum, ſed ſignum & pignus quoddam Sacramenti confirmationis; nam ſi decretum ſancti Silueſtri exactiùs expendatur, vnctio illa Sacerdotalis relationem habet ad Epiſcopalem, & vicem eius quodammodo ſupplet; quid enim illa verba libri Pontificalis Damaſi ſibi volunt, *Hic & hoc conſtituit vt baptizatum liniret Presbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis?* Niſi quòd abſente Epiſcopo, cùm ita citò baptizatus ſacro chriſmate confirmari non poſſit, ſaltem à Preſbytero eodem myſtico vnguento liniatur, ne fortè ſi præmatura mors Neophytum arriperet, ille de hoc mundo excederet adhuc chriſmate non inunctus. Hæc enim actio etſi actu non conferat confirmationis Sacramentum, voto tamen, à ſuſcipiente hoc deſignat exoptari, & proinde non inaniter adhibetur, ſed aliqualem deſiderati Sacramenti effectum ſuſcipienti impertit; ſi enim aſperſio aquæ luſtralis ſuſcipienti proficit, quanto magis ſacri chriſmatis inunctio facta à Sacerdote ex Eccleſiæ mandato, ei prodeſſe poteſt?

Plura hìc agitari poſſent circa canonem 1. Arauſicani Concilij inſertum iuri ſacro de Conſec. diſt. 5. can. *Nullus miniſtrorum,* & circa can. *Presbyteri,* eadem diſt. n. 120. deſumptum ex Greg. Magni ſcitis lib. 3. ep. 9. ad Ianuarium Caralitanum Epiſcopum: & circa can. *Peruenit* 1. diſt. 95. ex dictis eiuſdem B. Gregorij ad ipſum Ianuarium lib. 3. ep. 26. Sed quia res hæc eſt apud Theologos diſceptatione celebris, noſtráque ætate non ſine ardore acrioris diſputationis ventilata, ne ſopitas iam ferè & extinctas eiuſmodi controuerſias iterum agitare, pruritu quodam altercandi, cuipiam fortè videar, lubens ab hac tabula manum amoueo [a]; ne chriſma, cœleſtis columbæ virens ramuſculus, paciſque & benedictionis ſymbolum, vertatur in contentionis pudendæ inter fratres, ſcilicet Catholicæ Eccleſiæ filios, infauſtum argumentum.

[a] Eadem de cauſa impræſentiarũ lubens prætermiſi quæſtionem de Miniſtro confirmationis extraordinario. Quam tamen aliàs (ſi Deus vires & tempus conceſſerit) accuratiùs & congruẽtiori loco, tractabo. videlicet in ſupplemento Panopliæ Epiſcopalis.

CAPVT XIV.

Paræneſis ad Sacerdotem Baptiſmum ex officio miniſtrantem.

PRo Corollario autem huius libri, eſt quod officij ſui hìc Sacerdos commoneatur, ſcilicet vt memor ſit huius ſententiæ ſancti Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi Catecheſ. 2. Myſtag. *Poſtquam ex aquis ſacri lauacri aſcendimus, datum eſt chriſma quod imaginem gerit illius quo vnctus eſt Chriſtus; ſed à quo vnctus niſi à Patre? iuxta illud Ioan. 10. 36. Quem Pater ſanctificauit & miſit in mundum.* Sacerdos igitur imprimendo ſignum crucis cum chriſmate in vertice recèns baptizati, vt myſterium vnctionis Chriſti à Patre æterno hac ſacra linitione repræſentat, ſic Patris ipſius omnipotentis gerit vicem. Memor

ſit igitur Sacerdos dignitatis ſuæ, qua viuum diuinæ Maieſtatis inſtrumentum, & ipſius Dei omnipotentiæ organũ ſine vllis meritis ſuis (quibuſnam enim meritis homo peccator tam admirabile donum & ſingulare beneficium potuit promereri) conſtitutus eſt. Agat igitur ſicut decet *Diſpenſatorem multiformis gratiæ Dei & tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus.* Pulchrè hîc S. Ambroſius alloquens nuper baptizatum, *Ecce* (inquit) *merſiſti? veniſti ad Sacerdotem? Dixit tibi, Deus pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam.* Deus igitur in baptiſmo ſimul eſt creator, regenerator, & ſanctificator, hæc autem omnia per Sacerdotem operatur, qui eius gratiæ miniſter eſt & omnipotentiæ organum. Porro vtitur Deus Sacerdote in regeneratione ſpirituali, quemadmodum patre & matre in generatione corporali, vnde fit quod Sacerdos baptizans contrahit cum baptizato primum cognationis ſpiritualis gradum, pater enim eius euadit ſpiritualis, viciſſimque qui baptizatur eius efficitur filius; ex quo impletur quod Apoſtolus de patre æterno dicit, *A quo omnis paternitas nominatur, in cœlo & in terra.* Nec enim in terris ſola eſt corporalis paternitas, ſiquidem alia eſt ſpiritualis quæ emanat ex baptiſmo, & contrahitur inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, vt declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. Matrim. c. 2. Sanè cognatio ſpiritualis diuiditur inter paternitatem & filiationem, fraternitatem & ſororitatem, ſed ſe vlteriùs non extendit, *Gloſſ. 1. in ſumma 30. q. 3.* Fit autem pater ſpiritualis Sacerdos, eius quem baptizat, & ea paternitas à diuina procedit. Hinc Canoniſtæ docent, ſi laici vel inferiores Clerici in neceſſitate baptizent, cum baptizato nequaquam contrahere cognationem, neque cum parentibus eius, neque cum ſusceptoribus. At vbi Sacerdos baptiſmum ex officio adminiſtrat cognationem eiuſmodi hinc oriri, qua Sacerdos ipſe pater ſpiritualis efficitur illius quem baptizat, & cognationem contrahit cum parentibus eius. Defluit igitur illa paternitas à diuina, quia agit in hac regeneratione Sacerdos, vt Dei miniſter, & proprium eius gratiæ & poteſtatis inſtrumentum. Non igitur abſque myſterio vetus mos ille, Mediolanenſi in Eccleſia viguit*, vt Sacerdos baptiſmum miniſtraturus ad orientem ſolem ſpectaret, quo ſcilicet ritu innueret à fonte lucis & gratiæ ſe hanc regenerandi animas poteſtatem mutuari. Dicit ſanctus Chryſoſtomus hom. 51. in Matth. ad c. 14 *homines baptizari non à Sacerdote, ſed à Deo.* Et ſanctus Auguſtinus tract. in Ioan. *Baptizandi,* inquit, *poteſtatem ſibi Dominus tenuit, ſeruis miniſterium dedit.* Et verò vt creatio hominis, ſic & reparatio opus eſt Dei: quamobrem ſcitè aït ſanctus Auguſtinus contra Pelagianos, *Baptiſmum eſſe opus ſanctiſſimæ Trinitatis:* Diuinæ enim omnipotentiæ & ſapientiæ ac bonitatis opus eſt, cuius cùm Sacerdos ſit adminiſter, ideò rectè ab Hilario Papa dicitur *aſſumi in diuinæ Trinitatis adiumentum;* Nec ſanè inſolenti vocabulo, Vas enim electionis ait 1. Cor 3. 9. *Dei adiutores ſumus.* Ad quæ diuini ſui magiſtri verba aciem mentis conuertens ſanctus Dionyſius,

Epheſ. 3. 15.

* *Beroldus in Caremon. MSC.*

Ingens hæc, inquit, *Angelica, imò diuina eſt dignitas, Dei cooperatorem fieri in conuerſione animarum, diuinámque in ſe operationem, in alios transfundere.* Cœleſt. Hierarch. c. 3.

S. Ambroſius lib. 9. in Luc. ſub ipſo initio loquens de Sacerdotali poteſtate in remiſſione peccatorum; *Soluit* (inquit) *manus Apoſtolica: Tales actus, talis vita. Eſto talis & tu vt poſſis ligatos ſoluere.* Idem de baptiſmi adminiſtratione dicere mihi liceat, ſe idoneum præſtet Sacerdos primæ Dei gratiæ miniſtrum, aptúmque inſtrumentum ablutionis, iuſtificationis & ſanctificationis animarum: * Interrogat Sacerdos baptizandum de fide, curet igitur quàm maximè viuam habere fidem, & vt monet Apoſtolus, ſanum ſe in fide præbere. Exorcizat ſalem & aquam: animam priuſquàm tam ſancto officio incumbat, ſtudioſè expurget ab omni inquinamento, mundúmque cor hoc obeundo miniſterium afferat. Abigit dæmonem à Catechumeno, expellat priùs à ſeipſo. Abrenunciare facit fidei candidatum Satanæ, & pompis, & operibus eius: memor ſit ipſe ſeriò huius abrenunciationis obſeruandæ; & dum baptizat, ſancti Gregorij documentum recogitet, *Cauendum eſſe Sacerdoti ne in hoc aquæ baptiſmali ſit ſimilis, quæ animam emundat & corpus abluit, móxque in piſcinam defluit, & ſic ſe ſordibus miſcet.* Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima conſecretur: ſic igitur hoc ſalutis miniſterium Sacerdos exequatur, vt dum baptizat, ſuiipſius baptiſmi recordetur, ſtudeátque aquæ quam fundit imitari puritatem, chriſmatíſque quo vngit baptizatum, bonum odorem verbis, actibus, & ſanctis affectibus exhalare, vt cum Apoſtolo verè dicere poſſit: *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.*

* Nota perutile documentũ.

Tertull. de Carn. Mil.

2. Cor. 2. 15. 16.

FINIS

Lib. V. & poſtremi, ſecundæ partis Panopliæ Sacerdotalis.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

AVCTOR LECTORI.

APPENDICES *quæ ſequuntur (pie ac erudite Lector) ad contextum libri primi ſecundæ partis huius Sacerdotalis apparatus (quò, de munere offerendi, ſeu de venerabili Miſſæ ſacrificio, latè diſſerui) te hic monendum arbitror, poſtliminiò reuocandas eſſe. Quæris cur hîc eas nunc annectam? cùm*, dicere non putabam *(vt aiunt)* eſſe non poſſit ſapientis: *Breuiter ac ingenuè reſpondeo. Ne liber ille iam alioqui ſatis ex ſe copioſus, fieret prolixior: Et quòd opus ipſum, potiùs miniſterium Sacerdotis, quàm ſacrificij myſterium reſpiceret: huiuſcemodi diſputationis tractatum, me tunc de induſtria prætermiſiſſe. Verùm ſubinde amici pij ac docti quidam me admonuerunt: non adhuc, vt* bouem laſſum, *mihi hîc eſſe figendum pedem. quas enim prætermiſeram diſceptationes, eô loco non abs re deſiderari poſſe, quo de obiecto ſubiectóque ſacrificij, neceſſum mihi fueras, cum recentioribus heterodoxis conflictari. Admoui igitur iam fatigatam manum, mentémque, nimio ex ſtudiorum labore, & negotiorum onere depreſſam, huic conficiendo ſupplemento. Quod cùm amicis meis communicâſſem, è veſtigio perſuaſerunt, hîc non inane fore operæpretium ipſum ſubnectere. Parui monitoribus meis, non tantùm obſequij gratiâ (quod amicis debetur:) ſed eo inſuper quòd ab eis exigebatur, ſummo pietatis iure. Cauſabuntur aduerſarij forſitan, me hanc deſcendiſſe in arenam coactum: videlicet tam virium defectu, quàm cauſæ ipſius diffidentiâ. Sed ſi tibi adlibitum fuerit examinare attentiùs, quæ vtrimque hac in lite rationum ac auctoritatum momenta proferuntur: qua ex parte ſtet veritas, non ita difficilè iudicabis. Ipſi verò aduerſarij, quanto cum ſuo damno, quin & dedecore, Catholicæ veritati meridiano ſole fulgentiori refragentur, ipſa teſte conſcientia (ſi qua tamen eis, poſtquam naufragauerunt à fide, ſupereſt) poterunt experiri. Nam vt aliquando ſponte ſua fateantur, vix mihi perſuadere poſſum, niſi Deus pro ſingulari ſua bonitate, votis meis aſpiret.* Certè maior eſt Deus ipſe corde noſtro: *Siquidem* 1. *Ioan.* 3. 20. *(vt magnus Apoſtolus ad Epheſios ſcribit)* poteſt omnia facere, *Epheſ.* 3. 20. ſupra id quod petimus, & intelligimus.

APPENDIX PRIOR

DE CHRISTI INVOCATIONE, ET ADORATIONE,

Necnon totius diuinæ Trinitatis ſupremo cultu, in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Contra Petrum Molinæum, Miniſtrum Caluiniſtam.

ARTICVLVS I.

Horrendam eſſe Molinæi impoſturam, quòd Carthaginenſis III. Concilij Patres prohibuerint Can. 23. Chriſtum Dominum ad altare inuocari, ac etiam adorari.

SACRAMENTARII hæretici nihil grauiùs huc vſque tulerunt, quàm Chriſtum in Euchariſtia adorari. Quamobrem omnes artes adhibuerunt, viréſque exeruerunt, vt hanc adorationem funditus irent ſublatum. Et aſtutè quidem, nempe quòd facilè perſpicerent adorationem corporis Chriſti in Euchariſtia, veram & realem eius in hoc Sacramento præſentiam ſupponere. Inde Caluinus contra Weſphalium ſcribens, eius & cæterorum Lutheranorum effusè deridet inſaniam : qui veram Chriſti in Euchariſtia exiſtentiam confitentes, nihilominus adorandum hîc eſſe (vbi reuera eſt) abnuere non verentur. Quia autem Catholici ex Chriſti verbis expreſſis, & Patrum teſtimoniis, Conciliorum definitionibus, perpetuáque Eccleſiæ fide: hanc realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam aſſerunt & tuentur; rurſúmque ex adoratione Euchariſtiæ (quæ perenni praxi in Eccleſia Catholica, ab initio huc vſque obſeruata eſt) miro omnium gentium conſenſu, realem Chriſti Domini in hoc Sacramento exiſtentiam, ineluctabili argumento confirmant : vt hanc formidabilem ſibi machinam hæretici, ſi non deiicerent ac euerterent; ſaltem vtcumque impeterent, fictili ſtructo in aduerſum ariete : eò audaciæ protuperunt, vt non eos puduerit aſſerere, priſcæ Eccleſiæ incognitum fuiſſe ritum illum adorationis Chriſti in Euchariſtia; húncque morem eſſe

nuperum Papæ & ſequacium eius inuentum. Quam impudentem vafritiem Catholici Theologi neruosè & acriter (vt dignum erat) caſtigârunt, productis venerandæ antiquitatis pleriſque teſtimoniis, quibus palam fieret ritum hunc adorationis, & ipſum dogma quo Chriſtum adorandum hoc in Sacramento realiter exiſtentem, fides Catholica profitetur, ab initio fuiſſe tantâ conſtantiâ cuſtoditum.

Magnus Cardinalis Peronius, fidei Catholicæ vindex fortiſſimus, hæreſiſque Caluinianæ acerrimus profligator, cùm in præclaro opere de Euchariſtia contra Mornæum, tum in Reſponſione ad Iacobum Regem Magnæ Britanniæ, dogma ipſum, ritúmque perennem adorationis Chriſti in hoc venerabili Sacramento, defendit: non ſolùm ex ipſis fidei principiis, Scripturæ ſacræ auctoritatibus, rationibúſque Theologicis, at inſuper ſummo antiquæ Eccleſiæ conſenſu, & ſanctorum Patrum 1. 2. 3. 4 & 5. ſæculi (nam aduerſarij, poſteriorum, concedunt) patentibus teſtimoniis propalato & confirmato. Pupugit acriter ſectarios Miniſtros euidens illa demonſtratio: ſed nemo impotentiùs hanc tulit quàm Petrus Molinæus, ſectæ Sacramentariæ hoc ſæculo efferatior propugnator: qui ex Sophiſta Leidenſi (vbi Logicam olim docuit & edidit) factus huius hæreſis Anteſignanus patronus; ſuo nomini ratus non minimam acceſſum iri gloriam, ſi tam inclyto Heroi (quantus fuit Cardinalis Peronius) ſeſe antagoniſtam opponeret; contra eum ſingulare certamen, vt ſe ambiiſſe innueret, (etſi illo viuente vix mutire auſus fuerit) poſt eius luctuoſum occaſum, ſtylum ingenti cum animi acrimonia exeruit. opus enim tandem in lucem emiſit inſcriptum *Nouitas Papatus, ſeu Replicatio ad Reſponſionem ſereniſſimi Iacobi Regis Magnæ Britanniæ*; cui texendo operi nouennium inſumpſit ab obitu ipſius illuſtriſſimi Cardinalis; parúmque demum præſtitit, tametſi magnam feciſſet de ſuo enixu expectationem; ne ſcilicet prouerbium mentiretur,

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Ceterùm vt in diatriba huiuſmodi totus eſt in facetiis, ſcommatibus, ludicris cauillationibus, & ſophiſmatibus ridiculis, tamen cap. 20. xv. Controuerſiæ, quo de adoratione Euchariſtiæ tractat, riſum in furorem vertit, etenim iocos & ſales cohibet aliquantulùm, ſeriúmque ſe fingens, latentem iram, animúmque malignantem ac impium prodit. *Tantùm* (inquit) *abeſt vt adhuc anno 451. quo IV. Oecumenicum Concilium celebratum fuit, Euchariſtia adoraretur: quin contrà legimus in III. Concilio Carthaginenſi canonem ſerie 23. quo definitum eſt, vt cùm altari aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio. Quòd ſi tunc fas non erat ad Chriſtum in Euchariſtia preces dirigere, itidem nefas erat eius corpus adorare: ſiquidem in Religione Chriſtiana omnis adoratio inuocationem includit; & hinc nomen ſuum mutuatur, adoratio etenim quædam oratio eſt.*

Poſſem hîc Molinæum craſſæ inſcitiæ in Chronologia Eccleſiaſtica arguere, cùm Carthaginenſe III. Concilium eodem tempore habitum exiſtimet, quo Chalcedonenſe conſedit; at ex Actis vtriuſque patet quantus interſit annorum excurſus: III. Carthaginenſe coactum

eſt ſub Siricio, vt conſtat ex eius canone 48. At verò ſub Leone Magno ſynodus generalis Chalcedonenſis coaluit, vt paſſim eius in actis licet diſpicere, hæcque notatur habita anno 451. at verò III. Carthaginenſis, anno 398. in quem incidit conſulatus Cæſarij & Attici, qui in anteloquio Patrum illorum conſignatur; at hæc inter leuia computanda ſunt errata, quamobrem moniti tantummodo cauſâ hæc obiter indicanda cenſui.

Ad rem capitalem quoad ſpectat, candidè & intrepidè dico, falſiſſimum eſſe quod Molinæus ait, Patres III. Concilij Carthaginenſis prohibuiſſe (& quidem ipſo canone quem indicat) Chriſtum Dominum inuocari, proinde & adorari, quódque tunc fas non fuerit ipſum Chriſtum Dominum in Euchariſtia diuino cultu venerari, vel ad eum preces ſacras dirigere. Licèt autem negatiuam probatum ire non ſit opus, probare etenim affirmatiuam eius incumbit aſſertori; attamen ſincero propalandæ veritatis affectu, quàm calumnioſa ſit illa Molinæi aduerſus Patres Carthaginenſes accuſatio, & falſa quam ex eorum verbis ſanctionis elicit interpretatio, vltro iam in me recipio patefacere.

Dico igitur 1. ſi, vt contendit Molinæus, Patres illi Carthaginenſis III. Concilij prohibuerunt Chriſtum inuocari & adorari, Deum illum eſſe verum hoc dogmate negauerunt, ergo fuerunt Arriani; atqui hoc falſum eſt poſterius, ergo & prius verum non eſt, ſed tam falſum quàm falſiſſimum. Sanè nemo pius & doctus ſine horrore audire poteſt S. Auguſtinum Arrianiſmo laboraſſe, vel Arrianis adhibuiſſe conſenſum: at verò conſtat ſanctum ipſum Auguſtinum huic Concilio Carthaginenſi interfuiſſe ac etiam ſubſcripſiſſe cum 43. aliis Epiſcopis. ſic enim in fine legitur can. ſcilicet 50. qui poſtremus eſt, *Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis huic decreto conſenſi, & relecto ſubſcripſi. Epigonius Epiſcopus Bullenſis regionis ſubſcripſi. Auguſtinus Epiſcopus plebis Hipponæ Regienſis ſubſcripſi:* Similiter & omnes Epiſcopi 44. numero ſubſcripſerunt. Si igitur iſti fuiſſent Arriani & decretum edidiſſent Arrianæ hæreſi conſentaneum, quale eſſet dogma illud quod iis impingit Molinæus, (ſcilicet quòd prohibuerint Chriſtum inuocari & adorari.) huic hæreſi conſenſiſſet S. Auguſtinus, Arrianis adhæſiſſet & cum iis meritò veniret numerandus. Porro nec ipſum Molinæum tam deſperatæ audaciæ eſſe puto, vt tanti criminis notam S. Auguſtino velit imponere, quem ſanè luce meridiana clariùs apparet, omnibus hæreticis bellum indixiſſe perpetuum, Arrianos porro tota vianimi ſemper impugnâſſe. Cuius zeli aduerſus eos feruentiſſimi etiamnum ſunt patentiſſimo monimento libri eius quindecim de Trinitate, lib. de fide & ſymbolo, Quæſtiunculæ de Trinitate, lib. contra ſermonem Arrianorum, lib. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arrianorum, lib. 1. contra Felicianum Arrianum. Quod ſi Patres Carthaginenſis Concilij III. cum quibus ſanctus Auguſtinus conſidebat, tantiſper Arrio fauere compeiſſet, quis dubitare poteſt hos fuiſſe illico moniturum vt reſipiſcerent, meliùs ab ipſo edocti;

vel protinus (ſi reperiſſet pertinaces) ab horum conuentu, vt à concilio impiorum, fuiſſe diſceſſurum? Hæc ratio planè conuincit, nec validè poteſt refelli.

Dico 2. ex ipſa ſerie canonis quem Molinæus allegat, eius impoſturam facilè diſpici poſſe. At antequam hunc in medium proferam, obſeruâſſe operæ pretium fuerit anno 397 Concilium habitum fuiſſe Hipponenſe, quod præambulum fuit prædicti Concilij Carthaginenſis III. illic breui compendio eadem Capitula digeſta leguntur; quæ non diu pòſt in ipſo Carthaginenſi recitata ſunt, ac prolixiùs expreſſa. Canon 23. paucis his conſtabat verbis, *vt in precibus nec pater pro filio, nec filius pro patre nominetur.* In Carthaginenſi eodem numero hic canon promulgatus eſt, ſed cum hac appendice, *vt cùm altari aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio.* Infert hinc Molinæus ſanxiſſe hos Patres nefas eſſe ad Chriſtum in Euchariſtia dirigere preces, proinde ipſos vetuiſſe eius corpus adorari, ſiquidem inuocatio adorationem includit à qua nomen ſuum mutuatur, adoratio enim quædam oratio eſt. Bone Deus! in canone illo, éſtne vllum verbum quod ſcintillam vel exilem Molinæo præbeat tam impiæ interpretationis. Certè in illo canone nec prohibitio vlla extat, nec inuocatio, nec adoratio etiam verbotenùs nominatur. Quibus tamen vocabulis profana illa Molinæi expreſſio tota conſtat ac nititur. Patiatur quæſo, vel vt diabolicæ malitiæ virus excutiat, vel pudendæ ignorantiæ abluat labem, ſe hoc loco benignè à me edoceri, quæ mens Patribus illis Carthaginenſibus fuerit, cùm hæc verba pronunciârunt, *Et cùm altari aſſiſtitur ſemper ad Patrem dirigatur oratio;* Sanè hic eſt genuinus eorum ſenſus; quia in altaris myſterio Chriſtus eſt victima ſimul & Sacerdos, decentiæ cauſâ, oratio quæ fit in ſacrificio illo eiuſdem Domini incruento, dirigatur ad Patrem, vt differentia quædam appareat inter ſubiectum ſacrificij & obiectum, diſtinctióque fiat inter rem oblatam & offerentem, cúmque cui offertur; *Chriſtus noui*
Hebr. 9.15. *Teſtamenti mediator eſt*: (ait Apoſtolus) porro in altari noui Teſtamenti ſacrificium celebratur, officio itaque hîc Chriſtus fungitur Mediatoris, at non vt Deus, ſed vt homo mediator eſt, *Vnus mediator Dei & hominum* (inquit Apoſtolus) *homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro multis.* 1. ad Timotheum 2. Cuius redemptionis hîc nobis per eius oblationem incruentam pretium, virtus & meritum applicatur. De fide eſt Chriſtum ſecundùm diuinitatem Patri eſſe per omnia coæqualem: ſecundùm humanitatem verò ipſe ait,
Ioan. 14. 28. *Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt.* Igitur ſecundùm ſolam humanitatem Patri ſe ipſum offert, ipſéque offertur: & ideo piè ac ſapienter Patres iſti Carthaginenſes ſtatuunt vt cùm altari aſſiſtitur ſemper ad Patrem dirigatur oratio. Sed falſiſſimum eſt quòd ipſis imponit Molinæus, ſcilicet eos prohibuiſſe ne Chriſtus inuocetur, aut adoretur. Tantum abeſt; ſanctus Auguſtinus, qui fuit huius Concilij præcipuum lumen & columen, nihil magis in operibus ſuis aſtruit & inculcat, quàm Filij Dei vnigeniti cum Patre in eadem eſſentia

vni-

vnitatem, in maieſtate æqualitatem: Proinde nihil conſtantiùs docet & prædicat, quàm eius inuocationem & adorationem. Ex immani quo flagrat Molinæus odio aduerſus cultum venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti, hanc calumniam excogitauit: ſed miſer non videt quo impetu fertur in Chriſti adorationem, eodem abripi contra adorationem & inuocationem Spiritus ſancti; ſi enim Patres Carthaginenſes illis verbis, *Et cùm altari aſſiſtitur ſemper ad Patrem dirigatur oratio*, cenſendi ſunt (vt eis Molinæus impingit) prohibuiſſe Chriſtum adorari & inuocari: Pariter etiam exiſtimare hos oportet, Spiritus ſancti inuocationem & adorationem illicitam docuiſſe? ſed quàm longè fuerit tam abominabilis opinio ab Africanæ Eccleſiæ Patribus conſtat & illuſtri teſtimonio S. Optati Epiſcopi Mileuitani, S. Ambroſij (qui B. Auguſtinum Chriſto peperit) coætanei. Sic enim ait lib. 3. aduerſus Parmenianum: *Neque præiudicium Filio vel Spiritui ſancto comparatur, cùm ad Patris perſonam precatio ab offerente dirigitur;* Ratio eſt peremptoria, quia ſcilicet (vt Eccleſia in ſymbolo S. Athanaſij profitetur) Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Hinc axioma fidei à Damaſo Papa promulgatum, *Si quis dixerit Spiritum ſanctum non eſſe adorandum ab omni creatura, ſicut Patrem & Filium, anathema ſit.* Prudenter igitur dudum monuit S. Dydimus lib. 1. de Spiritu ſancto: *Omnibus quidem quæ diuina ſunt, cum reuerentia & vehementi cura oportet intendere, maximè verò iis quæ de Spiritus ſancti diuinitate dicuntur, præſertim cùm blaſphemia in eum ſine venia ſit.* Vtinam præclarum hoc monitum Molinæus aduertiſſet, odio adorationis Chriſti non irruiſſet in Spiritus ſancti contumeliam. Certè dum Chriſti diuinum cultum impetit, etiam Spiritus ſancti concutit coæqualem ipſi cum Patre glorificationem.

Nec eſt vt blaſphemiæ ſcelus à ſe amoliatur, quòd crimen cuius auctor eſt, in Patrum humeros Concilij Carthaginenſis deuoluere contendat, qui nihil minùs profectò cogitarunt quàm Chriſti, & conſequenter Spiritus ſancti diuinos honores abrogare. Reſpexerunt dumtaxat ad ſacro-ſanctum Miſſæ Canonem, qui ſic incipit, *Te igitur clementiſſime Pater per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus ac petimus.* Solennem illam precationem ab Apoſtolis traditam, quam vt notauimus ex Optato, Patres *legitimum Chriſtianum* appellabant, ægrè ferebant pro priuato quorumdam libitu variari. Donatiſtæ (vt ex ipſo Optato lib. citato conſtat) hanc apoſtrophen, quo Liturgica deprecatio incipit, liuidis oculis aſpectabant. Alij ſcioli plus æquo ſibi tribuentes verba illa primordialia ſacri canonis demutabant, Filium pro Patre, Spiritum ſanctum pro Filio, vel Patre, vel pro vtroque hoc in exordio nominantes: Cui temeritati vt Patres illi ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi irent occurſum, canonem Hipponenſem repetendo augendóque, Decretum hoc condiderunt, *Vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, & cùm altari aſſiſtitur* (agebatur enim ibi de precibus in ſacrificio) *ſemper ad Patrem dirigatur oratio: Et quicunque ſibi preces aliunde deſcribit, non* *Carth. III. Concil. c. 23.*

eis vtatur, niſi priùs eas cum inſtructioribus fratribus contulerit. Vbi ſermo eſt de Epiſcopis & Sacerdotibus, ad quos ſpectat altari (ſacrificium offerendo) aſſiſtere, & quos ad amuſſim regulæ Eccleſiaſticæ in ſacris theoriis, myſticíſque precibus conuenire decebat. Hoc canone igitur nihil aliud Patres illi intenderunt, quàm Donatiſtarum retundere malitiam, & quorumdam Catholicorum Sacerdotum coërcere temeritatem, aut inſtruere ſimplicitatem; ac potiſſimùm vniformitatem mirè Deo gratam & Eccleſiæ decoram, in rebus ſacris, adeóque ipſo incruento ſacrificio illibatam conſeruare.

ARTICVLVS II.

Nouas hæreſes in Arrianiſmum vergere, ſicque Molinæum de Sacramentaria ſecta, in Arrianam impietatem ſenſim eſſe delapſum.

GRAPHICE prorſus hæreticos Apoſtolus ſcribens ad Timotheum depingit, *Quemadmodum* (inquit) *Iannes & Mambres*
2. Tim. 3. 8. *reſtiterunt Moyſi, ſic & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, ſed vltrà non proficient, inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.* Neoterici hæreſiarchæ ſub prætextu piæ reformationis, Chriſtianam veram Religionem peruerterunt. Iactârunt ſe zelo gloriæ Dei vindicandæ ſuccendi, quicquid aggrediebantur eo fine adoriri, vt omni idololatriâ & ſuperſtitione extirpata, purus Dei cultus vbique reſtitueretur; ſincera prædicatio diuini verbi, pura Sacramentorum adminiſtratio, recta fidei & iuſtitiæ Chriſtianæ doctrina populo traderetur; Deus ſolus pura religione coleretur, & Chriſti vnici Mediatoris nomen, Euangelium, gratia, meritum, gloria vbique coruſcaret. Splendida erant illa promiſſa, ſed opera quæ inde ſecuta ſunt, quàm à veritate procul eſſent verba tam ſpecioſa paulopòſt prodidêre. Vix enim adhuc eruperant noui illi Magiſtri, & ſtatim orbis vniuerſus ingemuit, ſéque repente Arrianum factum magna ſui parte miratus eſt. Lutherus etſi nihil ſe mouere velle circa Trinitatis myſterium aſſeruiſſet, paulò pòſt tamen ſe ferre non poſſe ſcripſit CONSVBSTANTIALIS nomen: *Anima mea*, inquit*, *odit hoc verbum ὁμοούσιος.* Eraſit deinde è Litaniis, ſolennem hanc ſanctiſſimæ Trinitatis inuocationem, *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis*; nec deinceps illis verbis in precibus Lutherani vſi ſunt. Caluiniſtæ ab iiſdem verbis ſedulò cauent, vt videre eſt in precationum ipſorum editis formulis, in quibus nunquam diuina Trinitas inuocatur, ſed nec Filius, nec Spiritus ſanctus obſecrantur, at ſolus Pater. nec mirum, nam parens eorum Caluinus docere non dubitauit nomen Dei, τὸ αὐτόθεον per excellentiam quandam Patri attribui, Nicenúmque Concilium durè & impropriè locutum (ait) in ſymbolo, dicens: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Anſam profectò præbuit Michaëli Serueto (cum quo acriter poſtmodùm conflixit) impugnandi myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, ſemináque ſparſit

* Luth. cont. Iacob. Latomum.

illa infauſta, ex quibus impia Tritheitarum & nouorum Arrianorum germina pullularunt. Nam paulò pòſt inſurrexit Valentinus Gentilis qui Arrianiſmum renouauit, quem ſecutus Franciſcus Dauid, Tranſiluanorum Miniſtrorum ſignifer, palam docere non exhorruit ſolum Patrem eſſe Deum verum: Filium & Spiritum ſanctum eſſe virtutes Dei non diſtinctas à Patre, perſonâ, vel relatione, vel eſſentia; Chriſtum eſſe purum hominem, ſed dici verbum Dei, quia verba Dei annunciauit. Nec eſt quòd Lutherani & Caluiniſtæ Miniſtri dicant, ſe monſtra eiuſmodi execrari: nam qui eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: Lutherus & Caluinus reiectis Conciliis, proculcatis Canonibus, Patribus contemptis, Eccleſiæ auctoritate ſuppreſſa, ianuam inſanis iſtis hominibus aperuerunt, qui ſolutis iam omnis ordinis ac diſciplinæ repagulis, pro mero libitu impia hæc dogmata diſſeminârunt tam funeſto rerum (quas non ſine lachrymis videmus) euentu; ſed non ſolùm graſſandi his monſtris & portentis hominum præbuerunt occaſionem, at fauere ſe nonnihil eorum impietati, cum præſignatis indiciis, tum aliis pleriſque argumentis, oſtenderunt. Nec enim ſolam abrogârunt inuocationis diuinæ Trinitatis in Eccleſia theoriam ſolennem & perantiquam, at curârunt inſuper ingenti ſtudio, ne veſtigium ſacræ huius praxis vllum remaneret. Triſagium Iſaiæ de cultu diuino expunxerunt: Hymnum glorificationis, ſeu verſiculum illum perinſignem, quem à tot ſæculis Eccleſia, ad finem vniuſcuiuſque pſalmi tanta pietate decantabat, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto* &c. penitùs ſuſtulerunt; hoc enim nunquam in ſuis cantilenis & precatiunculis vtuntur, vt ex eorum libellis excuſis formularum cantandi, precandi, Sacramenta miniſtrandi euidenter apparet. Molinæus hunc ipſum genium induiſſe ſe prodit, cùm audet aſſerere Chriſtum non eſſe inuocandum ad altare, nec in Euchariſtia adorandum: cùm enim ſacrificium ſoli Deo debeatur, manifeſtum eſt dum ipſe Molinæus negat Chriſtum ad altare inuocandum eſſe & adorandum, proindéque ſacrificiô colendum; conſequenter, illum inficiatur verum Deum eſſe. At ſi hoc dogma Arrianum non eſt, dicat quæſo Molinæus quid aliud ſit cum Arrio ſapere: ſed vt alieno pallio ſe tegat, Patres Carthaginenſis III. Concilij, huius virulenti paradoxi auctores eſſe ſupponit. At quanta cum impudentia & falſitate, ſuperiori articulo pleniſſimè ac manifeſtiſſimè fuit euictum. Vnde conſectaneum fit, impiam illam ſententiam Molinæi propriam eſſe. Quamuis enim falsò illam ipſis Patribus Carthaginenſibus adſcribat vt veram: tamen illam proponit, hácque nititur, & vt ex certo principio concluſionem ſuam deducit, vt lectori verborum eius facilè euadit perſpectum.

Vide de Arrio S. Epiphan. hæreſ. 69. S. Aug. hæreſ. 49 Theodoret. de fab. hæret. lib. 4.

ARTICVLVS III.

Chriſto, vt Deus eſt verus cum Patre & Spiritu ſancto, iure ſacrificium Euchariſtiæ offerri.

SACRIFICIVM corporis & ſanguinis Chriſti, quod noui Teſtamenti proprium eſt: non ſolùm eſſe commemoratiuum eius paſſionis (cùm ſit etiam exhibitiuum eiuſdem hoſtiæ in ara crucis immolatæ): nec modò eſſe Euchariſticum, nec ſolùm propitiatorium & expiatorium, ſeu etiam impetratorium: at inſuper latreuticum, quo ſcilicet Deus vt omnium rerum principium & finis, auctor & dominus, ſupremo latriæ cultu honoratur, ſuprà ex profeſſo docuimus ac demonſtrauimus. Vnde cùm Deus vnus ſit in eſſentia, trinus in perſonis: neceſſariò ſequitur illud ſacrificium toti diuinæ Trinitati, & proinde æquipariter tribus & ſingulis perſonis diuinis offerendum eſſe, ideóque hoc ſummo religionis actu, non minùs Filium, quàm Patrem, aut Spiritum ſanctum, quàm horum vtrumque vel alterum coli poſſe ac debere.

Ante mille quadringentos annos S. Irenæus inclytus Martyr & Epiſcopus Lugdunenſis, qui in prima iuuentute fuerat edoctus in fide, à S. Polycarpo itidem Epiſcopo & Martyre, B. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ primario diſcipulo: hanc quam imbiberat doctrinam in fonte Apoſtolico, expreſſè prædicauit & tradidit lib. 4. aduerſus hæreſes, c. 33. Ibi enim perſequens inſigne vaticinium Malachiæ prophetæ de ſacrificio Euchariſtiæ, in vniuerſo orbe, Deo vero à gentibus fide illuſtratis perenni cultu offerendo, ex eadem prophetia elicit hoc ipſo ſacrificio Filium Dei vnigenitum factum hominem, pro mundi redemptione, colendum & glorificandum eſſe. *In omni loco ſacrificatur,* ait Deus per prophetam, *& offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus.* Ad hæc B. Irenæus planè ſublimiter & diuinè. *Quod eſt autem nomen quod in gentibus glorificatur* (inquit) *quàm quod eſt Domini, per quem glorificatur pater & glorificatur homo, quoniam proprij filij eius eſt, & ab eo factus eſt homo, ſuum illud vocat: quemadmodum ſi quis Rex ipſe ſui filij pingat imaginem, iuſtè illam ſuam dicit imaginem ſecundum vtrumque, quoniam & filij eius eſt, & quoniam ipſe eam fecit; ſic & Ieſu Chriſti nomen quod per vniuerſum mundum glorificatur in Eccleſia, ſuum eſſe confitetur pater, & quoniam filij eius eſt, & quoniam ipſe ſcribens id ad ſalutem dedit hominum: Quoniam ergo nomen filij proprium patris eſt, & in Deo omnipotente per Ieſum Chriſtum offert Eccleſia, bene ait ſecundùm vtraque* (nomina patris ſcilicet & filij) *& in omni loco, incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum.* Chriſtus igitur vt eſt hoſtia offertur, vt Sacerdos offert: vt Deus eſt vnus cum Patre, hac ipſa oblatione, hoc pretioſo & incruento ſacrificio ab Eccleſia colitur, oratur & adoratur, ipſo ſingulari latriæ myſterio.

Malac. 1. 11.

Quòd colendus eſſet autem Chriſtus, illo ſummo latriæ cultu pariter cum Patre, Apoſtolus Heb. 1. diuinis ex oraculis confirmat: Et

cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, & *adorent eum omnes Angeli Dei.* Ab hominibus autem mox ac natus, cœleſti nutu, in ipſis cunabulis adoratus eſt; ſæpiúſque hoc ſummo honore ab Apoſtolis & diſcipulis, iiſque qui diuina eius beneficia perſenſerunt, in vita & poſt mortem excultus fuit, vt ex Euangelio patet. Poſt eius autem triumphalem in cœlos reditum, B. Ioannes Apoc. 5. ſe vidiſſe teſtatur quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores, coram agno ſtantes tanquam occiſo cecidiſſe; vocéſque militiæ cœleſtis, & omnis creaturæ quæ in cœlo, & ſuper terram, & ſub terra, & in mari ſe audiiſſe acclamantium: ſedenti in throno & agno gratiarum actionem, gloriam, & honorem, laudem & benedictionem in ſæcula ſæculorum. Quæ cantica atque acclamationes omnes Angeli cum quatuor animalibus adorabundi & in facies ſuas proſtrati, reſpondendo Amen, confirmabant. Et verò ipſe Chriſtus Iudæis prædicauit, Ioan. 5. eſſe voluntatem ſui patris *, *vt omnes honorificent filium ſicut honorificant patrem.* Porrò qui ita filium non honorificat, neque honorificat patrem qui miſit illum. Pari igitur honore, cum patre æterno, filius ei coæternus colendus eſt. Si igitur pater, fide, ſpe & charitate colitur, ſi precibus & laudibus ac ſacrificio honorificatur, filius quoque iiſdem planè modis debet honorificari; ſiquidem *Ego*, inquit, *& pater vnum ſumus. Qui videt me, videt & patrem meum. Qui me honorat, honorat & patrem meum;* quo cum filius ipſe vnus eſt ſubſtantia, licèt ſit perſonâ diſtinctus. Hinc in ipſo ſacrificio æqualibus præconiis filius cum patre glorificatur; *Laudamus te; Benedicimus te. Adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex cœleſtis Deus pater omnipotens.* Móxque ad filium conuerſis laudibus, *Domine fili vnigenite Jeſu Chriſte. Domine Deus agnus Dei filius patris. Qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Jeſu Chriſte* &c.

Pſ. 96. — * Nota — *Ioan. 14.*

ARTICVLVS IV.

Spiritui ſancto offerri pariter idem venerabile ſacrificium: proinde & toti indiuiduæ Trinitati.

PARAGRAPHVS I.

De Spiritu ſancto.

PORRO Spiritus ſanctus eodem cultu honorandus eſt, ſicut Eccleſia profitetur in ſynodo Nicæna, ſeu Conſtantinopolitana, alta voce dicens ſe quoque credere *In Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem, Qui ex Patre Filióque procedit: Qui locutus eſt per Prophetas: Qui cum Patre & Filio* SIMVL ADORATVR ET CONGLORIFICATVR, &c. Nec immeritò: nam cum patre & filio, vnam eandémque eſſentiam, virtuté, maieſtatem habet, eodem igitur pariter honore colendus eſt. At mi-

ſeri Tranſiluani, qui Arianiſmum his infeliciſſimis temporibus renouârunt filij Dei vnigeniti diuinitatem abnegantes, iidem Eunomij & Macedonij iam olim ſepultam hæreſim, aduerſus Spiritus ſancti diuinitatem, etiam ab inferis reuocârunt. Hos Theologi Catholici, fidei Apoſtolicæ & ſanctorum Patrum doctrinæ defenſores, definitionúmque Conciliorum Oecumenicorum aſſertores, hoc egregio, ſingulari ac ineluctabili argumento, nouorum illorum (vt antiquorum) pneumaticorum impietatem confutârunt. Ille verus, ſummus ac naturâ Deus eſt, quem Scriptura ſacra abſolutè Deum vocat, cui attributa naturæ diuinæ & opera Deo propria tribuit; quem nunquam in creaturarum ordine, ſed in diuinarum numero perſonarum ponit; quem in omni operatione coniunctum & inſeparabilem à Patre & Filio demonſtrat &c. Atqui Spiritus ſanctus eſt huiuſmodi, 1°. ſiquidem in Scriptura ſacra Deus abſolutè vocatur, 2. Reg. 23. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael, mihi locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum* &c. Et Act. 5. 3. 4. *Anania* (ait Petrus Apoſtolus) *cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto* &c. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* 2°. Ipſi quoque diuina attributa adſcribuntur. Immenſitas, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, Sap. 17. & Pſ. 38. *Quò ibo à Spiritu tuo? &c.* Bonitas; *Spiritus tuus bonus, deducet me in terram rectam* Pſ. 142. 10. *O quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus!* Sap. 12. 1. *Pater veſter de cœlo, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Luc. 11. 13. Omnipotentia: Sap. 7. 23. *Eſt ſpiritus intelligentiæ ſanctus, omnem habens virtutem. Spiritus ſanctus* (ait Angelus ad Virginem benedictam) *ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi &c. quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Sapientia: vnde Apoſtolus 1. Cor. 2. 10. 11. *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi Spiritus Dei.* 3°. Spiritui ſancto etiam opera ſoli Deo propria tribuuntur, Creatio: Pſ. 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pſ. 103. 30. *Emittes ſpiritum tuum & creabuntur.* Iob. 33. 4. *Spiritus Domini fecit me.* Hinc ab Eccleſia compellatur ſic, *Veni creator Spiritus.* Futurorum prædictio: 2. Pet. 1. 20. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Act. 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus.* Miraculorum patratio: *Ego in Spiritu Dei, eiicio dæmonia*, ait Chriſtus Matth. 12. 28. Et Apoſtolus 1. Cor. 12. 9. dona linguarum, ſanitatum, prædictionum, interpretationum, diſcretionis ſpirituum & cætera diuina munera ac opera mirabilia, Spiritui ſancto vt auctori omnium illorum aſſignat. Inſuper iuſtificatio opus planè diuinum, eſt opus Spiritus ſancti, 1. Cor. 16. *Iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Viuificatio ſeu reſurrectio: Rom. 8. 11. *Viuificabit mortalia corpora noſtra, propter inhabitantem eius ſpiritum in nobis.* Eccleſiæ gubernatio: Act. 10. *Dixit Spiritus Petro, Ecce viri tres quærunt te, ſurge ergo & deſcende, & vade cum eis nihil dubitans, quia ego miſi illos.* Et c. 13. 2. *Dixit Spiritus S. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod ego aſſum-*

pſi eos. Et c. 15. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* &c. Item Act. 16. 6. *Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Et c. 20. 28. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* 4°. Nunquam Spiritus ſanctus in creaturarum ſerie recenſetur, etiam in locis illis vbi Angeli & præcipuæ creaturæ numerantur, vt videre eſt ex Pſ. 102. Pſ. 148. Daniel. 3. & Col. 1. 16. vbi memorantur nobiliſſimæ creaturæ; Dominationes, Principatus, Poteſtates. Et 1. Pet. 3. 22. Angeli, Poteſtates, Virtutes: vbi Spiritus ſanctus nullomodò erat prætermittendus, ſi Deus non eſſet. At vbi perſonæ diuinæ numerantur, ſemper cum eis, vt vna ex eis, connumeratur; Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et 1. Ioan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* 5°. In omni operatione coniunctus & inſeparabilis eſt à Patre & Filio, v. g. Pater in Incarnatione operatus eſt; *Miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati:* Rom. 3. Spiritus ſanctus itidem operatus eſt, *quod enim ex ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt*, Matth. 1. 20. Pater vnxit Chriſtum, vt hominem, *quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum*, Ioan. 10. 36. Idem fecit Spiritus ſanctus, de quo Chriſtus ipſe Dominus dicit, Luc. 4. 18. *Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me.* Pater filio auctor fuit vt pro nobis ſe offerret ad mortem; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, Ioan. 3. & Rom. 8. *Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Idem factum dicitur à Spiritu ſancto Heb. 9. 14. *Chriſtus per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit.* Denique Chriſtus de Patre ait, *Vſque modò Pater meus operatur & ego operor.* Ioan. 5. 17. & c. 14. 10. *Pater in me manens ipſe facit opera;* At vt Pater Filio cooperabatur, ſic & Spiritus ſanctus; vnde ipſe ait, *Ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia.*

Ex hac igitur inductione, ſeu potiùs demonſtratione, rectè certóque colligitur, quòd Spiritus ſanctus ſit cum Patre & Filio Deus verus & vnus. Pari igitur cultu honorificari debet; atqui cultus latriæ Patri & Filio debetur, & exhibetur in ſacrificio Euchariſtiæ, igitur ſic eſt colendus Spiritus ſanctus. Hòc vero, inſuper iis rationibus accedit, Sacramentum regenerationis, quod eſt renouatio rationalis creaturæ, peræquè ad tres diuinas perſonas ſpectat; quapropter illa gratia pariter *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti* miniſtratur. Cur non igitur & ſacrificium communi dignitatis honore, tres ipſæ perſonæ æquo iure poſſidebunt? Prætereà cui competit templum, competit & ſacrificium, ſunt enim correlata, templum, altare, ſacrificium & Sacerdotium. Atqui Spiritui ſancto templum competit 1. Cor. 6. 19. 20. proinde & ſacrificium illi conuenit & debetur. Adde quòd illud myſterium virtute Spiritus ſancti conficitur; quapropter à S. Iuſtino, Apol. 2. ad Antonin. Imp. Euchariſtia Incarnationi comparatur; quin & illa prorſus admirabilis mutatio panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem, quæ fit per conſecrationem, hoſtiæque quæ immolata fuit in cruce, vera repræſentatio in altari, quòd ſit opus Spi-

ritus ſancti, Patres vnanimi conſenſu docent. S. Optatus Mileuitanus lib. 6. contra Parmenianum Donatiſt. *Quid tam eſt ſacrilegum quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliſtis frangere, radere, remouere, in quibus vota populi & membra Chriſti portata ſunt: quo Deus omnipotens inuocatus ſit; quo poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus: vnde à multis pignus ſalutis æternæ & tutela fidei & ſpes reſurrectionis accepta eſt.* S. Aug. lib. 3. de Trinitate c. 4. dicit *oblata non ſanctificari, vt ſint tam venerabile Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei: Cùm hæc omnia &c. Deus operetur.* Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſynchronus S. Cyrilli Alexandrini, in lib. de traditione diuinæ Liturgiæ: *Per has preces* (inquit, Apoſtoli & Patres) *Spiritus ſancti aduentum expectabant, vt eius diuina præſentia, propoſitum in ſacrificio panem & vinum aqua permixtum, ipſum illud corpus & ſanguinem ſalutaris & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti efficeret.* S. Gregorius Papa I. teſte Ioanne Diacono in eius vita ſic coram populo locutus eſt: *Præſcius conditor noſter infirmitatis noſtræ, ea poteſtate qua cuncta fecit è nihilo, panem & vinum aqua mixtum manente propria ſpecie in carnem & ſanguinem ſuum Spiritus ſui ſanctificatione conuertit.* Venerabilis Beda in ſerm. de Epiphania: *Panis & vini natura, in Sacramentum carnis & ſanguinis Chriſti ineffabili Spiritus ſancti ſanctificatione transfertur.* S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide c. 14. *Panis, vinúmque & aqua per inuocationem & aduentum Spiritus ſancti, ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem.* Theophylactus in cap. 6. ſancti Ioannis: *Transformatur arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem & acceſſionem ſancti Spiritus, in carnem Domini.* Cùm igitur virtute Spiritus ſancti hoc ſacrificium peragatur, cuius munus & opus eſt, & ideo, vt adſit, poſtuletur & inuocetur, ſicut diſertè dicunt præfati Patres, & ex omnibus Liturgiis planè conſtat: Hinc conſectaneum euadit dignum & iuſtum eſſe, vt hoc eius donum tam pretioſum in gratiarum actionem ipſius tanti beneficij offeratur; hócque ſacrificio ipſe cum Patre & Filio honoretur, quibuſcum hæc operatur myſteria. *Venit hora & nunc eſt* (ait Dominus Ioan. 4.) *quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate**. Atqui vult ipſe Pater vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem; Proinde & Spiritum ſanctum ſicut ſe & Filium, quia ſcilicet *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt;* ſicut Filius de ſe & Patre ait, *Ego & Pater vnum ſumus.* Idcirco Sacerdos ſanctum Miſſæ Canonem hac coronide abſoluit & concludit: *Per ipſum* (Chriſtum Dominum videlicet) *& cum ipſo & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti, omnis honor & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

* Hæc verba SS. Chryſoſt. & Cyrill. de ſacrificio incruento noſtro interpretantur.

1. *Ioan.* 5.

Idem 10. 30.

§. II.

§. II.

De ſancta, & indiuidua Trinitate.

EX ſacra igitur hac theoria & perpetua Eccleſiæ praxi, euidenter conſtat per hoc latreuticum ſacrificium, omnes & ſingulas Trinitatis perſonas, proinde & totam ipſam diuinam Trinitatem adorari. In Miſſa S. Iacobi fratris Domini, oratione præmiſſa pro peccatorum remiſſione, accedens ad altare Sacerdos dicit; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; trino & vni lumini diuinitatis, quod eſt ſingulare in Trinitate, & quod ſine diuiſione diuiditur. Trinitas enim vnus Deus omnipotens, cuius gloriam cœli enarrant, terra verò eius dominationem, & mare eius omnipotentiam, & omnis creatura &c. eius magnificentiam prædicat, quia eum omnis gloria, honor, potentia, magnificentia & decus decet nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum: Amen.* Et cùm Sacerdos ſancta dona offert, precem ſuam his verbis concludit: *Quoniam ſanctificatum eſt ac glorificatum, venerandum omni ex parte & magnificum nomen tuum, Patris & Filij & Spiritus ſancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Et poſtquam ſigno crucis conſignauit myſtica dona, ſic ſanctam Triadem inuocat & veneratur: *Exaudi Domine orationem meam, tu es enim qui omnia in omnibus agis, & abs te omnes quærimus in omnibus auxilium & ſubſidium ab vnigenito filio tuo, & à bono & viuificante & conſubſtantiali Spiritu nunc & in ſæcula.* Deinde poſt orationem velaminis, dicit ad populum Sacerdos alta voce: *Charitas Domini & patris, charitas Domini & filij, & communicatio & donum Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.* Poſteà in conſecratione calicis dicit: *Similiter poſtquàm cœnauit accipiens calicem &c. ac oſtendens, tibi Deo & patri gratias agens ſanctificans, benedicens, implens Spiritu ſancto, dedit ſanctis ac beatis diſcipulis ſuis, dicens* &c. Deinde vt cultum hunc diuinum ſe deferre ſanctiſſimæ Trinitati profiteatur, ait: *Domine Deus omnipotens dimitte ſuper nos & ſuper dona hæc propoſita, Spiritum tuum ſanctiſſimum, Dominum viuificantem, vnà cum te Deo Patre & vnigenito Filio tuo aſsidentem, ſimul regnantem, conſubſtantialem & coæternum, qui locutus eſt in lege, & prophetis.* Et infrà: *Tu enim adorandus es & glorificatus es* (ſcilicet hoc ſanctiſſimo ſacrificio) *Deus noſter, & vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus ſanctiſsimus, nunc & ſemper &c.*

In Liturgia S. Marci à Ioanne Santandreano canonico Pariſienſi, & à Cardinali Sirleto è Græco edita, vtque genuina probata à doctiſſimo Genebrardo anno 1583. Sacerdos immediatè ante diuinum Triſagium, ait: *Domine Deus tibi gloriam & gratiarum actionem & triſagium ſeu ter ſanctum offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Populus reſpondet, *Amen. Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis. Incenſum offerimus coram ſancta gloria tua &c.* Et infrà, *Euchariſteria ſuſcipe Deus in ſanctum altare tuum.* Demum peractis myſteriis ait: *Tu enim es ſanctificatio noſtra, & tibi gloriam ſurſum offerimus, Patri, & Filio & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.* Populus reſpondet, *Amen.*

In Liturgia S. Baſilij, Sacerdos incipit ab oratione propoſitionis, quam hunc in modum concludit alta voce: *Quia ſanctificatum & glorificatum eſt, vndequaque pretioſum & magnificum nomen tuum, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nunc & ſemper &c.* Et infrà poſt ſecunda pacifica: *Quia bonus, benignúſque, & clemens Deus exiſtis, tibi gloriam offerimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, &c. Quia te decet omnis gloria, honor & adoratio &c.* Quam glorificationem ſæpe ſæpius in illa diuina actione repetit. Poſtmodùm in oratione oblationis, ſupplicat vt diuina gratia, dignus efficiatur offerre hoc rationale & incruentum ſacrificium pro ſuis peccatis & populi ignorantiis, poſtulátque vt Deus illud ſuſcipiat in ſancto altari ſuo in odorem ſuauitatis, reſpiciátque ad hunc cultum &c. Tum Diaconus ait, *diligamus inuicem, vt in concordia confiteamur.* Populus reſpondet; *Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.* Et Sacerdos ter adorat &c. Et populus ſubinde exclamat: *Æquum & iuſtum eſt adorare Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem conſubſtantialem & inſeparabilem.* Et poſt conſecrationem ſanctorum munerum, Sacerdos alta voce dicit: *Tua ex tuis tibi offerimus in omnibus & per omnia.* Chorus ſubiungit: *Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, te oramus, Domine Deus noſter.*

Liturgia ſancti Chryſoſtomi cum prædicta ſancti Baſilij magnam habet conformitatem: Sacerdos ſe pro Clero & populo profitetur offerre hoc ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis, & inuocare nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; Et poſt orationem propoſitionis poſtquàm dedit gloriam Deo, ait Diaconus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto nunc & ſemper* &c. Et poſt pacifica, ait Sacerdos: *Quoniam tua eſt Dominatio, & tuum eſt regnum, & potentia, & gloria Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nunc & ſemper &c.* Et in oratione introitus S. Euangelij, *Quoniam te decet omnis gloria, honor & adoratio, Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum* &c. Cantores poſt pacifica canunt, *Qui Cherubim myſticè repræſentamus, viuificæ Trinitati ter ſanctum hymnum canimus &c. vt vniuerſorum regem excipiamus, inuiſibiliter ſtipatum Angelicis ordinibus, Alleluia, alleluia, alleluia.* Et poſt conſecrationem Sacerdos inclinato capite dicit: *Præterea offerimus tibi Domine Deus noſter hunc rationabilem & incruentum* CVLTVM &c. Porrò ſumens diuinam ſynaxim ait Sacerdos 1. *in nomine Patris,* 2. *& Filij,* 3. *& Spiritus ſancti.*

Latina Liturgia ſeu Miſſa, trium diuinarum perſonarum in incruento ipſo ſacrificio, cultum ſupremum & inuocationem, tota ſpirat. Hanc Sacerdos ſiquidem à ſanctæ Trinitatis inuocatione incipit, hac voce edita, cum ſignaculo ſanctæ crucis, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen; Et introibo ad altare Dei.* Paulo poſt introitum ad altare, hymnum cantat Angelicum, quo miro ſuauíque præconio diuinam ipſam Trinitatem magnificè glorificat. Diebus Dominicis & feſtis ſolennioribus Symbolum Nicænum recitat, quo fit copioſa expreſſio myſterij ineffabilis ipſius Trinitatis. Ad offertorium materiæ præparatæ pro ſacris myſteriis conficiendis, adorandam ipſam

Trinitatem his verbis deprecatur: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc immaculatam hoſtiam, quam tibi offerimus &c.* Præfationem autem ſic Triſagio concludit: *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Canonem porrò ſacratiſſimum hac claudit coronide; *Per ipſum* (Chriſtum vtique) *& cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti, omnis honor & gloria.* Demum facta communione, dictiſque collectis & populo perfectione ſacrificij nunciata, benedicendi gratiam à diuina Maieſtate, per merita Chriſti depoſcit, *Placeat tibi ſancta Trinitas hoc obſequium ſeruitutis meæ, & præſta vt hoc ſacrificium quod oculis tuæ maieſtatis indignus obtuli, tibi ſit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, ſit te miſerante propitiabile. Per &c.* Et tunc populo benedicit ſigno crucis expreſſo, ſolenníque trium diuinarum perſonarum inuocatione ſummo cum honore pronunciata. Siquidem hoc in ſacrificio Deus ab Eccleſia ſupremo latriæ cultu honoratur; qui tribus perſonis ex æquo competit. Vnde ipſa diuina Trinitas (cuius cultus religionis Chriſtianæ proprius eſt) in eo ipſo ſingulari Eccleſiæ ſacrificio, tot titulis, elogiis, præconiis, precibus, acclamationibus, celebratur.

At verò ſolers fortè pluſquam pius horum cenſor obiiciet, ſi ita ſe habet res, cur itaque deprecatio illa ſolennis *, in qua per verba Chriſti ipſum Euchariſtiæ ſacrificium conficitur, in qua conſecratur hoſtia, & quâ cultus ille ſummus, vero Deo ſoli, propter magnam eius gloriam exhibetur; non Filio, nec Spiritui ſancto, ſed Patri tantùm adſcribitur iuxta decretum Carthaginenſis III. Concilij præcitati: vt cùm aſſiſtitur altari dirigatur ad Patrem oratio? Sed de ſenſu genuino huius Canonis ſuprà contra Molinæum ſatis ſupérque diſſeruimus: Et quod ſpectat ad Filij perſonam planè ſatisfecimus, perſpicuè rationem demonſtrando, propter quam illa oratio non ad Filium dirigitur, vt pote qui eo in ſacrificio noſtri Mediatoris officio fungitur, offértque vt Sacerdos, & vt victima immolatur. Porro quod pertinet ad Spiritum ſanctum, ſpecialis hæc eſt ratio, cur nec ei dirigatur illa deprecatio: videlicet ſolius itidem conuenientiæ cauſa: nam Spiritus ſanctus donum eſt datúmque illud optimum quod deſcendit à patre luminum: at verò à dono donum non petitur, ſed à donante, à quo donum ipſum procedit. Inſuper Spiritus ſanctus non miſit Filium ſed Pater, de quo ideo dicit ipſe Chriſtus: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum daret.* *Proprio filio non pepercit* (ait Apoſtolus) *ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ideo ad Patrem redemptionis noſtræ beneficium ita refertur, vt ipſe, quem nobis dedit, filius vnigenitus per hanc oblationem illi reddatur Euchariſticam, propitiatoriam & impetratoriam. Errant tamen qui putant eo quod hæc oratio & oblatio dirigatur ad Patrem, ab hac ſumma honorificatione Filium & Spiritum ſanctum excludi. Etenim nullo modo aut Pater ſine Filio, aut Filius ſine Patre, aut ambo ſine Spiritu ſancto, aut hic ſine vtroque, laudari, adorari, aut vllo diuini cultus obſequio honorari poteſt. Filius eſt enim totus in Patre, & totus Pater in Filio, & Spiritus ſanctus in

* id eſt canon ipſe liturgicus.

Ioan. 3.

Rom. 8.

vtroque, quorum nexus & amor eſt, *& hi tres vnum ſunt*, ait dilectus diſcipulus. Vnde illis eſt vnus idémque honor & gloria; *ſingula enim ſunt in ſingulis* (ait S. Auguſtinus lib. 6. de Trinitate c. vlt.) *& omnia in ſingulis & ſingula in omnibus, & vnum omnia.*

APPENDIX ALTERA.

De adoratione corporis Domini, in ſacro-ſancto altaris myſterio.

Contra Molinæum.

TAMETSI Molinæus cùm de can. 23. Concilij III. Carthaginenſis ageret: impetu quo ardet impugnandi corporis Chriſti in Euchariſtia adorationem, eò vſque abreptus ſit: vt ſine vlla diſtinctione, ſed abſolutè dixerit, Chriſtum non eſſe inuocandum, nec adorandum: tamen impetu ſubinde quodammodo temperato, inſinuat ſe Chriſtum hîc non eſſe adorandum nec inuocandum contendere, quòd non credat (nec cæteri quoque Caluini ſectarij) corpus Chriſti verum hîc ſub ſpeciebus ſeu ſignis ſenſibilibus exiſtere. Recentiores miniſtri Chriſti corpus in ſe adorabile eſſe, ſeu ſubiectum eſſe adorationis legitimum, planè fatentur. Et eorum Patriarcha Caluinus, ſcribens aduerſus Weſtphalum Lutheranum, effusè deridet ſectatorum Lutheri inſaniam, qui Chriſti verum corpus realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia exiſtere credunt & aſſerunt: & tamen adorandum hîc eſſe inficiantur; poſita enim vera & reali exiſtentia ſub ſymbolis panis & vini, adorationem neceſſariò concedendam eſſe. At Scriptura ſacra verbis quàm expreſſiſſimis, Concilia, Patres, realem hanc exiſtentiam corporis Chriſti in illo venerabili Sacramento euidenter docent, probántque hanc ipſam Catholici Theologi luculenter ex his principiis, ſummóque vniuerſalis Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis conſenſu, & pleriſque aliis ineluctabilibus argumentis, quibus hactenùs Miniſtri Caluiniſtæ nullomodo ſatisfacere potuerunt, nec vnquam poterunt. Fixum igitur manet hoc Catholicum dogma, à pleriſque iam ſacris Conciliis definitum, atque à poſtrema Synodo Oecumenica confirmatum his verbis ſeſſ. 13. tit. de Sacramento Euchariſtiæ can. 1. *Si quis negauerit in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: ac proinde totum Chriſtum. Sed dixerit tantummodò eſſe in eo vt in ſigno, vel figura aut virtute, anathema ſit.* Et can. 4. *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili*

Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantùm in vſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt: & in hoſtiis ſeu particulis conſecratis quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Chriſti corpus, anathema ſit.

Hoc duplici igitur axiomate præſuppoſito, (cuius amplior demonſtratio, ad quæſtionem de reali & permanente Chriſti corporis & ſanguinis in hoc almo Sacramento præſentia ac exiſtentia, ſpectat) Molinæus aliam in viam digreditur. Quia enim animaduertit Catholicos Doctores validiſſimum argumentum, pro reali & perdurante Chriſti corporis in Euchariſtiæ Sacramento præſentia, ducere ex eiuſdem in ipſa Euchariſtia adoratione; ſeu etiam ipſius Euchariſtiæ religioſiſſimo cultu, quem hinc exhibitum fuiſſe ſemper in Eccleſia conſtanter aſſerunt: (quo argumento planè conuictus Eraſmus intrepidè dixit ſe nunquam eò adductum iri poſſe, vt crederet Chriſtum ita Eccleſiæ chariſſimæ ſuæ ſponſæ oblitum, vt eam ſiuerit tot ſæculis pro ſuo vero corpore fruſtulum panis adorare) Molinæus vt hanc machinam, quam ſectæ ſuæ exitialem perſpicit, ſi euertere nequeat (quod certè non poteſt): ſaltem aliquo tenixu tantiſper remoretur, planè negat hoc vnquam fuiſſe in primitiuæ Eccleſiæ praxi & vſu, vt vel Chriſti corpus in Euchariſtia (tanquam ibi realiter exiſtens) adoraretur, vel ipſa Euchariſtia eiuſmodi cultu quo nunc honoratur, (ſumma videlicet veneratione) pridem fuerit exculta. Cæterum quia magnus Cardinalis Peronius, cùm in admirabili fuſóque illo opere de Euchariſtia contra Mornæum, tum in Reſponſione ad Iacobum Angliæ Regem, luculenta Patrum teſtimonia, eáque expreſſiſſima collegit ac protulit aduerſus Caluiniſtarum ſectatiorum pertinaciam, tantum vulnus hac ex pharetra, fortíque adeò dextera, ſibi ſuíſque inflictum, non ſine ingenti dolore perſentiens Molinæus ipſe in furorem ſe vertit, doctiſſimum & ſapientiſſimum Cardinalem pleriſque impetit iniuriis, necnon dicteriis virulentis aſpergit. Víxq; tandem vnum pro mille reſpondens, ad quædam ſelecta à ſe ex tam ingenti numero (quæ faciliùs obnubilari poſſe cenſuit) obiecta, neſcio quas futiles adhibet diſtinctiones, eluſiones, exceptiones. Quibus etſi ſe tantum athletam debellare poſſe non confidat, tamen ſpectatoribus huius conflictus puluerem ex arena in oculos iniectum ire conatur: hac vt arte fallat incautos, & dum has ſordes ab obtutibus excutiunt, ipſe ſibi interim paret elapſum. Breuiter hîc igitur, ſed ſincerè quid locis illis reſpondeat Molinæus exponam: quámque turpiter decipiatur, vel nequiter Lectorem decipere laboret, palam ſubinde efficiam.

§. I.

De teſtimonio S. Dionyſij Areopagitæ.

MOLINÆVS.

PRo adoratione Sacramenti allegatur Dionyſius c. 3. Eccleſiaſt. Hierarchiæ dicens: *O ſanctam & diuinam cæremoniam, obductis velis*

ænigmatum, quibus ſymbolicè operta es, perſpicuè te nobis oſtende, oculóſque noſtros reple ſingulari & non cooperto tuo lumine.

RESPONSIO.

LOCVS S. Dionyſij ſincerè expreſſus ex autographo ſic habet ad verbum*: *O diuiniſſimum & ſacro-ſanctum Sacramentum! obducta tibi ſignificantium ſignorum operimenta dignanter aperi, & perſpicuè fac nobis appareas, noſtróſque ſpirituales oculos ſingulari & aperto tuæ lucis fulgore imple:* Vel: *circumpoſita tibi ſymbolicè ænigmatum operimenta reuelans, liquidò nobis manifeſteris, mentaléſque noſtros obtutus ſingulari & aperta luce adimpleto.*

* Ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, τὰ περικείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκαλυψαμένη, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι, καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. *S. Dionyſ. Areopag. 3. Eccl. Hierarch. Contempl. §. 3. edit. Antuerp.*

MOLINÆVS.

CARDINALIS *Peronius vertit* τελετή, *per Sacramenti vocabulum.*

RESPONSIO.

ET tu per nomen *Cæremoniæ:* quod certè apud S. Dionyſium non extat. Nec mirum, quia Latinum eſt, non Græcum: ferunt enim cæremonias appellatas à Ceritibus populis Hetruriæ; quòd hi capta & occupata à Gallis Senonibus Roma, ſacra Romanorum à Veſtalibus inuecta benignè receperint, atque adeo reſeruârint, donec Camillus patriam recuperâſſet, Liuius ab V. C. lib. 5. *Memores ergo Quirites tanti beneficij, omnia poſteà ad cultum Religionis pertinentia, vocarunt Cærimonias.* Qua ex etymologia patet & nomen Latinum eſſe, & ſubdolè à Molinæo eſſe S. Dionyſio impactum: ſcilicet ad innuendum exilem habuiſſe de Euchariſtia æſtimationem; quam ſcilicet tam lato & communi vocabulo quibuſque rebus aut ritibus religioſis, quantumuis exiguis & minimis competenti deferri poſſit: quaſi ſcilicet Euchariſtia res quædam triuialis & foranea eſſet, aut certè inter ſacras minima. Sed S. Dionyſius ibidē diſertè eam appellat diuiniſſimum & ſacratiſſimum Sacramentum: nec enim iure queri poteſt Molinæus quòd τελετή, verterit per Sacramentum Cardinalis Peronius: nam cunctæ verſiones hactenus editæ idem vocabulum habent pro τελετὴ, expreſſum. Quæ ſanè verſiones ab iis auctoribus editæ ſunt, quos ſi Molinæus imperitiæ ſugillet, manifeſtam ſuam faciet omnibus doctis inſcitiam. Adde quòd paulò infrà Molinæus ipſe agnoſcit τελετὴ, ſignificare myſterium; conſtat autem in diuinis rebus, vbi ponunt Græci μυστήριον, Latinos vertere Sacramentum.

MOLINÆVS.

PER *Sacramentum* autem Peronius Ieſum Chriſtum intelligit. Quæ mira dementia eſt: etenim quænam ſcintilla conuenientiæ inter Chriſtum & τελετὴ, hoc eſt myſterium, ſeu arcana & myſtica cærimonia? Sic porrò tranſtulit Faber Stapulenſis, *O diuinum penitus ſanctúmque myſterium!*

RESPONSIO.

CARDINALIS Peronius per vocem myſterij ſeu Sacramenti, hîc à ſancto Dionyſio pro Euchariſtia poſitam, Chriſtum, ſicut Dionyſius ipſemet, intelligit, vt eſt in Sacramento, ſeu ſub ſignis illis ſen-

ſibilibus, quæ cum re ſub ſignis comprehenſa, perfectum Sacramentum, ſeu totum Sacramentale conſtituunt. Adde quòd nihil abſurdi eſt, ſi Chriſtus in Euchariſtia realiter exiſtens, myſterium ſiue Sacramentum appellatur: Euchariſtia enim nihil aliud eſt (vt ſcitè ait S. Chryſoſtomus) quàm *Incarnationis extenſio*: Porro Incarnatio, ſeu Verbum Dei incarnatum, diſertè ab Apoſtolo, hoc nomine deſignatur; & manifeſtè (inquit 1. Timoth. 3. 16.) *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne &c.* Ideò legimus apud Iſaiam; *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*, c. 45. 15. In incarnatione abſconditum fuit Verbum ſub velamine carnis: in Euchariſtia abſconditum eſt Verbi incarnati corpus, ſub ſpecie panis. Myſterium ab Hebræis dicitur, ab abſconſione, ad denotandum videlicet id quod retruſum eſt & abſconditum. Conuenit igitur rectè Chriſto in Sacramento altaris vbi adeſt & non videtur: latet vt arcanis modis gratiæ ſuæ dona nobis impertiatur, ſéque ipſum nobis verè, ſed ſine horrore & faſtidio, communicet.

MOLINÆVS.

NEMO tam hebes eſt, qui facilè non aduertat hæc à Dionyſio per apoſtrophen ſeu compellationem oratoriam dici: qua figura, ſæpe ad res inanimatas loqui conſueuimus & perſonas abſentes, ceu reipſa adeſſent. Sic Ambroſius aquæ elementum alloquitur lib. 10. in Luc. c. 22. *O aqua quæ humano reſperſum ſanguine, vt præſentium lauachrorum figura præcederet, orbem terrarum lauaſti, &c. O aqua quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti!* Sic & Prophetæ paſſim compellant cælos & terram, Iſa. 1. 2.

RESPONSIO.

A Petro Martyre in lib. contra Gardinerum, Molinæus, hanc dictorum beati Dionyſij per apoſtrophen acceptionem didicit. Sed quàm inſulſa ſit explicatio, mox oſtendam. Ad locum ex S. Ambroſio adductum dico, verba quidem ſua ſanctum hunc Doctorem ad aquam dirigere per apoſtrophen, ſed aquam non inuocare, nec quicquam ab ea petere diuinum, quod per ſe præſtare poſſit. Narrat fusè toto hoc loco S. Ambroſius quæ Deus mira tam in rerum natura, quàm gratiæ myſteriis operatus eſt: Sed mox admonet, aquam haud eſſe cauſam horum mirabilium & beneficiorum Dei in genus humanum: at eſſe ſignum duntaxat & inſtrumentum mutum & inanimatum huiuſmodi rerum & munerum diuinorum: *Aqua enim*, inquit, *ad lauachrum, ſanguis ad pretium*: Aquam ideo non inuocat, nec quicquam gratiæ ab ea depoſcit, ſicut nec Prophetæ, quando cœlum & terram obteſtantur. At S. Dionyſius hîc non modò ad Sacramentum Euchariſtiæ verba per compellationem dirigit: at rem latentem ſub ſignis, quam diuiniſſimam & ſacratiſſimam appellat, humillima ſupplicatione interpellat atque deprecatur, petítque ab eo quem alloquitur tam inſigni affatu, quæ à ſolo Deo rectè peti poſſunt. Vnde liquet credidiſſe in hoc Sacramento Chriſtum ipſum Deum & hominem contineri, imò Chriſtum ipſum vnà cum externis ſymbolis Sacramentum

eſſe, quod ideò veneranter affatur, nec modò ſacratiſſimum vocat Sacramentum ſeu myſterium, at quod longè maius eſt, diuiniſſimum.

MOLINÆVS.

EX *Dionyſij Areopagitæ auctoritate, Pontificij vim hîc faciunt: ſed vt vno verbo me ab hoc argumento expediam, rotundè dico, liber iſte opus non eſt Dionyſij Areopagitæ. quod ſi per tempus liceret nobis, haud foret difficile probare.*

RESPONSIO.

SI res hæc ita facilis erat, cur Molinæus ſuas rationes, quæ in promptu erant, vbi hîc maximè opus erat, non expreſſit? Paginas pleraſque ſui huius libri impleuit næniis & ſcommatibus virulentis, ac fabulamentis ridiculis. Et in re ſeria, tempus cum fugit. Sic non fecit magnus Cardinalis Peronius, qui in perenni memoria digniſſimo opere, de Euchariſtia, contra Mornæum, vbi de libris S. Dionyſij Areopagitæ quæſtio incidiſſet, validis argumentis, ſolidis ſcilicet rationibus & clariſſimis veterum teſtimoniis, planè euicit hos libros eſſe, S. Dionyſij Areopagitæ genuinos fœtus. Nihil quod vel tantuli ſit momenti Molinæus ad hæc reſpondet, ſed tantùm hoc vrget, quod Cardinalis Peronius diſiunctiuè demum loquitur; ſiquidem dicere, ſi ſcripta illa Areopagitæ non ſint, eius tamen eſſe auctoris qui ante 1300. annos extiterit, hoc eſt à Chriſto Domino annos 300. Sed Molinæus vbique ſuum genium prodit; hîc enim imponit doctiſſimo Cardinali, qui ſanè non ambigit de horum operum, quam tanto ardore propugnauit ſinceritate, at argumento vſus ad hominem, demum ait, non ex propria ſententia, ſed aduerſariorum conceſſione, ſaltem ſublimia illa ſcripta, ab auctore perantiquo, qui annos 1300. exſuperet, profecta eſſe, non poſſe negari. Et rectè omninò, nam & Molinæus qui hæc opera eſſe Dionyſij Areopagitæ non ſine conſcientiæ ſcrupulo & violentæ repugnantiæ indicio negat, demum apertis verbis concedit auctorem, multæ admodum antiquitatis eſſe, vt pote qui vt cenſet, circa annum Domini 350. vel 400. floruerit, & fuerit Chriſtianus fide, at valde eruditus in Platonis philoſophia: in qua nemo negat Dionyſium Areopagitam verſatiſſimum fuiſſe. Hoc igitur non exili indicio Molinæus ſatis dat intelligere ſe veritate conuictum agnoſcere veritatem, at ne ſibi noceat, nolle palam fateri. Cùm inſuper librum eſſe vtiliſſimum agnoſcat, adeo vt auctorem ipſum vehementer cupiat ſuas in partes traducere: quod fruſtra conatur, vt res per ſe patet, nam ſi ſuum crederet, Dionyſij eſſe genuinum opus (vt reuera eſt) totis viribus contenderet aſſerere, nec ingenioſis argutiis niteretur, tam inſignis tituli huic abrogare auctoritatem. Excutiamus quæſo hîc, quod obiicit vel excipit: *Trullana ſynodus acta,* inquit, *anno 681. & Gregorius Romanus qui ſcripſit circa annum 595. hæc opera directè citant, vt Peronius inculcat.* Quæ ſanè non inanis eſt probatio, ad perſuadendum, hos libros longè vetuſtioris antiquitatis eſſe. Verùm ludit hîc ſuo more ineptiendo Molinæus, nam Cardinalis Peronius, non iis ſolis nititur teſtimoniis, ſed aliis

pleriſque. hæc verò inducit tantùm vt euincat iam his temporibus paſſim agnitos fuiſſe hos libros in Orientali & Occidentali Eccleſia pro ſinceris S. Dionyſij Areopagitæ ſcriptis. Obiter autem notare iuuat Molinæum vt ſe accuratum Chronologum iactitet, conſignare Trullanum Concilium actum anno Dom. 681. at calculos imperitè tractat; certo enim certius eſt ſynodum illam, quam etiam Quini-ſextam vocitant, celebratam fuiſſe anno Domini 690. id patet ex actis, & teſtimonio Venerabilis Bedæ, Ætate 6. accurataque ſupputatione Cardinalis Bellarmini parte 2. Chronologiæ, nec non ex Annalibus Eccleſiaſticis. At Molinæus hîc gradum non ſiſtit, Budæum (virum illum doctiſſimum, ſuperioris ſæculi eximium lumen) non tàm erroris quàm falſi ſugillat, eo quòd cenſuerit hæc ſcripta noſtri Areopagitæ agnita fuiſſe ſancto Gregorio Nazianzeno, quin ab eo citata. Verùm & eruditiſſimus Bilius in eadem cum Budæo ſententia fuit, cuius hæc ſunt verba *. *Nonnulla apud Gregorium loca ſunt, Dionyſij Areopagitæ verbis adeò ſimilia, vt ea ille ab ipſo mutuatus eſſe non immeritò cuipiam videri poßit.* Deinde loca confert inſignia, quibus hoc verum oſtendit. At pergit tricari Molinæus, Nicolaúmque Coloſſenſem acriter perſtringit, ideo quòd aſſeruerit ſe vidiſſe commentarios Dionyſij Alexandrini (qui circa annum 254 florebat) in hos Dionyſij Areopagitæ tractatus. Mentiri vult enim hunc hominem, nec eſſe fide dignum, quia probabile non putat tot ſæculis hos Commentarios Dionyſij Alexandrini in Areopagitæ opera, delituiſſe, & primùm ab iſto Nicolao repertos. Verùm Nicolaus iſte teſtis eſt qui loquitur ex viſu; nec vnquam in ſuſpicionem venit affectatæ falſitatis. Porro nec adeò mirum, res diu occultas tandem aliquando reuelari, ſicut conſtat innumeris exemplis; at locus communis eſt à quo lubens deflecto, ne cuipiam ex prolixitate reſponſi faſtidium moueatur. Cæterum hîc Molinæus finem litis facit, quæque ogganniit non eo animo à ſe dicta profitetur, quo Hierarchiæ præſertim Eccleſiaſticæ minuat æſtimationem, quem librum optimum eſſe agnoſcit, atque ante annos ferè 1300. editum. Verùm ſe hîc benignè moneri à me patiatur, ab eo prætermiſſa fuiſſe inſigniora antiquitatis teſtimonia, quæ librum hunc & cætera opera quæ S. Dionyſij Areopagitæ titulos ferunt, eſſe proprios eius fœtus, ſine vlla ambiguitate confirmant. Citata enim hoc nomine reperiuntur à Leontio Bizantino qui claruit anno 540. lib. 2. contra Neſtorium & Eutychetem, vbi poſtquam fidem Catholicam, quam tuetur, veterum Patrum teſtimoniis probatum ire pollicitus eſt, fidem dictis faciens, hunc in modum ſcribit: *Dionyſius Areopagita ætatis Apoſtolorum ex lib. de diuinis nominibus; corruptio verò (ait) infirmitas naturæ & defectus naturalium habituum, operationum & potentiarum* &c. Et in lib. de ſectis Act. 3. ſub medium ait: *Fuerunt autem in temporibus à Chriſti natiuitate vſque ad Imperium Conſtantini Doctores hi & Patres, Ignatius Theophorus, Irenæus, Iuſtinus Philoſophus & Martyr, Clemens & Hippolithus &c. Dionyſius Areopagita, Methodius* &c. Inſuper S. Anaſtaſius Sinaita, Iuſti-

* *Lib. 1. ſacrar. obſeruat. num. 23.*

Apud Henric. Caniſ. tom. 4. antiq. lect.

niano Imperatori (qui regnare cœpit anno 527.) ſynchronus, lib. 7. Anagogicarum contemplationum in hexameron, ſub ipſo initio, cum inſigni præconio, ſancti Dionyſij Areopagitæ hæc ipſa citat opera, hac ſcilicet verborum ſerie. *Celeberrimus ergo & rerum diuinarum myſta Dionyſius Areopagita, Apoſtolicus Dionyſius* Doctor, in ſapientiſſima ſua Theologia, quod Deus dicitur θεὸς ex eo quod omnia θεωρεῖ, id eſt contemplatur. Docti inſuper operum eorumdem planè diuinorum noſtri Areopagitæ vindices, alia ſanctorum Patrum teſtimonia proferunt longè illuſtriſſima, v. g. S. Chryſoſtomi, in ſermone de pſeudo-prophetis & falſis Doctoribus, (quem vidiſſe Venetiis in Græco Codice MSS. Cardinalis Peronius graui teſtificatione aſſeuerat inſcriptum, *Cycnea vox Chryſoſtomi*, cùm ſcilicet iam ferè Conſtantinopoli abduceretur.) Qua in homilia omnium poſtrema ſic ait: *Vbi Euodius ille bonus odor Eccleſiæ, & ſanctorum Apoſtolorum ſucceſſor? Vbi Ignatius Dei domicilium? vbi Dionyſius Areopagita volucris cæli?* videlicet ob altiſſimæ Theologiæ quam ſuis in ſcriptis prodit ſublimitatem. Item Gregorij Nazianz. & Clementis Alex. quibus diuinus hic Doctor vſu familiaris fuit, vt conſtat ex præclaris ſententiis & ſelectis verbis ac ſimilitudinibus quas eius ex ſcriptis manifeſtè depromunt & ſeriatim exſcribunt. Sed breuitatis gratiâ, hæc tantùm obiter indigito.

At piaculum puto probationem horum ſinceritatis librorum ante annos mille ducentos factam, hîc ſub ſilentio præterire, cùm circa annum Domini quadringenteſimum orta eſſet de ipſis ſcriptis B. Dionyſij quæſtio, tunc Theodorus doctiſſimus ſcriptor, Apologeticum eximium edidit, quo hæc opera ipſius S. Areopagitæ germana & legitima eſſe non ſolùm dilucidè confirmauit, verùm inſuper argumenta diſſoluit quæ contrà obiiciebantur. Hoc teſtatur Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha (cuius inſignis eruditio iudiciúmque acerrimum in recenſendis libris omnes ſuſpiciunt & fatentur) in Bibliotheca ſua, Cod. 1. hac verborum ſerie: *Lectus eſt Theodori Presbyteri liber, quo docet germanum eſſe S. Dionyſij opus. Diſſoluta ſunt autem eo in libro argumenta quatuor.* Theodorum verò hæc planè euiciſſe, validíſque rationibus & teſtimoniis horum operum genuitatem demonſtrâſſe ſeriò cenſuit ipſe Photius, qui hoc Apologetico perſuaſus, ſubinde eadem ſcripta pro germanis operibus S. Dionyſij Areopagitæ habuit & allegauit. In eadem ſua Bibliotheca, Cod. 231. vbi Sophronij quoque Hieroſolymitani Patriarchæ ſententiæ ſubſcribens, diſertim ait: *Et Dionyſius ille ſermone quidem magnus, ſed maior contemplatione, Pauli diſcipulus, & Chriſti martyr.* At ſatis hactenùs pro amica breuitate diſſertatum de ſinceritate illorum operum S. Dionyſij. Quibus iam ipſi vindicatis, cùm eius teſtimonium de Chriſti Domini in Euchariſtia realiter exiſtentis inuocatione & adoratione, certum, perſpicuum & ineluctabile permaneat: nihil amplius Molinæo ſupereſt, quàm agnitæ veritati iam vltrò cedere, vel ſi ſua in pertinacia perſeuerat, ſe de induſtria inſanire, quin & repugnare Spiritui ſancto, ſatis ſupérque omnibus iri velle perſpectum.

§. II.

De teſtimonio S. Cyrilli Hieroſolymitani.

MOLINÆVS.

» AVCTOREM nullum antiquiorem Cyrillo Hieroſolymitano
» Cardinalis Peronius reperit, quem proferret pro adoratione Sa-
» cramenti. Cui Cyrillus ille (ſcribens circa annum 380.) fauere vide-
» tur Catecheſi 5. Myſtagogica dum ait: * *Poſt communionem corporis Chri-*
» *ſti, accedo ad ſanguinis eius calicem, non expanſis manibus, ſed corpore incli-*
» *nato ad formam adorationis & venerationis.* At iſtæ Catecheſes ſuppoſi-
» titiæ ſunt.

* Εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τὸ ἀμήν.

RESPONSIO.

MIRA hîc eſt Molinæi audacia: Quomodo enim eum non pudet hoc ſcribere? Cyrillum Hieroſolymitanum vetuſtiorem auctorem eſſe, quem Cardinalis Peronius citarit in teſtem adorationis Chriſti in Euchariſtia; cùm ſuprà ipſe in apice auctorum, quos Cardinalis producit pro illa adoratione, Dionyſium Areopagitam collocarit, Apoſtolis coæuum & Cyrillo Hieroſolymitano ducentis & quinquaginta annis antiquiorem; cuius ideo teſtimonium illuſtriſſimum, omnibus quas mouere potuit machinis impugnauit, tametſi vndique fruſtrà. Quòd verò præter S. Dionyſium, alij Patres B. Cyrillo Hieroſolymitano antiquiores extiterint, qui prædictæ adorationis dogma ritúmque præclara teſtificatione confirmant, inferiùs conuenientiori loco palam faciam. Cæterùm hoc familiare eſt ſectariis cùm Patrum auctoritate premuntur, vt dictorum ab eis fidem eleuent, ipſorum ſcripta notâ falſi configere: & præſertim tractatus è quibus teſtimonia Patrum eliciuntur, ſuppoſitionis partus arguere, res eſt peritis controuerſiarum ſatis ſupérque explorata. Nec adeo mirum, cùm ipſi ſectariorum Magiſtri, ſacræ Scripturæ libros quibus perſtringuntur, penitus repudiare ſoleant; aut ſi totum librum in ſuſpicionem falſi adducere non audent, loca quibus magis vrgentur, corrupta eſſe cauillari. Videamus hîc porrò quibus nixus rationibus Molinæus S. Cyrilli Catecheſes Myſtagogicas ſuppoſititias eſſe cauſetur?

MOLINÆVS.

» ISTÆ ſiquidem Catecheſes quæ Myſtagogicæ vocitantur, longè
» diſſimili, & abſono ſtylo contextæ ſunt, à decem & octo prioribus
» Catecheſibus. Poſteriores illæ etenim ſtylo conſtant preſſo & con-
» ciſo: cæteræ fuſiori ac laxiori textura ſunt conſertæ.

RESPONSIO.

SI ex ſtyli diuerſitate de ſinceris auctorum ſcriptis vel ſuppoſititiis, ſemper iudicium ferendum eſt, magna pars librorum quos Patres ediderunt periclitabitur, fidéque excidet ingenitæ germanitatis. Patres non eodem ſtylo ſemper & vbique ſcripſerunt, alius eſt ſtylus

iuuenis : alius ſenis; alius dolentis & anxij, alius ſedati & tranquillitate fruentis. Materiæ etiam quæ tractantur pro diuerſitate ſua, ſtyli differentiam parturiunt. Aliquando etiam de induſtria ſtylus mutatur. Quamobrem leue eſt hoc indicium, ſi ſolum notatur: & parum refert ſi ſtylus ſit conciſior, aut profuſior, elegantior, vel minùs excultus, modò auctoris genius, in docendo genuinus ſemper & vbique appareat. In ſcriptis S. Auguſtini hoc obſeruatum eſt, à ſtylo non eſſe diſpicienda, ſed à ſpiritu. Et in pleriſque Patrum idem obſeruatur. Si Molinæus hîc proferret quædam doctrinæ capita, quæ dogmatibus Cyrilli (aliis Catecheſibus quas pro genuinis habet inſertis) contraria eſſent: ſuſpectæ fidei, non ſine veri ſpecie, hanc quæ reliquis aduerſaretur, hoc argumento redderet: Verùm hoc in ſigno deficit, & quod de ſtylo ſtrictiori notat, adeo leue eſt, vt quicquam reſponſi non mereatur.

MOLINÆVS.

» FALSITAS huius Catecheſis non ſolùm ex ſtyli diuerſitate ſe
» prodit, ſed ex eo magis, quod auctor primæ Catecheſis Myſtagogicæ
» ſuos auditores increpat, quòd ad Hippodromum ſeu Circum curſi-
» tarent, vbi fiebant equitum pugnæ & curruum excurſus: eodémque
» æſtu concurrerent ad amphitheatrum, quo gladiatores cum feris bel-
» luíſque conflictabantur. A quibus ſpectaculis ſatagit hic auctor ſuos
» auditores auertere. Atqui huiuſmodi reprehenſiones Hieroſolymis
» ſuperuacaneæ fuiſſent, vbi neque hippodromus, neque amphithea-
» trum vllum erat; eiuſmodi ornamenta principantium Vrbium, Ro-
» mæ vel Conſtantinopolis propria erant, vel aliarum quarumdam in-
» ſigniorum Romani Imperij, in quibus Auguſtorum locumtenentes
» reſidebant. Quo ſplendore Antiochia in Aſia fulgebat, Alexandria
» in Ægypto: Verùm Hieroſolyma Cæſareæ Palæſtinæ Metropoli ſub-
» iacebat; intérque minores imperij ciuitates cenſebatur quoad ſta-
» tum ciuilem, ſeu politicum ordinem. Herodes magnus, Cæſareæ, te-
» ſte Ioſepho, amphitheatrum extruxerat, ſed Cyrilli ætate frequen-
» tari deſierat.

RESPONSIO.

NISI Molinæus velit pro axiomate ſtatuere, ſemper Cyrillum pede fixo ſteriſſe Hieroſolymis, & ex quo factus eſt ſedis huius Epiſcopus, hinc nunquam digreſſum, quicquid hîc dicit nullas vires habet, at totum concidit proprij fundamenti defectu. Sufficit enim eius ratiocinationi reſpondere, Catecheſim quidem iſtam eſſe Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani, ſed alibi ab ipſo pronunciatam, puta Cæſareæ, Antiochiæ, vel Alexandriæ vbi hippodromus & amphitheatrum erat, ſicut Molinæus ipſe memoratur. Sic S. Auguſtinus quamuis Epiſcopus Hipponenſis, Carthagine nonnullas conciones habuit ad populum, & cum hæreticis pleraſque collationes. Deſiperet planè qui concionem ad populum quæ incipit, *Refert hiſtoria ſæcularis*, non eſſe Sidonij Epiſcopi Aruernenſis, quoniam nec Claromonte habita eſt, nec huic loco conuenit, ſed Bituricis. Hic enim concordiæ

Extat lib. 7. Epp. poſt ep. 9.

ſtudio procurandæ inter Clerum & populum, Sidonius, eò acceſſerat. Non vno ſtetit ſemper Cyrillus loco, qui ab Arrianis fidei Catholicæ quam ardenti ſpiritu propugnabat, odiô, non ſemel ſolio deturbatus, exilia & alias acerbas perſecutiones perpeſſus eſt. hac de re perilluſtre extat teſtimonium Concilij II. Oecumenici, in Synodica ad Damaſum Papam, apud Theodoretum lib. 5. c. 9. hiſtoriæ Eccleſ. ſic enim Patres, in hoc generali Senatu Catholicæ Eccleſiæ conſidentes loquuntur; *Eccleſiæ Hieroſolymitanæ quæ eſt omnium mater* (videlicet origine) *reuerendiſſimum ac ſanctiſſimum Cyrillum Epiſcopum vobis oſtendimus, tum ab Epiſcopis prouinciæ* (vt canon vult) *iampridem eſſe creatum, tum plurima prælia aduerſus Arrianos variis in locis confeciſſe.* Idipſum memoriæ prodidit ſanctus Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis n. 123. his verbis nimirum, *Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus ſæpè pulſus Eccleſiâ & receptus.* Inconcuſſum igitur Epiſcopatum non tenuit, niſi ſub extremum vitæ, vt idem ſcribit ibidem Hieronymus; qui ſubiungit illum ſuas has Catecheſes non in ſenio feciſſe, quum iam quietè ageret Hieroſolymis: vbi ſub Theodoſio in pace defunctus eſt, ſed in ætate florenti, quo tempore ſede expulſus eſt ab Arrianis, eíque ſuffectus Heraclius: hócque defuncto cùm ad ſedem rediiſſet, paulò pòſt iterum eiectus, ipſius in locum intruſus eſt Hilarius: ac demum ſub Theodoſio cathedræ ſuæ reſtitutus fuit, penè iam ſenio confectus. Cæterùm dum ab hæreticis Arrianis tam diris modis exagitaretur, ſynodo Seleucienſi interfuit, variáque per loca diuagatus, interim otioſus nuſpiam, ſed vindiciis fidei, & populorum documentis incumbens. Canonicæ diſciplinæ lex erat, vt extranei Epiſcopi, fortuitò alicubi tranſeuntes, ab Epiſcopis Cathedraticis ſeu diœceſanis, ad habendum concionem ad plebem inuitarentur. Sic igitur Cyrillus homiliam illam, ſeu Catecheſim Myſtagogicam 5. ea in vrbe pronunciare potuit, in qua hippodromus & amphitheatrum erat, à quorum aditu & ſpectaculis auditores ſuos, loci ciues & incolas ſuis hortationibus auerteret. Cæſareæ fortè id contigit, vbi ſicut fatetur Molinæus, Ioſephi auctoritate compulſus, amphitheatrum erat ab Herode, non magno, ſed ſeniore conſtructum. Quod verò idem ait Molinæus hoc amphitheatrum Cæſarienſe frequentari deſiiſſe, eo tempore quo florebat Cyrillus; dicit quidem ſed non probat, quamobrem pro mero figmento computari debet.

MOLINÆVS.

» CÆTERAS ad Catecheſes octodecim quod ſpectat, tametſi plures Cyrilli germanas proles eſſe cenſeam, ex iis tamen aliquot eius non eſſe reor: verbi gratiâ decimam octauam, hæc enim paulò ante Paſcha habita fuit, & tamen auctor ita eloquitur vt ſi tum rigidior hyems extaret; *Nunc*, inquit, *tempus hyemale eſt, & arbores emortuæ videntur.* At Hieroſolymis circa paſchale tempus ſegetes aſcendunt in ſpicam; & primitiæ frugum virentéſque manipuli diebus vt plurimum quindecim à Paſcha offerri in templo ſolebant. Veroſimilius »

» eſt igitur has Catecheſes fuiſſe Conſtantinopoli pronunciatas, vbi a-
» ſperæ & diuturnæ ſunt hyemes, propter Ponti Euxini proximitatem.

RESPONSIO.

QVAMVIS concederem Molinæo iſtam Catecheſim pronunciatam fuiſſe Conſtantinopoli, non Hieroſolymis, hinc tamen non ſequeretur eam S. Cyrilli Hieroſolymitani non eſſe. Floruere laude dicendi S. Chryſoſtomi ætate Antiochus Ptolemaides & Seuerianus Gabalenſis in Syria Epiſcopi: qui eiuſdem ſancti Chryſoſtomi permiſſu, quin etiam inuitatione, plurimas conciones hac in Vrbe Regia habuerunt, multo cum Cleri & populi concurſu & applauſu. Si quis hos ſermones hodie reperiret, ederétque in lucem ſub eorum nominibus; quiſpiam verò Molinæi ratiocinationem ſecutus, expungi auctorum illorum ab iis opuſculis titulos contenderet, ex eo quòd quibuſdam coniecturis colligeret non eſſe eiuſmodi conciones habitas Ptolemaidi, aut Gabalis, ſed Conſtantinopoli: nonne à ſanæ mentis hominibus de ridiculis exciperetur; ex eo quòd ſcilicet homines viui non ſint immobiles vt ſtipites. Idcirco quamuis Conſtantinopoli ij ſermones habiti ſint, non minùs tamen eſſe proprias Antiochi Ptolemaidis Epiſcopi, aut Seueriani Gabalitani, qui ſcilicet dum agerent in Vrbe Regia, ſacras eiuſmodi declamationes pronunciârunt. Cur non & Cyrillus Hieroſolymitanus ſic potuit apud Conſtantinopolim concionari, hánceque Catecheſim ſignatim enunciare? maximè cùm & ſæpe ab Arrianis ſede ſua eiectus neceſſe plerumque habuerit vrbem regiam adire, vel ad cauſam dicendam, vel ad implorandum Imperatoris auxilium aduerſus ſuos perſecutores: tametſi & alibi vt Antiochiæ, vel Seleuciæ potuerit hanc ipſam parænesim dicere, nam nullam aliam coniecturam de hac habita Conſtantinopoli profert Molinæus, niſi quòd tempore Paſchali imminente pronunciata fuit, cùm tamen ob aſperitatem aëris arbores nondum floruiſſent.

Sed quàm ridiculè hinc eliciat Hieroſolymis non potuiſſe hunc ſermonem ab auctore cui tribuitur proferri, hinc palam eſt: quòd pro indubitabili principio ſupponat, nunquam frigus potuiſſe Hieroſolymis adhuc vigere prope Paſchæ ſolennitatem; quàm enim hoc non ſit verum patet ex eo quod ſcribunt Euangeliſtæ, triduo ante Paſcha Chriſtum eſſe paſſum, túmque propter frigus ignem accenſum fuiſſe in atrio Pontificis, vbi Petrus dum Chriſtum negauit ſe cum militibus calefaciebat. *Petrus* (ait ſanctus Lucas c. 22. 55.) *ſequebatur à longè. Accenſo autem igne in medio atrij & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.* Porrò S. Ioannes, qui refert quod vidit, ſic rem geſtam enarrat, c. 18. 18. *Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans & calefaciens ſe. Erat autem Paſcha & Azyma poſt biduum*, ait S. Marcus c. 14. 1. Quid mirum igitur, ſi cùm S. Cyrillus Catecheſim illam circa Paſcha habuit ad populum Hieroſolymis, vis adhuc algoris vigebat? Anni poſt annos excurrunt, ſed id hoc anno contigit, quod alio non accidit.

Pleriſque annis non dubium eſt quòd ante Paſcha, Hieroſolymis ver amœnum affulſerit: at aliis etiam euenit vt vis adhuc hyemis circa idem tempus nondum ſoluta aut remiſſa eſſet, quemadmodum illo anno quo Chriſtus crucifixus eſt contigit.

MOLINÆVS.

» SED eſto, Cyrillus has Catecheſes ediderit, quid pro adoratione » Sacramenti faciunt? Citato loco duntaxat ait oportere accedentem » ad communionem Sacramenti geſtum ſic ferre compoſitum, vt actum » referat hominis venerabundi & adorantis; adorantis inquam non Sa- » cramentum, ſed Deum & Chriſtum in dextera Patris ſedentem: ſi- » quidem de Sacramento nihil dicit.

RESPONSIO.

DE Sacramento altaris loquitur expreſſè S. Cyrillus. Et de Chriſto ſolùm adorando in dextera Patris nullum verbum facit. Gloſſema hoc Caluiniſticum eſt, nam ſectæ huius capitalis eſt hæreſis à Sacramento tantùm abeſſe Chriſtum, quantum à terra cœlum diſtat Empyreum. In cœlo igitur tantùm Chriſtum in dextera Patris adorandum eſſe conſidentem; Euchariſtiam enim purum panem eſſe. Sed longè aliter Cyrillus populum ſuum docebat, ait enim Catecheſi 4. Myſtagogica, poſtquam factam à Chriſto venerabilis huius Sacramenti inſtitutionem, verbatim ſecundùm Apoſtolum recitauit: * *Cùm igitur de pane pronunciauerit ac dixerit, hoc eſt corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm ipſe tam aſſeueranter dixerit, hic eſt ſanguis meus, quis vnquam dubitauerit vt dicat non eſſe eius ſanguinem?* Et paulò pòſt, in memoriam auditorum ſuorum reuocata, aquæ in vinum facta ab ipſo Domino conuerſione, ſubiungit: ** *Ad has nuptias quibus corpora copulantur, vocatus præter opinionem omnium hoc miraculum fecit, & non multo magis, ſic eum corpus & ſanguinem ſuum fruenda nobis donâſſe perſuaſum firmiter habebimus, vt ea cum omni certitudine tanquam eius corpus & ſanguinem ſumamus. Nam ſub ſpecie panis dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem*, &c. *Nam etſi ſenſus aliud tibi renunciat, fides tamen te confirmet, ne iudices rem ex guſtu, ſed te citra vllam dubitationem fides certum reddat* &c. Hac igitur ſtabilita inconcuſſa fide, ſubinde monet, Chriſti ſub Sacramenti ſymbolis realiter exiſtentis tam certæ præſentiæ cultum debitum referendum eſſe, accedendúmque ad eum ſumendum, non modò expanſis manibus, vt ſupplicantium mos eſt: ſed inſuper corpore inclinato, eóque geſtu qui religioſum affectum hominis pij venerantis & adorantis, palam ſignificet ac teſtetur. Quid clarius pro adoratione diuinæ Euchariſtiæ, ſeu Chriſti Domini in venerabili hoc Sacramento verè & realiter exiſtentis ſupremo cultu à S. Cyrillo dici, quæſo, potuit? Miror certè plurimùm ita Molinæum cœcutire, vt tam clarum lumen Catholicæ veritatis non videat; at magis eius miſereor qui ne ab aliis perſpiciatur, nititur futilibus argutiis eius ſplendorem inumbrare, fruſtra tamen, quia iſtæ nebulæ facilè vt patet ad fulgorem tantæ lucis expoſitæ diffluunt & euaneſcunt.

* Αὐτοῦ οὖν ἀποφηναμένου καὶ εἰπόντος περὶ τοῦ ἄρτου, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν; καὶ αὐτοῦ βεβαιωσαμένου καὶ εἰρηκότος, τοῦτό μού ἐστι τὸ αἷμα, τίς ἐνδοιάσει ποτὲ, λέγων μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ αἷμα; τὸ ὕδωρ ποτὲ εἰς οἶνον μεταβέβληκεν ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, οἰκείῳ νεύματι· καὶ οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν, οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; ** Εἰς γάμον σωματικὸν κληθεὶς, ταύτην ἐθαυματούργησε τὴν παραδοξοποιΐαν, καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος οὐ πολλῷ μᾶλλον τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος δωρησάμενος ὁμολογηθήσεται; ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ· ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ, &c. εἰ γὰρ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω· μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνῃς τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφοροῦ ἀνενδοιάστως, σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθείς. *S. Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. Myſtagog. 4. edit. Pariſ. pag. 237, 238.*

§. I.

De teſtimonio S. Gregorij Nazianzeni.

MOLINÆVS.

SIc ex eo quod Gregorius Nazianzenus in oratione de ſua ſorore » Gorgonia refert*, illam circa mediam noctem ad templum ſe con- » tuliſſe, ibique ante altare proſtratam, eum cum ingenti clamore inuo- » câſſe, qui ſuper altare honoratur; Colligi non debet illam adorâſſe » Sacramentum, tum enim tempus non erat ſanctæ Euchariſtiæ cele- » brandæ, maximè cùm ipſa Gorgonia ibi ſola eſſet. »

RESPONSIO.

CAVILLATVR paſſim Molinæus futili illa diſtinctione de corporis Domini & Sacramenti colendi differentia; cùm enim ex apertiſſimis ſanctorum Patrum teſtimoniis liquidò conſtet in primitiua Eccleſia corpus Chriſti fuiſſe ſummâ reuerentiâ adoratum in tremendo altaris myſterio, Molinæus qui hoc, vel malignè, vel ignoranter, ſæpe antehac negauerat, hoc ipſum tranſcundo, diſſimulanter demum concedit; at Sacramentum illo cultu habitum, perfractè negat; artificioſè Sacramentum cum ſolis ſignis confundens, & ſigna ſola Sacramentum conſtituere ſupponens, quod falſum penitus & perquam abſurdum eſt; cùm hoc ſit proprium Sacramentorum nouæ legis, vt perfectum Sacramentum duabus partibus conſtet eſſentialibus, videlicet ſymbolis extrinſecis, quæ ſigna ſunt, & re ſignata quæ ſub his ſpeciebus latet: etenim Sacramenta legis Euangelicæ gratiam quam ſignificant, ibidem exhibent reipſa: *Lex* enim (quæ vmbram habeat futurorum bonorum, non ipſam ſubſtantiam rerum) *per Moyſen data eſt; Gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum*, Ioan. 1. Perperam igitur Molinæus Sacramentum pro ſigno tantùm nudo & inani ponit, hócque falſo ſuppoſito axiomate pertinaciter negat Euchariſtiæ Sacramentum fuiſſe adoratum in Eccleſia primitiua, hoc eſt à temporibus Apoſtolicis ad quarti vſque ſæculi (vt præſcribit) excurſum, vel ad ſummum quinti dimidium. Cui de induſtriâ tergiuerſanti cùm antehac non ſemel, tum iterum atque iterum reſpondemus Eccleſiam iuxta expreſſum Chriſti verbum, ſemper hactenus credidiſſe Chriſti corpus, ſanguinémque pretioſum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento realiter contineri, ideóque hîc fuiſſe conſtanter ab Eccleſia adoratum, & propter hoc etiam Sacramentum, ſcilicet corpus Chriſti abſolutè, & per ſe, ſpecies Sacramentales per accidens duntaxat, ſeu per relationem ad rem ipſam ſub his integumentis obuelatam. Chriſti corpus propriè & directè, ſymbola extrinſeca propter corpus ipſum Domini quod cooperiunt, vt veſtes, quibus dum inter homines viſibiliter verſabatur, indutus erat, & ſicut panniculi quibus in præſepio fuit à B. Matre Virgine inuolutus. Regula eſt omnium communi conſenſu recepta, Acceſſorium ſequi naturam principalis;

* Πείσασα ἀπογνοῦσα τῶν ἄλλων ἐπὶ τὸν πάντων ἰατρὸν καταφεύγει, καὶ νυκτὸς ἀωρίαν τηρήσασα, μικρὸν ἀνεῖσαν αὐτῇ τῆς νόσου, τῷ θυσιαστηρίῳ μετὰ πίστεως προσπίπτει, καὶ τὸν ἐπ᾽ αὐτοῦ τιμώμενον ἀνακαλουμένη μεγάλῃ τῇ βοῇ, καὶ πάσῃ τῇ κλήσει, καὶ πάντων αὐτὸν τῶν πώποτε δυνάμεων ὑπομιμνήσκουσα· περὶ ὧν ἠπίστατο καὶ παλαιῶν, καὶ τῶν νέων, τέλος ἀναιδείᾳ τινὶ καλῇ καὶ ἀναιδείᾳ χρωμένη, μιμεῖται τὴν χρονίως Χριστοῦ κράσπεδον μιᾷ λαβοῦσαν αἱμορροοῦσαν, καὶ τί ποιεῖ; τῷ θυσιαστηρίῳ τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς προσθεῖσα μετὰ τῆς ἴσης βοῆς, καὶ τοῖς δάκρυσιν, ὥσπερ τις πάλαι τοὺς πόδας Χριστοῦ καταβρέχουσα, καὶ μὴ ἀφήσειν εἰπόντος, ἢ τῆς ὑγιείας τυχεῖν ἀπειλοῦσα, εἶτα τῷ ἑαυτῆς φαρμάκῳ τούτῳ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείφουσα, καὶ εἴ πού τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ τιμίου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ἡ χεὶρ ἐθησαύρισε, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν, ὢ τοῦ θαύματος! ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθομένη τῆς σωτηρίας, κούφη καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν, καὶ τὴν διάνοιαν, λαβοῦσα τὸ ἐλπιζόμενον, καὶ τῇ τῆς ψυχῆς σωτηρίᾳ κομισαμένη τὴν τοῦ σώματος.

cipalis; ſic Rex honoratur cum purpura, ſceptro & corona quæ mera ſunt inſignia eius Maieſtatis; ſpecies igitur quæ totum Sacramentale cum Chriſti corpore ſub iis realiter exiſtente conſtituunt, coniunctim cum eo honorantur; quamuis propriè Chriſti corpus adoretur & ſigna tantùm coadorentur, ſcilicet non propter ſe, ſed quia acceſſoria ſunt & inuolucra rei diuinæ ſub illis abſconditæ & deliteſcentis, propter fidei noſtræ exercitium. Cùm igitur ait S. Gregorius Nazianzenus, ſororem ſuam Gorgoniam ante altare procubuiſſe, eúmque non ſine ſuſpiriis & gemitu inuocaſſe, qui ſuper altare adoratur: cùm de Euchariſtia dictum conſtet, & Chriſtum in Euchariſtia exiſtere, ipſúmque in Euchariſtia idcirco adorari; quin ipſam Euchariſtiam, quæ ſub extrinſecis ſymbolis Chriſtum continet, rectè propterea coli, iure hinc elicimus. Nec porro euadit hunc anfractum ſibi obuium vitare volens immunis à lapſu Molinæus, dum excipit, tunc cùm altæ noctis conticinio Gorgonia confugerit ad Eccleſiam, tempus non fuiſſe Euchariſtiæ celebrandæ, præſertim cùm ipſa Gorgonia tunc ſola hìc adeſſet. Alio enim explorato errore laborat, ſupponendo ſcilicet corpus Domini non fuiſſe ſuper altare adoratum, niſi tempore ſacrificij, vel ſanctæ Synaxeωs. Siquidem cùm Eccleſia ſemper firma fide crediderit, Euchariſtiam conſiſtere in re permanenti: ideo corpus Domini realiter exiſtens ſub ſacris ſymbolis tam in vſu quàm extra vſum, tam tempore ſacrificij quàm poſt peractum ſacrificium, ſemper adorauit. Et ea de cauſa in arcula vel pixide, iam à primis ſæculis, diuinum hoc munus repoſitum ſuper altare (quod ideo Chriſti ſedem Patres appellabant) collocari conſueuit, cùm vt debito cultu honorificaretur, tum vt fidelibus in neceſſitate communicari poſſet. Ritus huius Eccleſiaſtici perantiqui innumera ferè ſuppetunt monimenta apud ſanctos Patres; S. Clemens in ep. 2. ad Iacobum fratrem Domini (ſeu Simonem Iacobi) & lib. 2. Conſtit. Apoſt. c. 13. Reliquias fragmentorum corporis Domini in ſacrario diligenter cuſtodiendas eſſe monet; ideo *aris Dei* ſolebant fideles, Tertulliano teſte, *adgeniculari:* Quò ſpectans S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ſcribit Epiſcopos reuerſos à Conciliabulo Ariminenſi, vbi hæreticorum Arrianorum fraude, ſub ſpecie pietatis, circumuenti fuerant: *Concurrebant Epiſcopi*, inquit, *qui Ariminenſibus dolis irretiti ſine conſcientia ferebantur, conteſtantes corpus Domini, & quicquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos.* Corpus enim Domini in Eccleſia venerationis ergo ſeruabatur: quamobrem decepti pij Epiſcopi ab Arrianis ipſum corpus Domini, quod quicquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſumma ſua dignitate antecellit, obteſtabantur. S. Paulinus beati ipſius Hieronymi ſynchronus & amicus, moris illius teſtis eſt, aſſeruandi in Eccleſia ſuper altare corporis Domini, cum ingenti honore ſub titulo ſanctiſſimæ crucis ep. 12. ad Seuerum. Hinc ſynodus Turonica II. ſub Pelagio I. can. 3. decreuit, *vt corpus Domini in altari, non in armario, ſub titulo crucis, componatur.* Plura de iis facile hic eſſet depromptum ire, ex noſtris Commentariis in Mar-

tyrologium Galliæ, vbi de arculis, turriculis, pixidibus pretioſis, columbis aureis & argenteis atque ciboriis ſacris, in quibus venerabile Sacramentum ad diuinum cultum & humanum ſolatium honorificè ſeruabatur, ex inſtituto diſſeruimus; ſed prolixitatis hic declinandæ gratiâ, à fuſiori indagine, ſeu ſuperflua repetitione lubens ſuperſedeo; maximè cùm nec hoſtes Eccleſiæ id de poſterioribus ſæculis audeant inficiari. * In viam igitur vt è diuerticulo redeam, ex iis quæ dicta ſunt peruium eſt intelligere Molinæum perperam actum Gorgoniæ Chriſtum ſuper altare adorantis interpretari, quaſi ad ipſum realiter exiſtentem in Euchariſtia non ſpectâſſet, vel tunc in Eccleſia ipſa Euchariſtia pro iampridem recepto more ſuper altare non fuiſſet, vt etiamnum fit die noctéque aſſeruata & adorata. Sed ritus ille adorationis Chriſti, in Euchariſtia ſuper altare collocati, iampridem in Eccleſia obſeruatus, adeò manifeſtus eſt, vt dogma ſimul realis præſentiæ Chriſti in ipſo venerabili Sacramento magnoperè confirmet, hæreſimque Nouatorum, vtrumque impugnantium, penitùs damnet & confundat.

* Accedit quod in tractatu de S. Calice &c. de his myſticis vaſculis etiam diſſeruimus ex profeſſo. Qui tractatus 1. part. huius Panopliæ Sacerdotalis inſertus eſt.

§. IV.

De teſtimonio ſanctorum Ambroſij, & Auguſtini.

MOLINÆVS.

» IDEM dico ad locum Ambroſij deprompτum ex lib. 3. de Spiritu
» ſancto c. 12. vbi enarrans illud Dauidicum, *Adorate ſcabellum pe-*
» *dum eius*, Pſ. 98., ait, per ſcabellum terra intelligitur, per terram
» autem caro Chriſti, quam nunc in myſteriis adoramus, & quam A-
» poſtoli in Domino Ieſu adorarunt. Idémque ad ſimilem locum Au-
» guſtini ſuper eundem Pſ. 98. *Et quia* in ipſa *carne hic ambulauit & ipſam*
» *carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit, nemo illam carnem manducat,*
» *niſi priùs adorauerit.*

RESPONSIO.

SI idem dicit Molinæus, nihil dicit; etenim quod mox dixerat ad locum S. Gregorij Nazianzeni futile prorſus & euanidum, falſúmque inſuper oſtenſum eſt. Verùm diſſimulat nimis fraudulenter non videre iſta duo teſtimonia ſanctorum Ambroſij & Auguſtini, ſibi ſuíſque in cauſa Euchariſtiæ penitus aduerſari, nec tantùm pro firmanda adoratione adduci, ſed etiam pro reali præſentia aſſerenda corporis Chriſti, in ſacratiſſima Euchariſtia, peremptoria eſſe: ait enim diſertè S. Ambroſius: *Nos in tremendis his myſteriis illam Domini carnem adorare, quam Apoſtoli in ipſo Domino dum verſaretur ſuper terram, adorauerunt.* Porro ſanctus Auguſtinus, *ipſam carnem Chriſti nos manducare & adorare, in qua hic ambulauit, & quam dedit nobis edendam ad ſalutem.*

MOLINÆVS.

» ISTA teſtimonia non docent oportere nos Chriſti carnem adorare

ſub ſpeciebus panis, ſed tantùm corpus Domini eſſe à nobis adorandum in actione ſanctæ Cœnæ. »

RESPONSIO.

CITATA loca ne verbulum quidem vllum habent de adoratione in actione Cœnæ facienda, ſtylus hic nouus & non Catholicus, ſed planè Caluiniſticus eſt. At dicit expreſsè S. Ambroſius *nos nunc adorare in myſteriis illam carnem, quam Apoſtoli in Chriſto hic conuerſante adorauerunt;* Illa igitur ipſa caro Chriſti verè in his myſteriis exiſtit, & ſub ſpeciebus realiter ſita eſt. Debet igitur ſub illis adorari, quia vbicumque eſt, ſummo illo honore colenda eſt. Eſt enim corpus Chriſti vt aduerſarij concedunt, ſubiectum adorationis legitimum. Sic S. Auguſtinus, qui B. Ambroſij ſui in fide magiſtri, doctrinam ſequitur & dicta imitatur, abſolutè ait, *Carnem ipſam in qua Chriſtus ambulauit, & quam nobis ad ſalutem, manducandam dedit, eſſe adorandam.* at quam dedit, in Euchariſtia hanc ipſam ſumimus & comedimus, igitur in Euchariſtia illam ipſam adorare debemus. Vnde ſubiungit eodem loco immediatè beatus ille Doctor, *Nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adorauerit.*

MOLINÆVS.

LONGE' aliud eſt adorare Chriſtum in ſancta Cœna; aliud adorare Sacramentum ſanctæ Cœnæ. »

RESPONSIO.

VEL per ſanctam Cœnam Molinæus actionem celebrationis Euchariſtiæ intelligit, vel rem ipſam in Euchariſtia exiſtentem. Si actionem, non contendimus, neque enim dicimus adorandam eſſe illam actionem, qua Euchariſtiam celebramus, ſed ipſam Euchariſtiam: id eſt rem illam ſacratiſſimam ſub externis ſymbolis exiſtentem, quæ corpus eſt Chriſti. Quòd ſi adhuc cauillatur contendendo ſymbola illa non eſſe adoranda: tum breuiter & apertè reſpondeo, ſi per abſtractionem ſeorſim à Chriſti corpore & præciſè in ſe, illa accidentia conſiderentur; reuera per ſe ſubiectum adorationis idoneum non eſſe: ſed ſi coniunctim attendantur * cum re ipſa quæ ſub iis continetur, quacum totum Sacramentale conſtituunt, & velut acceſſoria ſunt & inuolucra ſacra corporis Chriſti ſub ipſis latentis: tum coadoranda eſſe non per ſe, nec propter ſe, ſed propter Sacramentalem vnionem quam habent cum Chriſto. Acutè & appoſitè ait ſanctus Ambroſius de Incarnationis Dominicæ myſteriis: *Nunquid cùm diuinitatem eius adoramus, & carnem, Chriſtum diuidimus?* Sic dicere liceat, nunquid cùm Euchariſtiam adoramus, ſpecies Sacramentales ab eius carne ſeparamus? Minimè, ſed coniunctas cum eius corpore, propter hanc vnionem veneramur; à qua ſi diuina virtute diuellerentur, hócque notum nobis fieret, nulla penitus veneratione eaſdem iam ſeiunctas proſequeremur.

* Nota

MOLINÆVS.

SIC adoratur Pater in Euchariſtia; ſed non ſub ſpeciebus adoratur, quaſi iſtud Sacramentum Deus Pater eſſet? »

RESPONSIO.

REVERA Pater in Euchariſtia adoratur, quia ſacrificium ei latreuticum hîc offertur iuxta Chriſti oraculum, *venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Ioan. 4. *In ſpiritu* *, quia non vt olim carnalibus victimis & cruentis holocauſtis, ſed hoſtia munda & incruenta, puróque ſacrificio hic colitur: *Et veritate*, quia non ampliùs in figura, ſed in re ipſa, quæ antiquis illis typis figurabatur, Pater cœleſtis hîc adoratur. ſed non ſolus Pater, at Filius quoque eius vnigenitus & Spiritus ſanctus, vt ſuprà demonſtratum fuit. Porrò nemini Catholicorum vnquam venit in mentem ita abſurdè ſentire & ineptè loqui, vt diceret, Euchariſtia eſt Deus Pater, quia in Euchariſtia honoratur: At eſt corpus Chriſti, quod ſcilicet in ea manducatur, iuxta expreſſum eius verbum, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Docent quidem Theologi & eſt de fide, humanitatem Chriſti ab eius diuinitate ex quo huic hypoſtaticè vnita eſt, non potuiſſe ſeparari, at ſemper coniunctam permanere. Porrò per circuminſeſſionem, vnam perſonam in alia exiſtere, vnde ait Chriſtus *Ego in patre, & pater in me eſt;* ſic & Spiritus ſanctus in vtroque. In hoc igitur venerabili Sacramento ſic humanitas Chriſti realiter exiſtit, vt ſemper diuinitati ſit coniuncta: Diuinitas autem diſcindi nequit. Tota Trinitas igitur hîc adeſt, ſed non vi conſecrationis, qua dumtaxat Chriſti corpus & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini directè & præcisè conſtituuntur: corpus autem non eſt exanime, *Chriſtus enim reſurgens à mortuis iam non moritur:* humanitas verò diuinitati perſonaliter vnita eſt, quæ conſequenter humanitatem comitatur: cùm autem tota Trinitas ſit coeſſentialis, vnáque perſona ſine alia, vel vna à duabus cæteris ſeiungi non poſſit, hinc neceſſe fit, vt per illam concomitantiam & circuminſeſſionem tota diuinitas ſeu vniuerſa Trinitas cum Chriſti humanitate hîc adſit, quamuis diuerſo modo, vt patet ex dictis.

* Orig. lib. 1 περὶ ἀρχῶν c. 1.

Matth. 26. Marc. 14 Luc. 22. 1. Cor. 11.

Ioan. 10. 37.

MOLINÆVS.

„ FIDELES adorabant in Euchariſtia corpus Chriſti ad dexteram „ Patris ſedentis, & ideò admonebantur panem ſacrum ſumendo, ſur„ ſum corda erigere.

RESPONSIO.

FALSISSIMVM eſt, admonitos ſic fuiſſe fideles, dum Euchariſtiam ſumebant: illa enim celeberrima Sacerdotis ad plebem exhortatio, *Surſum corda*, præfatio ideo dicta eſt, quod erat iſagoge, præparatióque ad ipſum conſecrationis myſterium; nec hoc fine fieri ſolebat, vt fideles iuberentur, non alibi Chriſtum quàm in dextera Patris ſedentem adorare, ſed vt iam ſpiritu à terrenis cogitationibus abſtracto, & ad Deum erecto corde, ſolùm cœleſtia & diuina meditarentur, quo ſic expurgato animo, tremendo ſacrificio mox offerendo eſſent vt par erat intenti. Quamobrem vt & nunc reſpondebant Sacerdoti admonenti ſurſum corda extollere, *Habemus ad Do-*

minum. Præclarè id docet S. Cyprianus ſerm. de orat. Dominica: *Quando ſtamus*, inquit, *ad orationem, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: nec quicquam tunc animus, quàm id ſolùm cogitet quod precatur.* Ideò & Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo, *Surſum corda:* vt dum plebs reſpondet, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud ſe quàm Dominum cogitare debere, claudatur contra aduerſarium pectus & ſoli Deo pateat. Hic eſt genuinus ſolennium illorum verborum ſenſus, quæ ante canonem & conſecrationem iam tum proferri à Sacerdote ſolebant, nec animos fidelium auocabant ab altari & ſacrificio, aut diuinæ hoſtiæ veneratione, ſed à mundo & rebus humanis terreníſque cogitationibus; quin potiùs diuinis ipſis myſteriis vt intenti eſſent aſſiſtentes interpellabant. Cæterùm S. Paulus cùm eſſet Hieroſolymis, Chriſtus noctu illi aſtitit in carcere, dixítque, *Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari*, Act. 23. 11. Illum potuit & debuit ſimul adorare & in carcere ſibi loquentem & aſſiſtentem, & in cœlo ſedentem in gloria Patris. Ita & nos eundem vtrobique eodem momento temporis poſſumus adorare, tam ſurſum ſedentem in maieſtate ſua, quàm in terra ſub externis ſymbolis panis & vini, mirè ſed verè, exiſtentem. *Attollentes mentem* (ait Concilium I. Oecumenicum) *fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretioſum eius corpus & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe ſymbola noſtræ reſurrectionis, propter hoc enim neque multum accipimus ſed parùm, vt ſciamus non ad ſaturitatem ſumi, ſed ad ſanctificationem.*

MOLINÆVS.

SED maximè notanda veniunt verba hæc S. Auguſtini; *Nemo carnem illam manducat, niſi priùs adorauerit &c.* At multi ore manducant Sacramentum, qui Chriſtum verè non adorant: ergo loquitur tantùm de manducatione ſpirituali, quæ ab his tantùm fit qui Chriſtum timent ac colunt adoratione interna & ſpirituali. »

RESPONSIO.

FISTVLAS ſuas mutat Molinæus, nam de adoratione ſermo eſt, & hac omiſſa, de orali Chriſti in Euchariſtia ſumptione diſputat. Obſcura non ſunt verba S. Auguſtini, vt Molinæus ex his tergiuerſari poſſit. Non loquitur S. Auguſtinus de præcepto & modo adorandi, ſed de more & actu; nec enim iubet vt omnes qui communicant adorent, ſed teſtatur in Eccleſia hoc actu & reipſa ſeruari. Sicut autem ſunt qui malè ſumunt Chriſtum, ita & qui malè adorant, ſpecie ſcilicet non ſpiritu, externo actu non interno affectu; ſumunt reipſa at ſine fructu, adorant itidem, ſed non cum ſincero cultu. Sed hi vt iudicium ſibi ſumunt, reíque fiunt corporis & ſanguinis Domini, ſua tamen culpa qua pereunt, non efficiunt vt Chriſti verum corpus, ſecundùm ſuum expreſſum verbum, ſub ſymbolis illis myſticis non exiſtat. Proinde piè & ſincerè adorari debeat à fidelibus communican- 1. *Cor.* 11.

tibus, *Qui vera inſtructi fide venientes ad menſam* (ait ipſe S. Auguſtinus in Pſ. 48. *manducant & adorant;* quódque addit ibidem exponens illa verba prophetæ, *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ:* Eſſe qui ſumunt, & adorant, & fructum ſalutis non percipiunt; *Et ipſi adducti ſunt*, inquit, *ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius: ſed adorant tantùm, non etiam ſaturantur, quia non imitantur.*

Pſal. 21.

§. V.

De teſtimonio S. Hieronymi.

MOLINÆVS.

» SANCTVS Hieronymus in eundem Pſalmum, ait; *Quod autem adorari debeat* (Chriſtus,) *eo aſcendente Apoſtoli docuerunt, cùm adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem, ſed ad crucem Dominicam, & ad animam ſanctam, hæc referenda ſunt;* Non igitur ad adorationem Sacramenti.

RESPONSIO.

VEL legit quem allegat locum S. Hieronymi, Molinæus, vel non legit. Si legit, debuit hunc rectè & ſincerè citare: ſi non legit, à graui culpa non poteſt excuſari; nam ſic non ſolùm ex craſſa ignorantia peccat, ſed prætereà errorem imò hæreſim apertam S. Hieronymo imponit, videlicet quòd ſanctus hic doctor cenſuerit & ſcripſerit, *corpus Chriſti exiſtens in Euchariſtiæ Sacramento adorari non debere;* quod à S. Hieronymi mente, moréque, & vſu, longè eſt alieniſſimum. Sanè quia Molinæus Commentaria ſancti Hieronymi ſuper Pſalmos citat, ex hoc opere, ſancti huius Patris indubitato fœtu, quam Molinæus ipſe negat Chriſti corporis adorationem, in ſanctiſſimo Sacramento facile eſt perſpectam facere, ſiquidem in Pſ. 21. ad illa verba, *Edent pauperes & ſaturabuntur* &c. hæc ſanctus Hieronymus breuiter, ſed clarè ſic exponit; *Pauperes Apoſtoli edent corpus Chriſti.* Et paulo pòſt, *Et adorabunt in conſpectu eius*, ſic interpretatur, ET HIC ADORANT, ET IN FVTVRO, *quia iuxta Apoſtolum, ipſi flectentur omnia genua.* Denique ibidem illa verba, *Manducauerunt, & adorauerunt*, præcedentibus nectendo quoad ſenſum, ſubiungit: *Manducauerunt & adorauerunt, id eſt Apoſtoli vel cæteri ſancti manducauerunt corpus Chriſti*, vt dixit ſuperiùs, ſcilicet adorando, nam in textu ipſo duo hæc ſunt coniuncta. Sed eo ipſo loco quem profert Molinæus, tam expreſſa eſt ſancti Hieronymi pro ipſa adoratione corporis Chriſti ſententia, vt ambigendi nullus ſuperſit locus: ſiquidem hæc exponens verba, *Et adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt: Multæ de ſcabello opiniones ſunt*, inquit, *ſed hic Propheta corpus Dominicum dicit* &c. Ad id igitur illa adoratio referenda eſt. Verùm tricandi Molinæus anſam arripit ex ſequentibus verbis; *Quòd autem adorari debeat, eo aſcendente Apoſtoli docuerunt, cùm adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem: ſed ad Dominicam crucem & ad animam ſanctam hæc referenda ſunt.* Infert Molinæus, non

ergo ad corpus Chriſti, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ. At perperam: nam S. Hieronymus ſpectat ad illa verba poſtrema S. Lucæ c. 24. vbi narrauit ſuccinctè Domini aſcenſionem glorioſam, *Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem, cum gaudio magno, & erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Vnde elicit Chriſti corpus adorandum eſſe, ídque ſuo exemplo Apoſtolos docuiſſe, qui non modò cum ipſis ſuum corpus daret, iuxta vaticinium Prophetæ ſuperiùs expoſitum, *Manducauerunt & adorauerunt:* ſed etiam *aſcendentem in ſuperna Chriſtum adorauerunt.* Porrò adorandum eſſe eius corpus, quia eſt ſedes ſeu ſcabellum ipſius diuinitatis: quamuis etiam Crux Dominica, & anima iuſti, eius ſcabellum aliqua ex analogia dici poſſit: dicit enim alibi Scriptura, *Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.* Sed peto hîc à Molinæo an fateatur crucem Chriſti adorandam, iuxta illud propheticum expoſitum à ſancto Hieronymo, *Adorate ſcabellum pedum eius?* Cur igitur crucem Domini, eius etiam ſanguine irrigatam, & ſacro contactu corporis ſanctificatam, adorandam eſſe, cum aſſeclis ſuis tanto æſtu contentionis negat? at etiam tot iniuriis ipſi Caluiniſtæ crucem Domini afficiunt, dum conculcant, & incendunt, præ ingenti odio & contemptu? ſicut edita Miniſtrorum acta * abundè innuunt & teſtantur. Quòd ſi execratur illa ſuorum ſacrilegia Molinæus, igitur cultum ſanctæ crucis deinceps admittat, illúdque ſancti Remigij ad ſe dictum exiſtimet: *mitis depone colla Sicamber, incende quod adoraſti:* (Caluini hæreſim ſcilicet, quam tanto animi ardore amplexus es) *adora quod incendiſti*, ſcabellum pedum Domini, crucem vtique ſalutiferam, quam vilis patibuli & horrendi ſupplicij, lignique putidi & execrandi loco nominéque hactenus habuiſti, híſque contumeliis affici à tuis aſſeclis pro bono opere numerâſti, quaſi profectum eſſet ex zelo feruenti idololatriæ deſtruendæ. Idolum enim Chriſti vocare crucem, & quidem tetrum & horrendum, hactenus quà voce quà ſcriptis non veritus es. Sed preſſiùs hominem vrgeo; vult ſanctum Hieronymum ſenſiſſe adorationem à Dauid prædictam, referendam eſſe ad crucem Domini; ſed miſer non videt, ex hoc ipſo ſequi, ſanctum illum Doctorem cenſuiſſe corpus Chriſti multo magis adorandum eſſe, hîc enim appoſitè dictum illud Domini referri poteſt: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt; qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci: quid enim maius eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum?* Sic planè. Crux non ſanctificat corpus Domini, ſed ab eo ſanctificata eſt; proinde ſi ex quo ſanctificata eſt, ſacri corporis contactu, debet crux adorari, quanto magis corpus Chriſti adorandum eſt, ex ipſa quam laudat Molinæus ſententia S. Hieronymi? Sed inſtat Miniſter, adorandum eſt corpus Chriſti in cælo, non in Sacramento, non hîc & nunc, quaſi exiſtens in Euchariſtia, ſed tantùm quando ſedere in dextera Dei prædicatur vel cogitatur? At hanc ei anſam eripit S. Hieronymus vbi ſuprà exponendo, *Edent pauperes &c. & adorabunt in conſpectu eius.* ET HIC ADORANT, inquit, *& in ſu-*

* ab Adriano Behotio, olim Archidiacono maiore Rothomagenſi.

Matth. 23. 16. 17.

turo. Id eſt, adorabunt occultum in diuinæ ſynaxis myſterio, & adorabunt manifeſtum in cælo, quando in eius regnum introibunt. Et factis quidem, dictis fidem fecit. Nam tantam detulit Chriſti corpori ſacræque Euchariſtiæ reuerentiam, vt præ terrore tremendi huius myſterij, hoc conficere quamuis eſſet Preſbyter non auderet. Vnde factum vt S. Epiphanius compulſus fuerit à fratribus quibuſcum ille degebat in Syriæ Monaſterio, Paulinum Preſbyterum ordinare: *Cùm enim vidiſſem* (inquit ipſe Epiphanius, in epiſtola pro ſe Apologetica ad Ioannem Hieroſolymitanum) *quòd multitudo ſanctorum fratrum in monaſterio conſiſteret, & ſancti Preſbyteri, Hieronymus & Vincentius Preſbyteri, propter verecundiam & humilitatem, nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterij quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt: Cúmque ante annum, multos eorum* (fratrum) *queri audiſſem, cur non haberent qui ſibi Domini Sacramenta conficerent, & illum* (Paulinum Hieronymi fratrem) *ſuo poſcerent teſtimonio* &c. Sed qui ſic viuens tanto cum metu & tremore Sacramentum Euchariſtiæ ſpectabat; demum iam etiam conſtitutus in extremis, quo honore, cultúſque diuini actu affectúque illud venerabatur, præclarè teſtatus eſt: lectulo etenim decumbens, Sacerdote ad ſe accedente qui Euchariſtiam deferebat, teſte Euſebio in eius vita, hæc in verba prorupit: *O ferculum excellentiſſimum, venerandum, colendum & adorandum; glorificandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum.* Non ſolùm igitur credebat fide certiſſima, ibi Chriſtum realiter adeſſe: ſed ipſum in hoc diuino Sacramento, imò ipſum Sacramentum, tanti penum theſauri, laudauit, inuocauit, adorauit, omníque diuini cultus obſequio ſpectandum, ſuſcipiendum & proſequendum tam pio, inſigníque præconio profeſſus eſt. Iam igitur pudeat Molinæum, hîc ſanctum Hieronymum in ſuæ hæreſis ſuffragium arceſſere: à qua toto corde abhorruiſſe, tam in vita quàm in morte, támque factis, quàm dictis & ſcriptis, vir ipſe ſanctiſſimus conſtantiſſimè ſe prodidit.

Inter Epiſtolas S. Hieronymi, 60.

§. VI.

De teſtimonio S. Chryſoſtomi.

MOLINÆVS.

EODEM *modo dicta Chryſoſtomi, hom. 7. ſup. Matthæum, & hom. 24. ſup. 1. ad Corinthios intelligenda ſunt: vbi auditores ſuos Magorum exemplo, qui ex Perſide Hieroſolymam venerunt adorare Chriſtum in cunabulis, ad eum in myſteriis ſacris adorandum exhortatur. Oratoriæ enim ſunt eiuſmodi exclamationes, quibus populum monet, Chriſtum in Euchariſtia venerari, non autem docet Euchariſtiam adorare.*

RESPONSIO.

IAM ſæpè ſæpiùs diximus, in Eccleſia Catholica adorare Euchariſtiam, nihil aliud eſſe quàm Chriſtum adorare in Euchariſtia verè & realiter exiſtentem, ſub externis ſymbolis, quæ realis eius præſentiæ ſigna ſunt exhibitiua & acceſſoria corporis Domini, ſacráque inuolucra,

lucra, quibus in hoc ſtatu Sacramentali tegitur ad fidei noſtræ exercitium. *Nam fides non habet meritum ſi ſenſus & ratio humana hic præberet experimentum.* Verè igitur Chriſtus *hic eſt Deus abſconditus*, ideóque proſequendus eo cultu, qui eius proprius, nempe diuinus eſt: *Dignus eſt enim agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuinitatem & honorem, & gloriam, & benedictionem.* In hoc myſterio decus hoc ei ſolenniter ab Eccleſia redditur & exhibetur. Genius eſt Iudæ Iſcariotis, Chriſti honoribus inuidere & impedire ne cultus ei debitus referatur. ſed Molinæus excuſationem in peccato quærit. Non ſe negare ſiquidem ait, Chriſtum adorandum, ſed in Patris dextera ſurſum ſedentem, non verò in Euchariſtia, imò neque Euchariſtiam adorandam dicit ſe tantùm contendere. Parum refert autem quid Molinæus cenſeat? Sed hîc quæſtio eſt de S. Chryſoſtomi fide & doctrina, circa cultum diuinæ Euchariſtiæ, vel corporis Chriſti in ea exiſtentis adorationem. Molinæum non pudet aſſerere, ſecum ſentire Chryſoſtomum; ipſum ſiquidem cultui eiuſmodi, locis etiam à nobis citari ſolitis (quorum duo tantùm hîc indicat Sophiſta Caluiniſticus) eſſe aduerſatum. Supereſt igitur vt excutiamus vtrumque locum, quo veritas palam eluceat. Certè S. Chryſoſtomus hom. 7. in c. 7. Matth. 1°. dicit in hoc Sacramento eſſe donorum cœleſtium fontem nempe Chriſtum. 2°. ſacrum altare diuinámque menſam, eſſe ſpirituale Domini præſepium. 3°. nos Magorum exemplum qui ab Oriente venerunt eum in ſtabulo adorare, ad eum pariter hic adorandum inuitare: * *Surgamus ergo etiam nos* (inquit) *& licèt omnes turbentur, nos tamen alacres & prompti ad pueri domum accurramus*, ſcilicet cum ardenti & ſincero ipſum adorandi affectu, &c. *Nihil* (addit) *te introire prohibebit, modò vt adoraturus atque honoraturus Dei filium aduenias, modò vt honorem ipſum cum gaudio ac tremore offeras; ſed caue ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas, vt & ego veniens adorem eum, cúmque veneris, interimere coneris. Huius enim ſimiles ſunt, qui indignè abutuntur communione Myſterij. Reus eſt enim* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 11.) *iſte corporis & ſanguinis Domini. Qui enim eiuſmodi ſunt, habent in ſe tyrannum & regno Chriſti iugiter inuidentem, longè ſcilicet Herode illo nequiorem. Hic enim in homines tenere imperium geſtit, ſuóſque cultores ſimulat & mittit ad Chriſtum, vt ſpecie quadam adorare videantur; Quantum verò in ipſis eſt, interimunt eum, quem adorare ſe ſimulant. Timeamus igitur ne quando ſpeciem ſupplicum atque adorantium geramus, opere verò exiſtamus inimici; igitur adoraturi Chriſtum, cuncta proiiciamus è manibus &c.* Vnde perſpicuum euadit moris tunc fuiſſe, vt qui ad diuina myſteria accederent, manibus expanſis in ſupplicantium forma, proſtratíque adorarent: quem morem non ſolùm magnopere B. Chryſoſtomus commendat, ſed inſuper nos hortatur vt ſincerè adoremus, non externo tantùm, ſed interno cultu & affectu, nempe quia hic non minus verè quàm olim in præſepio, vbi eum puerulum Magi venerati ſunt, Chriſtus ipſe adeſt, fons inquam ipſe omnis gratiæ & benedictionis. ** *Nam hinc, ait, ipſe non recedit, ſed manet, & à nobis poſtulat, non* (*vt olim à Samaritana*) *potum, ſed ſanctimoniam; ſanctis enim ſancta Chriſtus*

Iſa. 45. 15.

Apoc. 5. 12.

* Ἀναστῶμεν οὖν καὶ ἡμεῖς· κἂν πάντες ταράττωνται, ἡμεῖς ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ παιδίου τρέχωμεν, &c. Οὐδείς σε κωλύσει τοῦτο, μόνον εἰ ἐπὶ τῷ τιμῆσαι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἔλθῃς, μὴ κατὰ τὸν Ἡρώδου σκοπόν. καὶ εἴπῃς, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ, καὶ ἐλθὼν ἀνελεῖν βουληθῇς· τούτῳ γὰρ ἐοίκασιν οἱ τῶν μυστηρίων ἀναξίως μετέχοντες, ἔνοχοι γὰρ τούτοις ἔσονται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου. καὶ γὰρ ἔχουσιν ἐν ἑαυτοῖς τὸν τύραννον ἀλγοῦντα τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκείνου Ἡρώδου παρανομώτερον μαμωνᾶν· οὗτος γὰρ βούλεται κρατεῖν, καὶ πέμπει τοὺς οἰκείους τοὺς ἑαυτοῦ προσκυνήσοντας μὲν σχήματι, σφάττοντας δὲ ἐν τῷ προσκυνεῖν. Φοβηθῶμεν τοίνυν μή ποτε σχῆμα μὲν ἱκετῶν καὶ προσκυνούντων ἔχωμεν, ἐν δὲ τοῖς ἔργοις τὰ ἐναντία ἐπιδειξώμεθα· καὶ πάντα ἀπὸ τῶν χειρῶν ῥίψωμεν, προσκυνῆσαι μέλλοντες.

** Ἀλλ' ἴωμεν αὐτὸς οὐκ ἀναχωρεῖ, ἀλλὰ μένει καὶ παρ' ἡμῶν αὐτὸ ζητεῖ· οὐχ ὕδωρ ἀλλ' ἁγιωσύνην· τὰ γὰρ ἅγια τοῖς ἁγίοις δί-

diſtribuit. Non aquam enim de hoc nobis largitur fonte, ſed ſanguinem viuum, qui quanquam ad mortis Dominicæ teſtimonium ſumitur, nobis tamen cauſa fit vitæ. Tu verò relinquis huius ſanguinis fontem, calicémque reuerendum &c. Ipſum igitur calicem Domini colendum & reuerendum, vnáque Chriſtum adorandum B. Chryſoſtomus toto hoc loco aſſerit, docet & inculcat. Porrò hom. 24. in 1. ad Corint. hæc axiomata ſtatuit, 1°. Chriſtum mutâſſe ſacrificiâ, & pro cæde brutorum, in Euchariſtia ſeipſum iuſſiſſe offerri. 2° Iudæos olim altaris tantùm cruenti fuiſſe participes, in corpore autem Chriſti non ſic, non enim altaris, ſed ipſius Chriſti ſumus participes. 3°. Explicans verba Apoſtoli, *calix benedictionis cui benedicimus* &c. *Valde fideliter dixit Apoſtolus, & terribiliter* (inquit) *Hoc eſt autem quod dicit, id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit è latere, & illius ſumus participes. Calicem autem benedictionis vocauit, quòd eum habentes in manibus, ſic eum hymnis & laudibus proſequamur admirantes, ineffabile donum ſtupentes* &c. *Sanguinem inquam, quem effudit pro nobis, ſed etiam quem nobis impertiit.* Poſteà ad venerationem tam pretioſi muneris ſic hortatur, vt ſpecies quoque honorandas inſinuet; exemplo venerantium regem, qui etiam eius veſtem honorant, nec audent ſine reuerentia tangere. 4°. Magorum exemplum incutiens: *Hoc corpus* (inquit) *iacens in præſepio reueriti ſunt Magi, & viri impij & barbari patria & domo relicta longam viam confecerunt, & cùm veniſſent, cum multo metu & reuerentia adorarunt. Imitemur ergo vel barbaros, nos cælorum ciues, nam & illi quidem cùm in præſepio vidiſſent & in tugurio* &c. *cum magna acceſſerunt reuerentia. Tu autem non in præſepio vides, ſed in altari, non fœminam eum tenentem, ſed Sacerdotem aſtantem & ſpiritum cum magna copia, ea quæ ſunt propoſita ſuperuolantem, non ſolummodò hoc ipſum corpus vides, ſed noſti eius virtutem & diſpenſationem. Nos ergo ipſos excitemus & formidemus, & longè maiorem quàm illi barbari oſtendamus reuerentiam.* Verùm Molinæus excipit, Chriſtum equidem colendum & adorandum, ſed non in hoc Sacramento, neque in terra, ſed in cælo, vbi ſedet in gloria Patris. Verùm hunc elapſum obſtruit eodem loco B. Chryſoſtomus, aſſerens per hoc reuerendum & diuinum prorſus myſterium, terram cœlum factam eſſe; poſtquam enim appellauit ipſam Euchariſtiam, *nexum noſtræ ſalutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, ſpem, ſalutem, lucem, & vitam noſtram;* Ne quis cauſetur hoc futurum eſſe in cœlo, at hîc non poſſe per hoc myſterium nobis præſtari, proinde huic tantam reuerentiam deferendam non eſſe: ** *Ecquid dico* (ait) *futura, hîc enim terram tibi cælum facit hoc myſterium* &c. *Nam quod illic eſt omnium pretioſiſſimum & maximè honorandum, hoc oſtendam tibi ſitum in terra. Sicut enim in regia id quod eſt omnium magnificentiſſimum, non ſunt parietes, non lectum aureum, ſed corpus Regis ſedens in ſolio; ſed hoc tibi nunc licet videre in terra; non enim Angelos, neque Archangelos, neque cælos, & cælos cælorum, ſed ipſum eorum oſtendes Dominum: Vidiſti quemadmodum quod eſt omnium præſtantiſſimum & maximè honorandum vides in terra, neque ſolùm vides, ſed etiam tangis, neque ſolùm tangis, ſed etiam comedis.* At verò in Euchariſtia Chriſti corpus etſi realiter exiſtat, non tamen per ſe & im-

[illegible] *S. Ioan. Chryſ. hom. 7 in cap. 2. S. Matthæi.*

** [illegible] *ibid.*

mediatè videtur aut tangitur, ſed mediatè per externa ſymbola, ſub quibus videtur & tangitur, ac comeditur; ergo etiam adoratur, nam vt ſæpius inculcat idem B. Chryſoſtomus, *Id quod maximè honorandum eſt in cœlo, in terra conſiſtit in hoc myſterio.* Et notanda eſt comparatio, *Vt* inquit, *corpus Regis, in ſolio ſedens*; Igitur ſpecies illæ Sacramentales, ſub quibus hîc verè Chriſtus exiſtit, ſunt velut eius ſedes & thronus regius: At verò, throno ſuo Deus nos iubet deferre eximiam reuerentiam: *Ego autem dico vobis, non iurare per cœlum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt Regis magni.* Matt. 5. 34. At verò non magis verè Chriſtus dudum habitauit Hieroſolymis, quàm nunc in Euchariſtia exiſtit, ſub ſacris ſymbolis. In hac ſedet, vt in throno ſuæ gratiæ: ſicut in cœlo ſedet, vt in throno ſuæ gloriæ. Singularis igitur huic throno, in quo manet noſter Emmanuel: in quo ſponſus ipſe animarum noſtrarum, reſpiciens velut *per feneſtras & cancellos*, oculis ſuæ miſericordiæ nos intuetur, & *plenas hyacinthis manus* aperit & extendit, vt nobis ſuæ gratiæ dona & munera affatim largiatur. Huic inquam throno gratiæ, ſingularis reuerentiæ honor deferendus eſt, nam ſolium eſt diuinæ Maieſtatis. Porro quo honore thronus propter eum qui ipſi inſidet, habendus eſt: dilectus Ieſu diſcipulus in cœlo edoctus, nos docet Apoc. 4. 10. *Seniores* (inquit) *mittebant coronas ſuas ante thronum.* Et c. 7. 11. *Et ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum.* Quoniam igitur ſecundùm ſanctum Chryſoſtomum per venerabile Sacramentum Euchariſtiæ, cœlum eſt in terra, quia ipſa Euchariſtia, per externa ſymbola, vera eſt Chriſti ſedes & thronus, eo quod in ea realiter exiſtit & reſidet. Procidere igitur coram hoc throno licet, quin & oportet, & propter ipſum ſedentem hoc ipſum ſacro-ſanctum ſolium, ſingulari cultu reuerentiæ & honoris, ab omnibus veris Chriſti fidelibus atque cultoribus, eſt meritò proſequendum. Nec modò S. Chryſoſtomus docet Euchariſtiam venerandam eo quod eſt thronus Chriſti: paulò pòſt dicit, eſſe etiam vt regis purpuram & diadema; proinde vnà cum eo ſuſcipi reuerenter debere, & ſimul cum eo honorari; *Nam ſi tibi*, inquit, *Regis filius cum purpura & diademate traditus eſſet ferendus &c. Nunc autem non hominis regis filium accipiens, ſed ipſum vnigenitum Dei filium &c. non extimeſcis?*

Nihil frequentiùs repetit toto libro ſuæ Nouitatis Molinæus, quàm Chriſtum non in terra ampliùs quærendum: proinde cùm Patres docent, & maximè Chryſoſtomus, illum adorandum eſſe in Euchariſtia, ſic interpretatur vt ad præſentiam ſigni (nam Euchariſtiam merum vult eſſe ſignum & nudum ſymbolum) ſic adoremus, quod ſepoſitâ omni diuini huius myſterij cogitatione, mentem in cœlum erigamus, & Chriſtum ibi duntaxat adoremus in dextera Patris conſidentem. At quàm falſa ſit hæc doctrinæ Patrum expoſitio, iam ſuprà ſpectatiſſimis exemplis & firmiſſimis argumentis demonſtrauimus. Quàm verò ab hac ſacrilega opinione Molinæi & reliquorum Caluiniſtarum S. Chryſoſt. abhorreat, licèt iam ex præmiſſa diſcuſſione locorum

ab ipſo Molinæo indicatorum clarè conſtet; tamen vt abundantiùs appareat, quædam adhuc S. Chryſoſtomi axiomata proferemus. Igitur S. Chryſoſtomus hom. 41. in priorem ad Corinthios verba faciens de ſolenni quæ fit in diuino myſterio pro fidelibus defunctis deprecatione: * *Non fruſtra* (inquit) *memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, aut accedimus, pro illis agnum illum iacentem & peccata mundi tollentem deprecantes. Hic igitur agnus ille ſitus eſt; hic cum oramus & adoramus. Nam & deprecamur*, præſentem vtique, & vt ait Concilium Nicænum, *ſitum in hac ſacra menſa, ſuóque ſacrificio peccata mundi tollentem.* Memor eſſe debet Molinæus huius ſuæ ſententiæ: ſi licet Chriſtum in Euchariſtia inuocare, licet & adorare; Atqui agnum Dei iacentem in altari & purgantem peccata mundi deprecamur & inuocamus, proinde & adoramus, Molinæus enim ipſe fatetur inuocationem eiuſmodi, ſpeciem eſſe ſummæ adorationis.

* Οὐ γὰρ ἁπλῶς ταῦτα ἐπινενόηται, οὐδὲ εἰκῆ μνήμας ποιούμεθα τῶν ἀπελθόντων ἐπὶ τῶν θείων μυστηρίων, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν πρόσιμεν, δεόμενοι τοῦ ἀμνοῦ τοῦ κειμένου τοῦ λαβόντος τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. &c. οὐ γὰρ ἔτι σκοτεινὸν τὸ ὑμέτερον, μὴ γένοιτο, πειθόμενοι γὰρ διατάξει ταῦτα γίνεται. *S. Io. Chryſ. in 1. Cor. hom. 41. ſub finem.*

Accedit quòd S. Chryſoſtomus ſæpe nos monet Angelos ſtudioſè imitari, qui his myſteriis tremebundi ac venerabundi aſſiſtunt, neque tantùm cernunt & adorant Chriſtum in Patris dextera ſurſum ſedentem, ſed hîc cum ingenti metu & reuerentia ipſum ſuſpiciunt atque diuinis prorſus honoribus proſequuntur. ſic enim loquitur os illud aureum hom. 60. ad populum Antiochenum: *Cogita quali ſis inſignitus honore, qua menſa fruaris, quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur.* Et hom. 61. *huic & ſupernæ poteſtates aſſiſtunt, quoniam & ille nobis manifeſtiùs propoſitorum virtutem ſpeculantur, & inacceſſibiles admirantur ſplendores.* Et lib. 6. de Sacerdotio, loquens de hora tremenda ſacrificij noſtri; ** *Per id tempus*, inquit, *& Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum ordo vniuerſus clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui inuoluitur & immolatur, Angelorum choris plenus eſt.*

** Τότε καὶ ἄγγελοι παρεστήκασι τῷ ἱερεῖ καὶ οὐρανίων δυνάμεων ἅπαν τάγμα βοᾷ. καὶ ὁ περὶ τὸ θυσιαστήριον πληροῦται τόπος εἰς τιμὴν τοῦ κειμένου. καὶ τοῦτο ἱκανὸν μὲν καὶ ἐξ αὐτῶν πιστεῦσαι τῶν ἐπιτελουμένων. *Idem de Sacerd. 6. c. 4. edit. Pariſ.*

At excipit Molinæus contra ſanctum Chryſoſtomum, oratoria illum arte his in locutionibus vti: *quicquid enim dicit de adoratione Chriſti in Euchariſtia, eſſe oratorias declamationes.* At ſi ita ludere licet, nihil prorſus ineſt Patrum monimentis, nec etiam Scripturæ ſacræ, quod eiuſmodi friuolis effugiis, eludi non poſſit. Dudum cùm vas electionis Paulus coram Agrippa Rege & Feſto Proconſule, fidem quæ in Chriſto eſt, diuinâ facundiâ explicaret, Act 26. 24. 25. Feſtus orationis eius curſum interrumpens, ſubitò exclamauit: *Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt. Cui mox ait Paulus, Non inſanio optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Impulſu Diaboli non ferentis cauſam Euangelij tam excellenti præconio enunciari, Feſtus ſic Pauli dicta interturbauit, exuberantique litterarum adſcripſit cognitioni, quod Spiritui ſancto in Apoſtolo ſuo loquenti, tribuendum erat. Sic planè Molinæus, tam perſpicuis S. Chryſoſtomi teſtimoniis, pro reali corporis Chriſti præſentia, ac adoratione, in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, vitio ei vertit ſacram eloquentiam qua pollebat. Sugillat enim nimis excultæ oratoriæ facultatis; & quæ dicit dogmaticè, vult oratoriè loqui. Quaſi vbique rhetorem, nunquam verò docto-

rem, nunquam Patrem, neque Epiſcopum Chryſoſtomus ageret, & quia eſt Chryſoſtomus, non eſſet Chriſtianus; & de fide, de Sacramentis, de ipſo magno pietatis Sacramento, quod eſt Euchariſtia, quando maximè oportet, neſciret quæ credenda ſunt profiteri. Ridiculam eſſe hæc Molinæi ſolertiam, vel ex hoc patet, quòd alibi Chryſoſtomus vbi hiſtoricè loquitur, eadem tenet ac inculcat de Angelico Euchariſtiæ cultu, quæ vult eum Molinæus declamatoriè profari.

Sic etenim ſanctus ipſe Chryſoſtomus præſignato lib. de Sacerdotio palam & ſine tropis vllis Rhetorices, fidelibus enarrat: * *Ego verò, inquit, & commemorantem quendam audiui cùm diceret, ſenem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa fuiſſent diuinitùs detecta ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo fuiſſe, ac per illud quidem tempus, de repente, Angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenùs humanus aſpectus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege ſtantes videat.*

Idem verò ſanctiſſimus Doctor ac Pater Chryſoſtomus hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura loquens de Enetgumenis dicit, tum in more fuiſſe vt tempore tremendæ oblationis adducerentur, Diaconíque præconio iuberentur** *caput inclinare diuinis myſteriis reuerentiæ cauſa, nempe quia ſatis non erat ab Angelis & puris fidelibus diuina hæc myſteria adorari, at etiam ab Energumenis quos agitabat dæmon, ad frangendam eius ſuperbiam & teſtandam diuini myſterij maieſtatem, coli ac adorari demiſſa capitis inflexione, Eccleſiæ iudicio ritúque.* Iuxta Apoſtoli de Chriſto præconium, *In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Pudeat igitur Molinæum impietatis ſuæ, qua Chriſtum in Euchariſtia realiter exiſtentem, non ſolùm non adorat, ſed nec adorandum contendit, clariſſimáque S. Chryſoſtomi teſtimonia, pro hac veritate, pro meris eloquentiæ floſculis dicit accipienda eſſe, etiam vbi res geſtas ſanctus hic vir enarrat, dogmata fidei explicat, ex profeſſo citatis, ad hæc firmanda, Scripturæ ſacræ pleriſque locis.

* Ἐγὼ δὲ καί τινος ἤκουσα διηγουμένου ποτὲ, ὅτι αὐτῷ τις πρεσβύτης, θαυμαστὸς ἀνὴρ, καὶ ἀποκαλύψεις ὁρᾶν εἰωθὼς, ἐκεῖνος ὄψεως ἀξιωθῆναι τοιαύτης ποτὲ καὶ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀθρόον πλῆθος ἀγγέλων ἰδεῖν, ὡς αὐτῷ δυνατὸν ἦν, στολὰς ἀμφιεσμένους λαμπρὰς καὶ τὸ θυσιαστήριον κυκλοῦντας, καὶ κάτω νεύοντας, ὡς ἂν εἴ τις στρατιώτας παρόντος βασιλέως ἑστηκότας ἴδοι. *ibid.*

** Κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐν ᾧ προτιθέμενοι βοῶσι τὴν φρικωδεστάτην ἱκετηρίαν, ἀλλὰ καὶ ἄγγελοι προσπίπτουσι τῷ δεσπότῃ καὶ ἀρχάγγελοι δέονται. ἔχουσι τὸν καιρὸν συμμαχοῦντα τὴν προσφορὰν βοηθοῦσαν, &c. paulò pòst. Διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐνεργουμένους ἐπ' ἐκείνου ἵστησι τοῦ καιροῦ ὁ διάκονος, καὶ κελεύει τὰς κεφαλὰς κλίνειν μόνον, καὶ τῷ σχήματι ποιεῖσθαι τοῦ σώματος τὰς ἱκετηρίας. *Idem ho. 3. de incompr. Dei nat. ſub finem.*

§. VII.

De teſtimonio Theodoreti.

MOLINÆVS.

NON *ſatis mirari poſſum, quomodo Cardinalis Peronius auſus ſit Theodoretum ad ferendum pro ſe ſuffragium citare. Nam Theodoretus Dialogo 1. diſertè dicit Chriſtum dediſſe ſigno nomen corporis ſui, & ſigna honoráſſe ipſius corporis ſui nuncupatione, non mutando illorum naturam, ſed naturæ addendo gratiam.*

RESPONSIO.

PERFIDE Molinæus Theodoreti ſententiam refert. Ita ſiquidem loquitur Theodoretus: * *Seruator noſter nomina commutauit, & corpori quidem, id quod erat ſymboli & ſigni impoſuit, ſymbolo autem id quod erat*

* Ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα· καὶ τῷ

corporis. Volebat enim eos qui ſunt myſteriorum participes non attendere naturam eorum quæ videntur, ſed propter nominum permutationem, mutationi quæ fit ex gratia credere. Vbi vides falſò Molinæum exſcribere, *non mutando illorum naturam, ſed naturæ addendo gratiam.* At contrà ait Theodoretus, voluiſſe Chriſtum nos mutationi quæ fit ex gratia credere. Fit igitur mutatio ſymbolorum ex gratia, id eſt, virtute diuina, & permutatio nominum, huius rerum mutationis eſt certum indicium.

μὲν αἵματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα· τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος. &c. ἠβουλήθη γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς, πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. Theodoret. dialog. 1. Tom. 4. edit. Pariſ.

MOLINÆVS.

IDEM Theodoretus eodem ſtylo loquitur Dialogo 2. ** *Poſt conſecrationem* (inquit) *ſigna myſtica à ſua natura non recedunt, manent enim in priore ſua ſubſtantia, & figura & forma, & viſibilia ſunt ac tractabilia ſicut antè erant.*

*** Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν. νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. Idem dialog 2. ibid.*

RESPONSIO.

NEC hîc ſibi ſerit, neque ſibi metit Molinæus, ſed canit Luthero contendenti poſt conſecrationem, etſi verum adſit Chriſti corpus, panem nihilominus ſupereſſe, ideóque Theodoretum aſſerere ſymbola ipſa in ſua ſubſtantia permanere. Sed eo ſenſu quo vult Lutherus & eius aſſeclæ, Theodoretus non dixit permanere ſymbola in priore ſubſtantia, loquitur enim de accidentibus & ſpeciebus extrinſecis, eorúmque eſſentia & natura, vt indicant voces Græcæ quibus vtitur, φύσις & οὐσία. non autem de ſubſtantia quam Ariſtoteles prima in categoria poſuit, vt ens per ſe ſubſiſtens, & non pendens ab alio. quo iure & ab accidentibus eſſentialiter differt, eiſque admodum præſtat. Vult igitur duntaxat dicere Theodoretus, myſtica illa ſigna, qualia ante conſecrationem apparent, eadem poſt conſecrationem apparere, vnde ſubiungit, *Nam videri & tangi poſſunt ſicut priùs.* Quæ ſanè verba de ſubſtantia, vt accidentibus opponitur, non poſſunt intelligi, hæc enim nec tangi poteſt nec videri. Porrò non negamus quod docet experientia: facta conſecratione, ſpecies Sacramentales in eadem forma & figura perdurare, nam ſapor idem in calice, idem color; eadem albedo, eadem rotunditas in pane perſeuerat. Quamuis panis intrinſeca eſſentia, ſub iiſdem accidentibus eſſe deſierit, vnde Theodoretus ſubnectit, * *Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, vtque illa ſint* (nempe corpus & ſanguis Domini) *quæ creduntur.* Nihil ſanè manifeſtius aut expreſſius dici poteſt, pro reali elementorum hoc in myſterio mutatione, & vera illorum conuerſione in Chriſti carnem & ſanguinem. Nec enim dixit Theodoretus externa illa ſymbola nominetenùs eſſe mutata, ſed verè & realiter mutata, proinde credi iam eſſe quæ facta ſunt, & quia hæc verè ſunt, adorari.

* *Habes ſuprà textum Græcũ.*

MOLINÆVS.

THEODORETVS *ait, quod σύμβολα προσκυνεῖται, honorantur, ſeu vt vertit Cardinalis Peronius, adorantur. Nobis parum refert: eligant aduerſarij ex duobus ſibi quod viſum fuerit magis conſentaneum. ſed obſecro dicant, an velint per hoc verbum,* adorari, *Theodoretum intelligere cultum illum ſupremum qui vni ſolique Deo debetur, ſignis illis tribuendum eſſe, aut tantùm cenſere pro ſimplici*

veneratione, ab eo hoc verbum, Græcorum more vſurpari, pro eo quod eſt non adorare quidem cultu diuino, ſed tantùm honorare & in veneratione habere ac reuerentia. Si prius, ſanè Theodoretum reum efficiunt horrendæ idololatriæ, vt qui voluerit ſigna ſeu ſpecies & figuras Sacramentales, æquali parique omnino cultu cum Deo ipſo adorari; nec enim ſymbola illa, Deus ſunt. At verò ſi Pontificij reſpondeant per verbum adorare à Theodoreto tantùm inſinuari venerationem aliquam & reuerentiam. tum eum planè nobiſcum & loqui & ſentire fatentur; ſiquidem nos hæc ſigna honoramus ac veneramur: At quid hoc facit pro adoratione illa ſuprema, diuinóque cultu quem aduerſarij Sacramento deferunt?

RESPONSIO.

PLVRIMVM eſt differentiæ inter adorare ſigna, & adorare Sacramentum: qui abſtractione facta externorum ſymbolorum à re ipſa, quæ ſub iis continetur, illa quæ iam nuda forent, & vt ait Apoſtolus *egena elementa*, adoraret latriæ cultu, longè aberraret ab Eccleſiæ fide & ritu, nec enim vnquam hoc cultu ſpecies illas externas ſeorſim & præcisè conſideratas Eccleſia adorauit aut adorandas dixit; Sed longè aliud eſt adorare Sacramentum, ſeu Chriſtum exiſtentem realiter in Sacramento ſub illis ſymbolis, quibus ad locum fidei concedendum in hoc myſterio, Chriſtus ipſe obuelatur. Hoc eſt porro quod Eccleſia facit & intendit: nam Sacramentum adorat quia corpus eſt Chriſti, nec refert quòd ſpeciebus illis corpus Domini tegatur, gemma enim linteolo inuoluta, non minùs gemma eſt, quàm incluſa auro, ſuum enim ſemper retinet & pretium & decorem, ſiue in auro, ſiue ſub palea, ſiue ſub lancina collocetur. Verum eſt quòd ſpecies illæ non ſint Chriſti corpus, ſed ſub ipſis eſt corpus Chriſti, & ſpecies cum eo vnum totum Sacramentale faciunt, nam ei vnione Sacramentali coniunguntur, ideóque vno eodémque actu coluntur, quamuis Chriſti corpus per ſe, primariò, & abſolutè: ſpecies autem ſecundariò, ſecundùm quid, & propter ipſum Chriſti corpus, cui cohærent, quódque comitantur, vt acceſſorium ſequitur naturam & iura principalis. *Intelliguntur enim* (ait verè & eleganter Theodoretus) *ea eſſe quæ facta ſunt & creduntur*; quamobrem adorantur quia creduntur illa eſſe, quæ ſunt per conſecrationem facta, non naturæ quidem poteſtate, ſed virtute diuina. His præmiſſis, quicquid Molinæus argutiarum coaceruat, funditùs concidit. Sed quia eò vſque ipſum deduxit euidentia veritatis, vt ſigna ipſa veneranda eſſe & reuerenda demum fateatur, æqui boníque accipiat, ſi verborum ſuorum ipſum memor vt ſit admoneamus. *Signa hæc*, inquit, *myſtica honoramus & veneramur.* Sed quæſo nobis edicere non grauetur quando hæc Euchariſtiæ apud eos reuerentia & veneratio cœpit? longè profectò à dictis facta diſcrepant, nulla enim hæreſis vſquam hactenus fuit, quæ tam impiè & furiosè aduerſus ſacra hæc myſteria ac diuina Sacramenta deſæuiret. Acta Miniſtrorum typis edita, patenti ſunt indicio, quo honore & reuerentia diuinam Euchariſtiam proſequantur.

Gal. 4. 9.

Horret animus vel recogitando quantis iniuriis ac vituperiis ſacroſanctam Euchariſtiam, id eſt ipſum Domini corpus, affecerint vbicumque pro libitu furere potuerunt, & pluſquam Turcica rabie graſſari. Templa ſuſdeque paſſim ſubruerunt, altaria euerterunt, occiderunt in ipſo ſanctuario Sacerdotes; & quod omne ſcelus exſuperat, & omnem diabolicam audaciam longè tranſcendit: ſacrilegis manibus ipſum corpus Domini, vel è ſacrario rapuerunt, vel pedibus conculcârunt, vel in cloacas proiecerunt, vel canibus obiecerunt, vel aliis denique innumeris modis diris & execrandis profanârunt. Videndus illuſtriſſimus Continuator Baronij tom. 3. ad annum 1561. XIX. & XXVIII. XXX. 1562. XI. 1563. LXXIV. 1566. XXII. & de Turca, his longè reuerentiore, ibidem n. VIII.

MOLINÆVS.

CÆTERVM quia ſe acriter perſtringi ſentit Molinæus verbo *adorandi* (quod eſt apud Theodoretum) illud emollire modis quibuſque ſatagit: Contendit enim cùm de Euchariſtiæ cultu agitur impropriè eſſe ſumptum, ſicut impropriè ſumitur aliarum rerum ſacrarum reſpectu; Atque imprimis notat in Liturgia Chryſoſtomi, hunc ritum haberi: *Dicto à Diacono Amen, poſtquam ipſe adorauit aut veneratus eſt ſanctum Euangelium, per portas ſacras egreditur; At nemo eſt* (inquit) *tam ſtupidè idololatra, vt cultu latriæ Euangelij codicem adoret?*

RESPONSIO.

ADORATVR in Euangelio, etiam latriæ cultu, quod diuinum eſt, non porro quod humanum eſt, nec quod materiale, vel quod manufactum. Neque enim charta, nec characteres huic impreſſi, à Chriſtianis ſummo honore coluntur, dum Euangelium adorant, ſed Chriſti doctrina, viua voce dudum ab ipſo tradita, & ſubinde à Spiritu ſancto ſanctis Apoſtolis & Euangeliſtis inſpirata, qui eius afflatu eam litteris prodiderunt, in Epiſtola Taraſij Synodica ad Adrianum Papam è Concilio II. Nicæno, Act. 3. qua rationem reddit Actorum in hoc Oecumenico Eccleſiæ Catholicæ Senatu: *Cùm omnes ſediſſemus* (inquit) *caput fecimus Chriſtum; iacebat enim in ſancta Sede Euangelium ſanctum, conteſtans nobis omnibus viris ſacratis qui conueneramus, iudicium iuſtum iudicare.* Ex quo patet Eccleſiam, Chriſtum in Euangelio, & per Euangelium loqui, credere, & ideo Euangelium ipſum vice Chriſti adorare. Ideo teſte S. Hieronymo contra Vigilantium, etiam *rutilante ſole luminaria accendebantur*, ideo incenſi ſuffitus ad diuini ipſius eloquij lectionem adhibetur, & cùm Diaconus recitaturus Euangelium accedit, afferri ex priſco more conſueuit thuribulum cum incenſo. Oſculantur etiam in ſignum eximiæ venerationis ſacrum librum Sacerdos & Diaconus. Cumque legitur Euangelium, omnes, ipſéque Epiſcopus reuerenter aſſurgere & aperto capite audire præcipiuntur, can. *Apoſtolorum* de conſecrat. diſt. 1. (ex epiſtola Anaſtaſij Papæ ad Epiſcopos Germaniæ & Burgundiæ) *Dum ſacra Euangelia in Eccleſia leguntur, Sacerdotes & cæteros omnes, Dominica verba* (oportet) *attentiſſimè audire & fideliter adorare.* Hinc & alius ritus iampridem ſeruabatur in Oriente,

Oriente, teſte Iſidoro Peluſiota lib. 1. ep. 136. vt Pontifex altari aſſiſtens, dum legebatur Euangelium, ſacrum pallium deponeret, quaſi præſente ipſo Chriſto, qui paſtorum eſt princeps; *Nam cùm ipſe verus paſtor* (inquit Peluſiota, S. Chryſoſtomi ſynchronus & amicus) *per adorandam Euangeliorum apertionem accedit, Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit, hinc nimirum Dominum ipſum, paſtoralis artis ducem; ac Deum, & herum adeſſe ſignificans.* Porrò ſi tantus honor Euangelio defertur, quia Chriſti vox eſt in verbo ſignato & prædicato: quantus quæſò Euchariſtiæ ſacratiſſimæ exhibendus eſt? cùm in ipſa ſit Chriſtus, non voce vicaria, vel ſigno repræſentatiuo, ſed reipſâ, nimirum in corporis & ſanguinis ſui ſpiritûſque viuificantis veritate. ſed pergit inſanire Molinæus.

MOLINÆVS.

HODIE *adhuc cernimus in Romana Eccleſia, Chriſti lachrymam, & lignum crucis, & faciem Domini in velo depictam adorari; & tamen nemo eſt, niſi fortè prorſus mentis emotæ, qui hæc adoret eodem cultu quo Deus adoratur.*

RESPONSIO.

CVR igitur tù & ſocii tui, nos perpetim calumniamini, idololatriæ inſimulantes, propter illarum rerum ſacrarum venerationem? verùm in his rebus, vt ſuprà iam dictum eſt, nihil attendimus aliud quàm quod eſt diuinum. Id porro graphicè definit & explicat VII. Oecumenica ſynodus Conſtantinopolitana c. 3. his verbis: *Sacram imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnium Saluatoris æquo honore cum libro ſanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & ſapientes & idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu eſt, perfruuntur vtilitate; quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & pictura, quæ in coloribus prædicat, & commendat.* Ratio hæc eſt huius definitionis, quod idem ſit motus in imaginem, & in rem ſignificatam, vt ipſa etiam experientia teſtatur: nam qui ſtatuam Cæſaris intuetur, is vnica cognitione ipſum Cæſarem, & eius ſtatuam ſeu imaginem agnoſcit. Sed honor eſt quidam motus in id quod honoratur, ſiue ſit externus ſiue internus, ſiue vtrumque ſimul. ergo idem eſt actus honoris in imaginem & rem ſignificatam, atque ideo in crucem, ac Chriſti imaginem, & in Chriſtum, per crucem tanquam per ſuam imaginem, repræſentatum. Quocirca cùm Chriſtus adoretur latria, ita & crux & imago Chriſti eadem veneratione honoratur ſeu adoratur. Nec inferre hinc licet, ergo Euchariſtia nec maiori honore proſequenda eſt, quàm Chriſti crux & imago; falſa enim hæc eſt illatio. Siquidem neque crux Chriſti, nec huius imago per ſe coluntur illa adoratione, ſed relatione ad ipſum Chriſtum qui Deus eſt, & cuius eſt crux ſignum, imago autem repræſentatio. At Euchariſtia ſi in re ipſa conſideretur, adoratur cultu non relatiuo, ſed abſoluto, quia Chriſtus hîc eſt verus Deus & homo. quamobrem ſapientiſſimè Patres Concilij II. Turonenſis c. 3. decreuerunt, *vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur,* ne ſcilicet cenſeatur eſſe

Vide S. Thomã 3. p. q. 25. a 3. & 4. Et Caietanum, Capreol. & Greg. de Valentia, ibidem.

Chriſti imago & figura, cùm ſit res ipſa: quæ non per relationem ad aliud, ſed abſolutè, & per ſe, & propter ſe, quantum ad rem ipſam ſub ſpeciebus latentem, adoratur. Ponitur autem *ſub titulo crucis*, non quòd inferior ſit, vel dignitate non ſit admodùm illâ præſtantior; ſed quia Euchariſtia vt ſacrificium eſt, paſſionis Chriſti eſt proprium & perenne mnemoſynon: in hac enim vt ait Apoſtolus; *mortem Domini annunciamus donec veniat;* & crux eſt proprium inſigne Saluatoris, in Sacramento quidem non apparentis, ſed verè & realiter ſub ſpecierum vmbraculo exiſtentis, iuxta illud oraculum Iſaiæ, *Verè tu es Deus abſconditus, Saluator.*

1. Cor. 11.

MOLINÆVS.

* Tom. 3. Bibliotheca SS. PP. col. 87. D. edit. poſtr. Pariſienſis.

Ex Theophili Alexandrini dictis* (quæ peſſimè citat) Euchariſtiam cum baptiſmo infert æquiparari; *Proinde*, inquit, *vt aquæ baptiſmalis ſanctificatio, aquam baptiſmalem ſubſtantialiter non mutat, ſic & conſecratio panem Euchariſtiæ in Chriſti corpus non conuertit. Igitur ſicut non adoratur baptiſmus, Euchariſtia adorari non debet.*

RESPONSIO.

In hac reſponſione, quantum excellat Euchariſtia ſuper baptiſmum, pleriſque titulis & rationibus manifeſtè demonſtratur.

Matth. 26. 26. Marc. 14. 17. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

NEGAMVS hanc paritatem, quam ſi probatum ire velint Molinæus & cæteri Sacramentarij, oſtendant è verbo Dei neceſſum eſt, Chriſtum inſtituendo baptiſmum dixiſſe de aqua, *Hoc eſt Spiritus ſanctus, qui ſuper vos deſcendet*, vt dixit inſtituendo Euchariſtiam de pane quem benedixit & fregit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:* Et de calice, *Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur.* At nunquam id efficient, non tantùm enim huic æquiparationi quam faciunt inter baptiſmum & Euchariſtiam, deeſt, ſed ex diametro repugnare cernitur expreſſum Dei verbum. Dicit Apoſtolus, baptiſmum *eſſe lauachrum regenerationis.* At de Euchariſtia *eſſe corpus Domini*, quamobrem *qui ſumit indignè reus ſit corporis & ſanguinis Domini &c. Et iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini;* Quod de baptiſmo nuſquam ſcriptum eſt. ſic & Chriſtus, ait: *panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* At de baptiſmo tantùm, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Et quidem hoc Sacramento *mundat nos* Chriſtus *lauachro aquæ in verbo vitæ.* Verùm in Euchariſtia nos nutrit & viuificat non pane, ſed ipſa carne ſua & ſanguine, vnde dicit: *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, & qui manducat me, vita viuet propter me.* Ipſe igitur Chriſtus eſt verè & realiter in Euchariſtia: at in baptiſmo, quodam duntaxat gratiæ influxu, ſicut in cæteris Sacramentis. Quibus omnibus tantùm Euchariſtia idcircò præcellit, quantùm fons riuulis, & ſol ſuis radiis, radixque ramis quos producit & ſuſtentat. In Euchariſtia ſiquidem eſt ipſe fons vitæ & gratiæ Chriſtus, in baptiſmo autem & cæteris Sacramentis virtus eſt tantùm ipſius Chriſti participata. Quapropter in baptiſmo nulla fit mutatio materiæ, nec in reliquis Sacramentis, ſufficit enim, vt vi quadam diuinitùs infuſa, & elemento quod aſſumitur in inſtrumentum gratiæ coniuncta, ſpe-

ciales quoſdam producant effectus. At ſecus eſt de Euchariſtia, in qua neceſſariò materia debuit mutari, quia auctor ipſe gratiæ voluit ſe per hoc myſterium nobis vnire, ſe nobis corpore & animo communicare & per ſe immediatè nobis ſua dona impertire, fieri nobiſcum vnum corpus & vnus ſpiritus. Accedit quòd Euchariſtia eſt anacephalæoſis diuinorum mirabilium: in eo igitur miraculum omnium maximum, quod fit conuerſione ſubſtantiæ panis & vini in verum Chriſti corpus & ſanguinem, fieri debuit. Inſuper eſt Chriſti teſtamentum, & teſtimonium ac quaſi pignus amoris Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam; & ideo donum eſſe præſtantiſſimum oportuit. Nihil autem potuit Chriſtus excellentius dare, quàm ſeipſum, vnde ait: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum; bibite, hic eſt ſanguis meus.* Non autem inane ſignum, vt aduerſarij volunt corporis & ſanguinis, tum enim non donum optimum, ſed exile munus vt pote vmbratile tantùm hoc fuiſſet; Præterea ad hoc nobis ſe hîc donat Chriſtus, vt ſit cauſa & ſemen reſurrectionis noſtræ, vnde ait, *qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, Ioan. 6. 55. Ideo per contactum & coniunctionem corporis Deifici, cum corporibus noſtris mortalibus fieri debuit hæc viuificatio. Denique Euchariſtia eſt ſacrificium Religionis Chriſtianæ, quod præſtantius vt eſſet omnibus ſacrificiis veteris legis, veritatem proferre, vmbras expellere, figuras implere & omnes hoſtiarum differentias vna ſola præcellentiſſima hoſtia quæ Chriſtus eſt, continere neceſſum fuit. Longè eſt igitur diſpar ratio Euchariſtiæ & baptiſmi; Quamobrem inepta & falſa eſt quam Molinæus affert huius cum illa æquiparatio, & proinde futilis & nulla conſequentia, quam inde elicit Ridiculum eſt enim quod ex dictis Theophili Alexandrini ſcribentis ep. 1. Paſchali contra Origeniſtas, *& aquam baptiſmi, & panem Dominicum per Spiritus ſancti inuocationem ſanctificari*, colligit æqualiter ab eo accipi vtramque ſanctificationem: ſi enim valet eiuſmodi ratio, inde etiam argutari licebit parem fuiſſe & hordeaceorum panum, duorúmque piſcium: atque myſtici panis in vltima cœna à Domino ſuis Diſcipulis diſtributi benedictionem. Vtrumque enim Dominus benedixit. At quis non videat ingens quod intercedit diſcrimen. Panes & piſces etenim Dominus benedixit vt eos multiplicaret, iiſque eſurientes turbas corporaliter reficeret: at panem in cœna vltima benedixit, vt eum ſuum corpus efficeret, quo animas in vitam æternam paſcendo de ſeipſo enutriret. *Caro enim abluitur, vt anima emundetur; caro vngitur, vt anima conſecretur; caro carne & ſanguine Domini alitur* (ait Tertullianus) *vt anima de Deo ſaginetur.* Hæc omnia autem vnus idémque Spiritus, ſed diuerſimodè operatur.

Adde quòd non eſt ſcopus Theophilo Alexandrino comparandi baptiſmum cum Euchariſtia, in quantum vtrumque eſt Sacramentum, minus autem in quantum Euchariſtia ipſa eſt ſacrificium, nec vtriuſque ſanctificationem parem facere intendit, quoad rem ipſam; ſed quia eo loco errorem Origenis (ſaltem præſumptum) refellit,

qui dicebat *Spiritum ſanctum non operari, ea quæ inanima ſunt, nec ad irrationalia peruenire:* Hoc verò paradoxum refutat adductis exemplis baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ in materia fiunt inanimata, circa quam tamen diuina omnipotentia ſic agit, vt ſanctificata aqua baptiſmalis fiat inſtrumentum iuſtificationis animæ; panis verò conſecratus fiat corpus Chriſti. Vnde ſubiungit Theophilus; *Quod aſſerens* (Origenes) *non recogitat aquas in baptiſmate myſticas aduentu ſancti Spiritus conſecrari, panémque Dominicum quo Saluatoris corpus oſtenditur**, *& quem frangimus in ſanctificationem noſtram, & ſacrum calicem &c. per inuocationem & aduentum ſancti Spiritus ſanctificari.*

* id eſt, exhibetur.

At anſam cauillandi ex eo arripit Molinæus quod Theophilus ait, *panem Dominicum quo corpus Domini oſtenditur*, triumphúmque hinc ſibi gloriabundus apparat; *Verba*, inquit, *iſta eximia ſunt, nam expreſſè docent per panem Dominicum Chriſti corpus oſtendi, hoc eſt monſtrari ſeu ſignificari.* Verùm hic triumphus fictitius eſt, déque eo pueriliter gloriantem ridiculo exponit. ſi enim verbum oſtendere, ſignificare tantùm importat, igitur in Scripturis cùm id legimus de mero ſigno & figura hoc debemus interpretari. At quanta inde abſurda ſequantur facile eſt ex his exemplis perſpicere Matth. 8. 4. *Vade & oſtende te Sacerdoti*, id eſt defer Sacerdoti figuram tuam, in pictura, hæc enim te illi oſtendet. Matth. 22. *Oſtendite mihi numiſma cenſus*, hoc eſt afferte typum & figuram numiſmatis, non ipſum numiſma. Ioan. 14. 8. 9. *Domine oſtende nobis patrem*, ſcilicet in figura depicta, & non in ſe. Ioan. 20. 20. *Oſtendit eis manus & latus*, id eſt cicatricum ſuarum ſignum & figuram in chartula tantùm expreſſam. Act. 9. 39. *Oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas Dorchas* (quæ & Thabita) *faciebat illis*, hoc eſt depictas in tabula illarum veſtium formas & colores. Et 1. Timoth. 6. 15. *Vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium:* quaſi dicere vellet Apoſtolus, Chriſtum à Patre tunc oſtenſum iri electis ſuis in ænigmate & figura tantùm; non autem reuelata facie, & in propria eſſentia & perſona. ſicut enim eiuſmodi interpretationes ridiculæ ſunt, ita & illa explicatio, quam Molinæus adhibet verbis Theophili Alexandrini, *panémque Dominicum quo Saluatoris corpus oſtenditur*, hoc eſt non exhibetur reipſa, ſed tantùm figuratur & ſignificatur. At demus tamen ex ſpecialiſſima indulgentia, hîc, *oſtenditur*, ſumendum eſſe pro ſignificatur, quid inde ſibi Molinæus comparabit? Non negamus, corpus Domini realiter exiſtens in Sacramento, externis ſymbolis ſeu ſpeciebus panis & vini (quibus obtegitur) indicari, ſigna enim ſunt, ſed rei præſentis non abſentis, vt corpus hominis verum eſt ſignum animæ ſub eius externa forma latentis, & tamen inexiſtentis & operantis per ipſa organa corporea quæ animat, & in actum reducit. Quòd ſi pertinaciùs adhuc Molinæus contenderit Theophilum loqui non de pane reipſa mutato in corpus Domini, ſed de pane exiſtente tam in ſpecie quàm ſubſtantia, qui proinde ſit nudum ſignum & indicium corporis Chriſti: tum adhuc plana & peruia fue-

rit ex ipſo textu Theophili reſponſio, illum loqui ſcilicet de pane ante conſecrationem. Inſtabit forte, *ſed vocat illum panem Dominicum?* Reſpondeo, quia aſſumitur vt ſit materia conficiendi corporis Chriſti: at poſt conſecrationem, rectè itidem ait, *per eum corpus Domini oſtendi*, id eſt exhiberi & dari nobis ſub his externis ſymbolis. Quamobrem notanter ſubiungit, illum frangi in ſanctificationem noſtram; *Sanctificari enim* (vt ſcilicet ſit Domini corpus) *per inuocationem & aduentum Spiritus ſancti.* Cæterùm quia hìc quæſtio eſt de vero ſenſu Theophili Alexandrini, ipſe ſui ipſius interpres prodeat; is verò epiſtola Paſchali 2. paulo ante medium verè inſigniter & eleganter ait: *Ad eos ſolos illa verba Domini pertinere, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum; bibite, hic eſt ſanguis meus; pro quibus Chriſtus crucifixus eſt: Paſſus eſt autem pro ſolis hominibus, & non pro dæmonibus, vt Origenes ſomniabat.* Igitur ad ſolos homines ſpectat huius ipſius corporis quod cruci fuit affixum, & huius ſanguinis qui in cruce effuſus eſt, participes fieri; *A Domino etenim nunquam ſolutum iri mandatum ſuum, nolite dare ſanctum canibus, nec mittere margaritas ante porcos.* Diabolos igitur non poſſe ſanguinem Domini bibere, quia non pro ipſis effuſus fuit ille ſanguis, qui fidelibus in ſacro calice propinatur. Hac igitur ratiocinatione palam eſt, Theophilum non figuram & ſignum duntaxat Chriſti corporis & ſanguinis, ſed rem ipſam nobis hìc in diuino myſterio communicari, credidiſſe. Quod & hoc eiuſdem argumentum, quo Origenem ad abſurdum deducit, patenter demonſtrat. *Si enim & pro dæmonibus crucifixus eſt* (*Chriſtus*) *quod erit priuilegium, aut quæ ratio, vt ſoli homines corpori eius ſanguiníque communicent: & non dæmones quoque pro quibus in paſſione ſanguinem fuderit?* Subindicans effuſum fuiſſe ſanguinem in cruce, vt in calice biberetur. Eundem igitur eſſe ſanguinem; quem ideo ſoli bibere poſſunt, pro quibus fuit effuſus. Vnde notat nunquam dæmonibus dictum fuiſſe, *accipite & bibite*, ſed hominibus tantùm. At de Theophili ſententia ſatis ſupérque.

§. VIII.

De teſtimonio S. Hieronymi, iterum: Cuius auctoritate abuti nititur Molinæus.

PORRO Molinæus de ſua cauſa diffiſus, tribunalia mutat, & à Theophilo Alexandrino ad S. Hieronymum ocyùs tranſuolat, capta occaſione ex epiſtola liminari ipſius B. Hieronymi ad præfatum Theophilum, qua Paſchales eius Epiſtolas de Græco in Latinum conuerſas ſermonem, ad ipſum remittit. Ex verbis ſiquidem S. Hieronymi nouas argutias quærit, quibus corporis Domini in Euchariſtia ſi non poſſit euertere veritatem, ſaltem eiuſdem in hoc tremendo myſterio adorationem amoliatur.

MOLINÆVS.

MIRATI *ſumus* (inquit Hieronymus ad Theophilum) *in opere tuo vtilitatem omnium Eccleſiarum, vt diſcant qui ignorant, eruditi teſtimoniis*

Scripturarum, qua debeant veneratione ſancta ſuſcipere, & altaris Chriſti miniſterio deſeruire, ſacróſque calices & ſancta velamina & catera quæ ad cultum Dominicæ pertinent paſſionis, non quaſi inania & ſenſu carentia, ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini, eadem qua corpus eius & ſanguis maieſtate veneranda. Atqui (infert Molinæus) *velamina & calices non debent adorari cultu latriæ, qui ſoli Deo debetur. Vnde patet ex S. Hieronymi ſententia quòd corpus & ſanguis Chriſti, de quibus hîc loquitur, non ſint adoranda ſuprema adoratione, ideóque corpus illud non eſſe corpus Chriſti verum & naturale, ſed myſticum & Sacramentale; neque enim credendum eſt S. Hieronymum, ita profanum fuiſſe aut ignarum, vt voluerit velamina & calices adorari pari & æquali adoratione, quæ ipſi Chriſto debetur. Quamobrem non dicit hoc corpus & hunc ſanguinem, vti nec calices, nec linteamina adoranda eſſe, ſed tantùm veneranda.*

RESPONSIO.

QVID ſenſerit & crediderit S. Hieronymus de adoratione diuinæ Euchariſtiæ, ſeu ipſius Chriſti realiter in hoc myſterio exiſtentis, ſuprà, vbi ex inſtituto de eius teſtimonio cum Molinæo actum eſt, luculenter fuit demonſtratum. Quamobrem hîc non tam de ſententia S. Hieronymi circa hanc fidem ac ritum Eccleſiæ, quàm de Molinæi impudentia & effrænata malitia mihi diſſertandum incumbit. Certè vix vllus apud S. Hieronymum, vel quempiam Patrum locus eſt hoc illuſtrior, vel validior ad confirmandum dogma de vera & reali præſentia corporis Chriſti in diuino altaris myſterio, & ad hæreſim Sacramentariam, quam Molinæus deſperata audacia propugnat funditùs euertendam. Sanè incredibilem pietatis affectum in præcordiis gerebat erga diuina altaris myſteria S. Hieronymus, quæ ita reuerebatur, vt quamuis eſſet Presbyter non tamen auderet incruentum, ſed tremendum hoc ſacrificium celebrare (ſicut ſignato loco inſinuauimus) & hoc incenſus deuotionis ardore, non ſolùm ipſam ſacratiſſimam Euchariſtiam ſupremo honore venerabatur, ſed quicquid ad eius cultum conferebat, altare, calices, velamina, veſtes Sacerdotales & vniuerſum diuini ſacrificij apparatum ac adminicula quæque, eximiâ proſequebatur reuerentiâ. Cùm igitur error ſerperet, quem plerique Origeni referebant, non ineſſe rebus inanimatis & ſenſu carentibus vllam ſanctitatem, proinde nec reuerentiam aliquam illis deberi, commodè accidit vt Theophilus Alexandrinus Epiſtolas illas Paſchales contra errores Origeniſtarum ſcriberet. Græcè autem cùm editæ eſſent, optauit Theophilus, quo in plurium notitiam peruenirent has in Latinum eloquium verti. Laude verò peritiæ vtriuſque linguæ & doctrinæ imprimis eminentis, quod ſciret ſanctum Hieronymum præſtare ſecúmque paradoxis Origenis aduerſari, ab eo ſupplex popoſcit, vt ſuas prædictas epiſtolas Latina phraſi donare non dedignaretur. Annuit vltro tanti Epiſcopi poſtulatis S. Hieronymus, cui & inter cætera in his epiſtolis præclara illud fuit pergratum, quod res etiam ſenſu carentes ſanctificationis capaces & ideo venerationis Theophilus aſſerebat. Hinc enim inferri rectè cenſuit B. Hierony-

mus, omnia ſacri altaris ornamenta, ſed maximè diuini myſterij adminicula præcipua, ſcilicet calices & velamina magna in reuerentia apud omnes Chriſti fideles habenda eſſe. Hoc de aſſerto theoremate itaque Theophilo gratulatur: déque theſi ad hypotheſim deſcendens, rémque totam dilucidiùs exponens, inſigni hac ſententia concludit. Eiuſmodi Theophili doctrina diſcere poſſe qui ignorant iam teſtimoniis Scripturarum eruditos, qua debeant veneratione Sancta ſuſcipere & altaris Chriſti miniſterio deſeruire; ſacróſque calices & ſancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent paſſionis, quaſi inania & ſenſu carentia, ſanctimoniam non habere: ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini, eadem quà corpus eius & ſanguis maieſtate veneranda. Qua in breui, ſed planè inſigni periodo, pleraque magna complexus; aduerſus hæreſim Caluiniſticam, quot profert verba, tot certè vibrat fulmina. Primò etenim, cultum Euchariſtiæ, quam *Sancta* per ſingularem excellentiam appellat, niti dicit teſtimoniis Scripturarum. Secundò, hanc non modò eſſe Sacramentum, ſed inſuper ſacrificium patenter agnoſcit, vnde vocat huius myſterij actionem *altaris Chriſti miniſterium*, & cultum perpetuum eius paſſionis. Tertiò, velamina quibus vt ſindone munda in ſepulchro Chriſti corpus inuoluitur, ſancta; & calices, quibus pretioſus liquor Dominici ſanguinis infunditur, ſacros nuncupat. Quartò, hanc ſanctimoniam docet contrahere ex conſortio corporis & ſanguinis Domini; quæ ideo ſupponit hîc verè & realiter exiſtere, eſſéque fontem adeo copioſum ſanctitatis, vt etiam in res ſenſu carentes eam tranſpirent ac effundant. Quintò, hinc aſſerit meritò veneranda eſſe ipſa ſacra adminicula, non qualicumque honore, ſed eadem maieſtate, qua ipſa diuina myſteria quorum celebrationi deſeruiunt, quia ſcilicet vt per illa ſanctificantur, ſic propter illa eiuſmodi veneratione coluntur, externa videlicet, non interna*; relatiua, non abſoluta, conſequente non antecedente, effecta non cauſante, neque primaria ſed ſecundaria, deriuatiua & dependente; non ſolida & permanente, ſed tranſitiua, non enim ſemper, ſed pro eo tempore tantùm quo vaſa illa ſacra ſeu inuolucra ſunt in vſu, v. g. dum ſanguis Domini eſt actu in calice, & corpus ſuper patenam vel ſindonem; tum enim, vt quid non quidem abſolutè vnum, ſed aliquo modo coniunctum cum ipſo ſanguine conſideratur. Extra actualem tamen vſum, aliquod ius venerationis hæc inferioris retinent, quam ſcilicet ex contactu corporis & ſanguinis Domini, ipſóque effectu benedictionis, vel conſecrationis contraxerunt. Nota.

Verùm contrà obiicit Molinæus, expreſſis verbis S. Hieronymum dicere, hæc ipſa adminicula diuini myſterij ex conſortio corporis & ſanguinis Domini eadem qua corpus eius & ſanguis maieſtate veneranda: quod dici verè non poſſet, ſi corpus Chriſti naturale, eſſe realiter in Euchariſtia, à S. Hieronymo cenſeretur. At nihil aliud intendit dicere S. Hieronymus, niſi quòd ſimul & coniunctim honorantur,

non eodem abſolutè cultu, quamuis eodem actu externo, & hoc non per ſe & propter ſe, ſed vt ſunt appendices & acceſſoria rei principalis, hoc decus ſcilicet mutuari ex conſortio, vt expreſſè ait, corporis & ſanguinis Domini. De ſancti Petri vinculis ſanctus Auguſtinus ſermone 28. de SS. verè & citra omnem reprehenſionem dixit, meritò per omnes Eccleſias auro pretioſius haberi ferrum illud pœnalium vinculorum, quæ ſacris impreſſa membris, vim ſalubritatis de ipſo Apoſtoli corpore attrahere meruerunt. Et ne ab ipſo Domino diuagemur, fimbriam veſtimentorum eius propter contactum ſaluriferæ eius carnis, vim ſanandi contraxiſſe mulier hemorroiſſa credidit, & hanc tetigit, vt non ſine fide, ſic nec abſque metu & reuerentia. Gratum hunc pium affectum Chriſtus habuit, vt cultum ſibimetipſi delatum; *Vade in pace* (ait) *fides tua te ſaluam fecit.*

Matth. 9. 22. Marc. 5. 28.

§. IX.

Molinæum falsò criminari ſanctos Patres Auguſtinum & Hieronymum, quod fuerunt auctores diſtinctionis ſæpiùs ab ipſo inducta ac inculcata: videlicet inter Chriſti corpus verum & naturale, & corpus Sacramentale ſeu repræſentatiuum; quod in Euchariſtia tantùm eſſe Molinæus ipſe contendit.

MOLINÆVS.

» VT tandem noſtra redeat vnde fluxit oratio, S. Hieronymus nos
» docuit, duo eſſe Chriſti corpora, quemadmodum habetur can.
» *Dupliciter*, qui ex eius Commentariis (ſcilicet in epiſt. ad Epheſios
» c. 1.) depromptus eſt, & refertur, *de Conſecrat.* diſt. 2. c. 49. hac ſerie, *Dupliciter intelligitur caro Chriſti & ſanguis, vel ſpiritualis illa atque diuina, de qua ipſe ait, caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus &c. vel caro quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea.*

RESPONSIO.

APOSTOLVS graphicè depingens hæreticos, acutéque perſtringens, dicit ad Timotheum *eos non intelligere neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Molinæus infelici de ſe exemplo Apoſtolici huius oraculi veritatem confirmat. Imponit S. Hieronymo, eum diſertè docuiſſe, eſſe duo Chriſti corpora diſtinguenda ab inuicem, alterum naturale & verum quod cruci affixum eſt; alterum verò Sacramentale myſticum, & repræſentatiuum. Illud adorandum quidem; at verò iſtud duntaxat longè inferiori honore venerandum. Argumentum eſt ab auctoritate S. Hieronymi. Quærimus vbi hoc dixerit ſanctus ille Doctor? reſpondet citari ex eo canone *Dupliciter.* de Conſec. diſt. 2.* At hîc ne verbum quidem, quo Molinæus probet id quod S. Hieronymo, appingit reperire eſt. Attendat quæſo Molinæus verba ipſa, quæ tanquam propria S. Hieronymi allegans, inſignioribus characteribus exprimit. Non dicit S. Hieronymus Chriſtum duo habuiſſe, vel

1. Tim. 1. 7.

* Sumptus eſt iſte canon, ex Commentario S. Hieron. ſup. 1. cap. ep. ad Epheſ.

vel habere corpora, ſed tantùm *dupliciter intelligendam eſſe Chriſti carnem & ſanguinem.* Id porrò non eſt dicere Chriſtum habere duo corpora (ſicut ſupponit Molinæus) vel duplicem carnem, aut duplicem ſanguinem, ſed tantùm duplici modo carnem eius conſiderari, vno modo vt erat in cruce ſuſpenſa, altero vt in magno pietatis Sacramento, Euchariſtiâ ſcilicet nobis communicatur. Eſſe etenim quoad modum exiſtendi diuerſam, porro eandem in ſubſtantia vnicámque. Nam ſicut nemo negat, carnem quæ in cruce immolata eſt, eſſe veram carnem Chriſti, veri Dei & hominis: ſic ea quam nobis communicat in hoc ineffabili myſterio, & de qua dicit *Caro mea verè eſt cibus, & niſi manducaueritis carnem meam &c.* vera eſt ipſa Chriſti caro, quam ideo *diuinam* S. Hieronymus appellat, ſed quia alio modo exhibetur, eam itidem *ſpiritualem* inſcribit; non quòd ſit imaginaria caro, vel corpus phantaſticum, aut etiam ſpiritus: ſed quia iam glorioſa & immortalis, ſpirituali modo nobis datur. Sic Apoſtolus cùm de ſtatu loquitur mortalitatis & immortalitatis, ad Corinthios ſignanter de vno eodémque numero corpore dicit, *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* An ideo duo reipſa corpora, vel duplex corpus? neutiquam, ſed vnum idémque duplici modo conſtitutum & conſideratum. Ita planè S. Hieronymus ait, carnem Chriſti vnam eſſe eandémque; cæterùm propter vnionem perſonalem ad Verbum, ſemper humanam & diuinam, dupliciter eſſe intelligendam, vel vt eſt in altari propoſita, vel vt in cruce fuit immolata, ſicut & ſanguis vt in cruce effuſus fuit lanceâ militis, vtque in altari Deo litatur & nobis exhibetur miniſterio Sacerdotis. Vtrobique enim reipſa eandem eſſe, quamuis diuerſo modo in vtroque ſtatu ſit à nobis conſideranda. Cæterùm fruſtra ſibi Hieronymum conciliare Molinæus contendit, qui totus noſter eſt, vt §. 5. euidenter oſtendimus. At dictis hoc illud eiuſdem ſimplex & perſpicuum teſtimonium accedit, ex Epiſt. ad Hedibiam, q. 1. *Nos audiamus* (inquit) *panem quem fregit Dominus, dedítque diſcipulis, eſſe corpus Domini Saluatoris.* Abſolutè nimirum & ſine vlla modali diſtinctione, vel reali differentia. Corpus, inquam, illud Domini verum & vnicum; quod Apoſtoli (vt idem ſanctus Doctor in Pſ. 21. obſeruat) *manducauerunt & adorauerunt.*

Ioan. 6. · *1. Cor. 15.*

MOLINÆVS.

SIC & S. Auguſtinus ſuper Pſ. 98. Communicantes corpori Chriſti in Euchariſtia eius in perſona monet: *Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt illi qui me crucifigent.* Aliud igitur corpus manducant, nempe corpus myſticũ & Sacramentale.

RESPONSIO.

NOLVIT *intelligere* Molinæus *vt bene ageret.* Nam ſi locum ipſum quem citat, fideliter recitaret, facilè pateret quàm turpiter, vel fallitur, vel fallere cupit. Proximè enim ſequentia B. Auguſtini verba apertè euincunt, longè admodum eſſe eius mentem ab ea perſuaſione, quam ei Molinæus imponere non veretur: ſubiungit etenim immediatè *Pſal. 35. 4.*

S. Auguſtinus *ipſum quidem, & non ipſum, ipſum inuiſibiliter*, (quia ſcilicet realiter ſub ſpeciebus panis & vini continetur) *& non ipſum viſibiliter;* quia quoad externa illa ſymbola non corpus conſpicitur, ſed panis aut vinum apparet. Sed Molinæus de induſtria inſignia illa verba ſuppreſſit, quibus & vera S. Auguſtini ſententia, & ſua proiecta malitia manifeſtè patet.

Hactenùs Molinæus, ex Sophiſta Leidenſi, Doctoris Theologi nomen ambierat; Iuris autem Canonici, quia iam lauream facultatis affectat, Canonum peritiam geſtit profiteri, ideóque Canones, aliàs ſibi multis de cauſis parum gratos, nunc allegat, quibus ſectæ ſuæ opiniones tueri nouo quidem, ſed infelici auſu conatur. Erumpit iterum igitur, & ex hoc penu canonem vibrat, qui incipit *de hac hoſtia*, eadem diſt. 2. Audiamus ergo illum iterum, & videamus num audendo, quicquam, vel *in peius* (vt dicit Apoſtolus de heterodoxis) *proficiat?*

2. Tim. 3. 13.

MOLINÆVS.

CANON ſignatus ſic habet: *De hac quidem hoſtia, quæ in Chriſti commemorationem mirabiliter fit, edere licet: de illa verò quam Chriſtus in ara crucis obtulit, ſecundùm ſe nulli edere licet. Notate*, inquit, *hæc verba, Non licet manducare in reipſa*, vel in ſeipſa, carnem Domini immolatam in cruce. His enim apertè declaratur fas eſſe quidem edere de hac hoſtia in Sacramento ſeu myſterio, at manducare de ipſa hoſtia, in ſe ** non licere, &c.*

*hîc eſt Molinæi virus.

** iterum hîc

RESPONSIO.

SI ſincerè Molinæus verba Canonis referret, reſponſione nulla opus eſſet: ſed fraus, qua ſuam argutiam fulcit, eſt clara & perſpicua. Si frontem habet Molinæus, ſi conſcientiam, ingenuè agnoſcat quam hîc admiſit falſitatem. Dicit auctor huius Canonis (qui B. Hieronymus ſignatur) *de hoſtia quam Chriſtus in cruce obtulit, ſecundùm ſe nulli licet edere.* Mutat verba vt ſenſum corrumpat Molinæus, & ſupponit *in ſeipſa*, vel *reipſa*, pro *ſecundùm ſe*, quemadmodum eſt in textu. Verùm magna eſt inter vtrumque differentia. Nam ſi non licet de hac hoſtia, quæ in cruce oblata eſt, edere in ſeipſa; de ea verò quæ Euchariſtia eſt licet edere: neceſſarium eſt, vt hæc illa non ſit, nec illa iſta, ſed ſint reipſa diuerſæ. At auctor Canonis, de vna eadémque hoſtia, quoad rem loquitur, quæ tamen diuerſo modo conſideratur, ſcilicet vt cruenta in cruce, & vt incruenta in altaris myſterio. De hac edere licet, vt eſt incruenta, ſub ſpeciebus panis & vini *mirabiliter* (vt ait) conſtituta. At de ea, vt in cruce oblata fuit, non licet edere SECVNDVM SE, id eſt ſecundùm eum ſtatum exiſtendi quo in cruce erat, cruenta ſcilicet & dilaniata flagellis, confixa clauis, compuncta ſpinis, lanceâ tranſuerberata, totáque plagis, liuore & ſanguine conſperſa. Ampliùs non eſt eo in ſtatu Chriſtus, nam ex quo *reſurrexit à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur;* fuerunt priores eius *paſſiones* at tranſitiuæ; *poſteriores verò gloriæ*, ſed æternæ ſunt, & immutabiles: vnde Apoſtolus, *Chriſtus Ieſus heri & hodie, idémque per ſæcula.* In cruce igitur idem Chriſtus erat paſſibilis, ſed non manducabilis: at in

1. Pet. 1. 11.

Heb. vlt.

altaris Sacramento eſt quidem manducabilis *, ſed impaſſibilis, quia iam glorioſus & immortalis, ideóque verè quidem hic ipſe ſumitur, ſed non conſumitur; éſtque eadem hoſtia quæ erat in cruce; hîc etiam poſita in altari, ſed modo & qualitate tantùm diuerſa, quia ſcilicet incruenta & impaſſibilis: Et ideo, vt expreſſim dicitur in citato canone, *mirabiliter oblata.* Hoc eſt quod præclarè S. Ambroſius declarat, vt ex dictis eius refertur eadem diſt. 2. c. 53. *In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos &c. Nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem mortis eius;* ET VNA EST HOSTIA, NON MVLTÆ. *Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel oblatus eſt Chriſtus: hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius; Idipſum & ſemper idipſum; proinde vnum eſt hoc ſacrificium, alioquin, quomodo in multis locis offertur? Multi ſunt Chriſti? nequaquam. Sed vnus vbique eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur vnum eſt corpus & non multa corpora, & ita vnum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt qui hoſtiam obtulit nos mundantem; ipſam autem offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata, conſumi non poteſt.* S. Auguſtinus idem omnino apud Proſperum profitetur, hac inſigni ſententia qua aduerbium, *mirabiliter*, poſitum in citato canone, *de hac hoſtia*, præclarè prorſus & diuinè declarat. *Vtrum ſub figura*, inquit, *an in veritate hoc myſterium, calicis Sacramentum fiat? Veritas ait, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Alioquin quomodo verum erit: panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita; niſi ſit vera caro? ſed quia Chriſtum vorari dentibus fas non eſt, voluit Dominus hunc panem, in myſterio* (altaris) *verè carnem ſuam & ſanguinem ſuum creari, & quotidie pro mundi vita myſticè immolari, vt ſicut de virgine per Spiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem corpus Chriſti conſecretur. Corpus Chriſti & veritas eſt & figura, veritas dum corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus ſancti* * *in veritate ipſa ex panis & vini ſubſtantia efficitur. Figura verò eſt, id quod exterius ſentitur.* Idem verò apud eundem vt refertur eadem diſt. c. 41. *Nos autem in ſpecie panis & vini, quam videmus res inuiſibiles, id eſt Chriſti carnem & ſanguinem honoramus, &c. cùm fideliter fateamur ante conſecrationem eſſe panem & vinum, quod natura formauit; poſt conſecrationem verò Chriſti carnem & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit.* Nec eſt quòd Molinæus excipiat loqui Auguſtinum de corpore myſtico & repræſentatiuo ſeu Sacramentali, non autem de vero & naturali corpore, nam ſuprà proprio loco auditus ipſe Auguſtinus expreſsè dixit, *Hanc carnem, quam diuino in myſterio ſumimus & adoramus, eſſe eam ipſam Chriſti carnem, in qua ipſe dum apud nos eſſet ambulauit, & quam Apoſtoli olim viſibiliter adorauerunt:* prout etiam ſancti Patres Ambroſius & Hieronymus, ſuprà citatis locis, nixi ſacræ Scripturæ auctoritate, aſſeuerârunt.

* Excuſabit lector hanc vocẽ: poterat dici, *comeſtibilis*, ſed hæc non melior videtur. Theologi duras admittunt locutiones, modò ſint veræ & orthodoxæ.

Refertur eadẽ diſt. c. 72.

* *In virtute ipſius.* Sed hæc lectio non quadrat cum præmiſſis.

§. X.

Diſtinctionem illam falſiſſimam & pernicioſiſſimam eſſe.

MOLINÆVS.

ISTA *diſtinctio duplicis generis corporis Domini, veri & myſtici, naturalis & Sacramentalis, clauis eſt vnica, ad Patrum dicta hac in cauſa rectè & appoſitè interpretandum. Hinc non mirum eſſe debet ſi Cardinalis Peronius vbique à ſcopo vero, ſcilicet ipſorum Patrum intellectu aberrat, plurimáque eorum teſtimonia incaſſum coaceruat. Nec enim hanc diſtinctionem aduertit, de qua totius ſui operis nullo loco meminit.*

RESPONSIO.

Apoc. 9. CLAVIS illa non eſt clauis cœli, *ſed clauis abyſſi*, cuius puteum aperit, qui tetrum fumum euomit ad ſolem obſcurandum. Sol enim iuſtitiæ, quin & gratiæ Chriſtus eſt, & quia in Euchariſtia realiter exiſtit, eſt hoc Sacramentum velut ſol militantis Eccleſiæ. Quò ſpectat *Pſal. 18.* propheticum illud, *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Nam hinc vniuerſam Eccleſiam ſplendore ſuæ præſentiæ illuminat, ſuæque gratiæ virtutem in animas fideles transfundit; humanitas eſt tabernaculum diuinitatis, & Sacramentum hîc ipſius humanitatis habitaculum, quo Emmanuel noſter ſeſe nobis manifeſtat & communicat: Nihil hoc tabernaculo ſplendidius, nam hoc eſt Chriſtus verus Deus & homo; tantáque verborum claritate ſuam hîc præſentiam ſtatuit, vt meridiana luce ipſa ſint eius verba clariora. *Hoc*, inquit, *eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus*, quid apertius dici poteſt? At nefanda Sacramentariorum hæreſis, è puteo abyſſi infernalis exorta, ſolis huius ſplendorem, cimmeriis pluſquam tenebris inumbrare, effuſa innumerorum paradoxorum, ſophiſmatum, ænigmatum, ambagum, præſtigiorum, chimærarúmque caligine, vt ſolem quaſi de mundo ſuſtuliſſe (niſi fides Catholica putidas eiuſmodi exhalationes ſua virtute diſcuteret atque depelleret) paſſim iam omnibus videretur. Prodiit anno 1577. libellus, in quo ducentæ numerantur iſtorum hæreticorum variæ interpretationes, ſeu potiùs deprauationes horum Chriſti verborum, *hoc eſt corpus meum.* Eò tamen omnes contendunt, vt Chriſti corporis & ſanguinis veritatem hoc ex venerabili Sacramento ſubmoueant. Compendio Molinæus videri vult certas opiniones illas omnes ſe amplexum: Clauem inuenit (ſi ei credatur) ſcientiæ, qua promptè & expeditè arcanum huius Sacramenti totum reſeratur. *Corpus Domini*, inquit, *duplicis eſt generis, ſcilicet verum & naturale, quod eſt in cœlo ſedens in gloria Dei Patris: Et corpus myſticum, typicum, & repræſentatiuum, quod in Euchariſtia nobis communicatur. Hac adhibita diſtinctione omnia argumenta diſſoluuntur, quæ Theologi Romani pro aſſerenda vera Chriſti corporis in hoc Sacramento exiſtentia proponunt, omniáque ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ pro hac reali præſentia ab iis afferri ſolent facilè explicantur, & percommodè ad eum ſenſum reuocantur.* Sed antequam accuratiùs reſpondeam, peto à Molinæo, vbi hanc clauem inuenerit, & à quo illam acceperit? Certè non

eſt clauis Dauid, quam Spiritus ſanctus Chriſti propriam futuram eſſe per prophetas prædixerat; ſed falſa clauis Salomonis*, quam fabricauit mendacij pater, & qua filij perditionis ad omnem impietatem & opera nequitiæ abutuntur; ſic enim clauis iſta, quam ſe inueniſſe Molinæus gloriatur, ad euertendum magnum pietatis Sacramentum, & Chriſti teſtamentum deſtruendum; quo in eximij teſtimonium amoris Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dilectiſſimæ, corpus ſuum verum & proprium ſanguinem dedit, in ipſa nocte qua tradebatur ad mortem, cùm per paſſionem ſuam mox redemptione noſtra conſummata, ad patrem erat tranſiturus. Illa ſiquidem diabolica diſtinctio, totum hoc eius in nos ardentiſſimæ charitatis opus euacuat, pignúſque ipſum tanti amoris pretioſiſſimum, & in quo quicquid Saluator ipſe nobis contulit vel promiſit repoſitum eſt, nobis eripit, & diripit. Aſinum ferunt aliquando ſe pelle leonis induiſſe, vt leo & non aſinus putaretur: ſed à patulis auribus & ruditu aſinino confeſtim apparuit, ſub pelle leonina nihil aliud quàm àſinum exiſtere. Diſtinctio illa, de qua tantopere Molinæus gloriatur, etſi terminis ad fucum de induſtria quæſitis compoſita: nihil aliud eſt quàm mera Berengariana hæreſis, ſæpe ſæpius ab Eccleſia Catholica, damnata, & à proprio auctore ſuo etiam reprobata. *Ego Berengarius* (ait in numeroſa ſynodo*) *cognoſcens veram Catholicam & Apoſtolicam fidem anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam de qua hactenùs infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem ſolummodò Sacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe.* Quid aliud dicit Molinæus, quàm verum Chriſti corpus eſſe tantùm in cœlo, porro in Euchariſtia eſſe corpus tantùm Sacramentale & typicum ſeu repræſentatiuum? quid enim hoc eſt dicere, niſi Chriſtum in Euchariſtia non aliter eſſe quàm in ſolo ſigno & figura; ipſámque ſacram Euchariſtiam nihil aliud quàm purum panem eſſe, non autem Chriſti corpus, niſi dumtaxat typicè & repræſentatiuè. At quæſo hîc reſpondeat quæſtioni, ab Epiphanio olim propoſitæ in VII. Synodo generali Act. 3. *Vbinam hoc quod pro dogmate certo venditas ſcriptum in diuino codice, vel etiam in libris Patrum reperiſti? Certè nunquam inuenies neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud ſacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe, verùm ipſum corpus & ipſum ſanguinem.* Si habet Molinæus *aurem audiendi audiat*, ſicque reſpondeat, vt quod ſupponit pro fundamentali dogmate, de fide tanti myſterij, verbo Dei niti ac confirmari palam faciat. Dicat quæſo apertè vbinam illa diſtinctio de duplici Chriſti corpore (quorum illud, quod verum & proprium eſt, ſurſum ſit tantùm in dextera patris: alterum verò ſcilicet Sacramentale & figuratiuum, in Euchariſtia ſolùm habeatur) ſcripta legitur?

*Clauicula Salomonis, liber eſt pernicioſiſſimus, de quo obiter & cum horrore meminit Cardinalis Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Salomone.

*Romana ſub Nicolao II. de qua Lanfrancus Algerus, aliíque contemporanei auctores.

Axioma hoc profectò S. Auguſtini veriſſimum eſt: *Nihil eſt obſcurè dictum in Scripturis, quod ſpectat ad fidem, vel mores, quod non planiſſimè dictum ſit in aliis locis.* Negare non poteſt Molinæus myſterium Euchariſtiæ ad fidem pertinere, ſi ergo quod dicit de fide & doctrina huius

Lib. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 6. & 9.

Sacramenti verum eſt, quonam loco veteris vel noui Teſtamenti conſignatum ſit, oſtendat. ſi enim obſcurè quibuſdam locis traditum eſt, aliis plerìſque claris & perſpicuis oportet fuiſſe explicatum.

At tantùm abeſt vt hoc quod ait fundamentale dogma de fide, ſeu præcipuum theorema de Euchariſtia: nempe diſcrimen illud corporis naturalis & Sacramentalis alicubi expreſſum ſit in Scriptura, quòd prorſus ipſa Scriptura contrarium planè pronunciat & conuincit. Paucis verbis, ſed quàm euidenti demonſtratione, id oſtendo. Quæſo igitur nobis edicat Molinæus, qualenam corpus Chriſti credat fuiſſe pro noſtra redemptione in ara crucis immolatum? Verúmne & naturale, an typicum duntaxat & myſticum? abſque dubio verum & naturale in cruce oblatum fuiſſe reſpondebit. Atqui Scriptura expreſſè teſtatur, idem ipſum corpus quod cruci fuit affixum, & ſanguinem ipſum qui in paſſione effuſus eſt, nobis in Euchariſtia dari & exhiberi. *Ego enim* 1. Cor. 11. *accepi à Domino* (inquit Apoſtolus) *quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit & dixit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur:* Igitur proprium & naturale corpus eius eſt, non typicum & repræſentatiuum: ſiquidem verum & naturale ſuum corpus, in cruce pro nobis tradidit & immolauit. Quamobrem & de calice ait: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis fundetur in remiſſionem peccatorum.* Atqui ſanguis qui in cruce pro redemptione noſtra effuſus eſt, proprius & naturalis eſt Chriſti ſanguis; vnde ſcribit ad Hebræos Apoſtolus c. 9. *Per proprium ſanguinem introiuit in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Igitur idem ipſe ſanguis eſt, qui nobis in ſacro calice exhibetur. Falſa igitur eſt Molinæi diſtinctio, cùm ſit expreſſis verbis Domini contraria, qui ſanè melius quouis alio & ſcire potuit quod nobis in diuino hoc myſterio communicabat, & quibus verbis vt mentem ſuam nitidè aperiret, intentum ſuum exprimendum fuerit. Cæterùm clariùs non poteſt loqui, vt teſtatum faceret ſe nobis ipſum corpus ſuum proprium dare: quemadmodum enim Ioannes Baptiſta dicendo diſcipu-
Ioan. 1. lis ſuis tranſeunte Chriſto, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* ſine ambiguitate aſſerebat Chriſtum quem videbant tranſeuntem, eſſe illum ipſum agnum qui morte ſua mundum erat redempturus, nec fore alium à quo peccatorum noſtrorum efficienda foret remiſſio. Sic Chriſtus dicendo, *hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur, in remiſſionem peccatorum,* manifeſtè docuit, non aliud corpus hîc ſe porrigere, quàm quod in cruce oblaturus erat, nec alium tunc fuſurum ſanguinem, ab eo quem nunc nobis in calice propinabat, proindéque vtrobique rem ipſam à ſe exhiberi, non autem illic rem, iſthic verò figuram. Tunc enim, vt ipſe ſuis Apoſtolis inſinuat, ſuum ſanciebat teſtamentum, in quo tropis & figuris locus non eſt. Nam ſi vnquam clarè & apertè ſit loquendum, tum verò maximè cùm teſtamentum conditur: in quo teſtatoris poſtrema voluntas ac ſincera intentio, verbis eſt apertiſſimis ac liquidiſſimis exprimenda.

Ad Patres iam veniamus, quos vt ſe ſenſiſſe, de duplici corpore Domini, nempe naturali (quod ſolum ſit in cœlo) & Sacramentali ſeu typico (quod in Euchariſtia nobis tantùm communicetur:) Molinæum aſſerere non puduit: adeóque hoc titulo gloriari, quòd illa diſtinctio ſit clauis vnica, ad ſenſum Patrum genuinum cognoſcendum. At verò Patres, quos vt ſuos nominatim citauerat, vadimonium petere, & ſe abhorrentes ab eius impoſtura profiteri, ſuprà locis propriis oſtendimus. Cæteros quos conglobatim ſibi iactat aſſentiri, non minùs ipſimet aduerſari, iam promptum eſt euictum ire. Theologi polemici qui cauſam fidei Eccleſiæ Catholicæ aduerſus hanc hæreſim propugnârunt, per ſingulas ætates productis Patrum teſtimoniis, eorum ex vnanimi ſententia ipſam fidem, quam etiamnum Eccleſia Catholica profitetur, verè Chriſtianam & Catholicam eſſe apertiſſimè demonſtrârunt. Hæc verò Patrum, quam retinemus ac tuemur, intemerata fides, pleriſque argumentis quæ ad certa principia reuocantur, fit perſpecta*. *Primum* eſt depromptum ex conſtanti Patrum enunciatione, perpetuóque modo loquendi quo vtuntur, dum hoc de myſterio verba faciunt, nam paſſim Euchariſtiam appellant *corpus ipſius Domini, eiúſque ſanguinem, vocántque* ** *pretium noſtrum, tremenda myſteria, pignus ſalutis, antidotum mortis, pharmacum immortalitatis, eſcam cæleſtem, & diuinam, nutrientem ad vitam æternam, gratiæ & benedictionu fontem perennem.* Longè ſunt Nouatores ſectarij ab his loquendi modis: Euchariſtiam etenim ſimpliciter vocant *Cœnam, panem & vinum, ſymbola, ſigna, & figuram ſimplicem corporis & ſanguinis Domini. Secundum*, ſumitur ex inſigni differentia, quam ponebant inter ſacrificia & Sacramenta veteris legis, & hoc ſanctiſſimum myſterium: Manna etenim, agnum paſchalem, panes propoſitionis & ſimilia, vmbras & figuras appellabant: at verò Euchariſtiam, rei, corporis & veritatis nomine inſigniebant, quin rem cenſebant planè diuinam, cœleſtem, & incorruptibilem, infinita excellentia quælibet Sacramenta & ſacrificia antiquæ legis exſuperantem. *Tertium* attenditur ex comparatione quam faciunt Patres huius myſterij cum myſterio Incarnationis, nam & Euchariſtiam vocant Incarnationis extenſionem; confirmant ex hoc myſterio cæterorum fidei noſtræ arcanorum veritatem: puta diuinarum perſonarum circuminſeſſionem, animarum noſtrarum ſanctificationem, corporum reſurrectionem, rerum non apparentium certam per fidem cognitionem. *Quartum principium* ducitur ex iis locis, quibus Patres rationes reddunt, ob quas voluit Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini, & non in propria ſpecie nobiſcum manere, & ad manducandum & bibendum nobis dari, ſcilicet vt fides probaretur & exerceretur, & vt ſine horrore caro & ſanguis eius manducaretur & biberetur: manifeſtè enim his locis ſupponunt, ipſam veram carnem & ſanguinem hîc præſentem adeſſe, veréque & realiter à nobis ſumi. *Quintum*, ex eo quod vnanimiter docuerunt in hoc myſterio perficiendo interuenire magnum quoddam miraculum, & tantum quidem, vt omnipotentia Dei hoc ſola operari poſſit, quod

* Doctrinæ Patrum vnanimis, de veritate corporis Chriſti in Sacramento altaris, breuis, ſed perſpicua demonſtratio.

** Elogia Euchariſtiæ à Patribus paſſim enunciata.

ſanè minimè neceſſarium eſſet, ſi Euchariſtia, extrinſeca ſolùm denominatione eſſet corpus Domini. *Sextum* ex illo quinto deducebant. dicebant enim, cùm eſſet altiſſimum myſterium & ineffabile miraculum, hoc non poſſe ſine fide, eáque magna, intelligi: Quamobrem ſedulò admonebant hìc non eſſe credendum ſenſibus, ſed Chriſti verbis planè diuinis & magis efficacibus, quàm quibus facta eſt creatio totius mundi. *Septimum* huic ipſorum Patrum dogmati innititur, quo conſtanter docent Chriſtum in hoc Sacramento non ſolùm fide, ſed ipſa re nobis coniungi, & non ſolùm per voluntatum concordiam, ſed etiam corporum contactum ſeu coniunctionem nobis copulari. Vnde cum Chriſto nos *concorporeós, conſanguineos, & comparticipes effici,* ideò corpora noſtra reſurrectura, quia vniuntur cum Chriſti corpore: ſiquidem ad hoc dediſſe nobis ſuum corpus in cibum, ſuúmque ſanguinem in potum, vt eſſet in nobis, & nos in eo. Ioan. 6. *Octauum* hinc colligitur, quòd docebant non in ſigno & figura Chriſtum ſe nobis hìc coniungere, ſed ipſo ſuo corpore, non typico & repræſentatiuo, at verò & naturali, eóque ipſo quod è Virgine ſuſcepit, quod in cruce pependit, eodémque ſanguine qui pro nobis tunc in pretium redemptionis effuſus eſt. Hinc præclarum illud oraculum Nicæni I. Concilij: *In hac ſacra menſa ſitum agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & ipſius carnem & ſanguinem nos verè ſumentes, credere hæc eſſe reſurrectionis noſtræ pignora.* Et hoc aliud Epheſini I. Concilij; *Hic nos ſanctificari participes effecti ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm redemptoris: percipere nos hic enim ipſius Verbi carnem propriam factam.* Quò celebre illud apophthegma S. Auguſtini collimat, ſerm. ad Neophytos; *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manauit de Chriſti latere.* Carnem enim Chriſti eſſe quam formâ panis opertam hoc in Sacramento accipimus, & ſanguinem eius quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus. *Nonum*, tantum abeſt vt dicerent in cœlo tantùm corpus naturale ac proprium Verbi incarnati exiſtere, porrò in Euchariſtia eſſe dumtaxat corpus Sacramentale & typicum, ſeu repræſentatiuum, quin excludebant Patres inane eiuſmodi ſignum hoc ex myſterio, aſſerebántque *corpus Chriſti quod in cruce immolatum fuit, ſedet nunc verò in dextera Patris; illud ipſum eſſe quod hìc percipitur, & non eſſe duo corpora, vel plura, ſed vnum idémque tantùm. Decimum*, eodem ideo cultu latriæ ipſum in altari adorabant, & docebant eſſe adorandum. Nam non ſolùm diligentiſſimè cauebant, ne quid tantillum diuini huius muneris in terram decideret, ne ab Ethnicis, vel etiam Catechumenis Euchariſtia videretur, ne ab aliis quàm ieiunis hominibus præuiáque ſeria purificatione animæ, diſpoſitis ſumeretur: ſed inſuper genuflexi illam accipiendo adorabant, vt conſtat ex Patrum expreſſis teſtimoniis, à Molinæi artificioſis ludificationibus ſuprà vindicatis. Quibus & illud S. Clementis accedit lib. 2. Conſtitut. Apoſtolic. c. 61. *Cum timore & tremore, tanquam ad corpus regis accedentes. &c.* Nec non illud Origenis in diuerſa loca Euangelij, homil. 5.

Quando

Quando ſanctum cibum, illúdque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini; tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc centurionem, & dicito, Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Illúdque prætermiſſum in citatis ſuprà locis Chryſoſtomi hom. 3. in ep. ad Epheſios, *Adora & communica:* Quod rurſus intonat lib. de incomprehenſibili Dei natura hom. 3. & 4. Hócque celeberrimum S. Auguſtini documentum: *De carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem iam manducandam nobis ad ſalutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat niſi priùs adorauerit; inuentum eſt quomodo adoretur ſcabellum pedum Domini, vt non ſolùm non peccemus adorando, at peccemus non adorando.*

En quàm falsò ſe ſuprà iactauerit Molinæus, diſtinctione ſua adhibita de duplici Chriſti corpore, vero ſcilicet, & repræſentatiuo; naturali, & Sacramentali, Patrum omnia teſtimonia tanquam claue propria facilè reſerari poſſe, & in ſuam partem traduci. Siquidem ex illo compendio doctrinæ Patrum, quod mox expreſſimus, meridiana luce clarius & apertius euadit, Patres ab illa impia duplicatione Chriſti corporis & exitiali diſtinctione corporis veri, & typici; naturalis, & Sacramentalis prorſus abhorrere; pérque illa decem principia ſeu ſumma capita ſuæ doctrinæ, ex diametro Caluinianæ hæreſi obuerſari, háncque ſuis his fulminibus vndique obruere; adeo vt nihil verius dici poſſit, haud magis conuenire Caluino, Molinæo, aliiſque Sacramentariis cum Patribus, quàm mendacium cum veritate, cum Chriſto Belial, cum opacis tenebris fulgentiſſimam lucem. Pertinaciter ſi quid Caluiniſtæ inficiantur, vtique veram Chriſti exiſtentiam in Euchariſtia, ſeu realem eius corporis & ſanguinis ſub externîs panis & vini ſymbolis præſentiam negant; & adorationem eius, in hoc magno pietatis Sacramento, ſic abnuunt vt horreant, & immani odio execrentur. At è contra Patres hanc veram & realem Chriſti in hoc diuino myſterio exiſtentiam & adorationem, pro indubitato fidei dogmate, præcipuóque doctrinæ Chriſtianæ principio manifeſtiſſimè docent, conſtantiſſimè tenent & ſummo conſenſu profitentur.

Conſenſus Patrum, conſenſus eſt Eccleſiæ: Eccleſiæ verò conſenſus, manifeſtum eſt Spiritus ſancti iudicium, cui repugnare, perire eſt; *Si quis enim peccauerit in Spiritum Sanctum* (ait Dominus) *non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Doleo hanc infelicem Molinæi vicem, quæ ſatis ſupérque liquet ex ſupradictis & probatis; diſputat enim contra apertam veritatem, & proinde contra propriam conſcientiam, contra expreſſum Dei verbum, contra Spiritus S. iudicium, contra vniuerſæ Eccleſiæ vnanimem conſenſum. Iſte conſenſus patet ex præmiſſis, Spiritus S. iudicium ex tot Conciliorum definitionibus; verbum Dei ex diuinis oraculis, quibus & veritas Chriſti corporis in Euchariſtia, & eius adoratio manifeſtiſſimè declaratur & confirmatur.

Matth. 12. 32.

Dominus clarè pronunciat, *hoc eſt corpus meum*; Molinæus cum aſſeclis negat. Chriſtum Pater æternus adorari iubet, *cùm enim introducit primogenitum in orbem terrarum, ait: Et, adorent eum omnes Angeli Dei* Quin & homines & dæmones, etenim edictum diuinum eſt; *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Molinæus adorari vetat, contendítque eſſe horrendam idololatriam, Chriſtum in Euchariſtia adorare. Vt quid? Nónne ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis*, &, *Deum adora*. Chriſtus verus Deus eſt. Ei igitur debetur omnis honor & gloria; conſequenter verò eius quoque humanitas adorari debet propter vnionem hypoſtaticam, quam habet cum Verbo diuino, vnde fit vt vbicumque ſit humanitas Chriſti, ibi & diuinitas adſit. Porrò vbi eſt Chriſti corpus, humanitas tota & integra reperitur, nam corpus eius non poteſt ſeparari ab anima, nec vtrumque à Deo. Totus igitur Chriſtus eſt in Euchariſtia, vnde dicit *qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Colendus hic eſt igitur & adorandus, diuino cultu & ſuprema veneratione.

Heb. 1. 6. & Pſ. 96.
Philipp. 2. 10.
Matth. 4. 10.
Apoc. 19. 10.

Nec valet Molinæi effugium, ſcilicet in Euchariſtia non eſſe verum & naturale Chriſti corpus, at tantùm Sacramentale, typicum & repræſentatiuum. Etenim præterquam quòd illa diſtinctio mera chimæra eſt, nullo verbo Dei ſuffulta (nec enim in toto veteri & nouo Teſtamento inueniri poteſt) omni antiquæ Eccleſiæ incognita, quin expreſſæ Scripturæ auctoritati repugnans, Patrum fidei & doctrinæ manifeſtè contraria, patentem impietatem includit. dicit enim Scriptura, 1. Ioan. 4. 3. * *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Atqui hæc diſtinctio Chriſtum ſoluit & diuidit, opponit enim eum ſuo Verbo, diuidit eum in ſeipſo, atque ab Eccleſia ſponſa ſua illum ſeiungit & auellit. Breui inductione, ſed clara hoc patefaciamus.

* Nota.

Primò, *opponit illum ſuo Verbo*, ait enim Dominus, *panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Sed ſi valet illa diſtinctio, non dedit Chriſtus quod promiſit: nam qui dat figuram pro re promiſſa, fidem non liberat, ſed amicis illudit; ait inſuper Chriſtus, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Sed ſi dedit tantùm corpus typicum & repræſentatiuum, non dedit illud corpus quod pro nobis traditum eſt, igitur verbis non ſtetit, vel illa diſtinctio falſa eſt.

Ioan. 6. 52.
Luc. 22. 1. Cor. 11.

Secundò, *diuidit eum in ſeipſo*, nam vnam animam & duo illi corpora tribuit, quorum vnum eſt animatum, alterum inanimatum; animatum ſcilicet naturale; inanimatum videlicet Sacramentale: alterum viuum, & viuificans; alterum nec viuum, nec viuificatum: alterum verum & reale; alterum tantùm vmbratile & phantaſticum; quæ fuit hæreſis Marcionis, aduerſus quem & eius aſſeclas ſcripſit olim Tertullianus librum excellentiſſimum *de carne Chriſti*; Quo inter cætera, aſſerit Chriſtum non habuiſſe aliud corpus quàm humanum, naturale & non phantaſticum, & ſicut in veritate carnis eſſe na-

tum, ſic in veritate & non in phantaſmate fuiſſe crucifixum. *Sed iam reſponde* (hæreſiarcham illum alloquitur) *interfector veritatis! Nónne verè crucifixus eſt Deus? Nónne verè mortuus, vt vere crucifixus? Falsò ergo ſtatuit inter nos Paulus, ſcire eum tantum crucifixum?* At Chriſtus proteſtatus eſt ſe nobis in Euchariſtia dare corpus illud ſuum, quod pro nobis cruci ſuffigendum erat, *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur; Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum;* Ergo ipſum ſuum corpus verum & non phantaſticum, vel typicum nobis dedit. Et qui hoc negat, recedit ab ipſo Chriſto, & adhæret Marcioni, pro vera Chriſti carne nobis imaginariam & phantaſticam carnem & ſanguinem ſupponenti. Sed Molinæus non ſolùm Marcionem ſequitur, at etiam Neſtorium imitatur: nam ſicut hic Chriſtum diuiſit in duas perſonas, humanam & diuinam; ſic ipſe Molinæus Chriſtum diuidit, dum duo illi corpora aſſignat, vnum quidem naturale & verum, quod ſurſum eſt in cœleſti maieſtate & gloria; alterum verò tantùm vmbratile, typicum, Sacramentale, & ſignificatiuum, quod nobis in Euchariſtia diſpenſatur. Diſputat aculeatè Theodoretus Dialogo, cui *Inconfuſus* titulus eſt, aduerſus eos qui ſucceſſiuè volebant Chriſtum habuiſſe corpus primò humanum, deinde diuinum, ſeu in diuinum mutatum. At Molinæus hanc inſaniam in hoc exuperat, quòd ſimul & eodem prorſus tempore Chriſto duplex corpus aſſignat, reale & ſymbolicum: verum & Sacramentale, citra vllum Scripturæ teſtimonium, imò contra expreſſum Chriſti verbum, & Eccleſiæ conſenſum.

Tertiò, hæc ipſa Molinæi diſtinctio, Chriſtum à ſua Eccleſia diuidit & ſeparat: ſcribit Apoſtolus Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea; ita & viri debent diligere vxores ſuas ſicut corpora ſua; nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam* (quam de ſe ſcilicet in Euchariſtia nutrit:) vnde ſubdit continuò Apoſtolus, *quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius; propter hoc relinquet patrem & matrem ſuam & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; Sacramentum hoc magnum eſt &c. in Chriſto & in Eccleſia.* At ſi paradoxum Molinæi ratum ſit, perit prorſus hoc quod magnum eſt in Chriſto & in Eccleſia Sacramentum. Etenim ſi Chriſtus non proprio & vero corpore ſuo, ſed dumtaxat typico & figuratiuo Eccleſiæ ſuæ coniungitur & vnitur, falſum erit *quòd eam de ſe nutriat, & quòd duo ſint in carne vna, ipſáque reuera ſit caro de carne eius, & os de oſſibus eius* (ſicut erat Eua cum Adam viro ſuo.) nam hoc fit per Euchariſtiam, vt ſancti Patres ex ipſo loco Apoſtoli obſeruârunt, Irenæus lib. 5. c. 2. aduerſus hæreſes, Gregorius Nyſſenus tract. circa illa verba, *Exiuit ſanguis & aqua.* S. Chryſoſtomus in iſtum locum Apoſtoli. Theophylactus ibidem. at ſi hîc ſit corpus Chriſti duntaxat phantaſticum & imaginarium, illa vnio erit tantùm itidem phantaſtica & adumbratiua, hoc eſt nulla quoad rem ipſam, ſed ſolùm quoad ſignum & figuram. Diſſoluit igitur hæc doctrina Molinæi, veram & realem vnionem Chriſti cum Eccleſia;

proinde reiicienda eſt, vt plena impietatis atque nequitiæ, iuxta diuinum oraculum prænotatum, *Omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt, ſed hic eſt Antichriſtus.* Soluit autem hæretica hæc Molinæi diſtinctio, quia diuidit Chriſtum à ſuo verbo, à ſeipſo, & ab Eccleſia ſponſa eius chariſſima; proinde & nos ſeparat ab ipſo Chriſto, cuius membra eſſe non poſſumus, niſi quia ei incorporamur, & Eccleſiæ, *quæ caro eſt de carne eius, & os de oſſibus eius.*

Cæterum de Chriſti in Euchariſtia reali exiſtentia ac adoratione, iam ſatis pro operis huius inſtituto. At fuſiùs nuper incomparabili planè facundiâ atque ſolertiâ, hoc argumentum magnus Cardinalis de Richelieu, aduerſus Miniſtros Caluiniſtas pertractauit, propriis ex eorum principiis & confeſſionibus, adſtruendo ipſam adorationem, calumniáſque refellendo, quibus eam ob rem, perperàm & prorſus iniuſtè, Catholicam Eccleſiam ipſi Miniſtri criminantur. Nec tamen eſt quod me fruſtrà, & extra rem, hac de quæſtione diſſerere rurſus aggreſſum, quiſpiam exiſtimet. Nec enim eodem omnino tramite diſputationis inceſſi, vt inſpicienti fiet (ſi attentiùs conſideret meam diſceptandi rationem) manifeſtum. Quæſtio de adoratione, tam ſacrificium ſpectat Euchariſtiæ, quàm Sacramentum. Cùm igitur de ſacrificio, occaſione miniſterij Sacerdotalis quo peragitur, diſſertarem, illam prætermittere, nec debui nec potui. Excellentia Sacramenti ex ſacrificij præſtantia declaratur, & ideo cùm Theologi veritatem exiſtentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in almo hoc Sacramento confirmare volunt, præſidium eiuſmodi cauſæ ex locis illis mutuantur, in quibus ſancti Patres (nixi fundamento Scripturarum) diſputant de ſacrificio incruento noui Teſtamenti: in quo non ſolùm panem & vinum, ſed ipſummet corpus & ſanguinem Domini offerri & incruentè immolari palam oſtendunt. Id verò capite 1. huius libri data operâ præſtiti, demonſtrando id quod offertur in altaris myſterio, ipſum eſſe Domini corpus, & pretioſum eius ſanguinem, nec cultum diuinæ Maieſtatis in nouo Teſtamento alio potuiſſe ſacrificio celebrari & propagari Poſteà inſtituta quæſtione cuinam hoc ſingulare ſacrificium legis gratiæ offerendum ſit? & ſtatuto imprimis axiomate, Quòd ſoli Deo vero cultus hic ſupremus debeatur: cùm deprehendiſſem Molinæum, eo in errore verſari, vt ſoli Patri æterno vota & preces, quæ fiunt in hac diuina actione, dirigenda eſſe arbitraretur, quin & ipſum, Patres Concilij III. Carthaginenſis horrenda hac calumnia onerare, quòd videlicet lege lata ſtatuerint, ſoli Patri ſacrificium iſtud immolari, Filio autem prohibuerint offerri, quin & nefas cenſuerint illum inuocari & adorari in hoc diuino myſterio; & conſequenter Spiritui ſancto vetuerint hunc ipſum cultum deferri: illis Patribus ab hac falſa criminatione, ante omnia, vindicatis, planum feci & exploratum, ſic ſingulis Perſonis diuinis impendi poſſe hoc latreuticum obſequium, vt toti ſimul Trinitati æquipariter ſit debitum. Cæterùm ea occaſione, qua diſputando Molinæus ſummum hunc honorem ſpecialiter Perſonæ ſecundæ detraxerat, me in hanc

arenam deſcendere oportuit, quairem diſquiſitum, num filij Dei humanitati *, hoc in ſacrificio cuius eſt hoſtia & pontifex, cultus latriæ debeatur? ſeu an corpus eius pretioſum, hîc ſub inuolucris exiſtens Sacramentalium ſpecierum, ritè poſſit iuréque debeat adorari? Quod Molinæus cum aſſeclis penitus negat: ac ideo ſummo ardore contendit, ineptiæ, vel etiam falſitatis euincere, quicquid immortalis memoriæ Cardinalis Peronius olim congeſſerat, pro ritu dogmatéque Eccleſiæ aſſerendo, quæ hoc in myſterio Chriſtum, vt realiter præſentem ſemper adorauit, ac etiamnum perſeueranter adorat. Quò coincidit & illa quæſtio, an ipſa Euchariſtia hoc cultu veniat proſequenda, quo honorandam maximè Molinæus inficiatur?

* Verbo ſcilicet coniunctæ

Cum iurato igitur hoc hoſte Catholicæ veritatis, conſertum ire manus, pro tuenda Verbi incarnati gloria, & orthodoxa fide, ac Eccleſiæ ſinceritate & innocentia, mihi neceſſe fuit. Qua in diſputatione, non alia vſus ſum methodo, quàm ipſa eius propria. Feram enim hàc illac circumcurſantem, premens eius veſtigia, ſum ſecutus. Quo labore ſi aſſecutus fuero quod quærebam: non meam ſed Dei gloriam, plenam Eccleſiæ de tam infeſto hoſte victoriam, Catholica veritate vindicata, hæreſíque profligatâ, non meis viribus, ſed diuino planè beneficio, me adeptum, eſt profectò, quod mihi lector Catholicus gratuletur. Sin minus quàm in votis erat peragere contigit, non cauſæ Eccleſiæ (quæ ſemper inuicta manet, æternúmque manebit) hunc velim referat defectum, ſed meæ imbecillitati, aut potiùs indignitati, quæ gratiæ vberioris auxilium præpedierit.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Omnia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio, ſummiſſa ſunto.

INDEX RERVM
ET VERBORVM INSIGNIVM.

A

A & Ω ſcripta olim in cereo Paſchali. 570.
Aaron exemplum dedit memorabile, ceſſandi aliquo in caſu, à ſacro faciendo. 539.
Abbates indulgẽtias non poſſunt concedere.
Abbates an poſſint calices conſecrare. 205. 206.
Abbatiſſarum quarumdam olim vſus, vel auſus circa benedictiones impertiendas. 560.
Abominatio deſolationis in loco ſancto. 809.
Abſolutionis debet eſſe determinata ſententia. 613. 614.
de Abſolutione Sacramentali pœnitentium. 612. 613.
Academia Baſiliana Romæ. 102.
Acceſſorium ſequitur naturam principalis. 892.
Acolythus calicem tangere prohibetur.
Actio, cur Canon appellatur? 374.
Actus Sacerdotales, ſacrarum veſtium panopliâ denotantur. 304.
Adam primus ſacrificauit. 324.
Adæ primum peccatum, quodnam fuit. 323. 324.
Adhelais Regina munifica, ſacrarúmque veſtium contextrix. 123.
Adonai, Chriſtus eſt. 339.
Adorantes cum altari ipſo metiri, quid ſit? 646.
Adoratio in ſpiritu & veritate. 676.
Adorationes Chriſti in carne. 873.
Adrianus PP. IV. felicis memoriæ, adhuc viuens, dicebatur. 180.
Adulterari verbum Dei, quid eſt. 737. 738.
Ærius hæreſiarcha negauit orandum & offerendum eſſe pro fidelibus defunctis. copioſè 420. &c.
Ætas nulla informa eſt regno Dei. 713.
Ætatis antiquæ frugalitas. 196.
Æthiopes ritum benedictionis Candelarũ obſeruant in feſto Purificationis B. V. 584.
Ægrotus non ieiunans, non peccat. 178.
Agnus paſchalis Chriſtum potiùs in Euchariſtia quàm in cruce ſignabat. 509.
Agni Paſchalis ſacrificium ſemel in anno fiebat. 307.
Agni Paſchales plures erant in lege: ſub Euangelio autem vnus tantùm offertur. 312.
Agnus in vena. 342.
Agni benedicendi formula. 593.
Agonia Chriſti, contritio Sacerdotis. 394. ad 396.
Agrippa Rex. 769.
Agripinus Ep. Carthaginenſis. 851.
Alba, ſeu linea tunicà talaris; explicatur toto lib. 2. primæ part. veſtis prima Sacerdotalis. 13. 14.
Alba, propria ſacrorum miniſtrorũ veſtis. 20.
Alba an idem ſit quod Camiſia vel Camiſium? 16. 17.
Albæ materia. 19. &c.
Albæ antiquitas. 14. 15. origo & moralis ſignificatio. 31. 32.
Albæ quæ Sacerdotalis eſt amictus, forma. 21.
Albæ nigræ, in ſacris execrandis dæmonum. 27.
Alba vrbs, & Alba veſtis. 21.
Albati ad exequias. 26.
Albertus magnus ope ſanctiſſimæ V. implorata, ſcientiæ lumen obtinuit. 719. 720.
Alberti Piggij inſignis ſententia, de cauſa inſtitutionis ſacrificij Miſſæ. 460.
Albeſtris lapis incombuſtibilis. 19.
Ales ad aſtra volans Chriſtus eſt, ad Patris dexteram aſcendens. 342.
Alexander I. inſtituit aquæ benedictionem diebus Dominicis. 565.
Alexandri II. decretum inſigne. 523.
Altare vnum erat maius: minora plura. 483.
Altare an vnum eſſe debere, S. Ignatius cenſeat. 483.
Altare viaticum. 495.
Altare Eccleſiæ Tyrienſis. 486.
Altare metiri cur Ioannes ab Angelo iubetur. 645.
Altare propter ſacrificium: menſa propter Sacramentum. 476. 477.
Altare ſedes corporis Chriſti. 487.
Altare dicebatur etiam ſanctuarium. 487.
Altaris nomen longè frequentius quàm menſæ, ſemper in Eccleſia vſitatum fuit. 477.
Altaris nomen an pro menſæ vocabulo paſſim irrepſerit. 475. 476. &c.
Altaris materia ſacrificio non derogat. 481.
Altaris quænam forma apud Patres. 482.
Altari præſidet Sacerdos & quomodo? à 642. ad 647.
de Altari portatili. 492. 493. &c.
Altaria portatilia perſecutionum tempore. 480.
Altaria ſuper oſſa martyrum erigebantur. 481.
Altaria lapidea tantùm, chriſmate ſunt vngenda. 481.
Altaria an primis Eccleſiæ ſæculis fuerint tantùm lignea? 478. 479.

Altaria cur initio lignea & mobilia? 476.
Altaria magnificè extructa & ornata apud Patres. 482.
Altaria ſacrilega hæreticorum. 484.
Altaria cancellis ſolebant circumcingi. 479. 480.
Altarium portatilium vſus antiquus. 495.
Altarium portatilium rarus olim vſus. 496.
Altarium & templorum euerſio facta à filiis perditionis. 475.
de Altarium antiquitate, materia, forma, fine, ſingularitate & pluralitate tractatus extat à p. 475. ad &c.
Alta potiùs quàm apta proferre, plerique ſtudent & affectant. 755.
Alta non ſapere, ſed humilibus conſentire. 752. 753.
Aluiſus Ep. Attrebat. 152.
Ambo quid ſit? 760. &c.
S. Ambroſius ſpecialem formulam ſcripſit de benedictione cerei paſchalis. 580.
S. Ambroſius citatur. 27. 261.
S. Ambroſij eximia ſententia. 534. 535.
S. Ambroſij præclara ſententia de virtute temperantiæ. 754. 755.
S. Ambroſij egregium documentum & exemplum. 713.
S. Ambroſij fortitudo in obeundis ſacris officiis, maximè verò baptiſmate miniſtrando. 838.
Ambroſiana eloquentia. 783.
Ambulat quiſnam in medio lapidum ignitorum? 348.
Amictus vnde dicitur. p. 1 Multipliciter accipitur. *Ibid.* Amictus Eccleſiaſticus quid ſit? *ibid.* amictorium & amiculum. 2. Amictus an idem ac vetus uperhumerale vel Ephod? 2. & 3. Amictus, ornatus. 4. Amictus ſacri quiſnam vſus? 4. 5. eius aſſumendi modus, 5. 6. Crucis figura debet inſigniri. 7. Amictus myſteria & moralitates, à p. 8. ad 12.
Amictus purpureus. 4.
Amigdalinæ virgæ florentis myſteria. 660.
S. Amphilochius ordinatus fuit Epiſcopus ab Angelis. 836.
Ananias an merus eſſet laicus? 848.
S. Anaſtaſius Sinaita citatur. 885. 886.
Anaſtaſius Bibliothecarius. 238. 285.
Anathema ſcriptum ſanguine Domini, ſumpto de calice à Theodoro PP. 237.
S. Andreas quotidie ſacrificabat. 521.
S. Andreas pane benedicto ſanabat infirmos. 575.
S. Andreas quomodo obſecrandus? 400.
S. Andreæ ſententia ſingularis de agno poſt holocauſtum viuo & integro permanente. 311.
S. Andreæ martyrium cruce & calice præſignatum. 261. 262.
S S. Andreæ & Petri vocatio & operatio quàm miranda. 765.
Andreas Carolſtadius Archidiaconus Witembergenſis primus Sacerdos coniugatus. 319.
Angelica clientela Sacerdoti celebraturo exoptanda & petenda. 396. 397. &c.
Anglicanæ nationis priſca gloria. 247.
Angelus Seraphicus. 398.
Angelus in Chriſti reſurrectione coopertus veſte candida, cur? 29.
Angelus aſſiſtit Sacerdoti, quando Chriſtus immolatur. 396.
Angelus an Baptiſmi nequeat eſſe miniſter? 835.
Angelus S. Maglorio viaticum diuinum miniſtrauit. 836.
Angeli ſub diuerſis formis qui apparebant, in veteri lege, Chriſtum venturum referebant. 669.
Angeli in antiquis apparitionibus perſonam filij Dei referebant. 339.
Angeli, ordinis Eccleſiæ magni obſeruatores. 836. 837.
SS. Angeli Sacramenta quædam licitè miniſtrarunt. 836.
Angelorum conſors, Sacerdos eſt. 548.
Angelorum ordines ad Deum nobiſcum glorificandum in Miſſa inuitantur à Sacerdote. 473. 474.
Angelorũ officia Sacerdotes exequuntur. 748.
Angelorum terribilis aſpectus. 397.
Angelorum in Miſſa viſæ terribiles acies. 396.
S. Angilbertus Pariſienſis Epiſcopus: eiúſque corporis inuentio. 123.
Animam vel vnam lucrari, magnum eſt ſacrificium. 743.
Animarum cura eſt ars artium. 654.
Animarum quæ ſunt in purgatorio, neceſſitas vrgentiſſima. 425.
Animas ſaluare opus magnæ fortitudinis & felicitatis. 746.
ad Animas in purgatorio iuuandas pia exhortatio. 425 426.
Annulus & paterna veſtis, chara ſunt pignora memoriæ apud liberos. 53.
Annunciare Chriſti mortem quid ſit? 339.
Anniuerſarij Miſſalis antiquitas. 237.
Annos computandi diuerſa ratio. 180.
Antidorum, diſtributio apud Græcos. 574.
Antiochus Epiſcopus Ptolemaidis. 890.
S. Antonius quomodo S. Paulum eremitam ſepeliuit? 611.
S. Antonio diuinitus oſtenſi feroces muli contra altare calcitrantes. 304.
Apoſtolici Senatus Collegium penes ſummum Pontificem. 658.
Apoſtolus Paulus mercedem non admiſit, nec recuſauit. 371.
Apoſtolus an per penulam intellexerit myſticam veſtem Sacerdotalem. à p. 105. ad 109.
Apoſtoli Pauli verba diuina. 726.
Apoſtoli miſſas in domibus fidelium celebrabant. 493.
Apoſtoli Pauli monita ad Sacerdotes. 726.
Apoſtoli quomodo poſtulandi ſunt? 400.
Apoſtoli, ordinem ſacrificij tradiderunt. 372. &c.
Apoſtolorum canones. 682. 689. 690.
Apoſtoli certam orationum theoriam ad ſacrificium Euchariſtiæ celebrandum ordinârunt. 374.
Apoſtolorum exemplum ſacrificandi diebus Dominicis. 536.
Apoſtolorum canon 4. citatur & explicatur. 595.

Apoſtatarum progreſſus. 706.
Apoſtolorum prædicationis character. 765.
Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi & Preſbyteri. 616.
Apoſtolis an licuerit doctos fieri in humanis diſciplinis. 764.
Apparatûs Sacerdotalis myſtica ac moralis interpretatio. 155. 156.
Apparitiones in veteri Teſtamento paſſim factæ ſunt ſub perſona filij. 339.
Appendix de Cappa pueri Ieſu apud Argentolium ſeruata. 157. 158. vſque ad 182.
Appetitus lucendi pernicioſus, quare? 348.
Applicationis meritorum Chriſti in Miſſa modus. 467. 468.
Aquæ benedictio multiplex. 563. 564.
Aquæ mixtio ab Apoſtolis tradita. 372.
Aquæ benedictæ virtus multiplex. 565.
Aquæ infundendæ in calicem peculiaris benedictio. 565.
Aretium in Tuſcia. 191.
Arator S. R. E. Subdiaconus eximius poëta, 729. eius præclari verſus de S. Petro, *ibid.*
Arator Subdiaconus S.R.E. Poëta fuit inſignis. 50. 51.
Arati hemiſtichium. 763.
Arboris malæ, funeſti fructus. 752.
Archiepiſcopus Nicoſienſis aduerſus Epiſcopos Græcos litigabat. 199.
Archippus Epiſcopus Coloſſenſium. 653.
Arcudius illuſtrator recens Græcorum rituum 82. & conſenſus vtriuſque Eccleſiæ in doctrina & vſu ſeptem Sacramentorum. *ibid.*
Argentei ſciphi in primitiua Eccleſia. 198.
Argumentum ineluctabile pro diuinitate Spiritus ſancti. 874. 875. 876.
Argumentum firmiſſimum pro ſacrificio propitiatorio in Miſſa. 459.
Arrius initiò ſcintilla modica fuit. 751.
Arrij lapſûs occaſio & pernicies. 702. 703.
Arriani S. Cyrillum Hieroſolymitanum è Sede Epiſcopali expulerunt.
Arriani benedicebant cibos cum crucis ſignaculo. 598. 599.
Arriana ab hæreſi quantum Patres Carthag. III. Concilij abhorruerunt. 867.
Arrianæ hæreſis peſtis. 751.
Arrianæ hæreſis quænam fuerunt infauſta primordia? 751.
Arrianiſmo iam olim proſcripto, quomodo noui hæretici ianuam redeundi aperuerunt. 871.
Arma militiæ noſtræ. 645.
Armati ad epulas. 26.
Arnoldus Carnotenſis. 405.
Artium periti eas ſoli profitêri ſolent. 708.
Arſenij manipulus. 69.
Aſcenſus Sacerdotis ad altare, quid ſignat. 349.
Aſſiſium à Saracenis inuaditur, ſed diuina virtute liberatur. 215.
S. Athanaſius citatur. 347.
S. Athanaſij documentum inſigne. 597.
Atheorum perditio vnde venit. 745.
S. Auguſtinus acerrimus hoſtis Arrianorum 867. multa contra eoſdem ſcripſit. *ibid.*
S. Auguſtinus quanti fecit orationes Eccleſiæ? 581.
S. Auguſtinus fuit Concil. III. Carthaginenſis præcipuum lumen & vera columna. 868.
S. Auguſtinus quomodo donum continentiæ obtinuit. 322.
S. Auguſtinus citatur. 7. 57.
S. Auguſtinus docet ſacrificium corporis Chriſti pro ſolis Chriſti membris offerendũ. 429. Idem docet S. Thomas. *ibid.*
S. Auguſtini locus ſuppoſititius. 846. 847.
S. Auguſtini formidanda ſententia de damnatis. 426.
S. Auguſtini conuerſio. 782. 783.
S. Auguſtini ſtylus, non ſemper idem. 888.
S. Auguſtini querulæ voces aduerſus Donatiſtas deſtructores altarium. 479.
S. Auguſtino quæſtio viſa difficilis. 854.
S. Auguſtinum falsò aſſerit Molinæus primum fuiſſe, qui negauit orandum eſſe pro SS. defunctis. 423.
Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis & eius collegæ ſubſcribentes III. Conc. Carthag. 867.
Auſteritas vitæ S. Ioannis Bapt. aduerſus hæreticos vindicata. 48. 49. 50.
Axiomata duo Catholica de SS. Euchariſtiæ Sacramento. 880. 881.

B

BALDRICI Abbatis Burgolienſis verſus de cappa, ad Adelam Comitiſſam Andeg. 150.
Balſami vſus in baptiſmo. 550.
Balthei vſus ſacer. 43.
Balthei vſus profanus. 39.
Balthei nomen vnde dictum. 33. eiuſdem à zona & cingulo differentia. 35. 36. quid ſit. 39. 40.
Balthei materia & forma. 36. 37.
Baptiſmus opus eſt ſanctiſſimæ Trinitatis. 862.
Baptiſmus opus eſt trium diuinarum perſonarum. 875.
Baptiſma an ſit ſacrificium? ob applicationem Chriſti mortis. 461. 462.
Baptiſmus ab infideli adminiſtratus, an ratus eſſe debeat? 854. Tutius eſt illum ſub conditione innouare. *ibid.*
Baptiſmus hæretico non proficit. 432.
Baptiſmi & Euchariſtiæ ingens diſcrimen. 883.
Baptiſmi ritus Sacerdos hunc conferendo, meditetur, ac in ſe innouare ſtudeat. 863.
Baptiſmi rectè adminiſtrandi modus legitimus. 855.
Baptiſmi ritus quidam deſcribuntur. 838. 840. &c.
Baptiſmi miniſter legitimus an ſolus homo eſſe poſſit. 835. 836. 837.
de Baptiſmi miniſterio. p. 831. *& ſeq.*
Baptiſmatis elogia, à SS. PP. pronuntiata. 462.
Baptiſmum ab hæreticis ſecundùm Eccleſiæ intentioné ac morem in ſubſtantia miniſtratum reiterare non licet. 851. 852. 853.
Baptiſmum Subdiaconus de officio non adminiſtrat. 845. 846.
Baptiſmum an ius habeant conferendi Clerici minores. 845. 846.

Baptiſ-

Baptiſmum aliquando Angeli miniſtrârunt. 837.
per Baptiſmum Chriſti oues eſſe incipimus. 839.
Baptizare ſolenniter quis poſſit, aut non poſſit? 845.
Baptizare quando laici poſſint licitè. 846. ad 849.
Baptizantur homines à Deo, potiùs quàm à Sacerdote. 862.
C. Baronij de antiquitate vſus calicis vitrei, opinio expenditur. 194. 195.
C. Baronij opinio de lapſu Origenis à S. Epiphanio, enarratur. 725.
Baſilius Seleucienſis. 761.
S. Baſilij inſignis doctrina de Thymiamate. 388.
S. Batildis Regina pia & munifica. 200.
V. Beda libellum ſcripſit de ſeptem Ordinibus. 82.
Beda. 119.
V. Bedæ memorabilis ſententia. 469.
Bellarminus Cardinalis, quid cenſet de differentia Epiſcopatûs & Preſbyteratûs. 513.
Bellarminus citatur. 407.
Bellarmini ad Lutheri argumentum de contradictione canonis, pulchra & appoſita reſponſio. 414.
Benedicere populo, eſt inuocare ſuper eum nomen Domini. 559
Benedicere (verbum) quot modis ſacra in Scriptura ſumatur? 542. 543.
Benedictio Sacerdotalis in Miſſa, fuit præfigurata in veteri Teſtamento. 559.
Benedictio incenſi. 570. 571. 572.
Benedictio Catechumenorum. 550. Energumenorum 551. & de ea quæ datur Pœnitentibus. 552. fidelibus etiam coniugio copulandis. 552. 553. Lectoribus. 554. 555. Diacono Euangelium lecturo. 555. 556. populo Miſſæ aſſiſtenti. 557. infirmis. 560.
Benedictio campanæ, ſeu tintinabuli. 606.
Benedictio ignis. 568. 569. 570.
Benedictio palmarum & ramorum. 589. ad 593.
Benedictio thalami coniugalis. 608.
Benedictio cerei paſchalis. 579. 580. 581. 582. 583.
Benedictio cereorum & candelarum in feſto Purificationis B. M. 583. 584. &c.
Benedictionis cereorum in die Purificationis ſeptem cauſæ. 584. 585. 586.
Benedictio nouæ nauis. 605 606.
Benedictio aquæ. 563. 564. 565. ſalis. 566. 567.
Benedictio nouæ domûs vnde initium ſumpſit? 603.
Benedictio ad quodcumque comeſtibile. 595.
Benedictio menſæ. 597. 598. 599.
Benedictio panis in Miſſa parochiali. 575.
Benedictio vini, lactis & mellis. 575. 576.
Benedictio vuæ, fabæ, frumenti & nouarũ frugum. 594. 595.
Benedictio caſei & ouorum. 594.
Benedictio Agni in Paſcha. 593.
Benedictio noui putei. 601.
Benedictio cinerum Feriâ 4. in capite ieiunij. 586. 587. 588. &c.
Benedictio olei. 576. 577. 578. 579.
Benedictio ſepulchri Sanctorum. 554. 609. 610.
Benedictio ſepulchri fidelium. 610. 611.
Benedictio ſegetum & vinearum. 600.
Benedictio locorum regularium. 604.
Benedictio rerum quæ in ſubſidium humani generis datæ ſunt à Deo. 563. *& ſeqq. fuſè*
Benedictio cuiuſcumque rei vtilis ad hominis ſubſidium. 612.
Benedictionem nunc aliter dat Preſbyter in Miſſa, quàm olim. 559.
Benedictiones variarum rerum ſignatis diebus propriæ. 600.
Benedictiones diuerſæ, ſcilicet benedictio aquæ. 563. 564. cæteræ ſuprà citantur.
Benedictionum Epiſcopalium & Sacerdotaliũ diſcrimen. 206. 607. 608.
Beneficiorum Dei immenſitas, pro quibus in Miſſa dignas illi gratiarum actiones referimus. 472. 473.
S. Benigni Apoſtolatus & Martyrium. 550.
S. Bernardus exhibitione corporis Domini ſuper patenam, miracula faciebat. 292. 293. 294
S. Bernardus citatur. 5. 7. 9.
S. Bernardus iuuenum Prædicatorum & Prælatorum patrocinium ſumere videtur. 710.
S. Bernardi ſcopus in prædicatione. 740.
S. Bernardi inſigne ad Concionatores monimentum. 731.
Bernice Regina. 769.
Bigami ad nuptias 2. conuolantes, Sacerdotali benedictione non honorantur. 555
Bilius laudatur. 885.
S. Birini Epiſcopi ſacer apparatus. 57. 58.
Blaſphemia in Spiritum S. eſt ſine venia. 869.
S. Bonifacij celebre dictum de calicibus ligneis & Sacerdotibus olim aureis, excutitur. 195. 196.
de S. Bonito honorato à SS. Virgine mirificâ caſulâ rythmus antiquus. 136. 137. 138.
Boſo Epiſcopus Cathalaunenſis. 160.
Botrus Cypri. 781.
Brachiale. 42.
Breuiarium Cardinalis Quigonij. 215.
Breuiarij Pariſienſis correctio. 326.
Breuitatis ſtudium. 338.
Briſſonius laudatur. 287.
Budæus V. C. & doctiſſimus, aduerſus Molinæum defenditur. 885.
Burchardi theorema. 586.
Byſſina veſtis Sacerdotalis. 14. vide ſub nomine Alba.
Byſſinis vtendum verbis cum principe. 27.
Byſſus, quid? 19. Quot ſunt ſpecies. *ibid. &c.*
Byſſus Iudaica. 19. Achaica. *ibid.* Ægyptia. *ibid.*
Byſſus, ſymbolum lucis. 27.

C

CÆREMONIA, Latinum eſt vocabulum, vnde dictum? 882.
Cæremoniale Romanum. 128.
Cæſar Heiſterbacenſis. 181.
Cæſar Poyrier literarum Hebraicarum ſcien-

tia præſtans. 184.
Cæſar laxiore cinctura vtebatur. 39.
S. Cæſarius ſacros calices tempore publicæ egeſtatis in pauperum ſolatia diſtraxit. 192. 193.
Caietani ſententiam cur expungi iuſſit Pius V. 534.
Caietani opinio & eiuſdem retractatio. 723. 724.
Calceamentum pedum & amictus capitis, in Pontifice quid ſignant? 10.
Calix iræ Dei. 264. &c.
Calix furoris Domini. 265.
Calix dexteræ Domini. 265.
Calix inebriationis. 266.
Calix ſoporis. 266.
Calix dæmoniorum. 266. 267.
Calix Babylonis ſeu abominationis. 267.
Calix ignominiæ & mœroris. 267. 268.
Calicis arcana, ex Scriptura, Patribus & hiſtoria Eccleſiaſtica. 268.
Calix ſanguinis Domini, eſt calix iudicij. 270. 271.
Calix iræ & gratiæ. 270. 271.
Calix aquæ & ignis. 259.
Calix intellectus & ſapientiæ. 259.
Calix mixtus. 239.
Calix ſalutaris, ſeu ſalutis. 260.
Calix paſſionis, ſeu martyrij. 260. 261.
Calix Chriſti, & calix S. Eligij. 261.
Calix regulariter à ſolo Epiſcopo debet conſecrari. 205.
Calix à Sacerdote ſimplici conſecrari poteſt, permiſſu Papæ. 205. 206. &c.
Calix lacteus: calix eſt vini nihilominus, qui virgines germinat. 279. 280.
Calix à quibuſnam poteſt contrectari? 213. &c.
Calix plenus mixto, iuſtitiæ & miſericordiæ hieroglyphicum. 270.
Calix S. Andreæ. 261.
Calix benedictionis. 262. 263.
Calix Domini. 263. 264.
Calix Domini an vnus ſit, vel multiplex? 188.
Calix Chriſti potuit eſſe triplex. 188.
Calix diuinitus oſtenſus, Anglicanæ perſecutionis finem præſignat. 246. 247.
Calix vnicus in altari. 217. &c.
Calix ligneus an olim fuerit in vſu. 190. 197.
Calix in quo Chriſtus conſecrauit, fuit argenteus, ſecundùm Bedam. 197.
Calix Sanctus. 221. 222. Calix Miniſterialis. 223. 224.
Calix S. Pauli, an vnicus? 188.
Calix S. Ioannis Apoſtoli an vnus, vel multiplex? 188.
Calix & patena ad quotidianum miniſterium. 236.
Calix paruus, quo priuatim Sacerdos vtebatur. 87.
Calix S. Remigij. & in eo deſcripti verſus. 202.
Calix S Donati, miraculo celebris. 191. 192.
Calix S. Exuperij, eiúſque virtutes. 192.
Calix S. Cæſarij. *ibid.*
Calix hæreditatis. 256. 257.
Calix inebrians, quàm præclarus? 257
Calix S. Eligij. 200.
Calix S. Eligij heminæ minoris capax. 87.
Calix fumidus ſignum, Euchariſtici libaminis. 185.
Calix aureus datus Sueſſione à Ludouico Pio. 201.
Calix in quo Chriſtus conſecrauit, vbinam? 186. & 187.
Calix Domini an argenteus? 185. an gemmeus? *ibid.*
Calicis nomine, cur Chriſtus ſuam paſſionem deſignauit. 269. 270.
Calicis vſus pridem populo conceſſus erat. 219. 220.
Calicis conſecratio an ſit immutabilis. 211. 212.
Calicis Sancti materia & forma. 186. 187.
Calicis arcana & tropologia, à p. 256. ad 280.
Calicis materia ſacris canonibus præſcripta. 199.
Calicis iniuria vindicata à Clodoueo Rege. 203. 204.
Calicis confracti poſtulatus fuit ab Arrianis S. Athanaſius. 208.
de Calicis poſitione & ſitu in altari. 231. &c.
Calicis Euchariſtiæ virtus admirabilis. 278. 279.
de Calicis nomine, origine ac ſignificatu. 182. 183. 184.
Calice Domini inebriatus, triumphauit S. Laurentius. 257.
in Calice ſuo Chriſtus hauriendum nobis dedit ſpiritum & ignem. 258.
in Calice hoſtia ſeruari debet ad Paraſceuem, non in vaſe ſolari. 248. 250.
de Calice ſancto liber. à p. 182. ad 291.
de S. Calice Miſcellanea. 254. &c.
in Calice, lateris Chriſti myſterium deſignatur & repræſentatur. 270. 271. 272.
Calicem intoxicatum Victor II. PP. de altari leuare non potuit. 240.
Calicem frangere vel polluere, quantum ſcelus? 208. 209.
in S. Calicem iniectis Cardinalium ſchedulis, fit Papæ electio. 241. 242.
Calicem Græci ponunt in latere dextro. 231. Idem mos olim erat Romæ. 232.
Calices à Caluiniſtis veterum hæreticorum ſectatoribus direpti, Aureliis. 209. 210.
Calices pretioſi ab initio fuerunt in Eccleſia. 196. 197. &c.
Calices, annos Pontificatûs Leonis IX. diuinitus deſignârunt. 238. 239.
Calices plures in Eccleſia vna, iam olim erant. 218.
Calices cornei prohibiti. 197.
Calices ſanctos vendere & frangere, quo in caſu licet. 193.
Calices oſtentatorij. 204.
Calices inter vaſa ſacra ſunt ſacratiſſimi. 205.
Calices & patenæ plerumque inæquales. 210. nec omnes vſui Euchariſtiæ deſtinabantur. 220.
Calices pretioſi, Deo iam olim oblati. 201. &c.
Calices vitrei an fuerint olim in communi vſu? 193. 194.
Calices vitrei tandem prohibiti. *ibid.*

Calices an vitreos eſſe, Zepherinus ſtatuerit? 189. &c.
Calices in gemmis, ſeu gemmei. 199.
Calices, præcipua pars erant ſacræ ſupellectilis. 202. 203. &c.
Calices ſunt Sacerdotij indicia. 251 252.
Calices, miniſtri ſacri tantùm contrectant. 213. 216.
Calicum varia nomina & vſus. Calix ſanctus. 221. 222. Calix miniſterialis. 223. 224. Calix præcipuus. 224. 225. Calix pendentilis. 225. &c. Calix fundatus. 226. Calices maiores & minores. *ibid.* Calix aureus. 226. 227. Calices gemmei. 227. Calices argentei. 227. Calix argenteus deauratus. 228. 229. Calices baptiſmi & pœnitentiæ. 229. Calix reticulatus. 229. Calix catenatus. *ibid.* Calix anſatus. 229. Calix tetragonus. 230. Calix imaginatus. 230.
Calicum myſtica pictura. 190
Calicum conſecratio, quibus in caſibus violatur. 212.
Calicum benedictio quàm antiqua. 205. &c.
Calicum profanatio ſemper Deo fuit execrabilis. 207. 208.
Calicum & codicum ſacrorum inquiſitio Diocletiano furente facta. 198. 203.
Calicum S S. prædæ Ethnici feruenter inhiabant. 198.
Calicibus ligneis num vſi Apoſtoli? 197.
Chalcopratreium Conſtantinopoli. 45. 46.
Calculum in neutro. 41.
Caluinus impius hagiomachus. 45. irridet Sanctos in eorum reliquiis. 45 46 &c.
Caluinus hoſtis auitæ pietatis infeſtiſſimus. 163.
Caluinus Lutheranos deridet. 880.
Caluinus calumniatur Patres I. Nicæni Concilij, duras circa Deum elocutionis. 870.
Caluinus cur baptiſmum Romanæ Eccleſiæ reiicere non auſus ſit? 853.
Caluinus non exhorruit dicere, Catholicos eſſe carnificibus qui crucifixerunt Dominum, ſceleratiores. 164.
Caluinus neſciuit quantâ ignorantiâ laboraret. 113.
Caluinus veſtem Domini quæ eſt apud Argentolium, rodit, ſed retunditur. à p. 163. ad 168.
Caluinus omnia Europæ ſacraria ſcrutari fecit, vt noceret, illo peſtilentiſſimo indiculo quem inſcripſit *de reliquiis*. 45. 188.
Caluinus anſam præbuit Serueto impugnandi SS. Trinitatis myſterium. 870. 871.
Caluinus malignè notat binum Domini reperiri calicem. 188.
Calamus ſimilis virgæ, cur datus ab Angelo S. Ioanni? 644.
Caluini præſumptio & ignorantia graphicè exprimitur. 113.
Caluini impia ſcurrilitas. 111.
Caluini inſulſa ratiocinatio refellitur. 117.
Caluini blaſphemia. 391.
Caluini, Sacerdotes deridentis procacitas caſtigatur. 114.
Caluini digna præconia. 110.
Caluini immane odium contra Sanctos & eorum reliquias. 52.
Caluini putidæ calumniæ. 52.
Caluini argumenta contra S. Petri Cathedram retunduntur. 112.
Caluiniſtæ hæretici, baptizatos in neceſſitate à Laicis Catholicis non rebaptizant. 848.
Caluiniſtæ miniſtri meri Laici ſunt. 848.
Caluiniſtæ ſolum Patrem inuocant. 870. 871.
Caluiniſtæ & Lutherani negantes ſuffragia pro defunctis, hæreſeos conuicti iudicio conſtantiſſimo primitiuæ Eccleſiæ. 420. 421. 422. &c.
Caluiniſtæ noui Iconoclaſtæ. 600.
Caluiniſtæ negatores ſacrificij Chriſtiani, & altarium ac templorum euerſores. 475.
Caluiniſtæ SS. Trinitatem numquam inuocant in ſuis publicis precibus. 870.
Caluiniſtarum inſigne ſacrilegium. 209. 210.
Camiſiæ ſigillatæ. 17. auro clauatæ. 18.
Campanæ benedicendæ formula. 606.
Campanæ etiam pro defunctis pulſantur. *ibid.*
Campanarum benedictionem hæretici rident & impugnant. *ibid.*
Cancellis ligneis altare circumcingebatur. 489.
Candelabri haſtile. 547.
Candelabra Eccleſiæ. *ibid.*
Candelabra olim benedicta. *ibid.*
Candelabra aurea in Eccleſia erant, etiam perſecutionum tempore. 198.
Candidati omnes viri boni cenſentur. 24.
Canon pœnitentialis excuſſus de paruulis per incuriam parentum extinctis. 176.
Canon defenditur contra Molinæum, ex ſimilibus dictis Domini. 424.
Canon Liturgicus variis nominibus deſignatur à SS. Patribus. 374.
Canon Miſſæ dicebatur à PP. *legitimum Chriſtianum.* 869.
Canon altaris, calamus menſuræ tam ipſius altaris, quàm templi & fidelium adorantium. 383.
Canon Tributienſis excuſſus. 78.
Canon Arauſicanus de chriſmatione. 861.
Can. *Omnis vtriuſque ſexûs.* 574.
Canonis partes quas inuectas dicit Polydorus à quibuſdam Pontificibus, diu erant in canone, antequam illi Pontifices naſcerentur. 376. 377. &c.
Canonis paucas quaſdam particulas aliqui Pontifices ſuppleuerunt. 378. quaſnam? 379.
Canonis complementum & quaſi ſigillum, eſt oratio Dominica. 373.
Canonis 23. III. Concilij Carthaginenſis occaſio, & genuinus ſenſus. 868.
Canonis puritas & ſanctitas. 383.
Canonis 23. Patrum III. Concilij Carthaginenſis verus ſenſus. 869. 870.
Canonis Miſſæ initium, vindicatum à Patribus Concilij III. Carthag. 869.
Canonis Miſſæ antiquitas & puritas. 372. 373. 374. &c.
Canonis Euchariſtici diſpoſitionem Chriſtus ſuæ Eccleſiæ reſeruauit. 372.
Canonis nomen. 372. origo. *ibid.*

Canonis ritus ab Apoſtolis dimanârunt. *ibid.*
Canonis conſtantiſſima obſeruatio. 379. 383.
Canonem quis compoſuit? 375.
Canones obſtringentes Epiſcopum ad munus prædicationis. 682. 683.
Canones pœnitentiales antiqui ſi ſeruarentur, omnia apud fideles feliciùs ſe haberent. 171.
Canones diſſoni conciliantur. 274. 275 276. & 843. 849.
Canoniſtæ tractatores. 491.
Cappâ, non caſulâ, vtendum Epiſcopo in Eccleſiarum dedicatione. 151.
Cappa Monaſtica, Laïca, Clericalis & Eccleſiaſtica. 144.
Cappa S. Martini, vnde dicti Capellani. *ibid.* & 148.
Cappa introducta in vicem caſulæ extra ſacrificium. 132. 146.
Cappa, vnde dicitur? 143 144.
Cappa extra ſacrificium vſitatior eſt ornatus. 148. &c.
Cappa pro caſula 124. 125.
Cappa Cardinalitia. 146. Epiſcopalis & Papalis. à p. 146. ad 148.
Cappa pueri Ieſu, an ſit tunica inconſutilis. 165. 166.
Cappæ vſus quando cœpit in Eccleſia. 148
Cappæ diuerſa acceptio. 181.
Cappæ vocabulum inuectum à Francis. 144.
Cappæ variæ ſpecies. 144.
à Cappis, vt à cereis, cenſita feſtorum varietas. 144. 145.
Capiæ Euangeliorum. 102.
Capſula. 102.
Capite ſub ſpinato fœdum eſt videre membra delicata. 60.
Cardinalis Peronius defenditur aduerſus Molinæum. à p. 882. ad finem vſque huius libri.
Card. Peronius reſpondit Iacobo Angliæ Regi. 881.
Cardinalis Bellarminus citatur. 173.
Cardinales virtutes explicantur. 727.
Cardinales Bellarminus & Baronius citantur. 105.
Cardinalium veſtis intima & extima. 147.
Carena quid ſit? 175.
S. Carletus Preſbyter ſingulis diebus ſacrificium offerebat.
Carina vox Theutonica. 175.
Caro Chriſti eſt caro Mariæ. 401. 402.
S. Carolus Borromæus alter Elias, alter Paulus. 617.
S. Carolus Borromæus diebus ſingulis ſacrificabat. 522.
Carolus Magnus multas ſacras reliquias ab Oriente ſibi tranſmitti curauit. 167.
Carolus Sauſſaius vir inſignis. 71.
S. Caroli Borromæi notabilis ſententia. 489.
S. Caroli Borromæi pia conſtitutio. 857.
Caroli Magni munificentia erga S. R. E. 229.
Caroli Magni edictum contra Abbatiſſarum præſumptionem. 560.
Caroli Magni pia munificentia. 124.
Caroli Cardinalis à Lotharingia ſymbolum Sacerdotale. 71.
S. Carpus vir Apoſtolicus celebrabat quotidie. 521.
S. Carpi mira ad ſacrificium præparatio. 521.
Caſamentum, caſata, caſati & caſales homines. 102.
Caſei benedictio. 594.
S. Caſſius quotidie Miſſam celebrabat. 521.
Caſtè ad deos adeunto, vetus ethnicorum monitum. 552.
Caſula vnde dicta. 101. 102.
Caſula explicatur. à p. 100. ad 142.
Caſula Eccleſiam deſignat. 141.
Caſula ſacerdotem, vt chlamys regem, demonſtrat. 141.
Caſula recens à veteri diſſimilis. 125. 126.
Caſula eſt præcipuum Sacerdotis ornamentum. 119.
Caſula dicta Tunica, qua Sacerdos vtitur in Chriſti myſterio. 102.
Caſula diapraſina. 123.
Caſula debet tantùm ad altare geſtari, in ſacrificio. 131. 132.
Caſula S. Norberti. 123.
Caſula S. Petri Pariſiis miraculo comprobata. 109.
Caſula S. Petri Pariſiis iam olim ſeruata 117. ſed furtim ablata. *ibid* & 110.
Caſulæ vſus miraculis à Deo approbatus. 132.
Caſulæ vſus apud Græcos. 121. 122. 129.
Caſulæ datæ à beatiſſima Virgine S. Bonito hiſtoria. 135.
Caſulæ Preſbyteralis & Epiſcopalis apud Latinos differentia. 129. 130.
Caſulæ veteris forma. 105. 127. &c.
Caſulæ ſeu planetæ materia, à 122. ad 124. incluſ.
Caſulæ geſtatio extra Eccleſiam in feſto corporis Chriſti tantùm. 132.
Caſulæ & penulæ diſcrimen quoad formam. 105.
Caſulæ ſeu planetæ reformatio fuit neceſſaria. 127
Caſulæ moralis ſignificatio ex multis titulis deprompta. 138. 139. 140.
de Caſulæ vſu. 131. 132.
Caſulæ à ſanctiſſ. Virgine datæ S. Hildephonſo hiſtoria. 133. 134 135.
Caſulæ eleuatio per diaconum. 128.
de Caſula S. Petri. 109. &c.
Catechizare munus eſt Diaconi. 760.
Catecheſes S. Cyrilli contra Molinæum defenduntur, à p. 887. ad 892.
Catechumenis adultis & regenerandis infantibus ſacerdos benedicit. 550.
Cathedra doctrinam ſignificat. 759.
Catenæ S. Pauli contra Caluinum aſſertæ ex S. Scriptura. 51. 52.
Cathedra Epiſcopalis, non thronus eſt, ſed ſpecula. 761.
Cathedra S. Iacobi fratris Domini. 111.
Cathedra peſtilentiæ. 363 Cathedra irriſorum. *ibid.*
Cathedræ S. Petri, S. Iacobi, S. Marci, ſancti Stephani PP. ſancti Caprafij. 759.
Cathedræ S. Petri obſeruatio vindicata contra Caluinum. 111.

Cathedræ Epiſcoporum velatæ. 112.
Cathedrarum diſtinctio. 760.
Cathedrarij Oratores, ſputij. 761.
Cauſa efficiens Sacramentorum triplex eſt. 832.
Cauſa inſtrumentalis Sacramentorum coniuncta, & inſtrumentalis ſeparata. 832. 843.
Cerei Paſchalis myſterium. 571.
Cerei Paſchalis benedictio. 579. &c.
Cerei Paſchalis immerſio in fontem baptiſmalem. 564.
Cereorum & Candelarum benedictio in feſto Purificationis ſanctiſſimæ Virginis. 583. 584.
Character Sacerdotalis. 614. 615.
Characteris titulo mali Sacerdotes gloriantur. 316
Charitas, dicebatur moderatio pœnitentiæ in foro interno. 177.
Charta Epiſcoporum Franciæ de veſte Domini apud Argentolium recondita deſcribitur. 157. 158. & elucidatur. à p. 158 ad 1 2.
Cherub cur duas habet facies? 737.
Cherubim cum gladio igneo verſatili, typus Sacerdotis, ſacra cuſtodientis. 72
Chriſma cur dicitur vnguentum regale? 860.
Chriſma ſub claue ſeruandum. 578.
Chriſma miſcetur, cum cœleſti oleo in conſecratione Regis Francorum. 290.
Chriſma, vnctionis Chriſti eſt ſymbolum. 861.
Chriſma eſt regni & Sacerdotij ſignum. 860.
Chriſma cur appellatur principale. 860.
Chriſmalis vnctio quæ fit à Preſbytero in vertice, non eſt Sacramentum, ſed quid ſacramentale. 861. Eius cum pane benedicto, comparatio. *ibid.* & p. 860. in fine.
Chriſmatis infuſio in aquam. 564.
Chriſmate ſunt qui abutantur. 578.
S. Chryſoſtomi vox cycnea. 886.
S. Chryſoſtomi præclara ſimilitudo pro explicanda veterum ſacrificiorum virtute. 308. 309.
S. Chryſoſtomi aſſertio de SS. Apoſtolorum ignorantia naturali. 768. 769.
S. Chryſoſtomi inſignis oratio. 398
S. Chryſoſtomi dignum æterna memoria ad Sacerdotes documentum. 665.
Chriſtiani primùm, paſſim dicti diſcipuli. 848.
Chriſtiani Palliati. 107.
Chriſtiani vt piſces in aquis naſcuntur. 849.
Chriſtiani plerique porcis ſimiles ſunt 599.
Chriſtianis olim non licebat pullas veſtes in funere ſuorum fratrum gerere. 29. 30.
Chriſtus cur adorandus. 872. 873.
Chriſtus ante oues ſuas ibat: Paſtores ſubalterni, eas ſequuntur. 664.
Chriſtus in procinctu mortis cœpit pauere. 398.
Chriſtus cur alba veſte fuerit indutus. 23.
Chriſtus ſempiternum habet Sacerdotium. 331.
Chriſtus cruci affixus eſt hora ſexta: at hora nona expirauit. 506.
Chriſtus quomodo nobis exemplar & magiſter? 766.
Chriſtus quem in finem Euchariſtiæ ſacrificium inſtituit. 369.
Chriſtus fons eſt omnis gratiæ & ſalutis. 365.
Chriſtus eſt refugium noſtrum. 365.
Chriſtus eſt via quà itur ad Patrem. 365.
Chriſtus cur inſufflauit ſuper Apoſtolos ſuos. 670. 671.
Chriſtus nobiſcum, ſtate? vnde dictum? 602.
Chriſtus ſemel mortuus eſt ad multorum exhaurienda peccata. 438.
Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. 437. 438.
Chriſtus præcipuè offert in Miſſa. 330. &c.
Chriſtus quo in latere, lanceâ percuſſus fuit. 232. 233.
Chriſtus myſtica columba in ſua reſurrectione. 786. 787.
Chriſtus cur in cruce fracturam non admiſit, in Euchariſtia non recuſat? 457.
Chriſtus totus in Euchariſtia. 412.
Chriſtus vt homo, mediator eſt & Sacerdos & hoſtia. 868.
Chriſtus ab homine quomodo poteſt conſecrari & ſacrificari. 454.
Chriſtus agonizans, priùs ſe propriis manibus immolauit. 313.
Chriſtus cur ſiluit de cruce, clamauit verò de ſiti? 393.
Chriſtus offerri corpus ſuum præcepit. 527.
Chriſtus etiamnum baptizat. 331.
Chriſtus eſt victima noſtra. 331. 332.
Chriſtus an baptiſmi ſit primus & principalis miniſter. 831. 832.
Chriſtus caput Eccleſiæ in omnibus primatum tenens. 831. 832.
Chriſtus an quoſdam propriis manibus baptizârit 833.
Chriſtus in Euchariſtia eſt Deus abſconditus. 883.
Chriſtus ſolus baptizat in Spiritu ſancto. 833. 834.
Chriſtus per Angelos Patribus apparebat. 668. 669
Chriſtus Ioanni per Angelum loquebatur dum Apocalypſim illi dictauit. 689.
Chriſtus ad captû audientium ſermonem ſuum accommodabat. 826.
Chriſtus Paſtorum bonorum typus & ſpeculum. 664 665.
Chriſtus torcular ſolus calcauit. 277.
an Chriſtus pro zona funiculo vtebatur. 59.
Chriſtus cur pernoctabat in oratione Dei? 716.
Chriſtus in vtroque agno matutino & veſpertino figurabatur. 311.
Chriſtus in transfiguratione ſua cur dealbatus apparuit? 31.
Chriſtus pro nobis paſſurus voluntario & incruento Euchariſtiæ ſacrificio anticipauit impetum violentum. 185. 312.
Chriſtus cibos ſemper benedicebat. 597.
Chriſtus non eſt ampliùs viator, vnde nec mereri poteſt. 467.
Chriſtus poteſt nunc impetrare, at non mereri nec ſatisfacere. 467.
Chriſtus an offerat remotè tantùm. 330. &c.
Chriſtus à matre fuit circumciſus. 850.
cendo ſedebat? 758. 759.

Chriſtus cur in monte docebat & in monte docebat ſedendo. 758. 759.
Chriſtus in Euchariſtia, candidus & rubicundus. 26.
Chriſtus in Miſſa eſt Sacerdos & ſacrificiũ. 364.
Chriſtus pro Iudæis non ſolùm orauit, ſed & paſſus eſt. 429
Chriſtus in altari operatur & perficit myſterium. 345.
Chriſtus ſe loqui quod ipſi loquitur Pater, profitetur. 708.
Chriſtus in paſſione fuit velatus & colaphizatus. 8. & quare. *ibid.* & 9.
Chriſti ſanguis, meliùs clamat quàm ſanguis Abel. 315.
Chriſti humiles operationes ſunt prædicatores qui erubeſcunt eloqui. 766. ambiunt verò ſublimes enuntiare. *ibid.*
Chriſti ſanguis emundat nos ab omni peccato. 314.
Chriſti nomen à chriſmate fluit. 860.
Chriſti Domini puritas & innocentia ſingularis. 721.
Chriſti in cruce cur, & quomodo gloriandum? 765.
Chriſti mors myſtica in Miſſæ ſacrificio. 457. 458.
Chriſti vnctio à Patre. 861.
Chriſti paſſuri deſiderium, à Sacerdote imitandum. 392.
Chriſti ſacrificantis exemplum imitandum à Sacerdote celebrante. 384. 385.
Chriſti vocem, oues eius veræ audiunt. 663.
Chriſti verborum explicatio genuina, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* 185.
Chriſti miniſtri ſunt Apoſtoli & omnes Epiſcopi ac Sacerdotes. 832.
Chriſti & Moyſis ingens diſcrimen. *ibidem.*
Chriſti verbi omnipotentia. 342. 343.
Chriſti agoniæ & ſudoris extremi myſteria. 394. 395.
de Chriſti adoratione & inuocatione, Appendix. 863.
Chriſto, in Sacramentis competit poteſtas excellentiæ 832. 833.
Chriſtum induere, quid ſit? 141.
Chriſtum crucifixum prædicare, ſumma eſt prædicatoris ſcientia. 765.
Chriſtum offerre ſemper & principaliter, quinam docent Patres. 331. 332.
Chryſanthus Epiſcopus Spoletanus. 520.
de Ciboriis pretioſis. 288.
Ciborum benedictio. 595. 596.
Ciceronis dictum aureum. 782.
Cinctus Romanus. 39.
Cingulus erat inſigne militare. 40. huius priuilegium. *ibid.*
Cinguli vſus in ſacris litteris. 44.
Cinguli vſus apud profanos. 39.
Cingulum quid? 40. eius vterque vſus ſacer & profanus. *ibid.*
Cingula Galatæa. 39.
Cineres immundi à Donatiſtis impoſiti virginibus Catholicis. 588.
Cineres ſignum pœnitentiæ. 586.
Cinerum documenta. 587. 588. &c.
Cinerum benedictio. 586. &c. fuſè.
Circumciſio figura erat baptiſmi. 850.
Circumciſionem, mulieres filiis ſuis miniſtrabant. 150.
Circuminſeſſio diuinarum perſonarum. 879.
S. Clara, num vas S S. Euchariſtiæ manibus ſuis pertulerit? 214.
Clauis ſcientiæ, oratio eſt. 714.
Claues ad Epiſcopos & Preſbyteros ſolos ſpectant. 699.
Clauſula vetus ſacrorum diplomatum. 179.
S. Clemens ſcripſit non ad Iacobum, ſed ad Simonem fratrem Domini. 347.
S. Clemens Metenſis, patruelis erat S. Clementis PP. 85. Acta eius citantur. *ibid.* & 86. ſtolâ ſuâ draconem alligauit. *ibid.*
Clementis Alexandrini inſigne dictum. 766.
Clerici & laici diſcrimen, quando aliquod Sacramentum adminiſtrant. 723.
Clerici inferiores Diacono; an ius habeant baptizandi. 845. 846.
Clerici inferiores quando & quomodo baptizare poſſunt. 845. 846.
Clerici, ne cum fœminis commorentur prohibet reuelatio diuina. 322.
Clericorum inſtructio, & progreſſus. 712.
Cœlibatus Eccleſiaſtici vindiciæ à p. 317. ad 322.
Cœlibatus cur annexus Sacerdotio noſtro. 317. 318. 319. 320. 321.
Cognatio ſpiritualis vnde contrahitur? 862. eius ſpecies. *ibid.*
Collecta non minùs impia quàm ridicula Canonicorum Wirtembergenſium iam hæreſi infectorum. 319.
Color ater, in ſacris prohibitus, niſi in Paraſceue Domini, & exequiis defunctorum. 31.
Color albus ſignat Martyrum gloriam. 27. & ſeqq.
Color albus & niger contrarij ſunt, tam in re quàm ſignificatu. 29.
Color candidus, nuptiarum agni ſymbolum. 26.
Color candidus ſignum innocentiæ. 23. libertatis. 24. pacis. 25.
Color niger, mœroris index. 29.
Columba candidiſſima è templo egreſſa cùm Chriſtus in cruce expirauit. 787.
Columbæ, miræ proprietates. 786. 787. 788.
Columbæ vox gemebunda. 789. 790.
Columbæ epiſtolarum gerulæ. 786.
Columbæ myſticæ dotes exponuntur. 786. 787. 788.
Columbæ meditatio & gemitus à 786. ad 789.
Columbam prædicator imitetur. 786. 787. 788.
de Columbis aureis, & argenteis. 285. 286.
Commemoratio Sanctorum in omnibus liturgiis. 399. 400.
Communio intincta, probatáne, vel improbata fuerit. à p. 274. ad 277.
Communio olim frequens, deinde facta rarior. 574.
Compellatio oratoria. 883.
Concilium commune Eccleſiarum, quid ſonat

Tertulliano? 191.
Concilium VII. generale. 683. Concilium Quini-ſextum. *ibid.* Romanum ſub Symmacho. *ibid.*
Concilium II. œcumenicum. 889.
Concilium V. œcumenicum. 286.
Concil. Agathenſe. 213. Laodicenum & Carthag. IV. *ibid.* Carthag. III. 220
Concilium II. Antiochenum. 574
Concilium Aquiſgranenſe. 691
Concilium Arauſicanum II. 169
Concilium Ancyranum. 170
Concilium Arelatenſe IV. 169
Concilium Chalcedonenſe, quo anno celebratum. 167. Carthaginenſe III. quando coactum. *ibid.*
Concilium III. Carthaginenſe an prohibuerit Chriſtum inuocari & adorari? 865. 866. 867. &c.
Concil. Carth. IV. 553
Concilium Carthagin. IV. 13. Narbonenſe ſub Pelagio II. 15. Rhemenſe. 16
Concilium Colonienſe ſub Herimanno Archiepiſcopo. 825. 826
Concilium III. Colonienſe. 606
Concilium Hipponenſe fuit præambulum Concilij III Carthag. 868
Concilium Laodicenum ſub Silueſtro. 79. 170
Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. 686.
Concilium III. Mediolanenſe. 565
Concilium Nannetenſe. 562
Concilium Nicænum I. 170
Concilium Pariſienſe VI. 545
Concilium Pictauienſe. 149
Concilium Romanum, ſub ſancto Gregorio. 696
Concilium Senonenſe, ſub Antonio à Prato Cardinale ac Archiepiſcopo. 825
Concilium IV. Toletanum 81. 119
Concilium Triburienſe, ſub Formoſo. 78
Concilium Tridentinum. 171
Concilium Turonenſe. 186
Concilij Agathenſis canon diſcuſſus. 557. 558
Concilij Agathenſis decretum inſigne de cineribus. 588
Concilij Alexandrini ſynodica. 209
Concilij I. Bracarenſis canon expenſus & conciliatus cum Laodiceno. 83. 84
Concilij II. Carthaginenſis can. 2. pro cœlibatu, à S. R. E. probatus. 318
Concilij III. Carthag. c. 3. 595
Concilij Carthag. IV. canon excuſſus. 1.
Concilij Florentini inſignis definitio de miniſterio baptiſmi. 848. 849. 850
Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. decretum de Concionatoribus. 823
Concilij Lateranenſis ſub Iulio III. decretum inſigne de recto Prædicatorum officio. 823
Concilij Triburienſis formula loquendi explicatur. 175
Concilij Tridentini aſſertio de antiquitate Apoſtolica canonis, eiúſque ſanctitate confirmatur. 379
Concilij Tridentini decretum de vſu altarium in domibus priuatis. 495
Concilij Tridentini definitiua ſententia de Miſſæ ſacrificio. 306
Concilij Tridentini doctrina de ſacrificio, aduerſus Molinæum defenditur. 448. 449. 450. &c.
Concilij Tridentini decretum de Prædicatoribus. 826. 827
Concilij Tridentini doctrina ſancta de ſacrarũ imaginum veneratione. 154
Concilij Vaſenſis II. canon de facultate data Presbyteris prædicandi, excutitur & dilucidatur. 703
Concilia Gallicana, qua occaſione paſſim celebrata? 16[illegible]
Concilia prouincialia Franciæ poſt Concilium Tridentinum celebrata, citantur pro recto vſu concionum, & Prædicatorum diſciplina, v. g. Rotomagenſe. 827 Burdegalenſe. *ibid.* 828. Bituricenſe. *ibid.* Narbonenſe. *ibid.* & 829
Conciliorum Agathenſis & Aurelianenſis canones conciliari. 557. 558
Concionator vt à peſte, ſic ab adulatione cauere debet. 730
Concionator ſit iridis imitator. 740. 741
Concionator quis ſit fidelis & prudens. 738
Concionator iuuenis, ſeniores debet conſulere. 740
Concionator conſcius malæ vitæ, an peccet mortaliter, prædicando. à 723. ad 725
Concionator ſit oportet geminæ ſcientiæ prudentiâ pollens. 740
Concionatores auxilium Dei ſedulò implorare debent. 763
Concionatores iuuenes deſcripti. 705. 706
Contionatores iuuenes à S. Gregorio Nazianzeno aculeatè perſtringuntur. 709. 710
Concionatorum temerariorum pudendi lapſus. 713. 714
Concomitantia. 412
Concordia diſcordantium canonum. 854
Confanones, vexilla ſunt. 63
Confeſſariorum inſtructio, ſeu Methodus à S. Carolo tradita. 618. 619. 620. vſque ad 638.
Confeſſio Sacerdotis ſacrificaturi. 358
Confeſſio cur à Sacerdote præmittenda. 354 356
de Confeſſione à Sacerdote ſacrificaturo præmittenda. 351. 352. &c.
Confirmatio quid ſit in ſe? 839
Congregatio legitima eſſe in ſacris non poteſt ſine Sacerdote.
Conradus Abbas Vſpergenſis. 240
Conſcius peccati mortalis confiteri debet ante ſacrificium, vel communionem. 358.
Conſideratio quid ſit? & eius quæ ſunt partes & officia? 739
Conſiderationes tres prudentiæ. 750
Conſilij capiendi quanta neceſſitas & vtilitas. 757
Conſilia non ſunt præcepta. 522
Conſtantini M. pia donaria. 201. 290

Conſuetudo longæua Eccleſiæ, vim habet præcepti. 501
Conſuetudo improbata. 702
Conſulum Romanorum, Senatorum, & Equitum inſignia. 40
Conuenientiæ & differentiæ inter ſacrificium crucis & Miſſæ. 460
Cor hominis pronum ad malum. 742. illúdque multiplex. ibid.
Cor, caloris & lætitiæ fons. 278
Cor animalis qui votô ſpopondit, totum animal debet immolare Deo. 414
Cordis offerentis & manuum munditia. 349
Cordis munditia in quo conſiſtit? 350
Corona triplex, cuius rei indicium. 154
Corpus & ſanguis Domini, eſt id quod in Miſſa immolatur. 305
Corpus Chriſti, cur in Euchariſtia adoretur. 892
Corpus S. Virginis in Miſſa offerri, Græcorum nonnulli recentiorum putabant. 326. 327
Corporis & animæ oblatio. 7
Coruo quid cum columbis? 397
Coupes & Taſſes, Gallicè. 183
Crambem recoquere. 358
Cretenſes loquaces & mendaces. 763
Crucifixi imago cum Euangeliorum codice, Chriſtianæ fidei inſignia. 602
Crux Chriſti in nauigiis. 605
Crux Chriſti ſecura arbor nauis. *ibid.*
Crux Chriſti, prædicatio noſtra. 762
Corpus Chriſti patientis, eſt Cathedra docentis. *ibid.*
Crux auerruncatrix eſt maleficiorum. 601
Crux Domini quibus ex lignis fuit confecta. 593
Crux caſulæ intexta. 390
Crux in caſula fulget. 129. 130
Crucis Chriſti virtus. 561
Crucis ſignum. 550
Crucis ſignum atrociter oderunt hæretici. 600
Crucis trophæa, cur erecta, in publicis viis. 600. 601
Crucis viſô ſignô, Angeli percuſſores quieuerunt. 602
Crucis in ſtipitem collineamus. 766
Crucis in mundo gloria. 602
Crucis verbum pleriſque importunum videtur. 766
Crucis oſculatio & adoratio ſolennis. 6
Crucis gloria. 7
Cryſtallinus Calix. 194. 195
Crypta antiquiſſima Pariſiis ſub monte Martyrum, deſcribitur. 481
Cultus rationabilis. 415
Cultus latriæ, Deo quomodo in Miſſa exhibetur? 440. 441. 442. 443. 444
Cunigundis Auguſta. 12
Curioſitas, quanta peſtis? 755
Curioſitatis mala. *ibid.*
Curioſitatis tria ſunt vitia. *ibid.*
Curioſi brutalitas. *ibid.*
Cygnus ab altari Dei proſcriptus erat. 24
S. Cyrillus Hieroſ. ſæpè ſua pulſus ſede & reſtitutus. 889
S. Cyrilli Hieroſolymitani pium factum, crimini deputatum. 81
S. Cyrilli Hieroſolymitani teſtimonium vindicatur. 887. ad 892
S. Cyrilli Hieroſolymitani homilia inſignis de Purificatione B. M. 583
S. Cyprianus taxat quorundam Epiſcoporum deſidiam. 679. 680
S. Cyprianus citatur. 29
S. Cypriani reuelatio. 322
S. Cypriani impetus feruentior excuſatur. 851. 852

D

DAMALTICÆ vſus in Eccleſia perantiquus. 104
S. Damaſi Papæ ſententia inſignis pro adoratione Spiritus ſancti. 869
Damaſo Papæ adiumento fuit S. Hieronymus. 658
pro Damnatis in inferno, nec preces, nec ſacrificia fieri poſſunt. 426
Danielis abſtinentia & ſcientia mirabilis. 820
Dauid geſſit Ephod. 149
Dauid caput Goliath proprio eius gladio truncantis allegoria. 821
Dauid ſolus canit in conuiuio iuſtorum. 328
Dauid Chriſti typus. 328
Dealbati ſunt Sancti in agni ſanguine. 32
Debitum gregis erga Paſtorem. 648. 649
Dedicatio ſolennis Eccleſiæ ſancti Dionyſij. 152
Depoſitum Apoſtolicum. 504
Deſiderium ingens Domini, patiendi pro nobis. 392. 393
Deus glorificatur in noſtro ſacrificio. 328. 329
Deus eſt auctor & largitor omnium bonorum. 365
Deus colore albo delectatur. 32
Deus maior eſt corde noſtro. 864
Dei & ſui ipſius notitia, compendium eſt omnis ſcientiæ. 767
Deus triumphat nos in Chriſto Ieſu. 348
Dei benignitas humanæ infirmitatis facilè miſeretur. 540
Dei timoris quanta ſint bona. 757
Dei ira & gratia vix ſeparantur. 498
Dei eſſentiam per imagines Eccleſia non intendit exprimere. 153
Dei glorificationis in Miſſa admirabiles ex Liturgiis theoriæ. 441 442. 443
Dei bonitas operata eſt mundum, iuſtitia modulata eſt. 644
Deo gratius eſt obſequium, quod ſanctæ Mariæ impenditur, quàm quod aliis Sanctis. 404
Deificare homines, munus eſt Sacerdotis. 29
Diabolus eſt ſimia Dei, ſpeciem Baptiſmi, Euchariſtiæ & Confirmationis æmulatur. 57
Diabolum validè baptizare poſſe Lutherus dicere non exhorruit. 835. refellitur. *ibid.*
Diaconus diſpenſare poteſt corpus Domini, 517 at non poteſt conſecrare. 518
Diaconus ægrotante Preſbytero, homilias SS. PP. in Eccleſia recitet. 819

Diaconus ordine dignitatis proximè Preſbyterum attingit. 517

Diaconus nullatenus eſt Sacerdos. *ibid.*

Diaconus aquam non poteſt ſolenniter benedicere. 564

Diaconus ſubſidiarius eſt miniſter baptiſmi. 843 ad 845

Diaconus baptizatum non poteſt linire Chriſmate, vt Preſbyter. 845

Diaconi officia. 843. 844

Diaconi munus an eſſet altare quando ligneum erat, deportare. 480

Diaconi in Miſſa officium apud Græcos. 82. 83

Diacono præſente, inferior Clericus non baptizat. 844

Diacono ſedere, in medio Preſbyterorum non licet. 518. 761

Diaconi, latè, aliquando Sacerdotali nomine honorantur. 517

Diaconi ſunt primicerij miniſtrantium. 640

Diaconi in Cathedra non prædicabant. 760

Diaconi, ne ſint Cantores, cur S. Gregorius prohibuit? 696

Diaconorum erat, aquam Sacerdotibus miniſtrare. 354

Diaconorum faſtus à Patribus retunditur. 556

Diaconorum præſumptionis occaſio indicatur *ibid.*

Diaconorum quorumdam veterum præſumptio à Patribus damnata. 547

Diaconis multæ acceſſerunt functiones ex indulto Epiſcopi. 556

Diaconus Eccleſiam colligere non poteſt. 518.

Diaconis olim prædicare non licebat, ſed tantùm recitare SS. PP. homilias. 707

Dialogus cum Molinæo, pro ſacrificio propitiatorio. 445. 446

Dictionarium Græco-barbarum Meurtij. 121

Dies albis veſtibus celebrati. 29

Digitus Dei. 617

Digitus Dei in Chriſmate. 291

Dignitas eſt ſeruum eſſe potentis. 333

Dignitatum inſignia, ſunt indicia virtutum. 348 349

Digreſſiones nimiæ inter concionandum vitandæ. 819

Diocletianus iuſſit altaria Chriſtianorum & ſacras ædes euerti. 480. 481

Drogillum vicus agri Pariſienſis. 161

S. Dionyſius à S. Paulo edoctus, Sacerdotes exinde docuit. 346

S. Dionyſius à Clemente miſſus, inſigni monimento antiquæ cryptæ demonſtratur. 481

S. Dionyſius, Hierarchiæ cœleſtis ſpeculator, Eccleſiæ delineator admirabilis. 639

S. Dionyſius in carcere Liturgiam celebrauit. 521

S. Dionyſius verſatiſſimus fuit in Philoſophia Platonis. 884

S. Dionyſius Areop. volucris cœli. 886

S. Dionyſius Areop. citatur. 317

Dionyſius Alexand. ſcripſit commentaria in opera S. Dionyſij Areopagitæ. 885

S. Dionyſij libri, genuini eius fœtus aſſeruntur. 884. 885. 886

S. Dionyſij librorum antiquitate hæretici fatentur. 884

S. Dionyſij detectio ſolennis reliquiarum. 174

S. Dionyſij teſtimonium pro cultu Euchariſtiæ vindicatur. 881. 882. vſque ad 886

S. Dionyſij inſignis ſententia. 415

S. Dionyſij locus inſignis pro iuuandis animabus fidelium: vindicatus contra Petri Molinæi patentes impoſturas. 422. 425

S. Dionyſij Eccleſia de Strata. 84

S. Dionyſij feſtum, quanta cum celebritate dudum agebatur. 174

S. Dionyſij libros qui citârunt, Patres recenſentur. 884. 885. 886

Diſciplinarum humanarum rudis & imperitus, non poteſt contra mundi ſapientes diſputare. 820

Diſcretio virtutum zonâ Sacerdotali ſignificatur. 60

Diſcus Græcorum in Miſſa. 281

Diſplicentia virtualis. 173

Diſpoſitio requiritur aut ex parte animi, aut ex parte corporis. 554

Diſpoſitio neceſſaria eſt ad verbum Dei prædicandum. 707

Diuerſitatis ſtyli quænam ſunt cauſæ. 887 888.

S. Dydimi præclara ſententia de peccato in Spiritum ſanctum. 869.

Docibiles Dei, optandum vt ſint Sacerdotes. 727.

Doctor audientium quis erat olim? 693

SS. Doctores in Miſſa Indorum commemorantur. 418

Doctores ſine magiſtro mirabiles, perſtringuntur. 707. 708

Documenta enarrantur, quibus S. Paulus diſcipulos ſuos inſtituebat. 770. 771. &c.

Dominica oratio ſolenni ritu ſemper recitata fuit in ſacrificio Chriſtiano. 473

Dominica in ramis oliuarum. 590

Dominicæ in ramis palmarum ſolennis ritus. 589. &c.

Dominica indulgentiæ quænam? 589

Dominica Oſanna. *ibid.*

Dominicam orationem an S. Gregorius in Miſſam inuexerit. 373

Dominicis diebus fit ſolennis aquæ benedictio. 564. 565

Dominium an ſit Sacerdotum poteſtas conſecrandi? 530. 531

Domus nouæ benedictio. 602. 603. 604

Domorum nouarum benedicendarum ritus neglectus, non ſine negligentium infortunio. 604

Donatiſtæ altarium euerſores. 479

Donatiſtæ Miſſæ canonis initium corrumpebant. 869

Donatiſtæ calicum temeratores diuinitus puniti. 207

Donatiſtarum conatus repreſſus à PP. Conc. III. Carthaginenſis. 870

Donatiſtarum furor aduerſus altaria. 876

S. Donatus Epiſcopus & M. 191
Donum, non à dono petitur, ſed à donante. 879
Donum continentiæ quibus mediis impetrari poteſt. 321. 322
Dona infuſa, ſtudium aliàs proficiendi non excludunt. 655
Dormire in ſomno Pacis, animabus purgatorij quomodo conueniat? 424. 425
Druſillæ reginæ hiſtoria. 734

E

EBRIETAS ſalutaris. 257
Eccleſia quid ſit? 511
Eccleſia cur de Iudæis toto anno ſilet, in ſola Paraſceue pro eis orat? 431
Eccleſia indiget verbi vitæ miniſtris Apoſtolicis. 712
Eccleſia quomodo ſancta appellatur. 436
Eccleſia deficere non poteſt. 712
Eccleſia habet filios bonos & malos. 436
Eccleſia eſt tanquam ciuilis domus. 656
Eccleſia opus eſt incarnatæ ſapientiæ. 690. 691
Eccleſia Gallicana typum S. R. E. ſemper ſtudioſè ſeruauit. 55
Eccleſia pro SS. glorificatis gratias Deo agit in ſacrificio. 419
Eccleſia cur & quomodo pro hæreticis orat? 433
Eccleſia non aliter canit, aliter credit. *ibid.*
Eccleſia non eſt, quæ Sacerdotes non habet. 346. 515
Eccleſiæ mos publicus, legem facit. 506
Eccleſiæ materialis corpus myſticum. 483
Eccleſiæ Catholicæ ritus orandi & offerendi pro defunctis fidelibus, iam olim vbique ſeruabatur. 421. 422
Eccleſiæ Pariſienſis vſus, de Nona ante prandium celebranda ieiuniorum tempore. 507
Eccleſiæ Hieroſolymitanæ dignitas. 889
S. Eguuinus. 611
Eliæ veſtis & cinctura. 49. Ioannis eadem fuit. *ibidem.*
Eliæ ſpiritus & virtus in Ioanne. 393
S. Eligius præſtantiſſimus aurifaber ante Epiſcopatum. 212
S. Eligius citatur. 584
S. Eligij Calicis figura. 200
Elias Epiſc Aurelian. 152
Eloquens quis ſit? 784
Eloquentia ſancti Pauli, quàm admirabilis? 769
Eloquentia in prauo homine, venenum eſt in poculo aureo. 784
Eloquentiâ Ambroſij Auguſtinus liberatus eſt. 782
Eloquentia, quænam prædicatori Euangelico conuenit. 768. &c. copioſè.
Eloquentiæ ſacræ vis & modus explicatur, à p. 782. ad 795
Energumeni non ſunt baptiſmi extorres. 551
Epiſcopatus multiplicari non decet. 704
Ephod, quid, & quotuplex. 5. an idem ſit cum noſtro amictu. *ibid.*
Ephod Pontificium, & ſimplex. *ibid.* quænam eius materia, forma & vſus? *ibid.*
Ephod lineum. 20
Epicurei, apud nos ſunt plerique. 604
Epigrammata ſancti Paulini. 186
Epimenidis verſus à ſancto Paulo citatus. 763
S. Epiphanij mira præparatio ad ſacrificium celebrandum. 321
S. Epiphanij teſtimonium pro ſuffragiis defunctorum, à Molinæi falſis explicationibus vindicatur. 421. 422
Epiſcopalis poteſtatis & Sacerdotalis differentia. 641
Epiſcopalis nominis magna virtus eſt. 688. 689
Epiſcopatus quomodo ſit ordo, vel non ſit, explicatur nitidè. 642
Epiſcopus menſam olim benedicebat. 598
Epiſcopus doctor ſit oportet. 673
Epiſcopum in arduis debet ſemper Parochus conſulere. 658
Epiſcopus contra Preſbyterum leuiter agere non debet. 700
Epiſcopus caput eſt propriæ Eccleſiæ. 838
Epiſcopatus Sacerdotij apex. 517
Epiſcopus quibus rationibus ad prædicandum obligatur. 672. & ſeqq. fuſè.
Epiſcopus, Euangelij præcipuus eſt diſpenſator. à p. 672. ad 689
Epiſcopus propter prædicationis officium iuſſu Apoſtolico ordinatus. 689
Epiſcopus indiget Sacerdotibus auxiliariis. 843
Epiſcopus ex Preſbyteris deligi debet. 705
Epiſcopus dux eſt verbi. 688
Epiſcopus eſt baptiſmi præcipuus miniſter ordinarius. 837. 838. 839
Epiſcopus eſt paterfamilias. 656. item & Preſbyter parœcialis. *ibid.*
Epiſcopus quando, & quibus de cauſis excuſatur à munere prædicandi? 685. ad 689
Epiſcopus grauare non debet Sacerdotes inferiores. 842
Epiſcopus diſpenſare poteſt circa horam celebrationis ſacrificij. 503. &c.
Epiſcopus ſolus regulariter Calices conſecrat. 205. &c.
Epiſcopus, ſummus Sacerdos, & primus Preſbyter. 514
Epiſcopus maior eſt Sacerdos, non magis Sacerdos quàm Presbyter. 514
Epiſcopi ſcientia quænam. 673
Epiſcopi dedicationem Eccleſiæ ineuntis ſacer apparatus. 151. 152
Epiſcopi prærogatiuæ ſuper Presbyterum. 514
Epiſcopi rarò celebrantis, quàm graue ſit peccatum. 538
Epiſcopi auctoritas & poteſtas. 660. 661
Epiſcopi & Presbyteri differentia & concurſus. 698. 699
Epiſcopi præeminentia ſuper Presbyteros. 699. 700
Epiſcopi prærogatiua ſingularis. 842. 843

Epiſcopi munerum breuis recenſio. 687
Epiſcopi ſtricta obligatio ad prædicandum ſecundùm Patres. 679. & Canones. 680
Epiſcopi pœnitentes reconciliantis, vetus repræſentatio. 67
Epiſcopi chriſma conſecrantis proſpectus. 67
Epiſcopi ſedes, & in circuitu ſedilia Preſbyterorum. 647
Epiſcopi Eccleſiam dedicantis proſpectus. 152
Epiſcopo cur ordinatio reſeruata. 697
Epiſcopo non licet venire contra Canones. 842
Epiſcopi facti Monachi, non deponunt monaſticum indumentum. 15. 16
Epiſcopi quodnam eſt munus præcipuum. 672. &c.
Epiſcopi depoſiti, dicebantur Epiſcopatu diſcincti. 40
Epiſcopi ſoli indulgentias concedere poſſunt. 177
Epiſcopi extranei ad concionandum inuitabantur. 889
Epiſcopi ſunt Patres regeneratorum. 837
Epiſcopi olim ordinariè baptizabant potiſſimũ in Paſcha & Pentecoſte. 858
Epiſcopi, ſancti paſſim dicti. 160
Epiſcopi & preſbyteri Apoſtolis ſuccedunt. 616
Epiſcopi ſunt onera grauiſſima. 686. 687
Epiſcopi Cathedratici. 889
Epiſcopi degradandi tollitur de manibus Euangelium. 725
Epiſcopi qui Cathedrâ prædicationis relictâ, ſe rebus ſæcularibus immiſcent, culpantur à S. Cypriano. 679. 680
Epiſcoporum in Eccleſia quàm ſit præcellens dignitas & auctoritas. 837
Epiſcoporum tituli & elogia. 837
Epiſcoporum poteſtas circa indulgentiarum conceſſionem, cur tandem reſtricta? 172
Epiſcoporum priuilegium de altari viatico. 495
Epiſcoporum decem pius Conuentus. 155. 169
Epiſcopis legere Ethnicorum libros prohibetur: hæreticorum, ad eos refellendum conceditur. 821
Eraſmus impugnans morem B. V. ſalutandi in concionis exordio, refellitur ab Alberto Carporum Comite. 719
Eraſmus vbi legitur, *miniſtrantibus illis*, vertit *ſacrificantibus illis*. 477
Eſpencei iuſta querela. 686
Eſſe naturale Chriſti in Euchariſtia, & eſſe Sacramentale. 459
Eſſeni Hebræorum. 597
Eua, quanta fuit arte à diabolo decepta. 9
Euangelicæ prædicationis finis quinam ſit. 746. 747
Euangelicæ lectiones annuæ iam olim ab Eccleſia præſcriptæ. 796
Euangelicus codex traditur Epiſcopo, cùm ordinatur. 798. 799
Euangelium cur humeris Epiſcopi imponitur, cùm ordinatur? 684
Euangelium è ſurſum eſt. 758
Euangelium cur è ſublimi loco legitur, & prædicatur. 758
Euangelium cur ſcriptum & prædicatum. 749
Euangelij virtus. 795. 796
Euariſti PP. decretum de nuptiis. 553
Eubulia, filia prudentiæ. 743
Euchariſtia, verum eſt ſacrificium propitiatorium. 471
Euchariſtia, ſacrificium eſt commemoratiuum, ſimúlque veriſſimum. 471
Euchariſtia eſt ſanctiſſimum & veriſſimum ſacrificium. 472. 473
Euchariſtia eſt extenſio Incarnationis. 280. 883
Euchariſtia, æternum Chriſti cum Eccleſia fœdus. 26
Euchariſtia, quamuis duplici materia & forma conſtat, vnum eſt Sacramentum. 218
Euchariſtia & Incarnatio multum affinitatis habent. 340. 875
Euchariſtia prodeſt nobis ex opere operato. 366
Euchariſtia, an quotidie ſumenda? 214
Euchariſtia ſeruabatur ſub titulo crucis. 286
Euchariſtia conſiſtit in re permanenti. 410
Euchariſtia, oblatio eſt digna Deo. 472. 473
Euchariſtia non tantùm mortis Domini, ſed & reſurrectionis, & regni monimentum eſt. 30
Euchariſtia pignus eſt vitæ æternæ, tutela fidei, & ſpes reſurrectionis. *ibid.*
Euchariſtia in naui conſecrata & collocata. 605
Euchariſtia eſt magnum pietatis Sacramentũ. 339
Euchariſtia vt à ieiunis tantùm ſumatur, Apoſtolorum eſt traditio. 372
Euchariſtia valde venerabile eſt Sacramentum ſecundùm S. Auguſtinum. 876
Euchariſtia, ſingulare bonum. 473
Euchariſtia, cultus Dei eſt incruentus. 369. 370
Euchariſtia ſummum, plenum & perfectiſſimum eſt ſacrificium. 365
Euchariſtia à nauigantibus deferri ſolita. 490
Euchariſtiæ adoratio, Chriſti in ea realem præſentiam clarè confirmat. 881
Euchariſtiæ diſpenſatio, quàm periculoſa? 809
Euchariſtiæ præclari tituli ex Optato. 876
Euchariſtiæ ſacrificium pleniſſimum eſt, & implet omnes differentias hoſtiarum. 315
Euchariſtiæ effectus, quatenus eſt Sacramentum. 369
Euchariſtiæ ſacrificij excellentia. 329
Euchariſtiæ ſacrificium cur à Chriſto fuit inſtitutum ante cruentum ſacrificium crucis? 312
Euchariſtiam graphicè figurabat agnus Paſchalis. 509
Euchariſtiam à Preſbytero benedictam ſumit legitimè Epiſcopus. 513
ad Euchariſtiam pius acceſſus. 173
in Euchariſtia quomodo mors Chriſti annunciatur? 339
Euchariſticum ſacrificium. 548
Euchologium Græcorum. 82. 121
Eugenius PP. III. 117
Eulogiæ die Dominica mittendæ. 573
Eunomij & Macedonij hæreſis pridem ſepulta, à Miniſtris Tranſiluanis reuocata ab inferis. 874. 875.
Euſebius Cæſarienſis laudatur. 344

Euſeb Cæſarienſis citatur. 307
Euſebij Emiſſeni excellentiſſima doctrina de columba & turture. 795.
Eutyches Preſbyter, depoſitus propter hæreſim. 511. 512
S. Eutychianus P.P. auctor benedictionis vuæ & fabæ &c. 594. 595
Eutyches refellitur. 168
Euthymius citatur. 164
Euthymij auctoritas contra Caluinum aſſeritur. 46. 47
Examinis Sacerdotum methodus breuis. 303
Excommunicati, an precibus Eccleſiæ iuuari poſſint? 434. & ſeqq.
Excommunicantur qui ſine licentia prædicant. 825
Excommunicationis leges. 434. 435. &c.
pro Excommunicatis Eccleſia orat implicitè. 435
Exempla non ſunt leges. 522
Exorciſmus frondium & florum oliuæ. 591
Exorciſmus ſalis. 567
Exorciſmus olei. 577
Exorciſmi in baptiſmo. 551
Experientia quantùm iuuat prudentiam? 655

F

I. FABER Stapulenſis. 765
Facies gemina Cherubim. 797
Facultas nulla eſt ſcientiæ, quæ ſacris in litteris non tractetur. 822
S. Farius Confeſſor. 201. eius calix, ibid.
Faſciola. 42
Fauſtus Manichæus vir erat mulcentis eloquentiæ. 783
Felix Nannetenſis Epiſcopus. 186. 187
Felix præſes, attonitus factus, S. Pauli prædicatione. 769
Felix præſes, qualis. 734
S. Felicis Eccleſia celebris, Nolæ. 186
Feriæ V. in Cœna Domini celebritas. 248. 249.
Feriâ V. in Cœna Domini an liceat ſacrificium celebrare. 497. 498
Feriâ VI. in paraſceue an fas ſit celebrare ſacram ſynaxim. 499. 500. &c.
Feriæ ſextæ ſanctitas & reuerentia. 176
Ferrariæ inceptum Concilium, quod Florentiæ finitum eſt. 573
Feſta ſolennia Dominicis diebus æquiparantur, quædam antecellunt. 536. 537
Fibula. 41
Fideles ad martyrium per Euchariſtiam animati. 421
Fideles omnes ad ſanctitatem vocati ſunt. 436
Fidelium nullus excipitur à miſericordia Dei impetranda. 437
Fidelium domus, olim paruæ erant Eccleſiæ. 602
Fides annis non grauatur. 713
Fides & veritas prædicationis fundamenta. 715
Fides ſacrificantis Sacerdotis, multum eius auget charitatem. 316
Fides mortua charitatis ignem nutrire non poteſt. 316
Filius Dei, honorificandus eſt, ſicut ipſe Pater. 873
Filius, & non Pater, nec Spiritus ſanctus, in antiquis viſionibus apparebat. 669. 670
Finis multiplex ob quem Miſſæ ſacrificium offertur. 459. 450. & ſeqq. latiſſimè.
Finis Euangelij. 749
Finis & mediorum cognitio. 743. 744
Finis veri cognitio & vſus explicantur. 745
Flagellum de funiculis quomodo Chriſtus contexuit? 59
Flauiani Conſtantinopolitani Patriarchæ pronunciatio inſignis. 671
Flodoardus. 222. 267
Flores quomodo diuerſè olent? 388
Florus Magiſter. 403
Fœminæ deæ Græcorum. 849
Fœminæ in caſu neceſſitatis licitè baptizare poſſunt. 849. 850. &c.
Fons ſanctificationis. 722
Fontes Saluatoris. 7
Forma abſolutionis, vocata in controuerſiam. 613. 614.
de Forma altaris antiqua. 482
Formula benedictionis cinerum. 588. 589.
Formulæ olim diuerſæ benedictionis Cerei Paſchalis. 582
Formulæ ſacrorum officiorum, quàm antiquæ. 581.
Fortitudo Ioannis, Stephani, Eliæ, Ieremiæ, Apoſtolorum, ſpecialiter Pauli. 731. 732. 733. 734. 735
Fortunatus Pictauienſis. 404
Foſſatenſe Monaſterium. 162
Fractio an ſit de eſſentia ſacrificij. 406. 407
Fractio eſt ſignum immolationis. 456. 457
Franciſcus Ximenes, Cardinalis & primas Toletanus. 297
Franciſcus Halerius. 121
Franciſcus Dauid Tranſiluanorum Arianorum parens. 871
Franciſcus Cardinalis Rupifucaldius. 187
Francicus quindenarius, dimidiatus quid ſit? 485.
Fraternitas, pro Preſbyterorum Collegio à S. Cypriano vſurpatur. 518
Prouerbium à *fronte & à tergo*. 750
Fulbertus Carnotenſis. 404

G

GABRIEL Naudæus ſelectioris litteraturæ antiſtes. 220
Galbanus quid ſignat. 387
Gallus cur ponitur ſuper templorum pinnacula. 652
Gamaliel S. Pauli Magiſter. 764
Gammachius citatur & explicatur. 408
S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis. 516
Gazetium, vinum optimum. 257
Gelaſius PP. ſcribit ad Athanaſium Imp. 545
Gelaſius PP. ritus & preces Eccleſiaſticas recenſuit. 380

Gelaſij decretum inſigne. 277
Gemitum columbæ debet prædicator emittere. 786. 787. &c.
Genebrardus. 189
Genſericus in Africa dirè Catholicos afflixit. 208
S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha citatur. 140
Geſualdus S. Auguſtini rectè dicta non allegat. 846. 847.
Gladius Apoſtolicus. 729
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c. Caluiniſtæ è precibus expunxerunt. 871. item Triſagium. *ibid.*
Glorificatio Dei, potiſſimum fit in ſacrificio Euchariſtiæ. 441. 442
Gnome prudentiæ comes. 743
S. Goar Preſbyter omni die ſacrificabat. 522
Goarius recens elucidator Euchologij Græcorum. 122. 126
Gofridus Epiſc. Carnotenſis. 152
Gorgonia ſoror ſancti Gregorij Nazianzeni. 892
Gothicum officium Muſtarabum. 297
Gratiarum actio maximè Deo redditur in ſacrificio Miſſæ. 470. 471. 472. &c.
Gratiarum actio poſt cibi ſumptionem, à pleriſque neglecta, vnde à Thoma Mauro piè & aculeatè reprehenduntur. 599
Gratias Deo pares referre non poſſumus niſi per Chriſtum, ipſi oblatum in ſacrificio. 528
Græcæ nationis priſcum decus & laus vera, præſenſque miſeria. 247
Græci, canonem cœlibatûs iam olim relaxarunt. 532
Græcorum mos ſingularis in ſacrificio. 326
Græcis Sacerdotibus caſula ſeu planeta eſt in vſu. 121
S. Gregorius Magnus nomine, maior merito, maximus dignitate. 485
S. Gregorius creatus PP. nomen non mutauit. 491
S. Gregorius calumniam paſſus eſt, quòd ritus Græcos in R. E. introduceret. 373
S. Gregorius auctor benedictionis Cinerum 587
S. Gregorius an fuerit auctor formulæ benedictionis Cerei Paſchalis. 580. 581
S. Gregorius an ſit auctor libri Sacramentorum? 581
S. Gregorius qualiter docet Prædicatorem eſſe prudentem & perſpicacem. 752
S. Gregorius citatur. 12. 15. 30
S. Gregorij præclara ad Prædicatores exhortatio. 730
S. Gregorij adhuc viuentis meritum, etiam ipſo abſente, eius deuoti perſenſerunt. 149
S. Gregorij de Epiſcopatus difficultate inſignis ſententia, & S. Vincentij Ferrerij. 686
S. Gregorij zona. 54. 55. eiuſdem habitûs mediocritas. *ibid.*
S. Gregorij eximia, de gloria Chriſti in Miſſa coruſcante, ſententia. 392
S. Gregorij factum aſtruitur. 372. 373. 374
S. Gregorij locus difficilis explicatur. 372. 373
S. Gregorij inſignis ſententia. 876
S. Gregorij opus de cura Paſtorali, quàm excellens & vtile. 656. ſumma eiuſdem. *ibid.* & 657
S. Gregorij Sacramentorum liber. 496
S. Gregorius Nazianzenus, Theologus cognominatus. 405
S. Gregorij Nazianzeni illuſtris ſententia; pro Sacerdotis præparatione. 405. 406
S. Gregorius Nazianzenus citatur. 25. 57
S. Gregorij Nazianzeni teſtimonium vindicatur. 892. &c.
S. Gregorius Nyſſenus citatur. 583
S. Gregorij Nyſſeni eximia de Euchariſtiæ ſacrificio ſententia. 312
S. Gregorij Nyſſeni pulchra doctrina. 660
S. Gregorius Martyr. 611
Gregorius III. 285
Gregorius Turonenſis citatur. 167
S. Gregorij Neocæſarienſis deuotio erga ſanctiſſimam Virginem, inſigni beneficio compenſata. 719
Gretſerus citatur. 164
Grimoaldi Abbatis formulæ diuerſæ ſacrorum officiorum. 603
Guido A. Senonenſis. 152
Guillelmus Lindanus. 125. 126. carpitur à Goario.
Guillelmi Comitis Pictanienſis mira conuerſio. 293. 294.

H

HABITVS Sacerdotalis myſteria. 340
Hadrianus I. 285
Hadrianus Mocbertus. 187
Hæreſis mentalis, in externo iudicio non punitur. 434
Hæreſis nouatorum circa paritatem Sacramentorum veteris legis ac Euangelicæ, refellitur. 307. 308. &c.
Hæreſes vnde ortæ? 722
Hæreſes duæ ſedulò vitandæ à Sacerdote celebrante. 409. 410
Hæreſes à Philoſophia ſubornantur. 819
Hæreticus omnis, hoſtis eſt altaris Chriſti 484
Hæretici num poſſint ſalutariter baptizare. 851. 852. &c.
Hæretici recentiores ſunt, acerrimi Chriſtiani Sacerdotij & ſacrificij inimici. 432
Hæretici ſigni Domini euerſores. 609
Hæretici calumniantur Catholicos, quòd campanas baptizent. 606. 607
Hæretici recentiores cur cœlibatum abrogârunt. 319
Hæreticorum ſermo virulentus. 153
Hæretici tot altaria excitârunt, quot ſchiſmata. 484
Hæretici non planè negant Euchariſtiam verum ſacrificium eſſe. 479
Hæretici Sacramentarij nihil acriùs oderunt, quàm Euchariſtiam & eius cultum. 865
Hæreticorum manifeſtus error de auctore Ca-

nonis. 379
Hæreticorum genius graphicè delineatur à Tertulliano. 706
Hæreticorum graphica deſcriptio ab Apoſtolo expreſſa. 870
Hæreticorum mos eſt, Patrum libros corrumpere, vel falſi notâ conficere. 887
Hæreticorum recentiorum fraudulenta iactantia, præ ſuæ intentionis. 870
Hæreticorum aduerſus Eccleſiam calumniæ non aliæ ſunt, quàm antiquorum Ethnicorum & impiorum. 57
Hæreticorum diabolicum inuentum, ad deſtruendum cœlibatum Sacerdotum. 319
Haymo Epiſcopus Halbertatenſis, auctor eſt commentariorum in S. Paulum, qui B. Anſelmo tribuuntur. 107
Hebræi locupletati de ſpoliis Ægyptiorum. 820
Eiuſdem facti moralis explicatio. 821
Hebræorum mos benedicendi menſam miniſterio Sacerdotis. 597
Hebræorum mos erat, vt magiſtri ſedendo docerent. 759
Hebræorum mos inſignis. 809
Hebræorum Sacerdotum rubricæ. 353
Hederenſe monaſterium. 561
S. Helena munifica aduerſus Eccleſiam Veſuntionenſem. 15
Helgaudus Monachus. 64. 123. 148
Helias paſtus ab Angelis igneis globulis. 412
Henricus Epiſcopus Trecenſis. 159
Henricus II. Imp. à ſancto Laurentio ſanatus aſperſione aquæ è calice ſumptæ, quem ipſe Imperator obtulerat. 239
Heraclius & Hilarius, Hieroſolymitani Epiſcopi. 889
Hierarchiæ cæleſtis & ſubcæleſtis. 748
Hieremias, Samuel & Daniel, boni pueri. 710
S. Hieronymus. 224
S. Hieronymus peſſimè citatus à Molinæo. 483. 484
S. Hieronymi humilitas mirabilis. 547
S. Hieronymi inſignis doctrina. 681. 737
S. Hieronymi pulchra doctrina de habitu Sacerdotali. 725. 726
S. Hieronymus citatur. 3. 13. 15. 17. 23. 30. 31. 32. 36. 37. 43. 44. 57. 597.
S. Hieronymi querimoniæ contra quoſdam abuſus. 695. 696
Hieronymus Prado. 19. 20
Hieroſolymis an Paſchali tempore frigus rigeat? 889. 890
S. Hilarionis miracula per ſignum crucis. 561
S. Hilarius, Patronus mulierum parturientium. 56
S. Hilarij præclara ſententia. 167. 751
Hilarius diaconus Luciferianorum ſignifer. 515
Hildebertus Cenomanenſis, poſteà Turonenſis illuſtris antiſtes pietate & doctrina. 110
Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus: verſus fecit inſignes de ſacrificio Miſſæ. 341. 342
Hildeberti verſus. 130. 131
Hildeberti verſus de patenæ myſterio. 295
S. Hildephonſi Epiſcopi Toletani erga ſanctiſſimam Virginem deuotio ſingularis. 133. 134
Hincmarus, S. Remigij ſucceſſor & encomiaſtes. 711
Hincmari Remenſis munificentia aduerſus Amalaricum Turonenſem. 123
Hippodromus, quid? 888
Hircus quomodo Chriſtum agnum immaculatum figurabat? 314
Hirci ſanguinis proprietates. *ibid.*
Hiſtoria ſcitu periucunda ex Gregorio Turonenſi. 598
Hoc facite in meam commemorationem, ait Dominus Apoſtolis: verâſque ſenſus horum verborum. 450. ex patenti Eccleſiæ conſenſu à SS. Patribus enunciato. 450. &c. fusè.
Holocauſtum ſe Chriſtus obtulit in cruce. 310. quomodo hæc figura accuratim fuit impleta. 311
Hominis carnalis deſcriptio. 664
Homines voluit Deus, per homines ad ſalutem doceri. 758
Hominum nullus eſt, qui aliquid non patiatur. 108
Hominibus conceſſum eſt, quod non eſt Angelis attributum. 836 837
Honorificationis augmentum Eccleſia pro SS. beatis poſtulat in Miſſa. 419
Honorius I. Honorius III. 86
Honorius Auguſtinus erat cum Strabone, & vnà refellitur. 103
Honorij Auguſt. explicatio de patena expenditur. 295
Honorij Auguſtodunenſis paradoxum. 75. & contradictio manifeſta. *ibid.*
Honorij III. decretum. 524
Hora quænam ſit canonicè præſcripta ad celebrandum ſacrificium. à 503 ad 507
Hora nona admodum myſtica apud Chriſtianos. 505
Hora tertia in Eccleſia celebris. *ibid.*
de Horis Canonicis liber noſter nondum editus. 547
Hoſtia rata, & adſcripta diuerſimodè. 415
Hoſtia rationabilis excuſabilis. *ibid.*
Hoſtia Chriſtianorum nonniſi Deo ſoli, offerri poteſt. 325. 326
Hoſtia quæ Patri offertur, eidem adæquatur. 327
Hoſtia noſtra quomodo immolatur, & non deſtruitur. 455. 456
Hoſtia ſacrificante maior eſt, in Eccleſiæ ſacrificio. 355
Hoſtia in hoſtiam tranſiit, ſanguis ſanguinem excluſit. 310
Hoſtia pacifica quomodo fuit figura Euchariſtiæ? 313. 314
Hoſtia pacifica apud Hebræos. 306. 307
Hoſtia pro peccato, quid erat in veteri lege? 307
Hoſtia pro peccato quomodo Euchariſtiæ ſacrificium figurabat? 324

Hoſtiæ deſtructio quomodo fit in Miſſa. 455. 456. accuratè.
Hoſtiæ elatio, ſignum eſt Chriſti exaltationis in cruce. 391
Hoſtiæ eleuationis ritus aſſertus. *ibid.*
Hoſtiam viuentem ſeſe Deo Sacerdos offerre debet. 415
Hoſtias qui edunt, participes ſunt altaris. 555
Hugo Epiſc. Antiſſiod. 152
Hugo Arch. Rothomagenſis. 158. 159
Hugo Rothomagenſis, cur in cœtu Epiſcoporum & Archiepiſcoporum apud Argentolium præcelluit. 160. 161
Hugo Arch. Senonenſis. *ibid.*
Hugo Monachus Cluniacenſis. 109
Humbertus, Cardinalis ex Canonico Tullenſi. 532. 533
Hymnus poſt cœnam. 599
Hypocriſis. 721
Hypocritæ genuina effigies. *ibid.*

I

IAcob Chriſti typus. 589
S. Iacobus Apoſt. dictus frater Domini, lineo amictu tantùm vtebatur. 14. Stola eius linea religioſè ſeruata. 14. 15
S. Iacobi Cathedra. 111
S. Iacobi inuocatio. 400
Iacobus Brullius, antiquitatum Pariſienſ. ſcriptor. 166
Idea cœtûs Concionatoribus informandis addicti, liber eſt nuper editus, & quo auctore. 815. 816
Ieiunium olim ſeruatum à Sacerdotibus ante baptiſmi adminiſtrationem. 856. 857
Ieſu nomen vbique glorificatur. 872
Ieſu nomen quomodo os Domini nominauit. *ibid.*
S. Ignatius CP. Epiſcopus. 86
S. Ignatij de excellentia Presbyterij inſignia teſtimonia. 640
Ignis benedictio, & eius myſteria. 568. 569. 570
Ignis cæleſtis deſcenſus fit Sabbato ſancto Hieroſolymis. 568
Imago Dei Patris defenditur. 153
Imagines Chriſti & Apoſtolorum, iam ipſorum ætate factæ. 116
Imagines Regum, ſunt azyla. 509
Imaginum rectus vſus. 153. 154
Imbecillitas humana. 742
Imitatio Chriſti, perfectio eſt Sacerdotalis. 5[illegible]
Immolatio Chriſti in Euchariſtia quomodo fit? 457. 458
Impij ſunt indigni qui nominentur. 153
pro Impiis & infidelibus an orari, vel offerri poſſit. 426. 427. 428
Impuritas multum officit ſacrificanti Sacerdoti. 316
Incarnatio Chriſti magnum eſt pietatis Sacramentum. 10. 883.
Incarnatio eſt veſtitio Verbi. 168. 169
Incenſi benedictio, proprietates & myſteria. 570. 571 572
Incenſi quinque grana cur Sabbato ſancto benedicuntur. 571
Incenſum aliquando adoletur & non benedicitur. 572
Incommoda legitima quæ excuſant Sacerdotem à ſacrificando, quænam ſunt? 539. 540. 541
Indiculus reliquiarum, libellus Caluini peſtilentiſſimus. 110. 111. 163
Indiæ paludes, nardiferi. 386
Indorum ritus circa patenam. 299
Indoctus eſt omnis curioſus. 755
Indulgentia quid ſit? 174
Indulgentiæ indiſcretæ taxantur. 172
Indulgentiarum conceſſio, vt ſit legitima, tria exiguntur. 169. 170
Indulgentiarum phraſis explicata. 175
Indulgentias concedere nulli inferiori Sacerdoti licet. 177
de Indulgentiis axioma Catholicum. 173
Infans ſi moritur ſine baptiſmo, qua pœna Presbyter negligens puniendus. 176
Infantium ardor ad papillas exſugendum. 280
Infantibus inſtillandi in os, Dominici ſanguinis, mos fuit in primitiua Eccleſia. 234. Miraculum inſigne circa hunc ritum. *ibid.*
Inferior ſuperiori deferat ſemper in miniſtrando baptiſmo, etiam in neceſſitate. 846
Infideles an aliquando baptizare poſſint? 854
Infirmitas cauſa eſt legitima excuſationis. 177
Infula rubra S. Birini. 87
Ingreſſus triumphalis Chriſti in ſanctam ciuitatem. 592
Innocentij I. decretum de nuptiis. 553
Innocentius III. 84
Innocentij III. de origine Canonis vera ſententia. 579
Innocentij III. reſponſio notabilis. 524
Inſtita quid? 77
Intentio triplex miniſtri. 856. quænam eſt ſufficiens aut neceſſaria. *ibid.*
Intentio conferentis & ſuſcipientis concurrere debet. 855
Intentio cur exigitur in miniſtro Sacramenti. 855
Intentio miniſtri. 362
recta Intentio quæ finem reſpicit. *ibid.*
Intentio quæ turpe lucrum reſpicit, in ſacris eſt præſertim mala. *ibid.*
Intentionis defectus. 856
Interula. 27
Inualetudo corporalis excuſat à prædicatione Epiſcopum. 687
Inuidiæ virus. 240
SS. Ioachim & Anna commemorantur in Miſſa S. Chryſoſtomi. 417
Ioachim Weſtphalus Lutheranus refellitur à Caluino. 880
S. Ioannes Baptiſta quo anno prædicare cœpit? 708. 709
S. Ioannes Baptiſta irradiatus fuit in ſanctiſſimæ Virginis aduentu. 720
S. Ioannes Baptiſta lucerna ardens & lu-

cens. 348
S. Ioannis Baptiſtæ zona defenditur, eiúſque piloſa veſtis, & vitæ auſteritas aduerſus Nouatores. 48
S. Ioannes Baptiſta fuit baptizatus à Chriſto. 835
S. Ioannes Baptiſta cur vox Domini dicebatur? 671
S. Ioannis Baptiſtæ curſus & excurſus. 708. 709
S. Ioannes quomodo rogandus eſt. 400
S. Ioannes Apoſtolus quantus erat? 645
S. Ioannes Chryſoſtomus citatur, paſſim. 24
S. Ioannis Chryſoſtomi Miſſa. 122
S. Ioannis Chryſoſtomi ardor ad prædicandum. 695. cùm adhuc eſſet Presbyter. *ibid.* Vitæ eius & laborum breuis recenſio. *ibid.* meritò os aureum appellatus eſt. *ibid.*
Ioannes Donius de vtraque penula inſignem diſſertationem habuit Romæ. 102
Ioannes Fungerus fallitur. 717
Ioannes Ianuellæ Dominus. 490
Ioannes Rothomagenſis Archiep. ſcripſit de ſacris veſtibus, ſed liber non reperitur. 131
Ioannes Diaconus. 491
SS. Ioannis & Philippi imagines antiquæ in Sacerdotali habitu. 116
SS. Ioannis & Pauli reliquiæ. 185
Ioannem qui loquitur, Chriſtum prophetat. 720
Ioffridus Pratenſis Abbas. 161
Ioſeph CP. Patriarcha, eulogias Ferrariæ benedicit. 573
Ioſephus Vicecomes inſignis de baptiſmi ritibus diſſertator. 220
Ioſlenus Sueſſ. Epiſc. 152
S. Irenæus citatur. 13
S. Irenæi breue elogium. 872. Eiuſdem diuina planè doctrina de Ieſu adorando nomine. 872
S. Irenæi præclara de ſacrificio Euchariſtiæ ſententia. 306
Iris cœlum & terram complectitur. 741
Iris cur Dei thronum circumcingit? 739
Iridis colores myſtico ſenſu explicantur. 739
S. Iſidorus citatur. 2. 15. 16
Iſidorus Peluſiota, ſancti Chryſoſtomi auditor Presbyteros ad conciones habendas hortatur. 703. 704
Iſidori Peluſiotæ clara teſtimonia pro Presbyterorum Sacerdotio. 516
Iſidori Peluſiotæ inſignis pro ſacrarum reliquiarum Sanctorum veneratione ſententia. 52
Iſraëlitarum priuilegia. 667
Iudæi maximè indigent vt pro ipſis oretur. 432
Iudæorum veterum prærogatiuæ. 429. 430
Iudæorum infortunia & ſalus. 431
Iudæos cur Pontifices ſinant tanta quiete frui. 431
S. Iulianus Epiſcopus Toletanus. 134
Iuliani Apoſtatæ malignum aduerſus Chriſtianos edictum. 820
Iulius I. PP. ſcribit ad Epiſcopos Ægypti. 274
Iuo explicatur. 104
Iuonis Carnotenſis opinio de ſtola noſtra, expenſa. 74. 75
Iuonis Carnotenſis reſponſio ſcitu digna. 495. 496
Iuſtinus Martyr citatur. 536
Iuſtitia an præferenda pietati. 727. 728
Iuſtitia fons eſt & apex virtutum. 727
Iuſtitiæ duæ veræ ſunt, & quænam? 728
Iuſtitiæ triplex debitum. *ibid.*
Iuuenes, an prorſus à Cathedra prædicationis excludendi. 710. ad 713
Iuuentutis in ſacros ſuggeſtus irrumpentis temeritas graphicè deſcripta. 709

L

LAc pro vino offerri in Miſſa prohibetur. 274
Lactis & mellis coniunctio. 576
Lactis benedictio. 575. &c.
Lacerna. 107
Lactantij præclaræ ſententiæ. 721. 727. 728
Lactantij lactea ſententia. 784
Læua an ſit dexterâ nobilior. 68
Laïcus baptizans, non contrahit cum baptizato cognationem. 862
Laïci Calicem ſanctum non manu, ſed ore contingebant. 236
Laïci an baptiſare poſſint. 846. 847. 848
Laïci, calices ſacros contrectare non poſſunt. 213
Laïci numquam ex officio prædicant, nec baptizant. 723
Laïcis nullum ius Sacerdotale competit. 847. 848
Lanceolâ apud Græcos ſæpiùs percutitur ſanctus Calix, ritu myſtico, cum myſticis precibus. 233. 273. 274
Lanfranci Epiſt. de veſtibus ſacris. 131. 145
Larua hæreticorum retecta. 870
Lateranenſis Eccleſiæ altare portatile. 481
Latiniacenſe Monaſterium. 161
Latitudo diœceſis, grauat & excuſat Epiſcopum. 688
Latria incruenta, eſt Miſſæ ſacrificium. 440
Lateris Chriſti myſterium exprimitur in ſancto calice. 272
Laudunenſis Eccleſia à ſancto Remigio fundata, & ipſi chariſſima. 202
S. Laurentius inebriatus calice Domini, quid dicebat? 257
S. Laurentius Archidiaconus ſub Sixto PP. 198
S. Laurentij M. reliquiæ. 185
Sancti Laurentij baſilica vetus Mediolani. 194
S. Laurentij in tormentis facta eſt radioſa facies. 669
Lectorium argenteum, quid eſt? 760
Legati mandata proferant. 810
Legitimum, id eſt lex inuiolabilis Canonis. 379
Legitimum, Canon, ſeu regula ſacrificium celebrandi, appellatur. 374

S. Leo IX. dedicauit Eccleſiam Romericenſem. 131. 145
S. Leonis præclara ſententia pro excellentia ſacrificij noſtri. 510
Leo Magnus citatur. 9
Leo III. 285. 288
Leo III. munificus in vaſis ſacris donandis. 226
Leo IV. 285. 288
Leo IV. celebrabat diluculò. 505
Leo IV. fecit lectorium argenteum. 760
Leo myſticus, Chriſtus. 411. Sacerdos quoque 411.
Leobodus Abbas. 148. aliàs Leodebodus.
Leontius Byzantinus. 885
Leſſius citatur. 408
Lex per Moyſen, Gratia per Chriſtum. 892
Legis datæ à Deo Hebræis, ſingulare beneficium erat. 667. 668
Legis antiquæ terribilia erant & mirabilia: at nouæ longè ſunt multò magis tremenda myſteria. 315
Legem Iudæi receperunt per miniſterium Angelorum. 668
Legem per fidem non deſtruimus, ſed aſtruimus. 391
Libellus de altaribus & Eccleſiis Claromontanis, antiquus. 488
Liber quis & qualis datus ab Angelo S. Ioanni 798
Liber qq. veteris & noui teſtamenti, non eſt S. Auguſtini. 480
Liber Sacerdotalis. 798
Libri Pœnitentiales citantur. 171
Libri ſententiarum cur conſcripti? 749
Libri ſacræ Scripturæ referti ſunt omnis generis ſcientiâ. 822
Librorum Scripturæ ſingulorum proprius in ſcientiis genius. 822
Liberius præfectus. 169
Limbus. 42
Linea cur in ſacris, veſtis admittitur, lanea reiicitur? 20
Ligna crucis quænam? 593
Ligna altaris, non erant altare ipſum. 479 480
Lingua magniloqua, & manus otioſa. 782
Linguæ moderatio. à p. 751. ad 753
Linguæ igneæ. 783
Linguæ cur delapſæ ſuper Apoſtolorum capita 752
de Linitione chriſmali à Preſbytero in vertice baptizati facienda. 857. 858. &c.
Linteum quo exterſit Dominus ſuorum diſcipulorum pedes, vbinam ſeruatur. 44
Linteum quo fuit caput Chriſti in ſepulchro inuolutum, quid denotat. 11. 12. vbinam ſeruatur. *ibid.*
Linum aſbeſtinum. 31. viuum. *ibid.* pretium eius margaritas æquabat. 32. periit iampridem hæc lini ſpecies. *ibid.*
Lini & Byſſi differentia. 19
Lini proprietates, Sacerdotio conueniunt. 21
Lini variæ ſpecies & qualitates. 21. 22
Litteraturæ humanæ apparatu, quando & quantùm Concionatori vti liceat. 819
Litteræ humanæ, Eccleſiæ ſunt vtiles, ſi bene applicentur. 821
Litteris humanis quomodo caſtè vtendum. *ibid.*
Literati quantùm Eccleſiæ profuerint? 765
Litterarum humanarum vſus intemperanter damnatur. 821
Liturgia S. Clementis. 416. S. Iacobi. 417. S. Marci. *ibid.* S. Baſilij. *ibid.* S. Chryſoſtomi. *ibid.* Æthiopica. *ibid.*
Liturgia Latinæ Eccleſiæ. 878. 879
Liturgiæ S. Iacobi, S. Marci, S. Baſilij, S. Chryſoſtomi citantur. 877. 878.
Liturgiarum diuerſitas partes eſſentiales non ſpectat. 380
Liturgiarum varietas vniformis. 375 376
Locus Chriſti quàm tremendus! 346
Locus Euchariſtiæ celebrandæ, in ſcripturis non diffinitus. 489
Locus ſacrificij. 474. 475
Locus Petri. 346
Locus S. Lucæ act. 13. celebris pro Chriſtiano ſacrificio. 510
Logotimus, nuperus Concionatorum didaſcalus. 815. 817. 818
Loquacitas importuna quorundam prædicatorum. 823
S. Lucas edoctus à S. Maria de nonnullis myſteriis. 718
Lugduni ſeruatur Calix Domini, ſi Caluino credimus. 188
S. Ludouicus in Naui Euchariſtiam ſeruari faciebat. 490
Ludouicus VII. Rex Chriſtianiſſimus cum proceribus ſuis interfuit detectioni veſtis Domini apud Argentolium. 157. 162
Lumen Chriſti. 569
S. Lupi Epiſcopi Senonenſis in calicem gemma cœlitus immiſſa. 238
Lutherus odio ſe habere iactat nomen *conſubſtantialis*. 870. Eraſit è Litaniis, Sanctiſſimæ Trinitatis nomen ac inuocationem. *ibid.*
Lutherus & Caluinus quomodo Arrianiſmum infeliciter innouârunt? 871
Lux illuminans, & Lux illuminata. 748. 749
Lux & veritas cur à Sacerdote petuntur. 350

M

MACARIVS ſanctæ ciuitatis Epiſcopus. 76
S. Maglorij Monaſterium. 162
Malachiæ vaticinium de ſacrificio Chriſtiano explicatur. 188
Manaſſes de Garlanda Epiſcopus Aurelianenſis. 159
Manaſſes Epiſcopus Meldenſis. 152
Mandatum ſacrificandi, Sacerdotibus à Chriſto præſcriptum eſt. 527
Manipulus militaris, quid ſit. 61
Manipulus militaris, & Sacerdotalis. 70
Manipulus, ſtola, & zona, ſigna ſunt vinculorum Domini. 64
Manipulus confunditur aliquando cum orario. 84
Manipulus S. Caroli Borromæi. 71

Manipulus index eſt poteſtatis Sacerdotalis. 71
Manipulus exultationis, 70
Manipulus cur in ſiniſtra geſtatur. 68
Manipuli moralis & myſtica ſignificatio. 69
Manipuli animatum. 70
Manipuli frugum, manipuli lætitiæ. 62
Manipuli materia 64. & forma. *ibid.*
Manipuli vſus & abuſus. 65. 66
Manipulo aliter vtitur Epiſcopus, aliter autem Sacerdos, & cur. 66
Manumiſſio, nobis à Chriſto data. 25
Manus, lingua, & os Chriſti eſt in Miſſa Sacerdos. 345. 346
Manuum bina ablutio. 351
Manuum Sacerdotis ablutio in Miſſa ritus eſt Apoſtolicus. 317
Manuum extenſio Sacerdotis in Miſſa. 390. 391
Manibus illotis ad ſacrificium accedere, nefas. 554
Mappula. 63
Mappulæ, parua mantilia. 83
Mappulæ ſignificatio. 69
S. Marcelli Epiſcopi Pariſienſis ſepulchrum miraculis illuſtre. 512
Marcelli II. Papæ inſigne pronuntiatum. 649
S. Marciani præclara ſententia. 807. 808
Marcus Diaconus. 512
Maria virgo quotidie generat & parit, manétque incorrupta. 280
Maria, ſtella ex Iacob. 717
Maria illuminata & illuminatrix. *ibid.*
S. Maria ſapientior Apoſtolis. 716. 717. illos erudiuit in pleriſque. *ibid.*
S. Maria habuit tempus tacendi, & tempus loquendi. 718
S. Maria illuminauit clientes ſuos plerumque. 719
Virgo Maria, Sanctiſſima & Beatiſſima Deipara, caſulas dat SS. Hildephonſo Toletano, Bonito Claromontano, & Thomæ Cantuarienſi, à p. 132. ad 138. *incluſ.*
S. Maria, aquæductus myſticus. 545
SS. Maria V. Chriſtum filium ſuum circumcidit. 850
S. Maria arcana diuina præcordiis infixa ſeruabat. 718
S. Maria mater credentium. *ibid.*
S. Maria Prædicatorum opitulatrix. 719
S. Maria cur in Canone prima omnium SS. commemoratur? 401
S. Maria cur Lunæ comparetur. 717
S. Mariæ vterus benedictus, factus eſt templum Dei. 849
Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Apoſtolorum & Martyrum honorifica memoria vbique fit in ſacrificio. 416. 417. 418. 419
Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non tranſiret. 403
S. Mariæ Cathedralis Eccleſia Cremonenſis. 201
S. Mariæ maior Baſilica Arelatenſis. 169
S. Mariæ inuocatio illuſtratur, & multis titulis commendatur. 401. 402
S. Mariæ inuocatio ſolennis in omnibus Liturgiis celebratur. 402. 403. 404. 417. 418
Mariæ venerabile nomen, eximias ſignificationes habet. 716. 717. &c.
S. Mariæ Deigenitricis opem, cur & quomodo Sacerdos oblaturus debet implorare? 401. 402. 403. &c.
SS. V. Maria Sacerdotum ſacrificantium eſt propria tutelaris. 405
Beatiſſimæ Virginis zonæ nonnullæ reperiuntur. 45. 46. 47
de Beatiſſimæ Virginis pectine. 45
SS. V. Mariam ſalutandi in concionis initio, mos pius defenditur. 719. 720
Mariam qui diligit, Deum honorat. 720
Marianus Victorius. 118
Martinus Polonus. 189. &c.
Martini Kemnitij inſignis imprudentia. 584
Martyres cur candidati dicuntur? 28
Martyres per Euchariſtiam, ad agonem ineundum præparabantur. 411
Martyres Nicomedienſes quibus indiciis deprehenſi? 602
Martyres quòd vt Deos adoramus, vetus eſt Ethnicorum & hæreticorum calumnia. 57
Martyres qua ſunt ratione obſecrandi. 400
Martyrum ſepulchra, Chriſti ſunt altaria. 28
Martyrij candida apud Tertullianum. *ibid.*
Martyrologium Gallicanum citatur. 610
Materia prima & ſecunda ſacræ concionis. 796
de Materia prædicationis in genere. 795. 796. 797
S. Matthæi traditio. 555
Matthæus Paris citatur. 164. &c.
Matthæus Illyricus Lutheranus, refellitur. 380 idem Miſſam antiquam (vt vocat) ex Bibliotheca Palatina edidit. 381. ſed pleriſque locis vitiata eſt ac interpolata. 381. 382
Matthæus Legatus Apoſtolicus. 161
Matthæus Weſtmonaſterienſis. 166. 164
Mauriniacenſe Monaſterium. 162
Maximianus Abbas. 491
Maximinus polluens ſacros calices, diuinum in ſe furorem excitauit. 208
S. Maximus ſeruatus à naufragio, ſancto calice ad collum appenſo. 236. & 237
Medicus ſemper non ſanat. 746
Medium ſapit naturam extremorum. 743
Media ſalutis. 747
Media ad ſacræ Scripturæ intelligentiam comparandam. 801
Media quænam ſint ad virtutes Prædicatori neceſſarias comparanda? 756
Mediorum ad finem cognitio quàm neceſſaria concionatori. 743. 744. &c.
Mel, opificium eſt apis, Chriſti caro Virginis. 401
Mellis benedictio. 575. &c.
Menſa Euchariſtiæ, ſacrum altare dicta à ſancto Athanaſio. 478
Menſam benedicere, dignioris eſt officium. 598
Mentis cuſtodia per zonam indicatur. 61
Meridas Græci offerunt Sacerdotes, in memoriam Sanctorum. 326
Merides apud Græcos quid. 573

Meſſis ſemper multa, operarij pauci. 712
S. Methodius Martyr. 583
Methodus breuis, rectè & piè concionandi. 825. 826
Methodus prædicandi à SS. Patribus tam verbis, quàm exemplis expreſſa. 772. vſque ad 782
Methodum excipiendi confeſſiones S. Carolus edidit. 617. ad 638
Michaël Imperator Orientis. 219
Michaël Seruetus à Caluino excitatus, & exuſtus. 870. 871
Micrologus. 176. eius error. 559
Miles Chriſti quiſnam ſit? 654. quænam eius officia. *ibidem.*
Milo Ep. Teruanenſis. 152
Mincha, oblatio, quomodo fuit typus Euchariſtiæ? 313
Mincha, ſacrificium farreum Hebræorum. 306. cur Deus olim inſtituit. 313
Miniſtri baptiſmi quænam eſſe debet intentio. 855
Miniſtri Caluiniſtæ mercedem exigunt, ſuæ ſeductionis; populum quantùm onerant & emungunt? 371
de Miniſtro ſacrificij Chriſtiani latè. à 330. ad 448
Miniſteriales Calices. 218. vnde dicti, *ibid.* & 219
Miniſterium ad baptiſmum & ad pœnitentiam, quid? 220. 221
Miniſterium reconciliationis, eſt Sacerdotium. 546
Miſſa, eſt annunciatio, & viua expreſſio paſſionis Domini. 8
Miſſa, ſacrificium eſt expiatorium & propitiatorium. 369
Miſſa quomodo ſit vera & myſtica oblatio? 471
ſignatura M m m y
Miſſa eſt ſacrificium impetratorium præcipuè. p. 472. & ſeqq. fusè.
Miſſa eſt etiam ſacrificium laudis & gratiarum actionis. à p. 470. ad 474
Miſſa ſacrificium eſt ad Deum placandum. 445. ad 448
Miſſa pro omnibus neceſſitatibus offertur: quo axiomate, Molinæi retunditur impia dicacitas & petulantia. 363. &c.
Miſſa priuata vnde differt à ſolenni. 367. 368. Iam olim in vſu. 494. eas Molinæus angulares procaciter appellat. 361
Miſſa Chriſtianorum apud Indos. 418
Miſſa an canonicè poſſit celebrari à meridie ad nonam. 505
Miſſa ante horam nonam olim tempore ieiunij non celebrabatur. 550
Miſſa nonniſi poſt auroram regulariter celebrari poteſt. 503
Miſſa eſt ſacrificium λατρευτικὸν: id eſt honorarium, quia dirigitur ad Deum colendum. 440 & ſeqq. copiosè.
Miſſa eſt exaltatio Crucis. 391
Miſſas an Canones permittant Sabbato ſancto celebrari? 502
Miſſa, an poſſit in naui celebrari? 189. 490. 491
Miſſa S. Iacobi citatur. 877
Miſſa Ambroſiana. 590
Miſſa S. Ioannis Chryſoſtomi. 112
Miſſa Moſarabum. 418
Miſſæ ſacrificium, an in comeſtione conſiſtat. 407
Miſſæ ſacrificium in perfecta conſecratione & reali oblatione conſtat. 407
Miſſæ ſacrificium eſt Latreuticum & Euchariſticum. 547
Miſſæ quomodo aſſiſtendum? 646
Miſſæ Parœciales, publicæ. 485
Miſſæ ſacrificium pro quibus offerri poteſt. 415. & ſeqq. copiosè.
Miſſæ fructus an finitus ſit vel infinitus? 467. 468
Miſſæ pretium inæſtimabile. 3[illegible]
Miſſæ antiquitatem hæretici ipſi confitentur. 509
Miſſam qui celebrat Sacerdos, ieiunus eſſe debet. 507. item Laïcus qui ſacram ad Synaxim accedit. 507. ex traditione Apoſtolica. *ibid.*
Miſſam appellari conſtanter à Sanctis Patribus ſacrificium, Molinæus fatetur: ſed nititur dicta eorum ſequiori explicatione corrumpere. 470. 471
Miſſam celebrare in locis non ſacratis an liceat? 493
Miſſas priuatas quàm impotenter impetit P. Molinæus. 364. 365. 366. &c.
Miſſas plures an vna die Sacerdos celebrare poſſit? 523
Miſſas Apoſtoli in locis priuatis celebrârunt. 493
Miſſalis liber. 564
Mitella quid? 4
Mitra Rom. Pontif. 147
Mitra Innocentij IV. Auenione ſeruata. 85
Moguntia luſtrata & illuſtrata à Serario. 12
Molinæus. *Vide* Petrus Molinæus.
Margaritæ ante porcos non proiiciendæ. 350
Monachi, regulariter baptizare non poſſunt. 842
Monialium cellulæ. 604
Monothelitarum hæreſis damnata. 237
Mores circa ritus aliquando mutantur. 494
Mors Chriſti pretium eſt noſtræ redemptionis. 459
Mortem Domini annuntiare quid ſit? 386
Mortificatio. 413. 756
Moyſes edoctus erat in omni ſcientia Ægyptiorum. 739
Moyſis & Pauli in docendo diſcrimen. 727
Moyſis cur & quomodo cornuta eſſet facies? 668. 669
Moyſis velamen quid ſignificabat. 9
Moyſi dictum à Deo, *hæc palam facies verba, & hæc abſcondes.* 797
Mulier Chriſtiana præferri debet viris infidelibus in miniſtrando baptiſmo, vbi vrget neceſſitas. 851
Mulier prægnans mitiùs tractari debet. 178
Mulieres iuſſu Antiochi occiſæ, habitæ ſunt Martyres, & cur. 850

Mulieres an poſſint in caſu neceſſitatis baptizare. 849. 850. 851
Mundus velut cithara. 644. 645
Municipatus ſupernæ ciuitatis. 28
Murenæ omnes ſunt fœminæ, & concipiunt è viperis. 38
Murenæ praſinales, zonæ Eccleſiaſticæ. *ibid.*
Murenulæ aureæ vermiculatæ argento. *ibid.*
Mutus & ſurdus, aut cæcus, ab Epiſcopatu cur repellantur. 582
Myrrhæ liquor fragrantiſſimus. 386
Myſterium fidei, cur potiùs dicitur in forma calicis, quàm alterius ſpeciei? 254. 255
Myſterium & Sacramentum, ſunt ferè ſynonima. 882
Myſteria ablutionis manuum. 354

N

NABVCHODONOSOR vidit in fornace ignis, Dei Filium, ſed non agnouit. 119
Nauarri opinio quædam minùs probatur. 505. 535. 536
Naufragij metus ingens. 490. 491
Nauis benedictio. 605. &c.
Neceſſitas nulla eſt hominum, pro qua ſacrificium Euchariſtiæ non offeratur. 364. 365
Neophytus, nec Epiſcopus, nec Presbyter debet ordinari. 706
Nepotianus Presbyter, S. Hieronymo chariſſimus, & laudatiſſimus. 702
Nicetas, Græcus Presbyter. 532
Nicolaus Aurificus, auctor libri de dignitate Clericorum. 349
Nicolaus Coloſſenſis defenditur. 885
Nicolai I. præclarum documentum. 684
Nicolai I. reſponſum ad Bulgarorum quæſita. 597
B. Nili pium deſiderium. 602. 603
Nomen vnde dicitur? 100
Nomina diuerſa iiſdem rebus paſſim imponuntur. *ibid.* & 101
S. Norberti poſtrema tranſlatio. 58
Notitia diuinarum & humanarum rerum. 738
Notitia præteritorum, præſentium & futurorum, quàm neceſſaria. 750
Nouatores nituntur omnibus viribus vt Sacerdotium aboleant. 507. 508
Nouatores contendunt tollere omne externum ſacrificium. 474
Nouatores, vocum profanarum propolæ. 304
Nouitas in minimis etiam circa mores & ritus Eccleſiæ. 56
Nugæ in ore Sacerdotis, ſunt blaſphemiæ. 383. 809
Numa Pompilius. 352
Nummus Hebraicus. 184
Nuptiæ per Sacerdotalem benedictionem conſecrantur. 553

O

OBEDIENTIA mandatum ſupponit. 526
Oblatio verbalis, an ſit formalis ratio ſacrificij noſtri? 407. 408
Oblatio realis, eſt eſſentialis in ſacrificio Miſſæ. 406. 407
Obligatio Sacerdotis offerendi corpus Domini, demonſtratur. à p. 525. ad 540
Obiectiones grauiſſimæ diluuntur circa obligationem offerendi, Sacerdotibus indictam. 528. 529. 530. 532
Oblita peccata quomodo remittuntur. 173
Occaſio captanda. 791
Octauius Ferrarius. 147
Octauius Ferrar. auctor inſignis libelli de re Veſtiaria. 103. Cenſet penulam aliud eſſe à planeta; & Caſulam non eſſe veſtem Sacerdotalem ex priſco vſu. 103. refellitur. 104
Oculus intellectualis. 351
Oculi intus, & foris. 728. 729
Oculis alienis legere. 847
Odo Epiſc. Bellouacenſis. 152
Odo Abbas S. Dionyſij. 161
Odo Cameracenſis citatur & refellitur. 437
Odor mortis in mortem: Odor vitæ in vitam. 863
Odor ſuauitatis, odor quietis. 386
Odoratum vnguem, quem vocat Dioſcorides? *ibid.*
Offerre pro SS. Apoſtolis & Martyribus quomodo intelligendum. 416
rectè Offerre quid ſit? 362
Offerri Deo nihil poteſt acceptius corpore filij ſui dilectiſſimi. 327
Officium Prædicationis in Synodo Senonenſi præſcribitur. 825
Officia Epiſcopi, accuratè recenſentur. 687
Oleum oliuæ ſurgit ex amaritudine radicis. 593
Olei ſimplicis benedictio. 576. 577
Oleo Apoſtoli infirmos vngebant, & ſanabant. 577. 578
Olea conſeruare, munus erat Sacerdotis. 546
Oleorum vſus in veteri Teſtamento. 546
Omnia tempus habent. 791
Omnibus omnia. 687
Onuphrius Panuinus. 84
Onuphrius Panuinus elucidauit obſcuras voces rerum Eccleſiaſticarum. 100. 101
Opitulationum donum, olim frequens, nunc rarum eſt. 578
Opus operantis in Miſſa. 347
Opus imperfectum in Matthæum, non eſt S. Chryſoſtomi. 490
Operis boni perfectio. 35
Opera bona, media ſunt ad ſalutem conſequendam. 744
Opportunè & importunè arguere. 790. 791. Quidnam ſit? 654. 655
S. Optati Mileuitani illuſtre teſtimonium pro cultu Filij & Spiritus ſancti. 869
Optati querimoniæ contra Donatiſtas. 479
Orale, ornatus ſpecialis ſummi Pontificis. 84
Orarium, quid? 83
Orarium ab oratione vult Beda deriuatū eſſe. 82
Orarium, quoad nomen. 81. an dicendum ſit aurarium? *ibid.*
Orarij apud Græcos vnde nomen. 83. & quis vſus. *ibid.*
Orari, & offerri poſſe certo modo pro infidelibus. 428. 430

Oratio Dominica fundamentum eſt precationum in Miſſa. 473
Oratio Dominica vt in Miſſa recitetur, Apoſtoli ſtatuerunt. 572
Orationis Dominicæ excellentia. 178. 179
Oratio inſignis dicenda in Miſſæ ſacrificio à fidelibus qui ei aſſiſtunt. 474
Oratio præludium eſt prædicationis Deo gratiſſimum, hominibus verò vtiliſſimum. 716
Oratio, ieiunium, & eleemoſyna, magnæ ſunt virtutis apud Deum. 179
Oratio difficillima eſt moderatu. 784
Oratio interpretatiua Chriſti in cœlo. 467
Oratio pro defunctis in Miſſa, ab Apoſtolis deſcendit. 572
Oratio pro Iudæis in Paraſceue Domini. 429. 430
Orationis mira efficacia. 714
Orationes fiunt in Miſſa, pro omnibus hominibus. 437. 438. 473. 474
Generales deprecationes pro omnibus fidelibus in liturgiis extant. 438. 439
Orationes & oblationes pro fidelibus defunctis. 420. 421. vſque ad 426
Oratores mundi illuſtriores ad Chriſtianos ſuggeſtus tranſierunt. 783
Oratores adoleſcentuli. 706
Oratores Cathedrarij. 761
Ordo Romanus antiquus. 126. 590. &c.
Ordo benedictionis Candelarum in feſto Purificationis. 586
Ordo Eccleſiaſticus genus eſt militiæ. 61
Ordo Hierarchicus. 556
Ordo conſecrationis Regis Chriſtianiſſimi. 290. 291
Ordo, appellatur Miſſæ Canon. 374
Ordo in Eccleſia quàm diligenter ſeruandus? 381. 648
Origines Claromontanæ. 136
Origenes citatur. 8
Origenes primus Eccleſiæ poſt Apoſtolos magiſter. 317
Origenis commendatio inſignis. 693
Origenis exemplum inſigne lapſus, & pœnitentiæ. 724. 725
Origenis inſignis doctrina. 640
Origenis, pulchra doctrina de Prædicatoris puritate. 721
Ornatûs Sacerdotalis & Epiſcopalis antiquitas. 56
Os amictu non velabis, Ezech. 24. quomodo intelligendum. 9
Oris oſculum, pietatis pignus. 6
Oſculari & adorare, ſunt in ſacris promiſcua. *ibid.*
Oſſium Martyris dedicatio, candidam veſtem viduis reddebat. 30
Oſeas explicatus. 485
Ouis in ligno. 342
Ouorum benedictio. 594

P

PALA Linoſtima, quid erat? 84
Palladius Epiſcopus Santonenſis. 485
Pallium fuit familiare Apoſtolis. 107
Palma miraculoſa. 589
Palmarum, an oliuarum ramos Hebræi obuiam Chriſto portauerint? 592
Palmarum benedictio, & ramorum. 589. vſque ad 593
Paludani opinio, quoad partem reiecta. 524. 525
Pamphilus Martyr, defenſor Origenis ſtrenuus, 693.
S. Pancratij M. reliquiæ. 185
Panis benedictus cur fidelibus datur. 574
Panis benedictus eſt typus Euchariſtiæ. 860. 861
eius loco, dabatur Catechumenis. 573
Panis & vinum non ſunt materia, ex qua conſtat ſacrificium. 406
Panis benedicti virtus diuina. 573
Panis benedicti antiquitas. 573. 574
Panoplia Sacerdotalis, idea Chriſti patientis apparatûs. 60
Panopliæ Epiſcopalis, nec non Clericalis, ſcopus proprius. 348. 349
Papa equo albo ac palliato vectus, ſolenniter procedebat. 84
Papæ ineſſe quid diuinum, verum eſt. 154
Paradoxa Walfridi & Honorij Æduenſis referuntur, & refelluntur. 103. 104
Parænesis ad Sacerdotes baptizantes. 861. 862
Parænesis ad Sacerdotem pro inuocatione ſanctiſſimæ Virginis in Miſſa. 403
Parænesis eximia ad Sacerdotem, ex perſona Spiritus ſancti. 155. 156. 157
Paraſceues ſanctæ ritus inſignis. 248. 249
in Paraſceue cur pro hæreticis Eccleſia non orat? 435
Pariſienſis Eccleſiæ mos antiquus. 4
Pariſiis erat olim celebris caſula ſancti Petri Antiochena. 109
Parœciæ, vt interſit populus ad audiendum verbum Dei, moneri debet diligenter. 701
Parœcus animas immediatè paſcit. 660
Parœcus habet ius legitimum baptizandi, 845
Parœci quænam arma ſint? 661
Parœco vis coactiua non competit. 661
Paſcere gregem Dominicum perfecti amoris indicium eſt. 662. 663
Paſcha vetus, dum mutatur, impletur. 310
Paſcha imminente, cùm Chriſtus paſſus eſt, Hieroſolymis frigus erat. 891
Paſcha, ſecundus Domini natalis. 502
Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. 310
Paſchalis cerei benedictionis antiquitas & myſteria. 579. 580. 581. 582. &c.
Paſchalis I. 286
Paſchalis II. PP. decretum inſigne de non porrigenda communione intincta. 276
Paſchaſius Epiſcopus ſcripſit ad S. Leonem 840
Paſſio Domini, cur calix dicitur. 269. 270
Paſſio Chriſti à Sacerdote potiſſimum imitanda. 389. 390. &c.
Paſſio Domini in Miſſa accuratè recenſetur, 506
Paſſionis Domini imitandæ à Sacerdote do-

cumenta. 389. 390. &c.
Paſtor exemplar debet eſſe bonorum operum. 663. ad 666.
Paſtor à ſpiritu vindictæ quantum abhorrere debet. 661
Paſtor animarum, amore Dei feruere debet ſuper omnia. 661. 662
Paſtoris ſtudium. 655. 656
Paſtoris officium erga ſuum gregem. 650. 651
Paſtoris animarum quænam eſſe debet ſcientia? 651
Paſtoris ſollicitudo. *ibid.* & 652
Paſtoris patientia. à p. 659. ad 661.
Paſtoris boni officium, eſt diſſimulare plurima. 658
Paſtoris quanta eſſe debet prudẽtia. 653. 654. &c.
Paſtori opus eſt ſexcentis oculis. 654
in Paſtore non tam miracula ſunt neceſſaria, quàm virtutes. 665
Plurima neſcire oportet animarum Paſtorẽ. 638
Paſtores animarum quàm diſtrictam ſunt pro eis rationem reddituri. 649. 650
Paſtoris boni dotes, à Chriſto verbis & factis expreſſæ. 663. 664. 665. 666
de Paſtorum periculo, tremenda S. Chryſoſtomi ſententia. 649. nec non & Marcelli P.P. II. *ibid.*
Paſtoralis officij finis. 652
Patena quid & vnde dicta? 281. 282
Patena ſacra. 282. eiúſque ſanctificatio. *ibid.*
Patena chryſtalina in Miſſa Papæ. 289
Patena velut thalamus eſt corporis Chriſti depoſiti è cruce. 292. 293. 295
Patenæ cellulæ plures varia Chriſti myſteria deſignant. 298
Patenæ myſterium ritu Græco. 296. 297
Patenæ myſteria explicantur. à p. 294. ad 296
Patenæ & pixidis differentia. 285
Patenæ paruæ & magnæ. 285. 286. 289
Patenæ conſecratæ vſus ſolennis. 282. 283. &c.
Patenæ myſteria ex vſu Latino, Syriaco, Gothico. 296. 297
Patenæ Chriſmales illuſtrantur. 290. 291
Patenæ myſticus ritus apud Indos. 299
Pater diuinus, nonniſi per filium interpellari poteſt. 325. 326
Pater miſit filium ſuum, vt filius diſcipulos ſuos. 659
Pater noſter ſepties, vetus pœnitentiæ modus. 178.
Patri ſoli nomen Dei per excellentiam conuenire Caluinus docuit. 870
Patri cur acceptum refertur redemptionis beneficium. 879
Patri æterno hoſtia quæ offertur, Chriſti æquipariter adæquatur. 217
ad Patrem cur in ſacrificio, oratio dirigitur. 868
SS. Patres, qui Euchariſtiam eſſe docent ſacrificium propitiatorium. 369. 370
SS. Patres quibus documentis & exemplis Prædicatorem inſtituerunt: maximè verò S Cyprianus, Origenes, S. Baſilius, ſanctus Gregorius Nazianzenus, S. Chryſoſtomus, ſanctus Ambroſius, ſanctus Hieronymus, ſanctus Auguſtinus, ſanctus Gregorius Magnus, ſanctus Bernardus. 670
Patres citandi mos non bonus. 846. 847
Patres non eodem ſtylo ſemper ſcripſerunt. 887. 888
SS. Patrum catalogus qui Epiſcopum ad prædicandum aſſerunt præcipuè teneri. 673. Eorúmque dicta & exempla. *ibid.* & 674. 675. 676. Speciatim verò ſancti Clementis &c. ſancti Dionyſij, ſancti Ignatij, ſancti Irenæi, ſancti Cypriani, Iuſtini Martyris, Athanaſij, Chryſoſtomi, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij &c.
SS. Patrum teſtimonia, qui munus prædicandi iure Sacerdotali, Preſbyteris aſſerunt competere. 691. 692. 693. vſque ad 698
SS. Patrum qui eloquentiæ Chriſtianæ fuerunt potiora lumina, indiculus. 783
Patrum verenda operire decet, reuelare non licet. 525
SS. Patrum doctrina à Prædicatore ſequenda & proponenda. 816. quàm culpabilis eſt & exitioſus eiuſdem neglectus. *ibid.* & 817. 818
Paterna veſtis & annulus, chara ſunt pignora. 174
Paternitas omnis ab æterno Patre deſcendit. 862
Patientiæ Chriſti exemplum. 659
Patientiæ elegans iconiſmus. 661
Patientiæ Præconium. *ibid.*
Patina. 281
Pauendum eſt ad ſanctuarium. 397
S. Paulinus ſynchronus ſanctorum Auguſtini & Hieronymi, eorúmque amicus. 486
S. Paulinus laudatur. 610
S. Paulino quærenti quænam ſit differentia inter Paſtores & Doctores, quid ſanctus Auguſtinus reſpondet? 681. 682
S. Paulus cur dictus vas electionis. 839
S. Paulus nonnullos baptizauit. *ibid.*
S. Paulus tria media Prædicatori ad dignè concionandum innuit & commendat. 772
S. Paulus in cælo edoctus, cœpit iubente Deo, Euangelium prædicare. 708
S. Paulus cur raptus in cœlum. 762. 763
S. Paulus fuit eloquentiæ Chriſtianæ miraculum. 770
S. Paulus quomodo ſe dicat ſermone imperitum. *ibid.*
S. Paulus typus Concionatorum. 791
S. Paulus factus agnus ex lupo. 745
S. Paulus humanæ ſapientiæ & ſcientiæ gloriam contempſit. 765
S. Paulus inermis adiit Corinthum. *ibid.*
S. Paulus an Philoſophiæ fuerit imperitus? 763
S. Paulus Poëtas parcè allegat. 763
S. Paulus edoctus à Chriſto, fidelium nihilominus preces in auxilium implorabat. 715
S. Paulus & ceteri Apoſtoli an fuerint omnis eloquentiæ expertes? 768
S. Paulus quomodo inuocandus? 400
S. Paulus inebriatus calice Domini. 258
S. Paulus an in naui Euchariſtiam conſecrârit? 489
S. Pauli zelus mirabilis. 429. 430
S. Pauli quanta ſollicitudo pro fidelium ſola-

tio & ſalute? 652
S. Pauli charitas erga fideles. 652. 653
S. Pauli primæua inſtitutio. 763
S. Pauli origo & educatio. 764
S. Pauli ſumma prædicationis. *ibid.*
S. Pauli cæleſtis præconis humilitas. 714. 715
S. Pauli gratia ſpecialis. 762.
S. Pauli tituli inſigniores. *ibid.*
S. Pauli gladius. 729
S. Pauli ſudaria & ſemicinctia ſuo contactu ſanabant infirmos. 51. 52. 53. 57
S. Pauli admirabilis modeſtia. 715
S. Pauli verborum fulmina. 769
S. Pauli ardor pro ſalute Iudæorum. 429
S. Paulus, ciuis Romanus Senatorij ordinis. 107
S. Pauli Eremitæ ſepultura. 610
Paulus CP. Patriarcha. 237
Paulus Epiſc. Tyrienſis. 186
Pacis ſymbolum eſt candidus color. 25
Peccatum mortale, obex eſt ferè vnicus ad ſacrificium. 358
Peccata multis remediis expiantur. 179
Peccata leuia & venialia. 172
Peccata grauia & maxima. 171
Peccatorum vera remiſſio in ſacrificio Miſſæ. 472
Pectuſculum cum armo dextro, portio erat Sacerdotis. 8. ſymbola erant ſapientiæ & fortitudinis. *ibid.*
Penula contra imbres. 107
Penula viloſa. 108. ſcortea. *ibid.*
Penula, an ſit ſacra veſtis. 106. 107
Penula ethnica, & Chriſtiana. 103
Penula an ſit pallium? 107
Penula cuius meminit Apoſtolus, an ſit theca librorum? 106
Penulæ contra frigus ſunt veſtes, ideóque ſenum. 107
de Penulæ, planetæ, & caſulæ vocabulis. 101. 102
Penulam cur Paulus expetit? 108
S. Peregrini caſula. 113
Periculum grande eſt, in Eccleſia loqui. 724
Peronij Cardinalis commendatio. 866. *Vide* Card. Perron.
Perſecutionum tempore latebras SS. Cyprianus & Athanaſius quæſierunt. 541
Perſeuerantia. 34
S. Petrus primus Chriſtianorum Pontifex. 111
S. Petrus à Chriſto baptizatus eſt. 833
S. Petrus quatenus exorandus? 400
S. Petrus ordinis Miſſæ fuit auctor. 376
S. Petri Catenæ. 50. 51
S. Petri pius ſtupor. 387
S. Petri Sacerdotalis amictus & effigies. 115
S. Petri Cathedra vindicata. 111
de S. Petri cingulis. 50
S. Petri barbam & reliquias Caluinus deridet. 111
S. Petri Baſilica Pariſiis, eſt Eccleſia S. Genouefæ. 109
SS. Petri & Pauli antiquiſſimæ imagines. 116
Petre amas me (ait Dominus Petro) *diligis me plus his*? paraphraſticè explicatur. 662. 663. 666
Petre occide & manduca? explicatur præclarè. 729
Petrus Martyr, hoſtis Eccleſiæ. 883
Petrus Epiſcopus Siluanectenſis. 152
Petrus Bleſenſis. 110. 129. eiuſdem verſus de Miſſa. 130
Eiuſdem doctrina notabilis. 155. 156. 157
Ipſius Synodici ſermones ab inſigni loco ſcripturæ ſemper incipiunt. 643
Petrus Lombardus allegatur, & illuſtratur. 456
Petrus Paulinus, Decanus Bruxellenſis. 761
Petrus Molinæus Caluiniſtarum rigidiorum ſignifer. 56. Vide ſub vocabulo, Molinæus.
venerationem zonæ S. Margaritæ, Ethnicorũ ſuperſtitioſis faſciolis impiè aſſimilat. 56.
Eius hallucinatio. *ibid.*
P. Molinæus quàm malè interpretatur commemorationem Sanctorum in Miſſa. 416. 417. 418. 419
Petrus Molinæus auctor libri peſtilentiſſimi. 362
Petrus Molinæus diabolum ſuperat in ironiis & deriſionibus ſacrorum myſteriorum. 363
P. Molinæus falsò Canonem Miſſæ criminatur. 424
P. Molinæus S. Epiphanij manifeſtè peruertit teſtimonium. 422
P. Molinæus, vel cæcum, vel hebetem ſe prodit. *ibidem.*
P. Molinæus fatetur tempore Conſtantini M. altaria fuiſſe lapidea. 480
P. Molinæus quàm impudenter impugnat Concil. Tridentinum. 449. 450. &c.
P. Molinæus Nouitatis Doctor. 486
P. Molinæus inſignis ſcurra Caluiniſticus. 425. caſtigatur. *ibid.*
P. Molinæus fatetur tandem quod antè denegauerat. 472
P. Molinæus fatetur in Euchariſtia mortem Chriſti repræſentari, & eius paſſionem in redemptionis pretium offerri. 366
P. Molinæus argutatur ridiculè. 484. abutitur peſſimè Oſeæ Prophetæ teſtimonio. 484. 485
P. Molinæus olim ſophiſta Leidenſis, antequam Miniſter fieret Caluiniſta. 866
P. Molinæus infamis ſcurra, deriſor perpetuus religionis Catholicæ myſteriorum, & rituum. 866. aliquando in rabiem vertitur. *ibid.* ignarus in ſacra Chronologia. 866. 867
P. Molinæi petulantia caſtigatur. 485
Petri Molinæi falſæ criminationes diluuntur de vitioſa intentione Sacerdotum ſacrificantium. 362. & ſeqq. fusè.
P. Molinæi impia dicteria refelluntur. 153. 365. 366
P. Molinæi hominis perditi impia dicacitas. 371
P. Molinæi mendacia. 476
P. Molinæi impia dicacitas circa Dei Patris

imaginem retunditur. 153. 154
P. Molinæi dictum, *Deus ab ore conſecrari non poteſt*, expenditur. 453. 454
P. Molinæi intolerabilis impoſtura detegitur & refellitur. 865
Petri Molinæi fraus. 479. 481
Petri Molinæi malignitas caſtigatur, circa locum inſignem S. Dionyſij. 423
P. Molinæi impietas aduerſus ſanctiſſimam Trinitatem. 871
P. Molinæi ridiculæ cauillationis ad ſacrificium deſtruendum, referuntur. p. 448 449. 450. &c.
Petri Molinæi putida ignorantia. 479. 480.
P. Molinæi immane odium contra Chriſti corporis adorationem. 869
P. Molinæi artificia. 881
Petri Vireti ad Caluinum epiſtola: Caluinique ſcitu digna reſponſio. 853
Petrobruſſiani hæretici, Chriſtiani Sacerdotij negatores. 548
Phælonium, ſeu Phænolium. 121
Phanon, ſeu Fanon. 63
Phariſæorum vitia ad Chriſtianos tranſierunt. 722
Pharmacum pretioſum & ſalutiferum confectum à Chriſto. 7
Philippus Diaconus non baptizauit ex officio, ſed ex diuina diſpenſatione. 844
Philoſophia vana & deceptuoſa. 819
Philoſophi Cathedrarij quinam ſunt? 761
Philoſophi de verbis ſtudioſi, de moribus negligentes. 721
Philoſophi veri, qui & antiqui? 761
Philoſophorum aliquot axiomata pernicioſa ſunt circa fidem. 820
Philotheus, auctor ritualis apud Græcos. 121. 127
Photius à doctrina eminenti commendatur. 886
Phrygium Romani Pontificis. 84
Pietas virtutum eſt fundamentum. 727
Pietas vera emarcuit apud pleroſque Chriſtianos. 599
Pignus virtutis paſſionis & mortis Domini, nobis dari in Euchariſtiæ oblatione, hæretici tandem fatentur. 472
Piſces myſtici, Chriſtiani ſunt. 849
Piſcina myſtica, eſt pœnitentiæ Sacramentum. 617
Pius V. Caietani iuſſit expungi periculoſam ſententiam. 534
Planeta, veſtis Sacerdotalis vnde dicta. 101. an hoc vocabulum Latinum ſit, vel Græcum? 125
Planeta, & caſula an differant. *ibid.*
Planeta, & orarium propria Sacerdotis inſignia. 119
Planetæ Sacerdotalis, & Epiſcopalis, ac Archiepiſcopalis diſcrimen apud Græcos. 129
Planetæ antiquæ forma. 105
Planetæ Græcorum & Latinorum differentia. 128
Planetæ Græcorum figura. 126
Planetæ myſteria. 140. & ſeqq.
Planetæ, vnde dictæ quædam ſydera? 101
Plebs ſancta quænam ſit? 436
Plebis ad paſtorem ſubiectio & obſeruantia. 648. 649
Pluuiale, vnde dictum? 143. 144
Poderis quidnam ſit? 13. & ſeqq. Vide ſub nomine, Alba.
Pœnitentes benedicere, idem eſt ac eos abſoluere. 613
Pœnitentiæ ritus. 586. &c.
Pœnitentiæ medietas remiſſa. 173
Pœnitentia vnius anni quid ſit. 171. plurium annorum diuerſitas. 172
Pœnitentiæ 40. dies remiſſi, iam olim ab Epiſcopis. 175
Pœnitentiæ taxatio pendet ab arbitrio Sacerdotis. 176. 177
Pœnitentium exercitia. 586. 587. 588
Pœnitentium reconciliatio quomodo adminiſtrari debeat? 615. 616
Pollex Sacerdotis eſt inſtrumentum conſecratum. 860
Pollice S. Chriſma debet contingi & applicari. 290
de S. Polycarpi zona. 53. 54
Polydori refellitur ſententia, de Canonis Miſſæ compoſitione. 376. 377. &c.
Pompa, quid eſt? 125
Pontæſianum Monaſterium, in antiquis chartis dicitur Ponteſſarenſe. 161. 162
Pontifex ſummus Prædicatores poteſt vbique immediatè mittere, ſed vix hoc facit. 700
Pontius Abbas Cluniacenſis. 276
Pontius à Leone. 129
Pontius Diaconus S. Cypriani. 112
Populus Hebræus vbi offerre deſiit: populus Chriſtianus incepit. 472
Populi malitia. 659. 660
S. Pirminius Epiſc. Metenſis Legatus fuit Gregorij II. 56
Poſſidius, diſcipulus S. Auguſtini, poſteà Calamenſis Epiſcopus. 701
Poteſtas ſacrificandi an ſit merum priuilegium Sacerdotum? 530
Poteſtas quando & quomodo neceſſitatem imponit, 529
Poteſtas remittendi peccata, quàm ſtupenda ſit? 616
Poteſtas ſuper corpus Chriſti myſticum reſpicit claues Eccleſiæ. 613
Poteſtates Petri & Cæſaris diſcretæ. 544
Pontificalis Romani noui, verba quædam aliter habent quàm erant in veteri. 644
Pontificale MS. ad vſum Eccleſiæ Pariſienſis. 191
Pontificalis liber MS. ad vſum Eccleſiæ Senonenſis. 118
Pręceptum communicandi obligat omnes fideles. Igitur ſacrificandi omnes Sacerdotes deuincit. 526
Præceptum datur peremptorium, quo Sacerdotes aliquoties ſaltem celebrare tenentur. 526. 527. 528. 529. 530. &c.
Præcipitatio in agendis quàm noxia. 657
Præco mutus. 697
Præcones Euangelij laruati. 767

Prædi-

Prædicatio an ſit munus abſolutè proprium Epiſcopi. 691. 698
Prædicatio & oratio, coniuncta. 716
Prædicatio, Epiſcopi munus præcipuum eſt. 672. 673. &c.
Prædicatio eſt functio Epiſcopalis. 689
Prædicatio admirabilis S. Pauli. 769
Prædicationis mos varius in Eccleſia, quoad officij aut gradus dignitatem. 703
Prædicationis fructus. 740
Prædicationis locus, neque loco, neque tempore circumſcriptus. 489
Prædicationis tempus magis opportunum. 791. 792
Prædicatione verbi Dei nihil honorabilius Sacerdotibus. 671
Prædicationis ſubiectum & materia explicatur. 795
Prædicator crucis, ſurſum aſpirat. 793
Prædicator cur debet curioſitatem fugere. 755
Prædicator quomodo humilitatem ſeruare poteſt. 742
Prædicator Euangelicus an debeat eſſe litterarum humanarum expers? 763
Prædicator cur è loco ſublimi concionatur? 758.
Prædicator tria noſſe debet munera prudentiæ. 750. 768
Prædicator vt generet ſobolem eruditam: Patrem æternum filium generantem debet imitari. 781
Prædicator concha ſit, non canalis. 780. 781
Prædicator quomodo debet vti gladio. 729
Prædicator ſeipſum immolare debet. *ibid.* 730
Prædicator Columbæ ſit ſimilis, in miris pleriſque proprietatibus. 786. 787. 788. 789
Prædicator propriæ ſalutis ante omnia ſtudioſus eſſe debet. 729
Prædicator quibus mediis vti debet. 747
Prædicator etſi animas non conuertat, laborem non perdit. 746
Prædicator non tantùm purus ſceleris, ſed virtute præſtans eſſe debet. 725. 726. 727. 728. &c.
Prædicator non riſum mouere debet, ſed lachrymas elicere. 785
Prædicator præſtanti doctrina eſſe debet, ac multiplici ſcientia. 739. 740
Prædicator ſit imitator turturis. 789. vſque ad 795
Prædicatoris dignitas, labor & merces. 748. 749
Prædicatoris opus eſt orare, legere, ſcribere, meditari. 740
Prædicatoris Euangelici proprietas. 790
Prædicatoris diſcretio. 751
Prædicatoris vitia & errores. 752
Prædicatoris cathedra, crux eſt Chriſti patientis & docentis. 762
Prædicatoris præparatio quænam? 794
Prædicatoris fortitudo explicatur. 731. 732. vique ad 736.
Prædicatoris ætas legitima. 705. ad 710
Prædicatoris officium. 747
Prædicatoris reticentia & metus quàm graue malum. 735
Prædicatoris ſcientia ex profeſſo declaratur. 738. 739. 762. &c.
Prædicatores ſunt myſtica animalia, plena oculis antè & retro. 728
Prædicatores cur ſal mundi dicuntur? 751
Prædicatores opem ſanctiſſimæ Virginis ſedulò poſtulent. 716. 717. & ſeqq.
Prædicatores pariunt animas Deo. 747. 748
Prædicatoris quàm arduum officium. 743
Prædicatores caueant pulullos conſuere. 730
Prædicatores cur dicuntur in ſcripturis, lingua, loquela, ſonus, vox, & verbum. 671
Prædicatores plerique Ciceroniani pluſquam Chriſtiani. 714
Prædicatoris periculum. 723. 724
Prædicatorum adoleſcentulorum genuina deſcriptio. 706
Prædicatorum ex Scripturis elogia collecta à Sancto Gregorio. 696
Prædicatorum ſynodica inſtructio accurata. 823. 824
Prædicatorum ſuo abutentium officio, crimina. 809
eorumdem pœnæ canonicæ. 823. 824. 825. 826
Prædicatorum ſuperborum inanis gloriatio. 766. 767
Prædicare verbum Dei quanta ſit dignitas. 667
Prædicant quidam per occaſionem: alij per charitatem. 744
de Prædicandi officio totus eſt 2. partis lib. IV.
de modo & forma legitimè Prædicandi, iuxta SS. Conciliorum decreta. à p. 823. ad 829.
Præeſſe operibus bonis quid ſit. 666
Præfatio ante canonem eſt in omnibus liturgiis. 471
Præfecturæ Pariſienſis ſacræ ingens onus, variarúmque rerum notitiæ occaſio. 246. 247
de Præfectura animarum. à p. 648. ad 666
Præſanctificata. 570
Precationum & Miſſarum ordinatio ad Epiſcopos pertinet. 371
Precationum Eccleſiaſticarum antiquitas. 581
Preces examinandæ ab Epiſcopis, antequam in Eccleſia recitentur. 869. 870
Preces & poſtulationes ſolennes Eccleſia pro omnibus generis humani neceſſitatibus, Deo fundit per Chriſtum in ſacra Paraſceue. 338 339 364.
Preſbyter an ſit propriè Sacerdos, quæſtio inſignis. à p. 505. ad 510
Preſbyter in ordinatione ſua duplicem recipit poteſtatem. 614. 615
Preſbyter ſine licentia Epiſcopi plebem non poteſt congregare. 700
Presbyter eſt legitimus miniſter ordinarius Baptiſmi. 840. ad 843
Presbyter ritè & canonicè populo in Miſſa benedicit. 557. quæſtio hæc olim agitata, dirimitur. 557. 558
Presbyter ſine licentia Epiſcopi aliquas benedictiones ſi faciat, peccat quidem: ſed ratæ tamen illæ manent benedictiones, & cur. 668

Presbyter participat diſpenſationem perfecti-uam Epiſcopi. 642
Presbyter ſolus linit chriſmate baptizatos in fronte. 845
Presbyter in fermentato celebrans qua pœna dignus in Latina Eccleſia. 2. quando excuſatur. *ibid.* &c.
Presbyteri functiones. 697
Presbyteri veri character expreſſus à ſancto Baſilio. 694
Presbyteri, tigna cedrina ſunt domus Dei. 640.
Presbyteri baptizantis, & Diaconi diſcrimen in hoc actu. 841
Presbyteri menſam olim, aut Diaconi benedicebant. 598
Presbyteri ordinatio eſt opus Dei. 341
Preſbyteri ordinatio apud Græcos 799. & apud Latinos. *ibid.*
Preſbyterorum quænam ſunt munera. 641. 840
Preſbyteros de Monachis ordinari cur indulſit ſanctus Gregorius. 697
Presbyteri ordinantur ad regimen altaris. 644
Presbyteri ſunt & dicuntur præſidentes. 640. & Eccleſiarum præfecti. 641
Presbyteri recens ordinati, citò celebrare non debent. 707
Presbyteri animarum curatores. 704
Presbyteri ſunt Senatores Eccleſiæ. 641
Presbyteri (ſub Epiſcopo) præſunt Eccleſiæ. *ibid.*
Presbyteri per longæ eruditionis ignem, & per diuturni laboris fornacem excocti prædicatione fungantur. 705
Presbyteri ſunt Epiſcopi auxiliarij & conſortes. 515. 642
Presbyteri conſident, Epiſcopus ſedet. 640
Preſbyteri liniunt Chriſmate in vertice Neophytos ex decreto ſancti Silueſtri. 858. 859 vnctio illa an ſit Sacramentum? *ibid.* An baculo vel pollice Sacerdos hanc linitionem facere debeat. *ibid.* abuſûs cuiuſdam correctio *ibid.* Cur hæc linitio in fronte fiat. 860
Presbyteri duplici honore, qui digni ſunt? 808
Presbyteri regimini animarum præfecti prædicare tenentur. 700. 701. &c.
Presbyteri titulo parœciali non ſuffulti, ius per ſe prædicandi non habent. 701
Presbyteri cuique cœtus præſidentes. 647
Presbyteri in opus prædicationis Epiſcopis dati ſunt auxiliatores. 691
Presbyteri doctores ſunt populi Chriſtiani. 690
Presbyterorum ius prædicandi aſſeritur: obiectionéſque in contrarium ſoluuntur. 698. 699. 700. &c.
Presbyterorum cura ſufficit vbi minores ſunt plebes. 704
Presbyterorum ætas priſcis canonibus præſcripta. 708
Presbyterorum excellentia. 640. &c.
Presbyteris quantum imminet periculum. 808
Presbyteris iam olim propriæ Eccleſiæ aſſignatæ. 695
Presbyteris Parœciarum rectoribus, conceſſum baptiſmi miniſterium ipſo iure. 341
Presbyteris non liceat ſine ſtola vel orario in publicum procedere. 78
Presbyteris incumbit munus prædicandi tam inſtitutione diuina, quàm vſu perpetuo Eccleſiæ. 689. & ſeq.
Presbyteros ſubiectos eſſe Epiſcopo per omnia Chriſtus voluit, Petrus docuit, Patres ſanctionibus ſtatuerunt. 700
Presbyteralis conſecratio. 516. 518 519
Presbyteralis vnctio olim fiebat cum Chriſmate. 291
Presbyteratus quomodo ſpectat ad ſacrum principatum? 642
Presbyteratus differt ab Epiſcopatu non ſpecie ſed gradu tantùm. 513
Presbyteratus Dei conſeſſus eſt, & cœtus Apoſtolorum. 640
Presbyteratus honor eſt Sacerdotalis. 519
Presbyterium Romano more agere. 74
Primitiæ Spiritûs Apoſtolis datæ ſunt. 711
Primogeniti oblatio & ſacrificium. 434
Priuilegium ſingulare monaſterij S. Dionyſij. 689
Priuilegium ſacrificandi, Sacerdotum coniunctum eſt cum onere. 530
Proceſſio ſolennis in die palmarum. 589. 592
Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus. 876
Proclus perſecutor Sacerdotum in Africa diuinam iram perſenſit. 208
Profani procul ſint à ſacrificio. 353
Proles ante tempus natæ non domos, ſed tumulos replent. 705
Prophetia Iacob de ſanguine vuæ explicata. 268. 269
S. Proſper, Sacerdotij paranymphus. 545
Protopapas apud Græcos, eſt Archidiacono maior. Imperatorē benedicebat & vngebat. 6.
Prudentia quid ſit? 737. 741
Prudentia ſerpentum. 653
Prudentia præcellit in ſacro & ciuili regimine. *ibid.*
Prudentia chorum virtutum ducit. 653
Prudentia carnis. 737
Prudentiæ veræ & falſæ diſtinctio. 737. 738
Prudentiæ in Paſtore neceſſariæ ſex theoremata. 656. 657. 658. 659
Prudentiæ veræ curioſitas aduerſatur. 755
Prudentiæ Chriſtianæ ſumma. 451
Prudentiæ filiæ tres. 745
Prudentiæ variæ definitiones & eius partes diuerſæ. 741
Prudentiæ præclara officia. 739
Prudentiæ Prædicatori neceſſariæ octo ſunt actus, de quibus à 737 ad 755
Prudentis animi, tria tempora ſunt. 750
Prudentius, Homerus Eccleſiæ. 198
Prudentij hymnus de cereo paſchali vindicatur. 579. 580
Puer centum annorum maledicitur. 710
Tres pueri in camino ignis per Dei filium protecti contra ignis ardorem. 339
Pueros communicare, in Africa mos antiquus fuit. 234. 235
Pullati procedentes ad nuptias, inepti. 26
Purgatorium & ſacrificium coniunctum hæretici negant. 410

Puritas quæ & quanta in Sacerdote requiritur. 352
Puritatis perfectio. 350. 351
Putei noui benedictio. 601

Q

QVADRAGENA, quid ſit. 175
Quæſtio notabilis de indulgentiis priuatis. 177
Quæſtio notabilis de ſacrificij Miſſæ ratione formali. 406. 407
Quæſtio notabilis de commixtione corporis Chriſti cum ſanguine. 276. 277
Quintella mulier hæretica. 849. eius impia temeritas & furor. *ibid.* aduerſus eam Tertullianus ſcripſit. *ibid.*

R

RABBI Iſmaëlis de meditatione legis, inſignis reſponſio. 800
Rabbinorum traditio notabilis. 414
Radulfus Tungrenſis. 192
Ragnemodus Epiſcopus Pariſienſis. 512
Ratoldus Abbas Corbeienſis. 570
Rebaptizantium priſcorum hiſtoria graphicè deſcripta. 851. 852
Receſſus à vitiis. 756
Rectum in ſacris Scripturis quid ſonat? 561.
Recti corde, quinam ſunt. 361. 362
Redimiculum. 41
Regulæ breues ad rectè prædicandum à S. Carolo Borromæo præſcriptæ referuntur. 829. 830
Regulares prædicare non poſſunt etiam ſuis in Eccleſiis, ſine licentia Epiſcopi. 827
Regularia loca quænam ſunt? 604
Religionis Chriſtianæ excellentia in ſeptem rebus conſiſtit. 441
Reliquiæ Sanctorum in altari. 28
Reliquiæ ſanctorum Martyrum dedicandis altaribus neceſſariæ. 485
S. Remigius Clodoueum de fonte leuauit. 202.
S. Remigij teſtamentum. 123
Sancti Remigij promotio ante ætatem Canonicam, accuratè defenditur. 710. 711
S. Remigio adhuc adoleſcenti Deus dedit honorem ſenectutis. 655
Remiſſio peccatorum opus eſt Spiritus ſancti. 616.
Regnum Chriſti in Miſſa celebratur. 298
Reproborum pernicies vnde oritur. 745
Res quæ olim offerebantur, ad certa prædicamenta referuntur. 307
Rex quam ob cauſam gladium portat? 544
Rex Chriſtianiſſimus merus laicus non eſt. 149. 150
Rex Chriſtianiſſimus in die ſuæ coronationis ſub duplici ſpecie communicat. 243. 244
Rex cur vngitur in brachio? 544
Regis Francorum Chriſtianiſſimi prærogatiua ſingularis. 524. 525
Regis Francorum vnctio cœleſtis. 290
Regi gladium Epiſcopus ex altari tradit. 544
Reges vnguntur à Pontificibus. 511
Rhetoricæ partes præcipuæ. 795. 796. &c.
Ridentes & garrientes in Eccleſia acriter ſanctus Chryſoſtomus reprehendebat. 646
Riſus in Eccleſia, diaboli opus eſt. 363
Rituale Romanum. 562
Rituales libri Græcorum & Latinorum. 88
Rituales auctores citantur. 2. 3. 11. 14. 20. 32. 60. 61. 87. 88. 119. 120. 141. 142
Ritualium auctorum quanti ſunt momenti teſtimonia? 87
Ritus Papalis electionis. 240. 241. 242
Ritus Miſſæ Muſarabicus. 297
Ritus Ambroſianus, Romanus, Alexandrinus, Græcus, Gotthicus, Hieroſolymitanus. 375
Ritus agni in paſcha benedicendi. 593
Ritûs benedictionis menſæ antiquitas. 597. 598. 599.
Ritus Eccleſiæ aliquando mutantur, ſed non ſine cauſa. 494
Ritus benedicendi panis, antiquitas & documenta. 574. 575
Ritus nauis benedicendæ. 605
Ritus cœmeterij benedicendi. 610. & tumuli, 611.
Ritûs benedictionis ignis immutatio. 569
Ritus ſacri diei palmarum recenſentur. 589. 590 591. &c.
Ritus benedictionis campanarum. 607
Ritus conſecrationis patenæ. 282
Ritus benedicendi thalamum coniugalem. 608. 609
Ritus feriæ IV. Cinerum. 586. ad 588.
Ritus & ordo nouæ domus benedicendæ. 603.
Ritus viſitationis infirmorum vnde ortus? 562
Ritus benedicendi ſalis, antiquitas. 566
de Ritu præferendi crucem maioribus prælatis, liber citatur. 129
Robertus Epiſcopus Carnotenſis. 159
Robertus Rex, cappam gerens & ſceptrum ferens, Cantoris officio in Eccleſia fungebatur. 149
Dauidi comparatur eiuſdem pia munificentia. 123. 149.
Roma cur ſancto Chryſoſtomo tam amabilis. 770
Roma ſubterranea. 481
Romana ciuitas, catenis ſancti Petri cincta, patet aſtris, clauſa eſt bellis. 51. 52
Romani Pontifices an canonem Miſſæ variis additis particulis & ritibus compoſuerint. 376
Romani Pontifices ſemper fuerunt & ſacri decori & vniformitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſi. 582
Romanus pro Catholico. 598
Rota in medio rotæ. 408. 412
Rotrocus Epiſcopus Ebroic. 152. 160
Rupertus. 120

S

SABBATO an ieiunandum. 224
Sabbato ſancto benedictio noui ignis. 568. &c.
Sabbato ſancto cur fit Cerei benedictio ſolennis? 582
Sabbato ſancto, vigiliæ Paſchæ officium anticipatur. 502
de Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ, extat integer titulus. à p. 501. ad 503
Saccus Sacerdotalis Græcorum. 121
Sacerdos Chriſti locum & typum tenet. 556
Sacerdos orat in Miſſa pro omnibus fidelibus tam præſentibus, quàm abſentibus. 437. & pro totius mundi ſalute. 429. in altari omnium curam gerit. 475
Sacerdos eſt præſes altaris. 642. 643. 644
Sacerdos cuſtos eſt, & vindex altaris. 474. 475
Sacerdos benedicit populo vice Chriſti. 549
Sacerdos, alueus eſt diuinæ in nos bonitatis. 545. 546
Sacerdos vt leo debet ſe gerere. 411
Sacerdos eſt Angelus Domini exercituum. 646
Sacerdos, munus offerendi quoad actum aliquando intermittere poteſt. 523
Sacerdos in baptiſmo conferendo contrahit cum baptizato cognationem. 862
Sacerdos debet publicè arguere publicè peccantes. 646
Sacerdos baptizaturus cur ad Orientem olim reſpiciebat. 862
Sacerdos ſacrificans ſe totum Deo debet offerre. 385. 413
Sacerdos niſi ſeipſum obtulerit, non poteſt Deo gratum ſacrificium immolare. *ibid.*
Sacerdos an minori cum diſpoſitione, celebrare poſſit, quàm Laïcus communicare? 357
Sacerdos ſtolam alio modo gerit, quàm Diaconus, ac etiam Epiſcopus. 80
Sacerdos eſt cauſa inſtrumentalis etiam coniuncta & viua in ſacrificio. 346. 662
Sacerdos eſt angelus officiô. 617
Sacerdos quomodo baptiſmi cæremonias debet imitari. 863
Sacerdos Chriſtum in altari debet imitari, & quomodo? 384. 385. 405. 406. &c.
Sacerdos eſt dapifer menſæ Chriſti. 345
Sacerdos quando excuſatur à confeſſione, ſacrificio præmittenda. 359. 360
Sacerdos ſacrificaturus ad B. V. præſidium, quomodo debet confugere. 405
Sacerdos eſt os Chriſti. 345
Sacerdos ordinatur ad ſacrificium Deo offerendum. 304. 305
Sacerdos eſt cooperator Chriſti. 343
Sacerdos in Miſſa repræſentat Chriſtum in cruce. 130
Sacerdos eſt diuinæ omnipotentiæ organum. 345. 346
Sacerdos intrans ad altare, inſtar ſolis eſſe debet. 347
Sacerdos pietate regit: Rex verò iuſtitiâ. 544
Sacerdos cur dicitur in myſteriis, cauſa inſtrumentalis ſeparata? 345
Sacerdos Angelus Seraphicus. 398
Sacerdos ſacris veſtibus ſe operiens, Verbi eſt Incarnati ſimulachrum. 341
Sacerdos non eſt Dei miniſter in iram. 544
Sacerdos propriè offert in Miſſa, ſed Chriſti nomine. 330. &c.
Sacerdos omnis an quotidie ad celebrandum teneatur? 521. 522. 523
Sacerdos ius habet, vt de altari viuat. 566. 571
Sacerdos dum orat, riſus eſt damnabilis. 383
Sacerdos negligens, quanto in animæ periculo verſatur? 383. quot malorum reus. 469
Sacerdos in caſu neceſſitatis plures Miſſas celebrare poteſt. 524
Sacerdos ſi plures Miſſas celebraturus eſt, ieiunus tenetur permanere. 525
Sacerdos quando legitimè excuſatur à ſacrificio celebrando? 538. 539. 540
Sacerdos an celebrare actu nunquam teneatur? 525. ad 540
Sacerdos in Miſſa, inſignia Chriſti portat quia eius perſonam gerit. 339
Sacerdos in Miſſa orat pro omnibus fidelibus Clericis & Laïcis. 436
Sacerdos offert & diſpenſat vt Chriſti miniſter. 331. 332.
Sacerdos, ſecundi ordinis, eſt Preſbyter. 516
Sacerdos in Miſſa eſt Chriſtus ſacrificans & ſacrificatus. 339. 340. 341
Sacerdos idoneus ſacrificio rite offerendo, quis ſit? 409
Sacerdotis operantis in Miſſa etiam meritum attenditur. 347
Sacerdotis tremendum ac mirabile officium. 329
Sacerdotis nomine, veteres Epiſcopum, per excellentiam, deſignabant. 510. 511. &c.
Sacerdotis actio ſupereminens, eſt conſecratio corporis Domini, eiuſdémque oblatio. 514
Sacerdotis manuum conſecratio. 544 545
Sacerdotis præparatio legitima ad ſacrificium. 351
Sacerdotis eſt ſacris præeſſe. 142. 647
Sacerdotis debet inter ſacrificandum eſſe realis & permanens conuerſio. 410 411
Sacerdotis primum munus, eſt Deo benedicere. 546. 547. 548
Sacerdotis officium, munus eſt Spiritus ſancti. 544
Sacerdotis munus pacificum. *ibid.*
Sacerdotis luctuoſum facinus. 360. 361
Sacerdotes Leuitici, ante annum 30. non poterant tabernaculo deſeruire. 707
Sacerdotis ſanctitas aduerſis probatur. 22
Sacerdotis manus, Chriſti dextera eſt. 548
Sacerdotis pectus quibus repleri debet. 8
Sacerdotis variæ expurgationes. 351

Sacerdotis labia, vt cuſtodiunt ſcientiam. 72

Sacerdotis myſticum apparatus quantum ad puros mores. 725. &c.

Sacerdotis prærogatiua in ſacris. 647. 648

Sacerdotis miniſterium quotidianum, & eius ſacra ſupellex. 520

Sacerdotis vox, eſt vox Chriſti in Miſſa. 341

Sacerdoti celebranti in calice non conſecrato, quænam infligi debet pœna? 216

Sacerdoti an ſatis ſit pro debito officij, ter aut quater in anno celebrare? 533. &c.

Sacerdotis oblatio & conſecratio propria, in Miſſa. 489

Sacerdoti expetenda Sanctorum ſuffragia. 599

Sacerdotem ordinari ad benedicendum. 543. ad 546

Sacerdotem ſapientiſſimum eſſe oportet & perſpicacem. 728

in Sacerdote neceſſe eſt omnia eſſe vocalia. 349

Sacerdotes inter, ac ceteros Clericos quantum diſcrimen. 639. 640

Sacerdotes, Dei ſunt adiutores. 862. quanta ſit hæc dignitas. 863

Sacerdotes, practicè Lutherani qui ſunt? aut Caluiniani. 409. 410

Sacerdotes olim aurei. 195

Sacerdotes ordinat teſtamentum Dei ſuper ſacrificia. 642. 643

Sacerdotes propriè, ſoli ſunt Epiſcopi & Presbyteri. 513

Sacerdotes & Clerici quibus inſtruendi ſunt diſciplinis. 726

Sacerdotes cùm prædicant Euangelium, formaliter agunt, vt Chriſti miniſtri, ſecus eſt de Laïcis. 723

Sacerdotes ſacrificaturi præmittere quando opus eſt, confeſſionem tenentur. 358

Sacerdotes mali quàm infelices. 346

Sacerdotes quando maximè tenentur Miſſam celebrare. 535. 536. 537

Sacerdotes vagi, interdicti. 495

Sacerdotis cum peccato graui celebrantis crimina. 469. 470

Sacerdotes indignè accedentes ad offerendum ſacrificium, an exciderunt à fide. 316. 320

Sacerdotes Ethnici quanto cum metu & reuerentia ſacrificabant. 352

Sacerdotum vnctio. 510. cur vnguntur. 533

Sacerdotum Græcorum præfatio. 352. 353

Sacerdotum honorarium quàm modicum, ſtipendij Miniſtrorum Caluiniſtarum reſpectu. 371

Sacerdotum mal. mores tam Deo ingrati, quàm Eccleſiæ noxij. 722

Sacerdotum præcipuum decus. 671

Sacerdotum Prouinciæ nouitas in habitu & geſtis à Cæleſtino I. PP. reprehenditur. 55

Sacerdotum Hebræorum regulæ. 353

Sacerdotum poteſtas quàm admirabilis. 344. 345

Sacerdotum actio paris non eſt virtutis. 347.

Sacerdotium pro Epiſcopatu. 510. 511 512. &c

Sacerdotium eſt in hominibus omnium bonorum ſumma. 639

Sacerdotum veterum præparatio notabilis. 725

Sacerdotum varia erant officia in veteri Teſtamento. 546

Quamprimum confiteantur, reſpectu Sacerdotum: quomodo debet intelligi? 360. 361

Sacerdotum Ægyptiorum diſciplina. 352

Sacerdotum veteris teſtamenti ſeptem erant officia. 508

Sacerdotum puritas perennis, inſtar vini eſſe debet. 52

Sacerdotum præcipua dignitas ea eſt, quòd ſunt ſerui Chriſti. 134

Sacerdotibus quanta olim reuerentia in Anglia deferebatur? 560

Sacerdotalis apparatus refert Chriſtum patientem. 139. 140

Sacerdotalis character per ordinationem Presbyteralem confertur. 614

Sacerdotalis zona. 59

Sacerdotalis peritia in rebus agendis. 656

Sacerdotale debitum offerend. explicatur. à p. 508 ad 541

Sacerdotalis veſtis & amictus: tunica linea. 21.

Sacerdotale munus quanta cum reuerentia obeundum? 617

Sacerdotium ordinem eſſe principantem demonſtratur. à p. 639. ad 642

Sacerdotium, terminus eſt graduum Eccleſiaſticorum. 8

Sacerdotium an rectè comparetur magiſterio alicuius facultatis. 531

Sacerdotij ſecundarius actus, ſecundùm quem Presbyteri ſunt Epiſcopo inferiores: non autem ſecundùm primum actum Sacerdotij. 642

Sacerdotij formalis ratio eſt ſacrificium. 528

Sacerdotij actus proprius eſt ſacrificium. 8

Sacerdotij elogia. 545

Sacerdotio Chriſtiano non poteſt aliud eſſe nobilius. 343

Sacerdotio quare annexus eſt cœlibatus. 522

Sacramentum non magis Sacerdoti proficit quàm Laïco. 358

Sacramentum nonniſi digniùs ſumentibus, magis prodeſt. 347

Sacramentum an nullum ſit, quod alij à Sacerdotibus miniſtrare poſſint licitè. 847

Sacramenti, & ſigni ſolius diſtinctio. 892

Sacramenti Euchariſtiæ & ſacrificij differentia quoad virtutem. 435

Sacramentorum legitimum, eſt ordo Miſſę. 574

Sacramentorum auctor eſt Chriſtus. 832 833

Sacramentorum antiquorum vis minima, noſtrorum intuitu. 308

Sacramentorum eſt materia determinata. 855

Sacrificari an poſſit vbique? 488

Sacrificantis actio propria quid confert? 347

Sacrificandum *rectè*. 361. &c.

Sacrificalis tota actio, in quo conſiſtit? 347

Sacrificium ſoli Deo vni & trino debetur. 325. 872

Sacrificium Sanctis numquam offertur. 325

Sacrificium eſt primum munus religionis. 441
Sacrificium opus eſt Sacerdotale. 547
Sacrificium quadruplex eſt in Miſſa. 329
Sacrificium Miſſæ quomodo pro redemptione noſtra offertur? 420. &c. *fusè*. 461
Sacrificium Miſſæ offertur pro viuis & defunctis. 415
Sacrificium Miſſæ, præcipua noſtra ſalus eſt. 360
Sacrificium Miſſæ an ex parte Chriſti ſit meritorium & ſatisfactorium. 467
Sacrificium propitiatorium in Miſſa Deo propriè exhibetur. 445. veritáſque huius ſacrificij contra Molinæum aſtruitur fortiter & accuratè. 445 446. & ſeqq.
Sacrificium Euchariſtiæ omnes differentias continet hoſtiarum. 510
Sacrificium Euchariſtiæ, *mundè* offerendum. 349
Sacrificium Euchariſtiæ eſſe propitiatorium hæretici præfractè negant. 470. 471
Sacrificium Euchariſtiæ ſi deficeret, periret religio. 527
Sacrificium Euchariſtiæ impetrari poteſt pro omni neceſſitate. 365
Sacrificium matutinum & veſpertinum perfectum eſt in cruce & in Euchariſtia. 311
Sacrificium virginitatis quomodo offertur in Miſſa. 326. 327
Sacrificium qui nituntur tollere, quonam auctore id faciont? 548
quocumque die an ſacrificium celebrare liceat. 496. 497
Sacrificium offerre licet pro Hæreticorum conuerſione. 433. 434
Sacrificium commemoratiuum, verum non excludit. 471
Sacrificium vt ſit plenum quid requiritur ex parte Sacerdotis. 385
Sacrificium crucis cauſa eſt vniuerſalis redemptionis noſtræ. 460
Sacrificium crucis per agnum Paſchalem figurabatur. 509
Sacrificium quomodo poteſt eſſe viſibile & externum, cùm hoſtia ſit inuiſibilis. 453
iuge Sacrificium explicatur. 311
Sacrificium offerendum eſt *legitimè*. 371. 372 &c.
Sacrificium qui tollunt, qua ſuggeſtione id faciunt? 325
Sacrificij Miſſæ eſſentia in qua re conſiſtit? 406. 407
Sacrificij Miſſæ præcipua efficacia eſt, quòd ſit impetratorium. 474
Sacrificij Euchariſtiæ præclara elogia à S S. Patribus pronunciata. 470. 471
Sacrificij virtus ex opere operato, & ex opere operantis. 469
Sacrificij locus demonſtratur. 474. 475. &c.
Sacrificij ratio abſolutè à ritibus & cæremoniis non pendet. 347
Sacrificij vſus & finis in quo ſitus eſt. 347
Sacrificij vera definitio. 323
in Sacrificio minutæ culpæ, quàm periculoſæ. 384
Sacrificia Hebræorum & Chriſtianorum quomodo differunt? 456
Sacrificia pro omnibus peccatis lex non inſtituerat. 308
Sacrificia antiquæ legis pro diuerſis perſonis, & ad diuerſos fines offerebantur. 307
Sacrificia antiqua præcipuam vim habebant per modum ſigni. 308
Sacrificia veteris legis ad quatuor ſpecies referuntur. 306. &c.
Sacrificia antiqua quam vim habebant expiandi. 308
Sacrificia crucis & Miſſæ quomodo differunt? 459. 460. quomodo conueniunt? *ibid.*
Sacrificia omnia veteris legis typi erant ſacrificij legis Euangelicæ. 310
Sacrificiorum veterum vis & efficacia quomodo differt à noſtri ſacrificij pretio & virtute. 307
Sacrificiorum materia erat diuerſa. 307
Sal in ſacrificio. 567
Sal cur aquæ admiſcetur. *ibid.*
Sale ſeminatæ vrbes. *ibid.*
Salis virtutes & myſteria. 566. 567
Salomonia vaſa. 487
Salus præcipua vbi conſtat. 300
Salus ex Iudæis eſt. 430
Salutis ſignum & pignus quod ſit? 605
Salutatione Angelica honoratur S S. V. & vicem rependit. 720
Samſon Archiep-Rhemenſis. 152
Sanctificare Euangelium quid ſit? 721
Sanctimonialibus tangere calicem non licet. 214
Sanctitas ſemper in Eccleſia permanebit. 712
Sancti quinam ſunt eminentiſſimi. 404
Sancti glorificati quomodo in Miſſa commemorantur, & an pro ipſis offeratur. à 416 ad 420
Sancti veſtiti in gloria byſſo. 27
Sancti quomodo ſunt exorandi. 400
Sanctorum exempla velut imbres. 757
Sanctorum victoria. 28. Illorum via lactea & lucida. *ibid.*
Sanctorum commemoratio ſpecialis, quoad eos quorum natales agebantur. 382
Sanctorum commemoratio in Miſſa, quàm neceſſaria & efficax? 399
Sanctorum inuocatio & interceſſio. 400
Sanctorum honorifica mentio fit in myſterio altaris. 416
Sancta Sanctis. 350
Sanguis Chriſti meliùs clamat quàm Abel. 430.
Sanguis Chriſti vinum eſt mirificum. 278. 279
Sanguis Chriſti verè effuſus in cruce, verè itidem in calice. 452
Sanguis Chriſti pro omnibus effuſus eſt. 437
Sanguis Chriſti niſi bibitur, non medetur. 437.
Sánguis victimarum cur per Pontificem inferebatur in ſancta, 184. 185
Sanguis Agni Paſchalis figura fuit Chriſti ſan-

guinis, hócque modo ſignatos ſeruabat. 509
Sanguinis Chriſti virtus. 185
Sapientis non eſt dicere, non putabam. 864
Sapientes conſulere, ſignum eſt bonitatis. 740
Sapientia diuina humanata. 168
Sapientia virgo. 280
Sauaro doctiſſimus Præſes & inſignis ſcriptor. 136 487
Saül num inter Prophetas? 397
Scandali auctores, maledicto obnoxij. 538
Scholaſtici oratio in Miſſa, quænam à ſancto Gregorio ſuppreſſa? 375. 376
Scientia omnis bona eſt in ſe. 765
Scientia ſæcularis per ſe non eſt mala. 810
Scientiæ humanæ gazas vberiores quinam PP. ſpoliârunt. *ibid.*
Scientiæ donum infuſum Apoſtolis. 764
Scientiæ donum quid ſit. *ibid.*
Scientiæ multiplicis, eiúſque mediorum deſignatio, qua debet Euangelij profeſſor præmuniri. 767
Scientiarum diuerſa ſunt genera. 763
Schiſmatici & hæretici diſcrimen. 452
Scortea, veſtis. 122
Scriptura ſacra eſt theſaurus copioſus. 812. Ager delicioſus 813. Amœnus. 813. Cella Vinaria. *ibid.* Ros cæleſtis. 813. Odor agri pleni. 814. Lectulus. *ibid.*
Scriptura ſacra vtilis ad docendum. 810. ad arguendum, ad corripendum. 811. 812
Scriptura ſacra eſt margarita perfectè rotunda. 797
Scriptura ſacra, liber eſt Sacerdotalis. 797. 798 à concionatore ſedulò meditandus. 799. 800 vnicè profitendus. 804. 805. ſolidè ac perſpicuè prædicandus. 805. 806. 807
Scriptura ſacra, ſubſtantia eſt Sacerdotij noſtri. 798 799
Scripturæ ſacræ neglectus in Concionatore, quàm exitioſus? 814. Eiuſdem abuſus. 815
Scripturæ ſacræ finis ac ſcopus. 811. 812
Sacræ Scripturæ intelligentia quibus mediis acquiri poteſt. 801. 802
Scripturæ ſacræ continent encyclopædiam omnis doctrinæ. 822
Scripturæ ſacræ ſtudio quanto ardore ſanctos Patres exarſerunt. 802. 803. Maximè verò Origenes, S S. Baſilius & Gregorius Nazianzenus, ſanctus Ambroſius, S. Chryſoſtomus, ſanctus Auguſtinus, Venerabilis Beda, ſanctus Bernardus, & non ita diu ſanctus Carolus Borromæus. à 802. ad 804
de Scripturæ ſacræ excellentia ac vtilitate. p. 807. ad 816
Scripturarum notitiam paſſim omnes profiteri non verentur. 708
S. Sebaſtiani tranſlatio. 201
Secretarium Eccleſiæ, Diaconion etiam appellabatur. 213
Secretaria duo in Eccleſia apud Patres. 808. 809
Sedes Epiſcoporum linteatæ. 112
de Sede Prædicatoris. à p. 758. ad 762
rectæ Semitæ quæ ſint. 361
Senatoria veſtis. 107
Senatores penulati. *ibid.*
Senatores veſte niuea conſpicui. 29
Senatum habet Eccleſia. 641
Sepulchra Martyrum, Chriſti ſunt altaria. 609 610
Seraphim purificans. 398
Sermo mentem manifeſtat. 670
Sermo ſale condiendus. 567
Seruus Chriſti, titulus Apoſtolorum principalis. 533
Seruorum tres gradus apud veteres erant. *ibid.* 534
Seſanna in agro Trecenſi. 287
Seuerianus Gabalitanus Epiſcopus. 890
Sextarius Gallicus. 186. Atticus, Hebraïcus, Romanus. *ibid.*
Siclus Hebraïcus. 184
Sidonius Apollinaris citatur. 26
Sidonij concio ad populum. 888
Sigillum Eccleſiæ Toletanæ. 155
Signaculi crucis ritè efformandi ratio. 390
Signum nudum, Sacramentum non efficit. 892
Signum crucis meditationis Chriſti paſſionis eſt indicium. 389
Signi crucis vis diuina. 961
Signa ſuper calicem. 389
eorundem myſteria. 252. 253
Silentij neceſſitas & vtilitas. 659
Silentium pernicioſum. 735
S. Silueſter, an priuilegium Epiſcopis contulerit confirmandi neophytos. 858. 859
S. Silueſtri antiqua effigies. 26. 127
Simon Ep. Nouiomenſis. 152
Simon Theſſalonicenſis. 82. 121. 129
Simplex oleum cur ſic dictum? 577
Simplicitas columbæ. 789
Siſbertus Archiepiſcopus Toletanus. 155
Siſibotus Epiſcopus Toletanus, aliàs Siſbertus. *ibid.*
Sitis ſancti calicis. 280
Sixtus III. 285
Sixtus III. vaſcula ſacra pro baptiſmo & pœnitentia dedit. 221
Solenniter, vt intelligendum. 845
Sophiſtica vitanda eſt Concionatori. 819
Sophronius. 612
Species Sacramentales per accidens adorantur. 892
Specie ſub duplici communicant ſolennibus diebus Monachi Sandionyſiani. 244. 245
Specierum commixtio, an ſit pars eſſentialis ſacrificij. 406. &c.
Spes copioſæ remunerationis. 757
Spiritus non extinguendus. 706
Spiritus ſanctus cur datus ſub flatûs & venti ſymbolis. 670. 671
Spiritus ſanctus eadem adoratione colendus, qua Pater & Filius. 869
Spiritus ſanctus cur in Apoſtolos delapſus ad formam linguarum ignearum? 731
Spiritus fons eſt ſanctificationis. 721
Spiritus quomodo cum Patre & Filio con-

glorificatur. 871. 872. &c.
Spiritus ſancti opus eſt ſpeciale, Euchariſtia. 876
Spiritus ſancti diuinitas ex ſacris Scripturis oſtenditur. 874. 875. &c.
Spiritus ſancti virtute, Euchariſtia conficitur. 875. 876
Spiritus ſancti obumbratio. 616
Spiritus ſancti allocutio ad Sacerdotem celebrantem. 155. 156. 157
Spiritus in Miſſa loquitur ad Sacerdotem tanquam Pater ad Filium. 340
Spiritui ſancto ſicut Patri & Filio ſacrificium Euchariſtiæ offertur. 873. & cur? 874. 875. 876
Spiritum ſanctum qui blaſphemat, exors eſt veniæ. 869
de Spiritu compunctionis, quo Chriſtianus orator affici debet. 785
Stapletoni ſententia memorabilis de Sacerdotibus incontinentibus. 320
Stephanus Epiſc. Meldenſis. 160
S. Stephani vultus coruſcatio in ſynagoga. 669
S. Stephani protomartyris ſtola. 76
S. Stephani PP. & Martyris rebaptizantes damnantis zelus & auctoritas maxima in nouo errore extirpando. 852
S. Stephani PP. decretum de veſtium ſacrarum vſu. 76
Stephani Duranti opinio de Laïcorum antiqua communione exploditur. 218. 219. 220
Stephanus Duranti doctiſſ. Præſes & rituum ſacrorum tractator, expenditur loquens de caſula. 125
Stipendia annua exigunt Miniſtri Caluiniſtæ à ſectariis ſuis. 371
Stola vnde dicta. 77
Stola byſſina. 20
Stola dicitur ſignum Domini. 80
Stolâ vti Subdiacono non licet. 79
Stola explicatur toto lib. V. p. 1. à p. 73. ad 200
Stola pro omni indumento. 73 Stola quid eſt? 78. Stola quotuplex. 73. Stola Sacerdotalis quæ nunc eſt in vſu, an fuerit apud Leuiticos Sacerdotes. 74. 75. vel cœperit ab ipſa Apoſtolorum ætate. 75. 76
Stola talaris, honeſtarum matronarum veſtis erat: breuis, mulierum nota impudicarum. 73. 74. 77
Stolâ violaceâ inſignitus Sacerdos dæmones adiurat & expellit. 93. 95
Stola cur collo reuincta? 93
Stola vſualis extra ſacra. 79
Stola, ornatus præcipuus Sacerdotis ſacrificantis. 79. [redacted]
Stola retinetur, depoſito manipulo extra altaris myſterium. [redacted]
Stola S. Vincentij. 86. S. Valerij. *ibid.* S. Genebaldi, S. Birini. 86
Stola S. Iacobi fratris Domini. 75. 76
Stola & Manipulus ſancti Caroli Borromæi. 71
Stola S. Huberti mirifica. 87
Stola S. Clementis Metenſis Epiſcopi. 94. S. Marcelli Pariſienſis. *ibid.* S. Mauri. 95. & 96. S. Vincentij. *ibid.* & 97. ſanctorum Martyrum Iuliani & Celſi. necnon SS. Fructuoſi. 97. 98. S. Valerij. *ibid.* S. Huberti. *ibidem.* S. Leonis PP. IX. 99. S. Gregorij Nazianzeni. *ibid.*
Stola ornata Diacono prohibita fuit. 85
Stola in torquem mutata. *ibid.*
Stola ab orario diſtinguitur. 78. 79
Stola & tunica linea S. Iacobi, erant res diuerſæ. 76
Stola rectè dicitur auratium, non orarium. 81
Stola ſignum eſt officij Prædicationis, iugi Domini, Sacerdotij, innocentiæ, manſuetudinis, humilitatis, obedientiæ, charitatis. à p. 91. ad 93
Stola Apoſtolis & Martyribus vſitata. 86
Stolæ noſtræ deſcriptio. 78
Stolæ vis diuina. 93. & ſeqq.
Stolæ & orarij antiquitas. 85
Stola Pontificalis. 76. Stola Sacerdotalis. 77
Stolæ expandendæ ſuper capita fidelium ſupplicantium, mos antiquiſſimus. 93
Stolæ myſteria. 89. & tropologia. *ibid.* & 90. 91. 92. 93
Stolæ mentio frequens eſt in Conciliis & apud Patres. 87
S. Stephani PP. exemplum. 493
Stolam & orarium promiſcua eſſe vult Alcuinus. 78. item Rabanus & Honorius. *ibid.*
Stolam cur Sacerdos inflectit ſuper pectus. 93
per Stolam miræ Sanctorum operationes. 93. & ſeqq.
Stolam pretioſam dedit Conſtantinus M. Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. 82
Stolatus, vſurpatus pro honeſto. 77
Strophium, quid? 41
Studiorum alternæ ſint vices. 741
Styli diuerſitas quanti ſit facienda? 887. 888
Subdiaconatus quartus eſt ab Epiſcopo, ordine ac dignitate. 517
Subdiaconus ex officio non baptizat. 845
Subdiaconus gradu & honore Diacono proximus eſt, & eius priuilegiis honoratus. 845. 846
Subdiaconus ad continentiam obligatur. 846
Subdiaconi ſuo miniſterio in Miſſa abutentis punitio. 237
Subdiaconi ordinatio. 243
Subdiaconi Prædicantes è ſubliniori loco, quin & Diaconi arguuntur. 760. 761
Subdiaconorum officium. 354
Subfibulum. 41
Subucula, ſeu induſium. 17
Sudarium pro orario. 83
Sugerius Abbas S. Dionyſij, eius Eccleſiæ inſtaurator. 9. 117
Suggeſtus Eccleſiaſtici. 760
Summiſtæ Tractatores. 491
Supparum. 17
Surplis, aliàs, *Surpelis*, Gallicè, quid? 17
S. Suſanna Virg. & Mart. neptis ſancti Caij PP. 493. 576
S. Syluestri decretum de baptiſando, liniendo Chriſmate à Preſbytero in vertice excutitur &

& dilucidatur. 858. 859
Symbola extrinſeca ſunt in Euchariſtia quaſi veſtes Chriſti. 892. & velut panni quibus corpus Chriſti fuit in præſepio inuolutum. *ibid.*
Symmachus P P. 288
Symmachi P P. inſigne ad Epiſcopos & Sacerdotes monimentum. 683
Syndon, non ex lana, nec ſerico, ſed ex lino confici debet. 10. [illegible]
Syndonis expanſio in altari. 20
Synodus Quini-ſexta. 595
Synodus diœceſis Angamalæ apud Indos. 299
Synodus apud Cariſiacum. 389
Syricij P P. ſanctio pro cœlibatu ſacrorum Eccleſiæ miniſtrorum citatur & vindicatur. 317. 318

T

TACITVRNITAS, mala in Sacerdote. 746
Talentum doctrinæ & fidei cautè cuſtodiendum. 800
Tamerlan Magnus. 25. tribus ſignis ad deditionem obſeſſos impellebat. *ibid.*
Tela Goſſypina. 19
Temeritas Concionatorum imperitorum à Sancto Hieronymo perſtringitur. 709
Temeritas diuino iudicio caſtigata. 713. 714
Temperantia illuſtratur. 753. 754
Temperantia, paſtoribus & doctoribus magis longè quàm aliis neceſſaria. 754. 755
Temperantia quomodo chorum ducit virtutum. 754
Temperantiæ definitio. *ibid.*
Temperantiæ ampliores partes S S. Patres, quàm Philoſophi tribuunt. *ibid.*
Templum cui competit, eidem debetur ſacrificium. 875
Templum ſanctificat aurum, non contrà. 212
Tempus præteritum præſenti felicius paſſim exiſtimatur. 196
Tempus prædicandi ſignatur. 791. 792. &c.
Tempus legitimum, ſacrificium celebrandi. 496. &c. copiosè
Tempora inſtant periculoſa. 599
Tempora diſtingue, & Scripturas concordabis. 493
Tertullianus inſignem ſcripſit librum de pallio. 107.
Tertullianus conſcripſit de corona militis? 70
Tertulliani locus pro laicis in neceſſitate baptizantibus. 848
Tertulliani locus perperam citatus à Molinæo. 56
Tertulliani locus elucidatus. 834
Thalami coniugalis benedictio. 608. 609
Thelesphori P P. decretum de hora ſacrificij illuſtratur. 504. 505
Theobaldus A. Cantuarienſis. 152
Theobaldus Epiſc. Pariſienſis. 159
Theobaldi Pariſ. Epiſc. vera nota obitûs. 160. 161
Theobaldus Epiſc. Siluanectenſis. 160
S. Theodechildis Iotrenſis Abbatiſſa. 113
Theodoretus citatur. 81. 82
Theodorus Balſamo. 574
Theodori Papæ inſigne factum. 257
Theodori Presbyteri liber apologeticus pro operibus S. Dionyſij. 886
Theodoſius Hieroſolymorum Patriarcha. 76
Thedoſij & Valentiniani reſcriptum ad Verum præfectum. 512
Theodrada Abbatiſſa, filia Caroli Magni. 167
Theophylactus S. Chryſoſtomi perpetuus ſectator. 107
S. Thomas officium ſanctiſſimi Sacramenti contexuit. 176
S. Thomas citatur. 173
S. Thomas aliquam ſententiam retractauit 724
S. Thomæ ſententia memorabilis à Concilio Tridentino probata. 536
S. Thomæ doctrina de forma abſolutionis recepta. 613. 614
S. Thomæ aſſertio notabilis. 723
S. Thomæ eximia doctrina. 642
Theophili Aurelianenſis Epiſcopi liber de ordine Baptiſmi. 860
Thus vbinam naſcitur? 386
Thuris oblatio religionis eſt actus. 572
Thuris natura & myſteria. 387
Thymiama in lege, Sacerdos bis in die adolebat. 386
Thymiama quomodo conficiebatur. *ibid.* 571. 572
Timor Dei initium ſapientiæ. 757
Tintinabula tunicæ Pontificis, quid ſignabant. 482.
Tonſuram geſſit S. Benignus Presbyter & Martyr. 550
Traditio antiquiſſima Eccleſiæ, pro ſolatiis defunctorum fidelium oſtenditur. 421. 422 .&c.
Traditio Hebræorum notabilis. 297
Traditio Dominica de calice. 276
Tranſſubſtantiatio panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, opus eſt Spiritus ſancti, ſecundùm Patres citatos. 875. 878
Tremenda ſunt admodum ſacrificij noſtri myſteria. 315
SS. Trinitatis nomen & cultum recentiores hæretici non amant. 870
Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum. 225
S S. Trinitati ſacrificium Miſſæ offertur. 877 878. &c.
Trinitati diuinæ toti cur ſacrificium Miſſæ offerri debeat? 872
Triſagium. 444
Triumphantium ritus in ſacrificio. 352
Tullenſis Eccleſiæ ſacra pompa in feſtis ſolennibus. 225
Tullenſe templum Epiſcopale, Sancto Stephano ſacrum. 225
Tunica Domini Treuirenſis. 163. 164
Tunicas duas habuit Chriſtus. 164
Turricula aurea & gemmata. 487
de Turriculis pretioſis ad condendum corpus Domini. 287 288
Turtur, auis meditabunda. 793 794

Turtur temporis delectum habet. 791. 792
Turtur amatrix eremi. 793
Turtur ſymbolum caſtitatis. 792. 793
Turtur & columba quantæ ſint affinitatis. 789. &c.
Turturis nidus, myſticè & moraliter applicatus. 794. 795
Turturis vox, quomodo differt à gemitu columbæ. 789. ad 795
Turturis & columbæ ſacrificium. 793
Turturis variæ proprietates recenſentur, à p. 789. ad 795
Turtureum ſoliloquium. 794
Typographia Martyrum. 188
Typus Chriſti ſanguinis, fuit ſanguis Paſchalis agni. 509

V

VALENTINI Gentilis hæreſis. 871
Valerius Epiſcopus Hipponenſis impeditioris erat linguæ. 696
Valerius Epiſcopus Hipponenſis Græcus origine, Latinè prædicare non poterat. 710
Vaſa myſteriorum, quæ? 202. &c.
Vaſquez auctor valde ſuſpiciendus & inſignis. 357
Vaſquez opinio de hora legitima ſacrificij probatur. 506. 507
Vaſquez opinio de ſacrificij loco expenditur. 491. 492.
Vaſquez citatur, qua in re minus probatur. 330
Vaſquez opinio ſingularis notatur. 357
Vaſquez laudatur. 408
de Velamine triplici. 560
Verbum patris, quomodo cum manifeſtat? 670
Verbum incarnatum, theſaurus ſapientiæ. 800
Verbum diuinum quomodo humanitatem induit? 168. 169
Verbum Dei audire, quanta felicitas. 667. 668
Verbum Dei, homo qui defert ad homines, init eum Deo conſortium. 669
Verbi diuini ros & pluuia. 740
Verbo Chriſti, Euchariſtia conſecratur. 342 343
Verba ambigua, per intentionem reſtringuntur ad certum ſignificatum. 855
Verba S. Pauli B. Hieronymo videbantur tonitrua. 769
Verba Euangelij cur ſublimia dicuntur à ſancto Cypriano. 758
Verſus inſcripti in calice ſancti Remigij. 287
Veſtalium ſacra. 882
Veſtis puerilis Domini, an eo creſcente creuerit? 166
Veſtis Domini ſalutaris tactus. 175
Veſtis puerilis Domini Saluatoris illuſtrata. à p. 157. ad 182
Veſtis inconſutilis Domini. 163. 164. 165
Veſtis purpurea Domini, per caſulam ſignificatur. 140
Veſtis Domini reuelata diuinitus. 167
Veſtis Sacerdotalis eſt caſula apud ſanctum Hieronymum. 118
Veſtis funebris, pulla. 29. alba ſignum iucunditatis. ibid.
Veſtis ex lana & lino prohibita. 20
Veſtis S. Ioannis Baptiſtæ pilloſa defenditur. 48. 49. 50.
Veſtes ſacræ, virtutum Sacerdotalium ſunt indices. 124. 125
ſacræ Veſtes, Chriſti ſunt patientis inſignia. 114
Veſtium ſacrarum, vſum Apoſtoli initiârunt. 113. 114
Veſtium ſacrarum index à Roberto Rege eiúſque matre donatorum. 125. 124
Veſtium ſacrarum inſtitutio. 75
Veſtitio diues ſacris reliquiis. 44. 45
Victima holocauſti, prima erat ſacrificij ſpecies apud Hebræos. 306
Victimæ defectum patientes reiectæ. 415
Victimæ qualitates ex lege. 307
Victor II. PP. celebrans ſeruatus eſt diuina virtute à veneno ſibi parato in calice. 240
Vigilij PP. de origine Canonis præclara ſententia. 379
Vincentij Lerinenſis aurea relatio de Africanorum rebaptizantium errore. 851. 852
Vincula S. Pauli, memoratu digna, ſed Chriſti longè magis ſunt nexus memorabiles. 60
Vinum propinandi laicis poſt S. Communionem, mos antiquus. 225
Vini benedictio. 575. &c.
Vini virtus ſalubris. 157
Vini vis ad lætificandum. 278
Vini duo præcipua commoda. ibid.
Violaceus color, Epiſcopalis. 147
Virga multiplex. 645
Virga Apoſtolica & Angelica. ibid.
Virga Angelica, diuini ſacrificij vindex. 474. 475
Virgæ Aaron floridæ myſteria. 660
Virginalis corporis typus. 527
Virgo Maria, *vide* Maria virgo.
Virginem ſanctiſſimam Chriſtus baptizauit. 835
Virgines in die iudicij ſanctiſſima V. Deigenitrix filio ſuo præſentabit. 280
Virgula fumi, quid ſit? 388
Virtus nulla ſine labore. 756
Virtutes quatuor Cardinales quomodo ſunt concatenatæ? 756. 757
Virtutes Concionatori neceſſariæ præter cardinales quænam ſunt? 756
Virtutum Cardinalium actus connexi. 752
Virtutes virtutibus ſociantur. 93
Viſitationis infirmorum formula. 562
Vitalis, Pelagianorum fautor. 581
Vitus Amebarchius Catholicus auctor citatur. 607
Vnctio Sacerdotalis. 545
Vndulatam veſtem Nouatores volunt S. Ioannem Bapt. geſtâſſe. 48. & ſeqq.
Vnguentum ſaluriferum. 561
Vox Iacob, manus Eſau. 414
Vox turturis à Prædicatore imitanda. 789. ad 795
Vox pro gemitu, & gemitus pro voce. 789. 790
Vox dulcis, & facies decora. 781

Vocis & verbi affinitates & myſteria. 671
Vrbanus IV. inſtituit feſtum corporis Chriſti. 175
Vrceolum Onychinum dedit Robertus Rex Eccleſiæ Aurelianenſi. 65
Vrna aurea ſanctuarij. 185
S. Vrſulæ & ſodalium eius epinicion. 62
Vtilitatis retardatio, detrimentum eſt. 534
Walfridi Strabonis dictum refellitur. 103
Warabitus citatur. 7
Wibertus Archidiacon. Tullenſis. 147
Vulnera Chriſti quinque. 171

X

XIXILLA, aliis Cixilla Epiſcopus Toletanus. 133

Z

ZACHARIÆ Papæ decretum de igne Paſchali. 568
Zenas Legiſperitus. 870
Zepherini P P. decretum de patena, elucidatur. 289
Zepherini Papæ decretum de calice ſancto illuſtratur. 189. 190. &c.
Zepherini decretum de S. Calice Walfridus Strabo non ineptè refert. 191
Zepherinum P P. ſibi aduerſum paſſim Tertullianus iam hæreticus carpit. 190
Zona vnde dicitur. 41
Zona lutea. 59. Pellicea *ibid.* Muliebris, Militaris, Sacerdotalis. *ibid.*
Zona S. Polycarpi. 53
Zona eſt cinctura muliebris. 57
Zona Pontificis Hebræorum. 57
Zona aurea. 37
Zona auro grauis. 43. Apoſtolis prohibita à Chriſto. *ibid.* & 44
Zona vnde dicta. 34. quomodo differt à baltheo & cingulo. 35. 36.
Zona S Taurini violacea. 58
Zonæ Monachorum Ægypti, Africæ & Paleſtinæ. 54
Zonæ B. V. feſtum celebre tam in Oriente quàm in Occidente. 45. 46. 47
Zonæ B. V. Pratenſis, Montiferrati, Aquiſgranenſis, Attrebatenſis, Sueſſionenſis, Traiectenſis. 48
Zonæ venerandæ ſanctiſſimæ V. Deiparæ propugnatio contra Caluinum. 45. 46. 47. 48
Zonæ vſus profanus. [illegible]
Zonæ efformatæ ad formam murenularum, auro contextæ. 58
Zonæ Sacerdotales. 55. 56
Zonæ ſacræ myſtica & moralis ſignificatio. 58 59. 60
Zonæ in ſacris vſis. 43
Zonæ ſericæ, vel aureæ vſus in ſacris reprobatur, quoad ſignificatum. 60
Zonæ Eccleſiaſticæ diuerſis modis contextæ. 59
Zonam perdidiſſe, vetus adagium. 43
de Zona toto lib. 3. 1. part. tractatur à p. 34. ad 61
de Zona S. Ioannis Bapt. 47. 48. 49
Zonarum in ſacris Scripturis tropologia triplex. 61.
de Zonis ſanctorum. 44. & ſeqq de Zona Domini 44. & 45. de Zona Beatiſſimæ V. Deiparæ. 45. 46. 47. 48.
Zozimus PP. an auctor fuerit benedictionis cerei Paſchalis. 579. &c.
Zozimus P P. permiſit in parochiis cereum Paſchalem benedici. 582
Zozimus Preſbyter. 589

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. 1 v. 27. BENEDIXITQVE *illis Deus, & ait, creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam vobis.* 323. 543

Cap. 2. v. 7. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* 671

v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* 323

C. 3. v. 6. *Vidit mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu eius, & comedit, deditque viro ſuo.* 9

v. 19. *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* 587. 589

C. 4. v. 3. *Factum eſt vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.*

v. 4. *Abel quoque de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* 324

C. 8. v. 21. *Senſus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* 742

C. 9. v. 1. *Benedixitque Deus Noë & filiis eius.* 543

C. 15. v. 1. *Ego ſum merces tua magna nimis.* 256. 425

C. 18. v. 27. *Cùm ſim puluis, & cinis, loquar ad Dominum.* 333

C. 24. v. 18. *Bibe Domine mi, &c. quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* 782

C. 27. v. 16. *Et colli nuda protexit.* 7

v. 22. *Vox quidem, vox Iacob eſt: manus autem, manus ſunt Eſaü.* 414

v. 27. *Statimque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens ei, ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* 389. 543

v. 39. *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua.* 543

C. 45. v. 21. *Singulis quoque proferri iuſſit ſtolas binas.* 73

C. 49. v. 10. *Donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam: lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* 268. 269

v. 15. *Suppoſuit humerum ad portandum & factus eſt tributis ſeruiens.* 11

v. 26. *Donec veniret deſiderium collium æternorum.* 800

EX LIB. EXODI.

Cap. 7. v. 1. EGO *conſtitui te hodie Deum Pharaonis.* 668

C. 8. v. 19. *Digitus Dei eſt hic.* 617

C. 12. v. 12. *Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiámque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia, Ego Dominus.*

v. 13. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis, & videbo ſanguinem & tranſibo vos.* 509. 602

C. 13. v. *Sanctifica mihi omne primogenitum.* 454

C. 19. v. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.* 398

C. 25. v. 3. *Hæc autem ſunt quæ debetis accipere, aurum & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum.* 20

C. 26. v. 31. *Facies velum de hyacintho purpura coccóque bis tincto & byſſo retorta.* ibid.

C. 28. v. 4 *Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient, rationale & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim, & balteum.* 34

v. 39. *Et baltheum opere plumarij.* ibid.

C. 30. v. 19. *Et miſſâ aquâ è labro æneo, lauabunt in ea manus ſuas, & pedes, ne fortè moriantur.* 353

v. 34. *Dixitque Deus ad Moyſem. ſume tibi aromata, &c. talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* 386

C. 34. v. 29. *Cùmque deſcenderet de monte Sinai, &c.*

v. 35. *Qui videntes faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.* 668

EX LEVITICO.

CAP. 2. v. 13. NON auferas ſal fœderis Dei tui in ſacrificio tuo. 567
C. 6. v. 14. Tunicâ lineâ veſtiatur, fœminalibus lineis verenda celabit, accingetur zonâ lineâ. 35
C. 7. v. 34. Pectuſculum elevationis & armum ſeparationis tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filiis eius lege perpetua, ab omni populo Iſraël. 8
C. 8. v. 13. Et filios cinxit baltheis. 54
C. 9. v. 22. Extendit Aaron manus ſuas ad populum, & benedixit eis. 543
Cap. 10. v. 8. Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini. 353
C. 11. v. 18. Hæc ſunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis, aquilam & gryphum, &c. & cygnum & onocrotalum. 24
v. 44. Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum. 32
C. 16. v. 14. Aaron tunica linea veſtietur, & accingetur zona linea. 43
C. 26. v. 2. Pavete ad Sanctuarium meum. 32. 397

EX NVMERIS.

CAP. 10. v. 8. FILII autem Aaron Sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum ſempiternum. 546
v. 10. Canetis tubis ſuper holocauſtis & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri, ego ſum Dominus Deus veſter. ibid.
C. 16. v. 9. Audite filij Levi: Num parum vobis eſt, quòd ſeparavit vos Deus Iſraël ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſerviretis ei in cultu tabernaculi, & ſtaretis coram frequentiâ populi, & miniſtraretis ei. 354
C. 24. v. 17. Orietur ſtella ex Iacob. 717
C. 29. v. 1. Menſis etiam ſeptimi prima dies venerabitur, & ſancta erit vobis, quia dies eſt clangoris & tubarum, offeretiſque holocauſtum in odorem ſuavitatis. 546

EX DEVTERONOM.

CAP. 4. v. 5. SCITIS quòd docuerim vos præcepta atque iuſtitias, ſicut mandavit mihi Dominus Deus meus, ſic facietis & obſervabitis. Hæc eſt veſtra ſapientia, &c.
v. 8. Quæ eſt alia natio ſic inclyta, vt habeat cæremonias, iuſtáque iudicia & vniverſam legem, quam propono hodie ante oculos veſtros. 668
C. 17. v. 8. Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, &c.
v. 9. Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæriſque ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem.
v. 10. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.
v. 11. Sequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. 658
C. 22. v. 11. Non indueris veſtimento quod ex lana linóque confectum eſt. 20
C. 29. v. 5. Adduxit vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt. 166
C. 32. v. 2. Concreſcat vt pluvia [illegible]ctrina mea. 813
v. 28. Gens abſque conſilio eſt & abſque prudentia.
v. 29. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. 750

EX IOSVE.

CAP. 7. v. 21. VIDI inter ſpolia, pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámque auream, &c. & concupiſcens abſtuli & abſcondi in terra. 812

EX LIBRO IVDICVM.

CAP. 9. v. 13. NVMQVID poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines. 278

EX LIBB. REGVM.

LIB. I. c. 18. v. 13. DILEXIT Ionathas David quaſi animam ſuam, &c. expoliavit ſe tunica vſque ad baltheum. 43
C. 10. v. 11. Quænam res accidit filio Cis? num & Saül inter Prophetas 397
C. 16. v. 7. Homo reſpicit faciem, ſed Deus intuetur cor, nec admittit vllam hoſtiam, niſi quæ lota fuerit, & mundata intus & foris. 196. 354. 424.
LIB. II. c. 6. v. 14. David erat accinctus Ephod lineo. 20
C. 12. v. 3. Simul de pane illius comedens & de de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia. 624
C. 23. v. 2. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. 264
LIB. III. c. 2. v. 5. Dixit Deus Iſraël mihi locutus eſt fortis Iſraël dominator hominum. 874
Poſuit cruorem prælij, in balthêo ſuo, qui erat ſuper lumbos eius. 39. 43
C. 7. v. 26. Labrúmque eius, quaſi labium calicis & folium repandi, duo millia batos capiebat. 183
C. 8. v. 7. Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. 650
C. 10. v. 8. Beati ſervi tui qui ſtant coram te ſemper. 354
C. 19. v. 11. Sta in monte coram Domino. 337
C. 20. v. 11. Non glorietur æquè accinctus, ac diſcinctus. 50

LIB. IV. c. 1. v. 8. *Vir piloſus & zonâ pelliceâ accinctus renibus.* 49
C. 5. v. 21. *Omnes qui accincti erant baltheo.* 43
C. 19. v. 34. *Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum.* 400
C. 21. v. 13. *Benedixit Deo & Regi.* 542

EX LIBB. PARALIPOM.

LIB. I c. 15. v. 17. PORRO *Dauid erat indutus ſtola byſſina.*
v. 24. *Sacerdotes clangebant tubis coram arca Dei.* 546
LIB. II. c. 2. v. 5. *Domus quam ædificare cupio, magna eſt, &c. ſed ad hoc tantùm vt adoleatur incenſum coram illo.* 329
Cap. 7. v. 6. *Porro Sacerdotes canebant tubis.*
C. 13. v. 14. *Clamauit* Iuda *ad Dominum & Sacerdotes tubis canere cœperunt.* ibid.
C. 13. v. 5. *Num ignoratis quòd Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael, in ſempiternum, ipſi & filiis eius in pactum ſalis.* 567

EX LIBRO TOBIÆ.

CAP. 3. v. 13. CVM *iratus fueris, miſericordiam recordaberis.* 270
C. 12. v. 8 & 9. *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros recondere, quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam & vitam æternam.* 179

EX LIBRO IVDITH.

CAP. 10. v. 3 & c. 16. v. 9. INDVIT *ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, & induit ſe veſtimento lætitiæ, in exultatione filiorum Iſrael.* 29
C. 16. v. 10. *Accepit ſtolam nouam, ad decipiendum eum.* 75
v. 21. *Dabit ignem & vermem in carnes eorum vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* 426

EX LIBRO ESTHER.

CAP. 1. v. 7. VINVM *quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.* 225

EX LIBRO IOB.

CAP. 1. v. 5. DILVCVLÒ *offerebat holocauſta pro ſingulis filiis, dicebat enim ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* 543
C. 2. v. 5. *Mitte manum, & tange os eius & carnem: & tunc videbis quod in faciem tuam benedicat tibi.* ibid.
C. 10. v. 22. *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* 426
C. 12. v. 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* 655
v. 18. *Baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.* 39
C. 14. v. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nónne tu Domine qui ſolus es?* 743
C. 19. v. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* 606
C. 28. 1. *Habet argentum venarum ſuarum principium, & auro locus eſt, in quo conflatur.* 807. 811
C. 39. v. 1. *Numquid parturientes ceruas conſideráſti? incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt.* 747
v. 22. *Super ipſos ſtillabit eloquium meum.* 780
C. 30. v. 19. *Aſſimilatus ſum fauillæ & cineri.* 587
C. 31. v. 27. *Si oſculatus ſum manum meam.* 6
C. 33. v. 4. *Spiritus Domini fecit me.* 874
C. 36. v. 25. *Omnes homines vident eum, & vnuſquiſque procul intuetur.* 670
v. 27. *Qui effundit imbres ad inſtar gurgitum.* 757

EX LIBRO PSALMORVM.

PS. 1. v. 1. BEATVS *vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* 359 363
v. 2. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* 799
v. 3. *Et erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* 788
v. 5. *Sed tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* 588
Pſ. 6. v. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* 265
Pſ. 7. v. 10. *Scrutans corda & renes Deus.* 539
Pſ. 10. v. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* 256. 264
Pſ. 11. v. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam defecit ſanctus; quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* 712
Pſ. 15. v. 4. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* 153
v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* 256. 264
Pſ. 21. v. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* 898. 899
Pſ. 22. v. *Paráſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.*
Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt. 183. 257
Pſ. 32. v. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum.* 733
Pſ. 33. v. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore. ſemper laus eius in ore meo.* 543
Pſ. 35. v. 7. *Iudicia tua abyſſus multa.* 247
v. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam*

apud te eſt fons vitæ. 257

Pſ. 33. v. 8. *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* 739

Pſ. 36. v. 27. *Declina à malo, & fac bonum.* 742. 756

Pſ. 38. v. 2. *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* 11

Pſ. 39. v. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.* 315

Pſ. 40. v. 1. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* 425

Pſalm. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* 350

Pſ. 44. v. 7. *Virga directionis, virga regni tui.* 645

v. 9. *Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis.* 814

v. 17. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* 334

Pſ. 47. v. 11. *Iuſtitia plena eſt dextera tua.* 265

Pſ. 48. v. 15. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* 426

Pſ. 49. v. 4. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* 383

v. 16. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* 724. 781

v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* 11. 262

Pſ. 50. v. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* 354

v. 11. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* 394

Pſ. 52. v. 6. *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

7. *Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent; confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit illos.* 714

Pſ. 53. v. 8. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* 393

Pſ. 67. v. 10. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* 786

v. 12. *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa.* 743. 776

Pſ. 72. v. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.*

v. 29. *Vt annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.* 735

Pſ. 74. v. 8. *Quoniam Deus iudex eſt.*

v. 9. *Hunc humiliat, & hunc exaltat quia calix in manu Domini, vini meri plenus miſto.*

v. 10. *Et inclinauit ex hoc in hoc.* 259. & ſeqq.

Pſ. 75. v. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* 757

Pſ. 83. v. 3. *Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos.* 793. & ſeqq.

Pſ. 90. v. 13. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* 95

Pſalm. 96. v. 8. *Adorate eum omnes Angeli eius.* 873

Pſalm. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius.* 894

Pſ. 102. v. 21. *Miniſtri eius potentes virtute, ad faciendam voluntatem eius.* 837

Pſ. 103. v. 3. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* 296

v. 6. *Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius.* 1

v. 15. *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.* 278

Pſ. 105. v. 23. *Si non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius ne diſperderet eos.*

v. 30. *Et ſtetit Phinees, & ceſſauit quaſſatio.* 337

Pſ. 108. v. 19. *Sicut zona qua ſemper præcingitur.* 43

Pſ. 109. v. 5. *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.* 549. 698. 832

Pſ. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus.* 473. 836

v. 10. *Initium ſapientiæ timor Domini.* 757

Pſ. 115. v. 3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.*

v. 4. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* 262. 327. 328. 472

v. 5. *Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius.* 423

Pſ. 118. v. 46. *Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* 806

v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* ibid.

Pſ. 124. v. 4. *Benefac Domine, bonis & rectis corde.* 361

Pſ. 125. v. 5. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.* 659

v. 6. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.*

v. 7. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.* 63. 70

Pſ. 126. v. 2. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* 781

Pſ. 131. v. 9. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent.* 348

v. 15. *Viduam eius benedicens benedicam.* 543

v. 17. *Paraui lucernam Chriſto meo.* 348

Pſ. 138. v. 7. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam.* 874

Pſ. 140. v. 2. *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* 388

v. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo.* 10. 11

v. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* 539

EX PROVERB.

CAP. 3. v. 16. LONGITVDO *dierum in dextera eius & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* 68

C. 4. v. 25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant greſſus tuos.* 657

C. 6. v. 1. *Fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui.*

3. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent*

palpebra tuæ. 672
C. 8. v. 27. *Quando præparabat cælos aderam cum eo cuncta componens.* 748
C. 10. v. 19. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt.* 751
C. 17. v. 27. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus ac prudens eſt, ac pretioſi ſpiritus.* ibid
C. 19. v. 2. *Qui feſtinus eſt, pedibus offendit.* 657
C. 23. v. 26. *Fili, præbe mihi cor tuum* 354. 424
C. 26. v. 4. *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne illi ſimilis efficiaris.*
5. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* 362
C. 31. v. 24. *Cingulum tradidit Chananæo.* 340

EX CANTICIS CANTIC.

CAP. 1. v. 10. MVRENVLAS *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* 37. 38. 58. 59
v. 14. *Botrus Cypri, dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* 781
v. 15. *Lectulus noſter floridus.* 813
C. 2. v. 4. *Introduxit me in cellam vinariam.* 812. 813
v. 10. *Surge, propera amica mea, formoſa mea, columba mea & veni.*
v. 11. *Iam enim hiems tranſiit, imber abiit & receſſit.*
v. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra tempus putationis aduenit.* 791. 792
Vox turturis audita eſt in terra noſtra. 790. 792. 793
v. 13. *Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* 792
v. 14. *Columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, &c.* 788
Vox tua dulcis & facies tua decora. 781
C. 3. v. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij.* 388
C. 4. v. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, ſicut fragmen mali punici gena tua.* 258
v. 11. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.* 388
v. 15. *Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* 813
C. 5. v. 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* 257
C. 7. v. 8. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructum eius.* 393

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAP. 1. v. 7. SPIRITVS *Domini repleuit orbem terrarum.* 874
Hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. 11
C. 2. v. 23. *Creauit Deus hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* 323
Cap. 3. v. 15. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.* 70
C. 8. v. 21. *Quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* 321. 322
C. 12. v. 1. *O quàm bonus & ſuauis eſt Domine, ſpiritus tuus in omnibus.* 874
C. 18. v. 24. *In veſte poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis.* 13. 14

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. 14. v. 17. ANTE *obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* 426
C. 17. v. 9. *Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos.*
v. 10. *Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiam, & iudicia ſua oſtendit illis.* 668
C. 18. v. 6. *Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet.* 802
v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* 794
C. 21. v. 28. *Verba prudentum ſtaterâ ponderabuntur.* 750
C. 27. v. 9. *Si ſequaris iuſtitiam, apprehendes illam, & indues quaſi poderem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in ſempiternum.* 13
C. 32. v. 24. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* 657
C. 34. v. *Qui enim non eſt tentatus, quid ſcit? vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.* 655
v. 24. *Quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* 352
C. 39. v. 6. *Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, &c. ipſe diriget conſilium eius.* 715
C. 45. v. 9. *Excelſum fecit illum, & ſtatuit ei teſtamentum æternum, beatificauit illum in gloria, & circumcinxit illum zonâ gloriæ, ſtolam gloriæ induit eum.* 43. 53. 74
v. 12. *Stolam ſanctam auro, & hyacintho, & purpurâ, opus textile.* 74
Cap. 48. v. 1. *Et ſurrexit Elias Propheta, quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat.* 412
v. 3. *Verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter.*
v. 5. *Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in verbo Domini Dei.*
v. 6. *Qui deieciſti reges & confregiſti potentiam ipſorum, &c.* 732
C. 50. v. 1. *Sacerdos magnus qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum, qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione.* 617
v. 8. *Quaſi thus redolens in diebus æſtatis.* 53
v. 11. *Quaſi oliua pullulans, & cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ, & veſtiri illum in conſummationem virtutis.* 73
v. 12. *In aſcenſu altaris ſancti, gloriam dedit ſanctitatis amictum.* 1

EX ISAIA PROPHETA.

CAP. 1. v. 13. NE offeras vltra ſacrificium fruſtra: incenſum tuum abominatio eſt mihi. 24

C. 3. v. 2. In illa die auferet Dominus exercituum à Ieruſalem & Iuda, validum & fortem, iudicem & Prophetam, ariolum & ſenem. 694

v. 12. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. 788

v. 24. Et erit pro ſuaui odore, fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. 37. 43

C. 6. v. 5. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 735. 746

v. 6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.

v. 7. Et tetigit os meum, & dixit, ecce tetigit hoc labia tua, & peccatum tuum mundabitur. 556

v. 8. Et audiui vocem Domini dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi, ecce ego, mitte me, & dixit.

v. 9. Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. 663

C. 9. v. 3. Lætabitur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. 70

v. 6. Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius. 150

C. 10. v. 5. Væ Aſſur virga furoris mei. 680

C. 12. v. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. 7. 279

C. 19. v. 13. Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius.

v. 14. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vo[…]s. 266

C. 22. v. 12. Vocabit Dominus Deus exercituum, in die illa ad fletum, ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci. 34

C. 24. v. 2. Et erit vt populus, ſic Sacerdos. 322 841

Cap. 28. v. 7. Verùm hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta neſcierunt, præ ebrietate abſorpti ſunt à vino. 266

C. 38. v. 14. Sperabam vſque ad mane, &c. ſicut pullus hirundinis ſic clamabo: meditabor vt columba.

C. 40. v. 3. Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. 361. 790

v. 9. Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem. 758

C. 44. v. Effundam Spiritum meum ſuper domum Iſraël. 616

v. 15. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator. 10. 901. 910

C. 51. v. 17. Conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, vſque ad fundum calicis ſoporis, bibiſti vſque ad fæces. 183. 264. 266

C. 52. v. 11. Mundamini, qui fertis vaſa Domini. 315

C. 53. v. 2. Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus.

v. 3. Deſpectum, & nouiſſimum virorum virum dolorum, &c. 262

v. 4. Verè languores noſtros ipſe tulit, & putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum. 395

v. 5. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. 7

v. 6. Omnes nos quaſi oues errauimus vnuſquiſque in viam ſuam declinauit. 312

Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.

v. 7. Oblatus eſt quia ipſe voluit. 5. 312. 392. 393. 414

C. 55. v. 1. Venite & emite abſque argento, vel vlla commutatione, vinum & lac. 279. 575

C. 58. v. 1. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. 614. 697. 792

C. 59. v. 11. Quaſi columbæ meditantes gememus. 788

C. 60. v. 8. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. 786

C. 63. v. 1. Iſte formoſus in ſtola ſua. 72

v. 2. Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?

v. 3. Torcular ego calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum. 277

C. 66. v. 12. Ad vbera portabimini. 38. 280

v. 13. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini. 38

v. 14. Videbitis & gaudebit cor veſtrum. ibid.

v. 24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. 426

EX IEREM. PROPH.

CAP. 1. v. 7. VNIVERSA quæcumque mandauero tibi, loqueris.

v. 18. Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum. 660. 732

C. 2. v. 32. Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ. 57

C. 11. v. 15. Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa, numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas? 355

C. 23. v. 9. Quaſi homines madidi vino à facie Domini. 257

C. 25. v. 13. Sic dicit Dominus exercituum, Deus

Iſraël: ſume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas mittam te.

v. 16. *Et bibent, & turbabuntur, & inſanient.* 265

v. 17. *Et accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus.* 183

C. 27. v. 2. *Hæc dicit Dominus ad me: fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo.* 51

C. 35. v. 5 *Et poſui coram filiis domus Rechabitarum ſcyphos plenos vino, & calices.* 183

C. 48. v. 10. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter, & qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* 360. 730

C. 51. v. 7 *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt.* 183. 267

EX THRENIS.

CAP. 1. v. 8. *PECCATVM peccauit Ieruſalem, & inſtabilis facta eſt.* 735

C. 2. v. 15. *Magna eſt velut mare contritio tua.* 595

C. 4 v. 2. *Amicti ſunt auro primo.* 1

v. 4. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* 704. 529

v. 21 *Filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.* 266

EX BARVCH.

CAP. 4. v. 4. *BEATI ſumus Iſraël, quia quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.* 667

EX EZECHIELE.

C. 1. v. 16. *ROTA in medio rotæ.* 412

C. 3. v. 8. *Ecce dedi frontem tuam valentiorem frontibus eorum. & frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

v. 9. *Vt adamantem & vt ſilicem dedi faciem tuam.* 660

v. 18. *Si non annunciaueris impio, &c. Sanguinem eius de manu tua requiram.* 649. 704. 730

v. 19. *Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua: in peccato ſuo impius morietur, tu autem animam tuam liberâſti.* 704

C. 13 v. 18. *Væ illis qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas,* &c. 773

v. 22. *Et confortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, vt viueret.* 730

C. 23. v. 14. *Imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos baltheis.* 43

v. 31. *In via ſororis tuæ ambulâſti, & dabo calicem eius in manu tua.*

v. 32. *Hæc dicit Dominus Deus: Calicem ſororis tuæ bibes profundum & latum: eris in deriſum, & in ſubſannationem quæ eſt capaciſſima.*

v. 33. *Ebrietate & dolore repleberis: calice mœroris & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ.*

v. 34. *Et bibes illum & epotabis vſque ad fæces & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis, quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus* 269

C. 24. v. 17. *Amictu ora non velabis.* 9

C. 28. v. 14. *In medio lapidum ignitorum ambulâſti.* 548

C. 34. v. 2. *Væ paſtoribus Iſraël, qui ſeipſos paſcebant. & non gregem.* 662

v. 4. *Quod perierat non quæſiſtis*, &c. 692

C. 41. v. 18. *Duáſque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte & faciem leonis ex alia.* 736

EX DANIELE.

CAP. 1. v. 8. *PROPOSVIT autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius*, &c.

v. 9. *Dedit autem Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis Eunuchorum.* 820

C. 3. v. 49. *Ecce video quatuor viros ſolutos, ambulantes in medio ignis. & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti, ſimilis filio Dei.* 539

C. 7. v. 9 *Et antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda.* 154

C. 8. v. 11. *Et ab eo tulit iuge ſacrificium.* 497

v. 12. *Robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium, propter peccata.* ibid.

C. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ, in perpetuas æternitates.* 748

v. 11. *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium.* 497

C. 13. v. 50. *Quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* 655

EX OZEA.

CAP. 2. v. 14. *ECCE ego lactabo eam.* 280

C. 4. v. 6. *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* 809

C. 8. v. 11. *Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum.* 485

EX IOELE.

CAP. 2. v. 17. *PARCE Domine, parce populo tuo.* 394

EX AMOS.

CAP. 3. v. 14. *VISITABO ſuper altaria Bethel, & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.* 483

C. 8. v. 11. *Ecce dies veniunt, & emittam famem in terram* 680

C. 9. v. 7. *Numquid non & vos filij Æthiopum eſtis mihi filij Iſraël.* 23

EX HABACVC.

CAP. 2. v. 16. *REPLETVS es ignominiâ pro gloria: bibe tu quoque & conſopire: circumdabit*

te calix dextera Domini, & vomitus ignominia ſuper gloriam tuam. 265

EX ZACHARIA.

CAP. 9. v. 17. QVID enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines. 259. 280

EX MALACHIA.

CAP. 1. v. 10. NON eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.
v. 11. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, &c. 488. 874
C. 2. v. 7. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & requirent legem de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. 72. 646. 669. 697
Cap. 3. v. 1. Angelus teſtamenti, quem vos vultis. 270

EX LIBB. MACHABÆORVM.

LIB. I. c. 4. v. 42. ET elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei. 24
C. 10. v. 21. Induit ſe Ionatias ſtolâ ſanctâ. 73
LIB. II. c. 3. v. 26. Apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloriâ, ſpecioſique amictu. 1
Cap. 12. v. 43. Niſi eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. 421

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

CAP. 3. v. 3. VOX clamantis in deſerto, parate viam Domini. 301. 361
v. 4. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. 48
v. 7. Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira. 732
v. 14. Ego à te debeo baptiſari. 8[illegible]
v. 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. 327. 389
C. 4. v. 4 Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 704 812
v. 10. Dominum Deum tuum adorabis. 926
C. 5. v. 8 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 349
v. 14. Vos eſtis lux mundi. 348. 723. 749
v. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. 348. 723
v. 19. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 711. 749
v. 34. Ego autem dico vobis, non iurare omnino; neque per cælum, &c. 903
C. 6. v. 2. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. 753
v. 8. Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. 473
C. 7. v. 3. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? 722
v. 6. Nolite ſanctum dare canibus. 573. 913
C. 9. v. 5. Dimittuntur tibi peccata tua. 616
v. 21 Vade in pace, fides tua te ſaluam fecit. 916
C. 10. v. 9. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. 43
v. 16. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. 653. 792. 793
v. 20. Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. 671. 808
v. 42. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantùm, &c. 183
C. 11. v. 25. Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.
v. 26. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. 753. 801
v. 27. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo. 324
v. 29. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. 660. 765. 801
C. 12. v. 28. Ego in Spiritu Domini eiicio dæmonia. 788
v. 32. Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. 426 925
v. 42 Et ecce pluſquam Salomon hîc. 334
C. 14 v. 19. Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit, &c. 543 597
C. 15. v. 14. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. 650
v. 29. Et aſcendens in montem ſedebat ibi. 111
C. 16. v. 17. Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed pater meus qui in cælis eſt. 788
v 26. Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. 738
C. 17. v. 2. Veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. 31
C. 18. v. 17 Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. 57. 45[illegible]
C. 19. v. 17. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 744
C. 20. v. 22. Poteſtis bibere calicem, quem ego

bibiturus ſum. 251. 260. 261. 395
C. 21. v. 8. *Cadebant rami ex arboribus.* 592
C. 22. v. 29. *Erratis neſcientes ſcripturas.* 311
C. 23. v. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.*
v. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* 722. 759
v. 6. *Amant autem ab hominibus vocari, Rabbi.* 709
v. 16. *Væ vobis duces cæcorum, &c. quid enim maius eſt aurum, an templum quod ſanctificat aurum.* 899
v. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* 687
v. 25. *Mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis.* 183
v. 27. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ; quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, &c.* 24
C. 25. v. 40. *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* 650
v. 41. *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum.* 426
C. 26. v. 23. *Qui intingit manum mecum in paropſide, hic me tradet.* 387
v. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* 405. 440. 455. 891. 896. 910. 926
v. 27. *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes.*
v. 28. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* 183. 251. 255. 287. 910. 922
v. 38. *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* 269. 395
v. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* 251
ibid. *Verumtamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* 414
v. 68. *Propheti ſa, quis te percuſſit?* 389
v. 75. *Et egreſſus foras, fleuit amarè.* 788
C. 27. v. 1. *Mane autem facto, concilium inierunt omnes principes Sacerdotum & ſeniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent.* 506
v. 51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt.* 510
C. 28. v. 4. *Præ timore autem eius, exterriti ſunt cuſtodes.* 397
v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* 606. 673. 690. 693. 796. 806. 835. 840. 910
v. 20. *Docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* 808

EX S. MARCO.

CAP. 1. v. 4. FVIT *Ioannes in deſerto baptiſans & prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* 731
C. 4. v. 33. *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ſine parabola autem non loquebatur eis.* 116
C. 5. v. 28. *Si vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero.* 175
C. 6. v. 8. *Præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque æs in zona.* 44
v. 13. *Et vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.* 578
v. 18 *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* 732
C. 9. v. 2. *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia & candida nimis velut nix; qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* 31
v. 48. *Omnis victima ſale ſalietur. bonum eſt ſal, habete ſal in vobis.* 567. 750
C. 10. v. 14. *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum Dei, &c.*
v. 16. *Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* 551
v. 32. *Erant autem in via, aſcendentes Ieroſolymam, & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant, & ſequentes timebant.* 392
C. 11. v. 8. *Alij autem frondes cædebant de arboribus, & ſternebant in via.* 592
v. 15. *Et cathedras vendentium columbas euertit.* 759.
C. 12. v. 25. *Sed ſunt ſicut Angeli in cælis.* 38
C. 14. v. 18. *Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.* 437
v. 24. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.* 255
ibid. *Et biberunt ex illo omnes.* 287. 395
v. 65. *Et cœperunt conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei, propheti ſa; & miniſtri alapis eum cædebant.* 8
C. 15. v. 23. *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum, & non accepit.*
v. 34. *Et horâ nonâ exclamauit Ieſus voce magna.* 505
C. 16. v. 5. *Viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtolâ candidâ.* 25. 29
v. 6. *Surrexit, non eſt hîc.* 29
v. 18. *Etſi mortiferum quid biberint non eis nocebit.*

EX SANCTO LVCA.

CAP. 1. v. 2. SICVT *tradiderunt qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* 718
v. 17. *Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* 393. 731
v. 28. *Aue gratia plena Dominus tecum.* 720
v. 30. *Inueniſti gratiam apud Deum.* 404
v. 41. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius.* 720
v. 43. *Et vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me.* 401
C. 2. v. 22. *Secundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino.* 454
v. 19. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* 718
v. 32. *Lumen ad reuelationem gentium.* 583. 584
C. 3. v. 2. *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* 709
v. 4. *Vox clamantis in deſerto,* 771
Parate viam Domini. 361

Cap. 4. v. 8. *Docebat in monte.* 758
v. 20. *Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.* 759
C. 6. v. 12. *Exiit Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* 716
v. 38. *Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* 425
C. 7. v. 14. *Et accedens Ieſus, tetigit loculum,* &c. *adoleſcens tibi dico ſurge.* 833
C. 9. v. 1. *Conuocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent,* &c. 90
v. 29 *Veſtitus eius albus & refulgens.* 31
v. 48. *Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt.* 68
C. 10 v. 1. *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam,* &c. 563
v. 2. *Meſſis quidē multa, operarij verò pauci.* 70. 712
v. 6. *Pax huic domui.* 605
v. 16. *Qui vos audit, me audit.* 671
Qui vos ſpernit, me ſpernit. 599
v. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* 95
v. 35. *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.* 649. 746
C. 11 v. 23. *Qui non colligit mecum, diſpergit.* 735
v. 52. *Væ vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ.* 72. 714
C. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* 55. 56
v. 49 *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* 412. 567
v. 50. *Baptiſmo habeo baptiſari; & quomodo coarctor vſque dum perficiatur.* 277. 392
C. 16. v. 8. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet: quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* 737
C. 21. v. 15. *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere.* 733
v. 19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* 660
C. 22. v. 12. *Ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum.* 197
v. 15. *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* 392. 393
v. 17. *Accipite & diuidite inter vos.* 187. 162. 264
v. 19. *Accepto pane gratias egit, fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur.* 185. 328. 369. 385. 470 471. 922
Hoc facite in meam commemorationem. Vide ſupra Matth. c. 26. 339
v. 20. *Hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo qui pro vobis fundetur.* 183. 185. 255. 315. 437. 455. 459
v. 27. *Quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nónne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat.* 387
v. 29. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* 334
v. 32. *Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* 789
v. 33. *Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire.* 746
v. 42. *Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* 414
v. 43. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum.* 395
C. 23. v. 4. *Nihil inuenio cauſæ in homine hoc,* &c. 23
v. 34. *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* 429
C. 24. v. 4. *Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti.* 31
v. 30. *Dum recumberet cum eis accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* 597
v. 39. *Videte manus meas & pedes meos.* 567
v. 45. *Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.* 764
v. 50. *Eleuatis manibus benedixit illis, & ferebatur in cælum.* 549

EX S. IOANNE.

CAP. 1. v. 1. *IN principio erat Verbum.* 718
v. 7. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* 731
v. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 717
v. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* 781
v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* 308. 892
v. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* 670
v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* 922
v. 32. *Vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum.* 787
v. 33. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* 331. 853
C. 2. v. 4. *Nondum venit hora mea.* 392
v. 15. *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* 59. 60
Cap. 3. v. 8. *Spiritus vbi vult ſpirat.* 539. 746
v. 11. *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur.* 781
v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* 313 328. 879
v. 18. *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* 745
v. 20. *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem vt non arguantur opera eius: qui autem,* &c. 23
C. 4. v. 2. *Quanquam Ieſus non baptiſaret, ſed diſcipuli eius.* 833. 834
v. 38. *Et vos in labores eorum introiſtis.* 748
C. 5. v. 7. *Hominem non habeo.* 425
v. 23. *Vt omnes honorificent filium, ſicut honorant patrem.* 873
v. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* 248. 732
C. 6. v. 37. *Venientem ad me non eiiciam foras.* 190.
v. 45. *Erunt omnes docibiles Dei.* 729
v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* 663
v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* 413. 926

v. 54. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. 526
v. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. 271. 910
v. 56. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. 183. 235. 526. 910 917
v. 57 Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. 26. 336. 410
v. 59. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. 30
C. 8. v. 2. Venit diluculò iterum in templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos. 739. 860
v. 25. Ego principium, qui & loquor vobis. 714
C. 9. v. 4. Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. 503
Venit nox, quando nemo poteſt operari. 426
C. 10. v. 2. Bonus paſtor intrat per oſtium in ouile. &c. alienum autem non ſequuntur. 664. 668
v. 3. Proprias oues vocat nominatim. 649
v. 6. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. 663
v. 9. Ego ſum oſtium. 714
v. 11. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. 653
v. 17. Propterea diligit me pater, quia ego pono animam meam. &c. 312 392. 526
v. 18. Nemo tollit eam à me, ſed pono eam à meipſo. 312
v. 26. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. 663
v. 30. Ego & pater vnum ſumus. 873
v. 35. Nónne ſcriptum eſt in lege veſtra: ego dixi Dij eſtis: habetur Pſalm. 81. 6. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt. 668. 671
v. 36 Quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum. 454
v. 37 Ego in Patre, & Pater in me eſt. 996
C. 12. v. 3. Vt filij lucis ſitis. 723
v. 32. Ego ſi exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum. 252
C. 13. v. 1. Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 255. 287
v. 6. Domine, tu mihi lauas pedes? R. ſp. Ieſus, & dixit: &c. Si non lauero te, non habebis partem mecum. 6. 13. 387
v. 10 Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. 397
v. 13. Vocatis me, Magiſter & Domine, & benedicitis, ſum etenim. 721
v. 15. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. ibid. & 756.
v. 16. Non eſt ſeruus maior domino ſuo: neque Apoſtolus maior eſt eo qui miſit illum. 659. 744
C. 14. v. 2. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. 712
v. 6. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. 365
v. 9. Qui videt me, videt & Patrem, &c. quia ego in Patre, & Pater in me eſt. 670
v. 13. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam vobis. 363. 366
v. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. 424
v. 31. Vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. 251. 387. 526
C. 15. v. 1 Ego ſum vitis vera. 278
v. 5. Sine me nil poteſtis facere. 714. 735
v. 15. Iam non dicam vos ſeruos, &c. vos autem dixi amicos. 24. 333
C. 16. v. 13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 808
v. 14. Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis. 671
v. 20. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit. 424
v. 21. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, cùm peperit autem puerum: iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. 724. 747
v. 23. Amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 472
v. 33. Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis; in mundo autem preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. 424
C. 17. v. 1. Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. 392
v. 3. Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 767
v. 6. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, &c. 670
v. 12. Nemo ex eis periit, niſi filius perditionis. 438
v. 17. Pater ſanctifica eos in veritate. 749
v. 19. Et pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. 454
C. 18. v. 11. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum. 251. 260. 328. 392. 395
v. 12. Comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum. 60
v. 18. Stabant autem ad prunas quia frigus erat, & calefaciebant ſe. 890
v. 24. Miſit eum Annas ligatum ad Caïpham. ibid.
v. 31. Nobis non licet occidere quemquam. 427
v. 37. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. 806
C. 19. v. 15. Tolle, tolle, crucifige eum. 506
v. 26. Ecce filius tuus. 27. Ecce mater tua. 405
v. 28. Dixit, ſitio. 392. 393
v. 30. Conſummatum eſt. 310. 385. 787
v. 34. Et continuò exiuit ſanguis & aqua. 272. 462 927.
C. 20. v. 5. Et cùm ſe inclinaret, vidit poſita linteamina, &c. & ſudarium quod fuerat ſuper caput Ieſu, &c. [illegible]
v. 22. Accipite Spiritum ſanctum: ſicut miſit me pater, ſic & ego mitto vos. 659. 670
v. 23. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. 613. 614. 616. 690. 698
C. 21. v. 17. Dicit Ieſus Simoni Petro: Simon Ioannis, diligis me plus his: dicit ei: etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce agnos

meos, &c. 553.662.668
v. 18. *Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, &c.* 30

EX ACTIBVS APOST.

CAP. 1. v. 1. QVÆ *cœpit Ieſus facere, & docere.* 344 664
v. 9. *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* 296
v. 10 *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* 32
C. 2. v. 2. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritûs vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes.* 673
v. 11. *Loquentes magnalia Dei.* 783
v. 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrinâ Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus* 493
v. 37. *His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus: Viri fratres? Petrus verò ad illos: pœnitentiam agite.* 789
C. 3. v. 14. *Petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfeciſtis.* 427
v. 17. *Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut Principes veſtri.* ibid.
C. 4. v. 19. *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate: Non enim poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* 733
v. 29. *Reſpice Domine in minas eorum, & da ſeruis tuis loqui verbum tuum cum omni fiducia.* ibid.
C. 5. v. 3. *Anania, cur tentauit Satanas, &c. cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, &c.*
v. 4. *Non es hominibus mentitus, ſed Deo.* 874
C. 6. v. 2 *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* 698. 699
v. 4. *Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* 716
v. 15. *Et intuentes eum omnes qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* 669
v. 51. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* 733
C. 7. v. 52. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis.* 427
v. 53. *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* 338.668
C. 9. v. 11. *Surge & vade ad vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tarcenſem; ecce enim orat. &c.* 791
v. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael.* 715. 837
v. 16. *Ego oſtendam quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* 619
C. 10. v. 48. *Iuſſit eos baptiſari in nomine Domini Ieſu Chriſti.* 839
C. 11. v. 7. *Surge Petre, occide, & manduca.* 729
C. 12. v. 8. *Præcingere, & circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.* 50
C. 13. v. 2. *Miniſtrantibus autem illis Domino.* 477. 510
C. 14. v. 11. *Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos; & vocabant Barnabam, Iouem: Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.* 770
C. 16. 17. *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis.* 804
C. 17. v. 18. *Quid vult ſeminiverbius hic dicere?* 806
C. 19. v. 12. *Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* 52. 57
C. 20. v. 7 *Vnâ autem Sabbathorum, cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* 530
v. 26. *Mundus ſum à ſanguine omnium, non enim ſubterfugi, &c.* 680
C. 21. v. 11. *Virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalē Iudæi, & tradent in manus gentiū.* 51
C. 22. v. 29. *Tribunus timuit poſtquam reſciuit quia ciuis Romanus eſſet.* 107
C. 23. v. 11. *Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* 897
C. 24. v. 24. *Audiuit ab illo fidem, quæ eſt in Chriſtum Ieſum, diſputante autem illo de iuſtitia & caſtitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix.* 734. 769
C. 26. v 24. *Inſanis Paule, te litteræ ad inſaniam conuertunt; Et Paulus: non inſanio (inquit) optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* 904
v. 28. *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* 769
v. 29. *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantùm te, ſed etiam omnes qui audiūt, fieri tales qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.* 51
C. 27. v. 35. &c. *Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: &c. & cùm hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias egit Deo in conſpectu omnium, & cùm fregiſſet, cœpit manducare, &c.* 489. 490
C. 28. v. 20. *Propter ſpem enim Iſrael, hac catenâ circumdatus ſum.* 51

EX EPIST. AD ROM.

CAP. 1. v. 1. PAVLVS *ſeruus Ieſu Chriſti.* 333
v. 14. *Sapientibus & inſipientibus debitor ſum.* 782
v. 16. *Euangelium virtus eſt Dei omni credenti.* 796
v. 20. *Inuiſibilia ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* 670
v. 21. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, &c. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* 266
C. 2. v. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, &c. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſauriſas tibi iram in die iræ.* 320
v. 17. *Gloriaris in Deo.* 18
Et noſti voluntatē eius & probas vtiliora, &c. 722
v. 21. *Qui ergo alium doces, teipſum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis, &c.* 735
C. 3. v. 1. *Quid ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circumciſionis? multum per omnem modum, primò quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* 667

v. 31. *Legem per fidem deſtruimus? abſit; ſed legem ſtatuimus.* 391
C. 6. v. 3. *An ignoratis, quia quicumque baptiſati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptiſati ſumus? &c.* 462
v. 6. *Vt deſtruatur corpus peccati.* 729
v. 9. *Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur.* 455
v. 12. *Non ergo regnet peccatum in mortali veſtro corpore.* 321
C. 7. v. 18. *Scio quia non habitat in me, (hoc eſt in carne mea) bonum. &c.* 742
v. 22. *Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem.*
v. 25. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* 321. 742
C. 8. v. 6. *Prudentia carnis, mors eſt.* 736
v. 22. *Omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc.* 748
v. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 544. 785. 788
v. 32. *Qui proprio filio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* 328. 879
v. 34. *Chriſtus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 475
v. 35. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia, &c.* 258. 411
C. 9. v. 4. *Hi ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* 667
C. 10. v. 4. *Finis legis, Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* 670
v. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, &c.* ibid.
v. 14. *Quomodo audient ſine prædicante: quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* 664. 701. 805
v. 15. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* 787
v. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* 461
C. 12. v. 1. *Obſecro vos vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* 261
v. 8. *Qui præeſt in ſolicitudine.* 651. 672
v. 11. *Spiritu feruentes.* 795
v. 16. *Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.* 752
C. 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* 648. *quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.* 556. 841
v. 4. *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt.* 730
v. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* 648
v. 11. *Quia iam hora eſt nos de ſomno ſurgere.* 792
v. 3. *Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, &c* 544
C. 15. v. 4. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* 711. 712
v. 16. *Vt ſim miniſter Chriſti Ieſu, in Gentibus, ſanctificans euangelium Dei.* 715
v. 18. *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Chriſtus, in obedientiam Gentium, verbo & factis.* 744
v. 30. *Obſecro vos fratres, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritûs, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum.* 715

EX PRIORI AD CORINTHIOS.

CAP. 1. v. 14. NEMINEM *veſtrûm baptiſaui, niſi Criſpum, & Caium.* 8
v. 17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* ibid.
Non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux Chriſti. 776
v. 23. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* 312
v. 26. *Reſpicite fratres, vocationem veſtram.* 749
C. 2. v. 1. *Et ego cùm veniſſem ad vos, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* 765
v. 2. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* 130. 264. 761. 801. 805
v. 4. *Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis: ſed in oſtenſione Spiritûs & virtutis.* 734
C. 3. v. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* 575
v. 5. *Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit.* 832
v. 8. *Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm laborem ſuum.* 749
v. 9. *Dei adiutores ſumus.* ibid.
v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* 735
v. 17. *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.* 110
C. 4. v. 1. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 2. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur.* 334. 546. 724. 808. 832
v. 21. *In virga veniam ad vos.* 645
C. 5. v. 7. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi, etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*
v. 8. *Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* 310. 313. 392. 482
Cap. 6. v. 11. *Hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* 552
C. 7. v. 5. *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu, ad tempus, vt vacetis orationi.* 315
v. 31. *Qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur.* 321
C. 8. v. 1. *Scientia inflat.* 801
C. 9. v. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquã, &c.* 371

v. 13.

v. 13. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari ſeruiunt, cum altari participant?
v. 14. Ita & Dominus ordinauit iis qui euangelium nuntiant, de euangelio viuere. 306
v. 16. Væ mihi niſi euangelizauero, neceſſitas enim mihi credita eſt. 664. 680. 746. 808
v. 19. Omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. 656. [illegible]7. 746
v. 27. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. 729. 830
C. 10. v. 13. Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. 270
v. 16. Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? 217. 262. 454
v. 17. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. 217
v. 18. Videte Iſrael ſecundùm carnem. Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris. 355
v. 20. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. 263. 266. 267. 476
C. 11. v. 1. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 664
v. 23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. 377. 383. 922
Quoniam Dominus Ieſus in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, accipite & manducate; Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. 311. 377. 448. 449. 450. 451. 452. 455. 506. 922
Hoc facite in meam commemorationem. ibid. & 328. 385. 387. 405. 489. 509. 526. 527. 557. 613. 690. 698
v. 25. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. 253
v. 26. Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & cal. bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 6. 339. 348. 372. 462. 497. 537. 910
v. 27. Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. 901
v. 28. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. 351. 355. 394
v. 29. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. 271. 897. 911
v. 30. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 397
C. 12. v. 3. Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. 713
v. 29. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? 712
v. 23. Quæ putamus ignobiliora eſſe membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. 68
C. 14. v. 19. In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. 826
v. 31. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: vt omnes diſcant, & omnes exhortentur. 702
v. 40. Omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant. 648. 841
C. 15. v. 41. Stella differt à ſtella in claritate. 712
v. 43. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. 917

EX POSTERIORI AD CORINTHIOS.

CAP. 1. v. 8. NON enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione noſtra quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. 659
C. 2. v. 14. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat, nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. 348
v. 15. Chriſti bonus odor ſumus. 389
v. 17. Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei. 778. 790
C. 3. v. 7. Ita vt non poſſent filij Iſrael intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultûs eius. 668
C. 4. v. 1. Ideo habentes adminiſtrationem, iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, &c. 738
v. 7. Habemus theſaurum in vaſis fictilibus. 190
v. 10. Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu in corporibus noſtris manifeſtetur. 414
C. 5. v. 15. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. 427. 438
v. 19. Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. 832
Poſuit in nobis verbum reconciliationis. 615. 646. 723
C. 6. v. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 792
v. 3. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. 371. 788
v. 11. Cor noſtrum dilatatum eſt ad vos ô Corinthij. 258
v. 14. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? &c. 263
C. 10. v. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, &c. v. 6. Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam. 646. 729
v. 15. Vſque ad vos peruenimus in euangelio Chriſti. 211
C. 11. v. 23. Plus ego in laboribus plurimis in carceribus abundantius, &c. v. 28. Præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. 652. 672
v. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? 258. 653. 687

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 2. v. 19. CHRISTO confixus ſum cruci. v. 20. *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* 130. 405

C. 3. v. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris.* 668

v. 27. *Quicumque enim in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis.* 141

C. 4. v. 9. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa.* 308

v. 19. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* 747. 748

v. 31. *Quâ libertate Chriſtus nos liberauit.* 25

C. 5. v. 24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* 654

C. 6. v. 7. *Deus non irridetur.* 339. 383

v. 14. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.* 130. 762. 765

v. 16. *Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper electos Dei.* 179. 811

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 1. v. 3. BENEDICTVS *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali, in caleſtibus in Chriſto Ieſu.* 543

C. 2. v. 18. *Quoniam per ipſum habemus acceſſum ad Patrem.* 365

C. 3. v. 1 *Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu.* 51

v. 18. *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, qua ſit latitudo, & ſublimitas, & profundum.* 801

C. 4. v. 7. *Vnicuique noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram.* 712

v. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.* 673. 682

v. 12. *Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij.* 832

v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis.* 706

C. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis.* 310. 306. 405. 593

v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam* &c. 141. 255 671 673. 919. 926 927.

v. 29. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius.* 26

C. 6. v. 19. *Vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſa audeam, prout oportet me loqui.* 734

EX EPIST. AD PHILIPPEN.

Cap. 1. v. 7. SICVT *eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: eo quod habeam vos in corde & in vinculis meis.* 652

v. 18. *Quid enim? dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo &c. mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* 715

C. 2. v. 8. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* 526

v. 10. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* 154. 391.

C. 4. v. 7. *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum.* 414

v. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* 68

EX EPIST. AD COLOSSEN.

Cap. 2. v. 8. VIDETE *ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam.* 819

C. 3. v. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* v. 10. *& induentes nouum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit illum.* 410

v. 12. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem &c. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 142

C. 4. v. 6. *Sermo noſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo vos oporteat vnicuique reſpondere.* 567

v. 17. *Vide miniſterium quod accepiſti in Domino, vt illud impleas.* 531. 652.

v. 18. *Memores eſtote vinculorum meorum.* 60

EX I. EPIST. AD THESSAL.

Cap. 1. v. 8. ITA *vt non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.* 488

C. 4. v. 4. *Sciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.* 321

C. 5. v. 12. *Rogamus autem vos fratres, vt cognoſcatis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantiùs in charitate, propter opus illorum.* 694

v. 19. *Spiritum nolite extinguere.* 706

EX PRIMA AD TIMOTH.

Cap. 1. v. 5. DE *corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* 271

v. 6. *Conuerſi ſunt in vaniloquium.* v. 7. *volentes eſſe legis Doctores non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 266. 709. 714.

v. 18. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* 722

C. 2. v. 1. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes,* &c. *pro omnibus hominibus, pro regibus.* &c. *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* 373. 375. 428
v. 7. *In quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus Doctor Gentium in fide & veritate.* 715
C. 3. v. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe ſine crimine, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem.* 24. 654. 657
v. 6. *Non neophytum.* 706
v. 9. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* 254. 255. 383.
v. 13. *Qui enim bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent.* 357
v. 16. *Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* 671
C. 4. v. 2. *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* 24
v. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt.* 595
v. 5. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 543
v. 6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam aſſecutus es.* 726
v. 7. *Ineptas autem & aniles fabulas deuita.* 752
v. 12. *Exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione* &c. 672. 790
v. 13. *Attende lectioni & doctrinæ.* 33. 665. 672. 749. 787. 790.
v. 14. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te* &c. *cum impoſitione manuum Preſbyterij.* 357. 614
v. 15. *Hæc meditare, in his eſto:* v. 16. *Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis.* 92. 800. *Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* 92. 672
C. 5. v. 17. *Qui bene præſunt, Preſbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.* 650. 651. 652. 675. 690. 694. 695. 705. 808.
v. 20. *Peccantes coram omnibus argue.* 646
v. 22. *Manus citò nemini impoſueris.* 706
v. 13. *Certa bonum certamen.* 33
C. 6. v. 13. *Præcipio tibi coram Deo qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem: vt ſerues mandatum ſine macula, irreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 255. 806
v. 20. *Depoſitum cuſtodi.* 800

EX SECVNDA AD TIMOTH.

CAP. 1. v. 6. ADMONEO te *vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* 357. 615
v. 18. *Det illi Dominus miſericordiam inuenire in illa die.* 422
C. 2. v. 1. *Tu verò fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu!* 726
v. 2. *Et quæ audiſti à me* &c. *hæc commenda fidelibus, qui idonei erunt & alios docere.* 706
v. 7. *Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* 772
v. 15. *Solicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 805. 807
v. 16. *Profana autem, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem.* 752
v. 17. *Et ſermo eorum vt cancer ſerpit.* 153
v. 24. *Seruum autem Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem,*
v. 25. *Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.*
v. 26. *Et reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.* 745. 791
C. 3. v. 9. *Vltra non proficient: inſipientia enim illorum manifeſta erit.* 57
v. 12. *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.* 654
v. 14. *Tu verò permane in his quæ didiciſti, & credita ſunt tibi ſciens à quo didiceris.*
v. 15. *Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* 800
v. 16. *Omnis ſcriptura Diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum* &c. 807. 810
C. 4. v. 1. *Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto,* &c. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* 654. 655. 669. 746. 790. 810
v. 3. *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt.* 660
v. 5. *Opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* 35. 740
v. 13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* 101. 105. [illegible]6. 107. 108. 111

EX EPIST. AD TITVM.

CAP. 1. v. 1. PAVLVS *ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti.* 333
v. 9. *Amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.* 697. 705
C. 2. v. 7. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate.* 665. 726
C. 3. v. 5. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* 593
v. 8. *Curent bonis operibus præeſſe.* 666
v. 9. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles & vanæ.* 752

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

CAP. 1. v. 2. LOCVTVS *eſt nobis in filio.* 670
v. 3. *Portans omnia verbo virtutis*

ſua. 454

v. 14. Omnes ſunt adminiſtatorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. 748

C. 4 v. 12 Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus. 729. 785

C. 5. v. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. 394. 508. 528

v. 2. Qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. 321. 544. 546

v. 7. Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationéſque &c. cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. 394. 398

v. 8. Didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam. 526.

v. 9. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. 365

v. 10. Appellatus a Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech. 154

C. 7. v. 1. Hic enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ, regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei. 549

v. 3. Aſſimilatus autem filio Dei. ibid.

v. 7. Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt à meliori benedicitur. ibid.

v. 12. Tranſlato Sacerdotio. 510

v. 18. Reprobatio quidem præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem.

v. 19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum. 308

v. 24. Sempiternum habet Sacerdotium. v. 25. Vnde & ſaluare in æternum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. 331. 475

v. 26. Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. 331

C. 8. v. 2. Sanctorum miniſter & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. 308

v. 5. Vide, omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. habetur Exod. 25 40.

v. 6. Nunc autem meliùs ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum. 308

v. 13. Dicendo autem nouum, veterauit prius. ibid.

C. 9. v. 9. Quæ parabola eſt temporis inſtantis, iuxta quam munera & hoſtiæ offeruntur. &c ibid.

v. 11. Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum operum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt non huius creationis.

v. 12. Neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum: ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. 255. 509

v. 13. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti? &c. 185 333

v. 22. Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. 471

v. 24. Sed in ipſum cælum introiuit, vt appareat vultui Dei pro nobis. 467

v. 28. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. 438

C. 10. v. 1. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. 308

v. 11 Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias. habetur & Num. 4. 508

v. 14. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. 311. 509

v. 26. Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. 438. 469. 509

v. 29. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? 469

v. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. 268

C. 11. v. 33. Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. 28. 416

C. 12. v. 2. Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta &c. v. 3. Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. 130

v. 24. Per ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel. 314. 472.

C. 13. v. 9. Optimum eſt gratiâ ſtabilire cor. 375

v. 10 Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. 335. 476. 482. 510

v. 11. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum corpora cremabantur extra caſtra.

v. 12. Propter quod & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. 185

v. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis 648. 649. 650

EX EP. CATHOL. S. IACOBI APOST.

CAP. I. v. 1. IACOBVS, Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus. 333
v. 4. Patientia opus perfectum habet. 22
v. 5. Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo &c. 655
v. 27. Religio munda & immaculata, apud Deum & Patrem, hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. 672
C. 3. v. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam. 271
C. 4. v. 6. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 657. 801
C. 5. v. 14. Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. 577
v. 15. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. 578

EX EPIST. B. PETRI APOST. I.

CAP. I. v. 11. PRÆNVNTIANS eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. 918
v. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite. 280. 575
v. 24. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. 395
C. 4. v. 10. Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. 617
v. 11. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus. 617. 808. 809
v. 11. Vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum. 365. 474
v. 16. Nemo veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: v. 17. Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. 540
v. 17. Iudicium à domo Dei incipiet. v. 18. Iuſtus vix ſaluabitur. 649
C. 5. v. 8. Circuit quærens quem deuoret. 652

EX II. EPIST. B. PETRI.

CAP. I. v. 4. FVGITE eius quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. v. 5. Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem. 747
v. 14. Certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. v. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. 400
v. 19. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat & lucifer oriatur in cordibus veſtris. 806
v. 21. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines. 807. 874

EX EPIST. S. IOANNIS I.

CAP. I. v. 5. DEVS lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. 801
C. 2. v. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 459
C. 5. v. 9. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt. 111
v. 16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. 421. 438

EX EP. CATHOL. B. IVDÆ APOST.

v. 23. QVOS verò ſaluate, de igne rapientes: aliis autem miſeremini in timore. 660

EX APOCALYPSI S IOAN. APOST.

CAP. I. v. 1. QVÆ oportet fieri citò, & ſignificauit Deus, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni. 333. 609
v. 8. Ego ſum A & Ω, principium & finis. ibid.
v. 13. Vidi ſimilem filio hominis. ibid. Veſtitum podere, & præcinctum zonâ aurea ad mamillas. 15. 35. 37. 38
v. 17. Cecidi ad pedes eius tamquam mortuus. 397
C. 3. v. 2. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo, &c. 655
v. 5. Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis. 28
C. 4. v. 6. Animalia plena oculis antè & retrò. v. 8. & intus plena ſunt oculis. 728
C. 5. v. 5. Vicit leo de tribu Iuda. 411
v. 8. Et ceciderunt viginti quatuor ſeniores coram agno, &c. & cantabant canticum nouum dicentes: dignus es Domine, &c. 973
C. 6. v. 9. Vidi ſubtus altare, animas interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium quod habebant. 609
C. 7. v. 9. Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. 1
v. 14. Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. 28
C. 10. v. 8. Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli, & deuora illum, &c & deuoraui, &c. Et dixit mihi oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis & regibus multis. 798
C. 11. v. 1. Datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, vt metirer templum Dei, & altare, & adorantes in eo. 383

C. 12. v. 1. *Apparuit mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* 717

C. 13. v. 6. *Aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen eius & eos qui in cœlo habitant.* 52

C. 14. v. 9. *Si quis adorauerit beſtiam & imaginem eius, & acceperit characterem eius in fronte ſua, aut in manus ſua: v.10. hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum &c.* 264

C. 15. v. 6. *Exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo veſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora, zonis aureis.* 43

C. 16. v. 5. *Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc iudicaſti; quia ſanguinem ſanctorum effuderunt, & ſanguinem dediſti eis bibere, digni enim ſunt.* 220

v. 19. *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem indignationis iræ eius.* 265

C. 17. v. 4. *Et mulier erat circumdata purpurâ & coccino, &c. habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione &c. & vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum &c.* 267

C. 19. v. 12. *In capite eius habens diademata multa.* 154.

C. 22. v. 11. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* 655

v. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* 350. 646

ERRATA SIC CORRIGITO

In textu.

PAG. 1. *linea* 4. *eius*. *p.* 24. *l.* 12. cauteriatam. *p.* 150. *l.* 35. excellis. *p.* 160. *l.* 4. Boſone. *p.* 198. *l.* 24. implicantia dici. *p.* 212. *l.* 39. aurum non. *p.* 263. *l.* 35. exitioſis. *p.* 269. *l.* 27. fiat accipientibus nobis. *p.* 312. *l.* 25. noſtrûm. *p.* 316. *l.* 10. cui. *p.* 334. *l.* 7. eos principes. *p.* 392. *l.* 30. Pſal. 18. *p.* 505. *l.* 34. nixum. *p.* 412. *l.* 4. ſurrexiſſe. *p.* 580. *l.* 38. Prætorio. *p.* 597. *l.* 4. à Nicolao I. *p.* 598. *l.* 33. permittente. *p.* 640. *l.* 14. communicator. *p.* 673. *l.* 22. docendum eos. *p.* 854. *l.* 9. obuerſari. *p.* 869. *l.* 12. conſtat ex. *p.* 428. *l.* 38. multæ, *lege* nullæ. *p.* 434. *l.* 43. proinde ſequitur nec hæretici, *lege* proinde non cenſendi ſunt hæretici. *p.* 450. *l.* 10. irrogata, *lege* irrogatos.

In margine.

PAG. 193. *l.* 14. redemptione. *p.* 438. *l.* 51. [illegible]. *p.* 554. *l.* 3. in principio. *Irrepſerunt etiam nonnulla citationes minùs accuratæ in locos Sacræ Scripturæ, ſed in tabula ſacra emendantur.*

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliiſve locis eius ditioni ſubditis, librum qui ſic inſcribitur, *Panoplia Sacerdotalis: ſeu de venerando Sacerdotum habitu: Eorúmque multiplici munere ac officio in Eccleſia Dei, Libri XIV. &c. Auctore* ANDREA DV SAVSSAY, *I.V. Doctore, S. Sedis Apoſt. Protonotario, nec non Officiale Pariſienſi, & Vicario generali Illuſtriſ. & Reuerendiſ. D. Pariſ. Archiep.* quouis charactere, aut forma excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit intra quindecim annos, computandos à die abſolutæ primæ editionis, præter Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconſulem Qui ſecùs fecerit, mulcta eſt indicta, prout fuſiùs in diplomate regio continetur. Datum Pontoeſiæ die 29. Septembris 1652. Sic ſignatum, De mandato Regis, CRAMOISY.

Hæc prima editio abſoluta fuit die 29. Martij 1653.

APPROBATIONES DOCTORVM SACRÆ
Facultatis Pariſienſis.

NOs infrà ſcripti Doctores ſacræ Facultatis Pariſienſis, teſtamur legiſſe librum, cui titulus præfixus eſt, *Panoplia Sacerdotalis, cum duplici Appendice, de inuocatione Chriſti & Euchariſtiæ adoratione*, auctore, in tam feraci ſcriptorum ſegete, quos præſens tulit ſæculum, celeberrimo Scriptore *Andræa Sauſſaio I.V. Doctore, Officiali Pariſienſi, & Vicario generali Illuſtriſſimi ac R. Archiepiſcopi Pariſienſis*, &c. opus ſanè egregium: quod Auctoris ſui multiplicem doctrinam, eruditionem, eloquentiam, pietatem, zelúmque ac acumen ingenij contra fraudes hæreticorum, redolet. In quo nihil eſt orthodoxæ fidei ac morum probitati diſſentaneum, ſed quod iure merito Sacerdotes omnes, ad officij ſui diſciplinam deſiderent, legántque die ac nocte. Quapropter opus magnà compoſitum mente, dignum iudicauimus, quod pro communi vtilitate, in lucem publicam emitteretur. Datum Pariſiis die 17. Februarij anno 1653.

I. CHARTON. C. PATV. L. BAIL. DVLAVRENS.

PRODIT tandem poſt Epiſcopalem atque Clericalem, à multis expetita PANOPLIA SACERDOTALIS D. ANDREÆ DV SAVSSAY S. Sedis Apoſtolicæ Protonotarij, Regis Conſiliarij & Concionatoris, Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Pariſienſis Officialis & Vicarij generalis, &c. ſtudió & labore contexta, quam nos infrà ſcripti Doctores, & Regij ſacræ Theologiæ in Sorbona Profeſſores, attentè legimus. Opus eſt, in quo non modò ſanæ atque Catholicæ doctrinæ aduerſum, nobis occurrit nihil; ſed etiam, quod noſtro iudicio, ſiue ad fidem firmandam, ſiue ad mores formandos, futurum eſt vtiliſſimum. In eo ſiquidem Auctor indefatigabilis, ex ſeria & diu meditata ſcripturarum diuinitùs inſpiratarum, ſacrorum Canonum, & ſanctorum Patrum lectione, adeóque purioris Theologiæ fontibus, docet quanta ſit Sacerdotij dignitas, quale miniſterium, & quæ Sacerdotum debeat eſſe vita. Deſtruit hæreticorum fabulas neruosè, inſtruit profundè Catholicos, atque ita ea quæ ad pietatem ſunt, cum eruditione coniungit, vt nihil in eo opere literis conſignârit, niſi quod Scriptorem eruditiſſimum deceat atque piiſſimum. Ita cenſuimus, die 22. Februarij anno reparatæ ſalutis 1653.

R. DV VAL. DE SAINCTEBEVFVE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google